ENERGETI BIBLICA
160
I
13.-21.
BIB.NAZ.NAPOLI

114
I
4
3

BIBL. NAZ.
VITT. EMAN.
160
I
13

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

COMMENTARIUM
LITERALE
IN BIBLIAM.

GENESIS ET EXODUS.

Digitized by Google

1550

Digitized by Google

COMMENTARIUM
LITERALE
IN OMNES AC SINGULOS
TUM VETERIS CUM NOVI
TESTAMENTI
LIBROS

AUTHORE R. P. D.

AUGUSTINO CALMET

Ordinis S. Benedicti, Congregationis SS. Vitoni & Hidulphi.

E Gallico in Latinum ſermonem translatum.

TOMI PRIMI PARS PRIMA.



VENETIIS, MDCCXXX.

Apud Sebaſtianum Coleti.

SUPERIORUM PERMISSU AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

PRÆFATIO GENERALIS IN LIBROS VETERIS TESTAMENTI.

Cum primùm appulimus animum, nt reçens commentarinm in utrumqne; tum Vetus, cum Novnm Teſtamentum elaboraremus, ea nobis animo ſententia Inſedit, ut quidquid optimum hac in re deſiderari poſſet, expromeremus; atque iſtud eo ordine, ac methodo, quæ ſacilior videretur, traderemus; eoque uteremur dicendl genere, quod ubique gentium intelligeretur. Neque vero me latet immenſam prope eorum eſſe copiam, qui plurima, eaque egregia ediderunt Opera in Scripturam; immo cum illa attentis ocnlis verſaremus, id conſilu cepimus, ut hoc recenti opere de illis mereremur optimè, qni Sacrorum librorum ſtudia excolentes ex Ipſo ſonte haurire nequeunt, quidquid alio ſuerit ſermone exaratum, & locis Hebraicis, Arabicis, Græciſque reſertum. Nobis igitur viſum eſt, ex optimis quibuſque ſcriptoribus, qui in Sacras lireras Inſudarint, ea decerpere, quæ In rem magis arbitraremur, nt pro virili literam, atque Scripturæ textum, quoad propius licuerit, aſſequamnr.

Ut autem id e voto contingeret, non magnopere laboravimus, nt affabre omnia, atque Ita nt lucernam ac corroſos ungues ſaperent, tranſitionibus connecterentur; ſed eo omnem curam contulimus, ut ſi opus hoc impolitius ſortaſſe videretur, & jejunius, brevitate tamen commendaretur, & ſucco; neque robur, & nervi deeſſent. Iu id intendimus operam, ut media inter prolixiorem, brevioremque dicendi rationem inſiſteremus via; & faciliora levirer attingentes, ea, quæ obſcuriora majorem lucem poſtularent, prolixiùs enuclearemus. Addidimus quoque diſſertatioues nonnullas iis de rebus, quas noſſe reſerret magis, vel quæ iis eſſent obſitæ difficultatibus, quæ in operis decurſu explanari nequaquam poſſent, qnin opus in immenſum excreſceret. Has etiam In unum congeſſimus, atque ſeorſim a commentariis cudendas curavimus.

Neminem vero arbitror ſore, qui miretur, quod in opere tauto conficieudo multa aliundè ſimus mutuati. Fieri enim nequit, ut novum omnino cudatur opus in Bibliam, cum innumeri prope in ea explananda elaborarint. **Id autem ne Religioni quidem** expediret: Intercedat, opus eſt, conſenſus aliquis, & ſimilitudo inter eos, qui divinos libros explanandos ſuſcipiunt; & licet veritatem eamdem non uno aſpectu poſſimus intueri, prodeſt tamen, quantum in nobis eſt, hominum mentes in unam eamdemque ſententiam adducere. Res enim periculoſæ plena eſſet aleæ, in iis locis, quos Spiritus Sanctus variis interpretationibus obnoxios eſſe voluit, novos ſemper in dies ſenſus iuveſtigare, nulli hominum antea excogitatos: hoc enim levitatis, atque inconſtantiæ ſpeciem quamdam præſeferret, a qua toto cælo Veritas, quæ in Scripturis loquitur, prorſus abhorret.

Si in Sacrorum librorum ſtudiis ethicæ dumtaxat quæſtiones, ac de fide nobis occurrerent, nihil eſſet profectò, cur nova ſubinde ederentur opera, quibus eæ ſtatuerentur; vel ſaltem in Biblicis explanationibus varietas eſſe deberet nulla: cum firma ſit noſtra fides, atque Ethicæ præcepta nequeant immutari. Apud Patres in Conciliorum ſtatutis, atque in Eccleſiæ Traditione ea Invenirentur, quæ de re quavis dicenda eſſent, atque credenda; ſed extant plurima, quod ad Scripturæ literam attiner, difficultatibus admodum præpedita, quibus expediendis eruditi viri operam, atque laborem impendunt, ſemperque impenderunt; quæque ex iis ſunt, quæ Deus *hominum tradidit diſputationi*. Eccleſ. 3. 12. Hic porro eſt, ubi vel doctiſſimi viri imbecillitatem ſuam, atque inſcitiam agnoſcere coguntur, cum in rebus illis hæreant, quæ ſpecie quidem ſimplices, & ſaciles videutur, re autem vera implexiores ſunt, atque humanis mentibus ſublimiores, ſi in eis Myſteria, quæ literæ teguntur cortice, magnæque veritates, quas continent, perpendantur.

Non igitur huc ea ſolùm nos allaturos pollicemur, quæ nova ſint ac mirabilia: alios ſecuti ſumus, cum nequaquam excidiſſe viſi ſunt, eoſque reliquimus, cum in errorem Impegiſſe intelleximus. Ex illis nt ſelectiora hauriremus, adniſi ſumus: neqne illorum veſtigia preſſius, ac humiliùs legentes eos nobis cancellos poſuimus, ut nonniſi, quæ ab ipſis dicta fuiſſent, adferremus; immo recentes pleraſque explicationes Inveneris, & conjecturas a nobis additas; atque perpanci erunt loci difficiles, quos non in majorem vocaremus lucem, & in iis novum aliquid detegere conati non ſimus. Cæterùm ne omnia, quæ nobis cum aliis conveninnt, ex ipſis exſcripta arbitreris: ſæpe enim aliorum ſententiis noſtram congruere invenies, quin illos vel adiremus, vel conſulremus; cum ſinguli locum eumdem explicare adnitamur, id niſi uſuveniret, mirum prorſus, ac prodigio ſimile videretur. Ita ſentit Auguſtinus *l. 2. c. 6. de Doctr.*

de Doctr. Chriſt. Ad edomandam labore ſuperbiam, & intellectum a faſtidio revocandum, cui facili inveſtigata plerumque viloſcunt. Et idem epiſt. 82. n. 34. *Qui ſcripturas edifferendo pertractant, neceſſe eſt, etiamſi recta, atque unius fidei fuerint, varias parere in multorum locorum obſcuritate ſententias: quamvis ipſa varietas nequaquam ab ejuſdem fidei veritate diſcordet.*

Neque bic probra inveneris, neque invectivas, & perquam rarò directas claudicantium ſententiarum confutationes: etenim in id incubuimus, ut diſputationes, nimiam prolixitatem, atque inanes qnæſtiones tolleremus; & ex variis opinionibus eas dumtaxat afferre ſtuduimus, quæ majoris momenti exiſtimavimus. Qua in re nemini prorſus ſtudioſè nimis hæremns; ſed veritatem modò inquirimus, & in auctoribus acre judicium, ſeligendi vim, veri perſpicientiam, ſolertiamque laudamus. Si quando nonnullas Interpretum riſu excipiendaa ſententias afferimus, puta Rabbinorum, id eo conſilio factum ſcias, non ut eam probemns, ſed ut alibi a nobis merito præteriri innoteſcat. Præterea illorum ſententiis, quas haud refellimus, nos ſubſcribere, cave, credas: quippe aliæ ſunt, quas ſerio refellere operæ pretium minime videatur; aliæ vero indiffereotes, quas emunctæ naris lectori dijudicandas relinquimus, atque eruditorum trutina diſcutiendas. Aliquando etiam variis ſcriptorum ſententiis allatis, lis adhuc relinquitur ſub judice, quoniam nullum eſt taotum momentum, quod animum in alterutram partem ſine hæſitatione valeat inclinare.

Fatemur quidem plurimum uos debere optimis Iuterpretibus; & ſi quando eorum nomina, e quibus profecimus, minime memorantur, non inde animi vitio illud nobis vertendum exiſtimes, aut invidiæ; ſæpe quem auctorem appellaremus, cum idem omnes prope afferant, nos fugeret, atque immenſi propemodum laboris eſſet, inquirere, qui ſententiæ princeps extiterit; & eorum, qui in eamdem abiere ſententiam, geuealogiam, ut ita dicam, deducere. Præterea ab re profecto eſſet auctores proferre, cum vulgata quædam, ac veluti e trivio afferuntur, & quæ euique, locos eoſdem animo revolventi, per ſe ipſa occurrant; quæ ſane puerilis eſſet diligentia. Sed eum res poſtulaverit, atque adinventum aliquod laude dignum extiterit, illius auctorem meritis laudibus inornatum nequaquam abire patiemur.

At npus hoc uon nnius tantum hominis laborem exiſtimes: illi enim, qui huie operi adornando dux fuit, in duobus tribuſve prioribus libris, item in Pſalmis, ac Divi Matthæi Evangelio explanando aliqnot e confratribus ſuis opem tulere, qui unà cum ipſo notæ melioris interpretes in ſingnlos ſcripturæ libros perlegerunt, atque juxta initum conſilium, quidquid undique ſeligendum eſſet, excerpſerunt. Excerpta verò in communi Monachorum cætu recitata ſunt, nbi ſingulis, quid ſentirent, in medium afferre licuit, quæ in unum veluti corpus congeſta ſunt. Auctor porro quidquid optimum cenſuit, ut operi lumen, & dignitat aeeederet, elegir, Divi Hieronymi exemplum imiratus, qui de ſe hæc Auguſtino ſcribit *Epl. 75. inter Augnſtinian. Ego in parvulo tugurinncule eum Monachis, ideſt, compeccatoribus meis, de magnis ſtatuere non audeo, niſi hoc ingenuè profiteri, me majorum ſcripta legere, & in commentariis ſecundum conſuetudinem varias ponere explanationes, ut ex multis ſequatur unuſquiſque quod vult.* Ad hæc autem animadverſiones aliquot auctor addidit, quas ex iia ſcriptoribus eruit, qui ſeorſim in aliquem libri cujuſdam locum adlaborarnot; pleroſque legit tum Græcos, cùm Latinos ſcriptores, atque plures ex iis, qui nuper itinerum ſuornm rationes typis edidere; ut veterum Orientis populorum mores dignoſceret, atque in ipſorum legibus, ſacrorum ritibus, ac locutionibus inveniret aliquid, quod Scripturæ majorem lucem afferret. Magna Hebraicorum librorum vetuſtas, ſacrorum ſcriptorum ſententiæ, dicendi formulæ, orationis ſtylus a nobis tam remotus, maximam in illis probè explicandis pariunt difficultatem. Plures quoque eruditos viros adire non puduit, ſi quando obſtitiſſet aliqua difficultas; illoſque de nobis optimè fuiſſe meritos fateri non piget.

Senſum autem, qui propiùs literam ſpectaret, amplexi ſumus; hic enim cæterorum ſenſuum, aliarumque explicationum origo veluti eſt, ac fundamentum. Neque enim difficultatibus rem adeò ptæpeditam reor Ethicas, & quæ ad ſpiritum referantur, explicationes in medium afferre, atque Scripturæ ſenſus, allegoriis, ac figuris involutos perquirere. Plena ſunt Patrum monnmenta, pleni majori ex parte interpretum libri: atqne hujus generis explicationes paſſim, prout libitum fuerit, effinguntur. Sed in eo difficultas ineſt, nt vera Textus inveniatur ſententia, atque implexinr literæ ſignificatio evolvatur; & non immerito dixeris id eſſe, quod in bujuſmodi ſtudiis firmius, & ſolidius babeatur, ac præ reliquis ad homines edocendos conducat. Cum antem quis literalem Scripturarum ſenſum probè noverit, is profecto nullo negotio optimas qnoque myſticas explicationes invenerit.

Verum quamquam ad literæ ſtudium præcipuè intendimus operam, non ideo tamen uni Grammaticæ hæſiſſe credas ſententiæ, neque hic aliud afferri, quam ſiccum quemdam, & enervem commentarium, qui in eo ſolùm verſetnr, ut Hebraicæ vocis ethymon inquirat, vel criticam animadverſionem contineat alicujus verſionis, aut locutionis alicujus Hebraicæ, vel Græcæ. Plurimi enim ſunt Scripturarum loci, ubi figuratus ſenſus, & literalis adeo immixti ſunt, ut alterutrum ſine altero nequaquam explicare valeas: alibi vero ipſe idem literalis ſenſus ſpiritualis eſt, & figuratus; alibi ad ſpiritualem ſenſum confugere opus, eſt

quam-

quamquam literalis ſenſus queat aſſignari: alibi denique, poſtquam hiſtoricus, & literalis ſenſus fuerit explanatus, oſtendere neceſſe eſt, quomodo hæc hiſtorica facta ad Jeſum Chriſtum, & Chriſtianæ Eccleſiæ ſtabilitatem referantur. Hac nus via inſtitimus, cum de Patriarchis veteris teſtamenti, ac de propheticis libris locuti ſumus. Ad calcem vitæ ſingulorum Patriarcharum brevem addidimus earum rerum, quas geſſere, epilogum, & oſtendimus qua ratione Jeſu Chriſti actiones adumbrarent. Operam quoque impendimus, ut in veteri novum Teſtamentum contineri palam faceremus, ſeu authographum in apographo, atque Jeſum Chriſtum in Sanctis quibuslibet antiqui fœderis repræſentari: quæ tamen ſolummodo perſtringimus, utpote Chriſtianos allocuti, quibus, cum iſthæc minime diffiteantur, res indicare ſufficit, etiam nulla ratione allata.

Hac autem methodo univerſo in opere inſiſtemus. Singulis Scripturæ libris præfationem præponemus, quæ Auctoris, ſi cognitus fuerit, vitam complectatur; ſi vero ignotus, cuinam is tribui poſſit, inquiretur. Sequetur inde operis conſilium, & compendium; animadverſiones ſuper tempore, quo liber ſcriptus eſt, ſtylo, methodo, ordine; ac poſtremum Tabula Chronologica eorum, quæ in ipſo libro enarrantur.

Singula libri capita, quæ integra uno tenore exhibemus, eorum Commentarium ſubſequetur; ubi varii ſenſus, quibus Hebraicus textus poteſt explicari præter illum, quem præſefert vulgata, afferentur. Sin autem Latina verſio ambiguum ſenſum, atque ſuſpenſum attulerit, neque conducere exiſtimaverim in hanc, vel illam præſertim detorquere ſententiam, ille ſuæ ambiguitatis involutus latebris relinquetur; nimis enim magni momenti eſt in textus alicujus explanatione ſenſum determinare, quem fortè data opera ambiguum auctor fecerit: quippe illius ſententiam explicare hoc profecto non eſſet, ſed illius menti, & conſilio adverſari. Qua in re optimè ajebat Hieronymus in *Ezechielis c.* 2u. *Melius eſt in divinis libris transferre, quod dictum eſt, licet ne intelligas, quare dictum ſit, quam auferre quod neſcias.*

Porro ſi variæ lectiones, & multiplex Hebraici textus interpretandi ratio occurrerint, ex antiquis deductæ verſionibus, atque ex priſcis, ac recentibus interpretibus erutæ, in his commentariis reperientur. Præcipuarum tamen lectionum habita eſt ratio, neque leviores proſecuti ſumus; eaſque præterivimus, quas minus probas, vel mendoſas, vel inutiles, ad lucem ſcripturis addendam ſumus arbitrati. Has autem variantes lectiones in notas in ima pagina exiſtentes, ne nimis impediretur commentarium, frequenter conjecimus.

Cum autem ipſe mihi ſuaſerim, ſatis eſſe generalem Chronologiam ſuperficie tenus noviſſe; ideo penitiora illius ſcientiæ adyta ſcrutari ab re fore exiſtimavi; ſed operæ pretium me duxi facturum, ſi præcipuas tantum rationes ſuper Chronologicis difficultatibus delibarem, cæteroquin eruditiores Chronologos indigitarem. Nos Uſſerium, cujus Chronologicum opus in pretio eſt, ſequimur, a quo tamen receſſimus, cum ad id rationibus adduceremur. Inferiùs paullò de Chaldæorum, Ægyptiorum, Hebræorum, necnon Græcorum, & Romanorum Chronologia edimus diſſertationem, quæ ceteris conſecuturis libris poterit inſervire.

Geographiæ quidem ſedulam navamus operam: uſu quippe intellectum eſt hanc flocci factam a noſtris Commentatoribus. Hac de re meritus eſt perquàm bene Samuel Bochartus, qui in egregiis illis operibus Phaleg, & Chanaan viam ſtravit ad veteris Geographiæ cognitionem. Felici nimium eventu plura detexit, & rem hanc maximè exornavit: quamquam cum & ipſe aliquando lapſus videatur, diverſam ab eo ſententiam amplecti coacti ſumus. Hoc in volumine recentem tabulam invenies opera *Molarti Sanſonis* adornatam, ut quid ſentiamus de regionibus, quas trium Noe filiorum poſteri incoluerunt, quos Geneſis memorat capite decimo, ac præſertim de Terreſtris Paradiſi loco, innoteſcat. Super hoc autem poſtremo articulo nihil novi adducimus: ſed, ut plurium excellentiorum virorum ſententiam confirmaremus, P. Furnerii videlicet, P. Lubini, Sanſonis, Craverii, Reinetii, aliorumque, qui Terreſtrem Paradiſum inter Euphratis, Tigris, Phaſidis, & Araxis origines ſtatuunt, adniſi ſumus. In libro quoque Joſue Terræ Sanctæ Chorographiam exhibebimus; quam ſatis futuram reor, ut manſiones, atque itinera Abraham, & illius filiorum in Terram Chanaan oſtendamus.

Protulimus aliquando auctores Proteſtantes; ſed tunc ſolummodò, cum de rebus criticis, & politiori literatura, perraro tamen cum de Theologia ſermo haberetur, niſi ubi cum Eccleſia Romana conſentiunt, vel ubi operæ pretium illos refellere exiſtimavimus. Qua in re priſcorum Eccleſiæ Patrum (1.) exempla ſecuti ſumus, nec non melioris nominis Catholicorum Interpretum auctoritatem. Sin autem quandoque explicationes, & verſiones repereris, quæ Vulgatæ adverſari videantur, non inde improbè illud detorqueas, veluti ab officio, atque honore, qui huic verſioni debetur, velimus recedere, quam Tridentina Synodus ſeſſ. 4. ratam eſſe voluit, & ſanctam: neque enim Concilii hujus menti nos obſiſtere arbitramur, Vulgatam cum aliis textibus conferentes; a qua non ideo tamen diſcedimus, neque parem auctoritatem aliis allatis verſionibus vindicamus. Sanctus Hieronymus, quantumlibet doctus, una tantum verſione aſſequi minimè potuit eas omnes rationes, quibus varie idem ſcriptu-

(1) Origen. homil. 7. in Levit. & S. Auguſt. de Doctr. l. 3. n. 42.

Scripturæ textus transferri poteſt, neque omnes ſenſus complecti, qui tradi poſſent: hoc autem in commentariis ſuis exequi ſtuduit, quod ipſum Interpretes tanti viri exemplum ſecuti deberent efficere; quandoquidem, ut ait Auguſtinus *in Pſal.* 18. *enar.* 2. *art.* 4.; *Nonnulla verba ſcripturarum obſcuritate ſua hoc profuerunt, quod multas intelligentias pepererunt*. Apparet quippe Hebraicum textum, quem ille vertebat, pluribus in locis ab eo differre, qui hodie præ manibus noſtris verſatur: neque ideo dixeris, his in locis illius verſioni propriè adverſari verſionem noſtram; hæc ſiquidem ex alio textu deducitur.

Ut autem commentarii textus exhiberetur expeditior, ad paginæ calcem Hebraica, & Græca verba plerumque collocanda cenſuimus, quod idem de auctorum locis, qui proferuntur, dicendum eſt. Lectores verò forte animadvertent in ejuſdem Auctoris citationibus nos ſemper eamdem ejus operum editionem minime ſequi; at inde factum ſcias, quod non ſemper in eodem loco, & eodem temporis decurſu hoc opus elaboraverimus, ideoque eoſdem textus ſemper præ manibus habere non licuerit. Patet autem ſæpius auctorum eorumdem editiones propter capitum diviſionem differre.

Porrò eam dicendi rationem his in Commentariis ſecuti ſumus, quæ perſpicuitatem cum brevitate conjungeret; hunc enim ſtylum opera hujus generis maxime decere ſumus arbitrati: quæ S. Hieronymi in quæſt. Hebraic: p. 568. eſt ſententia: *Pedeſtris, & quotidianæ ſimilis, & nullam lucubrationem redolens oratio neceſſaria eſt, quæ vim explicet, ſenſus edisserat, obſcura manifeſtet, non quæ verborum compoſitione frondeſcat. Sint alii diſerti ...... mihi ſufficit ſic loqui, ut intelligas, ut de ſcripturis diſputans ſcripturarum imiter ſimplicitatem*. Etenim ideò proſunt Commentarii, quod textum clariùs explicent, & legentibus laborem imminuant. Qui brevitati ſtudet, periculum eſt, ne obſcurior evadat; qui vero prolixitati, ne legentium memoriam fatiget. Majeſtas, & ſeria Sacrorum Librorum dignitas ſermonis floſculos reſpuit, neque verborum adſectatam lautitiam requirit.

Hac verò præſertim de cauſa huic operi manum admovimus, ut pro virili Sacrarum Scripturarum ſtudium accenderemus, tum in Eccleſiaſticis viris, cum in cæteris, qui Catholicam Religionem profitentur; neque illud pallio tenus, ut ajunt, ſed ut quiſque juxta captum ſuum totis viribus in illud incumberet; eas explanando difficultates, quæ pleroſque ab hoc ſtudio deterrent. In his enim commentariis preſſius collecta invenient, quæ nonniſi magno laboris impendio in maxima voluminum mole inveniri poſſent, quæ vel nemo ſibi valeat comparare, nemo legere velit.

In aſſidua ſacrorum librorum lectione, atque contemplatione verſati ſunt ſancti Prophetæ & ſanctiſſimi quique veteris Teſtamenti viri. *Moyſes ipſe Deut.* 6. 7, 8. *&c.* jubet, Dei præcepta ſemper ante oculos verſari oportere, & memoriæ mandari, in manibus, & fronte inſcripta geſtari, domorum foribus appingi, ut quiſque in eis meditetur ſedens *in domo ſua, ambulans in itinere, dormiens, atque conſurgens*. In his Domini mandatis regius Pſaltes exercebatur (1); ſummaque afficiebatur oblectatione legem Dei ſui animo volvens, atque Dei verbum lucerna erat illi, robur, voluptas, & conſolatio. In iſtud Prophetæ quoque incumbebant (2), ut divinam legem perdiſcerent, atque tempus Dominici adventus (3), quem illis Deus ſpoponderat, inquirerent. Hæc nimirum Sapientium erat Sapientia, hæc ſcientia eruditorum, Domini legem ſcrutari, atque illius dicto audientes eſſe.

Veteres Eccleſiæ Patres, ac primores ſanctiſſimæ Religionis noſtræ Theologi vel tantummodo, vel præcipuè ſaltem divinis ſcripturis operam navabant; eoque animum intendebant, ut illas clariùs intelligerent, & veros ſenſus invenirent. Quidquid ipſi ediderunt, Scripturæ locorum quædam textura eſt, eorum argumenta Scripturis innituntur, eorum in Conciliis deciſiones, tum publica, cum privata documenta Scripturis inſiſtunt, quas explicarunt, prout ab Apoſtolis, atque Apoſtolicis viris acceperant. Sive enim fidei ſuæ illis ratio eſſet reddenda, ſive increduli coarguendi, vel infideles impugnandi, vel hæretici confutandi, vel Fideles edocendi, atque ipſis Fidei noſtræ arcana detegenda, ex libris ſanctis eruere conſueverunt argumenta, & rationes, quæ penitiora cordis pervaderent, mentibus lucem afferrent, & pervicacium incredulitatem, atque inflexibilium duritiem evincerent. Ex Scripturarum lectione voluptate ſumma illorum ſpiritus afficiebantur, indeque veluti ex perenni fonte vivas hauriebant aquas in cœlum uſque ſalientes.

Ideò cultu maximo, amore, atque admiratione Sacram Bibliam proſequebantur, quam nonniſi ſanctæ humilitatis timore perciti intuebantur. Quò magis ſacra Myſteria ſcrutabantur, eo magis, quod ſcrutarentur, reperiebant: atque in hoc pergrato, aſſiduo, atque altiſſimo ſtudio aliquid novi occurrebat ſemper, ut in illud ardentiùs incumberent; abditos Theſauros quærentibus plane ſimiles, qui ſi quid invenerint, non ceſſant, ſed avidiùs, majoribuſque effodiunt viribus, ſpe novarum rerum illecti. Hujus generis erant Religionis noſtræ Apologiſtæ, atque veteres Eccleſiæ Doctores, viri ſpiritu pollentes, & verbo, atque Scripturarum ſtudiis apprimè exculti, quarum ſcientiam adepti, eadem veluti gladio ancipiti utebantur, ut quid-

(1) Pſalm. 118. (2) 1. Petri 1. 10. 11. (3) Daniel. 9. 2. 3. 4.

ut quidquid veritati obſiſteret, dirueteot, & ſcelera, ac ioſidelitatem everterent.

Patres, qui tranquillis eccleſiæ vixere temporibus, & ubi Chriſtiana Religio præ cæteris longe eminebat, haud minori ſacrorum librorum ſtudío abrepti ſunt; ſibi quippe perſuaſerant omnes Chriſti Fideles, & potiori jure Paſtores, & Præſules paratos ſemper eſſe debere ad reddendam fidei ſuæ rationem, ad eos qui fidei adverſaotur (1) redarguendos, ad propugnandam religionem, ac ejus veritatem, & ſaoctitatem demonſtrandam. Summo dicendi urdore elaborarunt, ut ſeſe Divinæ Scripturæ ſententiis imbuerent; ipſi & viva voce, & ſcriptis illam explicaruot, Commentarios elucubrarunt, regulas quaſdam, ut optime intelligeretur, ediderunt; atque, ut omnia verbo complectar, nihil intentatum reliquere, quo minus Fideles eu reverentia, & amore, quibus ipſi afficiebantur, erga ſacras litteras afflarentur.

Ipſorum verò methodus alia erat, atque alia pro temporum, & perſonarum varietate; & ſe ſe ad eorum captum cooformabant, quos erant allocuturi. Sive etenim Ethnicos evincere oporteret ſuper ſactorum, & miraculorum veritate, quæ libri ſancti teſtantur; ſive Judæis oſtendere in Chriſto Jeſu adimpleta ea omnia, quæ Prophetæ cecinerunt; ſive Hæreticos coarguere de Fidei doctrina, quam conabantur evestere, e Bibliis ea eruebant urgumenta, quibus illorum obduratio, pervicacia, ac fides improba obſiſtere oequaquam poſſent.

Quamquam autem literali, & grammaticali ſenſui minus adhæſerunt, quam Critici recentiores; fatendum eſt tamen, priſcis illis temporibus doctiſſimos interpretes, ac eximios criticos extitiſſe. Ex iis, quæ ſuperſunt, Origenis, Euſebii Cæſaræenſis, & Theodori tum Heracleenſis, cum Mopſueſtienſis, palam innoteſcit, illos oon primoribus tantùm labiis ſcripturas attigiſſe. Commentarii D. Chryſoſtomi, D. Hieronymi, atque Theodoreti pluribus referti ſunt criticis, & literalibus animadverſionibus; atque illud aſſerere meritò poſſumus, recentiores In iis, quæ ud novum Teſtamentum pertioent, nihil, quod antea veteres non excogitarint, in medium attuliſſe.

Ad vetus autem Teſtamentum quod uttinet, fatendum eſt, ipſis eas præſto fuiſſe ſuppetias, quibus nos hodie caremus, Origenia Hexapla, quæ præ illorum maoibus verſabantur, theſaurus quidam eraot, qui plurimorum voluminum vices gereset. Ibi varias textus ejuſdem verſiones conſerebant; utque inde ſententias ſuas hauriebaot ex Hebraicorum librorum ſenſu, quorum linguam plerique ignorubant. Quod uutem maximè mirum io ipſorum libris videtur, illud eſt, quod illorum Criticæ animadverſiones ſapientes erant, modeſtæ, & cautæ; & quod religioni ſibi ducerent ab eorum, qui priores ſcripſeraot, veſtigiis diſcedere, oeque id in literali ſenſu dumtaxat, verum etiam in Ethicis ſenſibus, & allegoricis. Hoc verò paſſim pespendimus legentes, atque ſimul confereotes plurimos tum Græcos, cum Latinos Patres in eumdem Scripturæ librum.

Ante eas diſputationes, quibus Origenis libri occaſionem præbuere, uuctor bic uoos propemodum erat, quem in id genus ſtudiis cæteri ſequerentur. Deinceps Græci D. Chryſoſtomo udhæſesunt, quem pene exſcripſere, vel io compendium redegere. Latini ante Divos Auguſtinum, & Gregorium Magoum plerumque Græcos ſecuti ſunt, uti videre eſt D. Hieronymum Origeni, & Euſebio Cæſaræenſi comparando; Sanctum Ambroſium Origeni, ac S. Baſilio; quod idem de cæteris notari poteſt. Sed poſt Sanctos Auguſtinum, & Gregorium Magnum, cum ſtudia deſervere cœpiſſent, ſe voti compotes factos arbitrati ſuot, ſi catenas veluti quaſdam, ex eorum, qui præceſſiſſent, ſcriptis contexerent. Hac ferme ioſtitere via Beda, Alcuinus, Rabanus Maurus, Haymoinus, Albertus, Rupertus &c.

Duodecimo ſæculo elapſo Scriptutæ ſtudia eamdem, ac cæteræ ſcientiæ ſortem nacta ſunt: de illis ſcholaſticorum ritu ugere cœptum eſt, varias agitando quæſtiones, plurimoſque communes locos adſerendo. Quidquid D. Thomas in novum Teſtamentum edidit, illud profectò Patrum catena eſt. Lyranus, qui Judæus origine ad Catholicam fidem ſeſe receperat, & Sancti Franciſci familiæ nomen dederut, Scripturæ ſtudium negligentia obrutum iterum excitavit. Gloſſa Ordinaria, Dionyſius Carthuſianus, Ugo de S. Caro, aliique oonoulli breviores in Bibliam notas edidere; ſed quemadmodum primitivas ignorabaot linguas, vulgatam tantummodò explicaruot, Latioorum Patrum veſtigiis inſiſtentes, quorum opera præ illorum manibus verſabantur. Aliud iniit conſilium Toſtatos, ſuper textus varias propoſuit quæſtiooes, eaſqoe prolixiùs Scholaſticorum more tractavit. Tena ſuper Epiſtolam ad Hebræos, Mendoza io Libros Regum, & Pererius in iis, quæ ſuper Bibliam ſcripſit, eamdem ſere methodum amplexi ſunt.

Sanctiua, Serarius, Bonſrerius, Cornelius a Lapide perpetuos ſcripſere commentarios ſeoſus omnes immiſcendo, Literalem, Moralem, & Allegoricum; & ſubinde quæſtiones addeodo, quare io immenſum prope eotum opera excreverunt: hinc bominibus oimiæ prolixitatis tædio affectis, legi propemodum deſiere. Ut huic incommodo obviam irent, compendiaria via quidam uſi ſunt, & breviores notas invenere, veluti Emmanuel Sa, Tirinos, Menochius, Mariana &c. ſed illorum brevitas in eo deſecit, quod explicatiooum præterit probationes,

(1) 1. Tit. 1. 9.

tiones, atque Lectores inopes conſilii deſtituit, & quid de propoſita re credant; incertos relinquit.

Poſt noviſſima Hæreticorum inventa, linguarum ſtudia maximè viguerunt, & homines paſſim ad Biblicos Textus, Hiſtoriam, artem Criticam, politiores litteras, ac Judæos auctores, Patreſque evolvendos animum appulere. Recentes prodiere ex Græco, atque Hebraico textu verſiones, atque ut in dies novæ adhuc explanationes fierent, adlaboratum eſt. Denique centum, & quinquaginta annorum intervallo in Sacram Scripturam plures commentarii editi ſunt, quam antea totis quingentis annis. Quod autem vitio pleriſque Proteſtantium Interpretum verti poteſt, quamvis majori ex parte ſint eruditi viri, hoc eſſe reor; ſcilicet quod illorum opera nimis jejuna ſunt, atque Grammaticis referta animadverſionibus, cum nimium Rabbinis adhæreant, atque flocci facere Patrum monumenta videantur. Eos prætereo ſenſus ab ipſis effictos, qui palam Eccleſiæ fidei adverſantur. In iis præterea deſideratur ſæpius, quæ optanda eſſet, ſinceritas; cum Eccleſiæ Catholicæ eos paſſim tribuant ſenſus, quos numquam ipſa comprobarit.

Neque iſthic longiora quæras prolegomena ſuper Textus, Linguas, inſpirationem, ac varios Scripturæ ſenſus. Plurima quippe adſunt id genus opera, neque futurum confidimus, ut illud nobis feliciter magis, & ex voto poſſit contingere, quam illis evenerit. Aliquid tamen inter Commentarios de Primæva lingua, ac linguarum Babylonica perturbatione reperies: atque item diſſertationem de materia, & forma librorum, quos Hebræi veteres ediderunt, necnon de characteribus, quibus Moyſes uſus fuit, quæ ſolet eſſe Prolegomenorum materia. De inſpiratione vero, ac variis Prophetiarum ſenſibus nobis ſermo erit in Præfatione generali ſuper Prophetas.

Porrò ſi ſpecie tantum ducti rem judicare vellemus, videretur ſane, nihil reliquum eſſe; quod dici poſſet in Bibliam; omnia eſſe detecta, atque explorata; vel ſi qua ſunt, quæ luce indigerent, ea nequaquam penetrari poſſe; quare ab re prorſus eſſe operam impendere, ut recentes adhuc Sacrorum librorum Commentarii in lucem prodeant, cum experientia pateat postquam hac de re ſcribi cœptum eſt, omnia in id ipſum ferme ſpectare, & eum, qui abſolutiſſimum Commentarium legerit, omnes legiſſe videri. Sed ne ille quidem, qui hæc ſtudia vix a limine ſalutaverit, iſta objiciet. Litera Scripturæ magnis difficultatibus adhuc irretitur, quas hactenus nemo ſatis intellexit. Librorum copia, qui hac de re extant, efficitum, ut ita dicam, hoc eſſe ſtudium minimè evincunt: præterea ſi nova tantum eſſent pertractanda, jamdiu ſcriptores conticuiſſent. Quotidie Hiſtoriæ ac Philoſophiæ opus impenditur, ac felici prorſus eventu. Si quis Scripturæ materiem altius effodere contenderet ex difficultates occurrerent, quibus nemo animum advertit; atque eas ſolutiones inveniret, quas nemo hactenus excogitavit. Neque exiſtimes, ea nequaquam detegi poſſe, quæ principes Interpretes minime detexerunt; neque eo pervadi, quo alii non pervaſerunt. Præjudicium hoc ex auctoritate, & frequentia ſcriptorum ortum prorſus abjiciendum. Scriptorum turba commodioribus inſiſtit viis; ſed commodiores viæ ſunt aliena exſcribere, & quidquid dictum fuit, ratum habere. Sed ſi unum dumtaxat ſacrarum paginarum caput omni ſedulitate diſcutiendum ſuſceperis, intelliges profecto quanta ſit adhuc neceſſitas in hujus ſtudii tractatione verſandi, & quam difficile ſit, id pro rei gravitate præſtare.

Hebraicæ linguæ inſcitia præ cæteris prohibet, quò minus perfectam ſcripturarum intelligentiam aſſequamur. Neque de hac lingua idem eſto judicium, ac de cæteris, quas loqui homines deſueverunt: exempli gratia, Græca, & Latina. In his magna ſupereſt librorum copia, quibus ſi enixiùs operam navare velis, noveris verborum vim, & propriam cujuſcumque vocis ſignificationem inveneris. Sed hoc in Hebraica non ſuppetit; neque Hebraici integrum quidquam, præterquàm in Hebraicis Bibliis, ſupereſt. Hinc plures loci, vel auctores, ubi eadem vox reperiatur, nequeunt invicem conferri; nullus nobis adeſt Scholiaſtes vetuſtus ſatis, nulla gloſſa, commentarium, vel dictionarium, quæ propriam vocum ſignificationem aperiant, nullum, quæ propterea ejus ævi eſſet deberent, quo adhuc vulgo Hebraice loquebatur. Adeſt enim quandoque vox, quam bis in Biblia minime repereris: aliæ verò ſæpius occurrunt, quæ non ideo magis intelliguntur, tum quod illorum origo ignota ſit, atque obſoleta: tum quod ab originis ſignificatione longius abſcedant; tum denique quod originia ſignificatio latè nimis vagatur, nec ſuppetat aliquid, quod ſenſum propiùs determinet ad res illas, de quibus agitur. Judæornm lingua admodum ſterilis eſt: paucæ illi voces, atque radices. Verborum duo tantùm ſunt tempora, præſens ſcilicet, & futurum, quæ duo ſæpius indiſcriminatim uſurpantur, ac vicem gerere debent aliorum temporum, quæ in ceteris linguis habentur; adſunt præterea duo participia, & infinitivum, & imperativum, nec pluribus totum Hebraicum Verbum conflatur, cui pariter deſunt diverſi modi, qui in reliquis linguis inveniuntur. Hinc autem facile innoteſcit, quantæ ſit difficultatis tempora ſtatuere; & ſæpius orationis tantum decurſus aperit, in quo ſenſu potius ſint accipienda. Aliquando iii qui Hebraicum Textum tranſtulerunt, horum verborum tempora conſtituere, cum ex orationis progreſſu palam fieri, quemadmodum eſſent conſtituenda, cenſuerunt: ſed plerumque

præterito,

præterito, vel futuro adſcripſere, quod in iiſdem temporibus Hebraicè invenerant, nullo habito diſcrimine, an orationis ſeries id poſtularet. Hoc autem ſatis eſſe reor admonendis illis, qui aliquando nos ad perfectum, vel pluſquam perfectum tempus referre cognoverint, quod tempori futuro adſcribitur in Textu; vel nos ad futurum tempus remittere, quod ibi perfecto tribuitur.

Genuina Hebræorum lingua ne apud ipſos quidem Hebræos viget, mille, & octingentis annis ab ejus interitu jam elapſis. Opus vetuſtiſſimum, ex quo lux aliqua ad Hebraicum Scripturæ Textum intelligendum poreſt hauriri, eſt verſio Septuaginta. Neminem autem latet, quantis obnoxia ſit difficultatibus Hiſtoria, quam de hac verſione poſt Ariſtæam Joſephus, & Philo tradiderunt. At hujus loci non eſt, eas revocare ad examen. Sufficiat, Judæos Ægyptios aliquam Scripturæ verſionem habuiſſe, vel ſaltem quinque librorum Moyſis, Ptolomæi Philadelphi tempore, ante Chriſtum natum ducentis annis, & quinquaginta: *Quamquam*, ut ait Hieronymus in Ezechiel. 6., *& Ariſtæus & Joſephus & omnis ſchola Judæorum quinque tantùm libros Moyſis a Septuaginta translatos aſſerant*. Quicumque hujus verſionis auctores fuerint, vixerunt certe, cum Hebraicus ſermo adhuc Hieroſolymæ, ac in Judæa intelligeretur. Reliqui Scripturæ libri non eadem prorſus ſedulitate translati ſunt; & ex varietate, quæ in ejuſdem vocis verſione animadvertitur, plane conjicere licet, qua perplexitate laborarint, at ſenſus, quos voci tribuunt, enuclearent.

Paraphraſis Chaldaica, quæ nomine OnKelos inſcribitur, præ cæteris terminorum explicationi inſervit, ac Hebraici textus ſenſum literalem evolvit: at OnKelos Pentateuchum tantummodò explanavit, cæteri Paraphraſtes Chaldæi, qui in reliquos Scripturæ libros extant, minime principi illi ſunt comparandi: ſæpius enim in iſtis pueriles explicationes offendimus, atque eadem ipſa, quæ in commentariis ſuis Rabbini attulere.

Rabbini porro, qui mea quidem ſententia horum ſtudiorum duces eſſe deberent, ſæpius nos in errorem impellunt, quàm inde eruant: atque in ipſorum ſcriptis dicendi modi humiles plane, pueriles, ac prorſus majeſtate ſcripturarum indigni reperiuntur. In melioris inter eos notæ Grammaticis deſideratur plerumque acre judicium: innutriti enim ſallacibus traditionibus, atque inani ſuperſtitione, ſententiæ ſuæ tenaces nimiùm, gravitatis cujuſdam affectatione palam errores venditant, ac manifeſtas habent ſcripturarum corruptiones. Pleræque explicationes legum judicialium, quas illi ediderunt, improbæ ſane videntur, & ex eorum cerebro pro libitu conflatæ. Veram Hiſtoriam ne a limine quidem ſalutarunt, & perraro evenit, ut in ſcopum ipſorum conjecturæ collineent. Ancipites diutius hæſimus, utrum illorum ſententiæ nobis eſſent reſcindendæ, & tamen eas referre placuit, potius ut illis conſuleremus, apud quos aliquo in honore ſunt, quàm ut pondus, atque auctoritatem illis tribuere velle videremur.

Alia difficultatis optimi in Bibliam commentarii conſcribendi cauſa, & ratio, propter quam plerique eorum, qui hactenus conſcripti ſunt, minus e voto prodierint, eſt morum, ac rituum veterum Judæorum, illorum ſtudii, politici regiminis, proprietatum regionis, figuræ domorum, ac veſtium, diſciplinæ militaris, agrorum colendorum, & conſuetudinis cum gentibus exteris inſcitia. Minus adhuc novimus, quodnam eſſet illorum populorum regimen, cum quibus fœdus inierunt; quinam finitimorum mores eſſent: quarum rerum cognitione deſtituti, qui velint ad unguem Bibliæ textum evolvere, nequaquam voti compotes fient. Si ad hoc ſtudium his præjudiciis occupati acceſſerimus, & ad mores noſtros veterum inſtituta tum politica, tum domeſtica voluerimus exigere, intolerandos in errores impingemus. Nos in hoc præcipuè incubuimus, ut veterum mores detegeremus, Scripturæ expreſſionibus ſtuderemus, eoſque cum Græcis, Latiniſque ſcriptoribus conferremus. Futurum autem confidimus, ut hæc methodus probetur, atque in plurimorum Scripturæ locorum explicatione ſumma utilitas percipiatur.

In Pentateuchi explanatione leges, & conſuetudines Judæorum cum Ægyptiis ritibus, quoad fieri potuit, comparavimus. Ex Ægypto Moyſes egreſſus eſt, & populus univerſus, cujus dux ille erat, Ægyptiorum conſuetudini, legibus, ac religioni aſſueverat; atque Legumlator juxta illorum ideas loqui debuit, & ipſorum ſenſibus, & moribus ſermonem ſuum conformare. In Propheticis libris apud profanos auctores quæſitum eſt, quidquid Propheticam veritatem poſſet oſtendere juxta illorum literalem, hiſtoricumque ſenſum, atque ſimul ex Patribus, & auctoribus Eccleſiaſticis erutum eſt, quidquid harum Prophetiarum in Chriſto Jeſu, nec non in Eccleſiæ Catholicæ origine perfectionem poſſet arguere.

Diviſio librorum Scripturæ in capita, & verſiculos, qualis hodie præ omnium manibus verſatur, recentior admodum eſt, neque religioni vertendum cenſuimus, ſi quando hanc interpungendi, ac dividendi rationem immutaremus, ut melior ſenſus inveniretur. Nonnulli ſunt libri, qui poſt maximum temporis intervallum ſecti ſunt, veluti Pſalmorum liber, quos S. Hilarius *præf. in pſalm.* aſſerit a Septuaginta ſejunctos fuiſſe, atque in eum, quem modo obtinent, ordinem collocatos (1); ſed reliqui ſcripturæ libri diutius ſine ulla diviſione

* 2 rata,

(1) Conſuli poteſt Præfatio noſtra in Pſalmos ar. 2. ubi hanc D. Hilarii ſententiam difficultate minime carere oſtendimus.

rata, ac ſtatuta vagati ſunt. Græci in capita ſecuerunt libros Regum, Proverbiorum Salomonis, Iſaiæ, Hieremiæ, ſed aliter longè, ac in Hebraico textu, vulgataque verſione conſpicimus; diviſio quoque Pſalmorum juxta Hebræos alia profectò eſt ab ea, quam ſequimur. Græci duodecim Prophetas minores ſecus digerunt, ac Hebræi, & Latini. Capita, & verſiculi, qui hodie in Hebræorum Bibliis notantur, Græcorum item, & Latinorum, non iidem fermè ſunt, ac 600. annis ante fuerant. Ante id tempus nullus reperitur Scripturæ locus capitis, & verſiculi, ex quo deductus eſt, numero notatus. Veteres libri partem ſignabant, vel initium, vel medium, vel finem denotantes, aut aliam quampiam circumſtantiam ex rebus ibi contentis deductam. Ita S. Auguſtinus *T.* 2. *Retract. c.* 24. ait ſe ſcripſiſſe in Geneſim ab initio, uſque ad primos Parentes e Paradiſo ejectos: uos verbo, ipſum in tria priora Geneſis capita ſcripſiſſe diceremus.

Non ideo tamen caruiſſe veteres credendum eſt quadam capitum, & verſiculorum (1) ratione. S. Hieronymus *præf.* 12. *Iſai.* ait, ſe Prophetas in verſiculos diſtribuiſſe, operum Demoſthenis, & Ciceronis exemplo, quæ ſcripta ſunt *per cola, & commata*, per varia membra, & inciſa. Ait idem in præfatione *ad lib. Paralip.* ſe Paralipomena in verſiculos ſecuiſſe, ut nominum propriorum, quæ ibi plurima adſunt, confuſionem tolleret: *ut inextricabiles moras, & ſylvam nominum ..... per verſuum cola dirigerem*. S. Hieronymus Origenis veſtigiis inſtiterat, qui illud idem in Hexaplis ſuis obſervarat; ut habemus ex Euſebio l. 6. Hiſtor. Eccleſ. c. 16., & profectò Heſychius Hieroſolymitanus Sacerdos inquit veterum Patrum fuiſſe conſilium ita Bibliæ ſacrum textum ſecandi in verſiculos Στιχῶν, majoris clariratis ergò, atque ut facilius conferrentur, ac explicarentur. Extant adhuc veterum manuſcripta, ubi libri Prophetici, Pſalmi, Job, Proverbia, Cantica Canticorum ita in verſiculos diviſa ſunt: at hæc diviſio numquam ubique gentium generalis fuit regula, neque apud Eccleſiam univerſam invaluit. Cum S. Auguſtinus ait quemque verſiculum ſenis conſtare vocibus, locutus videtur de illo exemplari, quo utebatur; nam in reliquis exemplaribus longiores inveniuntur verſiculi, & illorum numeri uſque ad libri calcem ſæpe longiùs inter ſe diſtare videntur. In horum verſiculorum ſectione ſenſus ſpectabatur maximè, & ſinguli verſiculi plerumque perfectam ſententiam complectebantur.

Vetuſtiſſima novi Teſtamenti librorum dividendorum ratio eſt in titulos Τίτλοι, in capita κεφάλαια, & in verſiculos Στίχοι, *cola*, aut comata. Titulus argumentum aliquod amplectebatur, puta Hiſtoriam, longiorem orationem: capita vero tituli hujus diviſiones erant; verſiculi verò periodi, aut periodorum membra invicem diſpuncta. Porro hanc diviſionem in ipſa fronte, & fine plura Evangeliorum exemplaria præſeferebant, ſed ea inæqualitate, ut tunc nihil certum, ratumque fuiſſe, conjicere valeamus. Adiri poteſt Tomus prior noviſſimæ editionis Sancti Hieronymi; & Huetii notæ in Origenem. Veterum capita erant noſtris breviora, quoniam Suidas Sancti Matthæi 68. titulos facit, 355. capita, & D. Lucæ titulos 85. capita vero 348. In recentiori autem Sancti Hieronymi editione, S. Matthæi Evangelium in exemplaribus nonnullis 28. capitibus conſtat, in alio 74., denique in tertio 117.

Quoad autem recentem Bibliæ diviſionem in capita, & verſiculos certam, & ſtatutam, qua ipſi utimur, difficilius eſt illius originem invenire. Huetius, *notis in Origenis Coment. p.* 19., animadvertit Theophylactum, qui duodecimo exeunte ſæculo floruit, eadem capitum diviſione uſum fuiſſe, qua nos utimur, atque illius ſæculi manuſcripta exiſtere, quibus illa probetur. Balæus docet Stephanum Langthon Scripturam univerſam in capita diviſiſſe prout hodie extat (2.). Hic autem Stephanus obiit Cantuarienſis Archiepiſcopus anno 1227. Trithemius *in Chronol. l.* 4. *ad annum* 1240. Scholaſticis referendum eſſe cenſet hoc inventum, eoſque facile fuiſſe, qui cum Hugone a S. Caro adlaborarunt, ut magnam Bibliæ concordantiam conſtruerent; quoniam poſt hæc tempora Theologi paſſim hanc diviſionem adhibuere, cum illi, qui hos præceſſerant, eadem minimè uſi fuerint. Hoc autem certius videtur, Hugonem a S. Caro ex S. Dominici familia, qui obiit anno 1261., vel 1262. principem fuiſſe, qui Bibliam in capita ſecuerit, componens latinas concordantias omnium earum vocum declinabilium, quæ in Scriptura inveniuntur. Opem illi tuliſſe ex eadem familia quingenti fratres dicuntur, atque ipſi præeunti operam navaſſe. Arlotus ex Fratrum Minorum ordine, qui anno 1290. claruit, has concordantias abſolvit; & Rabbinus Gedaliah ait ex Patris Arloti Concordantiis Rabbinum Nathan occaſionem ſumpſiſſe, ut ſuas Hebraicas concordantias ederet anno 1438. Conradus Halberſtadius Dominicanus anno 1290. voces indeclinabiles addidit. Demum Joannes Segovienſis, tempore concilii Baſileenſis anno 1430., veteribus concordantiis Alphabeticam particularum indeclinabilium tabulam edidit, quæ ſæpius ſeorſim excuſa fuit ad calcem Concordantiarum latinarum, & demum in noviſſimis editionibus cum aliis immixta. In veteribus concordantiis caput tantum notatur, & litera, quæ capitis initium ſignat, medium, vel finem, ſed diu poſt primas editiones additi ſunt verſiculi.

Verum ſuper concordantiarum editionibus, quarum aliæ præ cæteris ampliores ſunt, atque

a mendis

(1) Vide Dupinii Prolegomena.
(2) Vide Buxtorf. præf. in Concord. Hebraic. Balæum Hiſt. Eccleſ. Centur. 13. c. 7. c. 10.

a mendis puriores, minimùm immoror. Builocus in ſuis concordantiis peculiarem omnino methodum iniit; magis enim materiæ, & rerum ordinem ſpectat, quam literarum Alphabeti. Hoc autem optimi eſt Bibliothecarii optimas Concordantiarum editiones dignoſcere.

Latinorum exemplum in eam mentem impulit Euthalium Græcum Monachum Rhodium anno 1300., ut lingua patria Biblicam Concordantiam exararet; & Conradus Kircherus Heterodoxus Auguſtanus anno 1607. cudendam curavit a ſe digeſtam Concordantiam Græcam, quæ ad ſacrorum librorum cognitionem maximè confert. In eo tamen lapſus eſt, quod Græcam Septuaginta Interpretum editionem Complutenſem ſecutus eſt, quæ planè nequaquam vera eſt verſio Septuaginta. Græca concordantia novi Teſtamenti a Xiſto Betuleio confecta fuit, & Baſileæ primum edita anno 1546. hinc Genevæ anno 1600., & 1624.; dehinc Vitebergæ anno 1634.

Quod attinet ad Hebraicas concordantias, quæ Hebraicè *Liber viam illuminans* nuncupantur, compoſitæ fuerunt quintodecimo ineunte ſæculo a Rabbino, cui nomeo Iſaac Nathan (1), aut Mardochæus Nathan; & Reuchlinus prior eas typis cudendas curavit. Buxtorfius in ejus concordantiæ præfatione, cujus editionem procuravit, profert Rabbinum Nathan confitentem ſe coactum ſequi eam capitum, & verſiculorum ſectionem, quam apud Latinos invenerat. Veteres Hebræorum Bibliæ hanc diviſionem non præferunt, & Rabbinus Jacob Benchaiinus fatetur, ſe diviſionem Rabbini Nathan ſecutum fuiſse, cum ſibi reperire non contigiſset illam, quam Auctores Maſorethæ in Bibliam univerſam ediderant, cujus ope fuiſset uſus, ſi ad eam ipſi confugere licuiſset. Buxtorfius animadvertit hanc diviſionem per Maſorethas factam paucioribus conſtare capitibus, quam latinam, uti videre eſt in capitum tabuiis, quæ Magnis Bibliis præponi conſueverunt. Mercerus in ſua Præfatione in Geneſim ait 43. eſse tantum ſedarim, aut Capita in hoc libro juxta Maſſoretharum ſectionem; quæ nos in latinis exemplaribus 50. enumeramus. Rabbinus Elias duodecim tribuit diviſiones, & 43. capita eidem libro: id tamen liquido conſtat in recentioribus Bibliarum Hebraicarum, Græcarumque editionibus eamdem eſse diviſionem, ac in Latiois, per capita, & verſiculos.

Sed diviſio in verſiculos, quam hodie habemus, longè recentior eſt, quam ſectio in capita. In Editionibus Bibiicis, & Concordantiarum decimo quinto ſæculo, vel decimo ſexto ineunte elaboratis nulla eſt in verſiculos diſtributio: atque patet, Robertum Stephanum in editione ſua aoni 1545. priorem ſecuiſse textum in verſiculos iis notis diſtinctos, quas hodie habemus. Hæc textùs diſtinctio a Latinis ad Græcos tranſiit, & Hebræos; ſed capitum diviſio non ſatis liquet, utrum Græcis, an Latinis ſit referenda.

De interpunctione verò, quæ in Textu Bibliæ cernitur, nihil adhuc certi extat. Cum hi libri, non ſecus ac reliqui omnes, exſcripti fuerint, ac typis commiſſi a doctis, & ab indoctis, commatum, & colorum diſtinctio apud alios accuratior fuit, apud alios negligentior pro illorum captu, & cura, qui exſcribebant, cudebantque. Priſci, aliter ac nos, interpungebant: etenim in manuſcriptis uno tantùm puncto utebantur, quod prout ſupra lineam erat, aut infra, vel in eadem, inchoatam, vel dimidiatam, vel perfectam ſententiam ſignificabat. Cum autem apud Græcos, & Latinos antiquitùs litterarum ſtudia florerent, ſingula verba totidem punctis diſtinguebantur. Poſtea vero cum ignorantia ſimul cum barbaris gentibus in Orientis, atque Occidentis imperium irrepſiſset, interpunctio negligi cœpta eſt. Carolo Magno imperante priſcæ interpunctionis ratio reſtituta fuit iterum cura Alcuioi, atque opera Pauli filii Varnefridi. Manuſcripta poſt id tempus exarata, minus, magiſve diligenter punctis diſtincta ſunt, pro Scriptorum intelligentia. Quoad Typographos autem, Manutii dicuntur inveniſſe puncta, atque commata, primique illis uſi fuiſſe in ſpectatiſſimis ſuis editionibus. Idem quoque Robertus Stephanus procul dubio novi Teſtamenti ſtatuit interpunctionem; at iſtud negligenter ita, ut ad hoc opus incumberet, cum equo Pariſiis Lugdunum veheretur, ut Henricus Stephanus illius filius refert Præf. in Concord. G. L. novi T. Genevæ 1524. Videſis etiam Eruditorum opera tom. 1., & Diarium eruditorum tom. 27. pag. 341. edit. Amſtælodamenſis. Denique nullum adeſt Eccleſiæ decretum, quo Scripturæ textus interpunctio determinetur.

S. Clemens Alexandrinus de illis queritur, qui locorum Scripturæ ſententias invertunt, accentuum immutatione, & interpunctione. *Sunt qui in legendo tono vocis pervertunt Scripturas ad proprias voluptates, & aliquorum accentuum, & punctorum tranſpoſitione; quæ moderatè, & utiliter præcepta ſunt ad ſuas trahunt delicias.* Et Origenes Philocal. c. 14. poſtquam oſtendit Grammaticæ, ac Dialecticæ utilitatem in ſtudiis Scripturæ, ut ambiguitas omnis tollatur, & propria verba ab impropriis ſecernantur, atque ut prudenter unicuique difficultati addatur diſtinctio; ait, quamplurimas id genus ambiguitates inveniri in Scripturis, & fallaces explicationes, quæ ex prava interpungendi ratione ortæ ſunt, atque ex variæ eorum terminorum ſignificationis ignoratione, qui alibi aliter explicantur. Non decet igitur a vulgara interpungendi ratione diſcedere, niſi illud neceſſitas cogat; ſed neque piaculi loco habendum fuerit, ſi quando, ut melior ſententia inveniatur, Vulgatæ interpunctionem relinquentes Hebraicæ, vel Græcæ veſtigia ſectemur.

(1) Dubium eſt Rabbini nomen. Opus cœptum eſt an. 1432., & completum an. 1448.

IN PENTATEUCHUM ATQUE IN GENESIM POTISSIMUM

PRÆFATIO.

PENTATEUCHI Opus Moyſi authori deputandum eſſe, poſt tot luculentas in idem argumentum ſcriptas lucubrationes, fruſtra prorsùs à nobis in præſentiarum demonſtraretur. Poſt diuturnam ſane ultra 3000. annorum poſſeſſionem, nemo in Moyſem litigator admittitur, niſi juris ſui non dubia tantùm & ambigua, ſed evidentia planè & perſpicua documenta protulerit. Nec aliud quidem, quàm apertæ veritatis vis contra vetuſtum adeò Moyſis jus, cui Chriſti, Apoſtolorum & Univerſæ Eccleſiæ conſenſus ſuffragatur, prævaleret.

Quæ autem à recentioribus Incredulis promuntur argumenta, multò illa à perſpicuitate longiſſimè abſunt. Quædam, inquiunt illi, in Pentateucho occurrunt, quæ Moyſes ſcriptis mandare non potuit. Ultrò fatemur; iis enim, qui Operis recenſendi ſibi curam aſſumpſerunt, nonnulla addere, expungere quædam viſum eſt. Iiſdem etiam Authoribus quædam in compendium redacta videntur; ſicut & quandoque narrationum & orationum ſeries intermittitur; quod quidem de induſtria potiùs factum, quàm caſu vel Amanuenſium lapſu contigiſſe apparet. Hiſtoria Lamech bigami alia videtur noſtra ætate, ac à Moyſe ſcripta prodierit; priùs enim narraſſe Sacer Hiſtoricus creditur ea, quorum occaſione verba illa Lamechi ad uxores prolata ſunt: *Dixitque Lamech uxoribus ſuis Ada, & Sella: Audite vocem meam uxores Lamech: auſcultate ſermonem meum, quoniam occidi virum in vulnus meum, & adoleſcentulum in livorem meum. Septuplum ultio dabitur de Cain: de Lamech verò ſeptuagies. Gen.* 4. 23. In textu, qualem modo habemus, quo iſta referantur, latet.

Ita poſt Moyſem adjecta videntur illa Gen. 12. 6.: *Chananæus autem tunc erat in terra*. Quædam etiam in Exodo ſunt loca, ubi aliqua in textu Hebræo deſiderari ſuſpicamur. Ita Moyſes Exod. 11. 8. acephala oratione, uti quidem apparet, Pharaonem alloquitur; Samaritanus ibidem defectum Hebræi facilè ſupplet. In eodem Samaritano non modicæ additiones in cap. 20. 17. 19. leguntur, fruſtra in Hebræo requirendæ; ſicut & variæ etiam in ſequentibus Libris, & in ipſo Deuteronomio plures reſultant. Ex hiſce variantibus inter levia aliqua, quædam etiam majoris momenti exhibentur; adeò autem illa cum tota Textus ſerie plerumque colligantur, ut vix aliena manu in Textum irrepſiſſe perſuadeamur. Fragmentum Libri bellorum Domini Num. 21. 14. relatum, alterius planè à Moyſe Authoris, quemadmodum & initium Deuteronomii, videtur. Occurrunt etiam in eodem Deuteronomio parerga quædam ab aliena manu, quantùm aſſequimur, Operi adjecta, uti dum crebrò certos quorumdam locorum ſitus (1) *trans Jordanem* deſignatur; quæ nonniſi Author cis amnem ſcribens animadvertiſſet. Quæ etiam de lecto Og referuntur, qui nempe etiam Scriptoris ætate adhuc in Ramatha monſtrabatur; de urbibus *Sair* (2), quod illis nomen diù poſt Moyſem inditum eſt, omnia ſanè hæc recentiori manu obſtetricem agente in Textum irrepſerunt. Sed hæc planè additamenta rara ſunt, & levioris momenti, ab iis, qui Opus Moſaycum recenſuerunt, appoſita, non eo conſilio, ut incautis Lectoribus ſingula tanquam ab ipſo Moyſe ſcripta obtruderentur. Ita e. g. ad calcem Deuteronomii hiſtoria obitus Moyſi recitatur, quam ſanè ipſum Moyſem per ſe non adornaſſe ſatis conſtat (3). Porrò ſi quis dolo aliquo malo Opus illud ſub Moyſis nomine obtrudere voluiſſet; illene conſilio ſuo incautus adeo providiſſet, ut ea, quæ poſt Moyſem contigerunt, operi inſerens, fraudem ſuam proderet? Qui tantùm valuiſſet ingenio, ut Pentateuchum procuderet, ille ſanè errori tam craſſo impar fuiſſet. Quid, quòd integræ fidei vir, præter Moyſem nemo, hæc atque ita ſcribere nunquam in animum induxiſſet? Quare ſuos exhibet genuini Operis characteres Pentateuchus, cum nec Impoſtorem aliquem, nec virum integræ fidei alium à Moyſe ferat authorem. Fraus nimiùm in aperto eſt, quàm ut Impoſtorem arguat: in viro autem integræ fidei

(1) Deut. 1. & 3. 8. & 11. 30. (2) Avot. Jair. Num. 32. 41. Deut. 3. 14.

(3) Joſephus Antiq. l. 4. c. 8. & Philo. de vit. Moſ. lib. 3. autumarunt, ipſum per ſe Moſem obitus ſui hiſtoriam prophetico ſpiritu dictaſſe; ſed ſolis fermè ea ſententia ſtatur.

fidei fraudem ſuſpicari non decet. Solus igitur Moyſes, Divino Spiritu afflatus, certus hujus Operis ſcriptor habendus eſt.

Eo planè tempore natus eſt in Ægypto Moyſes, cum in univerſam Regionem collatis à Patriarcha Joſepho beneficiis è Regum Ægypti memoria deletis, Iſraelitas in immenſum penè auctos, metu ne quid novi molirentur, arctiſſimæ ſervitutis, atque duriſſimæ tyrannidis jugo ipſi Reges oppreſſerant. Lato enim edicto, Obſtetrices omnes Iſraelitarum mares mox à partu exceptos perimere juſſæ ſunt. Ut igitur Moyſes à communi cæterorum infantium fato eximeretur, ſedula parentum cautione aliquandiu celatus eſt; deinde viminea in ciſta conditus, & Nili fluento expoſitus, curæ Providentiæ relictus eſt. Ibi Filia Regis Ægypti caſu puerum nacta, enutriendum ſibi, atque omnibus Ægyptiorum literis inſtruendum curavit. Succeſſu temporis, intimo Dei inſtinctu deductus Moyſes, fratribus ſuis ab Ægyptiis oppreſſis ſuppetias ferre conatus eſt: ſed ſuis beneficiis peſſimè à populo repenſis, coactus in Arabiam ſecedere, ibi cum filia Sacerdotis & Principis Madian conjugio copulatur. Per viſum autem à Deo in monte Sina monitus, ad populum ſuum ab Ægyptiaca ſervitute ultra 80. annorum liberandum proficiſcitur.

In Ægyptum igitur Divina pollens virtute ſe conferens, prodigiorum vi populorum ſuorum animis in ſe inclinatis, ſimul Pharaonis pervicacem animum fregit. Quare factum eſt, ut ab Ægypto Judæos educere, atque itineri obſiſtentes maris undas prodigio diffidens, in averſam ripam pedeſtres deducere potuerit. Tum in deſertum Sinai ſuccedens, exceptas ibi à Deo Leges, deindè literis mandatas, ad nos uſque tranſmiſit. Quod autem à Terræ Promiſſionis aditu populus excluderetur, ejuſque filii nonniſi poſt 40. annos ab egreſſu ex Ægypto eò introducerentur, populi ejuſdem obmurmurantis crimen in cauſa fuit. Toto eo quadraginta annorum ſpatio Moyſes ab immorigero pervicacique populo multum & querelarum, & oblocutionum, & injuriarum ſuſtinuit; quæ ipſe viciſſim & invicta patientia, atque mira injuriis condonandis facilitate rependit. Vixit omnis hypocriſis & ambitionis expers: obiit nullis dignitatis inſignibus familiæ relictis.

Summo vir erat ingenio, qui proinde rudi populo facillè pro ſuo arbitrio omnia imponere (præter ea, quæ ipſi præſentes aſpexerant) potuiſſet; in iis maximè, quæ cum ipſo tantùm, remotis arbitris, Deus communicabat. Ne tamen niſi vera doceret, fecit inſitæ probitatis atque genuini candoris virtus, cujus in omnibus geſtis ſuis minimè fucata documenta monſtravit. Si humani aliquid paſſus eſt, ſilentio planè rem non obvolvit; quod etiam in referendis Fratris ſui atque Sororis erroribus obſervat. Prodigia ſupra captum hominum ſimplici ſtylo, ac veluti tranquillo vultu deſcribit, ut hominis habitum non planè imponentis, neque grandia, decipiendis incautis, jactitantis exhibeat. Ipſe de ſe, tanquam de alieno in ſua narratione locutus videtur; vel ſi aliquando ſe prodat, ideam tamen exhibet hominis, veluti lateſcere volentis, atque de ſe tanquam de alieno loquentis; bonis ſcilicet, & malis æquè productis, abſque eo quod eas captet rationes, quas ſuperbiæ, & hypocriſis amor ſuggerit, ut ſi quos habeat defectus, legentium obtutibus abſcondat. Nihil turbidum, æquivocum nihil ejus oratio præſefert; procul ambages omnes, atque de induſtria appoſitæ parergæ narrationi digreſſiones, quibus ſubdoli ſcriptores aliquando Lectores ſuos longè à veritate abducunt, quò faciliùs falſa inſinuare, atque mendacium, facilè alioqui in ſimplici & aperta narratione prodendum, incautis ſupponere valeant. Porrò Moyſes recta ad ſcopum contendit, ut ſi quid eſſet in ejus narratione falſum, atque repugnans, ſtatim ſentiretur.

Ultro quidem fatemur, in ejus narratione plura extra ſuum locum & temporum ſeriem vagari; ſed hæc potiſſimùm ſunt genuini Operis atque Scriptoris certum indicium; quippè qui omnium oculis explorata ac comperta narrans, non eam ſedulitatem rebus dirigendis affert, quam Author vel non ſynchronus, vel aliud quàm veritatem præ oculis habens.

Pentateuchi Author eo tempore Operi ſuo laborabat, quo Dei nominis cognitio, præter Judæos, cæteros ferme latebat; reliquæ enim per Orbem gentes, glomerantibus ignorantiæ eorum, quæ ad Deum & veram Religionem pertinent, tenebris obvolvebantur. Ipſi etiam Judæi, quibus Moyſes ſcribebat, homines erant rudes & indociles, prono in idololatriam ingenio ruentes. Accedebat diuturna in regione corruptiſſima, & idololatriæ dedita conſuetudo, animi tenor, duriſſimis quibuſque toleratis, fractus; ac tandem longa ſervitute educati, ſerviles prorſus ſpiritus induerant. Duriſſimo quin etiam jugo oppreſſi, avitam ferè religionem ex animo & mente excuſſerant, ut in dominantem ſuperſtitionem tandem, neque eorum genio, neque moribus prorſus abhorrentem, deſcenderint. Hæc omnia præ oculis habuiſſe oportet, ut Moyſis conſilium in ſcribendo intelligatur; oportuit enim ut ad captum rudioris populi, ejuſque præjudicia ſeſe accommodaret, quidquid educationi illius deerat ſuppleret, revocaret in memoriam tum factas Patribus ſuis promiſſiones, cum avitam priſtinamque ingenuitatem, ac tandem aggerem ſe ruenti in vitia populo opponeret. Hæc plenè præ oculis habuiſſe Moyſes debuerat, dum Pentateuchum ſcriberet; huc totum Opus collimat. In Geneſi ſpiritum & cor populi ad Legem, mox tradendam, præparat; Legis enim veluti præfationem

tionem in eo libro inſtituit. Porrò ea creationis hiſtoria narratur, quæ omnem penitus opinionem abolet æternitatis Mundi; atque Ægyptios, & Phœnices cultum aſtris, elementis, atque vilioribus etiam exhibentes, ludibrio exponit. Patriarcharum res geſtæ deſcribuntur, ſelectæ familiæ Abrahami, veluti peculiaris & acceptæ Deo portionis hiſtoria deducitur. Totus eſt autem Scriptor ſapientiſſimus, ut ideam ingerat unici Dei, Cœli Terræque Creatoris, ejuſque amplitudinis, potentiæ, & juſtitiæ, quò Judæorum animos excipiendæ Legi cultum Divinum præſcribenti compararet. Nec modica illi cura genealogiis deducendis, ac maximè Sethi ante diluvium, & Sem poſt diluvium: hunc enim patrem Judæi habuerant; hunc Salvator Judæorum expectationem expleturus, generis authorem fuerat habiturus. Poſt relatam hominum diſperſionem, occaſione turris Babelicæ, in unam familiam Phaleg, & Heber hiſtoriam cogit; verſoque ad Abrahamum patrem Hebræorum ſtylo, magnificas promiſſiones ipſi factas à Deo, de futuro Liberatore mittendo, proſequitur, in quem ſanè Liberatorem ſuum Judæorum vota omnia, Legiſque latæ, ac tandem Religionis à Deo per Moyſem ferendæ conſilium, tanquam in unicum ſcopum & complementum collimabant. Quò ſanè nihil erat confirmandis, atque in ſpem erigendis animis dirigendiſque moribus aptius; nihilque potentiùs in fide Dei, & in obſequio Legis populum indocilem continuiſſet.

Potiſſima Legiſlatoris cura in eo verſatur, ut occaſionem innovandarum, vel conſtituendarum Legum aperiat, uti Legis, Sabbati, & Circumciſionis. Originem morum, qui apud Iſraelitas obtinent, ſedulò indicat, uti abſtinendi à nervo femoris in cibum adhibendo (1). Promiſſiones à Deo factas Abrahamo inculcat; quibus ſcilicet ſe familiam ipſius provecturum, & in Chanaanitidis poſſeſſionem immiſſurum fidem ſuam obligavit. Sacrificiorum atque cæremoniarum occaſiones, hiſtorias rituſque omnes proſequitur; ſicut viciſſim Patrum eorum in Chaldæa idololatriam ſilentio præterit. Vetera Oracula longa recepta à Patribus traditione ſervata, ſingula totidem plane verbis refert; uti ex hiſtoria oraculorum Jacobi ad obitum decumbentis intelligimus. Quò verò ſe omnibus exploratiſſima retuliſſe demonſtret, ad vetera ſæpe monumenta, vetera proverbia & cantica provocat.

Hìc veterum inter ſe Gentium ſimultates, à ſua deductæ origine, deſcribuntur; hìc legenda: Noemi in Chanaam maledictio, quæ potior fuit ratio terram Iſraelitis tradendi. Moabitarum, Ammonitarum, & Philiſtæorum, populi Dei nunquam non hoſtium, crepundia; jura primoris natu Jacob aſſerta; cui ante & poſt ortum promiſſiones factæ, excluſo Eſau, narrantur.

Omnia hæc Euſebius, de Libris Moyſis agens (2), latè confirmat. Admirabilis, ait, Theologus atque Legiſlator Judæorum religioſam populo ſancire politiam, planeque ſanctam volens, non vulgari atque conſueta Præfatione utendum ſibi eſſe cenſuit; ſed pro excelſa, quam ſibi præſcripſerat, omnibus numeris abſolutæ Legis condendæ idea, quam in ſuum ſuccum converteret doctrinam, ex ipſis veteris Theologiæ fontibus derivavit. Quare veluti Præfatione mox tradendæ Legis in Geneſi præſtituta, ab Authore & Creatore rerum omnium viſibilium & inviſibilium Opus illud ſuum auſpicatur. Hunc autem veluti Legiſlatorem & Moderatorem, hunc Arbitrum Regemque univerſi vivis coloribus pingens, potentia & ſuavitate temperata ſapientia, veluti ampliſſimæ Urbi, Mondo jura dare atque univerſum qua latis, qua in alto pectore inſculptis Legibus regere deſcribit.

Hebræorum Theologia in ipſo ſui veſtibulo (3) potentiſſimam virtutem, vel Authorem rerum omnium exhibet; exhibet, inquam, non ſubtilibus atque artificioſis argumentis, ſed dogmatica plane ratione, atque authoritate deductam. Divinitùs enim afflatus Legiſlator, Deum eſſe Cœli terræque verbo tantùm prolato, atque unico voluntatis potentiſſimæ nutu conditorem pronunciat. Nec tamen illud tale tantumque Numen, id unquam committere Moyſes animadvertit, ut Creaturas deſerat, veluti amantiſſimus Pater, qui obitu ſuo orbatos filios, ſuperſtite tamen providentia curat; ut ille quidem non Creatoris tantùm & Artificis, ſed deductoris etiam, moderatoris, Principis & Regis Univerſi rationem & munus gerat. Hæc non in Moyſe tantùm ſpectes, virum nempè Coryphæum & primum Theologiæ Hebraicæ authorem; ſed & in cæteris poſt ipſum omnibus eodem Spiritus S. œſtro afflatis, quin & in eximiis ante illum viris veluti Abraham, Melchiſedech, & Patriarchis, quos grandia de Deo ejuſque Providentia ſenſiſſe ex lectione Geneſeos intelligimus.

Porrò ſi quis paulò diligentiùs conſideret, nihil ad Moyſis conſilium contuliſſe magis animadvertet, quam ut ſub oculis populi, cui ipſe jura dare Legeſque conſtituerat, grandia illa Patriarcharum geſta exhiberet. Quid enim conducibilius ad providentiam Creatoris adſtruendam, quàm Abrahami, Jacobi, & Joſephi geſta? Quid potentiam Dei commendat magis, quàm creationis hiſtoria? Dei ultio juſtiſſima in Diluvio, & everſione Sodomæ exeritur. Grandia verò grandioribus phraſibus exprimens, vividam rerum ideam excitat. Deus modò prolatis verbis colloquia miſcens, modò rebus agendis intentus, ad flagella modò, nunc ad præmia manum extendens, vigili ſemper oculo puniendæ injuſtitiæ atque præmio donandæ æqui-

(1) Gen. 32. 32. (2) Præp. l. 7. c. 9. Vide etiam capp. 7. & 8. (3) Idem ibid. c. 11.

dæ æquitati excubans exhibetnr. Juſtitiam Legis Judaicæ, Veterum ante eandem Legem exemplis demnnſtrat; quippè qui maxima Legis præcepta ante rogatam Legem coluerant. Religionis vetuſtatem ita cnmmendat, ut ſtultam ſimul novitarem cæterarum tacitus ſuggillet. Hoc planè conſilium æquè per totum Opus regnans, atque ſelici planè calamo expreſſum, ipſiſſimum ſuiſſe Moyſis ſnb S. Spiritus ductu, & diſciplina conſilium ac ſcopum, nullus dubito.

Mnyſem cum cæteris Poetis, & Legislatoribns Gentilium conſerens Origenes l. 1. cont. Celſ. pag. 15. ipſum præ Lino, Muſæo, Orpheo, Pherecide, ac cæteris effert. Quid enim, ait, ſcripta virorum, quorum adeò ſapientiam demiramini, ad Moyſis ſcripta comparata, hiſtoriæ ad hiſtorias, narrationes ad narrationes? Quantum illorum documenta præſcriptis ab illo dirigendis moribus, regulis & præceptis concedunt, qnantò iſtæ præ illis animis ad bonam ſrugem revocandis aptiores? Pnrrò Scriptores illi, populi inſtitutione ferè neglecta, omnem vertunt curam, ut Sapientibus proſint; quippè qni ſub figurarum & allegoriarum involucris ſingularem abdiderint, his tantùm viris perviam, Philoſopbiam.

Verùm Judaicus Legislator, diſertiſſimi Oratnris more, orationem ſuam ita in quinque Pentateuchi libris attemperat, ut doctis æquè ac indoctis rerum, quæ dicuntur, ideam pro ſingulornm indole ingerat; eumque in præceptis tradendis modum ſervavit, ut neque plura ſanciret, quàm rudioris populi imbecillitas ferret, ne ſcilicet tranſgreſſionem ignorantia cauſarentur; atque ea præſcriberet, quæ doctnrum virorum meditationes, in abditis figurarum ſenſibus ſcrutandis, detinerent. Jure ergn de illo uſurparetur, quod de Carone à T. Livio dictum: *Cujus gloria neque profuit quiſquam laudando, nec vituperando quiſquam nocuit, cum utrinſque ſummis præditi fecerint ingeniis*. Fruſtra in illum obiarrarunt Pnrphyrius, Appin, Julianus, quorum calumniæ viro in majus celebrandn valuerunt; ſi enim laudandum illum ſuſcepiſſent, reponi meritò laudantibns potuiſſet: Ut quid vos laudatis hominem, quem nemo reprehendit unquam?

Leges, uti jam innuimus, Moſaicornm operum majorem partem occupant; reliqua ad eundem ſcopum referuntnr. Primus omninm Decalogus occurrit, juris divini & naturalis ſumma: præcepta judicialia & cæremonialia ſuccedunt, quæ ſcilicet imbecillioris populi indoli ſerviant. Cum enim regulis illis idem ſemper conſtanſque tenor manere nnn deberet, ſed pro rerum viciſſitndine immutari atque variari: quinimò cum & ſnum tandem locum veritati, quam tantùm adumbrabant, eſſent ſacturæ; ideò plura Dens dereriora Iſraelitis indulſit, quæ tamen ipſe abrogari penitùs mallet, uti Polygamiam & Divnrtium in Lege tnlerata. Plurimarum cæremnniarum & rituum, ultrò nullaque peculiari ratinne præſcripta obſervantia videtur, nec alius fortaſſe Dei præcipientis ſcnpus conſtitnendus eſt, quàm Judæorum pervicacia, atque removendi illos ab Idololatria, & conſnetudine Gentium conſilium: Pravos etiam ritus, contraria invecta conſuetudine, iis præſcriptis cæremoniis correxit; vel ſi non contrariis invectis, ſaltem prioribus aliquantò immutatis, vel ſalvi illi ad Dei cultum translati, ut ex pravis in religioſas cæremonias deducerentur. Ità enim imbecillioris populi, atque ſanctioris diſciplinæ incapacis ratio habenda ſuit. Dura ſiquidem cervix arduo horam præceptorum jugo edomari debuit, quò & elatiores illorum ſpiritus reprimerentnr, atque imbecillitatem ſuam experti, Liberatoris neceſſitatem ſentirent.

Omnes ferme à Den in veteri Lege factæ Jndæis promiſſinnes, intra bonorum temporalium limites continentnr; ſicut & pœnæ tantùm temporariæ atque ſenſibiles in tranſgreſſores indictæ. Præcepta nnnniſi ferè in politia civili, vel externo Religionis cultn dirigendn verſantur; præcepto interim amoris Dei ſemel tantùm in tota Lege expreſſn (1). Myſterium SS. Trinitatis apertis verbis diſertè nunqnam, deductis tamen ex ſententiis ibidem expreſſis conſequentiis quandoque inſertur: nullus perſpicuus de pœnarum & præmiorum æternitate, ſicut & de animarum immortalitate textus. Deus plerumque ore ad ſervitutem, minas, ultionem, atque ad zelum & authnritatem ſuam exerendam compoſito exhibetar. Intimas cordis diſpoſitiones nullas Mnyſes exigit, in exterioribus tantùm corporis habitudinibus ſe continens; quòd ſcilicet ea eſſent cordis mentiſqne habitudine Judæi, ut nihil perfectias vel ſapere ipſi, vel affectare valuiſſent. Voluit nimirum Deus, ut Mnyſes primas tantùm ſummorum ſuturæ Religinnis præceptnrum lineas, atque nperis à Jeſu Chriſtn dein perficiendi crepnndia duceret. Hinc nihil ab illo niſi imperfectum & intra figurarum limites, nihil qnod demum à Chriſtn Jeſu non perſectionem & complementum acciperet. Potiſſimum Legislatoris ſtudium in eo verſatur, nt de futuro Liberatoris adventu, quò ſanè Patriarcharum & populi vota collimabant, oracula etiam atque etiam ingerat. Quàre ſtato tantùm tempore perſeveraturæ Leges à Moyſe ſancitæ ſunt, à Meſſia demùm, una cum cordium mentiumque ſenſibus, reformandæ.

Providn verò Divinæ Sapientiæ conſilio ita Leges illæ temperatæ ſunt, nt rudiorum imbecilliorumque viribus congruerent. Qui verò intelligentiæ acumine præſtabant, illi literæ

ductu

(1) Deut. 6. 5.

ductu ad penitiorem doctrinam ſcrutandam pervadebant. Ex quo enim Deum talem ſe exhibuiſſe hominibus legerent, ut Deus proderetur, illud etiam facilè poterant intelligere, reipſa ſibi alium finem præſtitui, quàm qui in Libro Legis rudibus ingeniis conſtitueretur. Deum inſuper omni corporis admiſtione liberum, juſtum, bonum, æternum, non ſolo externo, & ſenſibili cultu, ſed & interno, mente & ſpiritu impenſo, delectari facilè intellexiſſent. Tandem poſt tot ampliſſimas promiſſiones, à Deo Patriarchis exhibitas, quarum, dum illi viverent, fide nunquam ſe liberaſſet, quis, rogo, alterius vitæ & felicitatis certam ſibi ſpem non ſpopondiſſet!

Totus Pentateuchus unius ejuſdemque Authoris opus, unum eundemque finem ſpectat; quin & perpetua ſerie univerſa olim Biblia continuari Judæi teſtantur. Quæ modo obtinet in 5. libros diviſio (1) ad arbitrium invecta eſt; cum totus æquè liber Geneſis uſque ad cap. 12. Exodi continuari potuiſſet. Tituli Græci ſingulis libris præfixi ſunt. Geneſis ſonat Generatio, hiſtoria nempè genealogiæ & rerum à Patriarchis geſtarum; Exodus redditur Egreſſus, ex Ægypto nempè; Leviticus Leges Sacrificiorum reſpicit; quæ ſcilicet Sacrificia à filiis Levi offerri debuerant; Numerorum liber ex cenſu familiarum, undè Opus inſtituitur, nomen obtinuit: Deuteronomium Græca voce ſecundam legem ſignificat; quippè quòd omnes fermè Leges in eodem Libro repetantur. Apud Hebræos tamen ſingulis illis nomen inſcribitur ex voce, quæ in capite Operis occurrit; ita cum prima vox Geneſis in Hebræo legatur *Bereſith*, ex illa nomen Operi impoſitum; eademque methodo Exodus *Veelle Schemot* vocitatur. Uno tamen eodemque contextu quinque illos Libros à Moyſe ſcriptos credimus, ut proindè librorum & capitum diviſio recentiori manu invecta videatur.

Opus iſtud omnes, quotquot ad nos pervenerint, Græcos libros vetuſtate ſuperat. Quin & fictæ illæ earum Gentium hiſtoriæ ex ſacrorum Librorum fonte plerumque deducuntur. Optima etiam quæcumque è libris Moyſis ſuffuratos veteres Philoſophos & Legiſlatores, vulgò SS. Patres arguerunt. *Quis Poetarum*, ait Tertullianus cont. Gent. c. 47., *quis Sophiſtarum, qui non de Prophetarum* (nempè Authorum ſacrorum) *fonte potaverit? Indè igitur Philoſophi ſitim ingenii ſui rigaverunt.*

Non Judæorum tantùm; ſed & Chriſtianorum Religio originem ſuam ex Moſaycis Legibus refert. Dei Filius ideò veniſſe ſe in Mundum profitetur, non ut latas illas abrogaret, ſed ut impleret perficeretque: quod quidem egregiè illum præſtitiſſe, abuſibus, qui tractu temporis irrepſerant, ſublatis, congruis explicationibus adjectis, detortis à conſilio Divini Legiſlatoris alienis interpretationibus abolitis, ac tandem pedeſtri & carnali cultu Judæorum, in ſublimem & ſpiritualem reformato, omnibus ad certa & inconcuſſa Legis naturalis dogmata, & ad amorem Dei & proximorum redactis.

Samaritanis Palæſtinam aliaſque regiones incolentibus, ſuus eſt, non ſecùs ac Judæis cæteris, Hebraicè ſcriptus Pentateuchus, characteribus ille veteribus Phœniciis exaratus, iis ſcilicet, quibus olim Moyſem ipſum uſum fuiſſe tradunt (2). Porrò ea litterarum ratio apud Hebræos ante captivitatem Babylonicam unicè obtinebat. Demum ad propria reſtituti, ſivè priſtinis Phœnicibus, qui in nummis ſub Simone Macchabæo cuſis leguntur, ſivè novis Chaldæis, modò etiam apud Hebræos familiaribus, indiſcriminatim utebantur. Interdum etiam, cum Græcorum lingua in Syria uſurpari cœpta eſt, Græcas literas Judæi non reſpuerunt; ut ex nummis Antigoni characteribus Hebraicis, vel Phœnicibus & Græcis inſculptis, intelligimus. Sub Herode Magno cuſæ monetæ ſolos Græcos charactetes præſeferunt.

Textus Samaritanus latuit uſque ad Origenem, & S. Hieronymum, à quibus interdum laudatur. Noſtra tandem ætate exemplaria quædam ex Oriente deducta ſunt, unde Pentateuchi Samaritani editionem P. Morinus anno 1631. curavit. Utriuſque Textus Hebraici & Samaritani collatio in eam opinionem quoſdam induxit (3), nimirum Samaritanum alteri præferendum. Alii corruptum credunt à Doſitheo, apud Origenem (4) noto. Loca omnia, in quibus Samaritanum Hebraico ſaniorem vel corruptiorem judicat, exactiſſime notavit Clericus in Pentateuch. indice 2. Ita ſaniorem arbitratur Gen. 2. 4. & 7. 2. & 19. 19. & 20. 2. & 23. 39. & 34. 14. & 49. 10. 11. & 50. 26. Exod. 12. & 42.

Analogiam ſervat magis Gen. 31. 39. & 35. 26. & 37. 17. & 41. 34. 43. & 47. 3. Deut. 32. 5.

(1) Pſeudo Philo 12 lib. de Mundo hanc diviſionem ab ipſo Operis Authore Moyſe repetit; ſed dicti ſui nullam affert rationem. Jeſus Chriſtus & Apoſtoli totum illud Opus nunquam, niſi ſub uno Moyſis vel Legis Moſaycæ nomine, laudant; quod etiam apud Judæos noſtræ ætatis obtinet. Non inviti credimus, Eſdræ authori hanc diviſionem in quinque libros tribuendam, quod maximè probat additamentum, præfationis loco, Deuteronomio præpoſitum. Septuaginta hanc diviſionem jam antea inductam ſervarunt.

(2) Hieron. Præfat. in libb. Regum. *Samaritani Pentateuchum Moſis totidem literis ſcriptitant, figuris tantùm & apicibus diſcrepantes. Certum eſt Eſdram Scribam & Legis Doctorem, poſt captam Jeroſolymam, & inſtaurationem Templi ſub Zorobabel, alias literas reperiſſe, quibus nunc utimur; cum ad illud uſque tempus iidem Samaritanorum & Hebræorum characteres fuerint.* Vide noſtram Diſſertationem in illud argumentum, an Eſdras veterum characterum formam immutarit?

(3) Corruptum à Doſitheo Textum Samaritanum autumat Uſſerius; incorruptiorem Hebraico defendit P. Morinus.

(4) Orig. cont. Celſ. l. 1. in Matth. tract. 27. in Jo. to. 14.

Digitized by Google

Gloſſis & additionibus inſercitur Gen. 39. 15. & 30. 36. & 41. 16. Exod. 7. 18. & 8. 23. & 9. 5. & 21. 20. & 22. 5. & 23. 19. & 32. 9. Levit. 1. 10. & 17. 4. Deut. 5. 21.

Critica quadam manu correctus videtur Gen. 2. 2. & 4. 10. & 9. 5. & 10. 19. & 11. 31. & 18. 3. & 19. 2. & 20. 16. & 24. 38. 55. & 35. 7. & 36. 6. & 41. 50. Exod. 1. 5. & 13. 6. & 15. 3. Num. 22. 32.

Plenior eſt Hebraico Gen. 4. 8. & 11. 31. & 19. 9. & 27. 34. & 39. 4. & 43. 25. Exod. 12. 40. & 40. 17. Num. 4. 14. Deut. 20. 16.

Mendoſus eſt Gen. 20. 16. & 25. 14.

Cum Septuaginta cohæret Gen. 4. 8. & 19. 12. & 20. 16. & 23. 2. & 24. 5. 62. & 26. 18. & 29. 27. & 35. 29. & 39. 8. & 41. 16. 43. & 43. 26. & 49. 26. Exod. 8. 3. & alibi ſæpiùs.

Recedit interdum à Septuaginta, quod adverſus Uſſerium valet; quippe qui correptum à Doſitheo ad Textum Septuaginta autumavit. Geneſ. 1. 7. 5. 29. 8. 3. 7. 49. 22. Num. 22. 4.

Liber Geneſis hiſtoriam complectitur à Mundi creati exordio uſque ad obitum Joſephi Patriarchæ, annorum ſcilicet 2369. juxta Hebræum textum & Vulgatam. Scriptus creditur à Moyſe in deſertis Arabiæ, cum, poſt murmur populi in Cadesbarne, 40. annis in ea ſolitudine errare cogerentur. In eo verò nomen *Jehovah* exprimit, quod à Deo in viſione ad montem Sinai didicerat; animalium etiam purorum ab impuris diſcrimen, Noemi hiſtoriam deſcribens innuit; ex quo ſatis intelligimus, poſt rogatas eas Leges de animalium diſcrimine, ſicut & ſcriptas Leges ceteras, ac poſt caſtrametationem ad Sinai, operi ſcribendo manum admoviſſe, Cum autem Gen. 14. 7. fontem Judicii commemoret; quod fanè nomen primò poſt ſeditionem populi ibidem ad aquas contradictionis inditum loco videtur (1), nonniſi poſtremo itineris per deſertum biennio eam provinciam ſuſcepiſſe (niſi fortè hæc aliena manu in textum irrepſerint) deducitur.

Primorum capitum Geneſeos literalis interpretatio ardua eſt adeò, in iis potiſſimùm, quæ ad Protoparentum peccatum, ſicut & ad ſententiam in illos & in anguem dictam, ſpectant, ut eorum lectio nonniſi poſt annum ætatis 25. vel 30. Judæis permittatur.

Ut autem vera fateamur, accepta à Patribus orali traditione Moyſes ea omnia, quæ de creatione Mundi, diluvio, & Patriarcharum ætate narravit, didiciſſe potuerat. Noe etenim, qui filios & nepotes Adami ſuperſtites viderat, ad ortum circiter Abrahami vitam produxit; & Abrahaam viciſſim cum Sem filio Noe ſua ætate nondum vita functo, conſuetudinem facilè habuit; ab Abraham verò uſque ad Moyſem ſoli tantùm tres viri interceſſerunt, Iſaac, Jacob, & Levi; quare ſervatas in familiis Judaicis earum rerum traditiones, & memorias facilè Moyſes collegerat. Neque enim, niſi ex ſcriptis Familiarum commentariis, Genealogias, rerum geſtarum tempus, hiſtoriarum eventus omnes, certumque annorum vitæ Patriarcharum tempus adeò exactè reſciſſe potuerat.

Liber Juſtorum, in Joſue 10. 3., & in 2. Reg. 1. 18. laudatus, ipſiſſima videtur hiſtoria Veterum Patriarcharum. In 1. Par. 7. 20. &c. prælium legimus, cum Judæi in Ægypto eſſent, commiſſum, de quo ne verbum quidem in libris Moyſis; quin & in nominibus, & Genealogiis in pluribus Scripturæ locis varietas, non aliundè forraſsè, quàm ex Scriptorum & Exemplarium varietate, & multiplicitate originem duxit. Fatemur quidem rariorem fuiſſe ante Moyſem ſcribendi uſum, nec deſunt Gentes quamplurimæ, à quibus ſcribendi ars diutiùs exulavit; ſunt etiam qui Homerum ipſum nihil ſcriptis mandaſſe contendant. Sed quænam eſt in hiſtoria illorum populorum obſcuritas, & tenebræ? Quot fabellas pro hiſtoriis ejus ætatis, nulla ſcriptorum monumentorum memoria notis, Græcia non obtruſit? Quot in religione & in Genealogiis indigna? Nihil tale apud Hebræos; ſingulis enim ſuus decor, unus & perpetuus narrationis ſolidæ & exactæ tenor; quæ ſanè omnia ſcriptis rerum geſtarum Commentariis, à Moyſe conſultis, accepto referenda ſunt.

Sed quorſum hæc ad eam authoritatem Pentateucho aſſerendam, quam nos Operi tribuimus, niſi etiam Divino Spiritu afflatum Sacrum Scriptorem dixerimus? Divino, inquam, Spiritu, qui abdita quæque ſcribenti pandebat, obſcura alioqui & incerta; certis verò aſſertiſque, aliorum relatione vel traditione cognitis, Divinam, atque infallibilem authoritatem afferebat. Hinc Iſaias cap. 44. 7. 8. &c. Dei Iſraelis ſupra cæteros aliarum gentium authoritatem, & majeſtatem exaggerans, populo ſuo ea pandiſſe ex veteribus hiſtoriis narrat, quæ fruſtra alii ab Idolis ſuis requiſiviſſent. *Quis ſimilis mei?* (ait Dominus) *ordinem exponat mihi, ex quo conſtitui populum antiquum: ventura, & quæ futura ſunt annuncient eis... Ex tunc audire te feci, & annunciavi: Vos eſtis teſtes mei, numquid eſt Deus abſque me, & formator quem ego non noverim?* Eadem apud Origenem Homil. 26. in Num. legas. *Unde enim poterat Moyſes, vel quæ ab origine Mundi geſta ſunt, vel quæ in fine ejus gerenda erant, narrare, niſi per inſpirationem Spiritus Dei?*

DISSERTA-

(1) Vide Num. 20. 8. &c.

DISSERTATIO
DE LINGUA PRIMÆVA,
Et linguarum ad turrim Babelicam confuſione.

IN varias diſſitaſque linguas diſcretos mor- A tales homines prophani Scriptores unimadvertentes, veram ejus rei originem ſcrutaturi, varia excogitarunt lyſtemata. Autumarunt nonnulli, ſub ipſum mundi caordium, aureum Regnum tenente Saturno, non omues homines tautùm, ſed & bruta etiam, piſces, uves uno eodemque ſermone tanquam vernaculo uſos (1). Additur iu Fabulis, ſelicitatem ſuam minimè intelligentes homines, miſſa ad Saturnum legatione, immuuem à letho vitam poſtulaſſe, minùs æquum reputantes, privilegium illud, quod ultro ſerpenti col- B latum fuerat, ut ſcilicet ſingulis annis ætatem ſuam vetera ſpolia exuens innovaret, hominibus invideri. Minùs æquis auribus rem uccipiens Saturnus, non poſtulata tantùm negavit, ſed pœnam iuflixit, ea idiomatis communione privatos illos volens: quod in hominum lingua diſſidium mutuò ſe invicem ſeparare illos coegit.

Qui fortuito caſu, ſive humenti terra ſolis calore ſota productum hominem autumarunt, in ea fuerunt perſuaſione (2), terram ubique, qua latè patet terrarum orbis, homines effudiſſe, nulla uſos certa linguarum vel ſiguorum methodo, C ut latentes eogitationes ſuas aliis ſignificarent; quæ tamen omnia temporis ſucceſſu invenerint homines, ne mutua inter ſe conſuetudine privarentur, varia inducentes vel idiomata vel ſigna, prout caſus, ingenium, uſus in ſingulis tulit. Horatius Satyr. l. 1. Satyr. 3. v. 99. 100.

Cùm prorepſerunt primis animalia terris,
Mutum & turpe pecus; glande atque cubilia propter
Unguibus & pugnis .... pugnabant .....
Donec verba, quibus voces ſenſuſque notarent,
Nominaque invenere ....

Ab ipſo rerum exordio certa indita rebus ipſis D nomina putare, ſtultitiæ damnat Lucretius (3)

.... Putare aliquem tum nomina diſtribuiſſe
Rebus, & inde homines didiciſſe vocabula prima,
Deſipere eſt ......

Addit idem Lucretius:

At varios linguæ ſonitus natura ſubegit
Mittere, & utilitas expreſſit nomina rerum.

Varia hæc ſyſtemata expreſſit ignorantia, qua de vera hominis origine tenebantur Pagani; neque enim ſive homines ex uno quodam prodiiſſe (*), ſive primum illum hominum parentem, E qua erat à Deo præditus ſapientia, ſingulis animantibus peculiaria nomina aſſignaſſe (4) norant. Qua primus ille hominum pareus utebatur, linguu ad filios tranſmiſſa, pura putaque ſine alterius admixtione ad diluvium uſque ſervata eſt; vel ſaltem veluti acceptum à primo homine depoſitum ſanctè cuſtodivit Juſtorum genus Seth, Enos, Enoc, Lamec, Noe. Cùm autem Noe, velut alter Adamus, novos incolas Mundo daret, eandem pariter, quum prior ille Adam, linguam in filios transfudit, & longè latèque cùm illis propagavit. Factum inde, ut poſt ſæculum circiter à diluvio (5), cùm auctos plus nimio homines unus idemque locus non ferret, poſceretque diviſionem, ſermo unus eſſet omnibus; Gen. 11. 1. 2. *Erat terra labii unius & ſermonum eorumdem.*

Fatemur quidem, poſtremum hoc Scripturæ teſtimonium, *Erat terra labii unius & ſermonum eorumdem*, variè apud varios exponi: ſunt enim qui de conſiliorum inter homines aſſenſu exponant (6), ut communibus ſuffragiis decretam turris novæque item Urbis ædificationem ſeorſum omnes probarent. Hanc ipſam interpretationem ſequutus videtur Philo, quanquam ad allegoriam omnia detorquet (7). Hæc ſanè phraſis, *labii unius*, cui altera reſpondet, *ſermonum eorumdem*, ſummum plurimorum conſenſum exprimit aliquando, ut in illo Joſ. 9. 2. *Congregati ſunt* (Reges Chananeæ) *pariter uno animo, eademque ſententia*. Hebræus: פה אחד *Eodem ore*; Septuaginta: *70. Ἅμα πάντες Simul omnes.*

S. Philaſtrius Brixienſis Epiſcopus hæreſ. 56. *hæreſis nota* inurit ſententiam illorum, qui ante Babelicam turrim unum tantùm vernaculum in Mundo ſermonem obtinuiſſe defenderent. Idem autem fuiſſe tunc hominibus, quod & Angelis, privilegium cenſet, ut ſinguli omnes callerent linguas. Sed cum, addit, tanti doni largitori Deo minùs æqua, facta ab illo ſeceſſione, rependerent, eoque perduellionis ſpiritu turrim ædificandam aggrederentur, actutum Linguarum oblivione multati ſunt: *Oblivione immiſſa à Domino, vix diſcere prævalent, non omnes, nec multas, ſed vix paucas Linguas.*

Vulgò tamen Patres & Interpretes, qua Judæi, qua Chriſtiani, de unico in Mundo vernaculo ſermone dictum illud Moſaicum interpretantur. Nec ſanè aliter obvius pronuſque ſenſus inſinuat. Lectoris ſui animum ad excipiendam linguarum confuſionem præparaturus Moyſes, illud antea animadvertendum duxit, nimirum uno ad id uſque ore omnes locutos; & cùm his verbis æquivocum aliquid ſubeſſe intelligeret, mentem ſuam apertioribus aliis prodens ſubdit: *Et ſermonum eorundem*. Ad ſententiam S. Philaſtrii quod attinet, illi ſanè de ſingularitate ſua præjudicatum eſt, quippè quę refragatores habet reliquos omnes Patres, contraria planè ratione Textum Moſaicum interpretantes.

Qua verò ratione linguarum iſta confuſio induceretur, nec ſatis aſſequimur, nec ſatis inter Authores convenit. Prodigio Divino factum aliqui

(1) Plato in Politic. Philo de Confuſ. ling. p. 32.

(2) Diodor. Sicul. l. 1. p. 5. ſeu 80.

(3) Lucret. l. 5. ver. 1040. Vide & Vitruv. l. 2. de Architect. cap. 1. *Primos homines ſine ſermonis articulati uſu diu in cavernis terræ ferarum inſtar habitaſſe, ac crebris nutibus, ſpiritu vocali & voce rudi animi ſenſus deſignaſſe; ac ſic demum ex eadem voce de eadem re ſæpiùs repetita vocem articulatam vocabula ſignificativa ac ſermonum uſum ortum eſſe.*

(*) Gen. 1. 26. Act. 17. 26 (4) Gen. 2. 19. (5) A. M. 1757.

(6) Joan. Cleric. in Gen. 11. 1. Theologorum quorundam Hollandiæ Epiſtolæ dogmat. Epiſt. 13.

(7) De confuſ. Ling. pag. 322.

Digitized by Google

qui putant, ut maximæ hominum portionis phantaſia ſimul & memoria penitus inverſæ, notum antea ſermonem in novum alium transmutarent. Hanc rerum inverſionem Angelorum miniſterio inductam alii tuentur.

Non promptam aliquam ſubitamque linguarum inverſionem agnoſcit S. Gregorius Nyſſenus (1); ſed illud tantummodò Scripturæ verbis inſinuari opinatur, homines ſcilicet tamdiù uno ſermonis vinculo coaluiſſe inter ſe, quamdiu uno omnes in loco ſubſtiterunt: cùm deinde in varia abeuntes loca inter ſe diſſociarentur, ſimul & vinculum ſermonis abruperunt, ſuum ſinguli idioma ſecuti, ut neque communionem habere ſermonum ſibi invicem poſſent. Porrò nihil in ea ſermonum diſcretione ſibi Deus peculiare reſervavit; ſed omnia naturæ perficienda reliquit, ſingulis hominibus facultate permiſſa, ut quacumque mallent voce, diverſa planè ab ea cui illuc uſque aſſueverant, intimos animi conceptus ſignificarent.

D. Clericus (2), qui non linguarum, ſed conſiliorum concordiam in textu illo Moſaico agnoſcit, in diviſione pariter & confuſione diſſidium animorum, non ſermonis pariter invehit. Factum inde autumat, ut facta inter homines ſedium & locorum diſcretione, & idiomatum quoque diſcrimen natura ipſa inſinuante induceretur. Tandem Simonius (3) linguarum ad turrim Babelicam confuſionem non alia ratione ad Deum authorem referri poſſe autumat, quàm quòd ipſe Providentiæ ſuæ conſilio diſpoſuerit, ut homines per varia Mundi loca diſpergendi vario pariter aſſueſcerent ſermoni: quod naturæ legibus apprimè conſonum eſt, ut quiſque quomodo maximè voluerit, intimos animi ſenſus exprimat. Eſt igitur Deus ſermonum diſcretionis author ea tantùm ratione, quòd ratione utendi facultatem hominibus indiderit, unde variarum in mundo linguarum diſcrepantia.

Porrò tria iſta ſyſtemata, in unum fermè convenientia, ut omnem prodigii à Scriptura inſinuati rationem evertant, rem maximè naturalem & ſimplicem myſtica quadam & figurata locutione à Moyſe deſcriptam inſinuant. Ait enim Moyſes Gen. 11. 6. 7. *Deſcendit Dominus, ut videret Civitatem & turrim, quam ædificabant filii Adam, & dixit: Ecce unus eſt populus, & unum labium omnibus; cœperuntque hoc facere, nec deſiſtent à cogitationibus ſuis, donec eas opere compleant. Venite igitur, deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unuſquiſque vocem proximi ſui. Atque ita diviſit eos Dominus ex illo loco in univerſas terras, & ceſſaverunt ædificare Civitatem*. Tanto hoc verborum apparatu exponeretur tantummodò, Deum permiſſa inter homines diſſenſione id commiſiſſe, ut diſcretis inter ſe locis & ſedibus, alii ab aliis ſegregarentur; quæ locorum ſeparatio ſermonum diſcrimen invexerit.

Semel hac admiſſa Scripturarum exponendarum ratione, ut ſcilicet evitandorum prodigiorum gratia in nova abire ſyſtemata ſinguli permittantur, & ea ſyſtemata, quæ hiſtoricum & literalem ſenſum, apertiſſimum licèt, corrumpant & evertant; quid erit ampliùs in Sacris Libris aſſertum? Prodigia, expreſſa licèt & clara, cum rebus maximè ſimplicibus & ad naturæ leges confundentur. Ita fiet, ut nimiam in prodigia credulitatem & populorum in ea re licentiam refrænaturi, quidquid validum eſt & maximè ad hominum captum in Religione aſſerenda tollatur. Eſt igitur cur literalem ſenſum obvium promtumque hoc in loco ſequamur; neque enim ab eo recedere ulla cogit neceſſitas: ſtatuendumque cum Patribus & Interpretibus omnibus, unicam diſtinguendarum linguarum cauſam in Deum referri, qui ultionis illius genere animadvertendum duxit in primos temerarii illius operis authores aggreſſoreſque.

Pro familiarum numero linguarum pariter diſcrimen invectum fuiſſe, una fermè obtinuit apud Veteres ſententia (4). Principes autem familiarum 70. cenſebantur, ex quibus totidem linguarum genera invecta. Sed unde ſeptuaginta familiarum tantummodò Principes? Ex Deuteronomio 32. 8. inquiunt: *Quando dividebat Altiſſimus gentes, quando ſeparabat filios Adam, conſtituit terminos populorum juxta numerum filiorum Iſrael*. Porrò filii Iſrael in Ægyptum cum Jacob deſcendentes 70. enumerantur Gen. 46. 27. *Omnes anima domus Jacob, quæ ingreſſa ſunt in Ægyptum, fuere ſeptuaginta*. Alii 70. linguas è pari filiorum Noe cenſu referunt; Moyſe enim authore, Japhet genuit 14. filios, Cham 30. Sem. 26. omnes ſimul 70. Huic hominum numero duos addunt LXX. Interpretes, videlicet in genealogia Japhet *Eliſam*, & in genealogia Cham *Cainanum*. Ephorus, aliique apud S. Clementem Alexandrinum Strom. l. 1. ad 75. linguas recenſent; ad 120. S. Pacianus Barchinonenſis Epiſt. contra Novatian.

Sed inania omnia; quando enim locum Deuteronomii ad Babelicam diſperſionem referendum conſtaret, quod incertum eſt maximè; nonne duodecim tantùm familiæ recenſendæ eſſent, quòd totidem haberet Iſrael filios? Credimus autem numerum iſtum familiarum minorem habitum fuiſſe ab aſſertoribus hujus ſententiæ; quam ut tantum opus in ſe ſuſciperent; quare prorogandum cenſuerunt. Æque autem potuiſſet pro numero Iſraelitarum ex Ægypto egredientium totidem pariter homines in turris conſtructionem impendere, nempè ad 600000 Sed plus nimio aucta ædificantium turba videbatur. Sed quanam conjectura deducendum eſſet, ſeptuaginta tantummodò Principes familiarum, quo tempore imminebat diſperſio, in mundo fuiſſe? *Eliſa* & *Cainanus*, quòd in Septuaginta tantùm legantur, nihil faceſſunt negocii aſſertoribus Hebræi & Vulgatæ. Qui verò ſtatuunt nec Arphaxad, nec Sale, nec Heber conſcios fuiſſe nefarii moliminis, ſicut & à pœna in perduelles inflicta immunes, illis certè linguarum numerus minor eſt quàm ſeptuaginta. Jectan filius Heber, & tredecim ejus liberi nondum facilè nati erant, cùm linguæ diſpeſcerentur; en novum in ſeptuaginta linguas diſcrimen. Ad hæc, qua poterant ratione ſeptuaginta linguarum genera apud homines diſtingui tempore Nemrodi, & Noemi ætate inclinante? Hodie pariter cùm mundi nullus locus ſuo careat habitatore, vix totidem recenſerentur, niſi una in varias divideretur, & nulla cogente neceſſitate non jam idiomata diſtinguerentur, ſed dialecti.

Sed modò ad vernaculum illum & communem hominum ſermonem regrediendum. Narrat Herodotus l. 2. c. 2. Pſammetichum Ægypti Regem indagaturum, quinam inter mortales homines primi in mundum paruiſſent, ſingulare illud conſilium iniviſſe. Reputabat igitur vir ſolertiſſimus, ſiquidem fieri potuiſſet, uti in cognitionem veniret primæ omnium linguæ; exinde pariter aſſecuturum ſe, qui primi fuerint in orbe homines; quare duos recens natos infantes alendos commi-

[1] Orat. 12. coor. Eunom. pag. 353. 354.
[2] In Gen. 11. & Epiſt. 19. Theologor. quorumdam Hollandor. Sententiæ. Gallicè.
[3] Hiſt. Critic. V. T. l. 1. c. 14. 15. & Reſponſ. ad Theolog. Holland. c. 20.
[4] Lactan. Epiphan. Euſeb. Clem. Alex. Hieronym. Auguſt. Philaſtr. Arnob. Beda, alii paſſim. Vide Natal. Alex. hiſtor. V. T. t. 1.

ſit Paſtori, mandatis onerato, ut alterum ab altero ſeorſum haberet, nunquam coram illis loqueretur, & ab hominum conſortio teneret ſecretos; exploraturus inde quo tandem ſermone conceptus illi ſuos promerent. Cùm igitur loqui præ ætate valerent, pueri ingeminabant identidem *beccos*: quod animadvertens Paſtor Regi nuntiavit, qui vocem illam cujus eſſet ſermonis vocabulum inveſtigans, deprehendit tandem, apud Phrygas panem *beccos* appellari. Ex quo rectâ ille conſecutione intulit, vernaculum populi illius ſermonem primigenium fuiſſe à natura datum hominibus, eamque gentem omnium eſſe vetuſtiſſimam.

Hunc Regem non Pſammetichum, ſed Bocchorum appellat, lapſu quodam memoriæ, uti credimus, Conſtantinus Manaſſe in Breviar. Hiſtor. 11. Quod autem hìc maximè animadvertendum, illud ducimus, Regem hunc primorum mundi hominum in cognitionem venturum non rectam viam tenuiſſe. Quæ enim è ſermone duorum illorum infantium deducitur conjectura, fallere poteſt maximè. Falſa enim Rex conſtituit, reputans, naturalem quandam eſſe hominum linguam, unde cæteræ derivarentur, veluti unius ejuſdemque idiomatis dialecti; ponens inſuper terram alios & alios homines in variis mundi locis effudiſſe: quod Ægyptiorum fuiſſe ſyſtema Diodoro Siculo authore diſcimus. Referunt enim homines univerſi genus ſuum à Deo, qui Adamum & Evam condidit, illos primos loquendi, ratiocinandi, imponendi rebus nomina authores; omnium enim illi ſapientiſſimi, expeditam habebant ratiocinandi, & loquendi, utpote perfectæ jam ætatis homines provecti, facultatem. Non niſi per errorem quis opinaretur, datam fuiſſe hominibus certam ſermonis rationem, quemadmodum ſua habent à natura indita bruta quælibet ſigna, veluti clamores, ſibilos, & cantus. Neque id etiam ſtatuendum, tanquam omnibus æque brutis peculiares ſint à natura datæ voces. Avis recens excluſa, & longè ab avibus ſui generis innutrita, eorum potiſſimùm ſonos imitabitur, quos ſtridentes fortè vel canentes inſtrumentiſque ludentes audierit. Sunt etiam qui humanam vocem imitentur. Ita pariter & cum infantibus longè ab hominum conſortio innutritis contingeret, ut ſonos exprimant brutorum, qui fortè teneris auribus inſonuerint.

Sequeſtrati illi Pſammetichi infantes balantes oves vel fortè capellas audierunt: balatus illos exprimebant, clamantes illi pariter *beccos* vel tantum *becc*; *os* enim Græca eſt terminatio ab Herodoto addita. Si alterius cujuſque voces auribus illorum inſonuiſſent, imitatione retuliſſent actutum. Forte etiam caſu vocem illam pronunciarunt, quomodo immeditatas quandoque voces, nihil in noſtro quidem ſermone ſonantes, edimus interdum, varios mentis conceptus ſignificaturi; contigit autem quandoque, ut quæ nullam habent in noſtro quidem idiomate ſignificationem voces, aliquos non inanes referant in Hebræo, Arabico, Græco, Germanico. Quid ergo? An rectâ inde conſecutione inferretur, indicia eſſe illa primigeniæ & naturalis linguæ, quòd nobis inopinatò, & immeditatis occurrant? Si hæc abſona; abſonum eſt pariter Phrygum linguam primigeniam, ſicut & vetuſtiſſimos eſſe in mundo Phrygas inde conſtitui, quòd duo infantes caſu *beccos* clamaverint, cui voci Phrygorum ſermone ſua eſt ſignificatio.

Quando autem fateremur, naturalem eſſe aliquam hominis linguam, vitioſa eſſet ſemper argumentatio illa: Vernaculus Phrygum ſermo naturalis illius linguæ voculam retinet; non alia eſt ergo naturalis hæc lingua quàm Phrygum. Porrò ex ſingularibus nihil niſi ſingulare ſtatuas. Ad hæc, Phrygas Pſammetichi ætate primitivam illam linguam ſervaſſe quis ad ſenſum demonſtret? Si enim in alium tranſiliſſet ſermonem, tota Regis Ægypti ratiocinatio corruit.

Si naturalis quædam daretur lingua, nemo hominum illam non calleret, vel ſaltem nullo negocio, utpotè naturæ omnium & genio conſonam, diſcerent. Nemo eſt autem qui natura magiſtra idioma quodpiam edoctus loquatur. Exercitatione linguas diſcimus & ſtudio, leviori quidem maternam, quàm una veluti cum lacte, ſugimus; improbo verò cæteras. Suppetunt etiam exempla quædam ab experientia; infantes enim ab hominum commercio nullam quidem vocem, niſi edocti, dare noverunt. Ita narrat Purchas (1) de puero, juſſu Melabdin Echebar Regis Indoſtan ſeu Magni Mogolis longè ab hominum conſortio innutrito. Legimus apud Joannem Radvitz (2), anno 1661. inventum apud Polonos in ſaltu quodam Lituaniæ geminos novennes pueros cum urſis gregatim errantes. Non facili labore captum ex illis unum coram Rege ſtatuerunt; quem Baptiſmate initiavit Epiſcopus Poſnanienſis, levavit è Sacro Fonte Regina. Puer autem ille belluam altè imbiberat adeò, ut quanquam ſalvis omnis loquelæ organis, nec ſermonem ullum proferret, nec diſcere unquam potuerit.

Quærendus eſt ergo inter vulgares primigenius ille Adamo inditus ſermo. Sed variæ ea de re ſententiæ. Hebraicam linguam maxima Scriptorum pars prætulit; alii Syriacam malunt; alii Chaldæam, vel Æthiopicam, vel Armenam; nemo tandem ex Orientalibus vetuſtatis privilegio in eo quod attinet ad ſermonem alteri concedit (3). Goropius Becanus ſeriò docet, Belgicam linguam ipſiſſimam eſſe primi hominis vernaculam. Sunt tandem inter viros doctos non rari, qui primam illam linguam intercidiſſe penitùs arbitrantur; alii voculas quaſdam illius remanere cenſent in Hebræorum cæterorumque Orientalium linguis diſſeminatas, quarum tamen radices ferè omnes latuerint. Singula modò ad examen revocanda.

S. Gregorius Nyſſenus Orat. 12. contra Eunom. p. 354. omnium, quos noverimus, primus docuit, matricem illam linguam intercidiſſe; tenere enim ſe ait à viris in Scripturarum ſcientia doctiſſimis, Hebraicam linguam non eandem referre antiquitatis indolem, quam aliæ nonnullæ; Deum autem inter cætera, quibus populum ſuum donavit, prodigia, illud etiam non exiguum contuliſſe, ut in ipſo egrediendi ex Ægypto articulo novam illis linguam antea ignotam, & ſingulorum mentibus inſuſam traderet. Laudat in eam rem illud Pſal. 80. 6. *Cum exiret de terra Ægypti, linguam quam non noverat, audivit*. Si enim hæc ad Moyſem, ait ille, referantur, non niſi de Hebraica lingua exponenda ſunt, qua ſola in ſcribendo uſum illum ſcimus.

Judæis facilè opinionem hanc ſuam de prodigio in exitu populi ex Ægypto debet S. Gregorius Nyſſenus (4); ſed Judæorum authoritas quanti facienda ſit, ignorat nemo. Porrò locus ille Pſalmi illud tantùm inſinuat, Joſephum, id eſt,

(1) Purchas l. 1. c. 8. apud Vvalton. Prolegom. 1. n. 3.

(2) Joan. Radvitz carm. Alc. Vide Moreri v. Urſin.

(3) Vide Simon. Hiſt. Critic. V. T. l. 1. c. 14.

(4) Theodoret. quæſ. 61. in Geneſ. hæc eadem inſinuat, laudans pariter in eam rem illud Pſalmi 80. ut de S. Gregorio jam attulimus.

eſt, Iſraelitas ex Ægypto egreſſos vocem loquentis Domini tunc primùm audiviſſe. Quæ verò è doctorum quorumdam virorum animadverſione didiciſſe ſe tradit S. Epiſcopus, linguam nempe Hebraicam neſcio quid novi referre, quod nunquam vetuſtiores linguæ ſpirarent, id maximè repugnat doctiſſimis noſtris Criticis & Hebraicam linguam maximè callentibus, qui in Hebræorum ſermone nihil non vetuſtum agnoſcunt; conciſus eſt enim, ſimplex, exprimendi vim habens ſingularem, fœcundus, cùm ſit plurium in cæteris Orientalium linguis regnantium vocum fons & origo.

Recentiores illi, qui in S. Doctoris ſententiam conceſſerunt, altero ſibi argumento perſuadent, primigeniam illam linguam interiiſſe (1). Obſervant igitur illi, in ipſo Moyſe totaque Babelicam confuſionem præcedenti ætate plura obtinuiſſe nomina, quorum nulla eſt in vernaculo Hebræorum ſermone ſignificatio; eorum verò, quorum in Hebræo occurrit radix, illa potius Moyſes per ſe aptaſſe, cùm ſcilicet vetera illa nomina in ſuam linguam verteret; fortè enim vir ille ſapientiſſimus novit Hebraicas illis etymologias, quas modò in ejus ſcriptis animadvertimus, addere. Similia notant exempla in variis Hebræis, Græcis, & Latinis Authoribus, pares etymologias & alluſiones reſerentibus. Majora tamen in Hebræorum ſermone, quam in cæteris aliis Orientalibus linguis primævæ illius veſtigia ſupereſſe, ultro quidem concedunt; negant verò ipſiſſimam eſſe Adamicam, & omnium, quotquot unquam fuerunt, vetuſtiſſimam.

Sed his omnibus duo reponenda; 1. Hebraici ſermonis multa nos hodie latere, nec proinde monſtri loco habendum, ſi radices plures vel ignoremus, vel in decurſu tot ſæculorum intercidiſſe conſtet. In lectione Sacrorum Librorum nunquam non animadvertunt Viri docti voces, quarum radices fruſtra niſi in Linguis Arabica, Chaldæa, & Ægyptia quærerent. Familiares illæ erant Hebræis, ut ex ejus Gentis Scriptoribus intelligimus, ſed longa deſuetudine antiquatæ penitùs interciderunt.

2. Non abs re opinamur, primævæ linguæ radices plures in confuſione Babelica & deinceps intercidiſſe, uti vernaculo Græcorum & Latinorum ſermone, multò ſanè recentiori, reipſa accidiſſe conſtat: quot enim veteres in illis radices & voces abrogatæ jam & neglectæ nonniſi in vetuſtis eorum Scriptorum Operibus ſervantur? An ergo recta inde conſecutione inferamus, Græcum & Latinum interiiſſe; vel illis ſalvis, eodem illo argumento Hebraicæ vel Adamicæ linguæ caſus probaretur?

Theodoretus quæſt. 60. 61. in Gen. Amira Præfat. in Gramm. ſuam Syriacam, Myricæus Præfat. in Gramm. ſuam Chald. aliique Montis Libani Maronitæ, primævæ linguæ honorem Chaldaico, vel Syriaco vindicantes, rem faciunt pietati quidem in patriam ſuæ, non criticæ exactiſſimæ maximè conducentem. Nomina *Adam*, *Abel*, *Eva*, & alia multa radicem habent Chaldaicam, ideò ſcilicet, quòd hæc ſurculus ſit Hebraicæ; & quæ nunc exhibetur inter duo hæc idiomata ſimilitudo, major olim & ab initio ſpectabatur. Quod autem vetuſtatis privilegium Hebraicæ ſupra Chaldæam linguam aſſerit, illud eſt non contemnendum, quod illa conciſa ſit præ iſta maximè, & ſimplicior.

Duas haſce ſententias conciliaturi viri quidam docti autumarunt, Chaldæum & Hebraicum unum eſſe eundemque ſermonem; quare cùm Theodoretus Syriaci vel Chaldæi vetuſtatem prætulerit, nihil aliud eo nomine inſinuatum ab illo volunt, quam veterem Hebraicum ſermonem, quem cum vernaculo regionis ſuæ confuderit. Revocant in eam ſententiam Philonem, aſſerentem Verſionem Septuaginta è Chaldæo adornatam fuiſſe; ſicut & Legem Chaldaicis literis traditam ignotam exteris diu latuiſſe (2); ex quo utique intelligimus, inter Chaldæam Hebræamque linguam nullum fuiſſe Viro huic erudito diſcrimen. In eam fermè Theodoreti interpretationem concedunt Villalpandus (3) & P. Thomaſſinus (4); quibus viſum eſt, Theodoretum inter Aſſertores vetuſtatis Hebraicæ linguæ recenſere.

Quò verò Philoni duas haſce linguas confundenti reponamus, nunquam fieri potuiſſe animadvertimus cum S. Hieronymo in Daniel. c. 1. ut Rex Nabuchodonoſor tres illos pueros officiis Aulæ Chaldææ deſtinatos erudiendos in Chaldæorum idiomate traderet, ſiquidem Hebraicus cum Chaldæorum ſermone confunderetur. Nec Eliacim loquentem Hebraicè ad Legatos Ezechiæ Regis Judæ (5) Rabſacem obſecraſſet, ut Chaldaicè potiùs vel Syriacè loqueretur, ne populus, qui forte in mœnibus aderat, dicentis verba auſcultaret. Experimento etiam quotidiano diſcimus, quàm vera de ſe teſtaretur S. Hieronymus Præfat. in Dan. nimirum poſt improbum in literis Hebraicis ſtudium, iterum eſſe nobis laborandum, ut Chaldæum addiſcamus.

Ad Theodoretum quod attinet, fruſtra adduceretur in patrocinium illorum, quibus Hebraicæ linguæ vetuſtas probatur; quo enim in loco de primæva illa lingua agit, ille facta Chaldæum inter & Hebræum collatione, primum illum alteri præfert. Non ergo utramque linguam confudit.

Veteres illæ etymologiæ, Adamicæ linguæ reliquiæ, ideò forte in Chaldæo illo ſuperſunt, quòd vernaculus Chaldæorum ſermo Hebræi eſſet dialectus; ex quo factum ut in utroque illo eædem pariter radices deprehenderentur. Ad hæc, ſunt quidem, fatemur, radices quædam in Chaldæo, fruſtra in Hebraico quærendæ; ſunt viciſſim & aliæ in Hebraico quidem ſuperſtites, in Chaldaico nihil habentes ſimile. Ita e. g. legit Hebræus (6) *Hæc appellabitur Ischa* ideſt Virago). Chaldæus autem (7) *Hæc appellabitur mulier* (Itteta), *quia de viro ſuo ſumpta eſt* (Mibbaalah).

Quod Amira maximè urget argumentum, illud eſt. Abraham ejuſque progenitores Chaldæam referebant originem; quare Chaldæo, antequam Hebraico, tanquam vernaculo utebantur ſermone; ſuperat ergo Chaldæus vetuſtate ſua Hebraicum. Cui reponimus, 1. Inter geminas haſce linguas ſatis olim conveniſſe: facilè proinde utramque callens Abrahamus, cùm in Chananitidem veniret, loquentes Chananæos, quorum eſt idem ac Hebræus ſermo, percipiebat. 2. Fac autem Abrahamum Chaldæo, antequam Hebraico, aſſueviſſe? Quid inde? an proinde Chaldæus vetuſtate potior eſt Hebræo? Ut judicium de hac

(1) Vide Grot. ad Geneſ. 11. 1. & not. ad lib. de verit. Relig. Chriſt. n. 16. Huet. Demonſtr. Evangel. propoſ. 4. c. 13. Cluver. Germaniæ Antiq. pag. 74. Georg. Horn. not. in Sulpit. Sever. l. 1. pag. 21. Henric. Kipping. de lingua primæva art. 6.
(2) Philo de vita Moſis l. 2. pag. 657. 658. 659.
(3) Apparat. Urbis ac Templi, l. 3. pag. 372. col. 2.
(4) Methodo ad docendas & diſcendas linguas l. 1. c. 1. art. 1. pag. 239. (5) 4. Reg 18 26.
(6) Geneſ. 2. 23. לזאת יקרא אשה כי מאיש לקחה
(7) Chald. לדא יתקרי אתתא ארי מבעלה נסבת דא

quæſtione feratur, res ipſa in examen revocanda eſt, & utriuſque monumenta expendenda.

3. Quanquam Hebraicus ſermo ex tunc à Chaldæorum vernaculo facilè diſtingueretur, certò tamen conſtat, Abrahami familiam Hebraico aſſueviſſe, antequam in Chanaanitidem tranſmigraret: cujus rei certum exhibent argumentum Hebraica nomina ipſius Abrahami, Saræ uxoris ejuſdem, ſicut & parentum, fratrum atque nepotum.

Cùm Jacob in Meſopotamiam veniens ad Labani avunculi ſui ædes divertiſſet, nullo negocio reſponſa dabat excipiebatque. Utriuſque uxoris illius atque obſtetricum, ſicut & filiorum nomina Hebraicum ſonant; nec niſi ex Hebraico petuntur alluſiones, quas in eorumdem nominum impoſitione pater ſibi propoſuerat. Non ergo, B niſi temerè prorsùs inferimus, Abrahamum antea Chaldæo aſſueviſſe, quàm Hebraico. Si Chaldæi & Babylonii originis ſuæ authores habuerunt Cham & Chus, quemadmodum facile ſuadet Nemrod filius Chus, imperii ſui ſedem Babylone conſtituens; ſi hæc, inquam, vera ſunt, monſtri profectò loco non habebitur, ſi Abraham, & ejus familia genus è Semo referens, purum putumque Hebraicum creparent, alterum illum profectò à Chaldaico, quo Babylonii utebantur. Eundem Hebraicum vernaculum habebat Labanus, quemadmodum ex impoſitis nominibus ab ipſo & Jacob monumentis ab utroque in monte Galaad erectis Gen. 31. 47. 48. ſatis conſtat.

Goropius Becanus, Cimbricæ ſeu Belgicæ linguæ antiquitatem demonſtraturus, rem totam C egiſſe ſe putat, ſi etymologiis quibuſdam ex ea Lingua, ægrè ille quidem, Hebraica primorum parentum nomina exponat. Ita e. g. *Adam* deducit ex Belgico *hat-dam*, agger invidiæ, veluti ſi primus ille hominum parens agger eſſet invidiæ oppoſitus. *Eva* ex *Eu-vath*, ideſt vas ſæculi, erat enim Eva hominum germen & principium. *Abel* ex *hat-belg*, odium belli; illatum enim in ſe à Cain bellum injuſtum Abel execratus eſt. Tandem *Cain* ex *cait-ende*, ideſt malus finis. Noe ex *nos acht*, qui neceſſitatem cogitando prævidet. Sed Lectorum patientia abuteremur talia referentes: quid refutantes? Quæ, rogo, lingua antiquitatis ſibi privilegium non aſſereret, ſi non diſſimiles etymologiæ valuerint? D

Arabes, Armeni, Ægyptii, Sinenſes, Æthiopes hæc pro ſe aſſerunt. Plura, inquiunt illi, primorum parentum nomina ſuam habent reſpondentem in noſtra lingua ſignificationem; regionem noſtram frequentarunt vetuſtiſſimi illi Patriarchæ, gens etiam noſtra cum vetuſtiſſimis certat: his profectò omnibus perſuademur, vernaculum apud nos ſermonem ipſiſſimum eſſe Adamicum. Verùm ſingula hæc ſingillatim multùm planè a demonſtratione recedunt; omnia verò ſimul conveniunt ex his gentibus nulli. Vernaculus Armenorum & Syrorum ſermo idem reipſa habendus eſt cum Chaldæo; Chaldæum verò ex Hebraico derivatum conſtat. Hebraici pariter ſurculus eſt Arabicus, qui ſane originis ſuæ ſimi- E litudinem adhuc refert. Arabum pater fuit Iſmael filius Abraham; quare vetuſtate illi quidem Abrahamum non ſuperant; nec proinde majorem ſermonis referre poſſunt antiquitatem, niſi per Abrahamum ad uſque poſteros Noe Babelicæ turris ædificatores aſcendant; tunc autem æquum illis jus erit cum Iſraelitis, genus ex Abrahamo per Iſaac referentibus. Reipſa tamen potior erit Iſraelitarum cauſa, quòd & Patriarcharum ſeries purior apud iſtos, quàm apud Arabes, manſerit, & multò ſint Iſraelitis vetuſtiora, ac certiora, quàm apud alias qualcumque gentes documenta. Moyſes eodem ſermone

A loquebatur ac Abraham; Abraham verò eodem ac Thare: hic, uti credimus, eodem ac Sem & Noe. Hebræis hodie integrum manet ejuſdem linguæ Moſaicæ depoſitum; eoſdem Legiſlatoris Libros ſervant, legunt, & legendo intelligunt. Paria de ſe prodant Arabes, & reliquæ per orbem nationes.

Ægyptii ac Æthiopes noſtræ ætatis negocio multo difficiliori linguæ ſuæ antiquitatem ſupra cæteras omnes efferrent; carent enim primævæ linguæ ſuæ certioribus documentis, vel ſi quæ ſupperunt, intellectu non percipiuntur. Servantur equidem noſtra adhuc ætate in Sacra Scriptura Græciſque Authoribus veteris Ægyptiorum hiſtoriæ fragmenta; quibus tamen gentis illius privile- B gia nihil juvantur. Quæ de Pſammeticho, experimento duorum ſegregatorum ab hominum commercio infantium primævam linguam explorante, habet Herodotus, ſatis probant, Ægyptios nihil de linguæ ſuæ vetuſtate præclare ſenſiſſe. Conſtat etiam Scripturæ teſtimonio, primum Ægyptiorum authorem fuiſſe Mizraim filium Cham; æquè autem certum eſt Chanaan filium Cham, & fratrem Mizraim Hebraicè locutum. Cur ergo non æquè certum erit, Mizraim ejuſque filios eodem vel non abſimili ſermone ab initio uſos? Ex hoc autem intelligimus, Ægyptios etiamſi linguam ſuam ex Adamo repetendam optimis argumentis demonſtrare potuiſſent, nihil inde aliud deducturos, quam quòd Hebræorum vel Phœnicum lingua omnium vetuſtiſſima habenda eſſet.

C Unicum ergo quæſtionis hujus punctum in eo conſtitutum eſt, 1. An Noe ejuſque filii communi cum Adamo ſermone uterentur. 2. An eodem Abraham idiomate loqueretur, ac filii Noe, qui Babelicæ turris ædificium aggreſſi ſunt. Duo ſunt enim veluti puncta certa, in quibus linguæ omnes ad unam coaluerunt; in Adamo nempe & Noe; in exordio ſcilicet Mundi, & in conſtructione turris Babelicæ. Neque demonſtrandum ſuſcipimus, toto illo 1656. annorum intervallo, quod inter creatum Adamum & diluvium interjacet, nihil in primæva illa lingua mutationis accidiſſe; nullo enim argumento ſivè ea res probaretur, vel aſſereretur contrarium. Fatendum eſt tamen, vix fieri potuiſſe, ut tanto temporis ſpatio nihil in- D commodi ſentiret inter varias effuſa gentes lingua illa primæva; inter gentes, inquam, adeò à ſe invicem moribus diſſitas, ut ne commune quidem haberent commercium; certam enim deſignat Moyſes epocham connubiorum inter filios Dei cum filiabus hominum Gen. 6. 1. 2. nempè filiorum Seth cum filiabus Cain, quaſi de re nova & ad id uſque inſueta.

Utcumque tamen res habeat ſeſe, certum modò conſtituimus, Noe treſque ejus liberos Adamico ſermone locutos, quem integrum ſanctumque ejus familia deinde ſervarit aduſque diſperſionem Babelicam, quo tempore Noe, Sem, Arphaxad, Sale, Heber adhuc agebant in vivis. Noe 150. annis circiter poſt Babelem vitam adhuc produxit; a E cujus obitu biennio vel circiter Abraham natus eſt (1). Si Babelica linguarum confuſio in ultionem ſuſcepti temere ab hominibus conſilii divinitùs immiſſa eſt, non ægrè quidem perſuaderemur, immunem, ſicut à crimine, ita etiam à pœna fuiſſe Noe pariter & Sem.

Cùm interim homines in varia orbis loca diſpergerentur, Noe, Sem, Arphaxad in Meſopotamia & Chaldæa ſedes retinuerunt ſuas. Thare cum tota familia in Ur Chaldææ morabatur (2), quo tempore Deus Abrahamo indixit Gen. 12. 1. *Egredere de terra tua, & de cognatione, & de domo Patris tui*. Quæ dicendi phraſis ſatis exprimit, ſedes habuiſſe jam diu in ea regione fixas.

Ex

(1) Turrim Babelicam componimus cum A. M. 1757. Noe diem clauſit A. 2006. Abraham natus eſt A. 2008.
(2) A. M. 2083.

Ex Urbe Ur Abraham in Meſopotamiam ad Urbem Haran contendit; inde ſe contulit in Chananitidem, tum in Ægyptum, iterumque in Chanaaniridem, ubi potiſſimùm ſubſtitit. In variis hiſce locis vernaculo ſemper uſus ſermone, nullo adhibito interprete, videtur. Nec tamen inde ego intulerim, unum eundemque ſermonem ubique eorum locorum regnaſſe. Conſtat enim, Chaldæorum vel Syrorum, ſicut etiam Ægyptiorum ſermonem alium tunc fuiſſe ab Hebræo; ſed ita alium credo, ut non multum ab illo abhorreret; ex quo facilè qui unum calleret, alterum intelligeret. Uno verbo, ita apud me conſtituo, Meſopotamiam univerſam, Chaldæam, Babyloniam, Armeniam, Syriam, Arabiam, Palæſtinam, Phœniciam, & Ægyptum eo vernaculo uſos ſermone, qui ſatis ad Hebræum accederet; ut linguarum confuſio in iis maximè provinciis ſentiretur, quæ multùm eſſent ab ipſis diſſitæ. Teneo pariter conſtitutum, primigeniæ linguæ expreſſiores characteres Hebræam ſupra cæteras ſervaſſe; quod mihi hiſce potiſſimùm argumentis perſuadetur.

Recta ſentientes omnes ſtatuunt congruentia origini, indoli, dotibus, & proprietatibus nomina ſingulis quibuſque rebus animantibus, & perſonis imponi oportere. Si contra hodie nomina abſona, origine & ſignificatione occulta, indita rebus animadvertamus, inde cauſa repetenda eſt, quòd non matrice aliqua, ſed ex aliis pluribus coaleſcente lingua utamur. Cùm autem in ipſo rerum exordio unicus eſſet ſermo, impoſita rebus omnibus nomina ſua non deſtituebantur ſignificatione.

Quò igitur in cognitionem primævi illius idiomatis deducamur, ſedulò animadvertendum eſt, quæ potiſſimùm lingua radices contineat primorum nominum rebus ſingulis impoſitorum, veramque illorum exprimat etymologiam pariter, & ſignificationem. Congruunt autem hæc omnia cum vernaculo Hebræorum ſermone, & ità congruunt, ut cum alio nunquam. Impoſita hominibus, animantibus, arboribus, locis, metallis Hebraica nomina naturam exprimunt, dotes, vitia, impoſitæ appellationis occaſiones; ecquid non? *Adam* eſt rufus, quòd e ſubrubra terra, in Hebræo *Adama*, deductus fuerit. *Heva*, ſeu *Cheva*, derivatur ex *Chaiah*, vita; *Iſcha*, virago, ex Iſch, vir; *Cain*, poſſeſſio, ex *Canah*, poſſidere; *Habel* eſt vanitas; *Seth*, poſuit, ſeù explevit; Seth enim locum Abelis à fratre interfecti occupavit; *Eden*, deliciæ; *Henoch* vel *Chanoch*, innovatio, dedicatio &c. Brutis impoſita nomina ſignificationem retuliſſe ſuam, ſicut & cætera locorum, fluminum, Urbium, & Provinciarum, ſumma laboris contentione Bochartus demonſtravit.

Statuendum eſt igitur, ſive Hebraicum ſermonem ipſiſſimum eſſe Adamicum, & Noemicum, ſive eò deducendi ſumus, ut fateamur Moyſem genuina ſingulorum nomina ad arbitrium procudiſſe, novis hiſce ſuis ex Hebræo ſermone deductis in locum veterum & primigeniorum ſubſtitutis. Felix planè viri ingenium, qui in ea nominum tranſmutatione potuit vernaculi ſermonis æquè ſignificativa, & non diſſimilibus ducta etymologiis nomina in locum Veterum ſubſtituere. Hæc ægrè quidem, ſed tamen utcumque in lucubratione aliqua ſcribenda, in qua rara tantùm nomina tranſmutanda, tentarentur; ſed in ipſiſſo quodam Opere, quale Pentateuchum agnoſcimus, vix fieri poſſe credimus. Opus etiam fuiſſet, cæteros poſt Moyſem Scriptores eamdem cum illo methodum ſequutos fuiſſe, quod factu poſſibile minimè credimus.

Fac tandem Moyſem cæteroſque Sacros Hebræorum Scriptores hanc ſibi methodum ſtatuiſſe: anne poterant eam pariter legem prophanis etiam Scriptoribus, integris gentibus, atque infeſtiſſimis Judaici nominis adverſariis imponere, qui ſcilicet omnes iiſdem, ac Moyſes, nominibus Urbium, locorum, hominum, provinciarum, fluminum uterentur? Unde tam concors ſententiarum affinitas & ſimilitudo, niſi à lingua illa primitiva, cujus veſtigia in omnibus fermè linguis ac gentibus reſidua? Nomina Cham, Chanaan, Sidon, Meſor, Mizraim, Aram, Aſſur, Babel, Jordanis, ſive Jaerden, Eden, Ninive, Euphrates, Ararat, Libanus, & alia multa, Sacris æquè ac Prophanis ſunt familiaria. Vero igitur propius exiſtimamus, primævam hominum linguam Hebraicam fuiſſe.

Satis jam occupavimus objectionem illam è raris illis nominibus deductam, quorum nullæ ſunt in Hebræo radices. Occurrere illa quidem ultro fatemur; ſed privilegio vetuſtatis, quod Hebraicæ linguæ aſſeruimus, nihil officiunt. Quis enim monſtri loco habuerit, ſi abolitæ jam duorum millium annorum deſuetudine ſermonis voces quædam interierint, quarum tamen veluti depoſitum affines quædam & collaterales linguæ ſervarint? Jure quin etiam poſtliminii reſtituendus eſt illis primus, quem tenebant in vetuſtiſſimo & ſimpliciſſimo idiomate locus. Ad hæc, quænam ratio cogit, ut in vernaculo Hebræorum ſermone etymologias omnes quæramus nominum, ſive apud Moyſem, ſive in Libris Sacris occurrentium? Nonne ex illis plura à primæva illa lingua ſunt aliena, deductaque potiùs ab externo aliquo ſermone, quonam illo, incertum? Non eſt enim nobis, niſi de tempore ante diluvium & linguarum confuſione, habenda ratio.

Aliud in eam rem argumentum ex eo ducitur, quòd è vernaculo Hebræorum ſermone facilè repetitur ſignificatio nominum, vetuſtiſſimis gentium Numinibus impoſitorum, quæ ſanè nomina genuina erant hominum ætate interdum diluvium ipſum ſuperantium. Porrò nomina illa ex Oriente in Græciam totumque ferè mundum divulgata, in aliis omnibus linguis inanem referunt ſonum; cùm viciſſim in Hebræo & ſuam habeant ſignificationem, & rei prodant originem. Ita *Ammon* idem eſt ac *Cham*. Idem eſt etiam Græcis *Zeus*, Jupiter, ac Hebræis *Cham*, nempè ardens, fervens. *Jupiter* ſive *Jovis*, congruit cum Hebræo *Jova*, *Jehova*, *Jao*, Deus. *Japetus* eſt *Japheth*; *Smy* eſt *Sem*; *Neptunus* refertur ad Hebræum *Niphta*, quod eſt extendi. *Poſeidon*, Græcum Neptuni nomen, deducitur ex *Pſaſah*, extendere. *Vulcanus* ipſe eſt *Tubalcain*. *Ares*, id eſt Mars, repetitur ex *Aritz*, fortis, violentus; *Venus* ex *Benoth*, puellæ, ſive ex *Bana*, filios habere, domum conſtruere; & ſic de cæteris.

Muſica inſtrumenta ante diluvium obtinebant, ipſo Moyſe Geneſ. 4 21. teſtante, quorum nomina apud Græcos & Latinos manent; ſed incerta apud illos etymologia offertur in Hebræo ſermone; ſicut & Hebræorum ſcripta primos eorumdem inſtrumentorum Authores produnt.

Nomina gentium, provinciarum, amnium, montium, vetuſtiſſima ſunt & barbara plerumque Græcis & Latinis, ſicut & gentilia Hebræis, quorum ſermo & genuinas illorum explicationes, & primos Urbium Authores ac gentium Patres aperiunt. Nonne conjecturam inde capere licet, hunc ipſum Hebræorum ſermonem primorum hominum vernaculum fuiſſe? Videſis ingens Opus Geographicum Bocharti, inſcriptum *Phaleg* & *Chanaan*.

Ea eſt etiam Hebraici ſermonis indoles, ut vetuſtatem ſuam & ſupra cætera antiquitatem prodat. Ita eſt enim natura comparatum, ut ex ſimplicioribus & facilioribus via pateat ad ardua. Ipſa rerum compoſitio, admixtio, additiones non niſi poſt prima illa irrepſerunt. Studii ſunt enim & meditationis. Porrò Hebraicus ſermo ſimpliciſſimus eſt ſupra cæteros; Hebraicus, inquam, in Libris ſacris expreſſus; quo enim in Libris ſuis utuntur Rabbini, plurium externarum vocum ad-

mixtione corrumpitur. Radices Hebraicæ plerumque non niſi tribus literulis vel duabus ſyllabis conſtant; nomina in variis caſibus nunquam inflectuntur; pluralia tantùm à ſingularibus diſtinguit. Syllaba *im* maſculinis & *oth* fœmininis pluralibus adjecta: anomaliæ raræ in declinationibus & conjugationibus: conjugationes verò potiùs, quam verba multiplicantur; unde factum, ut ad nullum ferè uſum valeant verba auxiliaria ſummo linguæ compendio. Genus ipſum in verbis diſtinguunt; & in verbis, ſicut in nominibus, ſua ſunt fœminina & maſculina.

Loco pronominum poſſeſſivorum, meus, tuus, ſuus, ſunt apud Hebræos affixa ex unica literula vel ad ſummum duplici, quibus ſatis loquentis perſona diſtinguitur, an fœmina ſit, an mas; genus etiam rei, maſculinum ſcilicet an fœmininum. Vocales rariſſimæ in ſcribendo, quo Scriptura breviatur maximè. Deſunt tandem ſive verba, ſive nomina compoſita; rariſſimæ propoſitiones, & illæ quidem plerumque non ſeorſum ſcriptæ, ſed vocibus adjectæ, in unum cum illis coaleſcunt. Nihil de comparativis, vel ſuperlativis, variiſque conjugandorum verborum rationibus. Duo tantùm diſtinguunt tempora, præteritum, & futurum; participia unum vel duo; infinitum & imperativum. Uno verbo, conciſum magis, ſimplicem, facilem, & expreſſivum ſermonem ne concipere quidem facile eſt.

Hæc planè omnia à demonſtratione adhuc abeſſe fateor; & ineluctabili planè argumento id nunquam evincetur, ſive Adamicam linguam hodie ſupereſſe, ſive illam cum Hebræa confundendam, ſive alio, quam Chaldaico, ſermone locutos Noe & ejus filios. Sed ineluctabile pro ſe argumentum promant adverſarii, & quæ à nobis fuſiùs deducta ſunt, aliis depromptis firmioribus conjecturis evertant. Argumenta nos quidem plauſibilia adduximus, quorum vim auget multò ſanè validior & numero & authoritate ejuſdem ſententiæ propugnatorum manus. Rabbini (1), & ex noſtris Commentatoribus & Patribus plerique (2) Hebraicam linguam ex Adamo repetunt. Nec aliter planè ſuadent vetuſtatis illi characteres in eadem lingua expreſſi; quæ pariter lingua omnium fermè Orientalium matris jure meritoque haberetur, Chaldææ ſcilicet, Syriacæ, Arabicæ.

Quæ ſederunt Prophanis ſententiæ, naturalem ſcilicet quandam fuiſſe hominibus linguam, vel productis caſu in variis terræ locis hominibus, poſt rem tentatam pluries, & poſt varios articulatos ſonos tandem uſuveniſſe, ut varias linguas inſtruerent; quæ, inquam, ſederunt Scriptoribus hiſce ſententiæ, nihil habent, non dicam veri, ſed nec veriſimilis quidquam & ſolidi. Homines nec caſu prodierunt; nec prodiiſſe quidem potuerant: Deum habent authorem, à quo ſimul & ſermonem acceperunt, ut nunquam ſine uſu ſermonis fuerint.

Nec monſtri loco habenda ſunt, quæ de vetuſtate linguæ ſuæ jactitant Ægyptii, Armeni, Æthiopes, poſtquam mirabilior alter inventus eſt, Goropius ſcilicet Becanus, linguæ ſuæ Belgicæ ſive Hollandicæ vetuſtatem ſupra cæteras efferens. Inſito quidem à natura amore Patriæ ſuæ & aviti ſermonis ſtudio quique tenemur; ſed rari ſunt, qui amorem hunc ſuum ad extrema eò uſque provexerint. Illud conſtat, quo gradu à locis & regionibus, ubi primorum illorum hominum ſedes conſtituta erat, recedimus, eo pariter creſcere linguæ primitivæ inveniendæ difficultatem. Ad hæc, ſicuti veſtigia quædam primævæ hujus linguæ in cæteris fermè omnibus Orientalibus ſupereſſe conſtat; ita pariter ad diſtinguendam Adamicam linguam à cæteris omnibus ſatis non eſſe arbitramur, ſi quis radices quaſdam hujus primævæ linguæ, vel ſaltem affines quaſdam voces inveniſſe ſibi in aliquo ſermone confidat. Cætera omnia congruere oportet. Sicut viciſſim non recta conſecutione deducitur, Hebraicam linguam aliam eſſe à primitiva, quòd veterum nominum radices quædam nuſpiam in illa recurrant, ſi cæteroqui reliqua omnia cum illa planè congruant.

Tandem linguarum illa confuſio, de qua Moyſes, non ita accipienda eſt, quaſi ex ſuborto inter gentes illas diſſidio earumque in varia orbis loca diſperſione, naturali quadam veluti conſecutione deduceretur. Prodigio debentur omnia. Deus enim ſivè per ſe, ſive Angelorum miniſterio (3) idiomata confudit; ita tamen, ut primævus ille ſermo minus alienæ corruptionis ſentiret in genere Sem cæterorumque fratrum, purus autem putuſque maneret in familia Phaleg, Heber, Thare, Abrahami progenitorum, ſicut & in familia, alioqui tamen corruptiſſima, Chanaan (4). Ita Divinæ Providentiæ conſilio diſponente, ut cùm Abraham in deſtinatam illam ſibi ſuiſque poſteris regionem veniret, patrum ſuorum ſermonem familiarem in illa nactus, ab avito illo deſueſcere non cogeretur.

Chananæis, alio nomine Phœnicibus, authoribus factum eſt, ut Hebraicus longè latèque per Africam cæteraſque ferè omnes Inſulas Mediterranei atque maritimas ejuſdem freti regiones propagaretur. Hæc probabiliſſima viſa ſunt, quæ de primæva hominum lingua differerentur; quod argumenti genus egregiè adeò excuſſerunt Viri quidam doctiſſimi, ut non alia ratione in examen revocandum illud ſuſceperimus, niſi in eorum gratiam, qui cùm Libris alioqui vel careant vel non abundent, præclarè ſecum agi cenſerent, ſi aliquid ea de re in Diſſertatione hac noſtra diſcerent.

(1) Ita Rabb. Ben Gerſon, Abenezra, Abrabanel, Jarchi ad Gen. 31. 1. 2. Simeon Ben Jochai in Libr. *Zohar*. Liber Coſri. Azarias in Meor Enaim.

(2) Origen. hom. 11. in Num. Hieronym. in cap. 3. Sophon. Auguſt. l. 16. de Civit. c. 11. & l. 18. c. 39. alii plures.

(3) Vid. Orig. hom. 11. in Numer. Aug. de Civit. l. 16. c. 6. Jonathan *Paraphr.* in Gen. 11. 7. 8.

(4) Chananæorum, Phœnicum, & Hebræorum ſermonem unum eſſe eundemque, probant Bochartus, Huetius, Valtonus, & alii.

DISSERTATIO
DE GIGANTIBUS.

IN tota Antiquitate maximè celebres Gigantes habentur, quippe quibus teſtimonium ferunt Poetæ, Hiſtorici, & qua Sacri qua prophani Scriptores, omnium denique ſæculorum traditio, cum vetuſtiſſimis regionum monumentis, una omnes voce prædicantes viros, qui immani corporis & virium habitu, tum & cœptorum audacia longè lateque ſui nominis terrorem intulerunt. Ut autem inſitam habent homines in res novas propenſionem, magnis majora libuit adjicere, non Poetis tantùm, ſed & Hiſtoricis non rarò adeo rem per ſe miram exaggerantibus, ut juſtos rei limites præſcribere, & vera à falſis ſecernere, operis ſit non exigui. Nec minùs eſt laborandum, ſi quis velit ad fidem inducere ſuſpicacia quædam ingenia, quibus errandi timor ſatis eſt cauſæ, ut credulitatem ſuam erga res inſuetas & à noſtris penitùs abhorrentes, ſuſpendant.

Operis ergo noſtri in præſentia erit, ut Gigantes reipſa extitiſſe demonſtremus, ſimul etiam ejus veritatis adverſarios refutantes. Verùm antequàm manus operi admoveatur, certus quæſtionis ſtatus determinandus eſt 1. Gigantum nomine non viros tantùm intelligimus, qui procerioris corporis ſtatura cæteros regionis ſuæ viros non digiti ſolum vel etiam ſemipedis aut pedis menſura ſuperant, plures enim in Mundo ejus generis occurrunt; ſed viros deſignari arbitramur, noſtræ ætatis homines pedibus nonnullis vel etiam duplo, triplo, quadruplo juſtam ſtaturam quinque pedum & ſemis excedentes.

2. Neque id nobis quærendum, an plurium ſæculorum ſucceſſu contigerit aliquando, ut naturæ quodam niſu Gigantes prodierint; quemadmodum interdum monſtra & pumiliones ſpectantur, quorum ſinguli ſucceſſione carent. Sed illud diſcutimus, an vetuſtiſſima ætate ante diluvium, & diu etiam poſt, ſatis frequentes homines occurrerint juſta hominum noſtræ ætatis ſtatura multò ſuperiores; qui in certo quodam regionis tractu certiſque familiis frequentius, quàm alibi prodierint; ut certum genus & peculiaris Gigantum regio poſſit aſſignari.

Inter eos qui Gigantes extitiſſe negant, non ſatis convenit. Aſſerit Joſephus Antiq. lib. 1. cap. 4. Angelos plures ad filias hominum acceſſiſſe, eorumque commercio natos viros impotentis audaciæ, qui viribus valentes nihil ſanctum habebant, eaque aggreſſi ſunt, quæ de Titanibus Poetæ comminiſcuntur. Gigantum ergo nomine deſignari credit Joſephus viros audacia impotentes.

Aliquis fortè putat, ait Philo de Gigant. *quæ Poetæ de Gigantibus fabulantur, Legiſlatorem ſubindicare, cùm hæc immenſum diſtent à fabulis ... Nullam de Gigantibus affert fabulam, ſed illud te docere vult, eos venari voluptates corporis, & harum uſum fructum, quærendo undecumque ſingularum materiam.*

Ipſe idem Philo in lib. de Confuſ. ling. de Turri Babelica à Gigantibus ædificata agens, tradit, Paganos, cum hæc legerent, reclamaſſe: *Ecce ſacri, quos vocatis, Libri fabulas continent, quales aliis referentibus irridere ſoletis.* Simillimo A enim auſu Gigantes ædificationem Turris aggreſſi narrantur, quo de Gigantibus Pelion Olympio & Oſſæ ſuperimponentibus ad Cælum obſidione tentandum fabuloſa vetuſtas commenta eſt. Univerſam hanc hiſtoriam Philo ad allegoriam referendam contendit, autumans, ſub allegoriæ hujus ambagibus hominis impii adverſùs Deum audaciam, & protervìam exhiberi. Nulli erant ergo huic Authori ſive ante ſive poſt diluvium Gigantes.

Perſuaſum pariter fuerat Origeni (1), Gigantum nomine non viros corpore immanes deſignari, ſed ſceleſtiſſimos quoſque, impios, B Atheos & hujus farinæ homines, quibus nulla de Deo, hominibus, & juſtitia, eſt cura. Malunt alii cum Euſebio Cæſarienſi Præpar. l. 5. cap. 4. & 5. Gigantes apud Moyſem ipſiſſimos eſſe Dæmones, quorùm adverſus Deum pugna in Gigantum & Titanum adverſùs Deum fabella deſcriberetur. Exequemur inferiùs veteris illius opinionis originem, quæ Gigantes è Dæmone parente acceſſit, quin & ipſas Gigantum animas in cenſum malorum Spirituum refert. Quam tamen opinionem cave, ne cum altera Gigantes prorſus ſubducente confundas; illa enim à communi omnium ſententia in eo tantùm recedit, C quòd de Gigantibus illis in libro Henoch legit, ad patres Dæmones cum filiabus hominum ante diluvium commixtos eſſe referendos; cum interim contraria Gigantibus opinio Librum illum penitus ad fabellas rejiciat.

S. Chryſoſtomus in Geneſ. Homil. 22. tenet, Gigantum nomen exprimere in Scriptura viros corporis robore & ſtatura immanes; (2) quorum in cenſum refert Nemrodum, virum, ut habent Septuaginta, Gigantem. Profectò Hebræum *Gibbor*, quem Gigantem reddunt, ſonat ad literam virum fortem, & impotentem.

S. Cyrillus Alexandrinus ad Imperatorem Julianum reſpondens libro 9. inſinuare videtur, D Gigantes monſtris ſimiles viros eſſe, quos quidem proceritate corporis & robore reliquos vulgo homines ſuperare potuiſſe credit; ſed multùm concedere Gigantibus illis, Poetarum carminibus celebratis, quos ferunt ex ipſo maris ſinu Inſulam manu avulſam contra Cœlum ejaculatos. Sunt igitur, ait, Scripturæ ſtylo, Gigantes viri fortes & audaces, ore terribiles & monſtro ſimillimi, quos vindicis Numinis ira effudit, atque malè affecta parentum phantaſia formavit. Non inviti credimus, has Patrum interpretationes expreſſiſſe neceſſitatem nominis Gigantum, nè fortè nominis ſimilitudine cogerentur E in Scriptura viros agnoſcere eadem corporis immanitate, qua apud prophanos Poetas, Gigantes.

Gigantes apud Stoicos in eodem ordine cum Centauris aliiſque monſtris, errantis phantaſiæ ludibrio efformatis, habentur. *Centauri, Gigantes, & quidquid aliud falſa cogitatione formatum habere aliquam imaginem cœpit, quamvis non habeat ſubſtantiam*, ait Seneca *Ep.* 58. Totam illam de Gigantum adverſus Deos expeditione fabellam ad allegoriam detorquens Cicero de Senect. ſignificari tantùm credit paſſionum adverſùs rationem & naturam certamen. De Gigantibus hæc Macrobius Saturn. l. 1. c. 20. *Gigantes quid*

(1) Orig. apud Gen. C. P. in Cat. Gr. in Octateuch. Vide & apud Theodoret. q. 48. in Gen.
(2) Hom. 30. in Gen. pag. 422.

quid aliud fuiſſe credendum eſt, quàm hominum quandam impiam gentem, Deos negantem, & ideo exiſtimatam Deos pellere cæleſti ſeſe voluiſſe?

Scriptores quidam rerum naturalium cùm in animum inducere non poſſent, natos unquam in rerum natura viros, quales deſcribunt Gigantes; ſuſpicati ſunt, ea omnia, quæ de Gigantibus in Cælum arma inferentibus narrantur, de ventorum quodam ſpiritu, quo terræ viſcera concutiuntur, exponenda fuiſſe. Vim enim inſerunt venti, ut è terræ carcere liberati per apertum aera esſpatientur, cujus libertatis amore mirum eſt quanto impetu montes disjiciant; excitant non raro ignes, lapides longè ejaculantur, ſpecie quaſi in Cælum protrudant. Tunc Jupiter i. e. Cælum, & aer fulgura in illos, & imbres demittit, quibus pacantur omnia, ventorum impetus comprimitur, ſubterranei ignes extinguuntur, vel ſaltem ita coercentur, ut exteriùs non prodeant. Hinc nata fabella, Jovem dejeciſſe Gigantes, quos ſub montibus Ethna & Veſuvio, veluti grandi pondere, quò ſe revelari quandoque nituntur, oppreſſos detinet. Ex eo Gigantum niſu intimæ illæ terræ ſuccuſſiones, & ignes, quos dato temporum intervallo evomunt montes. Nihil hic non phyſicum & naturæ legibus conſonum.

Nec figura ipſa Gigantum apud Poetas ſua caret allegoria. Ita de illa Ovidius Faſt. l. 5. v. 15.

Mille manus illis dedit, & pro cruribus angues.

Manus robur deſignat, angues inconſtantiam, & anguium ſpiræ (1) dolum ac tortuoſam hominum nequitiam.

Plus aliquid vident alii Philoſophi, defendentes, non tantùm Gigantes nunquam in rerum natura ſpectatos fuiſſe, ſed nec ſpectari unquam tam immani corporis ſtatura viros potuiſſe. Certam enim rebus quibuſque ſtaturam præſcripſit naturæ Author, quam prætergredi nunquam eadem natura permittitur. Nihil in univerſo extra legem & menſuram, cujus harmoniam gradus aliquis ſi rebus addatur detrahaturque, corrumpit. Certa in aſtris motus menſura, ſua etiam in aere, in aqua, nec incerta pariter in terra, quæ ſi præſcriptas ſibi leges prætergrediatur, ſtatim actum eſt de animantibus, de plantis, de arboribus. Hominis ſtatura æquè reſpondet gradui, ſive motui frigoris & caloris, quo terra tenetur. Plantæ, quibus alitur, aer, quo refrigeratur, animantia, quibus utitur, homini creantur, ejuſque, ut ita dicam, naturæ ex æquo reſpondent. Si corporis ille ſtatura creſceret decreſceretque, tota illa harmonia diſſolveretur, atque tota corrumperetur univerſi elegantia. Nuſquam ergo uſpiam fuerunt Gigantes, vel ſi quos fortè extitiſſe dixerimus, aliam ſtatuamus, quam nunc ſit, mundi naturam oportet, alium aſſignemus terræ locum in univerſo, aliam indolem aeri, aliam elementis, aſtris, & plantis.

Quæ nunc eſt natura, nunquam ſatis eniteretur, ut Gigantem ederet. Quis autem credat aliam fuiſſe olim, ac modò eſt, naturam? nec ſanè adeò diſſimilis fuiſſe unquam potuit, quantum debuiſſet, ut Gigantem efformaret. Nunquam ergo Gigantes produxit.

Veteres illi, qui vulgari majorem ſtaturam primis illis hominibus conceſſerunt, multùm tamen abſunt ab immani illa proceritate, quæ de Gigantibus prædicatur. Habent enim perſuaſum, hominis ſtaturam, ut longiùs, non ultra ſeptem altitudinis pedes (2), quos Herculi aſſignant (3), aſſurgere potuiſſe: *Licèt plerique definiant nullum poſſe excedere longitudinem pedum ſeptem, quod intra menſuram iſtam Hercules fuerit.* Hanc menſuram ſi qui ſubinde viri exceſſerunt, uti Oreſtes, vir ſeptem cubitis, ſive decem altitudinis pedibus non impar, & *Puſio ac Secundilla*, quos ultra decem pedum ſtaturam immanes Roma ſub Auguſto ſpectavit, exceptiones ſunt hæc regulæ communis, & monſtruoſi quidam naturæ fœtus, ex quibus nihil inferas pro reliquis.

Si naturæ ſeneſcentis vitio homines imbecilliores eſſent, quà ſtatura quà viribus, quàm olim fuerint; ſtatueremus etiam oporteret, naturam in eo conſiſtentiæ ſtatu jam inde à pluribus ſæculis manſiſſe; cum jam inde à tribus annorum chiliadibus factum ſit, ut ſtaturæ hominum nihil addatur detrerpaturque. Quare nunquam per nos admitteretur Veterum illud, *cuncto mortalium genere minorem in dies menſuram fieri propemodum obſervatur* Plin. l. 7. c. 16. Multùm ætate ſua decreviſſe hominum ſtaturam præ veteribus hominibus, Homerus Iliad. 7. deplorat. Juvenalis Satyr. 15.

Nam genus hoc vivo jam decreſcebat Homero.

Ejus rei cauſam refert Plinius l. 7. c. 16. ad ignem illum, quo tandem mundus in cinerem favillaſque redigetur, paulatim abſumenteru radicalem humorem, vitam hominum alentem. Factum inde, ait, *raros* (eſſe filios) *patribus proceriores, conſumente ubertatem ſeminum exuſtione, in cujus vices nunc vergit ævum.*

In eandem ſententiam concedens Author quarti Eſdræ ſcribit cap. 5. 52. *Interroga quæ parit, & dicet tibi. Dices enim ei: Quare quos peperiſti, nunc non ſunt ſimiles his, qui ante te, ſed minores ſtatura? Et dicet tibi & ipſa: Alii ſunt, qui in juventute virtutis nati ſunt; & alii qui ſub tempore ſenectutis* (naturæ), *deficiente matrice nati ſunt. Conſidera ergo & tu, quoniam minori ſtatura eſtis præ his, qui ante vos.* Lucretius Philoſophus Epicureus ita mentem ſuam hac de re prodit lib. 2.

Jamque adeò fracta eſt ætas, effetaque tellus
Vix animalia parva creat, quæ cuncta creavit
Sæcla, deditque ferarum ingentia corpora partu.

Repugnare quidem iſta ſententiæ Gigantibus adverſæ planè videntur; ſed bonam cauſam non bonis argumentis tuentur. Si enim naturæ ſeneſcentis ægritudo tanta erat jam inde à Moyſis, nempe 2500. annis poſt Orbem conditum, vel ab Homeri ſaltem ætate, nempè mille ſolidis ante Jeſum Chriſtum annis, ut nullis adhuc Gigantibus ſufficeret, quò deinde perveniſſet evolutis adhuc 5718. annis, quot ab ea ætate ad nos uſque fluxerunt? Ad Pygmæos profectò redactos jam homines ſpectaremus.

Addunt (4), nonniſi monſtra habendos fuiſſe homines, quos juſtæ nunc ſtaturæ exiſtimamus, ſiquidem procera corporis habitudo ſpecioſior eſſet, & naturæ hominum magis conformis; tunc enim omnes Gigantes nati fuiſſent. Nunc verò contraria omnia; homines enim vulgò ejuſdem erant olim & modò ſtaturæ; ac Gigantes tanquam omnium ætatum monſtra perinde habiti ſunt. Statuendum eſt igitur, quemadmodum monſtra rara ſunt, & extraordinaria, ita pariter & Gigantes vel nunquam paruiſſe, vel ſi rari interdum prodierunt, errori id naturæ præſcriptas ſibi leges nonnunquam tranſgreſſæ, vel ſaltem virtutis ſuæ ſpecimen dare volentis, conatui deputandum.

Quinam ergo Gigantes Scripturæ? Homines reputat Philo de Gigant. terrenos, voluptuoſos, terræ

(1) Macrob. l. 1. c. 20. Saturnal.
(2) Solin. Polyhiſt. c. 2. Vide & Varron. apud Gell. l. 3. c. 10. Varro modum eſſe dixit ſuum adoleſcendi humani corporis, ſeptem pedes.
(3) Vide Salmaſ. in Solin p. 3. Edit. 1686.
(4) Vide Toſtat. in cap. 2. Deut. q. 2. Bolduc. Eccleſ. ante Legem l. 1. c. 7. 8.

terræ filios, atheos, Dei adverſarios acerrimos. Homines vitæ turpitudine & morum deformitate monſtruoſos cenſet S. Cyrillus Alexandrinus l. 9. contra Julian. & l. 2. & Glaphir. in Gen. Homines ad longiſſimam ætatem vitam prorogantes Diodorus (1).

Franciſcus Georgius (2) habet quidem perſuaſum, viros illos ſtaturæ proceritate ſupra cæteros aſſurrexiſſe; ſed æquè cenſet, fœtus illos habendos non humani alicujus conjugii ex fœmina, & mare, ſed dæmoniaci, ex Dæmone nempe cum fœmina. Quis enim credat, ait ille, homines naturæ leges ſtaturæ proceritate adeò tranſcendentes natura agente in mundum veniſſe? Superat opus illud naturæ vires; quare poſt devictum à Jeſu Dæmonem, redactumque in ordinem, ne poteſtate ſua deinceps abuteretur, nuſpiam in mundo Gigantes viſi ſunt, quòd ſcilicet Dæmoni libera ampliùs non eſſet, uti priùs, facultas cum fœminis coeundi.

Stephanus Gobar apud Photium Cod. 232. pag. 898. rem tractat problematicè; perduelles Angeli, cum in terram deſcendiſſent, inito cum fœminis connubio, Gigantes genuerunt. E' Gigantibus cum brutis coeuntibus nata hominum monſtra, & ſexus utriuſque Dæmones. Seu potius Angeli illi perduellionis rei, qui nec carne conſtarent, nec oſſibus, cùm ad filias hominum per ſe accedere non poſſent, impiorum hominum ad illas corrumpendas miniſterio uſi ſunt; vel tandem nec ipſi per ſe, nec alterius miniſterio illas tentarunt.

Severi Sulpicii ſententia his verbis exprimitur Hiſt. l. 1. *Ex Angelorum, & mulierum coitu Gigantes editi eſſe dicuntur; cùm diverſæ inter ſe naturæ conjunctio monſtra gigneret*. Porrò ſi inter monſtra rejiciendi ſunt Gigantes, nunquam ſatis frequentes fuiſſe oportet; rara ſunt enim, utpote præter conſuetas naturæ leges, monſtra.

P. Boulducus Capuccinus in ſuo Opere de Eccleſia ante Legem l. 1. c. 2. 8. 9. & l. 3. c. 2. defendit, *Nephilim*, *Raphaim*, *Zuzim*, *Enacim*, *Emim*, *Zomzomim*, quæ varia habentur Gigantum ſæviſſimorum & immaniſſimorum hominum nomina, nihil tale utique deſignare; quin potiùs *virtute, ſanctitate, animi magnitudine, conſtantia, ac bonis operibus Gigantes*. Nomen *Nephilim*, ſonans eos qui cadunt, qui ſe proſternunt, indicium cenſet viris quibuſdam piis, quòd aſſidui eſſent in preces. *Enacim* vel torquem ferens, equitum erat, inſtitutus ab Abrahamo, quo tempore in Hebron morabatur, Ordo: conſtabat autem viris per omnia ſingularibus, ſtatura, divitiis, magnificentia.

Addit, Gigantum nomen eſſe honoris, datum viris illis juſtis ante & poſt diluvium. Porrò viri erant illi apud omnes ſpectatiſſimi, quos Moabitæ honoris gratia appellabant *Emim*, i. g. Reverendos; Ammonitæ *Zomzomim*, Sapientes; Chananæi *Raphaim*, Reſtauratores; Syri *Zuzim*, Illuſtres. Addit proinde, elogium illud Nemrodo datum à Sacra Scriptura, probri loco ab Interpretibus præpoſterè acceptum fuiſſe: *Venator robuſtus coram Domino*; ſignare hæc virum ſpectatæ pietatis ac ſanctitatis. Docet tandem Boulducus, veteribus Gigantibus ſua fuiſſe in locis, quæ in ſedem ſibi conſtituerant, pietatis aſceteria. Hæc viri commenta refutavit Anonymus in Opere, quod nunquam videre mihi contigit, inſcripto: *De Nephilinis, Gigantibus vulgò dictis, exercitatio contra Jacobum Boulduc*.

Sententiæ illorum, qui Gigantes negant, opponunt veterem populorum traditionem, tenentem fuiſſe olim populos multò quàm vulgati hominum noſtræ ætatis, ſtatura proceriores, quorum oſſa & olim & nunc etiam in dies inventa, rei experimentum futura, demonſtrant. Sed viciſſim ea populorum præventio & Gigantum illa oſſa ridentur ab adverſariis. Poetis obſtetricantibus nati ſunt Gigantes, quos fabula nutriit, populorum credulitas fovit. Quæ Gigantum oſſa creduntur, oſſa ſunt reipſa ſive ceti, ſive elephantis, ſive foſſilia in terra naturali igne concreta. Hæc ſanè opponit P. Kircherus, acerrimus, ſi quis alius, Gigantum adverſarius. Validiſſima ſunt hæc pro ſententia Gigantibus adverſa argumenta; modò pro illis quædam.

Apud Moyſem & Sacros poſt illum Authores mentio inducitur non obſcura de Gigantibus, robore, cœptis, proceritate, expeditionibus, numero, & apud Inferos ſupplicio notiſſimis. Frequentiſſimi erant ante diluvium, ſicut & quo tempore turris Babelica conſtruebatur: familiæ tandem quædam ad ipſam Moyſis, Joſue, imò & Davidis ætatem pervenerunt. Proferuntur ejus veritatis aſſerta, vetera, & certiſſima monumenta, non quidem ex Poetis, ac ſubleſtæ fidei Authoribus, ſed ex Moyſe vetuſtiſſimo illo Scriptore, cujus genuina extant Volumina. Ferunt ejus rei teſtimonium Scriptores Sacri, vetus & conſtans populorum traditio, unde Poetæ hiſtorias illas de Gigantibus derivarunt, quas commentis ſuis & fabellis in majus exaggerarunt.

Cum cœpiſſent homines, ait Moyſes Gen. 6. 1. &c. *multiplicari ſuper terram, videntes filii Dei filias hominum, quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi uxores ex omnibus, quas elegerant. Dixitque Deus: Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt; eruntque dies illius centum viginti annorum*. (i. e. intra hoc annorum ſpatium perdendis hominibus diluvium immittam.) *Gigantes* (Hebr. *Nephilim*) *erant ſuper terram in diebus illis; poſtquam enim ingreſſi ſunt Filii Dei ad filias hominum, illæque genuerunt, iſti* (*Gilborim*) *ſunt potentes à ſæculo, viri famoſi*.

Non ergo erant *Nephilim*, i. e. Gigantes, in mundo, antequam filii Dei, nempè è genere Seth viri, cum filiabus hominum, è genere nempè Cain, jungerent connubia. Vetus eſt traditio apud Rabbinos, ac plures Chriſtianos Scriptores recepta, Adam inter Gigantes principem locum obtinuiſſe. Docent enim Hæbræi (3), Deum ſemel inito conſilio hominem formandi, ingentem terræ maſſam, quæ vix intra totius mundi ambitum contineretur, ſibi conſtituiſſe; quæ ſanè terræ moles ſi extenderetur, ad firmamentum uſque eminuiſſet. Cum Deus hanc terram in hominem effinxiſſet, ſimulacro ſpiritum vitæ indidit; actutum Adam in pedes ſeſe erexit; Angeli ad inſuetum monſtrum paveſcentes clamarunt: Domine Deus univerſi, ſunt ergo geminæ in mundo poteſtates? Tunc Deus capiti novi hominis manu ſua impoſita, ita immanem Gigantem compreſſit, ut ad ſtaturam mille cubitorum tantùm juxta aliquos, vel 900. ut fert aliorum ſententia, vel ſaltem ducentorum aut trecentorum, quin & centum cubitorum, juxta nonnullos, redigeret. Nec ſanè minor exigebatur hominis ſtatura, ut decerperet fructum arboris ſcientiæ boni & mali, cujus ſpectatiſſima erat & monſtro ſimilis proceritas.

Hæc de Gigantea Adami ſtatura ſententia ariſiſſe pariter videtur S. Hieronymo, vertente illud Joſue 14. 15. *Hebron vocabatur Cariath Arbe; Adam maximus ibi inter Enacim ſitus eſt;* ſed

(1) In Catena. Quidam apud Theodoretum quæſ. 48.
(2) Franciſ. Georg. tom. 1. problemat. 74. 75. apud Sixt. Senenſ. l. 5. annotat. 51.
(3) Vide Bartoloc. Biblioth. Rabbin. t. 1. pag. 65. &c. Morin. Exercit. Bibl. l. 1. Exercit. 8. c. 11. art. 14.

ſed verti aliter poteſt Hebræus: *Hebron ante vocabatur Cariath Arbe; vir eſt maximus inter Enacim*; i. e. Arbes Princeps eſt Gigantum ejus regionis. Idem S. Hieronymus in Quæſtionibus Hebraicis in Geneſim, & in locis Hebraicis v. *Arboy*, hanc opinionem confirmat. Tandem in epitaphio Paulæ tradit, Urbem *Cariath-Arbe*, ſive *Urbem Quatuor*, nomen ſuum debere quatuor viris, Adam, Abraham, Iſaac, & Jacob: tum aſſerit Adamum ibi conditum eſſe, juxta Libri Joſue, & receptæ apud Hebræos traditionis authoritatem. Gemina ſentiunt Chriſtiani quidam Scriptores apud Bar-Cepha & Joannem Lucidum.

Vetuſtiores diluvio homines juſtam hominum ſtaturam plus nimio plerumque excedebant. Diluvii ætate, ſuperſtitem fuiſſe tenent Rabbini Og Regem Baſan, de quo legimus Deut. 3. 11. *Solus Og Rex Baſan reſtiterat de ſtirpe Gigantum*. In Arcæ ſcalas, extra tamen, vel ſuper ejus tectum, neque enim una eſt ea de re Rabbinorum ſententia, ſeſe recipiens Rex ille, aliorum interitum tutò ſpectabat, cibo interim ſibi ſufficiente per expreſſum foramen Noemo, cujus ſervitiis toto vitæ tempore ſe ſe mancipaturum Og ſpoponderat. Porrò Og immanem corpore virum cùm ſemel Abraham non verbis tantùm ſed factis etiam acrioribus caſtigaſset, dentium unus ex ore viri excuſſus eſt, qui unus vel cubitibus nonnullis juxta quoſdam, vel ſellis juxta alios, materiam abundè ſuffecit.

Cùm Og copias ſuas adversùs Iſraelitas duceret (1), animadvertens hoſtilem exercitum ſpatio duarum leucarum extendi, montem æquè grandem in caput ſuum levavit, quo in hoſtium capita excuſſo, omnes uno ictu opprimeret. Accurrit promptè Deus, cujus opera immiſſus vermiculus, opportunè adeò montem, quo loco capiti Gigantis reſpondebat, perfodit, ut ſuper ſcapulas viri recidens, amplioris collaris ſpeciem exhiberet. Tentavit ille è collo ſaxeum lorum reducere; ſed ampliores viri dentes altè ſe in montem inſinuantes, firmum retinebant. Opportunitatem nactus Moyſes, accurrit ſtatim armatus acia decem cubitorum; decem etiam cubitos altè ſaltavit, vir ipſe duodecim cubitos procerus, quibus tamen omnibus adjumentis nihil aliud valuit efficere, quàm ut talos adverſarii pertingens, mortis ictum infligeret. Hæc Rabbini, qui illud Deut. 3. 11. *Monſtratur lectus ejus* (Og)*: novem cubitos habet longitudinis, & quatuor latitudinis*; de cunis infantis exponunt. Ludibria hæc errantis phantaſiæ non moramur; ſed monſtrari illis receptam apud Hebræos traditionem quis neget?

Nomen *Nephilim*, quod redditur *Gigantes*, ſonare poteſt ad literam (2) cadentes, in alium irruentes, impetum facientes, veluti aves in prædam ſeſe immittentes; item, qui alios evertunt, dejiciunt, vel tandem homines violentos, impotentes, audaces. Iſraelitæ poſt exploratam terram promiſſionis ad ſuos in deſertum Cades reſtituti dixerunt (3). *Vidimus monſtra quædam filiorum Enach de genere Giganteo* (Hebraicè *Nephilim*), *quibus comparati, quaſi locuſtæ videbamur*. En planè non obſcurum teſtimonium de Gigantibus, non raris illis, ſed in gentem, & populum coaleſcentibus: *Omnis populus quem aſpeximus*, legit Hebræus, *viri menſurarum ſunt*.

Nomen *Nephilim* poſt Moyſem nuſpiam legitur in Libris Sacris (4), cujus loco Gigantibus deſignandis frequens eſt apud illos vox *Rephaim*, A ne Moyſi quidem ignota. Ait enim Moyſes, Codorlahomorem, & fœderatos ipſi Reges percuſſiſſe *Rephaim in Aſtaroth-Carnaim* Gen. 14. 5. Pollicetur Deus Gen. 15. 20. daturum ſe Abrahamo *regionem Rephaim*, quorum natio in Transjordanis. Og Rex Baſan *ſolus remanſerat de ſtirpe Gigantum* Deut. 3. 11. Joſue 12. 4. & 13. 12. Hebræus, de ſtirpe Rephaim, i. e. Moyſis ætate Gigantes fermè deſierant. Vir ille ſtatura adeò erat immanis, ut æneum ejus cubile novem cubitis longum (5), quatuor latum, adhuc poſt plures annos in Rabbat Metropoli Ammonitarum monſtraretur. Reddunt novem cubiti pedes quindecim, digitos 4. ac ſemis, pro ſingulis cubitis 20. digitis ac ſemis computatis; qui ſi rectè ſupputentur, conficiunt hominis ſtaturam triplo juſto B majorem.

De *Emim* populis ad orientem maris mortui ſermo eſt apud Moyſem, narrantem, permiſſos illos populos Moabitis, exterminio traditos fuiſſe. Potentiſſima erat, & frequentiſſima natio, corporum proceritate ſpectabilis adeò, ut tanquam *Rephaim*, & filii Enach haberentur. En alteram Gigantum nationem ante Moyſem exterminatam, cujus tamen memoria adhuc recens ſervabatur; conſtat enim Moabitarum patrem nonniſi 325. annis ante Moyſem in lucem editum fuiſſe, nec niſi ſaltem poſt 150. vel 200. annos adeò valere potuiſſe Moabitas, ut expeditionem in Emim ſuſciperent.

Ammonitæ Moabitarum fratres, circa idem C fermè tempus Gigantum *Zonzomim* aliam nationem aggreſſi ſunt Deut. 2. 20. 21. Porrò illi nec potentia, nec hominum numero, nec ſtatura Gigantibus è ſtirpe Enach concedebant. Eorum regio *Terra Gigantum reputata eſt, & in ipſa olim habitaverunt Gigantes*. Quare triplex Gigantum natio in Transjordanis; *Rephaim* ad ſeptentrionem, *Emim* ad meridiem, & *Zonzomim* inter utroſque medii.

Erant etiam cis amnem *Rephaim*, & quandam ibi tenebant regionem Davidis ætate. Duo illorum genera diſtinguuntur, *Enacim*, filii Enach, ſedes potiſſimùm habentes in Hebron & adjacentibus regionibus; *Rephaim* ſeu filii *Rapha* in Urbe Geth commorantes, quorum erat gentilis D Goliath. Frequens in Scriptura mentio *Vallis Rephaim* (6), ſeu *Vallis Gigantum*, ſatis proxima urbi Jeruſalem, cui nempe valli nomen inditum, ſive quòd olim Gigantes ſuas haberent illic ſedes conſtitutas; ſive quòd caſtra ibi non ſemel poſuiſſent in bellis Philiſtæorum adversùs Judæos.

Meminit Scriptura 2. Reg. 21. & 1. Par. 20. quinque Gigantum è ſtirpe *Rapha*, quos David ejuſque commilitones in variis certaminibus interfecerunt. 1. *Jeſbi-ben Ob*, nempè Jesbi filius Ob; 2. *Saph* vel *Sapha*; 3. Fratris Goliath; 4. Gigantis illius, cujus ſingulæ manus pedeſque ſex digitis diſtinguebantur; 5. tandem Goliath à David obtruncati 1. Reg. 17. 4., cui viro Scri- E ptura ſex cubitos cum palmo, nempe 10. pedes, & 6. digitos altitudinis aſſignat; quot nempe duo proceri homines vix æquarent. Adversùs hæc hiſtorica monumenta nihil excipiendum. En Gigantes, Gigantum familias, Civitates, populos: nec illi utcumque juſtam hominum ſtaturam excedebant, ſed proceritatis & roboris erant, quales ad vivum pinguntur. Inſinuatur etiam, multò auctiorem Gigantum numerum olim fuiſſe, cùm ſcilicet familiæ & integræ illorum nationes exterminio traditæ referuntur.

Filiis

(1) Vide Morin. exercit. Bibl. l. 2. 8. c. 2. n. 12. 13. 14.

(2) נפילים *Nephilim*. Aq. *ἐπιπίπτοντες cadentes*, ſeu *irruentes*. Sym. *βίαιοι violenti* Th. & 70. *γίγαντες*. *Gigantes*.

(3) Numer. 13. 34.

(4) Ezechiel c. 32. 20. 21. 23. 24. 27. ad Nephilim Moyſis ſpectaſſe videtur, agens de vetuſtis Heroibus gladio interemptis. (5) Deut. 3. 11. (6) Joſue 15. 8. & 18. 16. & 1. Reg. 5. 13. 22. & 23. 13.

Filiis Enach ſuæ erant ſedes in Meridionali Palæſtina conſtitutæ (1). Enach tres olim fuerunt liberi, Gigantes, & Gigantum patres, Achiman, Siſai, & Tholmai; proceræ adeò ſtaturæ homines, ut comparati cum illis Hebræi locuſtæ viderentur; & Moyſes non alia frequentiori phraſi immanes quoſdam Gigantes deſignet, quàm pares illos affirmans filiis Enach (2). Joſue in Chanaanitidem ingreſſus, omnes delevit Enacim Urbium Hebron, Dabir, Anab, cæterarumque Juda & Iſrael; ſolos reliquit Gigantes Gazæ & Geth (3); & diu poſt Gigantum ſepulchra monſtrabantur in Azorho (4). Eorum oſſa immania & ſupra fidem monſtruoſa ætate ſua adhuc ſpectari affirmat Joſephus Antiquit. l. 5. c. 2. pag. 145. &c.

Amos de expeditionibus Hebræorum in Chanaanitidem agens, ita loquentem Dominum cap. 2. 9. inducit: *Ego exterminavi Amorrhæum à facie eorum, cujus altitudo cedrorum altitudo ejus, & fortis ipſe quaſi quercus; & contrivi fructus ejus deſuper, & radices ejus ſubter*. Et Baruch 3. 26. *Ibi fuerunt Gigantes, nominati illi, qui ab initio fuerunt ſcientes bellum. Non hos elegit Dominus, quoniam non habuerunt ſapientiam, interierunt propter ſuam inſipientiam*. Judith in Cantico Dei laudes celebrat, quòd non manum Titanum & Gigantum, ſed imbellis fœminæ, elegantis vultus illecebris pugnantis Holofernem, tantum Ducem peremerit (5).

His documentis nihil addendum. Agit Baruch de Gigantibus antediluvianis; Amos item de Gigantibus Chanaanitidem ante Hebræorum ingreſſum tenentibus; deſcribunt autem gentes illas viribus, numero, & ſtaturæ proceritate ſupra vulgarem cæterorum hominum valentes. Illos exterminarunt Joſue & Caleb (6), genus impium ut diutiùs in mundo perſiſteret, non ferente Numine. Cùm verò è re ſua homines univerſi cenſerent, ſi pernicioſiſſima illa & impotentiſſima monſtra delerentur, non eſt cur multùm miremur, ſi poſt plura ſæcula nullos tamen, uti priùs, ſpectare contigerit Gigantes; in unum enim omnes conſpirarunt homines, ut pernicioſum genus delerent, quemadmodum in venenatis & pernicioſis quibuſdam belluis factum pariter conſtat, quòd ita extinguerentur, ſemel ac rarum aliquod ex illis in Orbe pareret, ut genus omne deleretur.

Hiſtoricis hiſce exemplis alterius etiam generis argumenta accedunt, deducta è ſacris Authoribus, apud quos ſermo de animabus Rephaim, in Infernis criminum ſuorum pœnas dantibus. Job 26. 5. meminit Gigantum ſub aquis gementium, unà cum illis, qui in Infernis torquentur; in quam pariter ſententiam concedentes Prophani, Titanes deſcribunt in imo Oceani (7), vel abyſſi fundo ejulantes. Virgilius Æneid. 6. v. 742.

.... ſub gurgite vaſto
Infectum eluitur ſcelus, aut exuritur igni.

Fœminæ effrænis vias ad Rephaim deducere monet Salomon Proverb. 2. 18.; addens, eos, qui infames illas viæ ductrices ſequuntur, recta ad locum Gigantum contendere Prover. 9. 18. Iſaias 14. 9., & Ezechiel 32. 19. Rephaim exhibent in tenebroſis quibuſdam locis, qui honoris gratia aſſurgentes, venientibus gentium Regibus obviam occurrunt; Regibus, inquam, illis, qui cùm viverent, longè latèque ſui nominis terrorem intulerant; poſt mortem verò ad Inferna unà cum Rephaim rapti ſunt. Ambigat poſt hæc A omnia, ſi quis vult, & Gigantes an magno etiam numero floruerint, hæreat ſuſpenſus.

Antequam conſona in eam rem Patrum teſtimonia afferamus, animadvertiſſe juvat, eorum plerique impoſuiſſe falsò inſcriptum librum Enoch, aſſerentem Gigantes ex commercio filiarum hominum cum Angelis perduellibus natos. Ita verò rem narrat perſonatus ille Scriptor A. M. 1170. (8). *Vigiles* vel Angeli mulieres duxerunt, unde nata tria filiorum, ac familiarum diſtincta genera. 1. Gigantes, quorum ſtatura juſtam multùm excedebat. 2. E' Gigantibus nati Nephilim. 3. E' Nephilim Eliudi. Cùm Gigantum numerus crevisset, humanis carnibus victitare cœperunt; ex quo factum, ut homines B numero in dies decreſcentes, clamarent ad Deum. Pronis ille auribus precantes auſcultans, miſit Angelum Gabrielem mandatis oneratum, ut iret, exterminaret Gigantes, nempe monſtra illa ex Angelis perduellibus nata; committeret illos inter ſe, quò mutua cæde delerentur. Adjecit autem: Gigantum animæ in Dæmones transformabuntur, ex quibus mala omnia in mundum; nam ex illis obſeſſiones Dæmonum, tormenta in homines, ſpectrorum territamenta uſque ad extremam judicii diem. Ex his fontibus derivata plerumque Patrum ferè omnium de Gigantibus doctrina. Paulus Burgenſis vir clariſſimus ex Judæo Chriſtianus in Gen. 2. 6., autumat, Gigantes ipſiſſimos fuiſſe ſub homi- C num ſpecie Dæmones.

Ex eodem Libro Henoch accepta credo, quæ de concepto Gigantum fœtu narrat Author Teſtamenti duodecim Patriarcharum (9). Hæc ille. Perduelles Angeli mulieres deperientes, aſſumpta virorum conjugum illarum, ſed gigantea ſpecie, furtivum cum illis impetrarunt coitum, ex quo nati Gigantes; giganteæ enim formæ ludibrio mulierum phantaſia affecta, giganteum expreſſit fœtum. Nulla per nos eſto hujus fabellæ authoritas; ſed recta inde conſequutione infertur, apud Libellorum illorum proceſſores aſſeritam fuiſſe Gigantum veritatem.

Patrum teſtimonia magno numero recitare ſupervacaneum ducimus; conſtat enim ſummo om- D nes aſſenſu Gigantes admiſiſſe: ſi qui contra ſenſerint, vel ambigua ea de re expreſſerunt, integra illos fide omnes ſupra retulimus. Jure tamen noſtro omnes, qui contrariam noſtræ opinioni ſententiam totidem verbis non aſſeruerunt, pro nobis ſumimus. Eſt enim, quam defendimus, cauſa una omnium ſæculorum & gentium opinio. Nobis proinde favet poſſeſſio; ab aggreſſoribus, ſi quæ habent, pro ſe documenta promenda ſunt.

Petimus tantùm nobis è Patribus illos, qui authoritati rationes etiam pro ſua ſententia jungunt. Joſephus e. g. quem pro ſententia nobis adverſa laudant, documenta pro Gigantibus affert, narrans ſpectari in Hebron immania quædam hominis oſſa. Tertullianus de Reſurrect. E Carnis c. 42. pag. 350. reſurrectionem è reſiduis Gigantum compagibus probat. *Nec Gigantum antiquiſſima cadavera devorata conſtabit, quorum crates adhuc vivunt*. Ex ejus narratione intelligere videmur, inventa ejus ætate ex his oſſibus quædam, dum fundamenta Carthagine effoderentur. S. Auguſtinus l. 15. de Civit. c. 9. demonſtrat, fuiſſe olim maximè ante diluvium immanes ſtatura homines; quam in rem primò communem hominum perſuaſionem ea de re affert, laudans illud Virgilii Æneid. 12. de Ænea, tantæ molis lapidem

(1) Num. 13. 23. 21. 34. (2) Deut. 2. 10. 11. 21. & 9. 2.
(3) Joſue 14. 1. (4) Joſue 11. 21. 22. (5) Judith. 16. 8.
(6) Joſue 15. 13. 14. Judic. 1. 20. (7) Homer. Iliad. 8. & Heſiod. Theogon.
(8) Nempè 1071. ante diluvium, juxta ſupputationem Syncelli, componentis diluvium cum anno 2241.
(9) Teſtam. Ruben c. 5.

lapidem in Turnum ejaculanti, quantam vix terrent 12. noſtræ ætatis homines.

Vix illum lecti bis ſex cervice ſubirent,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus.

Expreſſit hæc Virgilius ex Homero Iliad. 5. & 12.; quibus ſanè probatur vetus omnium gentium perſuaſio. Addit S. Auguſtinus, nihil eſse quod magis incredulas mentes revocet ad ſaniora, quàm immania illa oſsa, caſu ſubinde vel è terra defoſsa, vel aquarum alluvione detecta, vel è tumulis caſu aliquo poſt plura ſæcula eruta. Vidi ego in litore maris Uticæ, ait ille, nec vidi ſolus, ingens quoddam hominis molare, quod centum vulgaria æquaret. Porrò molaria illa non uno in loco ſervantur, quòd dentes temporis minùs ſentiant injuriam, & cæteris omnibus reſolutis, ipſa maneant incorrupta.

Auguſtinus Torniellus Annal. V. T. A. M. 987. n. 19. in Eccleſia ſui Ordinis Vercellis S. Chriſtophoro dicata vidiſſe ſe perhibet ſimilis molis dentem, qui viri illius Sancti haberetur. Torquemada ſe vidiſſe pariter aſſerit Loriæ dentem alium, pugillum hominis ſtrictum æquantem (1), & Aſturgiæ partem maxillæ S. Chriſtophori immanem adeò, ut Gigantis inſtar turris proceri intuentibus crederetur. Os coxendicis S. Chriſtophori Venetiis in Eccleſia Cruciferorum ſervatum prodigioſæ eſt magnitudinis. Vetuſta ejus Sancti Acta virum fuiſſe perhibent 12. cubitorum, vel 18. pedum altitudinis.

Ante paucos, quàm hæc ſcriberet, annos contigiſſe narrat Antonius Sabellicus Oenead. 1. l. 1. non longè ab initio, ut cum in evellenda procera quadam arbore ad navium conſtructionem inſudarent fabri lignarii, caſu invenirent calvariam hominis, dolii magnitudine non minorem; quæ cùm ab illis tractaretur, reſoluta abiit in cineres, ſolis remanentibus dentium nonnullis, quos in varios Venetorum cives, inter cimelia ſervandos, diſtribuerunt. Pugillo nihilo inferiorem dentem S. Chriſtophori ſpectaſſe ſe in Cathedrali Valentina aſſerit Ludovicus Vives ejus Urbis civis in Auguſt. de Civit. l. 15. c. 9. Iſaacius Pontanus in ſua Danicarum rerum hiſtoria lib. 1. meminit molaris cujuſdam Starcoteri, viri Danici, duodecim digitorum ambitu.

D. Simonius Author Biblici Dictionarii V. Gigantes, refert, anno 1667. in prato quodam, in quo ſervandis rebus foſſa eruebatur, inventum vetuſtiſſimum quoddam monumentum, cæmento probe obductum, in quo prodigioſæ magnitudinis oſſa, ut eorum unum ſeptem pedes & tres digitos longitudinis referret, ambitu verò eſſet duorum pedum. Porrò os illud ipſiſſimum creditur, quod ex cubito ad ſcapulas porrigitur, poſt illud enim aliud ſequebatur latiſſimum & planum: oſſa cætera adeò computruerant, ut integrum nullum remaneret, ſalvis tantùm dentibus quibuſdam, quorum ſinguli decem adamuſſim librarum erant pondo. E dentibus hiſce unus, cui inferior mandibulæ pars hæret, pondus refert 17. librarum. Ovalis eſt dens ille figuræ, longus 5. digitis & tribus latus. Dentes & oſſa illa ſervantur in arce Molardæ juxta vicum S. Valerii, Diœceſis Vienenſis in Delphinatu. Vidiſſe antem ſe affirmat Simonius dentes illos, cùm Parœciam S. Uzæ prope Melardam curaret, & teſtes laudat ejus rei Præfectos Arcis Uzæ & Molardæ, ſicut & Sacerdotem ejuſdem Arcis Capellanum, qui authenticum ea de re inſtrumentum ad ſe tranſmiſerunt anno 1699. die 24. Januar.

Poetarum teſtimonium in re quidem facti nihil faciendum: valet autem plurimùm, ut primores populorum traditiones & facta quædam hi-
A ſtorica, vetera illa & ignota, intelligentibus inſinuet; quæ ſcilicet facta fucatis pigmentis & fabularum coloribus ad genium Poeſis adumbrarunt Poetæ. Homerus Odyſſ. 11. v. 310. de Ephialte & Orione filiis Iphimediæ novennibus pueris habet, craſſiori fuiſſe novem cubitorum corporatura viros, ſtatura verò ad 36. cubitos evaſiſſe. Titius apud eundem Odyſ. 11. v. 575. in terram proſtratus novem terræ jugera occupabat. Fama erat apud Græcos, frequentaſſe Gigantes agros Phlegræos, & urbem Pellenen, viribus autem ſuis adeò fiſos, ut avulſas rupes & proceras incenſaſque arbores in Cælum ejacularent; erant autem corporatura enormes, crinibus & barba promiſſis, inferiùs angues. Vide Apollodori Biblioth.
B l. 1. c. 6.

Agebat in Sicilia Typhon filius Terræ & Tartari, vir celſiſſima montium cacumina proceritate ſua excedens, Cælum tangens vertice, & utraque manu extremos Orientis & Occidentis fines jungens; in ſuperioribus vir, in inferioribus anguis. Poetica ſunt hæc, & in majus aucta figmentis; ſed vera eſt antiquitatis perſuaſio: ſi enim nunquam fuiſſe Gigantes tenerent, quomodo in mentem veniſſent homines arma inferentes in Cælum, quomodo Cyclopes Siculi, quomodo Typhonis adversùs Deos prælia?

His omnibus argumentum præbuit Scripturæ narratio, de audacibus Gigantium Antediluvianorum cœptis, qui nempe audacia ſua & crimi-
C nibus arma in Cælum ipſum inferre viſi ſunt. Eſt autem maximè animadvertendum, agi apud Poetas de Gigantibus, non raris illis & caſu natis, ſed de Gigantium nationibus, hominum genere ſtatura procero, quos nonniſi gravis Deorum & filiorum Dei manus opprimere valuiſſet.

Phlegon Adriani Libertus de rebus mirabilibus c. 12. *ex Apollonio* meminit in eluvione quadam apud Meſſeniam in Peloponneſo contigiſſe, ut lapideum quoddam monumentum detegeretur, quod fractum calvariam exhibuit hominis triplò quàm vulgares craſſiorem, cum inſcriptione Græca nominis *Ideus*, unde conjectura deducta, caput illud fuiſſe Idei viri inclyti, & inter Gigantes ſtrenuiſſimi, ab Apolline, quem ad ſingulare
D certamen provocavit, interempti, juxta Homerum. Addit inſuper Phlegon c. 12. apud Dalmatas in antro Dianæ mira quædam oſſa ſpectari cum coſtis 16. ulnis longioribus.

Refert etiam cap. 17. ſub Tiberio in vehementi terræ ſuccuſſione montis ingenti portione divulſa, luci expoſitas fuiſſe plures humanorum oſſium compages ingentis magnitudinis. Loci incolæ ſtupentes hærentesque, tangere cadavera non ſunt auſi, ſed unius tantùm dentem avulſum tulerunt ad Imperatorem, ut ex ejus magnitudine argumentum faceret de reliquo. Tiberius religione quadam abſterritus, Herois, cujus pars erat oblatum ſibi molare, corpus tangere non ſuſtinuit; ne verò aſpiciendi Gigantis voluptate ſe ſe privaret, ad-
E hibito doctiſſimo Mathematico, ſibi pro data proportione curavit circumſcribi virum, cujus tantæ molis dens pars habebatur. Thomas Fazellus hiſtoricus Siculus de rebus Siculis Decad. 1. l. 1. c. 6. l. 3. c. 4. Decad. 2. l. 1. c. 1. alia plura congerit exempla de cadaveribus Gigantum in ea regione ſubinde effoſſis. Anno 1516. detectum in agro Mazaræ corpus 20. cubitis procerum, cujus calvaria modium æquabat; dens, quem ipſe apud ſe ſervabat, 5. uncIis par erat. Ex quo confirmatur Veterum illa traditio de *natione Cyclopum* (2) ab ipſa origine Siciliam tenente.

Sui erant olim in Ægypto Gigantes, ſui in Æthiopia, Arabia, & Palæſtina, regionibus

Ægypto

(1) Torquemad. 1. dies.
(2) Homer. Odyſſ. verſ. 59.

Ægypto finitimis : Locum eſſe in Ægypto , *Litres* appellat , ubi ſimilia , ac in Sicilia , cadaverum monſtra reperiuntur , aſſerit Phlegon de Mirabil. c. 15. Oſſa neque ſub terra latent , neque eorum compages turbatæ; expoſita omnia intuentibus , ſingula corporis oſſa aptam ſervantia œconomiam diſtinguuntur , brachia , crura , & cætera itidem membra . Mentio eſt in 1. Libro Paralipom. 11. 23. Gigantis Ægyptii 5. cubitorum , nempe 8. pedum , 6. digitorum & ſemis. Tantum virum interemit Banaias , miles in exercitu Davidis fortiſſimus . Miræ magnitudinis ſtatuas ſpectari apud eoſdem Ægyptios tradit Herodotus l. 2. c. 30 43. 175. 176. utriuſque ſexus homines exprimentes ; deſcribit ille ſimulachra pellicum Regis Mycerini in urbe Sai ; Avorum Hecathæi , cum longo coloſſalium ſtatuarum Sacerdotalium ſatellitio in Urbe Thebarum. Coloſſales item ſtatuæ exhibebantur in veſtibulis Templorum Apidis , Minervæ , & Vulcani , quarum alias 20. alias 70. pedum altitudinis deſcribit Herodotus . Porrò ſcitum eſt . Ægyptios defunctorum ſuorum figuras in ipſo eorum feretro ad ſtaturæ menſuram fabricato expreſſiſſe (1).

Cebarenorum (Gallorum erant genus , brumaliores regiones frigoris algore inhabitabiles tenentium) nihil ſe admiratum , procera licet cadavera , teſtatur Pauſanias in Attic. pag. 66. quòd ſcilicet Ægyptia non excederent . De Sirbotis Æthiopiæ populis narrat Plinius l. 6. c. 30. l. 7. c. 2. homines fuiſſe 8. cubitis altos , nempe 12. pedibus , ſi cubitus 18. digitis computetur . De Gange Rege Æthiopiæ , viro 10. cubitis immani , ſermo eſt in hiſtoria ; ſermo item de *Gabaro* Gigante 9. pedum & 9. digitorum , ex Arabia Romam deducto ſub Claudio (2).

Quid ferant de Africanorum Gigantum oſſibus Tertullianus & S. Auguſtinus , ſupra jam animadvertimus . Cùm eam regionem teneret Sertorius , juxta Urbem Tingitanam , quo loco recepta populorum traditio tenebat , Anteum filium Neptuni juxta nonnullos , vel filium terræ juxta alios , ſepulturæ mandatum fuiſſe , ſpectavit ingentis molis ſepulchrum , in quo Gigantis oſſa recondi ferebantur . Creditu difficile id videbatur Sertorio ; quare aperto monumento ſpectavit Gigantem 60. pedibus immanem . Actutum Imperator Anteo hoſtiis litavit ; tum & recondi iterum corpus præcepit , religione abſterritus , ne oſſa ejus contingeret . Hæc Plutarchus in Sertorio . Ferunt etiam (3) , Carthaginienſes , dum terram effoderent , duo reperiſſe ſarcophaga , aliud 24. aliud 23. cubitis porrecta .

Refert Hieronymus Magius Miſcellan. c. 4. , ex relatione Melchioris Guillandini , dum captivus Guillandinus ipſe in Africa detinebatur , anno 1559. duos captivos Hiſpanos terram effodiendo juxta urbem *Jenezz* , olim *Juliam Cæſaream* miræ proceritatis Gigantem offendiſſe ; avulſamque ejus calvariam duobus vectibus impoſitam , vix tanto ponderi ferendo pares , ad Regem Aſſanum Ariadenum , tanquam rem miram & novam retuliſſe Ejus calvariæ magnitudinem Guillandinus ipſe cum reliquo populo ſpectavit , aſſerens 11. pedum ambitum vel 11. ſpithamarum (menſura eſt 12. digitorum) occupaſſe . Princeps ille barbarus , cujus nullus antiquitatis ſapor , pro eo quòd expectatam libertatem captivis illis donaret , vix 5. aura ſcuta largitus eſt . Aſſeruerunt illi Guillandino , reliqua cadaveris oſſa in eodem loco ſuperfuiſſe , ex quo calvariam reduxerant .

Per ingentem cujuſdam montis hiatum patuiſſe cadaver 46. cubitorum refert Plinius l. 7. c. 16. quem alii Orionis , alii *Oti* ſuſpicati ſunt . Eſt autem Orion vir ille Gigas frater Ephialtis , qui novennis adhuc puer craſſo erat 9. cubitorum , & 36. altitudinis corpore. Hæc in Inſula Cretæ.

In bello Cretenſium cum Romanis ingenti aquarum alluvione corraſa terræ ſuperficie , inter latentia plurima revelatum eſt etiam corpus Gigantis 33. cubitorum (4) ; cujus rei ſupra fidem teſtes oculati ferunt Metellus & L. Flaccus. Quanquam hęc hiſtoria ipſiſſima videtur ac Plinii illa ſupra relata ; cùm tamen varię ſint apud Solinum omiſſæ à Plinio circumſtantiæ , locum fecerunt conjecturæ D. Salmaſii , autumantis , Solinum , quanquam alioqui Plinium breviare aſſuetum , aliundè tamen rei illius notitiam habuiſſe.

Gigantum quoque oſſa ſpectanda in Inſula Rhodo (5) , ac Italia . Rerum potiente Henrico II. Imperatore filio Conradi an. 1041. inventum non longè cadaver ad Urbem Romam translatum eſt , cujus tanta erat proceritas , ut erectum ab imis ad ſummam uſque mœnium loricam emineret (6) . Pallantem filium Evandri à Turno occiſum ſuſpicati ſunt ; vulnus adhuc patebat quatuor pedibus latum . Minoris fidei aliud narrat Boccaccius (7) . Drepani in Siculis inter effodienda ædificii fundamenta cæcum vaſtumque antrum revelatum eſt , quò incenſam præferentes faces foſſores illi ingreſſi , in cadaver hominis inciderunt , de cujus immenſa propemodum magnitudine conjecturam inde capere licet , quòd trabem velut navis antennam pro ſcipione haberet in manu . Tanti immanitas monſtri primò terrorem injecit foſſoribus , coegitque è loco ſeſe proripere ; ſed animis iterum confirmati & armatorum hominum manu ſtipati redierunt ; at Gigas vix tactus abiit in cineres . Plumbum juxta ſcipionem ſive lanceam viri poſitum , pondus ſuperabat 1500. librarum . Oſſa integra erant ; & calvariæ tanta erat capacitas , ut modia tritici commodè pluta continuiſſet ; reliqua oſſa capiti reſpondebant ; dentes ſinguli 9. librarum pondo . Polyphemus , Homero , & Virgilio celebris , Gigas reputatus eſt . Paulò ante captam à Gothis Romam , fœmina quædam & utrique ejus parentes , ſtatura multò quàm vulgaris hominum ſuperiores , ad ſuî ſpectaculum undique ad eam Urbem homines acciebant , teſte S. Auguſtino de Civit. l. 15. c. 23. pag. 407. num. 2.

Trojanam obſidionem urgentes Græci viros habebant in exercitu multò quàm reliquos omnes noſtræ ætatis homines , etiam proceros , ſtatura majores . Decem cubitis altos Heroas illos fuiſſe perhibet Philoſtratus de vita Apollon. l. 2. c. 21. Eodem teſte , Achilles ſpectandum ſe præbens per viſum Apollonio Thyanæo , ſpectrum exhibuit primò 5. cubitorum , quod ſenſim ad 10. vel 12. excrevit (8). Agit ille pariter de Ajacis cadavere , cujus ſepulchrum juxta mare poſitum reducentes arenam fluctus detexerunt : inventum eſt in illo cadaver 11. cubitis , vel 16. pedibus & ſemis procerum (9). Adrianus Imperator rudera Troiæ inſpecturus veniens , oſſa illa teſtaturum in ſepulchrum recondi imperavit . Viri Myſii relatione tenere ſe narrat Pauſanias in Attic. pag. 66. 67. , ejus Herois tumulum , qua mare reſpicit , aditu facilem eſſe ; inde verò argumentum de viri ſtatura capiendum , quòd genuum vertebræ ſeu molæ atletici diſci inſtar eſſent .

Oreſtis cadaver Thegeæ à Lacedæmonibus inventum , 7. cubitos , vel 10. pedes , & ſemis æquabat (10.). In Sigæo Promontorio antrum pariter detectum eſt , in quo Gigas 20. cubitos excedens ; quod ante 50. annos contigiſſe ſcribit Philoſtratus Heroic. c. 1. n. 3. Meminit etiam Gigantis , cujus cadaver quidam è neceſſariis ſuis

(1) Herodot. l. 2. c. 86. (2) Plin. l. 7. c. 16. (3) Eumachus apud Phlegontem c. 18. Mirabilium.
(4) Solin. c. 1. (5) Phleg. Mirab. c. 16. (6) Jac. Phil. Bergom. Supplem. Chronic. l. 3. a. 1041.
(7) Symphorian. Campeg. lib. cui titul. Ortus Gall. ex Boccaccio l. 4. Geneal.
(8) Vita Apollon. l. 4. c. 16. (9) Idem Heroic. c. 1. n. 2.
(10) Herod. l. 1. c. 68. & Philoſt. Heroic. c. 2. n. 2.

in Inſula Coo ante quatuor annos è latebris excuſſerat. Jacebat in antro quodam inter medias vineas; viri menſura 12. cubitorum; anguis in calvaria latebat. Cùm idem Philoſtratus ad inſulam Lemos veniſſet, ſpectavit oſſa Gigantis à Menecrate quodam detecta, ex quibus, diſſoluta licèt compage, conjecturam capere licebat hominis maxime proceri: & calvarię tanta erat capacitas, ut duas Cretenſes amphoras ſuperaret. Porrò amphora Romanorum æquabat 28. circiter pintas Pariſienſes, ſeu 48. ſextaria Romana. An Cretenſis major eſſet minorve, ignoro.

Plura hujus rei exempla congerit idem Philoſtratus in ſuo illo Opere *de Rebus Heroicis*: meminit inter cæteros Proteſilai, qui 20 annorum ætatem agens, 10. cubitos æquabat; meminit ejuſdem fermè menſuræ plurium inter celebratiſſimos Græcorum Heroas. Pauſanias, Scriptor ſine controverſia & exactior & correctior Philoſtrato, mentionem habet cadaverum Giganteorum per totam Græciam & alibi etiam; uti Aſterii ſepulturæ mandati in Inſula Aſteri è regione Mileti, cujus erat cadaver 10. cubitorum vel 15. pedum (1). Sermo apud illum pariter eſt de Gigante in Lydia ſuperiori, juxta parvam urbem, quæ Temeni porta dicebatur, cujus inventa oſſa ejus erant magnitudinis, ut nunquam humana haberentur, niſi figuram referrent ab animantibus cæteris, præterquam ab humana, abhorrentem. Geryonis cadaver primò creditum; ſed alterius viſum eſt Pauſaniæ, quippè quòd Geryon in vivis egiſſet circa fretum Gaditanum, nec in Lybia diem clauſiſſe unquam auditum. Quare viris emunctæ naris creditæ fuerunt reliquiæ Hylli filii Herculis.

Cum in Syria Imperator aliò divertere Orontem tentaſſet, in arenti ejus fluminis alveo Gigas detectus (2) undecim cubitorum; hunc alii Orontem, alii Arvadem autumarunt. Indum quendam declaravit Apollinis Oraculum. Reconditum cadaver illud in urna figlina undecim cubitorum. Monſtratur hodie uſque in Antarado monumentum 20. pedum; gemina in viciniis Damaſci, alterum 50. alterum 20. pedum; priori illi 160. palmos ſeu 80. cubitos aſſignat Goujon. Credulis Itinerantibus perſuadetur, amplius illud ſepulchrum eſſe Abelis, brevius aliud Joſue. Vidiſſe ſe Damaſci coſtam hominis prodigioſæ magnitudinis teſtatur Benjamin Tudelenſis, nec ſimillimæ alibi deſunt.

Munitionibus vallare Inſulam (fortè Æginam) non longè ab Urbe ſua Athenienſes aggreſſi (3), cùm ducendis fundamentis terram effoderent, inciderunt in monumentum 100. cubitorum, recondens non imparis ſtaturæ cadaver. Ex inſcripto epitaphio conſtabat, viri nomen fuiſſe Matroſirim; vitam autem produxiſſe ad 5000. annos. Sed, niſi mendum in Textum irrepſiſſe ſuſpicemur, credulitati profectò hujus Scriptoris, quà in tumuli menſura, qua in ætate viri, impoſitum eſt.

Sub Anaſtaſio Imperatore plura Gigantum oſſa Conſtantinopoli inventa, & in æternum monumentum à Principe in Aula ſervari juſſa, Glycas eſt author in Annal. p. 4. pag. 265. Hercules victi Geryonis oſſa Olympiam miſit, ęternum certaminum ſuorum & victoriarum monumentum (4).

Porus Indiarum Rex ab Alexandro Magno victus, vir fuiſſe narratur 7. pedibus & ſemis procerus (5); & cum elephantem aſcenderet, ad immanem belluam ea fuit viri proportio, quæ ceterorum ad equos (6). Porrò 5. & ſemis cubi- A torum viri non infrequentes ſunt apud Indos (*).

De Gigantibus brumales regiones olim tenentibus, quorum etiam nunc oſſa & ſepulchra ſpectantur, legas in hiſtoriis eorum populorum.

Theopompus Sinopæus in ſuo Opere de terręmotibus apud Phlegon. Mirabil. c. 20. refert, in valida terræ ſuccuſſione disjectum quemdam collem latentia intra viſcera ſua expoſuiſſe Gigantis oſſa, quę ſimul compoſita exhibuerunt hominem 24. cubitorum. Narrat Florus (8), Theutonum, Regem gentium ejus nominis & Cimbrorum, cum ad triumphum Romam duceretur, proceritate ſua inſigne intuentibus ſpectaculum exhibuiſſe; ſuper ipſa enim trophæa eminebat. Narrant alii interiiſſe virum è vulneribus in pu- B gna relatis (9); cujus inventum in Delphinatu cadaver expoſitumque, undique ſpectatores proceritate ſua invitabat.

Cùm autem ejus inventionis hiſtoria celebratiſſima ſit, & multorum ſcriptorum occaſio, operæ pretium eſt fuſiùs aliquanto illam referre. Feria 6. die 11. Januarii an. 1613. detectum eſt ſepulchrum Teutobochi Regis Theutonum, in agro D. Langon Civis Delphinatus; erat autem locus non longè ab Arce Chaumont, inter Montrigant, de Serre, & S. Antonium. Cùm eò loci in ſabulo 18. pedum altitudinis agricolæ laborarent, offenderunt monumentum 30. pedum longitudinis, 12. latitudinis, & 8. profunditatis, cum literis circum inſculptis reddentibus:

C TEUTOBOCHUS REX.

Gigantis ſe invicem contingentia oſſa ſpatium occupabant 25. pedum & ſemis longitudinis, 10. latitudinis in ſcapulis, 5. profunditatis. Ambitus capitis 10. pedum, longitudo 5. oculorum capſulæ 7. digitis gyrabant. Singula hæc deduximus è Libello, quem diſtribuebat Petrus Maſuyer Chirurgus de Beaurepaire, qui ſimul exhibebat *ſyngrapham* Medicorum Montis Peſſulani, & Gratianopolitanorum, oſſa illa omnibus, quicumque ſpectatum veniſſent, ſe ſe monſtraturos ſpondentium. Libellum ſcripſit Jeſuita quidam; Lugdunenſibus autem typis prodiit.

En oſſium in ſepulchro reconditorum catalogum. *Coſtæ* pars, *omoplata* lævæ para ſuperior, *humeri* caput, *femoris* caput, *femur*, *tibia*, *aſtra-* D *galus*, *calcaneum*, *os mandibula*. Craſſitudo dentium, juvenci pedem æquabat; caput femoris humanum caput; à capite ſemoris uſque ad crura, longitudo oſſis 5. pedum & ſemis, latitudo trium. Tibia ad 4. pedes porrecta.

Eodem anno 1613. Nicolaus Habicot Anatomicus & Chirurgus inſignis S. Coſmæ Pariſiis *Gigantoſteologiam* ſuam vulgavit, qua veritatem Gigantum atque oſſium Regis Theutobochi tuebatur. Adversùs *Gigantoſteologiam* illam, alteram oppoſuit eodem anno Joannes Riolanus Medicus & Anatomiſta celeberrimus Facultatis Pariſienſis; cui anno 1614. oppoſuit *Impoſturam detectam de inventione oſſium Teutobochi Regis*, & an 1618. *Gigantologiam* adjecit. Repoſuit pro ſe E alterum ſcriptum opponens Habicot, ſed leve illud & optimis rationibus ferè deſtitutum: quæ cenſura eſt D. Alliot junioris, Doctoris Medici Facultatis Pariſienſis, cujus humanitati ſingula hæc, tum Operum utriuſque partis conſpectum debeo.

Anno 1615. paruit ſcriptum Apologeticum Caroli Guilleman Medici Regii ordinarii, adversùs Habicot & Riolanum. Opus ſolidum, & invectivis plenum. Suſpicabantur nonnulli, oſſa illa ceti alicujus fuiſſe, vel foſſilia aliqua, quæ

(1) Pauſan. Attic. pag. 66. 67.
(2) Pauſan. l. 8. ſeu Arcadic. pag. 503. Philoſtratus Heroic. c. 1. n. 2. æquaſſe cadaver illud aſſerit 20. cubitos. (3) Phlegon Mirab. c. 17. (4) Philoſtr. Heroic. c. 3.
(5) Arrian. l. 5. Diod. l. 17. (6) Plutar. in Alex. Strab. l. 15. (*) Plin. l. 7. c. 2.
(7) Florus l. 3. c. 11. *Inſigne ſpectaculum fuit, quippe vir proceritatis eximiæ ſuper trophæa ipſe eminebat.*
(8) Oroſius l. 5. c. 16.

quæ in terra concreſcere nonnullis in locis ſat conſtat. Sed illorum ſive figura, ſive ſubſtantia, omnia denique hominis ſunt. Ager, in quo cadaver inventum, Gigantis appellabatur; nec rarò fodientibus offerebatur argentei quidam nummi Marium præſeferentes inſculptum in antica, in poſtica verò duarum iſtarum literarum M. A. complexum.

Aſſerunt anno 785. inventam apud Bohemos calvariam hominis tanti ponderis, cui nec duo homines ferendæ ſufficiebant; crura verò ad 26. pedes porrigebantur. Inſignis ille Medicus Felix Platerus in ſuis animadverſionibus detecta teſtatur Lucernæ miræ magnitudinis oſſa, ex quibus ſi reliqui corporis apta commenſuratio facienda eſſet, non minùs quàm 19. pedum Gigas aſſurgeret. De Gigante *Ferrago* à Rolando Caroli Magni nepote interfecto, memoriæ proditum eſt, 22. cubitos vel 30. ſtaturæ pedes æquaſſe. In S. Capella Biturcenſi os quoddam cruris monſtratur, magnitudine non diſſimili à tibia Theutobochi. Sepulchrum 30. pedum, Gigantis creditum, ſpectatur Pariſiis ad Noſtræ Dominę. Hominem quindecim pedibus procerum vidiſſe ſe apud D. Nivernenſem aſſerit D. Habicot. Oblatum Gontrano hominem tribus pedibus majorem, narrat in hiſtoria Gallorum Aimoinus. Carolum Magnum æquaſſe 9. pedes altitudinis, concors eſt plurium aſſertum. Sub Ludovico XI. (1) è regione Valentiæ in Delphinatu detecta in torrente, quo vicus S. Perat alluitur, oſſa Gigantis, ſtatura, quantum ex oſſium illorum proportione, 18. pedum circiter; ſicut fœminam giganteæ ſtaturæ, cui nomen Garſenda, in Forcalquier ſub S. Ludovico memoratur.

Immania quædam oſſa monſtrantur Taurini; in Valetudinario Mediolanenſi vir quidam tunior, ſtatura erat procerior, quàm ut alendo immani illi corpori natura ſufficere poſſet; duo juncta in longum cubilia viro ſubſternebantur. Hanc ſui temporis hiſtoriam refert Julius Scaliger de Subtilit. exercit. 56. Aſſerit Torquemada *hexaemer. die* 5. ſub Julio III. virum in Calabria immanem corpore ad ſui ſpectaculum mundum univerſum invitaſſe. Illum Romam accivit Pontifex; ſed ferendo nullus par equus inventus; plauſtro impoſitus, crura, quòd plauſtrum ipſum ſuperarent, pendula gerebat exteriùs. Ad Urbem ut pervenit, omnes affecit ſtupore, quod proceriores etiam homines ſupra medium pectus non haberet.

Saxo Grammaticus Poem. p. 4. demonſtrare nititur, Danicas regiones olim vel tenuiſſe Gigantes, vel ſaltem frequentes in illis verſatos; quod ipſi quidem probatur ex immaniſſimorum lapidum monumentis, quorum alia cavernis, alia ſepulchris veterum Danorum impoſita ſpectantur. Gigantis dentes & oſſa immenſæ magnitudinis detecta an. 1520. apud Scotos narrat Hector Boetius Hiſt. l. 11. pag. 240. In Cimeliarcho Regis Suevię videas (2) tibiam viri 25. librarum pondo, defoſſam Burgis apud Belgas an. 1613. Pertinet modò ad Othonem Sperlingium. Sermo eſt etiam in eodem Libro de Rege quodam Norvegiæ, defuncto an. 933. pedibus 14. procero; de Evindo quodam in vivis agente circa an. 1338. qui 55. ulnas Norvegiæ æquabat. Propè Birchenrodum humanum cadaver multò quàm cætera procerius detectum eſt an. 1695.

D. du Mont Itinet. pag. 149. narrat quo tempore Græciam ipſe diſcurrebat, inventum Theſſalonicæ os quoddam Gigantis, qui juxta Chirurgorum ejus regionis ſupputationem 20. pedes aſſurrexiſſet. In expeditione Xerſis in Græciam, Gigas Artachorus 5. Regiis cubitis nempè 7. pe-
A dibus & ſemis immanis, terrorem Regiis adverſariis faciebat. De Gigante in Syria 5. cubitorum & palmi, meminit ſub Theodoſio Nicephorus. Surgebat Andronicus Comnenus 17. pedibus, teſte Niceta; ſicut & 15. pedibus Oſtiarii Urbis Pechinenſis, ſi fides ſit Melchiori Nugnez Jeſuitæ. Fœminam 10. pedum ſpectaſſe ſe Antuerpiæ tradit Goropius Medicus Germanus, qui Scriptis Libris Gigantes negavit.

Viſi tandem in America Gigantes, qui vulgaris ſtaturæ homines genibus habebant æquales (3). Hos viros, quorum oſſa & opera modò etiam in Peruanis regionibus ſpectantur, igne cælitus in ſe ſcelerum merito provocato, abſumptos, recepta apud incolas traditio fert; cui
B gemina jungitur ſimilis apud Mexicanos & Braſilienſes fama; apud quos ſimillima pariter oſſium portenta. Satis hæc è multis ad aſſerendam Gigantum veritatem.

Suam de Gigantibus meditationem exponens D. Abbas Tilladet anno 1704. (4), defendendum aggreditur, non Gigantes tantùm in Mundo paruiſſe; ſed & integras Gigantum Urbes ac Nationes, quin & Gigantibus accenſendos primos illos Gentium Parentes, Coloniarum Ductores; utroſque pariter Gigantum parentes Gigantes fuiſſe, ut Adam, ex quo Abel Gigas, Cain, Seth, & priores ſaltem illorum poſteros. Quomodo Arcam fabricaſſet Noe tot animantium generibus continendis aptam, niſi expreſſi in
C Scriptura cubiti ædificium illud metientes Gigantum fuiſſent? Aone præter Gigantes alius quiſpiam turrim Babelicam, tantum opus, moliri valuiſſet? Addit, homines illos, quò ſtatura proceriores eſſent, eo pariter & vitam egiſſe diuturniorem, radicali illo & vitali humore magis abundante, quò in ampliora corporis vaſa reciperetur.

Vitæ autem ad plura ſæcula prorogandæ valuiſſe plurimùm autumat, cùm terrę fœcunditate opimiorem alimentorum ſuccum; quo in naturæ ſenio paulatim cum fœcunditate deficiente, ſenſim & de vitæ diuturnitate remitti cœptum eſt. Ad Gigantes ſpectabant Nemrod, Aſſyrii Imperii primus author, ſicut & Ductores Coloniatum Amorrhæorum, & Enacim, quorum gigan-
D tea poſteritas diutiùs in regione cis & trans amnem. Inter Gigantes pariter ſuum habuiſſe locum credendi ſunt Virginiæ & Magellanicæ regionis primi parentes; quòd hodie uſque earum regionum incolæ robore & corporis ſtatura plurimùm valeant. Hæc D. Abbas Tilladet.

Poſt hæc omnia nihil ultra credimus ambigendum fuiſſe reipſa, nec infrequentes per omnes terræ regiones Gigantes, integras è Gigantibus conſtitiſſe nationes; Gigantibus, inquam, quorum erat ſtatura duplo vel triplo, quam vulgaris hominum, procerior. Horum autem ſi nullum vel ſpecimen extat noſtra ætate, id partim tribuendum divinæ Numinis ultioni, quæ tot criminum & ſcelerum monſtra ſolo tantùm nomine in mundo ſupereſſe toleravit; partim verò
E hominum cautioni, qui inito omnium gentium fœdere, exterminandis pernicioſiſſimis humani generis adverſariis arma intulerunt.

Quò autem objecta in contrarium omnia ordine refutemus, reponendum eſt: 1. Quæ de Gigantibus narrat Scriptura, multùm illa à Poetarum commentis abhorrent, quantum ſcilicet veritas à mendacio, & à fabula hiſtoria. Quare ſi Patres aliquando alios fuiſſe docent Poetarum, alios Moyſis Gigantes, nonniſi è media veritate doctrinam hanc ſuam prompſerunt. Cave cum Poetis credas, tanto corporis robore valuiſſe Gigantes, ut montes montibus ſuperſtruerent, ſcopulos, Inſulas, flammatas proceraſque arbores in Cæ-

(1) Cælius Rhodig. l. 18. c. 31. (2) Par. 1. ſect. 1. n. 77. 74.
(3) Acoſta hiſt. Indic. l. 1. c. 19.
(4) Hiſtor. Academ. Nummor. & amœniorum Litterar. tom. 1. pag. 115.

Digitized by Google

in Cælum ejacularentur; centum illos manibus inſtructos, ſuperiora hominis, inferiora anguis habuiſſe. Poetica ſunt hæc, & in majus aucta commenta, quemadmodum & ea, quæ de Polyphemo, Cyclopibus, ac Gigantibus fabulatur Homerus. Nihil tale in Scriptura: ad Poetas quod attinet, nihil ad nos.

2. Quicumque in ea ſunt perſuaſione, Gigantes, & Cyclopes fœtæ pluribus ideis phantaſiæ accepto referendos, quorum nihil tale in rerum natura, diſſita hæc omnia in ſe concilians, extiterit unquam: vel qui Gigantum omnia eorumque adversùs Deos prælia ad moralem & phyſicam quandam interpretationem deflectunt; illi, inquam, nos habent dictis ſuis reponentes, nihil morari nos Poetarum commenta, è Gigantibus & Centauris monſtruoſa quædam portenta, nunquam in rerum natura ſpectanda, effingentium. Eorum tantùm aſſerimus veritatem, quæ in ſacris Libris de Gigantibus feruntur; nimirum extitiſſe olim magno numero Gigantes, homines illos nihil à reliquis niſi ſtatura corporis diſcrepantes; bellum autem in Deum non armis, ſed criminibus ac ſceleribus moviſſe.

3. Quod dicunt, nunquam fieri poſſe, ut Gigantes in rerum natura naſcantur, cùm in rebus omnibus Deus ejuſdem naturæ author certos præſtiterit limites, quos prætergredi nihil unquam poſſit; repugnat id rei ipſius evidentiæ. Conſtat enim fuiſſe olim homines juſtam cæterorum ſtaturam multò excedentes; ſicut & infra vulgarem ſtaturam plures, quos Pumiliones appellamus, quotidie naſcuntur. Si verò aliqui parueruni in mundo Gigantes, cur non & plures potuerint? Nec tamen in ea ſumus ſententia, primos homines univerſos, ſicut & omnes veteres Palæſtinos, & Siculos, Gigantes fuiſſe. Frequentes erant quidem Gigantes apud illos; erant familiæ, quin & Gentes integræ; quemadmodum noſtra etiam ætate ſpectamus, ut populorum aliqua natio cæteras proceritate ſuperet.

Fatemur quidem, frigoris, caloris, aridi, & humidi certam in natura menſuram non facilè permittere, ut omnes ubique homines, bruta, plantæ ad majorem juſto menſuram excreſcant; ſicut nec infra plus multo demittantur, quam plerumque videmus. Nihil tamen prohibet, quominus in aliquibus Orbis regionibus quædam ex illis ad ſtaturam multò ſupra vulgarem proceriorem pertingant; ſicut & contingere quandoque ſpectamus, ut ferax ſit hominum, brutorum & plantarum alicuius generis certa aliqua regio, quæ fruſtra in alia quæratur; ac generis alicujus animantia poſt certum quoddam temporis ſpatium ita præſcriptas ſibi leges pervertant, ut multò deinde minora, quàm antea fuerint, naſcantur. Hæc omnium ſæculorum experientia certiſſima, apertè ſatis demonſtrant, potuiſſe in certis quibuſdam locis, Gigantes ſpectari, qui multò quàm cæteri homines ubique locorum ſtatura eſſent proceriores. Quæ prima ex Europa in Americam translata ſunt ſemina & plantæ, in proceras adeò arbores, & plantas excreverunt, ut nihil tale in Europa. Mures ipſi & bruta cætera multùm vulgarem excelſerunt corporis molem. Ut quid igitur primis illis ſæculis in terræ juventa, cùm ſcilicet ſucco abundaret, & plantæ eſſent ad nutriendum aptiores, purior in venis hominum ſanguis, ſucculentiſſima alimenta, ut quid, inquam, non major eſſet hominum quorumdam ſtatura, majus corporis robur, ſanitas major, vita diuturnior?

4. At enim natura nunquam produxiſſe Gigantes credenda eſt, etiam hodie, & ſi multùm enitatur, nunquam ad producendos illos ſaltem majori numero evadet. Sed nec ea, quæ hodie eſt, natura hominum vitam ad 8. vel 9. ſæcula prorogare poteſt, quemadmodum in orbis juventa re ipſa prorogavit. Nunquam pariter natura totis in unum collatis viribus lupos in Anglia, venenatos ſerpentes in inſula Melita, Hippopotamum in Ægypto producet; nunquam ne ergo in iiſdem regionibus paria gignere valuit? Nequit in hoc horto certum hunc fructum, hunc florem emittere; nunquam ne ergo emiſit? Si natura aliquid modò in certis aliquibus locis non valet, hæc ſanè non defectui in natura virtutis adſcribenda ſunt; ſed naturalibus ad propaganda rerum genera inſtrumentis deſtituta eſt, omnibus ejus generis exterminatis. Ita pariter de Gigantibus reputandum. Revocet quis ad vitam veteres Palæſtinæ & Siciliæ Gigantes, ſtatimque Gigantum ipſa propagatio reparabitur. Qui verò ſtaturam hominis 7. pedibus majorem non agnoſcunt, quippè quòd Hercules eam non excederet, coguntur illi tamen fateri, ſpectatos Romæ Gigantes Herculea ſtatura multo ſuperiores. Ad hæc, Herculem 7. ſtaturæ pedes attigiſſe, inter veteres Scriptores non convenit. Apollodorus 4. cubitos vel 6. pedes Viro tribuit Bibliot. l. 2. c. 3. pag. 96.

5. Quicumque decreſcere in dies homines habent perſuaſum, opinionem illi tuentur rationibus deſtitutam; quæ tamen Gigantibus potiùs aſſerendis quàm evertendis valeret.

6. Inter eos, qui reipſa Gigantes olim in mundo ſpectatos volunt, nemo planè aſſerit, giganteam illam ſtaturam maximè naturalem hominum fuiſſe; illud tantummodò reputantes, nihil habere illam naturæ repugnans, nihil abſonum Univerſi elegantiæ, cæteriſque rerum ordinibus. Nullum eſſe dicunt inconveniens, ſi Gigantes, poſſibiles alioqui, admittantur; uno verbo, magno numero Gigantes olim in mundo ſpectatos, quorum frequentia id efficeret, ut non monſtra haberentur, ſed certa hominum genera. Quæcumque contra aliam à noſtra ſententiam objiciuntur, nihil ad nos.

7. Eorum error, qui perſuaſum habuerunt, Gigantes ex Angelorum perduellium cum filiabus hominum connubio prodiiſſe; extitiſſe olim Gigantes invictè probat. Teſtimonium de recepta apud populos de Gigantibus traditione admittimus, rejicimus errorem. Quin nec ipſa pariter traditio tam vetus longè lateque propagata & conſtans, ineluctabile eſſet argumentum, niſi cum Scripturis vetuſtiſque omnium ſæculorum hiſtoriis aſſertæ fidei cohæreret.

8. Si tandem natura ludens interdum quædam in terræ ſinu produxit, humanis oſſibus, calvariæ, tibiæ oſſibuſque cæteris non abſimilia; numquam tamen eò deveniet, ut integras oſſium humani corporis compages naturalibus ſimillimas effingat; quin & illi naturæ luſus argumentum ſui nunquam non præbent, ſive majori, quàm par eſt, rotunditate, ſive figuræ ſive proportionum, ſive, ut plurimùm, ſoliditatis diſcrepantia. Sunt enim foſſilia colore dilutiora, quippè quæ ad terreſtrem magis, ubi concreverunt, accedant. E' ſolida materia compacta ſunt, non intus inania, ut hominum oſſa. Nec impoſſibile credimus, ut Elephantum, & Ceti alicujus oſſa pro Gigantibus obtruſa ſint; ſed conſtat equidem & genuina quædam Gigantum oſſa aliquibus in locis ſpectari, non incertum de Gigantum veritate documentum.

DISSERTATIO
DE TURRI BABELICA.

TUrris Babelicæ ædificium monumentum eſt & hiſtoria, contra quam nihil valuerunt ſive longiſſimi temporis vices, ſive diſſita locorum ſpatia, ſive linguarum diſcrepantia, & gentium diſperſio: nihil, inquam, valuerunt, ut ab hominum memoria tantùm opus delerent. A' primis inde ſæculis uſque ad noſtram ætatem manet ejus rei traditio apud gentes fermè univerſas, iis tantùm exceptis, quibus barbaries ipſa & antiquitatis alta oblivio in naturam pene tranſivit. Pura illa & exactiſſima manſit apud Orientales, gentem omnium maximè moribus & literis excultam. Deductam ex Orientalibus Græci ſabulis corruperunt, id ſibi Vatibus eorum indulgentibus, ut omnia portentoſis fabellis infercirent, quò genio populi in res miras ſervirent. Latentem hanc ſub ſabellarum tegumentis veritatem à Græcis Latini acceperunt. Pura rei cognitio, veluti puri latices è fonte, è Moyſe ipſo repetenda.

Moſaicæ hiſtoriæ fidem, argumento viro docto ſatis impari, in ſuſpicionem revocare nititur Celſus (1), contendens, Legislatorem Hebræum hanc de turri Babelica hiſtoriam è ſabella Poetarum de Aloidarum ſeu Titanum in Jovem bello expreſſiſſe; cui reponit Origenes, non Moyſem quidem, utpote Poetis & literis ipſis Græcanicis vetuſtiorem, ex illis; ſed ipſos potiùs Græcorum Vates ex Hebræo Legislatore derivaſſe, quidquid veritatis ſabellarum ſigmentis corruperint.

Juliano Imperatori quantâ quanta hæc hiſtoria ſubolet ſabellam (2): uſurpabat pariter ad literam illud, quod in Textu legitur: *Faciamus nobis Civitatem & Turrim, cujus culmen pertingat ad Cælum*. Illud autem irridens reputabat Imperator, nunquam, & ſi homines in unum conſpiraſſent conſilium, & ſi cæmentaria ex univerſo Mundo ſtrues compararetur, ſi in lateres terra compingeretur omnis, nunquam ædificium tale conſurgere potuiſſe, vel ſi parietibus tenui quodam filo tenuioribus conſtaret, ut Cælum tangeret vertice. Deridiculo autem traducit Chriſtianorum & Judæorum credulitatem, quibus perſuaſum dicit, Deum hominum conſiliis perdendis linguarum confuſionem immiſiſſe, quòd ſibi ab illis metueret.

Has viri impii calumnias repulſurus S. Cyrillus obſervat, multùm nos quidem abeſse ab ea credulitate, qua territum Deum ſibique metuentem conſiliis hominum diſſipandis intendiſse autumaremus. Ad captum vulgi loquitur Moyſes, cùm deſcendiſse Deum perhibet, & dum pariter addit homines conſilium molitos ſuiſse turrim ædificandi, *cujus culmen pertingeret ad Cælum*. Similis enim loquendi phraſis alibi in Scriptura celſum aliquid deſignat. Quæ verò ex ejuſmodi verbis ſabularum Authores fabricati ſunt commenta, nihil ad Chriſtianos. Si Deus deſcendiſse legitur, ut ab incepto homines abſ-

A terreret, ſi confuſionem in ſermones illorum injeciſse, id non eo conſilio ſactum, quaſi ſibi mali aliquid timeret, ſed ut homines ab inutili & vano incepto, qua eſt in illos bonitate, cogeret abſiſtere. Reputantes enim mortales illi, fieri iterum potuiſse, ut nova imbrium procella in mundum excuteretur, turrim adeò proceram ædificandam aggreſſi ſunt, ut nubes celſitudine ſua vincens, homines a diluvio poneret in tuto; quaſi ſcilicet Deus, cujus nutu aquæ ab inundanda terra deſtiterant, non æque pariter valuiſset homines ab earum metu liberare.

Paganorum cavillationes adversùs Babelicam B turrim, quaſi ſcilicet ejuſdem hiſtoriæ veritate motum à Gigantibus in Jovem bellum confirmaretur, depulſurus Philo, omnia ad allegoriam detorquet (3), ratus regulas omnes dirigendis moribus aptiſſimas à Moyſe ſub ejus narrationis obtentu præſcriptas. Factum tamen ille non negat; ſed morali tantummodo ſenſui excutiendo totus impenditur. Verùm nec morales ejus commentationes, nec objectas contra veritatem ejus hiſtoriæ cavillationes morati, id unum tantummodò in hac noſtra Diſſertatione ſuſcipimus, ut nihil ex ejus hiſtoriæ circumſtantiis in obſcuro reliquatur.

C Hæc igitur Moyſes Gen. 11. 1. 2. *Erat* (ab initio) *terra labii unius, & ſermonum eorumdem. Cumque proficiſcerentur de Oriente, invenerunt campum in terra Sennaar & habitaverunt in eo. Dixitque alter ad proximum ſuum: Venite, faciamus lateres, & coquamus eos igni. Habueruntque lateres pro ſaxis & bitumen pro cæmento. Et dixerunt. Venite, & faciamus nobis Civitatem & Turrim, cujus culmen pertingat ad Cælum, & celebremus nomen noſtrum, antequam dividamur in univerſas terras*. Geſta hæc creduntur circa A. M. 1770. poſt diluvium 114. & ante Aeram Chriſtianam 2234. Neque minus temporis ſpatium exigi videbatur, ut tot homines naſcerenD tur, quot tantum opus repoſceret. Integrum tamen ſæculum ſatis ſuperque reputandum eſt.

Cùm Arca illa, tantum Noe ejuſque familiæ ab aquis diluvii effugium, in vertice Ararat Armeniæ montis inſediſset (4) (locus eſt 10. vel 12. leucis ab Erivan Orientem versùs) eum pariter locum in ſedem elegerunt homines poſt diluvium; quod etiam recepta tenet apud Armenos & Orientales populos traditio. Siſuthrus, quem Pagani eum Noe confundunt, ex Arca egreſſus, ait Alexander Polyhiſtor apud Euſeb. Græc. Chronic. l. 1. pag. 8., datam cælitùs vocem audivit, præcipientem Babylonem rediret, E docturus homines literarum uſum, quas literas inventurus eſset in Urbe Sippara; ſciret autem ſe Armeniæ tunc loca tenere.

Gemina fermè refert Abidenus ex Beroſo (5); narrat autem Siſuthrum, celatis in Urbe Heliopoli in Sipparena monumentis & Scriptis, quæ apud ſe retinebat, conſcenſo navigio, per inundantes diluvii aquas iter Armeniam versùs direxiſse.

(1) Origen. cont. Celſ. l. 4. (2) Vid. Cyrill. Alex. l. 4. cont. Julian.
(3) De Confuſ. linguarum.
(4) Gen. 6. 14 *Requievit Arca menſe ſeptimo ſuper montes Armeniæ*, Hebr. *ſuper montes Ararat*. אררט
(5) Apud Euſeb Chronic. l. 1. pag. 8. Non inveroſimiliter credimus, Urbem Sapharam, ſive provinciam Sapharenam, de qua Alexander Polyhiſtor, Beroſus, & Abidenus ipſiſſimam eſſe, quam Moyſes appellat *Sephar*, montem Orientis. *Gen.* 10. 30. & Herodotus *l.* 3. montes Sapiros; & l. 4. montes illos collocat inter Colchos, & Medos.

xiſse. Porrò Arcæ reliquias in ſua adhuc regione ſervari tenent hodie pariter Armeni; nec dubitant in Armenia quoque Noemum, eiuſque familiam poſt diluvium ſedes ſuas collocaſse.

Totus ergo controverſiæ cardo in eo vertitur, quomodo Moyſes Armeniam *Orientis* nomine deſignare potuerit; eſt enim Septemtrionalis maximè regio, qua Babyloniæ, quà Arabiæ, & Palæſtinæ, iis ſcilicet regionibus, unice à Legiſlatore, dum Geneſim ſcriberet, ſpectandis. Sed nullo negotio demonſtratur, conſueviſse interdum Hebræos, eadem *Orientis* appellatione deſignare pariter Aſsyriam, Meſopotamiam, Syriam, & Transeuphratea; quas ſcilicet regiones magis orientales eſse Palæſtinæ, quàm Armeniam, dixerit nemo. Minatur Dominus Iſraelitas, futurum ut hoſtes undique adversùs illos concitaret, Syros ab Oriente (1), & Philiſthæos ab Occidente.

Ex Oriente in Palæſtinam veniſse Abrahamum, quamquam reipſa ex Haran Meſopotamiæ tranſmigraverit, author eſt Iſaias 12. 2. à quo pariter aſseritur 26. 11. moviſse Cyrum ex Oriente in Babyloniam; cùm tamen ex Armenia & Perſide venerit. Scribit Daniel 11. 44. Antiochum Epiphanem, acceptis defectionis populorum Orientis nunciis, commotum fuiſse. Porrò gentes illæ ipſiſſimæ ſunt Transeuphratheæ Septemtrionales potiùs, quàm Orientales Judæis; quas proinde Scriptura familiari phraſi interdum *ſeptentrionis* nomine deſignat. Ita enim arma Regum Aſsyriæ in Chaldæos prænunciat: *Ab Aquilone fumus* Iſai. 14. 32.; *ab Aquilone pandetur malum* Jerem. 1. 14. Conſtat reipſa tamen omnes eas regiones, Armeniam maximè, ita Septemtrionales eſse Palæſtinæ, ut ad Orientem vergant.

Poſteri Noe è regionibus Armeniæ *in terram Sennaar*, i. e. in Babyloniam venerunt. Vaſa Templi Domini in Fano Idolorum ſuorum in *terra Sennaar* à Nabuchodonoſore poſita, aſserit Daniel 1. 2. Joſue (2) de rebus furto ſublatis ab Acham ſermonem habens, ſubductum ab illo ſcribit *pallium Sennaar*, i. e. interprete Aquila, & Chaldæo, pallium Babylone contextum. In regione ergo Sennaar conſtituta erat Urbs Babylon, quanquam alioquin regio illa multùm ſupra Urbem excurreret, Septentrionem versùs, ſi, uti quidem probabiliſſimè creditur, mons *Sagras*, vel *Singar*, cujus apud Authores prophanos mentio (3), nomen ſuum derivabat ex *Sennaar*, vel *Sengar*, juxta pronunciationem eorum, qui literam Hain veluti G pronunciant, uti factum in *Segor* & *Gaza* aliiſque nonnullis conſtat.

Nec inito conſilio & una ſimul tranſmigratione factum credo, ut homines deſertis Armeniæ montibus in Babyloniam tranſmigrarent. Paulatim venerunt ſecundùm ripam Euphratis & Tigridis, opima paſcendis gregibus paſcua offerentem. Aucto deinde numero tum hominum, tum gregum, id tandem reputarunt, fieri vix poſse, ut in una omnes regione conſiſterent. Nec in illud tantùm conſilium venerunt, quòd major eſset populus & greges majores, quàm ut una ferret regio, ſed in id maximè propenſos confirmavit ſervandæ pacis & politiæ difficultas in populo, cujus tot eſsent Principes, quot per familias capita, nulla legis, nulla monarchiæ communione juncta.

Revocari huc meritò poſsent, quæ de diſſidiis A Paſtorum Abrahami, & Loth Gen. 13. vulgata ſunt; cùm enim regionis unius paſcua amborum opimis gregibus non ſufficerent, tollendis inter utriuſque Paſtores jurgiis & ſimultatibus, quibus gregis neceſſitas fomentum in dies majus præbuiſset, diſsociare utrinque tabernacula & ſedes coacti ſunt.

Conſtitutis ergo ab hominibus in regione Sennaar ſedibus, conſilium cœptum eſt agitari de ædificanda Urbe, quam veluti Metropolim, Imperii centrum, & communem patriam haberent. Ad ornamentum & præſidium addere viſum eſt celſiſſimi faſtigii turrim, hæc ſecum reputantibus, perpetuum illud manſurum tum nominis apud poſteros ſui, tum & communis inter B ſe neceſſitudinis monumentum, ut ſeris tandem nepotibus, quid hoc rei eſset interrogantibus, reponeretur, poſuiſse illa Patres ſuos, quò memoria non peritura maneret, eſse ſe è parente Noe filios. Cum verò, addebant, in varias diſſitaſque provincias diſpergi nos omnes contigerit, Babelicam indicantes turrim, hic eſse communem omnium patriam demonſtrare poterimus, ut varia licèt incolentes loca, fratres tamen & unius veluti Patriæ cives nos eſse agnoſcamus. Simili exemplo diu poſt Iſraelitæ ad ſedes ſuas Transjordanicas regredientes, ex aggeſta terra ſtruem erexerunt; monumentum poſteris ſuæ cum gentibus cis amnem neceſſitudinis (4).

Iſtud conſilii, uti veroſimiliter credimus, ho- C mines agitabant, dum turrim & urbem Babelis ædificandam aggreſſi ſunt (5). Aliis tamen aliter viſum; reputant enim viros illos bellum in Deos indicere molitos fuiſse; quam in rem phraſim ſacri Textus expendunt: *Turrim, cujus culmen pertingat ad Cœlum*; tum & titulum Gigantis à LXX. collatum Nembrodo (6), viro nempe ejus conſilii primo, uti creditur, authore. Quare Gigantes apud Poetas ipſum è Cælo detrudere Jovem enixi montes montibus ſuperſtruunt, ut arma in ipſum inferant Cœlum (7).

Extruere hi montes ad ſidera ſumma parabant,
Et magnum bello ſollicitare Jovem.

Narrat Joſephus Antiq. l. 1. c. 5. homines è diluvio reliquos novam procellam ſibi metuentes aliquandiu in montibus ſubſtitiſſe; cùm tandem D Sem, Japhet & Cham omnium primi è crepidine montium in plana deſcendiſſent, ac cæteris, ut exemplum ſuum ſequerentur, ſuiſſent authores, omnes tandem in regionem Sennaar tranſmigraſſe. Tunc Deus alto providentiæ ſuæ conſilio meditans in varia Orbis loca mittere colonias, cùm refractarios voluntati ſuæ haberet homines, ſpretæ divinitatis injuriam ulturus, flagellum in ipſos excuſſit. Nec ſemel Deus præceptum illud refractariis injunxit, ſed iterum inſiſtens, iterum juſſionibus ſuis habuit immorigeros; reputantes ſcilicet, eo conſilio ſe diſpergere meditatum fuiſſe Numen, ut diſſipatos perderet faciliùs.

Nembrod filius Chus, & Chami ex filio ne- E pos, vir conſilio promptus & manu, facinoris hujus audaciam cæteris hominibus inſpiravit. Jactitabat vir ille identidem ſibi accepto referre debuiſſe felicitatem ſuam: augurabatur autem facilè ſe mortales omnes dicto ſuo ſubjectos habiturum, ſi in defectionem adversùs Deum adducere illos valuiſſet. Quare, ut in partes ſuas traheret incautos, optimum eſſe factu propoſuit, ſi celſi adcò faſtigii turris excitaretur, ut inundantibus deinceps diluvii aquis in tuto poſiti inſultarent: quo ſi-

(1) Iſai. 9. 12.
(2) Joſu. 7. 21. אדרת שנער Aqu. στολὴν Βαβυλωνικήν. 70. ψιλὴν ποικίλην, ſeu ψιλὸν ποικίλον.
(3) Strabo l. 16. &c. (4) Joſue 22. 2.
(5) Vide Toſtat. in Joſue, Abenezra, Levi, Ben Gerſon, Salian. A. M. 1509. & alios plures.
(6) Geneſ. 10. 8 9 *Nembrod cœpit eſſe potens in terra*. Hebr. גבור בארץ 70. γίγας ἐπὶ τῆς γῆς.
(7) Ovid. Faſtor. l. 5. Vide & Virgil. Æneid. 6. & Homer. Odyſſ.

quo ſimul molimine ulturos ſe dicebat Patrum ſuorum necem, quos Deus immiſſis diluvii aquis extinxiſſet.

Vanis hiſce ſeducti homines promptam manum turri conſtruendæ admoverunt. Cœptum impigrè opus, namque imbecillioris eſſe animi rebantur, ſi divinis juſſionibus morigeros ſe præberent; & cùm rei proſecutioni nec deeſſent opifices, nec cæmentaria ſtrues deſideraretur, proficiebat in dies ædificium; quod tamen, ne citiùs etiam inſurgeret, faciebat mœnium ſoliditas & craſſitudo, ut, qua proportione turris illa in latum extenderetur, eò minùs in altum videretur creſcere. Audaciam & obſtinationem intuitus Deus, nec tamen perimere omnes ſuſtinens, diviſionem & linguarum confuſionem inter eos immiſit; ut B cùm alter alterum loquentem auſcultare non poſſet, coacti tandem & deſtiterunt ab opere, & in varias orbis regiones diſperſi ſunt. Hæc Joſephus, laudans pariter Sybillæ oraculum ferens, homines unius olim idiomatis communione junctos, celſiſſimæ turris conſtructionem ſuſcepiſſe, quo ſcilicet veluti ſcabello Cœlum attingerent; ſed Deos excuſſa in turrim ventorum & imbrium procella cœptum opus dejeciſſe (1).

Authoritas quidem Joſephi, cum à Scriptura recedit, nullius eſt momenti; nec majoris ſuppoſititia Sybillæ oracula; ſed ejus teſtimonio apertè ſatis demonſtratur, de conſilio illo mortalium, ædificandæ ſcilicet Babelicæ turris, nihil præclarè ſenſiſſe Judæos. Idem Sybillæ oraculum laudat Euſebius Præpar. l. 9. c. 14. 15. 16 cui majoris quidem ponderis aliam addit authoritatem Abydeni, & Eupolemi, mentionem de turri illa inducentium, quam conſtructam dicebant à Gigantibus, perduellionis adverſùs Deos conſilium agitantibus. Ita ergo Abydenus. *Sunt qui primos homines è terra natos, cum viribus & corporis mole conſiderent, potentiamque ſuperis ipſis majorem affectarent, immenſæ altitudinis turrim, ubi nunc ſita Babylon eſt, molitos eſſe dicant; quæ cum jam propiùs abeſſet à Cælo, ventos ipſos, navata Diis opera, vaſtam & immanem eorum in capita ſubſtructionem effudiſſe, cujus ex collapſæ ruderibus ea, quam Babylonem vocant, extiterit.*

Eupolemus narrat, urbem Babylonia, & turrim hanc per totum latè orbem celebratiſſimam authores habuiſſe Gigantes è diluvio reliquos; everſorem autem Deum; Gigantes verò illos per totam latè orbis faciem diſperſos. Artapanus apud Polybiſtorem, ſive ipſe Polyhiſtor apud Euſeb. l. 9. c. 18. aſſerit legi in quibuſdam ignotorum Authorum Libris, Abrahamum in terram Gigantum veniſſe; audaces verò homines illos perdidiſſe Deos ſceleribus illorum provocatos: unum tamen manſiſſe Belum, qui Babylone conſidens ædem ſibi elegiſſet in turri à ſe conſtructa, & ejus deinde nomine appellata. Addit, Abrahamum poſt hæc in Phœniciam & Ægyptum veniſſe.

Nec meliora ſentiunt de conſtructoribus Babelicæ turris inter Patres plerique. Impium illud conſilium à viris ſceleſtiſſimis & Deo perduellibus initum fuiſſe, certum ubique conſtituit Philo in ſua Lucubratione de confuſione linguarum. Verba illa: *Ædificemus turrim, cujus culmen pertingat ad Cælum*, ad literam interpretatus videtur S. Auguſtinus Lib 1. quæſt. in Geneſ. quæſ. 21. *Si enim hoc fuit eorum conſilium*, ait ille, *ut è ſummo turris cacumine pertingerent ad Cælum, nimium ſtulta audacia, & impietas eorum deprehenditur*. Et quidem abſurda illos ſenſiſſe, divinæ

A ultionis documento intelligimus. Addit autem idem Auguſtinus de Civit. l. 16. c. 4. *Quid factura erat humana & vana præſumptio? cujuslibet enim, & quamtamlibet in Cælum adverſus Deum altitudinem molis extolleret, quando montes tranſcenderet univerſos, quando ſpatium nebuloſi aeris evaderet? Quid denique noceret Deo quantacumque vel ſpiritalis vel corporalis elatio?* Facilè autem credit alibi (2), Patriarcham Semum in audacibus illis conſiliis nunquam communicaſſe; nihil enim ad illum de impoſita cæteris pœna, confuſione nempe linguarum; purus namque Hebraicus ſermo (quem primævam linguam conſtituit) in ejus familia permanſit. Hæc Auguſtinus.

B Ejus verò Operis Authorem incentoremque ne dubitans quidem conſtituit Nembrodum (3), ut ex Scriptura intelligere ſibi viſus eſt, perhibente Gen. 10. 10. *Principium Regni ejus Babylon*. An verò una vel plures excitatæ fuerint turres, ambigere ſe profitetur; ſolemne eſt enim, ut ſingulare uſurpetur aliquando loco pluralis, ut cùm deſignando alicujus rei generi frequenti ſermone dicimus, miles, locuſta, rana &c. Recepta tamen vulgò opinio tenet, in unius tantummodo turris ædificationem juncta opera homines conſpiraſſe.

Author Libri Sapientiæ 10. 5 ædificium illud præ oculis habuiſſe viſus eſt, cùm ſcriberet: *In conſenſu nequitiæ cùm ſe nationes contuliſſent, hæc* C (Sapientia) *ſcivit Juſtum, & conſervavit ſine querela Deo*; ſed contextus ſermonis Abrahamum inſinuat, inter medios Idololatras illæſum à corruptione ſervatum. S. Joannes Chryſoſtomus homil. 30. in Geneſ. pluribus reprehendit conſilium primorum hominum, Babelicam turrim ædificantium, audaciæ illos, ſuperbiæ, & vanitatis accuſans. Scripturæ textus inſinuare videtur illum, quo homines tenebantur, metum, ne à Deo mutuò divellerentur; & quid ſibi cautionis evitando malo præſtiterint. *Faciamus*, reputabant illi inter ſe, *nobis Civitatem, & turrim, cujus culmen pertingat ad Cælum*. Et infra de Nemrod ait Scriptura: *Nemrod cœpit eſſe potens in terra*, (Gigas) *& erat robuſtus venator coram Domino*. Tertullianus adver. Praxeam c. 16. D pag. 509. *ſuperbiſſimam turrim* ædificium illud appellat, ratus deſcendiſſe Filium Dei, ut opus everteret, atque ædificantium idioma confunderet.

Eutychius Patriarcha Alexandrinus, qui Orientalium plures traditiones in ſuo Opere collegit, refert, Annal. tom. 1. pag. 51. 52. homines, cùm numero augerentur, in unum cœtum 72. virorum coiviſſe (4); mutuò autem ſeſe excitaſſe, ut urbem ſimul cum arce ædificarent, in qua pariter conſtruerent turrim, ad Cælum uſque eminentem, de qua inundantes iterum diluvii aquas inferiores reſpicerent. Triennium igitur ſolidum impenderunt compingendis excoquendiſque lateribus 13. cubitorum longitudinis, 10. latitudinis, E & 5. craſſitudinis. Quibus comparatis, Urbem conſtruxerunt in loco Tyrum inter & Babelem medio; 313. perticis porrectam, 151. latam. Mœnibus cingebatur 5533. perticis altitudinis, & 33. latitudinis: turris ad 10000. perticas ſurgebat, cui non minùs quàm 40. annorum ſpatium impenſum; nec tamen propterea opus abſolutum eſt; intercœpit enim ædificantes miſſus à Deo Angelus, à quo idioma illorum confuſum.

Paria fermè refert Glycas Annal. par. 2. p. 128. Cœpta eſt, ait, turris ædificatio anno 536. poſt diluvium;

(1) Idem l. 5. c. 5. pag. 13.
(2) De Civit. l. 6. c. 1.
(3) De Civit. l. 16. c. 4.
(4) Seu potiùs Principes familiarum convenerunt. Vide Epiphan. hæreſum l. 1. hæreſ. 59.

diluvium; operi verò 40. ſolidis annis inſudatum; meditabantur autem ab inundantibus iterum diluvii aquis tutum ſibi effugium parare. Præerant ædificantibus 72. ex optimatibus. Fruſtraneos tamen eorum conatus immiſſa idiomatum inter opifices confuſio reddidit. Anni 43. turri & urbi Babylonis conſtruendæ impenſi. Parietibus typhonis impetu disjectis everſiſque, oppreſſum Nemrodum author eſt Cedrenus Annal. p. 15. & idipſum de typhonis turbine muros dejiciente legimus apud Sybillam & Abydenum. Malunt alii, terræ concuſſione ædificium illud corruiſse: igne Cœlitus demiſſo ad fundamenta uſque arſiſse, ſcribit Benjamin Tudelenſis. Manſiſse longiori adhuc ætate alii defendunt: nihil ea de re apud Moyſem.

Hæc ſcribentes eò ſenſim delati ſumus, ut turrim illam Babelicam deſcriberemus. In ipſo limine expectabunt fortè Lectores, ut grande aliquod ædificium oculis exhibeatur; ex quo enim ad literam verba illa accipiantur, *Cujus culmen pertingat ad Cœlum*, nihil erit adeò magnificum, adeo verbis exaggeratum, quod verborum illorum granditas non ſuperet. Arcem Babylonis, quam ipſiſſimam credit turrim, poſt diluvium excitatam, 4000. paſſuum altitudinem æquaſſe, ex aliis acceptum refert S. Hieronymus (1). Ad paſſus 5174. aſſurgentem deſcribit Ado Chronic. ætate prima; tradens inſuper, paulatim in altum coarctari, quò faciliùs inferiora molis fundamenta imminens pondus ſuſtinerent. Addit etiam poſt S. Hieronymum, efferri pariter Templa marmorea, ſtatuas aureas, & plateas auro gemmiſque fulgentes, aliaque plura ſupra fidem, quibus Urbs Babylon diſtingueretur. Paria legas in Chronico Iſidori, cujus Textus habet 4000. paſſus, in ora autem annotatum eſt 5174. Quod addunt Authores illi de pretioſis ejus turris ornamentis, inſinuat planè Templum Beli, de quo plura Herodotus, & Diodorus Siculus; vel arcem in medio Babylonis, cujus Diodorus & Q. Curtius meminerint; ſed omnia augent in majus, hæc enim habet Herodotus l. 1. c. 181. 182.

Poſtquam enim idem Author pluribus Babylonis Urbem deſcripſiſſet, addit, in Urbe & in una ex ejus partibus (in duas enim interſecante Euphrate diſtinguitur,) duos ſpectari inſignis proceritatis muros, quorum alter Ædes Regias, alter Jovis Beli Templum claudunt. Poſtremum hoc ædificium, cujus ænei erant poſtes, Herodoti ætate adhuc ſpectabatur; impoſitum autem erat areæ quadratæ duorum ſtadiorum. Aſſurgebat in medio ſpatii ejuſdem figuræ turris, cujus baſis ſtadium ſive 525. paſſus in longitudine, & totidem in latitudine (2), vel juxta alios Scriptores, in altitudine & latitudine dimetiebatur.

Surgebat ſupra turrim turris altera impoſita, quæ itidem tertiæ fundamentum erat; tertia quartæ, & ſic deinceps uſque ad octavam. Per gradus in extima molis ſuperficie extructos ad ſummum cacumen aſcendebatur, quamquam non perpetuo ſcalarum ordine; erant enim identidem lariora requieſcendi aſſidendique ſpatia.

Octavæ turri inſidebat ampliſſimum quoddam Templum, in quo nulla ſimulacra, ſed ſplendide ſtratus lectus, ante quem aurea menſa poſita. Noctu in Templo quieſcere nemini, ait Herodotus, permiſſum, niſi fœminæ inter cæteras ejus Urbis à Belo, uti quidem à Chaldæis ejus Fani Sacerdotibus credulis impoſitum eſt, ſelectæ; cum qua Deus noctu maritales congreſſus habere creditus. Idem ritus obtinebat Thebis in Ægypto, in cujus Fano Jovi Thebæo dicato fœmina claudebatur; quod pariter privilegium erat fœminæ Sacerdotium agentis Pataræ in Lycia.

In inferioribus ejuſdem Templi Belo dicati ædicula, ait Herodotus, ſpectatur, ubi coloſſalis Jovis figura throno aſſidens, habens ante ſe menſam poſitam; ex ſolido auro omnia, ſtatua, thronus, menſa, & menſæ baſes. Totum opus æſtimabant Chaldæi 800. auris talentis (3). Extra ædem aliud ejuſdem metalli nitet Altare, in quo lactentia tantùm animalia mactabantur: pro victimis provectioris ætatis majus aliud poſitum eſt. Aliquandiu ante Herodotum è ſolido auro alterum ſimulacrum conſecratum erat 10. cubitorum; quo excepto, reliqua omnia oculis ſuis luſtraſse idem Author teſtatur; atque ex fide Chaldæorum refert, Darium Hyſtaſpis ſurripere ſimulacrum illud tentaſse; ſed cum Principis illius molimen irritum cecidiſset, Xerxi ejus filio ceſſit feliciùs. Singula hæc fuſiùs referre malui, quòd ab Authore coævo & oculato teſte memoriæ prodita ſint; qui nempè Author abhinc pluſquam 2000. annis vivebat, Mundi ſcilicet anno 3520 & 484. ante Chriſtum.

Hoc Beli Templum à Semiramide conſtructum refert Diodorus Siculus l. 2. nihil ſe tamen de illo certi ſcribere proteſtatus, tum quòd Authores inter ſe non conſtent, cum etiam, quòd ſua ætate nihil de illo reſtaret; ſed ultrò fatetur, turrim hanc ad celſiſſimum erectam faſtigium conſcendiſse Chaldæos, ut ſyderum ortum & occaſum ſpecularentur.

Totum opus lateritium erat, & bitumine multo opere & artificio cæmentarum. Superiora Templi tenebant, à Semiramide dicata, tria ſimulacra, Jovis nempe, Junonis, & Rheæ. Jovis ſtatua hominem exhibebat gradientem, 40. pedibus procerum; pondere autem erat 1000. talentorum Babyloniorum; aſſidebat Rhea 1000. talentis ponderans, cujus ante pedes ſtabant duo leones, & totidem angues argentei 30. talentorum pondo. Juno tandem 800. talentis gravis ſtringebat dextra manu anguis caput, & ſceptrum gemmis internitens ſiniſtra. Ante tria illa Numina excurrebat ex ductili auro menſa 40. pedum longitudine, 17. latitudine, & 500. talentorum pondo. Hæc omnia ab Herodoto, immane quantum! diſcrepant.

Ætatis ſuæ teſtis Plinius aſserit l. 6. c. 26. *Durat adhuc ibi Jovis Beli Templum*: ſed illud ſenio corruiſse vetuſtior Plinio Diodorus Siculus teſtatur. Refert Joſephus contra Appion. l. 1. Alexandrum Magnum, cùm primùm Babylonem veniſset, reparandæ illius conſilio purgari aream militibus ſuis commiſiſse; ac parentibus omnibus, ſolos renuiſse Judæos, neque minis, neque injuriis territos. Cùm opus temporis longius ſpatium exigeret, conſilium exequi Princeps, morte præventus (4), eo ipſo anno quo opus inceperat (5), non valuit. Ita Templum Beli ſemel funditus everſum à Xerxe poſt infelicem ejus adversùs Græcos expeditionem (6), nunquam deinceps reſtitutum eſt. Hæc Strabo l. 16. & Arrianus de expedit. Alex. p. 159.

Sed

(1) Hieron. in Iſai. c. 14. l. 5. pag. 49. edit. Victorii. *Arx autem, i. e. Capitolium hujus Urbis, eſt turris a qua ædificata poſt diluvium, in altitudine quatuor millia dicitur tenere paſſuum, paulatim de alto in anguſtias coarctata, ut pondus imminens faciliùs à lateribus ſuſtentetur. Deſcribunt ibi Templa marmorea, aureas ſtatuas, plateas lapidibus auroque fulgentes, & multa alia, quæ penè videantur incredibilia.*

(2) Herodot. lib. 1. c. 181.

(3) Id eſt 1090000. libris ſingulis talenti in 2400. libras computatis.

(4) Strabo lib. 16. pag. 749. Arrian. l. 7. (5) A. M. 3681. ante J. C. 323.

(6) A. M. 3526. ante Chriſtum 476.

Sed contraria planè aſſerit Herodotus, oculatum ſe teſtem Templum illud ſive turrim Beli ſpectaſſe affirmans, Conſtat autem ſcripſiſſe illum poſt Xerxem, nonniſi ſex annis à fuſo ejus Principis exercitu anno 3526. Xerxes autem jam inde à 28. annis diem claudserat, cum Hiſtoricus idem in frequenti Græcorum concione Librum ſuum recitavit A. M. 3559. ante Chriſtum 445. Conſtituamus ergo oportet ejus Templi everſionem inter annum 3559. & 3681. quo ſcilicet ejus reparandi conſilium Alexander iniit.

Sed negocium facit, an turris vel Templum, de quo hic ſermo, ipſiſſimum ſit à Moyſe inſinuatum; non enim inter Scriptores ea de re convenit; affirmantibus enim aliis ædificium illud excitaſſe Nemrodum una cum Gigantibus è diluvio reliquis (1); contra excipiunt alii, opus vindicantes Belo (2) vel Semiramidi (3), vel Nabuchodonoſori (4). Conſtat planè, ſolemne fuiſſe Orientalibus, conditæ Urbis vel molis honorem ejus reparatori, vel qui ornandum illud augendumque ſuſcepiſſent, tribuere. Ita non rarò in Scriptura Princeps aliquis conditæ Urbis author perhibetur, quamquam ante illum ſtetiſſe Urbem illam conſtat; quòd ſcilicet vel munitionibus illam cinxerit, vel everſam reparaverit. Ita pariter Nabuchodonoſor florentem diu ante ſe Babylonem ædificaſſe gloriatur Daniel. 4. 27. *Nonne eſt hæc Babylon magna, quam ego ædificavi in domum Regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* Fieri ergo optimè potuit, ut Nemrod & poſteri Noe urbis & turris Babylonicæ fundamenta locarint, quæ poſtea ædificia Belus perfecerit, ornarit, & Belo ipſi dedicarit Semiramis; ac tandem, fulgentis jam Urbis nitorem auxerit Nabuchodonoſor.

Belus Aſſyrius, qui Babylone regnabat poſt Arabes, congruit ætate cum Samgar Judice Iſrael (5). Ninus ejus filius Imperium Aſſyrium fundavit anno 2737. cujus deinde pondus Semiramis ejus uxor poſt illum ſuſtinuit anno 2789. Quare Moyſes nec de operibus Beli, nec Semiramidis agere poterat. Qui verò Belum ipſiſſimum eſſe Nemrodum reputant, in anachroniſmum apertiſſimè incidunt, niſi alterum Belum invehant patre Nini multò vetuſtiorem.

Apud Prophanos Ninus Ninive Urbem condidit, quam tamen Nemrodi ætate jam floruiſſe (6) ſat conſtat. Reparavit ergo Urbem Ninus, auxit, munitionibus vallavit, ornavit; Nemrod verò ſive Aſſur primus illam condidit: ex quo aliud noſtræ conjecturæ accedit argumentum, Babylonem ſcilicet fundaſſe Noemi poſteros; ſed idiomatum confuſione turbatos, imperfectam reliquiſſe; quare ſupremæ manui cœpto operi imponendæ ſua ſinguli ætate ſtuduerunt, Belus, Semiramis, & Nabuchodonoſor; quibus authoribus id incrementi Urbi, ut ejus conditæ honorem ſibi ſinguli vindicarent.

Poſt Alexandrum Magnum nihil ſatis certi de turri Babylonica. Facilè ipſis obruta ruinis ſuis, oblivione ſepulta eſt; & cum Plinius ſua adhuc ætate ſupereſſe teſtatur, Herodoti textum habens præ oculis, verbum verbo reddebat. Stabat enim Herodoto in vivis agente; & poſt illum uſque ad Plinium magnæ rerum vices in Babylonia.

De Turris hujus celſitudine ſilet Herodotus l. 1. inferiorem tantummodo, nempè octavam in fundamento locatam, ſtadio in quadrum gyraſſe referens. Stadio aſſurgentem & porrectam in quaA drum, nempè paſſibus 125. Strabo teſtatur l. 16. init. pag. 738. Eſt enim, ait, quadrata pyramis lateritia; everſa eſt modò, dejiciente, uti quidem creditur, Xerxe. Reſtituere Opus tentavit Alexander; ſed cùm immenſi eſſet & laboris & temporis, non minùs enim quàm 1000. hominum bimeſtri ſpatio impenſi ſunt, ut è ruderibus aream purgarent; cum, inquam, tanti eſſet moliminis opus, nec Alexander, morte ſtatim præventus, valuit perficere, nec ex ejus ſucceſſoribus alter in ejus curæ partem venire ſuſtinuit. Hæc Strabo, qui turrim illam ſeu pyramidem Beli ſepulchrum appellat.

Rabbini in Libro *Jalcut* turrim Babelicam aſſurrexiſſe 27000. paſſibus comminiſcuntur: quam B etiam menſuram in Libro *PirKe* prorogant uſque ad 70000. quò nempe numerus reſpondeat 70. Angelis throno gloriæ adſiſtentibus, & 70. populis quot tunc in Orbe agebant, ac totidem linguis, in quas Babelica confuſio unicum antea ſermonem diſpeſcuit. Ejus ædificii fundamenta 2000. longitudinis paſſibus dimetitur Benjamin Tudelenſis; addens, turrim æquaſſe in latitudine 240. cubitos vel 360. pedes, in longitudine verò 100. perticas vel 600. pedes. Porrò ille nonniſi de everſæ illius molis ruderibus, qualia oculatus teſtis ſpectavit, egiſſe credendus eſt, cum diù antea proſtratam jacuiſſe conſtet.

Itinerantes cæteri, cum in eas regiones veniſſent, curas ſuas omnes impenderunt, ut de celeC bratiſſimo vetuſtatis monumento aliquid reſciſcerent; ſed cùm inter illos non ſatis conveniat, nihil eſt ut aliquid ex illis capiamus adjumenti. Circumjacentes populi certum locum veteris Babylonis ignorant; & alta illa, quæ regiones tenet, ignoratio, portentoſas adeò apud illos invexit fabellas, ut de eorum credulitate nihil nobis ſcientiæ adjungatur. Narrat Gujon ea relatione duorum virorum Abbevillenſium, qui mancipii jure ſervierunt *Præfecto Bagdat*, turrim Babelicam molem eſſe lateritiam (ſingulis lateribus ad brachii menſuram) rotundam, bitumine & argilla cæmenti loco cohærentem, altitudinis 50. perticarum, vel 300. pedum. Commodè ad ejus culmen evaditur non per gradus, ſed per viam in muri craſſitie paulatim aſcendentem, viam autem D adeò ſpatioſam, ut 20. ſimul gradientes homines capiat. Craſſus eſt murus ejus molis 100. paſſibus, & pro dato decem brachiorum ſpatio, patent januæ rotundæ, unde in interiora ædificii aditus; ſicut & diſpoſitæ ſunt ad tranſmittendam intùs lucem feneſtræ, pro dato quolibet 6. brachiorum ſpatio. Extimam ſuperficiem ornant inſculptæ figuræ capitum virorum, fœminarum, animalium, quadrupedum, piſcium, & avium. Hæc Author, perſiſtere adhuc Babelicam turrim intactam autumans.

D. de la Boulaye apud Daviti (7) refert, contuliſſe ſe, exploraturum reliquias turris Babelicæ, in locum tribus leucis à Babylone, in agro inter Euphratem & Tigrim medio. Spectaſſe autem E turrim intùs ſolidam (8), ſpeciem habentem montis potiùs quàm ædificii. Baſis ejus, ait, gyrat facilè 300. paſſibus circiter, quanquam & aggeſta circum rudera aream occupant 40. ſeu 50. paſſuum circiter.

Ita verò ædificium illud conſtruitur. Sex lateritii ordines primùm ſpectantur, poſtea ſeptem, & ſic deinceps alterno ordine uſque ad ſummum. Inter ſextum & ſeptimum ordinem è palea recenti adhuc

(1) Vide Sybillam apud Joſeph. Antiquit. l. 1. & Euſeb. Præpar. l. 9. Eupolem. & Abydenum apud eundem ibidem. (2) Q. Curt. l. 5. Abyden. ex Megaſthen. apud Euſeb. Præparat. l. 9. c. 41.
(3) Ita Cteſias, & ex illo Diodorus, Strab. Trogus, alii plures.
(4) Vide ſi placet Dan. 9. 27. Joſeph. Antiquit. l. 10. c. 11.
(5) A. M. 2[illegible] ante Chriſtum 1311. (6) Gen. 10. 11.
(7) Davit, pag. 316. 317. (8) An fortè pariter inſinuat Herodotus agens de turri Babylonica Templi loco Belo dicata, illis verbis: *Turris ſolida ædificata eſt?*

ri adhuc veluti lectus inſternitur, tribus digitis craſſus. Lateres ſinguli pedem Regium habent in quadro, 6. digitis craſſi; cæmentum quo inter ſe cohærent, digito circiter craſſum eſt; mixtura eſt autem è terra & bitumine, quali hodie uſque pro cæmento ejus loci incolæ utuntur; ſcatet enim perenni fonte in lacu proximo bitumen. Numeraſſe ſe dicit Author 50. ordines 6. laterum, quibus alii 7. ſuccederent, ut proinde totius molis altitudo ad 138. regios pedes aſſurgeret. Patet in cacumine amplior quædam feneſtra; in baſi verò antrum eſt, continendis leonibus aptum; & circa medium hiatus interiora penetrans ædificii adusque latus adverſum, pede in quadro non major.

Alia planè ſunt hæc ab iis, quæ huc uſque diſſeruimus. An D. Boulaye cohæreat cum aliis Itinerantibus, ignoro. Spectantur, inquiunt illi, in loco tribus leucis à Bagdat inter Euphratem & Tigrim medio, in vaſta quadam planitie magnæ cujuſdam turris rudera, vulgari regionis nomine & traditione creditæ turris Nemrodi. Gyrant rudera illa 300. paſſibus circiter, ſurgunt autem majoris olim ædificii veſtigia circiter 20. perticis ſeu 120. pedibus. Lateribus ſole excoctis decem digitorum regiorum in quadro, & trium craſſitudinis conſtat opus; ſex lateritii ordines alteri contritarum arundinum & paleæ admixtarum ordini incumbunt. De forma hujus ædificii, vetuſtate undique collapſi, nihil certi. Quadratum tamen potiùs quàm rotundum crederetur. An verò rudera illa Babelicæ turris habenda ſint, nec ipſa ejus regionis traditione ſatis conſtat. Arabes enim ejus loci molem hanc appellant *Agarconf*, opus tribuentes Arabum cuidam Principi, qui cogendis in prælium ſuis accenſa in ejus cacumine face ſignum dabat.

Petrus della Valle clari nominis Itinerator, eadem, qua cæteri, ſollicitudine rudera ejus turris ſpectaturus venit; ſed in deſcriptione non ſatis cum aliis convenit. Refert ille, in loco, leucæ quadrante ab Euphrate Orientem versùs, ſpectari rudera quadrati fermè & magni operi ædificii, 1150. paſſuum circiter ambitu. Superiora, fere ubique in conum, veluti pyramides deſinunt. Conſtat opus lateribus ſole excoctis, quibus conjungendis pro cæmento eſt mixtura quædam è terra & arundinibus quibuſdam contritis, quibus colligantibus ex una veluti maſſa totum opus concretum eſt. Quo firmior exigebatur ædificii compages, lateres igne excocti ac bitumine colligati ſubſtituti ſunt.

Porrò vir iſte, de quo modò, delineari ſibi curavit duas ejus ædificii minùs deformatas facies, Septentrionalem nempe & meridionalem, quæ, cùm Romam veniſſet, obtulit P. Kirchero, qui ære incidendas curavit. Qui perſuaſum habent ipſiſſimam hanc eſſe veterem Babelicam turrim, 1. laudant pro ſe receptam incolarum traditionem, locum illum Babelem appellantium; 2. Ejus ædificii materiam, lateres nempe bitumine colligatos, quæ cum relatione turris Babelicæ apud Moyſem quadrant; 3. Quadrat & locus turris in agro Sennaar ad Tigrim.

Sed facilè hæc omnia diluas. Recepta in populo traditio, nec conſtans eſt ſatis, nec uniformis. Aliæ ſpectantur in regione turres, quibus eadem appellatio communis. Ad rationem ædificandi quod attinet, nihil in illa peculiare; lateres enim & bitumen pro cæmentaria omni materia hodie pariter obtinet in illis regionibus. Gratis autem certus ille locus pro agro Sennaar & loco turris aſſignatur. Si quis ſcientia valeret adeo, ut locum illum turris ad duas leucas præter propter aſſignaret, illi certè cauſa adjudicanda eſſet, atque omni ambigendi remota cauſà, an turris illa intacta, vel ruderibus ſuis ſpectanda adhuc ſubſiſteret, certò definiretur.

Sunt qui turris illius rudera juxta Baldach ad Euphratem aſſignent (1). Monſtrant Regionis incolæ ingentem ruderum & lapidum ſtruem, veteris ædificii reliquias, quas propiùs accedere vetat metus anguium, magno numero in latebris illis verſantium. Verùm ſi lapidum ſtrues ſupereſt, alterum ſanè eſt ædificium à turri Babelica, lateribus tantùm & bitumine fabricata.

Paulus Oroſius l. 2. c. 6. & poſt ipſum S. Gregorius Turon. l. 1. c. 6. Hiſtor. Francor. confudiſſe in unum videntur urbem & turrim Babylonicam, quaſi pro eodem uſurpantes duo illa Scripturæ verba: *Civitatem, & turrim*; nempe, ut ipſi quidem inſinuant, Urbem turribus munitam; ſaltem expreſsè ſatis Authores illi Babylonem conditori Nemrodo aſſignant. Sed Paulus Oroſius notat, reparatam illam fuiſſe à Nino vel Semiramide, quibus Authoribus debentur inſignia illa ædificia ab Hiſtoricis celebrata. Reliquias ejus turris ætate ſua adhuc manſiſſe affirmat Theodoretus in Gen. quæſ. 59. aſſerens pariter, illos, qui oculis rem totam exploraverant, atque fruſtula ejus ædificii avulſa ſecum tulerant, optimè noſſe ædificium illud lateritium fuiſſe, bitumine pro cæmento colligatum. Nec plura Theodoretus.

Ex his omnibus ſtatuendum cenſemus, hiſtoriæ apud Moyſem relatæ veritatem aſſertam eſſe maximè, nihilque alicujus ponderis adversùs illam objicere potuiſſe ſive Julianum, vel Celſum, cæteroſque noſtræ Religionis adverſarios. Fabellam autem Gigantum, depellere è Cælo Jovem nitentium, à Moyſe derivari. Neque enim Moyſes, utpote Poetis omnibus vetuſtior, accipere quidquam ab illis potuit. Celſitudinem verò turris nullo doceri ſatis aſſerto monumento. Dejectam ſive ventorum procella, ſeu ignis è Cælo dilapſi vi nunquam conſtat; quin potiùs non inveroſimiliter credimus, manſiſſe adhuc poſt hominum diſperſionem. Belus, Semiramis, Nabuchodonoſor augendæ conditæ jam Urbi ornandæque pro ſua quique ætate laborarunt. Non Xerſes quidem molem illam dejecit; ſed ſponte corruit eo temporis intervallo, quod poſt Herodotum uſque ad Alexandrum Magnum defluxit. Alexander ille reſtituendæ conſilium inivit; ſed ſummam operi manum non valuit imponere. Quæ ab Itinerantibus relatæ ſunt, veras quidem habemus vetuſtiſſimorum ædificiorum reliquias; ſed ipſiſſimam hanc eſſe turrim Babelicam, hæremus ambigui.

(1) Kornman in Templo naturæ pag. 289.

DISSERTATIO
DE MATERIA ET FORMA
VETERUM LIBRORUM,
AC VARIA SCRIBENDI RATIONE.

VEtuſtiſſima omnium ſcribendi ratio, quantùm ſcimus, imaginibus quibuſdam vel literis, in lapide lignove inſculptis, conſtabat; cujus generis ſcripturam vetuſtiſſima Ægyptiorum & Chaldæorum monumenta exhibent. Hunc ſcribendi morem antè diluvium obtinuiſſe Joſephus Antiq. l. 1. c. 3. teſtatur, cum filios Seth contra duplex diluvium, per aquam primum, deinde per ignem, quòd Mundo imminere norant, geminas columnas, lapideam alteram, ut aquarum injuriis reſiſteret, alteram fictilem, ne igne corrumperetur, obſervationibus aſtronomicis, à ſe primùm factis, inſcripſiſſe narret. Has columnas vidiſſe ſe idem Hiſtoricus ſibi perſuaſerat. Noſtras in hunc Joſephi locum conjecturas dedimus in Commentario ad cap. 6. Geneſ. verſ. 13. Veterum columnarum in Inſula Cretæ extantium, in quibus inſculptis characteribus ritus Sacrificiales Corybantium exhibentur, Porphyrius de abſtin. l. 2. meminit. Euhemerus (1), Sanchoniato (2), Herodotus, Diodorus Siculus, aliique, eaſdem veteres inſcriptiones, hiſtorias ſuas adornaturi, conſuluerant. Characterum vulgarium & communium inventionem Phœnicibus authoribus Lucanus lib. 3. deputat; cum antea, ait, Ægyptiorum hieroglyphica lapidibus inſculpta obtinuiſſent:

Phœnices primi, fama ſi creditur, auſi
Manſuram rudibus vocem ſignare figuris;
Nondum flumineas Memphis contexere Biblos
Noverat: & ſaxis tantùm volucreſque, feraque,
Sculptaque ſervabant magicas animalia linguas.

Hæc ſcribendi ratio per inſculptas animalium figuras ſub ſecundo Rege Memphis primò excogitata fertur (3). Porrò primus Rex Menes idem ac Cham filius Noe creditur: ſecundus, Thoth; apud Græcos primus Mercurius dictus eſt. Alter Thoth, ſive ſecundus Mercurius quæ hieroglyphicæ ſcripturæ à primo Thoth de medicina commiſſa invenit, ea vulgaribus characteribus tradidit. Undenam verò vulgares literas acceperit ſecundus Mercurius, nullibi apud Hiſtoricos legimus; nec alter ſanè in Ægypto ante illum uſus hiſce characteribus occurrit, niſi fortaſse Moyſes, qui ſæculo ante hunc ſecundum Mercurium præcedenti, juxta Marshamum, florebat (4): facile autem nonnullis ante utrumque virum ſæcolis, Phœnices eum ſcribendi morem invexerant; neque enim Moyſis ætate primò obtinuiſse videtur. Noſtra etiam ætate tranſlatæ ex Ægypto ſtatuæ & columnæ perpetuis inſcriptæ hiero-

A glyphicis ſuperſunt; atque ea ſcribendi ratio, etiam poſt inventas literas in ſacris & publicis monumentis diutiùs perſeveravit. Antiquitati etiam notæ ſunt ſcripturæ in tabulis æneis & plumbeis exaratæ, cujuſmodi in tabuli Heſiodi carmina primò ſcripta, eaſdemque theſauri loco in Templo Muſarum in Bœotia ſervatas narrant (5). Earum maximè uſus in ſcribendis fœderum, pactorum, atque legum conditionibus fuit; quemadmodum non rara exempla, ſicut & in
B Scriptura monumenta Romanorum, Lacedæmonum, & Judæorum exhibita demonſtrant.

Obſervationes aſtronomicæ Chaldæorum 720. annorum tabulis lateritiis mandatæ erant, juxta Epigenem: *Epigenes apud Babylonios 720. annorum obſervationes ſyderum coctilibus laterculis inſcriptas docet, gravis Author inprimis* (6). Leges à Solone in tabulis ligneis, authore Plutarcho, Aulo Gellio, & Diogene Laertio, datæ ſunt (7); hinc, Svida teſte, *Axones* illas appellari contigit. Supererant etiam Plutarchi ætate earum Legum fragmenta (8); quanquam nonnullas in la-
C pidibus exaratas, extantibus adhuc ſua ætate reliquiis, Harpocration narrat. Quæ igitur generales Leges erant, ſive de Sacrificiis decernebant, illæ lapideis tabulis inſculpebantur; quæ verò particulares, ligneis commiſſæ. Lapideæ tabulæ triangulares, κύρβεις appellabantur; ligneæ, quadrangulares Ἄξονες, vel ἄξονες. Scripturæ genus in illis idem ſervatum eſt, quod Βουστροφηδὸν Græci appellant, nempe verſibus à læva in dextram, & viciſſim alternatim ductis ad inſtar ſulcorum, quos boves arantes in agro imprimunt. Leges duodecim tabularum apud Romanos roboreis pa-
D riter tabulis commiſſas fuiſſe Scaliger autumavit; quamquam *eboreas* textus Pomponii J. C. præſeferat (9).

Tabellæ, ſive pugillares apud ipſum Homerum commemorantur: *Pugillarium uſum fuiſſe etiam ante Trojana tempora invenimus apud Homerum* (10). Porrò pugillaria, in quibus acta Judiciorum ſcribebantur, Ζέλιδες, Ariſtophanes appellat in Veſpis pag. 490. Longobardi, cum primùm in Italiam veniſſent, in pugillaribus tenuiſſimis, & teretibus ſcribebant, quorum aliqua vidiſſe ſe ca-
E tum gentium characteribus exarata Pancirolus teſtatur. Solebant autem pugillaria cera liniri, atque ferreis ſtilis, ſive æreis, aut oſſeis literæ in eadem cera inſculpi; ſtili verò altera para acuta ad literas exarandas, altera teres ad lituras inducendas; nec deſunt, quorum caput ad inſtar cóclearis rotundi exhibeatur, cui inſiſtentes digiti teretem inſtrumenti partem ſupra ceram compri-

(1) Lactan. Inſtit. l. 1. (2) Theodoret. Ser. 1. ad Græc.
(3) Marsham. ſæc. 1. ex Syncello.
(4) Moyſes vivebat Sæc. 9. Thoth ſecundus 10.
(5) Utilitè des Voyag. de M. Baudelot de d'Arival.
(6) Plin. l. 7. c. 5. 6. (7) Plutarc. & Diogen. in Solon. Gell. in lib. 2. c. 12.
(8) Vide Menagii Not. in Solon. Diog. Laert.
(9) De orig. Juris l. 1. (10) Plin. l. 13. c. 11.

Digitized by Google

comprimebant: *Stilus ferreus alia parte, qua ſcribamus, alia, qua deleamus, affabre factus eſt* (1). Et Horatius lib. 1. Sat. 10.

Sæpe ſtilum vertas, iterum, quæ digna legi ſint,
Scripturus.

Prudentius etiam *Hymn. 9. de S. Caſſian.*

Inde alii ſtimulos, & acumina ferrea vibrant;
Qua parte aratis cera ſulcis ſcribitur,
Et qua ſecti apices abolentur, & æquoris hirti,
Rurſus nitefcens invenitur area.

Ex his tabulis faſciculus ſimul compactus librum conſtituebat, dictum etiam *Codicem*, vel *Caudicem*, nempe fuſtum; quod ſcilicet refert fuſtum ligneum in tabulas diſſectum: *Antiqui plures tabulas conjunctas, codices dicebant*, inquit Varro l. 3. de vita pop. Rom. & Seneca de brevit. vit. c. 21. *Plurium tabularum contextus, Caudex apud Antiquos dicebatur.* Hiſce tabulis inſcriptæ Epiſtolæ inter amicos miſſitabantur; linea tamen tela involutæ, atque terra quadam vel cera Aſiatica obſignatæ (2). Erant etiam buxeæ, & eburneæ tabellæ, ſed non in uſus familiares. Nec deſuerunt tabellæ, ſed rariores, etiam poſtquam chartæ, & membranæ uſus invaluit.

Poſt tabellas palmea folia ſucceſſerunt, ac deinde tenuiores & læviores arborum cortices: *In palmarum foliis primo ſcriptitatum*, ait Plinius Lib. 13. c. 11. *deinde quarundam arborum libris.* Et Virgilius ita Sybillam deſcribit:

Inſanam vatem aſpicies, quæ rupe ſub ima
Fata canit, foliiſque notas, & carmina mandat;
Quæcumque in foliis deſcripſit nomina Virgo,
Digerit in numerum.

S. Iſidorus carmina quædam Cinnæ in foliis deſcripta laudat.

Levis in aridulo malvæ deſcripta libello,
Pruſiaca vexi munera navicula.

Cum verò ea ſcribendi ratio uſui incommoda deprehenderetur, intimus quarundam arborum cortex familiariùs obtinuit, veluti fraxini, ulmi, tiliæ, aceris, fagi, populi, ulmi &c. Inde verò Libri nomen inditum: *Liber dicitur interior corticis pars, quæ ligno cohæret* (3). Cum autem cortices illi, ut faciliùs transferrentur, in volumen complicari ſolerent; inde voluminis nomen (4), quod etiam ad volumina chartacea & membranacea poſtea translatum eſt.

Papyrus genus erat calami, ad Nili ripas creſcentis, cujus fuſtum pluribus conſtabat foliis, ſimul compactis, quæ acu quodam ſeparatæ ſupra tabulas aqua aſperſas ad latitudinem folii extendebantur (5). Ita extenſum folium ſutili quodam glutine, vel lutulenta Nili aqua tepefacta, & præparata liniebatur; ac deinde altero ſuperinducto folio, ſolis ardori exſiccandum totum opus exponebatur. Intima papyri folia delicatiſſima erant, ex quibus *Auguſta papyrus* conſtabat; quæ illis adjungebantur, *papyrum Juliam*, minoris illam pretii, reddebant. *Papyrus Claudia* tertii erat generis, inter *papyrum Auguſtam* & *Juliam* media, quæ Imperatorem Claudium authorem habuit.

Ex his foliis pluta ſimul convoluta, quem Latini *Scapum* appellant, componebant. *Scapus* 20. folia ætate Plinii continebat, deinde decem. Ad opera in ævum duratura, folia illa uno tantùm latere ſcripta, in extrema ora ſimul glutine conjungebantur, ut volumen pro longitudine Operis extenderetur: ephemeridibus verò, aliiſque domeſticis uſibus digerendis, utrumque latus ſcripturæ ſerviebat. Ejus papyri uſus ante ipſam Alexandri ætatem invaluiſſe, quidquid Plinius refragetur, Guillandinus demonſtrat; quamquam nonniſi poſt ejus Regis tempora evulgaretur. Servabantur in Bibliothecis volumina baculo circumvoluta, cujus bacilli utraque extremitas pretioſi ligni, ſive eboris ornamentis diſtinguitur. Porrò baculus ille extremæ libri oræ adhærebat, ex quo illud: *ad umbiculum perducere*. Repoſitis verò in armariis Libris, una bacilli extremitas, cui operis titulus inſcriptus eſſet, prodibat. Papyri Ægyptiæ uſus uſque ad decimum ſæculum, rarus tamen, in Europa manſit (6).

Cum Ptolemæus Philadelphus Rex Ægypti inſtructiſſimam Bibliothecam comparaſſet, ejus exemplum Reges Pergami imitari ſtatuerant; ſed Reges Ægypti rem ferentes iniquiùs, lato edicto, ne papyrus extra Regnum efferretur, caverunt. Quare inita ratione Pergamæi, chartæ cujuſdam genus excogitarunt, quod ex Urbe Pergami, *Pergamenum*, ſive ex corio membra animalium contegente *Membrana* appellatum eſt.

Ex his chartis duplex Librorum genus conficiebatur; alterum, quod ex pluribus ſimul conjunctis in longum foliis pro Operis longitudine diſtendebatur; alterum, quod ex pluribus conſtabat, ſimul conſertis, & compactis foliis, quemadmodum & noſtra ætate in Libris ſolemus. Volumina, quæ nempe in volumen convolvebantur, cum ex uno tantùm latere characteres exhiberent, ideò majoris erant molis, quam cæteri ex pluribus conſertis foliis Libri, utroque latere ſcripti. Univerſum Livii Opus in parvum quoddam volumen redactum, Martialis commemorat, quod ſi ad volumina redigeretur, integram Bibliothecam occupaſſet.

Pellibus exiguis arctatur Livius ingens,
Quem mea vix totum Bibliotheca capit.

Latus illud voluminis, quod unicè inſcribebatur, altero intacto, pagina dictum eſt; quod autem utrumque latus ſcripturæ præbebat, tabellæ, ſive tabulæ.

Chartæ, qualis nunc obtinet, ex lineis detritis fruſtulis, in pultis liquorem jugi contuſione, aqua aſſuſa, reſolutis, origo adhuc uſque ignoratur. Ante 500. annos invaluiſſe (7) ex teſtimonio Petri Venerabilis, ubi de *caſuris veterum pannorum* inſtructa cartha memoratur, intelligimus (8). Scripturæ lino commiſſæ apud Veteres innotuerunt (9); quin & fruſtula quædam veteris Ægyptiacæ ſcripturæ in charta noſtrati ſimili adhuc exhibentur. Parthi ætate Plinii (10), licèt papyracea planta in ripis Euphratis jam innotuiſſet, veterem tamen morem in veſtibus ſuis ſcribendi retinere maluerunt. Eodem etiam Plinio teſte, ante inventam papyrum publica monumenta in tabulis plumbeis, privata verò in linteis exarari conſueverant. *Lintei libri*, in quibus Magiſtratuum Romanorum ſcripta nomina, & Reipublicæ Commentarii digeſti, atque in Templo Deæ *Monetæ* ſub Reipublicæ crepundiis aſſervati à Livio memorantur Decad. 1. l. 4. & 10. Hi planè libri in uſus ſacros tunc temporis familiares erant.

Poſt evulgatos Scaligeri, Bocharti, Voſſii, aliorumque plurium Commentarios, nemo ferè amplius dubitat, quin primi, quibus Moyſes uſus

(1) Aug. de vera Relig. c. 20.
(2) Plautus in Bacchid ..... *Affer citò*. Piſt. *Quid?* Chryſ. *Stilum, ceram, tabellas, & linum.*
(3) Servius. (4) Valla Elegant. l. 6. (5) Salmaſ. not. in Vopiſc.
(6) Mabillon. de re Diplom. l. 1. c. 8. pag. 35.
(7) Vide Mabill. de re Diplom. lib. 1. cap. 8. pag. 38.
(8) Contra Judæ. in Biblior. Cluniac. pag. 1070.
(9) Vide Liv. Dec. 1. l. 4. & Vopiſc. in Aurelian. (10) Plin. l. 13. c. 11.

uſus eſt, characteres, Phœnicii fuerint; de illorum tamen origine inter Eruditos non ſatis convenit. Sunt qui illorum inventionem Chaldæis, vel Aſſyriis tribuentes, eorum tamen decus credant ſibi uſurpaſſe Phœnices, in quos quemadmodum & in alias gentes, uſus invaluit, primos ſe earum literarum authores jactitantes. Alii viciſſim in Aſſyrios ipſos & Chaldæos, derivatas à Phœnicibus literas, malunt. Ex hoc ſententiarum diſſidio, quam modò diſcutiendam ſuſcepimus, controverſia emergit; de origine ſcilicet characterum, quibus Moyſes uſus eſt.

Arbitrantur quidem nonnulli, Abrahamum acceptas in Syria literas poſteris Chananæis tradidiſſe; ſed alii Patriarchas ipſos, quas ſemel didicerant in Chanaanitide literas, in Ægypto una cum Chananæorum lingua ſervaſſe, atque in uſus familiares uſurpaſſe contendunt. Verùm abſque eo quod huic implexæ quæſtioni de literarum origine implicemur, ea nobis impræſentiarum ſtatuenda ſunt; nimirum eos, quibus Moyſes uſus eſt, characteres, ipſiſſimas eſſe Ægyptiorum literas, eaſque cum Phœniciis characteribus prorſus confundendas. In hac autem poſtrema hujus noſtræ aſſertionis parte, totam diſputationis vim conſtitui oportere ſatis intelligimus; Moyſem enim earum gentium characteribus uſum eſſe facilè omninò crediderim, quibuſcum Hebræi longo jam commercio, atque ipſis etiam moribus quamplurimis communicaverant; ne quid dicam de Ægyptiorum literatura, qua Moyſes, Regia educatione à filia Regis Ægypti filii loco enutritus, imbutus eſt.

Ægyptiorum characteres ipſiſſimos eſſe cum Phœniciis ſive Cadmæis, à Cadmo in Bœotiam translatis, P. Kircherius operosè contendit; ſed ea profert opinionis ſuæ argumenta, quibus ſanè non omnibus æque Eruditis perſuaſit (1). Totus eſt Author in expendenda Cophticarum literarum, quas recentiores eſſe, & ex Græcis expreſſas defendit, cum Græcis ſimilitudine. Quidquid ſit; illud fateamur oportet, apud Ægyptios, præter Hieroglyphicos characteres, aliud in uſus vulgares ſcripturæ, & characterum genus obtinuiſſe: cujus licet formam neque Herodotus lib. 2. neque S. Clemens Alexandrinus Strom. l. 5. expreſſerint; ex eorum tamen ſilentio facilè colligimus, à ratione ſcribendi Gentium finitimarum, in quibus characteres Phœnicios obtinuiſſe non ineptè conjicimus, non abluſiſſe. Narrat Herodotus, Ægyptiorum ſcripturam è dextera in lævam ductam; eamque nodoſis quibuſdam & tortuoſis in modum rotæ implexis apicibus (quod cum Phœniciis characteribus quadrat) expreſſam Apulejus deſcribit (2). Ante invectas Phœnicum literas, ait Lucanus Pharſ. l. 3. apud Ægyptios nulla erat parandæ papyri ars; inſculpta in lapidibus animalia, & magicæ quædam figuræ unicè pro characteribus habebantur. Poetæ igitur ſententia Ægyptiorum veteres characteres cum Phœniciis confundit. Sub Ageſilao Rege in tumulo Alcmenæ Thebis in Bœotia, tabella quædam ænea inventa eſt, authore Plutarcho in libello de Dæm. Socrat. veteribus perpetuis characteribus inſcripta, ignotis illis, etiam poſt inſpectis pleniori luce atque à ſitu repurgatas figuras; literæ tantùm barbaræ Ægyptiis ſimillimæ deprehenſæ ſunt. Miſſa igitur in Ægyptum tabula rerum antiquarum peritiſſimus Chonuphis conſulturus, poſt excuſſa ſedulò veterum librorum Ægypti monumenta, reſpondit, veteres in ea tabula literas Ægyptiacas, quales ſub Rege Proteo obtinebant, expreſſas eſſe. Veteres ergo illi Cadmæi characteres, à veteribus Ægyptiorum literis non diſtinguebantur; nec proinde ab utriſque Phœniciæ litteræ abhorruiſſe debuerant, ſi verum ſit, uti nec ambigimus quidem, Cadmæas eaſdem fuiſſe ac Phœnicias literas. Voſſius pluribus, nec ſpernendis rationum monumentis firmat, ante Cadmi adventum characterum in Græcia uſum per Cecropem innotuiſſe. Porrò Cecrops Ægyptius genere, non alias detuliſſe in Græciam literas videtur, quam Ægyptias; ex quo illud conſequitur, Græcas veteres ab origine literas cum Ægyptiis confundi oportere. Apollodorus, aliique ex Veteribus (3) Cadmum ipſum ex Ægypto repetentes, Thebas Ægypti reliquiſſe tradunt, antequam ad Thebas Bœotiæ condendas ſe contuliſſet.

Fatemur quidem, Origenem (4) characteres Hebræos ab Ægyptiis & Phœnicibus diſtinxiſſe; ſed opinionem ille ſuam nullo rationum monumento fulcit, id tantùm demonſtraſſe contentus, Hebræorum vernaculam linguam aliam eſſe ab Ægyptia; quin & in ea fuiſſe ſententia videtur, poſt longam in Ægypto deſuetudinem, tandem Hebræos in egreſſu ab Ægypto veteris linguæ uſum Divino prodigio recepiſſe; quam in rem Prophetam quemdam Hebræum, ſuppreſſo tamen nomine, ignotumque laudat. Sed una Origenis authoritas minus ſanè, quàm tot rationum monumenta, valet.

Nunc de materia & forma veterum librorum apud Hebræos agendum. Quanquam de libris frequens ſit apud Moyſem ſermo, nullum tamen deſcribit, præter duas illas tabulas, in quibus Dei opera Decalogus exaratus eſt; quas ille læves & utroque latere inſcriptas exhibet. Quorſum autem duo hæc ſedulò idem Moyſes adnotaſſet; niſi ut planè intelligeremus, eas tabulas à cæteris libris in eo diſcrepare, qui ſcilicet ligneis tantùm tabulis, & uno tantùm latere inſcriptis conſtabant?

Porrò quæ in tabellis ligneis & lapideis ſcribendi obtinebat conſuetudo, omnium vetuſtiſſimam fuiſſe novimus; nec ſanè quoties de libris apud Moyſem agitur, aliquid occurrit, quod commodè de hiſce tabellis explicari non poſſit; nihilque viciſſim legimus, quod corticeorum, papyraceorum, atque membranaceorum voluminum ideam aliquam ingerat. Quare ut librorum nomine (5) apud Moyſem ex his tabellis compactos libros intelligamus, pronum eſt. *Voluminis* enim nomen in Vulgata Pentateuchi tantùm, ſed non in textu Hebræo, ne vel ſemel quidem, legitur. Extat tamen in textu Jeremiæ, Ezechielis, Eſaiæ, Pſ. 39. & in Zacharia. Neque Rabbinorum ſententiam moror voluminibus membranaceis, vel papyro Ægyptia uſum Moyſem autumantium; cum membranas, atque papyrum Ægyptiam Moyſis ætate longè poſteriores fuiſſe, neminem lateat.

Cum igitur apud Moyſem mentio inducitur de Libris Fœderis, Legis, Repudii, de Libro in quo deſcriptæ priùs maledictiones, deinde in aqua, ad explorandam fœminæ de adulterio ſuſpectæ cauſam, eradebantur; ſicut & cum de reponendo Libro Legis ad latus Arcæ agitur, nonniſi ad tabellas & aſſeres hæc omnia deputamus. Hinc Septuaginta Hebræum *Sepher* conſtanter vertunt *Axones*, quo ſanè nomine appellantur tabulæ, in quibus Leges, uti ſupra diximus, exarabantur. Hunc ipſum ſcribendi in ligneis tabellis morem exprimit Author libri Job: 19. 24. *Quis mihi det, ut exarentur (ſermones mei) in libro ſtilo ferreo, & plumbi lamina, vel celte ſculpantur in ſilice?* Hæc pro ſcriptura in ligno, plumbo, ſilice exarata, apertiſſima ſunt. Nec etiam ambagibus Salomonis verba implicantur, cum miſericordiam & veritatem in tabulis cordis ſculpendas admonuit Prov. 3. 3. Jeremias 17. 1. grandioribus verbis paria exprimens, Judæorum crimen in tabulis cordis eorum ſtilo ferreo & ungue adamantino exaratum pronuntiat. Quin & Deus minitatur, ſe, poſt everſam Jeroſolymam, inviſæ urbis memoriæ abolendæ ducturum, & reducturum *crebriùs ſtilum ſuper faciem ejus* 4. Reg. 21. 13. Minas à ſe in Judæos

(1) Vide apud Walton. Prolog. 2. n. 8.

(2) Metam. lib 11. ad fin. *De opertis adyti profert quoſdam libros literis ignorabilibus prænotatos, partim figuris hujuſcemodi animalium, concepti ſermonis compendioſa verba ſuggerentes; partim nodoſis & in modum rotæ tortuoſis, capreolatimque condenſis apicibus &c.*

(3) Euſ. Chron. l. 2. an. 562. (4) Cont. Celſ. l. 5.

(5) Sepher ספר

pronunciatas Iſaiæ ſcribendas Deus edicit: Iſa. 30. 8. *Super buxum, & in libro diligenter exara illud*. Ezechiel, acceptis ab Ephraimitis aliiſque Tribubus ſibi faventibus, ſicut & ex Juda tabellis, Librum compegit, quem, ſicut & ſingulas paginas, Librum ligneum appellat, Ezech 37. 19. Deus ad Abacuc 2. 2. *Scribe viſum, & explana ſuper tabulas, ut percurrat, qui legerit eum*. Scriptæ a Davide pro nece Uriæ Epiſtolæ, quemadmodum & Jezabelis, nomine Achabi, litteræ in Naboth datæ, *Sepher* in Scriptura nuncupantur (1), quæ quidem ipſiſſima eſt pugillarium Hebraica appellatio; ut argumento ſit, ſimilem viguiſſe ſcribendarum, atque obſignandarum epiſtolarum apud Hebræos morem, quem ſupra Græcis & Romanis tribuimus.

Principum edicta tabellis, non ſecùs ac epiſtolæ, commiſſa, Regio ſigillo obſignata ad Provincias traſmittebantur. *Ipſæ epiſtolæ, nomine Regis ſcriptæ, annulo ipſius obſignatæ erant, & miſſæ per veredarios*, Eſth. 8. 10. In foro autem locilque publicis Urbium ſuſpenſa exponebantur: *Edictum Regis pependit in Suſan &c.* Ibid. verſ. 14. Publica inſtrumentorum forma, qualis in rebus vendendis ſervabatur, in hiſtoria empti à Jeremia (2) agri Hananeelis exhibetur; ipſe ſcilicet Propheta pacta conventa in tabella digeſſit, atque adhibitis teſtibus, inſtrumentum ſigillo munivit; dein pecunia ad libram perſoluta eſt: *Scripſi in libro* (3), *& adhibui teſtes, & appendi argentum in ſtatera*. Teſtium nomina inſtrumento ſubjecta fuiſſe ex Hebræo (4), Septuaginta, & Arabico intelligimus: *In conſpectu teſtium, qui ſcripſerant*. Ex alia tamen Hebraici textus punctuatione, teſtium nomina ſolum à tabellione inſcripta erant inſtrumento, quam legendi rationem ſervant Chaldæus, Syriacus, & Vulgata: *Qui ſcripti erant in libro emptionis &c.* Quæ poſterior lectio præferenda videtur, obtinente hodie uſque in Oriente more (5), ut inſtrumenta non ſignentur qui ſcribunt, ſed proprio teſtiumque ſigillo obſignentur. Porrò ſcriptum illud originale rarumque ſigillo ita muniebatur, ut niſi vel diſrupto ſigillo, contractove lino aut filo, quo totum obvolvebatur, nunquam legi potuiſſet; eaque inita ratio eſt, ut omnis in ſcriptis & ſubſcriptionibus dolus malus præcaveretur.

Ut autem pro data occaſione conſuli inſtrumentum poſſet; alterum ex autographo tranſcriptum, abſque ſigillo & obvolucris in teſta repoſitum ſervatum eſt, ut non obſcurè in *verſ.* 14. exprimitur: *Sume libros iſtos*, ait ad Baruch Jeremias, *librum emptionis hunc ſignatum, & librum hunc qui apertus eſt*. Duo hic inſtrumenta memorantur; quorum alterum ab altero, ſigillo tantùm originali appoſito, diſtinguebatur; uti diſertè Syriacus: *accipe ſyngraphas iſtas; ſyngrapham hanc emptionis obſignatam, & ſyngrapham hanc minime obſignatam*. Inter Commentatores quidem de numero horum inſtrumentorum non ſatis convenit. Arabicus enim unicum tenet: *accipe librum emptionis, qui lectus fuit, & obſigna illum*; Ludovicus de Dieu in *verſ.* 11. tria diſtinguit; nempè: *librum emptionis* (6) ſigillo munitum; alterum, cui in Hebræo nomen ineſt *præceptum* (7), & tertium, quod *ſtatuta* appellatur (8). Verùm nos textui inhærentes, duos tantùm admittimus; cum potiſſimùm & tertium invehere nulla neceſſitate cogamur.

Quo autem Syngrapha illa originalis ſigillo munita eſt? Sunt qui annulo Jeremiæ credant; ſunt qui Tabellionis; ac tandem Grotius, & Prophetæ & teſtium ſigillo obſignatam aſſeruit; gratis omnes. Non defuerunt, qui ad noſtros mores veteres conſuetudines redigentes, appenſam inſtrumento obſignatoriam bullam, publicum ſigillum præſeferentem, autumaverint; vel ſaltem eo ſigilli genere clauſam, quo apud nos litteræ obſignatæ & breviculi ſolent, in quibus ſive arma, ſivè Regis ad pectus uſque expreſſa imago cernitur. Sed omnia hæc, præterquamquod recentiora ſunt, quàm cum veteribus quadrent, cum voce Hebræa *chatam* minimè congruunt; nihil enim ſonat niſi obſignare, obvolutum, ut in epiſtolis fieri ſolet, aliquid habere.

Geminæ etiam a Deo traditæ Moyſi tabulæ, divini cum populo fœderis jura continentes, hujus conſuetudinis, gemini ſcilicet conficiendi inſtrumenti, ut rerum fides in judiciis atque poſteritati conſtaret, argumento ſunt apertiſſimo. His tabulis recondendis Area quædam, quam nos Fœderis appellamus, fabricata fuit; eaque in Tabernaculo repoſita, ut ſcilicet commodè, quoties de infidelitate atque violati fœderis crimine populus arguendus eſſet, tabulæ illæ conſulerentur.

Moyſis Liber, in quo Gentis hiſtoria, legum & cæremoniarum canones continebantur, ejuſdem Legiſlatoris juſſu, ad latus ejuſdem Arcæ, quo facilius & conſuli, & tranſcribi potuiſſet, reconditus eſt (9). Regi enim peculiari lege injunctum à Moyſe eſt, ut ex Legis præceptis ſingula, quæ ad ipſum ſpectarent, ſolerti cura deſcripta apud ſe retineret (10). Cum verò Samuel Regem Iſraelitis conſtituit, ejus rei inſtrumentum unà cum juribus novæ illius politiæ, in Tabernaculo coram Domino depoſuit (11).

Quod in Jeremia legimus, de repoſita in vaſe fictili ſyngrapha, ipſiſſimum Græcis receptum moribus obſervamus. Ariſtophanis Scholiaſtes, ad v. *Echinos* (12) vaſi æreo ſive fictili commiſſa tradit inſtrumenta, eaque omnia ſcripta, quibus publica in judiciis fides conſtare debuiſſet. Porrò vaſa illa nec obvium erat ſingulis recludere, nec niſi capitali crimine conſtringebantur. Eſt etiam de eodem *Echino* apud Demoſthenem, & Ariſtotelem mentio. Ex eodem Ariſtophane factum ſcimus, ut impoſitis oſtreis & ſquammis ſigilla cuſtodirentur, metu ne fortè vel delerentur unquam, frangerentur, vel adulterarentur (13). In vaſe ſeu dolio fictili inventas legimus ab Origene Verſiones Græcas Scripturæ, quæ ſub quintæ & ſextæ nomine innoteſcunt.

Mos epiſtolas obſignandi, quemadmodum & edicta, atque tabellas, quibus Prophetæ viſiones ſuas committebant, tam notus eſt in Scriptura, quàm quid aliud. Iſaias 29. 11. 12. ad Judæos: *Erit vobis viſio omnium, ſicut verba libri ſignati, quem cum dederint ſcienti literas, dicent: lege iſtum; & reſpondebit, non poſſum; ſignatus eſt enim*. Deus ad eundem Prophetam (14): *liga teſtimonium* (nempe vel filo, vel lino obvolve tabellas, tuis oraculis inſcriptas). *& ſigna* (obſigna) *legem in diſcipulis meis*. Deus ad Danielem (15): *Claude ſermones, & ſigna librum uſque ad tempus*. Prophetarum ſanè oracula veluti epiſtolæ habebantur à Deo ad populum miſſæ, quas recludendi, Dei injuſſu, omnibus interdicta facultas (16): *Vade, Daniel, quia clauſi ſunt, ſignatique ſermones*. Nec ab his abludebat Liber ſeptem ſigillis obſignatus, quem ſibi in viſione occurriſſe S. Joannes in Apocalypſi teſtatur; ab utroque latere, extimo nempè & intimo, ſcriptus erat codex; ſed lineo panno obvolutus, ſeptemque obſignatus ſigillis lectores avertebat. Notat Plinius lib. 33. cap. 1.

belli

(1) 2. Reg. 11. 14. & 3. Reg. 21. 8. (2) Jerem. 32. 9. 10.
(3) בספר
(4) לעני העדים הכתבים בספר
(5) Chardin Voyage de Perſe l. 2. p. 90. & Gouvernement des Perſes p. 212.
(6) ספר המקנה
(7) המצוה ibid.
(8) החקים ibid.
(9) Deut. 31. 26. (10) Deut. 17. 18. (11) 1. Reg. 10. 25.
(12) In Veſpis pag. 553. (13) Ibid. pag. 471. (14) Iſa. 8. 16.
(15) Dan. 12. 4. (16) Ibid. verſ. 9.

belli Trojani ævo rara adhuc ferri ſigilla, quorum loco epiſtolæ variis nexibus obſtringebantur.

In moribus poſitum fuiſſe apud Romanos conſtat, ut (1) epiſtolæ tabellis cera oblitis committerentur; eaſque panno obvolutas ac ſigillo munitas, dein ad amicos tranſmittebant. Maluerim tamen, hanc ſcribendi rationem in pactionibus, teſtamentis, aliiſque publicis inſtrumentis non ſervatam aſſerere. Illa enim non rarò in tabellis digerebantur; quas deindè tabellas panno obvolutas obſignabant, metu ne fortè adulterari aliquid dolo malo, ſive litteras quacumque demum ratione immutari contingeret; quod ſanè non operosè fieri potuiſſet; nec, ſi ab aliquo præſtaretur, facilè dolus, niſi tantùm ex varia characterum forma (quam tamen vix animadvertas in ſcriptura à callido veteratore adulterata) deprehendi potuiſſet; cum alioquin ducto ſuper characteres ſtili calce, liturarum ne veſtigium quidem appareret. Cum tamen falſariorum calliditas has omnes artes fruſtraſſet, eò deventum eſt, ut ſub Nerone nova lege huic malo occurrendum cenſeretur: quare *adverſus falſarios tunc primùm repertum, ne tabulæ, niſi pertuſa, ac ter lino per foramina trajecto, obſignarentur* (2). Porrò ſi de præcavendis in ſigillo tantummodò fraudibus ea lege agebatur; fruſtra filum tertiò uſque per foramina tabellæ trajiciendum cavebatur; cum verò de ſarta tecta habenda ſcriptura res fuerit, conſultò cautum eſt, ut ducto reductoque filo pannus, quo tota obvolvebatur, ſtrictiùs ſcripturæ adjungeretur. Porrò in ſcriptura potiſſimùm corrumpenda, falſariorum omnes artes verſatas fuiſſe, ex eodem Svetonio intelligimus. De Tito enim hæc ſcribit (3): *Cum amanuenſibus ſuis per ludum jocumque certantem, imitari chirographa quæcumque vidiſſet; ac profiteri ſe maximum falſarium eſſe potuiſſe.* Cum verò in eum, quem diximus, modum inſtrumenta atque ſcripturæ panno obvoluta, atque ſigillo clauſa cuſtodirentur, nullus dubito quin ad omnem occaſionem ex originali apographa ſupererent. *Patrem natam* (hæc Apulejus in Apolog.) *ſibi filiam more cæterorum profeſſus eſt. Tabulæ ejus partim tabulario publico, partim domo aſſervantur: porrige Æmiliano tabulas iſtas, linum conſideret, ſigna quæ impreſſa ſunt, recognoſcat.* Iiſdem moribus Græci & Romani quoad teſtamenta potiſſimùm cenſebantur (4).

Volumina ex arborum cortice vetuſtiſſima conſuetudine obtinebant, quantùm ex libro Job colligimus 31. 35.: *Quis mihi tribuat, ut .... librum ſcribat ipſe, qui judicat, & in humero meo portem illum, & circumdem illum, quaſi coronam mihi?* Epiſtolę Sennacherib, per Rapſacem ad Ezechiam miſſæ, in hiſce voluminibus deſcriptæ videntur (5): *Tulit Ezechias libros de manu nuntiorum, & legit eos, & aſcendit ad domum Domini, & expandit eos coram Domino.*

De his voluminibus apertior eſt in Pſal. 39. 11. in Jeremia 36. in Ezechiele 2. 9., & Zacharia 6. 1. 2. ſermo. Pſalmiſta quidem ſcribit; *In capite libri* (Hebr. *in volumine libri*) *ſcriptum eſt de me*: ac ſi Deo adeò addictum ſe profiteretur, veluti ſi per ſcripturam ſolemni more ſe totum illi devoviſſet. Jeremias 36. in vinculis detentus, cùm populo verba facere prohiberetur, Baruch amanuenſi ſuo quædam dictavit, coram populo in atrio Templi legenda. Rex certior ea de re factus, accito ad ſe Baruch, tres vel quatuor paginis illius ſcripturæ, vel, ut habet textus, tribus vel quatuor portis ejuſdem voluminis coram ſe lectis, ſtatim in ignem injicii codicem imperavit. Juſſa Regius Scriba, cultro priùs dilacerato libello, executioni mandavit. Jeremiæ continuò præcepit Dominus, Librum ex integro reſcriberet. In ea hiſtoria referenda, perpetuò Scriptura utitur voce *Megillath* מגלה (volumen ſonat); & ea quæ de cultro Scribæ narrantur, receptum jam tunc morem, calamo & atramento ſcribendi, ſatis demonſtrant. Manet adhuc idem mos in (6) Oriente. Optimæ arundines circa Dauracum ad Sinum Perſicum menſe Martio leguntur. In faſciculos colligatæ in fimo per ſex menſes conduntur; ubi & obdureſcunt, & pellucida illa ſuperficie ex crocco atroque mixta imbuuntur. Ægyptias & Cnidias arundines, eaſque quæ in lacu Anaide in Aſia naſcuntur, omnium optimas habitas fuiſſe Plinius *lib. 16. cap. 36.* eſt author.

In eo Jeremiæ textu atramento uſus Baruch perhibetur: *Ego ſcribebam in volumine atramento.* S. Clemens Alexandrinus ſupplicationem quamdam Sacerdotum Ægypti deſcribens *Strom. l. 6.* Sacerdotem inducit plumis in capite ornatum, librum cum regula in manu tenentem, adjecto etiam ad ſcribendum atramento, & junco ad characteres formandos. Apud Græcos & Turcas noſtra etiam ætate non pennæ quidem, ſed arundines ad ſcribendum obtinent; quemadmodum apud Romanos olim in uſu fuiſſe ſcimus. Perſius.

Inque manus charta, nodoſaque venit arundo.

Quonam inſtrumento ſcriberentur volumina, nuſquam in Scriptura apparet; frequens verò de ſtilis pro tabellis, de quibus nos ſupra egimus, mentio. Porrò ſtili & tabellæ in vagina reconditæ, lateri appenſæ deferebantur; vaginam Hebræi *Keſet*, Græci *Graphiarium* appellabant. De hoc more apud Hebræos, Græcos, & Latinos nos ſatis in *Comment. in Ezech.* 9. 2. 3.

Volumina iſta uno tantùm latere ſcribi conſueverant, quemadmodum & Critici omnes conveniunt, & apud Ezechielem 2. 9. ſatis indicatur, qui volumen ſcriptum intus & foris, tanquam ſingulare deſcribit: *Ecce manus miſſa ad me, in qua erat involutus liber, & expandit illum coram me, qui erat ſcriptus intus & foris.* Quam verò exhiberent figuram Priſcorum volumina, Zacharias ferè depingit: Oblatum eſt, ait 5. 1. 2., mihi per viſum volumen 20. cubitis longum, 10. latum. Non tamen omnia ejuſdem amplitudinis volumina fuiſſe credimus; ſed planè ſuam extitiſſe oportet inter codicem iſtum, & vulgares proportionem. Ex cortice, ſive papyro Ægyptia omnia hæc conſtitiſſe facilè crediderim. Sunt qui morem ſcribendi in pellibus ex illo Pſalmi 103. 3. deprehendiſſe ſibi viſi ſunt: *Extendens Cœlum ſicut pellem*; nempè extendens Cœlum, velut volumen pelliceum; ſed Hebræa vox יריע apertè ſonat tentorium, vel pellem tentoriis conficiendis. In Tobia 7. 16. & 4. Eſdræ 15. 2. vox *charta* occurrit, quæ papyrum Ægyptiam deſignat. Sed cum in Græco Tobiæ nihil niſi vox *Biblion* pareat, quæ ex eo libro de figura atque materia codicis laudantur teſtimonia incertiſſima ſunt. Sub Macchabæis volumina obtinuiſſe (7) phraſis illa ſatis indicat: *Et expanderunt libros Legis.* Eundem morem Judæi olim J. C. ætate, & hodie uſque in Synogoga ſervant, ingentibus voluminibus ſcriptam Legem & Prophetas cuſtodientes. Hæc apertiſſimè *Luc. 4. 17. 20. Traditus eſt ei* (Jeſu) *liber Iſaiæ Prophetæ, & revolvit librum &c. & cum plicuiſſet librum, reddidit Miniſtro.* Quæ ſanè verba volumina ferè depingunt; quemadmodum & illa Apocal. 6. 14. *Cœlum receſſit ſicut liber involutus.* De atramento & charta mentio occurrit 2. Jo. ỷ. 13. & apud S. Paulum 2. Timo. 4. 13. volumina ex papyro Ægyptia, & ex membranis diſtinguuntur egregiè: *Affer tecum & libros, maxime autem membranas.* Quanquam unicus iſte textus eſt, in quo membranæ apertiſſimè exprimuntur. Tabellarum etiam uſus non obſcurè ſe prodit in tabella, quam Zacharias, pater S. Joannis Baptiſtæ, ad ſcribendum pueri nomen poſtolavit Luc. 1. 63.

**** 2 DISSER-

(1) Vide Plaut. in Bacch. Cic. in Catil. Orat. 3. & in Ver. & pro L. Flac.
(2) Svet. in Nerone. (3) Svet. in Tito.
(4) Vide Laert. l. 5. in Theophr. & Svet. &c. (5) Iſai. 37. 14. & 4. Reg. 19.
(6) Chardin Voyag. de Paris tom. 5. p. 108. (7) 1. Macch. 3. 48.

DISSERTATIO
IN REGIONEM OPHIR.

NUllius fermè in toto Orbe regionis ſitus obſcurior, quique Eruditos exercuerit magis, quàm Ophireticæ. Quanquam enim ſæpiùs de illo Scriptura, nec obſcuros ejus à cæteris diſtinguendæ characteres exhibeat; plura tamen in eandem regionem congeſta creduntur, quæ miſerè Geographos confundant. Inſulam eſſe igitur autumant, vel ſaltem regionem maritimam, auro, argento & ebore feracem; pavonibus, ſimiis, pſittacis, lignis pretioſis, & aromaticis, gemmis non infrequentem, mari Rubro triennii itinere adeundam. Hæc planè omnia, dum Geographi in aliquam ex Regionibus maritimis, noſtra ætate commercio & earumdem rerum affluentia divitibus conferre ſtudent, in varias abiere ſententias, totamque rem implicare coacti ſunt.

Veterum plerique Ophir apud Indos conſtituunt, quorum agmen Joſephus duxit perhibens antiq. l. 8. c. 2. veſtigium nominis Ophir ad ſuam uſque ætatem in Indiis manſiſſe, ubi regio aurea audiebatur. Eo nomine deſignaſſe creditur hiſtoricus (1) Cherſoneſum, de qua Ptolemæus, regionem quam nos Malacham peninſulam, è regione Sumatræ ſitam, appellamus. Lucas Holſtenius in not. ad Ortel. poſt operoſam ejus regionis diſquiſitionem, tandem Indias univerſas, vel ſaltem urbem Supar in Regno cognomine in Inſula Celebum, nomine Ophir deſignandam concludit. Alii in Regnis Malabar, & Zeilan conſignant; Hippurim enim, cui nomen Oppir affine, portus eſt in Zeilan. Alii malunt in Inſula Taprobana, veteribus celebratiſſima, in quam omnes Ophir characteres quadraſſe animadverterunt; ſed cum ejus Inſulæ ſitus, non minùs quàm Ophir, ignotus ſit, nihilo ex ea ſententia inſtructiores efficimur. Eſt apud aliquos Ophir idem ac Ormus in oſtio Sinus Perſici; eſt Eupolemo (2) in Inſula *Urphe* ad Erythræum; eſt Maffæo in Pego, cujus regni incolæ ex Judæis exulibus, à Salomone ad fodinas in eas regiones damnatis, originem repetunt; eſt Lipenio, in libro de eodem argumento, ultra Gangem ad Malacham, Javam, Sumatram, Siam, Bengalam, Pegu &c.

Non deſunt, qui Ophir ad Americanum tractum deputarint (3). In Inſula Hiſpana conſtituit Chriſtophorus Columbus, ejuſdem Inſulæ primus inventor, qui inveniſſe ſe Ophir Salomonis paſſim jactitabat; teſtatus in ejus veritatis argumentum, plures deprehendiſſe cavernas ſubterraneas ultra 56. mille paſſus excurrentes, quas ab opificibus Salomonis eruendo auro effoſſas conjectabatur. Sed Poſtellus aliique nonnulli potiùs in regione Peruana ſitam Ophir malunt; eaque illi confidentia rem aſſerunt, ut claſſium Salomonis, quaſi ipſi deduxerint, iter totum deſcribant. Nihil eorum ſyſtemate jucundius, nihil tamen futilius.

Alii verò, nec rari, Indias, & Americam nimis abfuiſſe, ſicut & Arabiam nimis ad Aſiongaber, unde claſſis Salomonis ſolvebat, acceſſibile A rati, Ophir in Africa quærunt. Eorum igitur alii, in Regno Melindæ, vel Soſalæ in plaga Orientali Æthiopiæ Africanæ ſiſtunt (4), cujus Inſulæ traditione, etiam in libris deſcripta, inquiunt, receptum eſt, Salomonis claſſem ſingulis trienniis eo, ad aurum aſportandum, cujus eſt regio ditiſſima, veniſſe. Joannes dos Sanctos narrat, in Monomotapa montem eſſe Furam, auro optimo egregiè divitem, ubi oppidi (Reginæ Sabæ ædes ferunt) veſtigia ſuperſunt; eamque regionem cum Ophir confundendam affirmat. Cornelio à Lapide eſt in *Angola* ad oram Occidentalem Africæ. Quid? nonne aliquibus regio B Ophir ipſa eſt Carthago, Urbs 200. ſolidis annis Salomone recentior? Paraphraſtes Jonathan eam regionem in Africa poſuiſſe contentus, nihil ulteriùs determinat. Alii Ophir & Tharſis in Hiſpaniis collocant. Putat Grotius in 3. *Reg.* 9. 28. naves Salomonis, fortè non ad Indias navigaſſe; ſed ad portum ejus Urbis, quam Arrianus *Apbar*, Plinius *Sapbar*, Ptolemæus *Saperam*, Stephanus *Sapbirinam* ad Arabiæ litora poſitæ, quam Oceanus alluit, quò Indi merces ſuas deferebant.

D. Huetius in Diſſertatione de Navigationibus Salomonis, ejus Regis claſſes nova via deduxit. Ratus enim ille duo maria Mediterraneum & C Erythræum, ducto quodam canali ea ætate juncta fuiſſe, ut navigia ultro citroque mearent; hanc rationem init explicandi loci 2. *Par.* 8. 18. ubi Hiram Rex Tyri navigia nautaſque miſiſſe perhibetur ad Elath in Erythræo, ut Salomonis uſibus ſervirent. Ecqua enim alia via, ait, trajicienda fuiſſent navigia, niſi per canale, de quo ſupra, deducerentur?

Neque de canali illo utrumque mare jungente, Veterum apertiſſima teſtimonia deſiderantur; ſed an illud ad Salomonis ætatem pertineret, ſola ſupereſt difficultas. Huic rei probandæ, teſtimonia Arabum Scriptorum quædam affert Huetius, D quibus Abrahami ætate Nilus cum Erythræo canali junctus aſſeritur; ſed fortè Arabum Authorum fides, in re vetuſtiſſima & ab eorum ætate remota, Eruditis in ſuſpicionem revocabitur, cum potiſſimùm aliorum Scriptorum authoritati adverſetur; quippè qui canale illud recenti opere ſub Dario, vel etiam ſub Ptolemæis abſolutum perhibuerint. Strabo quidem lib. 17. Seſoſtridem operi manum admoviſſe tradit ſed teſte Ariſtotele Meteorol. l. 1. c. ult. & Plinio lib. 6. c. 29. cum poſtea maris aquas reliquo Ægypti ſolo eminere animadvertiſſet, rem totam infectam dimiſit, metu ne fortè ſuperiores E aquæ in imam Ægypti regionem defluentes, totam demergerent, ſimulque amnis aquas, Ægyptiis ad potum neceſſarias, corrumperent. Herodotus l. 4. 1. 158. & Diodorus l. 1. ſcripſerunt à Neco filio Pſammetici Rege Ægypti initum canale illud, quod à Dario Hyſtaſpis dein abſolutum tradit Herodotus.

Regionem Ophir Præſul ille doctiſſimus in plaga Occidentali Africæ, Arabibus *Zanguebar* conſtituit; quanquam nomen illud, ait, parvam regionem Sophala in eodem tractu deſignaret. Claſſes igitur

(1) Riber. Tornicl. Adrichom. Marius Niger, Gaſpar Vaſer.
(2) Apud Euſ. Præp. l. 9. c. 30.
(3) Arias Montan. Genebr. Vatab.
(4) Ortel. Thom. Lopes.

igitur Salomonis, trajecto capite Guadarfuy, Africanas oras abradebant. Porrò omnia quæ de Ophir ſcribuntur, in eodem regioni tractu abundabant.

Goropius Becanus & Bivarius eam claſſem non è mari Rubro, ſed è Mediterraneo ſolviſſe autumaunt. Tyriis enim conſtabat navigiis, teſtante Scriptura 3. Reg. 10. 11. Tharſis locum fuiſſe ad Mediterraneum alibi probatum eſt, quemadmodum & Aſiongaber ad idem adjacebat fretum. Poſtremum hoc de Aſiongaber, quod potiſſimùm difficultatem faceſſit, hiſce argumentis convincitur. Aſiongaber locus erat Idumææ juxta 3. Reg. 9. 16. eam verò regionem non mare Rubrum quidem, ſed Mediterraneum, Ptolemæo teſte, alluebat. Ad Mediterraneum etiam, addunt illi, B loca, ſunt *Gaſtion Gaber* apud Strabonem, & *Beto-Gabria*, apud Ptolemæum. Nomen Suph non uſque adeò peculiare eſt mari Rubro, quin reliquis etiam fretis conveniat. Suph enim limitem ſonat; quare mare Suph fretum eſt limitum, quod ita mari rubro aptatur, ut Mediterraneo etiam quadret. Navigatio in Tharſis, & Ophir una eſt & eadem juxta 4. Reg. 22. cum 2. Par. 20. 36. collatum; Tharſis verò locum eſſe ad Mediterraneum negaverit nemo. Horum conjecturæ, quanquam Hornio de orig. Gent. Americ. l. 2. c. 18. probatæ, quoad ea potiſſimùm, quæ de ſitu Aſiongaber & nomine Suph comminiſcuntur, vanæ ſunt & inanes; cum Aſiongaber portum eſſe Erythrei, C cui uni freto nomen Suph adſcribitur, ex Scriptura apertiſſimè conſtet. Potuit equidem Idumæa Geographi Ægyptii ætate ad Mediterraneum uſque protendi; quanquam in Scriptura ſemper inter anguſtiores fines contineatur.

Mirari prorſus ſuberit, dum nos procul à Mediterraneo & Oceano, in Montis Maſii & Saſpyrorum ſivè regionis Tapyrorum ſinu, circa Mediam, Armeniam, & Aſſyriam, Ophireticam regionem requiremus. Sed ipſa Moyſis authoritas in eam nos ſententiam pertraxit, cujus rei ea proferemus documenta, quę ſyſtema noſtrum in eum ſaltem veritatis gradum apud æquos Lectores conſtituent, quem cætera huc uſque obtinuerunt.

Regionem Ophir ipſiſſimam eſſe, quam Ophir filius Jectan, vel ejus poſteri frequentarunt, non D eſt cur ambigamus. Solemne eſt enim in Scriptura, nomen loco ea primo incolarum authore tribuere. De Ophir verò, ejuſque fratrum ſede hæc Moyſes Gen. 10. 30. *De Meſa pergentibus uſque Sephar montem orientalem*. Huc igitur nos conteramus oportet, ſimulque quæramus, num regio ſit his rebus, quibus coemendis claſſis Salomonis adnavigabat, fera; num trienni itinere adeunda; num ex Aſiongaber per ſinum Arabicum petenda.

Si ea quæ ad Gen. 10. 29. congeſſimus argumenta, ut Meſopotamiæ, Armeniæ, & regionis ultra Tigrim partem, filiorum Jectan ſedem vindicaremus, nllius ſunt roboris, ſi montes Meſa & Sephar ipſiſſimi ſunt montes Maſius & Saſpiri ſivè Tapyrorum; illud conſequatur oportet, E Ophireticam regionem non longe à fontibus Euphratis & Tigridis in eo, quem diximus, tractu conſtituendam fuiſſe. Planè qui regionem Ophir procul à mari conſtituerint, plures ante nos occurrunt. Euſebio, & S. Hieronymo de Loc. Hebr. inter amnem Cophenem, Indias, & regionem Setum collocatur. Euſtathio Antiocheno in hexaem. in Armenia ſita eſt, cujus opinio his conjecturis fulcitur. Juſtinianus Imperator Armeniam univerſam in quatuor partes diſtribuit; ea

A his uni nomen fuit *Zophara*; an eadem cum Sophene Strabonis, Sophane Trogi, Sophanene Procopii? Porrò litera R in N facilè barbarorum lingua tranſmutatur; nec rarò R in fine dictionis quieſcit; ita pro Gadir, uſurpatum eſt Gadis; pro Amilcar, Amilcas; pro Bocchor, Bocchus; ex *pleres* factum eſt *plenus*; ea *doron*, donum; ita *Sopher*, vel *Sophir*, quod idem eſt, facilè in *Sophene* converſum eſt. Scitum eſt autem, Septuaginta Græcoſque pro Ophir legiſſe Σωφείρ Sopheir; contigit enim ſæpè, literam S in capite dictionis ſimplicis aſpirationis loco poni. Strabo lib. 11. ad Phaſim amnem Sarapenos collocat, eorumque Metropolim ad eam fluenti partem conſtituit, ubi navigationis impatiens eſſe incipit. B Apud Strabonem mentio fit de maxima Armeniæ parte, quam veteres Syſpiretim appellabant, à Chalachena & Adiabena ad tranſmontana uſque Armeniæ protenſa. Sunt ibi, ait, auri fodinæ, atque divitiis regio abundat adeò, ut Alexander Magnus Memnonem cum copiis ad ejus fodinas miſerit. Pingue eſt etiam ſolum, ait, alendis equis, vel ipſis Niſæis arvis in Media nihil concedens (1). Si quis iſthmum ad ſeptemtrionem penetret, illi certe veſtigia quædam reliqua nominis Ophir occurrent in flumine Opharo, & populis Opharitis (2), Sarmatiam Aſiaticam, Colchidi & Iberiæ finitimam, incolentibus. Noti ſunt etiam ad Cyrum amnem *Obareni*; de quibus Quadratus (3); eadem facilè gens C ac *Iberes* Strabonis, *apud quos torrentes dicuntur aurum deferre, quod barbari perforatis tabulis & villoſis pellibus accipiunt; unde aurati velleris fabula conficta eſt; & fortaſſe Iberes eodem nomine vocantur, quo Occidentales, ab auro quod apud utroſque reperitur* (4). Facilè etiam *Obareni* illi apud Quadratum, ipſi ſunt *Suarni* apud Plinium lib. 6. c. 11. inter fauces Caſpias, montes Gordyæos, & Pontum Euxinum ſiti. Gens illa, ait, *indomita, auri tantùm metalla fodiunt*. Nomina vero hæc *Obareni*, *Suarni*, *Iberes*, nomini Ophir affinia ſunt, maximè ſi litera B Græcorum more, veluti V conſona ad *Phi* accedens, pronuncietur; redderetur enim *Ophareni*, *Sapharni*, *Ipheri*; quod etiam ipſum ſonare poD teſt Ophir, juxtà variam pronunciandi ſingulas ejus nominis litteras rationem. Ita planè *aurum obriſum* pro *aurum Ophiriſum* uſurpatum eſt.

In hanc autem ſententiam, ut Ophir conſtituamus non procul à Phaſi & regione Sepharvaitarum, quos ipſos credimus Saraparas, incolas Sapavortenes, vel montium Saſpirum, ultrò etiam pertrahimur; quòd in Scriptura aurum Ophir idem eſſe ac aurum Parvaim, animadvertamus. In 3. Reg. 9. 26. 27. 28. cui 2. Par. 8. 18. conſonat, Salomon immenſam auri Ophiretici vim ad Templi ædificium comparaſſe perhibetur; & 1. Par. 29. 4. pares ex auro Ophir divitias, in eundem uſum Davidem deſtinaſſe legimus. Cum autem ad opus ventum eſt, inſumpſiſſe Salomonem narrat Scriptura, auri optimi, auri E *Phervaim* theſauros; aurum igitur Phervaim ipſum eſt Ophireticum. Porrò *Phervaim*, & *Sepharvaim* idem ſunt nomen, adjecta litera S aſpirationis loco; quemadmodum cum ea Ophir factum eſt Sophir. Sunt verò Sepharvaim, uti ad *Gen.* 2. 11. oſtendimus, populi inter Colchidem & Mediam conſtituti; quo proindè in loco etiam Ophir ponatur oportet. Notum eſt etiam in Scriptura aurum *Phaz* (5), *Uphaz* (6) & *Ophaz* (7); quę diverſa nomina unum idemque aurum

**** 3 Pha-

(1) Lib. 11. pag. 368. (2) Plin. lib. 6. c. 7.
(3) Lib. 2. Parthic. apud Steph. in Οὐεne.
(4) Strab. l. 11. pag. 350. (5) Jerem. 10. 9.
(6) Dan. 10. 5. (7) Cant. 5. 11.

Phaſidis, quem Moyſes Phiſon appellat, deſignaſſe non invitus crediderim. Colchidis enim divitias, & Phaſidis aurum toti antiquitati celebratiſſima fuiſſe, alibi demonſtravimus. Adde Ophireticum aurum è torrentibus erui conſueviſſe, juxta Authorem libri Job 23. 24. quod ipſum tradunt Veteres de auro, ex ea regione, ubi nos Ophir conſtituimus, advecto. Idem Auhor 28. 6. 16. 17. 19. ſapientiam rebus quibuſque pretioſiſſimis comparans ait: *Locus Sapphiri lapides ejus* (nempe loci cujuſdam) *& gleba illius aurum*. Sed, proſequitur, ſapientia his omnibus utique præſtat: *non dabitur aurum obrizum pro ea*. (Hebr. aurum Ophir) *nec conferetur lapidi Sardonychs* (Hebr. *Sohem*) *vel Sapphirs*. *Non adæquabitur ei aurum, vel vitrum, nec commutabuntur pro ea vaſa auri*. (Hebr. *Phaz*.) *Non adæquabitur ei Topazius de Æthiopia* (Hebr. *Pitdath de Cuſch*) Facile Author, nomine regionis aureis arenis, & gemmeis lapidibus divitis eandem deſignavit regionem, quam poſtea ſubſequentibus verſibus, nomine ſuo regionem Ophir, Phax & Cuſch, quæ auro, gemmiſque inſignes habebantur, prodidit. Hæc verò omnia, nulli melius regioni convenire credimus, quàm Ophireticæ, juxta noſtram hypotheſim in Colchide, & adjacentibus regionibus conſtitutæ. Aurum ibi jam olim notiſſimum erat; neque Sohem, quod ipſiſſimum eſſe maragdum alibi oſtendimus, rarum habebatur. Sapphirus vulgatis eſt in Media, & Armenia minori; optimus in Media, auctore Plinio l. 37. c. 9. eruitur. Porrò nomen Sapphirus affine eſt cum Saphar monte, quem Moyſes orientalem terminum hæreditatis filiorum Jectan, quorum unus Ophir, conſtituit.

Non ea quidem ſumus confidentia, ut certum Ophireticæ regioni ſitum, atque locum deſtinemus. In ea, qua laboramus, remotiſſimæ Antiquitatis obſcuritate, regionem circum circa deſignaſſe ſatis fuerit.

At enim quomodo claſſis in Armeniam & Iſthmum inter Mare Caſpium, & Pontum Euxinum adnavigare potuerit? Nonne ſi ea loca ex Judæa adire voluiſſent, navigia breviori & faciliori itinere per Pontum Euxinum iter feciſſent? Nonne Salomoni & Hiram conduxiſſet magis, ſi in aliquo ex Mediterranei portubus, ditionis eorundem Regum, navigia inſtructa per Pontum Euxinum in Colchidem, atque inde per Phaſim in Iſthmum tranſmiſiſſet; conduxiſſet, inquam, magis, quàm ut longiori itinere per Erythræum, Oceanum, & Sinum Perſicum deducerent? Ea verò Regio fuerit quidem auro, metalliſque pretioſis ferax; ſed nunquid in illa ſimiæ etiam frequentes, pavones, aromata, gemmæ, ebur, quæ tamen omnia Salomonis claſſi in Ophir ſuppetebant (1)? Has difficultates ita eluimus. 1. Per Oceanum Indicum, & Pontum Euxinum navigatio tum temporis infrequens erat, atque nondum benè explorato freto difficilis. 2. Claſſis Salomonis non ad regionem uſque Ophir perveniebat; ſed in locis commercio eorundem populorum frequentatis ſubſiſtens, mercibus onerabatur ſuis. 3. Neque regionis Ophireticæ tantùm divitias Salomonis navigia comparabant; ſed ſi quid rati in oris Africæ, & Æthiopiæ inter eundum offendiſſent, omnia ſimul deferebant. 4. Tandem eas, quas Plinius & Strabo pro commercio Orientali deſignant, vias, non multùm illas ab itinere, unde navigia Salomonis deducimus, diſcrepaſſe paulò exactiùs demonſtrandum ſuſcipimus.

Quanquam navigationes vetuſtiſſimæ apud Phœnices habeantur, non tamen ante Salomonis ætatem, ultra mare Mediterraneum, negotiationis gratia videntur excurriſſe; cum ampliſſima hujus freti litora, vaſtas licet, eorum cupiditates abundè explerent. Oceanus, & Pontus Euxinus nihil habebant, quod illis in vicinioribus Mediterranei oris non abundè ſuppeteret. Bochartus, qui Phœnicum veſtigia quaquaverſum conquirens, in litore meridionali Ponti Euxini poſteros Gomer, & Aſchenex conſtituit; Bochartus, inquam, poſt Euſebium, unicum tantùm Phœnicum iter in Bythiniam notat; ſed expeditio illa ſucceſſione caruit. Oræ hujus freti ſeptemtrionales nunquam à Phœnicibus frequentatæ leguntur. Aliquantò poſt bellum Trojanum primò auſos fuiſſe Phœnices columnas Herculis pervadere, atque in oris Lybiæ urbes quaſdam ædificare, Strabo l. 1. teſtatur. Euxinum fretum, juxta eundem Strabonem, non ſecus ac Oceanum Veteres metuebant; ut proinde per Pontum adnavigare res perindè ardua haberetur, ac ſi ultra Herculis columnas navigio petendum fuiſſet. Cum autem, addit, miræ res & ignotæ in majora ſemper opinione augeantur, factum inde, ut fretum illud per excellentiam *Pontus* appellaretur; unde poſtea, ait, nomen illud facile ad Oceanum tranſiit. Narrat etiam idem Scriptor tum loco laudato, cùm libro 3. ab Homeri ætate primò commercia cum Cimmeriis Septemtrionalibus in Cherſoneſo Taurica inſtitui cœpiſſe. Homerus Salomoni ſuppar erat. Norat quidem Author, quæ de expeditione Jaſonis, cæterorumque pro vellere aureo, aliquantò ante bellum Trojanum, ferebantur; ſed Argonautarum navigatio ſingularis fuit, ſucceſſione carens: quique etiam Cimmerios exploratos habuerunt, non facilè alios adducere potuerunt, ut longam, difficilem, nulliuſque commodi navigationem inirent. Neque enim oras ſeptentrionales Ponti Euxini incolentes populi, divitiis abundant adeò, ut lucro inhiantes mercatores ad ſe alliciant. Scythæ divitias contemnebant; & Aſiæ minoris mercatores expeditius habebant vehendis mercibus ſuis iter, ſi terreſtri, vel fluviali itinere in Joniam, Ciliciam, vel Syriam, commercio florentiſſimas regiones, venirent. Hinc Eratoſthenes apud Strabonem l. 1. pag. 38. & l. 7. pag. 307. obſervat, Pontum Euxinum dictum olim fuiſſe *Axenon*, quòd commerciis prorſus vacaret; ſucceſſu verò temporis rebus immutatis, negotioſo mari inditum nomen *Euxenos*. Nolim ego de veritate hujus etymologiæ contentioſum funem trahere; ſed nobis demonſtraſſe ex ea ſufficiet, fretum iſtud, obſcurum diu atque infrequens manſiſſe. A Mithridate Eupatore, ejuſque Ducibus (2) primùm illius tractus uſque ad Paludem Mæotidem cognitio cœpit. Alexandri Magni ætate adhuc in obſcuro manebat regio; iſque primus gentes ad ſeptentrionem Græciæ uſque ad Danubium exploravit (3). Sub Trajano an Palus Mæotis Oceano juncta eſſet, in ambiguo adhuc res erat, quantùm ex Plinio l. 7. c. 62. intelligimus. Colchis (4), & mons Caucaſus in finibus Mundi conſtituti credebantur; atque ad Phaſidem navigatio maritimi itineris ſummum habita eſt. Ciceronis ætate oſtia Ponti Euxini vidiſſe Romanum, pro maximo habebatur. Non eſt igitur cur admiremur, ſi Salomonis, & Hirami claſſes, relicto expeditiori per Pontum, per fretum ignotum, itinere longiori Ophir adnavigarent. Exploremus modò quam potiſſimùm viam claſſis tenuerit, quove in loco comparandis mercibus conſtiterit.

Claſſis

(1) Vide 3. Reg. 10. 22.
(2) Strab. l. 1. pag. 11.
(3) Id l. 7. pag. 308.
(4) Apollon. apud Caſaub. in Theocr. Idyl. c. 9.

Claſſis igitur in portu Aſiongaber in mari Rubro inſtructa, ſolvens inde, Arabię latera uſque ad Mechæ ſive Babelmandel facilè abraſit; inde ſecundùm latera meridionalia ejuſdem regionis, in ſinum Perſicum ſuccedens, per Euphratem vel Tigrim adverſo amne deferebatur. Urbs eſt ad Tigrim nomine Opis, emporio celebris, quam è ſinu Perſico navigia, adverſo amne per Tigrim delata, tenebant (1). Huic navigationi impediendæ, aggeribus in amne excitatis, Perſæ nullum non moverunt lapidem; ſed Alexander Magnus his omnibus amotis, amnem liberavit. Commoda inde commercia cum omnibus Aſſyriæ, Meſopotamiæ, Armeniæ, ac finitimarum regionum populis præſtabantur; ſinguli enim per Euphratem, & Tigrim merces ad Emporium tranſvehebant. Poterat etiam claſſis, ultra quàm noſtra ætate liceat, ad Euphratis fontes propiùs accedere; neque enim tunc tot ex eo rivi deducebantur (2), quot fluvii illius gloriam ætate noſtra minuunt. Populi ad fontes Tigris fluviali itinere Babylonem uſque eò deducebantur, teſte Strabone l. 16. nec Herodoto l. 1. c. 139., & Diodoro Siculo l. 17. refragantibus. Sunt quidem, qui rapidiorem eſſe amnem, quàm ut navigia patiatur, aſſeruerint; ſed illos authoritate & experientia ſua Petrus Duval refutat, qui & navigationem in eodem amne inſtituit, & lenioribus, quàm Euphratem, aquis Tigrim fluere teſtatur (3).

Navigia per Euphratem adverſo curſu uſque ad urbem Sipharam, ſive Tapſaeum deferri potuiſſe ſatis convenit inter omnes. Porrò Siphara apud Ptolemæum ad amnem ſita eſt, nondum aquarum in diverſos canales divortio fluentem; eſt autem metropolis Sippareniorum, de quibus Abidenus apud Euſebium (4). Non deerunt, qui majori, quàm nos, confidentia regionem Ophir eò loci conſtituant, nominis affinitate potiſſimùm perſuaſi, atque auri, non quidem genuini regionis, ſed adventitii è vicinis Provinciis, in quibus abundat, affluentia.

Scitum eſt apud Ariſtobolum, à Strabone lib. 16. laudatum, cives Gerræ (urbs eſt juxta ſinum Arabicum) merces ſuas navigio Babylonem uſque tranſvexiſſe; inde verò per Euphratem Tapſacum uſque aſcendentes, pedeſtri itinere opportunè in Meſopotamiam, Armeniam, & Aſſyriam perveniebant.

Potuit igitur claſſis Salomonis eandem tenens viam, Babylonem uſque, vel Opim, vel Sipharam, quin & Tapſacum uſque adnavigaſſe, inde, advectis ex Judæa mercibus cum auro Ophir commutatis, onere ſacto rediiſſe.

Cum in ampliſſima regione Salomon jus diceret, nulla etiam in toto orbe regio ſolertius, quàm Judæa colebatur; optimis propterea vinis, electo frumento, atque oleo eximio ſerax erat. Quare ex Judæa, & Iſraele delata ad nundinas Tyrias, frumentum, balſamum, oleum & reſinam, Ezechiel 27. 17. ſignificat. Pannis etiam purpureis Phœnicia celebrabatur; ſicut tenuiſſimis telis Ægyptus, & Judæa; Arabia, montes Libani, & Galaad aromata ſufficiebant. His mercibus onuſta claſſis Salomonis, commercia cum populis Meſopotamiæ, Armeniæ, vel Aſſyriæ detinebat. Eunti autem in eas regiones atque redeunti, qui in itinere occurrebant portus, & loca omnia, ad utrumque litus ſinus Perſici, & maris Rubri, pervia fuiſſe poterant. Æthiopia ſimiis præ cæteris totius orbis regionibus frequentatur; quare litora occidentalia maris Rubri claſſis Salomonis adnavigans, ſimias comparabat. Quoad Pavones, apud Veteres aves Mediæ appellabantur, quòd in ea regione, ſicut & in Babylonia, frequentiſſimi eſſent. Bellè autem id congruit cum noſtra hypotheſi, qui Salomonis claſſem ad Tapſacum, Opim, & Babylonem deducimus. Neque fuſiùs nobis agendum eſt de mercibus, ad Aſiongaber ab eadem claſſe relatis, cum ſatis ſuperque de illis 3. Reg. 10. 22. egerimus. Unum ſupereſt, ut Veterum teſtimonio oſtendamus, iter illud, undè claſſem deduximus, ipſiſſimum in navigationibus ejuſdem & inferioris ætatis per mare Rubrum ſervatum fuiſſe.

Quæ de Gerræis ſupra indicavimus, ex finibus ſinus Arabici Tapſacum uſque per Euphratem aſcendentibus, & merces ſuas tranſvehentibus, manifeſto ſatis exemplo indicant, per ſinum Arabicum navigationem tum temporis inſtitui conſueviſſe. Quin & eodem itinere ex Ægypto Erythræum, atque Indiæ ætate Plinii petebantur (5); per Nilum enim adverſo amne delata navigia, Alexandria Juliopolim, ſeu potiùs Heliopolim tenebant; inde curſum ad Coptum, celebre Ægyptiorum & Æthiopum Emporium, dirigebatur. Ibi impoſitis ſuper Camelos mercibus, nocturno itinere, æſtuantibus calore diebus, duodecim itineribus Berenicem ad Erythræum perveniebant. Interim opportuno navigationis tempore, ad mediam nempe æſtatem, ante vel ſtatim poſt Caniculam, expectato, conſcenſo navigio 30. navigationis diebus *Ocelim* vel *Canan*, vel *Nuzam*, portus Arabiæ, tenebant; ſed euntibus ad Indias *Ocelis* portus commodior. Inſtitutus inde ad *Muzirim* curſus, 40. dierum itinere. Locus ille commercio Indiarum primus habebatur. Alii tamen, relicto Maziri, *Bacar* alium tutiorem, & commodiorem Indiarum portum, adnavigabant. Solebant autem mercatores ineunte *Tybi*, menſe Ægyptiorum Decembri reſpondente, patriam repetere. Interdum ejuſdem anni ſpatio iter inſtituebatur ſimul & abſolvebatur.

Minùs ſane expeditiorem Salomonis claſſi curſum fuiſſe, quàm illis, quas Plinius deſcripſit, facilè credimus; tum quòd nautæ ea ætate eſſent imperitiores, cum quòd in locis plurimis ad commercii opportunitatem, aliquantò fuiſſet immorandum. Quarè tot moris productum iter non plane citiùs, quàm ſpatio tantùm 26. menſium ad minus confici poterat. Quanquam enim ad Indias uſque claſſis non pertingeret, longiſſima tamen via Sinum Perſicum circumeuntibus, atque non modicum Euphratis atque Tigris tractum dimetientibus decurrenda fuerat; quod ſanè duplo prolixiorem navigationem reddebat. Hinc factum eſt, ut iter, quod è Berenice ad Indias unius anni ſpatio peragebatur, totum trienuium vel 25. aut 30. menſes, uſquequò portum, undè ſolverat, repeteret, Salomonis claſſem detinerent. Quid, quod hyemale tempus navigationi adverſum, otioſum tranſigendum fuerat; quare ter recurrente hyeme, ac bis æſtate tota expeditio non prius, quàm per triennium abſolvi potuerat.

At enim diſertis in Scriptura verbis Ophireticam regionem petiiſſe navigia Salomonis exprimuntur? Quæ ſanè minùs cum noſtro ſyſtemate quadrant: non enim niſi ad emporium Ophiræorum, atque finitimarum illis gentium (quod Ophir nonniſi incongruè appellaretur) claſſem appuliſſe autumamus.

Ultrò

(1) Strab. l. 17. Vide Herod. l. 1. c. 189. (2) Plin. l. 6. c. 22.
(3) Apud Cellar. Geograph. antiq. l. 3.
(4) Præp. l. 9. c. 41. In eadem regione nota eſt urbs Hippurium apud Plin. l. 6. c. 26.
(5) Plin. l. 6. c. 23.

Ultrò quidem fatemur, in ea, qua ſumus, ſententia Salomonis claſſes ab Ophir procul ſubſtitiſſe; ſed Scripturæ verba in ſenſu vulgari & communi intellexiſſe ſatis ſuperque habendum eſt. Quare ſicut Hollandiam petiiſſe ille rectiſſimè dicitur, qui ad ejus regionis extremas oras appellens, ab Hollandis negotiatoribus, illic verſantibus, merces Hollandicas comparat; ità navigia Salomonis Ophiræorum emporium tenentia, in Ophir ventitaſſe cenſebantur. Nonne planè onerarias naves Alepum negotiationis cauſa tranſmitti, quotidiano ſermone dicimus, quæ tamen in portu ejuſdem Urbis, trium dierum itinere diſtanti, ſubſiſtunt? Vide Gabrielis Sionitæ Arabiam cap. 5. Claſſem in Æthiopiam duxiſſe Menelaum Homerus Odyſſ. l. 4. tradit; quem locum in examen revocans Strabo l. 1. narrat, pluribus quidem iter illud impoſſibile viſum fuiſſe; alios prolixas adeò claſſi vias deſignaſſe, ut fabellas ſomniaſſe crederentur; ſe verò difficultatem expeditius enodaturum, ſi claſſem illam adverſo per Nilum curſu, uſque ad extremas Æthiopiæ oras, & ad proximam uſque Thebarum urbem deducat. Ita planè Ulyſſes in regionem Cyclopum veniſſe narratur, qui tamen in antro ad ultimas oras illius regionis ſubſtitit. Quid? addit Strabo, nonne Troglodytæ etiam Æthiopes cenſentur? quos adiviſſe Menelaus cenſebatur, ſi Nilum eò uſque, dum populos illos è regione ſpectaret, aſcendiſſet.

Hæc planè omnia etiam de expeditione Ophiretica uſurpati rectiſſimè poſsunt. Euphrates & Tigris, flumina in viciniis regionis illius nata, vehendis Aſsyriæ, Meſopotamiæ, Armeniæ, & Colchidis mercibus, famulis aquis ſerviebant. Inter eos negotiatores, Ophiretici, quòd pretioſiſſimas auri & argenti merces adveherent, cæteris præſtabant. Quidni igitur in Ophir tetendiſse claſſis diceretur, cum Opim, Tapſacum, Babylonem, Urbes Ophireticæ finitimas, onerandis Ophireticis mercibus, atque commerciis cum Ophireticis negotiatoribus agendis veniret? Joſephus venditus in Ægypto dicitur Gen. 45. 4., quòd à mercatoribus ejuſdem regionis, in Ægypto iterum vendendus, emptus eſset.

Sed cui bono maritimum in Armeniam & Meſopotamiam iter inſtitutum eſt, ſolidi triennii ſpatio abſolvendum; cum brevioris temporis & impenſæ terreſtre iter per camelos, ad eum uſum aptiſſimos, ſuppeteret? Hæc ſanè in ſpeciem aptiſſime obſervantur; ſed animadverſione dignum eſt, iter illud non referendo tantommodo auro Ophir fuiſse inſtitutum, quin & lignis pretioſis, ſimiis, aliiſque Arabiæ felicis & Æthiopiæ mercibus comparandis. Ea inſuper itineris ratio tunc temporis tutiſſima & commodiſſima habebatur; quippè quæ cæteris etiam populis probaretur, uti a Geriæis, quibus alioquin, non ſecus ac Judæis, ad Euphratem terreſtre iter per camelos expeditius fuiſset.

DISSERTATIO
DE ORIGINE, ET ANTIQUITATE CIRCUMCISIONIS.

Circumciſionem avitum eſse ritum, in ſuo ſolo natum, Ægyptii olim jactitarunt. Herodotus, à Sacerdotibus ejuſdem gentis inſtructus, idem Græcis perſuaſerat: & Religionis Chriſtianæ oſores, de opprobrio Judæorum invidiam in illam creare conati, hanc inſtaurarunt objectionem; circumciſionem nempe, non ita peculiarem Judæorum fuiſse ritum, quin & apud Ægyptios prius obtineret; ceſsarent proinde prærogativam illam, tanquam ſelecti à Deo populi, ſibi divinitus datam jactitare. Hæc Celſus in Chriſtianos ingerebat (1); cui Origenes reſpondet, Judæis pariter, primos ſe circumciſionis authores aſserentibus, ſaltem æquum eſse cum Ægyptiis jus, ut affirmantibus crederetur: Judæorum Circumciſionem aliam planè eſse ab Ægyptiorum, & Iſmaelitarum, tum illius inſtituendæ fine, tum lege inſtituente, tum etiam initiandorum eo ritu mente ſpectata. Judæi enim unam tantùm circumciſionem octava die probant; cæteras tanquam vanas, & ſuperfluas abiciunt. Præpoſtere igitur Celſus, ait, varias haſce cæremonias, & ritus confundit. Demonſtrat tandem iniquum eſse, relevatos per Jeſum Chriſtum, & Apoſtolos à jugo Legis Fideles invidia Legis Judaicæ onerare. Julianus Imperator tradit, Abrahamum cum è Chaldæa in Ægyptum veniſset, circumciſionis ritum ibidem didiciſse, quem ſane Chriſtiani, filios ſe genuinos Abrahami jactitantes, recipere tenerentur; cui S. Cyrillus, iis, quæ de Abrahamo ab Apoſtata dicebantur, ne refutatis quidem, reſpondet, cordis & ſpiritus circumciſionem unicam eſse, quam Jeſus Chriſtus à Fidelibus exigat; carnalem verò ad ſalutem ſupervacaneam prorſus eſse & inutilem (2).

Cum ad hoc uſque temporis Eruditi quidam non deſint (3), qui circumciſionis primò inventæ decus Abrahamo abjudicantes, ab Ægyptiis, ſi non omnibus, ſaltem Sacerdotibus primitus uſurpatum credant; ideò laborandum nobis eſt, ut in omnes illos populos ex Judæis derivatam circumciſionem oſtendamus; ea omnia, quæ de vetuſtate hujus ritus apud Ægyptios, Æthiopes, & Colchos ab Herodoto aliiſque Authoribus feruntur, vana eſſe & inania demonſtrantes.

Ægyptios antiquitatem ſuam atque rerum inventionem jactitaſſe tam certum eſt, quàm quid aliud. Hujus gloriæ adeo illos ſtudioſos fuiſſe conſtat, ut cæteros populos prærogativis quibuſdam, maximè in rebus Religionis ſupra ſe efferri nulla ratione paterentur. Cum autem perſuaſum ſibi haberent, Deorum cultum, & Religionem ex Ægypto cœpiſſe, omnium ſe cæremoniarum, & rituum authores haberi volebant. Hinc nata cum Judæis vetus, & perpetua ſimultas; quam enim Judæi veram aſſertamque præſeferebant antiquitatem, quemadmodum & ſolidam in cæremoniis majeſtatem, puritatem Religionis, & morum, legumque inter utraſque gentes diſcrepantiam, in odii, atque invidiæ fomitem

(1) Apud Orig. l. 1. & 5. contra Celſum.
(2) Cyril. l. 10. contra Jul. (3) Marsh. Can. Ægypt. ſæc. 5. Joan. Cleric. in Gen.

mitem Ægyptii convertebant.

Græcorum Hiſtorici de vetuſtate populorum atque origine rituum acturi, fruſtra ſe alibi, quàm in Ægypto vera ſcrutaturos reputarunt. Doctiſſimi enim in toto orbe Ægyptii habebantur adeò, ut eorum virtutis fama omnes fermè veteres Scriptores è Græcia ad ſe acciverit; unde pariter Græci eas, quas in ſcriptis ſuis inſeruerunt fabellas, unà cum pluribus admiſtis veritatibus, hauſerunt.

Herodoti, ſi cujus unquam inter Hiſtoricos, fides in ſuſpicionem revocatur. Manetho, ſcriptor Ægyptius, tanquam fabuloſum authorem, atque antiquitatis Ægyptiacæ imperitum illum accuſat. Diodorus Siculus, Græcus alioqui ſcriptor, paria in viro reprehendit l. 1.; neque nos illum abſolvere poſſumus, vetuſtatem Circumciſionis Ægyptiis, Æthiopiæ, Colchidis, & Phœnicis populis tribuentem; eo maximè, quòd illius authoritate cæteris deinde Hiſtoricis impoſitum eſt.

Ægyptii, ait idem Author l. 1. c. 35. 36., oppoſitos planè cæteris ferè omnibus mores habent; Circumciſionem admittunt, ritum omnibus ignotum, præter iis, ad quos ea Ægypto ſuperſtitio deſcendit. Et cap. 104. (s) primos, apud quos circumciſio obtineret, indicat Colchos, Ægyptios, & Æthiopes; namque, ait, quoad Phœnices, & Syros Palæſtinam incolentes, ex Ægypto in ipſos derivatum morem, ipſorum conſenſu intelligimus; in cæteros verò Syros ad Thermodoontem, & Partheninm ipſis fatentibus ex Colchide ſuperſtitio propagata eſt. Verùm quod ad Ægyptios, & Æthiopes ſpectat, utri eorum Circumciſionis prius obtinentis palma deferenda ſit, in medio relinquo; quanquam ex commercio Ægyptiorum & Æthiopum, ab Ægyptiis in illos deveniſſe ritus facilè videtur. Hactenus Herodotus, cujus teſtimonium modo in examen revocandum eſt.

Sibi planè non cohæret Herodotus, dum aſſerit Ægyptios à cæteris populis circumciſione diſcerni, ritu planè cæteris omnibus incognito, præter iis, in quos ex Ægypto devenerit; cum tamen alibi primum illius admiſſe honorem Colchis, Ægyptiis, & Æthiopibus tribuat. Sibi etiam repugnat, cum ambigere ſe profitetur, utris potiùs, Ægyptiiſne, an Æthiopibus circumciſionis inventio deputanda ſit. Cum enim optimè Æthiopes Aſiaticos ab Africanis diſtinguat, ignorare profectò non potuit, Æthiopes Africanos ex India in Ægyptum veniſſe; qui proinde, utpote ex Æthiopibus Aſiaticis (apud quos ignota circumciſio) derivati, nunquam fieri potuiſſet, ut circumciſionem tanquam avitam cæremoniam haberent. Quare nullus ambigendi locus erat, an ex Ægyptiis in Æthiopes circumciſio irrepſerit.

Falſus eſt enim Herodotus dum narrat, Phœnices, & Syros, Palæſtinæ incolas, ſuamet confeſſione, ex Ægyptiis recepiſſe circumciſionem, profeſſos fuiſſe; nullam enim gentem in Syria circumciſione obſignatam præter Phœnices, & Judæos novimus; neutra verò recepiſſe ſe circumciſionem ex Ægypto fatetur. Judæi ex Abrahamo, quin potius ex ipſomet Deo; Phœnices ea priſco gentis Rege Ilo, ut infra dicemus, repetunt. S. Barnabas in Epiſtola Syros omnes, Arabes & Sacerdotes Ægyptios circumciſione initiari conſueviſſe perhibet. S. Epiphanius hæreſ. 30. idem aſſerit de Iſmaelitis, alio nomine Saracenis, Samaritanis, Idumæis, Homeritis; addit & Moabitas, atque Ammonitas S. Hieronymus in Jerem. 9. Tuetur S. Ambroſius annot. in Levit. ad Conſtantin. ſeu Epiſt. 72. n. 6. nov. edit. eo ſtigmate inuſtos fuiſſe non Ægyptios Sacerdotes tantùm, ſed & apud Æthiopes, Arabes, & Phœnices, nonnullos.

A Gemina legas in libro de Circumciſione inter Opera S. Cypriani.

Illud ergo ea mente horum Authorum exploratæ antiquitatis & authoritatis conſequitur, morem illum per univerſum latè Orientem pervagatum fuiſſe. Nihil modò in Iſmaelitis, Idumæis, Arabibus, Ammonitis & Moabitis immorandum; potuerunt enim omnes ex Abrahamo circumciſionem recepiſſe. Idumæos circumciſionis ritum à Joanne Hircano victore recepiſſe prodit Joſephus Antiq. lib. 13. cap. 17. Eadem facilè Moabitis & Ammonitis accidiſſe potuerunt; nec invitus ſuſpicor, Phœnicum nomine Samaritanos à Scriptoribus illis deſignari, cum S. Epiphanius Samaritanos recenſens de B Phœnicibus ſileat. Nullo autem negotio originem circumciſionis apud Samaritanos deprehendimus, cum illi Moſaicæ Legis cæremonias admitterent. Soli ergo manent Ægyptii atque Æthiopes; ſed dum & poſteriores illi ſuamet confeſſione decus inventæ circumciſionis à ſe abjudicantes, tenuiſſe illam ex Ægyptiis Hebræiſve ultrò profiteantur, ad unos Ægyptios controverſia cogitur.

Igitur plurium Scriptorum teſtimonio colligitur, nulla apud Ægyptios lege præceptam eſſe circumciſionem, ejuſque morem in univerſa gente non obtinuiſſe. Cauſas quare circumciſionem admitterent populi, plures enumerat Philo de Circumciſ. pag. 810. Prima, ut eo remedio, C peculiare morbi genus, carbunculum dicunt, quod circumciſione evitatur, præcaverent. Secunda, quò, ſordis cauſa ſublata, corpus elutum purumque ſervetur; cujus rei gratia pilos omnes corporis, metu ne quid impurum detineant, eradunt. Tertia, quæ ſymbolica eſt, à noſtro argumento aliena, ultrò omittitur. Quarta tandem, ut fœcunditas, multum enim circumciſionem ad eam rem conducere arbitrantur, promoveatur.

S. Ambroſius Epiſt. 72. ad Conſtant. n. 5. in ea eſſe ſententia videtur, Ægyptios perſuaſum habere, ſordis neſcio quid Sacerdotibus illis ineſſe, qui circumciſione non eluerunt. Addit inſuper: *Neque Magici carminis ſapientiam, nec* D *Geometriam, nec Aſtronomiam judicant vim ſuam obtinere, ſine circumciſionis ſignaculo*. Veſlingius Syntag. anatomic. 6. Medicus celebratiſſimus, cauſa quadam naturali Arabes & Ægyptios, qua mares, qua fœminas ad circumciſionem propelli arbitratur; mares enim, ait, præputium plus nimiò excreſcens neceſſitate magis, quàm Religione, quamvis & Religione etiam aliqua, vel potiùs ſuperſtitione inducti, amputant. Fœminæ verò quid cauſæ habuerint, cur ad circumciſionem adigerentur, vide Notam infra pag. 51. Certum eſt autem circumciſionis hujus admittendæ nullam fuiſſe apud eos populos legem, neque morem illum per totam provinciam obtinuiſſe. Ad arbitrium probabant rejiciebantque omnes, ſi unos excipias mares Ma- E hometicæ Legis ſectatores, quos legis ejuſdem præſcriptum duræ illi neceſſitati ſubdebat.

S. Clemens Aleſandrinus Strom. l. 1. refert, Pythagoram, cum in Ægyptum auſcultandis Gentis illius Prophetis veniſſet, circumciſioni ſe ſubjeciſſe, quò & eorum myſteriis initiari, & ad intima philoſophiæ adyta admitti permitteretur. Origenes in Epiſt. ad Rom. 1. 2. & in Jer. hom. 5. exactum ducens catalogum eorum, qui circumciſione in Ægypto initiabantur, recenſet Geometras, Aſtronomos, Aſtrologos judiciarios, Genethliacos, Sacrificulos, eſtorum Inſpectores, Prophetas quos vocant, Hieroglyphicis ſtudentes, Divinos, Myſteria revelantes, & qui myſteriis initiari volunt. Obſervat Joſephus cont. Appion. l. 2. Sacerdotes Ægyptios omnes circumciſionem admittere, atque à ſuilla abſti-

abſtinere : Paria de circumciſione Sacerdotum apud S. Epiphanium hær. 30. legas. Quæ omnia apertè demonſtrant circumciſionem ritum fuiſſe ſolis Sacerdotibus peculiarem.

Eia verò quo potiſſimum tempore mos ille ad Ægyptios translatus ſit, inquiramus. Moyſe authore cæremoniam habuiſſe Ægyptios, & Æthiopes Sacerdotes, Artapanus apud Euſebium Præp. l. 9. c. 28. teſtatur. In eamdem ſententiam deſcendiſſe Origenes viſus eſt cont. Celſ. l. 5. pag. 163. edit. Cantabrig., tradens cogendarum ad circumciſionem Gentium in cauſa fuiſſe gliſcentem apud illas metum de Angelo quodam Judæorum adverſario, qui pateere circumciſione ſignatis coactus, in circumciſos diræ animadverſioni ſubjicere ferebatur. Quæ in illos perſuaſio utique ex hiſtoria, in Exodo relata, de Angelo, Moyſi in Ægyptum reduci obviam facto, atque in necem Eliezer filii ipſius irruente, derivata eſt. Tunc enim Sephora, pueri mater, filio ſtatim circumciſione initiato, imminens periculum è capite illius avertit. Malunt alii Ægyptiorum circumciſionem ex Iſraelitis in Ægyptum cum Jacob deſcendentibus repetere. Quamquam enim ambo illi populi Ægyptii, & Judæi, primò ſe alter ab altero obſervaſſent, ne cibos quidem ſimul capere, neque ambulare ſimul, ſedeſque communes habere, ſuſtinentes; ſucceſſu tamen temporis de veteri utrimque jure receſſum eſt, ut cum ex Ægypto Iſraelitis remeandum fuit, non deeſſent ex populo, qui connubia cum Ægyptiis puellis iniviſſe deprehenderetur; ne quid dicam de translatis Hebræorum in Ægyptiorum Urbes ſedibus, eorumque moribus adoptatis. Quid, quòd avita Religione deſerta, atque paſtoritia profeſſione abdicata, plures ex Hebræis ad Ægyptiorum ſacra atque conſuetudinem tranſierunt? Inter hæc tamen, ut avitam peculiaremque circumciſionis religionem abjicerent Judæi, nunquam commiſſum eſt. Hujus ergo ritus adeò fuiſſe tenaces videntur, ut ne jungi quidem cum Ægyptiis facilè ſe ſuſtinuerint, niſi ea tantùm conditione, ut unicam hanc cæremoniam, quam Hebræi uſque adeò obſervaverant, probarent, atque reciperent.

Quamquam hęc plauſibilia videantur, non minùs tamen aliis plauſibilibus conjecturis oppugnari poſſunt. Si Ægyptii circumciſionem admiſerant, ut ea conditione Iſraelitas in ſuas Urbes atque ſocietatem adducerent; & Iſraelitæ viciſſim & avitum ſolum, & profeſſionem ſimul cum Religione abjecerant; quid tandem prohibuit, ne ſpatio 205. annorum, quo ſimul cohabitarunt, in unum eandemque gentem coaleſcerent? Aliter tamen res habuit ſeſe; pauci ex Iſraelitis cum Ægyptiis connubia miſcuerunt, atque duæ illę gentes ſuo ſingulæ jure cenſebantur; quin & pro veteri inter ipſas ſimultate factum credimus, ut Rex Ægypti de Iſraelitis exterminandis cogitaret. Circumciſionis indicio agnitus à filia Regis Ægypti Moyſes creditur; viſum enim in ripa Nili filium, eo ſigno initiatum, ſtatim non Ægyptium, ſed ex Hebræis genus referre judicavit.

Cum Moyſes leges præſcribit, quibus jus Civitatis, & gentis Judaicæ exteris gentibus permitti poterat, circumciſio primo loco recenſetur; quæ generalis pro omnibus gentibus lex ne Ægyptios quidem excipiebat; ut liquidò intelligamus Circumciſionis ceremoniam nondum apud illos obtinuiſſe. Singulare tantùm populis illis conceſſum eſt privilegium, in gratiam conceſſæ olim Iſraelitis in ſua regione ſedis, ut in tertia demum generatione eorum filii in cœtus Domini introducerentur Deut. 23. 7.; utique tamen admiſſa priùs ab illis circumciſione cæterarum-

A que legum obſervantia; uti Commentatores obſervant.

Egreſſi ex Ægypto Iſraelitæ, atque per deſerta Arabiæ iter facientes, ab omni externarum gentium conſortio ſegregati (1), cum in unam veluti Civitatem coaluiſſent, circumciſionis cæremoniam intermiſerunt; cum enim eo ſigno ſeligere ſibi populum ſuum à cæteris voluiſſet Deus, non erat utique, cur à cæteris ſegregati in deſerto obſignarentur. Vix tamen in Chanaanitidem, atque inter medios Chananæos ventum eſt, iterum Divino præcepto pueri, in deſerto nati, circumciſioni ſubjiciuntur. Divinis hiſce juſſionibus à Joſue executioni mandatis, Deus ſtatim ad illum, *Hodie*, ait Joſue 5. 9. *abſtuli*
B *opprobrium Ægypti à vobis*; ac ſi diceret: quidquid vobis erat cum Ægyptii commune, probroſum planè, & deteſtabile, id modò penitus abſtuli. Filii Jacob detineri ſe, ne cum Sichimitis connubia jungerent, ſignificarunt, illud obtendentes: *Non poſſumus dare ſororem noſtram homini incircumciſo, quod illicitum, & nefarium eſt apud nos*, Gen. 33. 14.; id eſt, hominem incircumciſum nos probro ducimus & horrori (2). Chananæus igitur & Ægyptius æquè opprobrio erant Hebræis; quippe qui neutri circumciſionem recepiſſent.

Laudatum è Joſue teſtimonium Marshamus in ſuæ ſententiæ patrocinium convertens, ex eo probare conatur, Moyſis ætate Circumciſionem apud Ægyptios obtinuiſſe; quare Deus illud
C uſurpans: *Abſtuli opprobrium Ægypti à vobis*, tantumdem effatus eſt, ait idem Scriptor Canon Ægypt. ſæculi 5., ac ſi dixiſſet: Abſtuli quod vobis æquè ac Ægyptiis horrori eſt, & opprobrio; quaſi ſcilicet apud Ægyptios lex illa latè & indiſcriminatim obtineret adeò, ut incircumciſum hominem horrori ducerent, atque ad eam cæremoniam admittendam latis legibus cogerentur. Opprobrium igitur Ægypti, non eſt cur de inſito in ea gente horrore erga homines incircumciſos, quemadmodum Iſraelitis inſitum eſt, interpretemur. Poſt hæc omnia, Moyſis, & Joſue ætate incircumciſos manſiſſe Ægyptios, jure à nobis aſſerendum arbitramur. Modò ſuccedentia illis tempora examinemus.

D Opinio eſt apud Eruditos receptiſſima, ſub Salomone primùm Ægyptios, & Æthiopes circumciſionis ritum admiſiſſe. Ejus rei conjecturas ex commercio atque arctiſſima conſuetudine utriuſque gentis per ea tempora cum Hebræis ducunt; verùm ſi Hebræis in Ægypto commorantibus, adhuc tamen nulla facta eſt utriuſque gentis in circumciſione communio; quinam fieri poterat, ut merum inter utramque gentem commercium ſub Salomone eam haberet vim, quam contubernio, tot annorum ſpatio continuato, denegamus? Quoad Æthiopes, in quos deveniſſe autumant circumciſionem, Reginæ eorum, quæ Salomonem Jeroſolymam convenerat, miniſterio, operæ pretium eſt animadvertamus, eam
E fœminam non in Æthiopia, de qua loquimur, regnaſſe, ſed in Saba Arabiæ regione; quare iter illius ad Salomonem, atque ea, quam de Rege conceperat, opinio, conciliandæ apud Æthiopes circumciſioni nihil conferre poterat.

Bochartus & Eruditorum nonnulli non ex Judæis invectam in Ægyptios circumciſionem, ſed ex vicina Arabia derivatam maluerunt. Immanis eſt quidem inter Ægyptiorum, & Judæorum circumciſionem diſcrepantia; ac viciſſim inter Ægyptiorum, & Arabum plurima conſonant. 1. Admittendæ circumciſionis Judæi arctiſſimo adiguntur præcepto, eamque veluti peculiare ſignum & characterem populi Dei, cujus conditione divina in ſe promiſſa implerentur, recipiunt; Ægy-

(1) Theodoret. q. 3. in Jeſu Nave. (2) חרכה לנו

Digitized by Google

Ægyptii verò ultronea in illam religione ita feruntur, ut non à populo univerſo, ſed à certis tantùm Sacerdotibus illam exegerint. 2. Apud Judæos ſolos mares circumciſione, octava ſemper à nativitate die, initiare mos eſt; apud Ægyptios viri æque, ac fœminæ abſcinduntur (1); idque tantùm ineunte 14. ætatis anno, juxta S. Ambroſium (2). Neque omnes Ægypti fœminas indiſcriminatim Circumciſionis genus hoc admiſiſſe ſatis apud itinerantes convenit. In nonnullis tantùm Arabiæ & Perſidis regionibus veluti ad Sinum Perſicum, & Mare Rubrum, ea lex obtinet; ubique enim per eas Provincias mos æquè pro maribus & fœminis ſervatur, eo tamen diſcrimine, quòd abſcindendis maribus, quintus, ſextus, vel nonus, vel tertiuſdecimus ætatis annus præſcriptus ſit; cum interim fœminæ nonniſi poſt exactam juventutem circumcidantur; nequaquam enim antea caro circumciſione abſcindenda in fœminis excreſcit. Vide *Chardin* Iter *Perſic. tom.* 2. *pag.* 207.

3. Judæi in partem initi cum Abrahamo fœderis per Circumciſionem recipiuntur, cum Ægyptii nihilo, quàm honeſtate, & fortè peculiari regionis ſuæ incommodo corporis evitando, maximè in fœminis (3), ad eam rem impellantur. Jure proinde meritoque Origenes nihil eſse inter Ægyptiorum & Hebræorum circumciſionem commune ſubſtinuit. Quamquam, ut vera fatear, tanta iſta non ſunt, ut ex uno eodemque fonte utrumque morem profluxiſse negemus. Eſto enim ex Arabia in Ægyptum derivata ſit, ſemper tamen ad Abrahamum patrem Iſaac & Iſmaelis referentur, idemque ſemper ineluctabile contra vetuſtatem circumciſionis apud Ægyptios argumentum obtinebit.

Ætate Prophetarum Exechielis & Jeremiæ, Ægyptii, non ſecùs ac Babylonii, & Tyrii, inter gentes incircumciſas recenſentur. Hinc Ezechiel Dei nomine ita Aſsyriorum Regem affatur c. 32. *Ecce deluctus es ad terram ultimam; in medio incircumciſorum dormiet, cum eis, qui interfecti ſunt gladio; ipſe eſt Pharao, & omnis multitudo ejus.* Idem Propheta 31. 19. 28. 32. & ſeq. Pharaonem ipſum allocutus, & populum illius, minitatur ſe illos in infernum dejecturum cum aliis populis incircumciſis, velut Aſſur, Elam, Moſoch, & Tubal. Jeremias denique cap. 9. 25. palam Ægyptios a Judæis propter circumciſionem diſtinguit, quam hi quidem recipiebant, illi verò non ita. Ecce hujus Prophetæ verba, juxta litteram Hebraicam: *Viſitabo ſuper omnem incircumciſum cum præputio: ſuper Ægyptum & ſuper Juda. Quia omnes gentes habent præputium; omnis autem domus Iſrael incircumciſi ſunt corde.* Negare tamen non auſim, receptam tunc temporis apud Ægyptios quoſdam circumciſionem; cum mos Sacerdotes eo ritu initiandi vetuſtiſſimus apud illos habeatur; quanquam illud non minùs conſtat, Ægyptias gentes inter incircumciſas tunc cenſeri conſueviſſe.

Ut ſententiæ de invecta primùm ab Ægyptiis circumciſione nervos prorsùs omnes ſuccidamus, ad hæc animum advertiſſe oportet. 1. Populum univerſum nulla inductum ratione ſponte ſe du-
A ræ circumciſionis legi ſubjeciſſe, vix poſſumus perſuaderi. Illiberalem cæremoniam, nihil habentem prærogativæ ſingularis, niſi durum corporis cruciatum, ſimulque novam, vix ex tota gente unus in animum induxiſset; quid gens univerſa? Facilè quidem nobis perſuademus, primum, qui circumciſionem invexit, validioribus adductum rationibus eam tandem admiſiſse; validioribus, inquam, quàm de Ægyptiis excogitaverint contrariæ ſententiæ patroni; nempe affectata quadam honeſtate, vel ineptiori aliqua ſuperſtitione, Cynocephalum nempe imitandi, divinum animal, quòd, inquiunt, circumciſum
B ex utero matris prodit. Deliramenta quidem hæc ſunt vana cogitantium, ne refutanda quidem. Nec meliora tamen afferunt Ægyptiis, quibus inductos ſe ad circumciſionem perſuadeant; quare primam illis hujus ritus inventionem abjudicandam arbitramur.

2. Obſervare oportet, ritum illum, ſi per univerſam latè Nationem ſemper obtinuiſset, ejuſque maxima habita fuiſset ratio, tanquam peculiaris ejus Gentis atque Religionis cæremoniæ, apud omnes etiam gentes ex Ægypto deductas, atque Ægyptiacis ſacris initiatas, deprehendendum fuiſse. Cur igitur apud Chananæos, Phœnices,
C & Philiſtæos, variaſque Africanas gentes, genus ex Ægypto referentes, non obtinet? Obtinet quidem apud Phœnices; ſed à Saturno recepta, ut infra dicemus. Præterea Ægyptiacas ſuperſtitiones per Syriam, Africam, Cyprum, & Græciam late evulgatas; quanquam nihil ſimile de de circumciſione fertur. Quæ ad Colchos ſpectant, eandem, uti ferunt, gentem *ac Caſluim*, poſteros Mizraim ſive Ægyptiorum, infra examinabimus.

Eſt igitur cur aſſeramus, circumciſionis ritum ab Ægyptiis authoribus non cœpiſse; ſeriùſque apud illos obtinuiſse, quàm ut Abraham ab ea
D gente cæremoniam addiſcere poſset. Reſtat ut Phœnicum conjecturas in medium afferamus, quibus inventæ circumciſionis ſibi honorem adſciſcunt.

Sanchoniato apud Euſebium in Præp. l. 1. tradit, Saturno, quem Phœnices Iſraelem nominant, unicum tantùm ex Anobret Nympha filium Jeud fuiſſe, quo in victimam Cœlo patri ſuo oblato, ipſum ſe circumciſione initiaſſe, ſuumque exemplum milites ſequi voluiſse. Mos inde apud Phœnices inolevit, in difficillimis Regni eventibus Regiorum filiorum victimas immolare; quemadmodum & circumciſionis ritus per totam latè na-
E tionem inde facilè obtinuit. Cum tamen inter ſuſpectæ fidei Authores Sanchoniato potiſſimum ſibi vendicet locum, ejuſdem authoritati refutandæ operam non perdimus.

Mos igitur receptæ apud Phœnices circumciſionis, Abrahamo, atque Iſraelitis authoribus deputandus eſt; quanquam non eum fuiſse ritum credo, ut latè apud omnes illos populos obtineret. Neque enim ſive lege ad eum cogi ſe Phœnices credebant, neque Joſue, quin neque Regum Juda & Iſraelis ætate (quantùm conjicio) adhuc jugum illud ſubierant. Regi Tyri minitatus Ezechiel 28. 10. ait: *Morte incircumciſorum morieris;* ſimili

(1) Strab. l. 17.

(2) De Abraham lib. 2. cap. 11: *Ægyptii quartodecimo anno circumcidunt Mares, & fœminas eodem anno circumcidi ferunt, quod ab eo videlicet anno incipiat flagrare paſſio virilis, & fœminarum menſtrua ſumat initia.*

(3) Huet. not. ad Orig. par. 5. *Circumciſio fœminarum ſit reſectione, τῆς νύμφης qua pars in Auſtralium præſertim mulieribus ita extreſcit, ut ferro coercenda ſit. Ita tradunt Medici inſignes Paulus Æginetæ l. 6. cap. 70. Ætius Tetrab. 4. ſer. 4. c. 103., quorum hic ita pergit: Quapropter Ægyptiis viſum eſt, ut antequam exuberet (pars illa corporis) amputetur, præcipuè cùm virgines nubiles ſunt elocandæ.... Quod igitur neceſſitate primùm inventum eſt, Religioni poſtmodùm uſurpatum fuit: quod & aliqui de virili circumciſione opinati ſunt. Porrò hanc conſuetudinem circumcidendarum mulierum hodieque retinere Ægyptios, ferunt ii, qui regiones illas luſtraverunt, ignemque ad compeſcendam partis hujus luxuriem adhibere ſcribit Bellon. l. 3. obſerv. c. 28. Morem hunc ſervare fœminas in Perſia, & Cophtas etiam in Æthiopia Chriſti licet nomen profeſſas: Leo Africanus l. 8. narrat Mahammedis lege id præſcribi, quamvis in Ægypto tantùm & Syria obtineat, mulierſque id obire vetulas quaſdam, per vicos Cairi miniſterium ſuum venditantes.*

ſimili nempè cum cæteris incircumciſis morte, quibus ſpes omnis melioris poſt obitum vitæ præciſa eſt. Vide Ezech. 32. 19. 21. 22. &c. Ab ea tandem cæremonia deſueviſse Phœnices ex inſtituta cum Græcis conſuetudine, Herodotus 2. 2. obſervat; quam proinde, neque in deductis ab ea gente Coloniis ad Mediterranei litora, nuſquam receptam videmus. Joſephus etiam luculenter aſſerit, ætate ſua Judæos, unicos ex univerſa Syria populos, circumciſionem ſervaſse; ex quibus intelligimus, adſcititium externumque morem in Phœnicum ſolo tanquam alieno, citiùs exaruiſse.

De Colchorum origine fuſiùs Gen. 10. 14. diſſerentes, ea, quæ apud Herodotum de Ægyptia ejus gentis origine aſſeruntur, dubiæ eſse fidei oſtendimus; neque firmiora ſunt, quæ Scriptor de circumciſione apud illos recepta narrat; ſive enim genuinum avitumque eſse gentis morem, ſive ex Ægypto receptum contendit, æquè ſemper ſuſpectus eſt. Quare alium quærere fontem tum Colchorum, tum Syrorum, ſuperiora Thermodoontis, & Parthenii incolentium, circumciſionis oportet. Qua in re, obſcura quidem & implexa, ſi conjecturas propoſuiſse permittimur, ſuſpicari poſſumus, ex Iſraelitis in eas regiones exulantibus, morem increbuiſse. Niſi malueris ipſos, qui Circumciſionem admittebant, Iſraelitas per Salmanaſarem, ſive Teglatphalaſſarem in eas regiones fuiſse translatos. Cum autem Iſraelitæ illi veterem circumciſionis morem retinuiſſent, atque è viciniis Ægypti deſcendiſſent, fuſcum colorem, criſpantem comam, externam à Colchidis linguam, & cultum bovis aurei, Ægyptiacæ Apidis religioni ſimillimum, referrent, facilè è media Ægypto veniſſe crediti ſunt. Is error Græcis Authoribus ſæpiùs irrepſit, ut Hebræos, ex diuturna cum Ægyptiis mora, ab Ægyto originem retuliſſe crederent.

His de vetuſtate Circumciſionis apud veteres Paganas gentes deductis, modò aliqua ſuperſunt de circumciſione Hebræorum, ex Scriptura decerpenda. De origine, uſu, & praxi hujus ritus explorata omnia; ejus enim invectæ hiſtoria diſertè apud Moyſem legitur, cujus poſteritas conſtanti ſemper uſque hodie ſucceſſione circumciſionem ſervavit. Poſtquam Deus, ait Moyſes Gen. 17. 10. 11. de fide, atque obſequio Abrahami non ſemel periculum feciſſet, fœdus tandem cum illo, ejuſque poſteritate ſe initurum ſignificavit, innovatiſque promiſſionibus, atque benedictionibus ſuis, ita illum affatus eſt: *Hoc eſt pactum meum, quod obſervabitis inter me, &c. vos, & ſemen tuum poſt te; circumcidetur ex vobis omne maſculinum, ut* (circumciſio) *ſit in ſignum fœderis inter me, & vos*. Patrum, Interpretum, quin & ipſius Scripturæ conſenſu illud potiſſimum conſilium inſtituendæ circumciſionis Deum habuiſſe conſtat, ut eo veluti ſigno Abrahami poſteri à cæteris gentibus diſcernerentur. Quòd autem in eam rem incertum, commune nempè vicinis gentibus, quibuſcum Hebræi diutius egerant, ſignum elegiſſe Deum, vix eſt quòd credamus. Nonne enim eo accepto ſigno, populus electus atque prophanus, genus Abrahami cum gente Pharaonis, confunderentur miſcerenturque? Nonne contrariam planè ſcopo viam iniviſſet Deus? Fateamur igitur oportet, in ea, quam Moyſes de invecta circumciſione retexit, hiſtoria, liquidò ſanè indicari novum eſſe ritum & ad id uſque cæteris incognitum. Hinc rectè Origenes (*) Abrahamum primum eſſe mortalium, qui circumciſionem admitteret, tanquam ex Moyſe relatum, aſſerit; nec ſanè pronior eſt alius Moſaicæ relationis ſenſus.

Poſt hæc omnia, primo invectæ circumciſionis gloriam Abrahamo adhuc invidebimus? Abrahamo, inquam, cui omnium vetuſtiſſimus, atque certiſſimus Liber Moyſis ſuffragatur? Abrahamo, qui id ſibi decus tranquilla 3600. annorum poſſeſſione præſcripſit?

Juris ejuſdem viri certa ſunt argumenta, ſive Deum circumciſionem præcipientem, ſive Abrahamum Divinis juſſionibus obſequentem ſpectemus. Ejuſdem moris apud Hebræos origo, & ſucceſſio æquè exploratæ ſunt. Nihil eſt quo perſuaderi Abrahamo potuerit, ut in ea re Ægyptios & Phœnices, ſi fortè apud illos ritus obtinuiſſet, imitaretur; ſemper enim ab eorum ritu, & cultu abhorruit; fœdus cum illis nunquam, niſi neceſſitate cogente, inivit. Ut quid igitur circumciſionem illorum admiſiſſet; præſertim neque apud illos indiſpenſabili lege, nec niſi pudoris cujuſdam gratia, obtinentem?

DISQUISITIONES
DE VETUSTATE MONETÆ SIGNATÆ

Ad Gen. 20. 16.

VEtuſtiſſima commerciorum ratio rerum permutatione fuiſſe creditur; olim enim in commerciis ea tradebat emptor, quæ ſibi inutilia erant, & ſuperflua, ut à venditore viciſſim commoda ſibi, vel neceſſaria reciperet. Cum verò accidiſſet non ſemel, ut ea, quæ ſibi deerant, alteri pariter deeſſent; ſive non deeſſent quidem, ſed alter alteri rerum permutatione tradere recuſaret, factum inde, ut pretioſum aliquid certi & explorati valoris deſignaretur, cujus pretium emendarum mercium valorem determinaret, atque omnibus in rerum permutatione incommodis mederetur. Succurrit deinde, ut pretioſum illud publico aliquo ſigillo obſignatum eſſet, quo certus rei valor, pondus, & uſus in commerciis maneret.. Porrò ejus ſigilli nulla olim alia inerat ratio, quàm ut metalli pendendi, atque explorandi incommodo occurreretur. Jus illud monetas obſignandi, certo illis valore atque uſu aſſignato, Reges, atque Reipublicæ Principes ſibi reſervarunt. Hæc tamen omnia non ſimul quidem in univerſo Orbe, ſed ſenſim obtinuiſſe, vix eſt quòd dubitemus. Hinc cuſæ monetæ origo apud varias Gentes variis atque diſſitis temporibus legitur, uti apud Perſas, Græcos, & Romanos; quin & diu poſt inventam monetam, veterem retinuiſſe morem, commercia nempe rerum permutatione inſtituendi, Gentes aliquas ſcimus.

Trojani belli ætate nullus apud Græcos monetæ uſus obtinebat. Apud Homerum, & Heſiodum, qui poſt eam ætatem floruerunt, de aurea atque argentea moneta ne verbum quidem occurrit; ſed rerum valorem ita exprimunt, ut tot bobus, vel arietibus res æſtimari dicant locu-

(*) Contra Celſ. l. 5. .... *Malens Ægyptiis, quam Moyſi credere, qui refert, primum mortalium circumciſum Abrahamum*.

locupletis hominis cenſum gregum numero metiuntur; atque divitem dicunt regionem, paſcuis & metallis copioſam.

De Glauco ſcribit Homerus, arma ſua aurea pro æneis Diomedis dediſſe, quæ ſcilicet arma centum bobus valebant; cum Diomedis nonniſi novem æſtimarentur (1). Idem Poeta commercia in caſtris præ Trojæ mœnibus deſcribens Iliad. N; alius, ait, pro vinis Lemniis æs, alius ferrum, alius pelles; erant, qui boves, & qui mancipia erogarent.

De primis Græcæ monetæ authoribus inter veteres recentioreſque Scriptores non convenit. Ejus inventæ honorem Ithono Regi Theſſaliæ, filio Deucalionis, Lucanus vindicavit Pharſ. l. 6.

Primus Theſſalicæ ductor telluris Ithonus,
In formam calida percuſſit pondera maſſæ.
Fudit & argentum flammis, aurumque moneta
Fregit, & immenſis coxit fornacibus æra.

Alii tamen Erichtonium malunt, qui inventæ uſum Athenienſes, & Lycios docuerit: Erichtonium, inquam, filium Vulcani, à filiabus Cecropis Regis Athenienſis innutritum; ex quo de ætate ejus viri conjectura capienda eſt. Aglosthenes apud Pollucem l. 9. c. 6. incolas inſulæ Naxi præfert; ſed vulgaris ſententia Phidoni Regi Argi, Lycurgo, & Iphito ſuppari, palmam tribuit; à quo, inquiunt, moneta Æginetis tradita eſt (2) ut eo commercio vitam tolerare, atque Inſulæ ſterilitatem utcumque reparare poſſent. Extant noſtra ætate quidam hujus Principis nummi (3) clypeo, qualem Latini *ancile* appellant, in antica exculpti, in poſtica verò lagena vel bothrus exprimitur, cum literis ΦΙ ΔΟ. Lycurgus, (4) oppoſito planè ab eo Rege conſilio, ut Lacedæmonios à commercio cum exteris averteret, cudi monetam ferream gravemque juſſit, candentem priùs in aceto temperatam, ut omnibus exinde uſibus inepta penitus redderetur. Quin *emi ſingula non pecunia*, ait Trogus, *ſed compenſatione mercium juſſit* (5); quare aurum, argentumque omne Lacedæmone exulabant (6). Sub Polydoro Rege, 130. anni poſt Lycurgum, Viduæ cujuſdem Regis, in pretium venditæ Regiæ domus, opimus boum grex perſolutus eſt. Poſt captas à Lyſandro Athenas, aurea & argentea moneta Lacedæmonem irrupit; quanquam ad publicas neceſſitates tantùm, cæteris omnibus ejus uſu capitali pœna interdicto. Apud Clazomenios, ſicut & Britones nulla, niſi ferrea, moneta invaleſcebat. Byzantinis pariter ferrea nota erât, in cujus religionem ſacramento obſtringebantur (7).

De forma veteris Græcæ monetæ tradit Plutarchus in Lyſandr. verulos quoſdam ferreos, vel æneos retuliſſe, ex quo, ait ille, noſtra etiam ætate monetæ omnium minutiſſimæ oboli nomen manet; (obêlos enim Græcè veru ſonat) quemadmodum & drachma, ſive pugillus dicitur moneta, quæ ſex obolis, tot nempè verulis quot capere manus, valet. Fuerunt ex Antiquis, qui monetam in Lydia, ſive in Perſide, antequam in Græciam tranſiret, obtinuiſſe contenderent. Primos cuſæ monetæ aureæ & argenteæ, qua in commerciis utebantur, Lydios authores fuiſſe tradit Herodotus l. 1. c. 94. Paria apud Xenophanem à Polluce l. 9. c. 6. laudatum habes; nullibi tamen epocha inceptæ apud Lydios monetæ deſignatur. Sub Cræſo nihil adhuc de pecuniis innotuiſſe ſuſpicamur, cum ejus Principis theſauri auro argentoque rudi, atque ejuſdem metalli pulvere replerentur, quod ſanè ex Herodoto lib. 6.

A c. 523. licet intelligere in hiſtoria de Alcmæone; permiſſus enim ille à Cræſo tantùm auri ex Regiis theſauris ſibi capere, quantum ſecum deferre poſſet, aureo pulvere ſinum, veſtes, quas ampliſſimas de induſtria ſumpſerat, calceamenta, quin & comam ipſam referſit. Veterum phraſi auri maſſa *aurum factum*; arena verò & pulvis, qualis ex fodinis ſive auriferis amnibus hauritur, *aurum infectum* appellabatur.

Perſis ante Darium Hyſtaſpem, ignota quidem moneta videtur (8); Rex enim ille argenti tributa ad pondus talenti Babylonici redigenda præſcripſit; aurea verò ad talentum Euboicum. Aurum illud atque argentum Darius ſeorſim eliquanda in vaſis fictilibus tradebat, quibus in maſſam B redactis, fracto vaſe, aurum in fruſta, quot ad uſum neceſſaria erant, redigebatur. Addit inſuper Hiſtoricus (9), Regem illum, ut nominis ſui memoriam poſteritati æternam commendaret, aureos quoſdam nummos ex optimo defæcatoque auro cudi juſſiſſe, novo & nunquam apud alios Reges uſurpato more, qui deinde nummi Darici appellati ſunt.

In ea Herodoti hiſtoria nihil eſt, quod cæteri Scriptores reprehendant. Polycritus apud Strabonem lib. 15. ad fin. teſtatur, argentum omne ex tributis redactum, in Regiam & in arces Perſidis deportari conſueviſſe, ex quo moneta in uſus & ſumptus neceſſaria tantummodò cudebatur. Fiebat indè, ut auri Perſici maxima portio, rudis; ſignata verò modica haberetur. Paria apud C Diodorum Siculum traduntur l. 18. qui ab Alexandro Magno auri non ſignati ultra 40000. talenta, ad urgentiſſimas Regni neceſſitates reſervata, Suſis reperta tradit; Daricorum verò nonniſi 9000. auri talenta ea occaſione inventa. Q. Curtius ad 50000. talenta *argenti non ſignati forma, ſed rudi pondere* ſupputat. Hodie etiam conſuetudo apud Reges Perſidis obtinet, ut nulla cudatur moneta, niſi quam Regnum ineuntes congiario populis dando impendunt, quæ quidem moneta nullo certo pretio conſtantique determinatur. Tandem veteres Parthos in armorum tantùm ornamentum auro argentoque, uti Juſtinus eſt author l. 41. utebantur.

Poſt Darii Hyſtaſpis Regnum, Daricorum frequens D in Græcia uſus, quorum figuram jaculatorem in poſtica exhibuiſſe ex Plutarcho Apophteg. Laconic. intelligimus. Ageſilaus enim Rex Lacedæmoniæ Aſiam deſerere, ut regioni ſuæ ſuccurreret, coactus, pelli ſe dicebat à 30000. jaculatoribus; quòd ſcilicet Dimocrates 30000. Daricorum pretio Oratoribus Athenienſibus, & Thebanis corruptis, eas Gentes in Lacedæmonios armaverat. Xerſes, è Græcia faceſſens, Mardonium reliquit, *cùm multum auri tum ſignati, tum non ſignati haberet* (10).

Quæ de Dario Hyſtaſpis tradidimus, quaſi omnium Regum primus Daricos fabricaverit, Scriptoribus quibuſdam non probantur; quibus non Darius Hyſtaſpis, ſed alter longè vetuſtior Darius, eandem monetam cudiſſe viſus eſt. Laudatur E in eam rem teſtimonium Scholiaſtis Ariſtophanis, & Suidæ, qui veteres Daricos, non Dario patri Xerſis, ſed alteri vetuſtiori tribuunt. Hunc dicunt eſſe aliqui Regem Darium Medum in Scriptura Dan. 5. 31. appellatum, & eodem nomine apud Æſchylum in Perſis notum. Ea eodem vetuſtiſſimo Dario referunt illi monetas illas 1. *Eſdr.* 2. 69. & 1. *Paral.* c. 29. 7. *Damonim* & *Adarcon* ſub initio Cyri regno appellatas,

*****

(1) Homer. Iliad. Z. Domina Daceris ita reddit Homeri verba, ut Dei inſpiratione Glaucus ad imparem hanc armorum permutationem induceretur. Vide ejus notas pag. 502. ubi in ſuæ ſententiæ partes Porphyrium vocat.
(2) Strab. l. 8. (3) Sperling. de num. non cuſis. (4) Plutar. in Lycur. (5) Juſtin. l. 3.
(6) Athen. l. 6. c. 4. (7) Ariſtoph. Nubes, act. 1. ſcen. 3. (8) Herod. l. 3. c. 89. &c.
(9) Lib. 4. c. 166. (10) Herod. l. 9.

eaſque cum Daricis confundendas arbitrantur. Sunt etiam qui tradiderint, ſub ipſo Davidis regno *Adarconim* obtinuiſse (1); ſed Authores alii ſuſtinent, hanc monetam ex rudi metallo conſtaiſe; nempe ex rudibus auri argentive fruſtulis, certi tamen ponderis; quorum nomen ex Græco *Drachma*, non ex voce *Daricus*, derivatur. Utcumque tamen res habet ſeſe, nulla vetus Lydiorum, & Perſarum moneta noſtra ætate ſupereſt, cum vetuſtiſſimæ, quæ inter Cimelia ſerventur, Græcæ ſint; & inter Græcos omnium remotiſſimæ ætatis habeantur nummi Amynthæ patris Philippi Macedonis, & avi Alexandri Magni. In hiſtoria mentio occurrit de *Decabæis*, & *Hecatombæis*, ſub Theſeo; ſed an illa moneta eſset rudis, vel ſignata, non conſtat: rudem credit Sperlingius (2), certi tamen ponderis, & unius, decem, vel centum boum valoris.

Cum igitur ſermo eſt de veteribus monetis Græcorum ante Amyntham, non ſtatim nummi aurei & argentei, inſtar noſtrorum, emblemate quodam vel figura inſculpti concipiendi ſunt: facilè enim rudis erat moneta; vel ſi notam aliquam præſetulit, determinando tantùm ponderi, ne ad libram ſemper in commerciis examinaretur, adjecta erat. Nec facilè mihi perſuaſerim, nummos illos aureos Phidonis, de quibus ſupra, ejus ætate in Græcia cuſos fuiſse; vix enim in animum induxerim auri argentique cuſam monetam in Græcia antea obtinuiſse, quàm Perſidis moneta ſignata in eam regionem inferretur. Olim enim auri, & argenti metalla in ea Provincia ſupra ſidem rariſſima erant. De Philippo Macedoniæ Rege narrat Athenæus l. 6 c. 4., ſemper, dum cubitum iret, aureum quemdam ſcyphum ſub cervicali repoſuiſse; tanti ſcilicet metallum illud faciebat, quòd rariſſimum fuiſset. Anaximenes Lampſacenus apud eumdem narrat, torquem aureum Eryphilis in tota Græcia ea tantum de cauſa celebratiſſimum fuiſse, quòd auri ſumma eſset in eo Regno caritas; atque ſcyphum quemdam argenteum, tum temporis in Græciam delatum, tanquam rem novam omnes ſuſpexiſse. Gyges Lydiæ Rex omnium primus auri & argenti munera Templo Delphico obtulit, cum antea ærea tantùm conſuevisſent; obtulit autem non ſtatuas, ſive alia ornamenta, ſed tripodas tantùm, & lebetes. Cum Lacedæmones auro liniendi ſimulacri Apollinis vultum conſilium iniviſsent, conquiſitum per totam Græciam aurum, nuſpiam inventum eſt; quare conſulto Oraculo, ejus indicio, a Cræſo Lydiæ Rege metallum poſtularunt. Hiero Syracuſarum Rex victoriæ ſimulacrum aureumque tripodem Delphis oblaturus, totam Græciam excuſſit; tandem Corinthum veniens, immenſa auri vi apud Architelem, qui ſibi minutis emptionibus totam comparaverat, inventa, quantùm ſibi ſatis eſset poſtulavit. Architeles ultra conventum metalli pondus, tantum auri in munus Regi ſuperaddidit, quantum manu ſua contineret. Viri munificentia captus Hiero, navem frumento onuſtam, atque plura inſuper munera rependit. Poſt hæc omnia pecuniam auream, atque argenteam vulgarem in Grecia, ſive in Inſulis fuiſse, quis credat? Argentum aurumque omne è ſua Republica Lycurgus, & Plato (3) eliminantes, monetas ferreas & æneas, eas tantùm ſufficere perſuaſi, ſubſtituerunt. Veterem monetam, tanquam æneis & ferreis virgulis conſtantem Plutarchus deſcribit. In Regno Peruano ante hac nonniſi (4) ferreas virgulas pro moneta expendebant; quin & plures recenſuimus, atque infra recenſebimus Gentes, apud quas nullus olim erat pecuniæ uſus.

Veterum nonnulli (5) aureę monetæ in Italia inventorem Janum conſtituunt; quibus ſuffragari videntur nummi quidam veteres in Italia, Sicilia, & Urbibus quibuſdam Græcis cuſi, Dei figuram ex uno latere, ex altero verò navim præſeferentes. Sed hæc minus certa; cum nummos illos diù poſt Jani ætatem poſteritas, ut adventus Dei in Italiam extaret memoria, percuſserit.

At bona poſteritas puppim ſignavit in ære,
Hoſpitis adventum teſtificata Dei.

Quanquam autem ſolebant Romani metallis in commercio uti, in agris tamen & armentis proventus omnes ſuos potiſſimos conſtituebant (6). Vetus illius gentis moneta ad libram, non ad numeros, pendebatur (7); æreiſque fruſtulis rudibus & inſectis conſtabat, *as rude*. Servius Rex, omnium primus, rudem monetam bove & pecude inſculpſit; unde monetæ nomen *pecunia* manſit: *Servius ovium boumque effigie primus as ſignavit* (8). De eodem Rege hæc addit Varro (9): *Nummum argenteum conflatum primum à Servio Tullio dicunt*. Plinius tamen, quinquennio tantùm ante initum primum Carthaginienſe bellum, æs Romæ ſignari cœpiſse tradit: *Populus Romanus ne argento quidem ſignato ante Pyrrhum Regem devictum uſus eſt*. Quare argentea Servii moneta rudis fuiſse facilè creditur. Cum & eodem Plinio authore, nonniſi poſt 6.. annos circiter, uſus cudendæ aureæ monetæ obtinuit.

Primi Carthaginienſis belli tempore ærea moneta duplex ferebatur; altera gravior (*as grave*) bicipiti Jano in antica, & roſtro navis in poſtica ſignata. In ſextante navigium cudebatur. Extant etiam monetæ quædam argenteæ bigatæ vel quadrigatæ, ex quo *bigati*, vel *quadrigati* appellatæ ſunt. Plinius, unde hæc omnia hauſimus, innuere videtur, aureos nummos domeſticum tantùm animal quodcunque exhibuiſse.

Cœpiſſe apud Ægyptios & Phœnices cuſi æris monetas ante Græcorum in Oriente imperium, nullo veteri monimento colligimus; neque enim monetæ ullæ, ſive nummi veterum Phœnicum, & Ægyptiorum ſuperſunt (10). Ante Romanorum in Gallos imperium uſus monetæ apud eas Gentes nullus apparet. Quod Toloſę in Templo lociſque ſacris aurum erutum eſt, rude erat, *aurum argentumque inelaboratum* (11), nempe maſſæ, vel rotulę argenteæ malleo ductæ. Cum Julius Cæſar in Inſulas Britanniæ ingreſsus eſset, laminę quædam metalli rudes totam regionis monetam reddebant. De illis Gentibus hæc Solinus c. 35: *Nundinas ac nummum refutant; dant res & accipiunt; mutant ibi neceſſaria potius, quàm pretiis parant*. Antequam Phœnices Hiſpania potirentur, & diu etiam poſt, apud quaſdam ejus Provincię Gentes nulla erant commercia, ſed rerum permutatio, vel ſaltem aureę vel argenteę laminę portionem pro valore mercium ſolvebant. *Strab. lib.* 3. De Scythis, & Sarmaritis memoriæ prodi-

(1) Vide Sperling. de numm. non cuſis (2) De numm. non cuſis.
(3) Plut. in Lycurgo, Xenoph. de Rep. Lacæd. Plato l. 5. de Legib.
(4) Laetus apud Horn. l. 3. de orig. Gent. Americ. c. 3.
(5) Draco Corcyræus apud Athen. l. 15. c. 14.
(6) Plin. l. 18. c. 3. (7) Idem l. 33. c. 3. (8) Plin. l. 8. c. 3. (9) Apud Chariſ. l. 1.
(10) Inter cimelia D. Girardon ſpectavi folium quoddam aureum, veluti folium roſæ, ex ore, uti ferunt, Mummiæ Ægyptiacæ deductum. Conſuevisſe quidem Veteres in ore cadaverum naulum Caronti, Infernæ navis rectori, pendendum reponere Lucianus in Dialogg. mortuorum reſtatur. (11) Strab. l. 4. pag. 231.

proditum eſt (1): *Auri & argenti maximarum peſtium ignari, vice rerum commercia exercent*. Albaniæ populi, quemadmodum & Gentes ad Araxem omnis monetæ, ponderum & menſurarum, quin & calculi ultra centum, rudes erant (2). Hodie pariter apud Circaſſos, & Avocaſios moneta exulat omnis. In Æthiopia, & Bengala vilioris monetæ locum tenent teſtulæ ſive conchulæ, in litore maris Maldivarum collectæ, ait Brenier tom 2. Commercia omnia in Mingrelia rerum permutatione conſtant, nullumque apud eas Gentes argenti pretium eſt certum; & ſi quid habent monetæ ab exteris advehitur. Bern. Epiſt. de ſitu Indoſt. pag. 201. Apud Tartaros medius cortex mori, arte obduratus, atque ſigillo armiſque regiis obſignatus pro vulgari moneta expenditur; omniſque in univerſa Tartarorum ditione, vel advenis ipſis, externæ monetæ uſus interdictus eſt (3). In Regno Cathai narrat Haitonius, papyrum ſive craſſiorem chartam in quadrum abſciſſam vulgarem haberi regionis monetam. Ejus loco fruſtula quædam ſive ligulæ aureæ argenteæque apud Sinas obtinent. Ejus monetæ valorem pondere ſupputaturi Sinenſes, ſtateram ſemper lateri appenſam deferre conſueverunt; ex ære tamen nummulos quoſdam, regionis inſignibus inſculptos, vel annulos, quos deferunt funiculo inſertos, habent.

In Regno Mogolis oſtrea & amigdalæ ſylveſtres loco inferioris monetæ expenduntur; in Regno Siam, & Japonia, æs grave tantummodo non ſignatum; in Mexico fructus Cacai, cujus in chocolata eſt uſus. Laponibus moneta uno ſæculo antiquior non eſt; in Æthiopiæ Regno aurum, & ſal pro moneta obtinent; aurum nempè in laminas redactum, ſal in tabellas pedales tribus digitis latas, totidemque craſſas. Moneta Regni Lar, Perſarum armis 150. ab hinc annis occupati, filum erat argenteum rotundum, ad calami craſſitudinem, duplatum, & tranſverſo pollice longum. *Itiner. Tavern. & Pauli Venet. lib.* 11. *c.* 22.

Poſt hæc omnia fuſiùs deducta de origine æris ſignati apud Lydios, Græcos, Romanos, aliaſque Gentes, aliquem fuiſſe monetæ ſignatæ apud Hebræos uſum, antequam Gentibus illis innoteſceret, nunquam perſuaderemur. Si autem vera ſint ea, quæ ſupra deduximus, Phœnices nempè, & Ægyptios, gentes Judææ finitimas, & commercio maximè junctas, non niſi poſt vulgatum ex Perſide & Græcia æris ſignandi uſum, monetam cudere cœpiſſe, paria de Judæis ne dubitantes quidem affirmamus. Ezechiel commercia & divitias Tyriorum fuſiùs deſcribens, unde uſum apud illos cuſæ monetæ deduceamus, nihil habet. Totus eſt Propheta in exaggerandis auri, argenti, ſtamni, plumbi, æris, & ferri divitiis, quas merces gens illa comportabat (4).

Nec argumenta tantùm in eam rem negativa, ut ajunt, & conjecturæ ſuppetunt, cum in Scriptura de commerciis, & pecuniis veterum Hebræorum ſermo frequens occurrat. An verò pecunia illa cuſa fuerit, in examen revocare oportet.

Abrahami divitias Moyſes exaggerans, greges ipſius, ſervos, aurum argentumque deſcribit Gen. 13. 2. Vir ille ſpeluncam in ſepulchrum Saræ uxoris empturus, 400. argenti ſiclos vulgaris monetæ venditori ſolvit Ibid. 23. 16. Abimelechus 1000. argenti nummos, muneris loco, Abrahamo dedit Ibid. 20. 16. Joſephi fratres 20. nummis argenteis fratrem vendiderunt Ibid. 37. 28. Jacob filios ſuos, cum pecunia, emendo in Ægyptum frumento, miſit Gen. 42. & 43. & Ægyptii fami tolerandæ argentum omne ſuum ad Joſephum detulerunt Ibid. 47. 14. Hæc omnia pecuniam evidentiſſimè oſtendunt; quænam illa tamen, an ſignata, & pondere uniformi, uti apud nos; vel tantùm vulgaris, & certi ponderis, ſed rudis & inſecta?

Si in ea quæſtione multitudinis ſuffragiis ageretur, non pondere rationum, æs cuſum Abrahami ætate obtinuiſſe, ne ambigeremus quidem; ſed cùm rationibus agendum ſit, cur multorum ſuffragia quæramus, nihil eſt. Ex ipſo Textu, atque appoſitis à Moyſe phraſibus res eſt repetenda. Nihil autem apud illum niſi nomina tantùm auri, & argenti occurrunt; ſicut & certæ monetæ pondera, ſinceritas, atque uſus; quid tamen hæc ad cuſam monetam, de qua ne verbum quidem apud Sacrum Hiſtoricum? Nomina illa Siclus, Talentum, Gera, & Beka ponderum ſunt, non monetarum; neque ſtatim ac moneta aliqua vulgaris dicitur, ſignata continuò reputanda eſt; cum æs grave ad id uſque temporis, monetæ loco, apud varias Gentes obtineat. Fateamur ergo oportet textus ex Scriptura ſuperiùs laudatos, monetæ Abrahami, & Patriarcharum ætate cuſæ, ne minimùm quidem, faviſſe. Cum etiam in Scriptura metallum ad libram appenſum memoratur, vetus ſtatim mos inſinuatus apparet, argenti nempè ad libram ſolvendi; qui ſanè uſus ante determinatum monetarum valorem obtinuit.

Abraham 400. ſiclos argenti in pretium Sepulchri Saræ appendit; Gen. 23. inventum in oris ſacculorum argentum fratres Joſephi, ad illum reduces, retulerant; argentum, inquam, ejuſdem ac invenerant ponderis; *argentum in pondere ſuo* Gen. 43. 21. Siclus & Talentum communia erant rebus omnibus pendendis pondera. Quas Eliezer munus Rebeccæ obtulit, armillæ decem ſiclorum ponderis habebant; inaures verò duorum Gen. 24. 22.: jubet etiam Moyſes Exod. 30. 23. ex myrrhæ 500. ſiclis, & cinnamomi 250. ſiclis, pondere Sanctuarii, thymiama confici; atque oblata in uſum Tabernaculi 72000. æris talenta Exod. 38. 29. narrat. Porrò æris nullum in commerciis uſum fuiſſe conſtat. Cum Abſalon quotannis comam tonderet, detonſi crines 200. ſiclis pondere erant 2. Reg. 14. 26. Zacharias 5. 7. maſſam plumbi plumbi talentum appellat; talenti enim vox generica habebatur, nec genus ullum monetæ vel pecuniæ certam ſummam neceſſariò exprimebat.

In libris poſt Moyſem ſcriptis, cum de pecuniis, aut ſolutionibus agitur, non abſimiles phraſes occurrunt. Impios Iſaias 36. 6 deſcribit argentum ad Idolum conflandum in ſtatera appendentes. Jeremias 32. 10. agro quodam emendo, 17. argenti nummos ad libram ſolvit; quam in rem appenſam ad latera libram, quemadmodum & lapides certi ponderis, vel ſaltem pondera ærea vel plumbea, quæ Scriptura lapides appellat, delata credimus. Moyſes cavet Deut. 25. 13. ne *in eodem ſacculo diverſa pondera* (in Hebræo *lapidem, & lapidem*) *majus & minus* deferantur. Ipſe inſuper Legislator mandat Ib. 23. 13 ut Iſraelitæ, naturæ neceſſaria præſtituri, extra caſtra exeuntes, paxillum ſemper præter libram apud ſe habeant. Avari apud Amos 8. de nimia Feſtorum dierum frequentia querentes, ſeſe inſuper hortantur: *Imminuamus menſuram, augeamus ſiclum, ſupponamus ſtateras doloſas*. Dolis evitandis ponderum & menſurarum typus in Templo aſſervabatur; unde ponderi exacto deſignando,

(1) Mela l. 2. c. 1. Vide & Strab. lib. 6. pag. 208.
(2) Strab. l. 11. pag. 352.
(3) Chardin. Voyage de Perſe tom. 2. pag. 92.
(4) Ezech. 27. 12. 22.

gnando, proverbii loco obtinuit in Sacra Scriptura *Ad pondus Sanctuarii*. In 2. Reg. 14. 26. *pondus Regium*, ſivè publicum; quòd ſcilicet monetarum, ponderum & menſurarum, totiuſque in commerciis politiæ atque publicę ſecuritatis cura, Regis providentiæ incumberet. Duo hæc pondera Sanctuarii, & Regis aliud quid plane oppoſitum ponderi extranearum gentium, Phœnicum, Ægyptiorum, & Chananæorum deſignare in Scriptura Sperlingius autumavit; ſiclus ſcilicet Hebraicus cæteris vicinarum gentium, quibuſcum Judæi aſſueverant, pondere præſtitiſſe creditur. Vulgò pariter Commentatores, duo, inter Hebræos, ponderum genera diſtinguunt, ſacrum nempè & vulgare; illud Templi & Sanctuarii dictum, quod duplo alteri præſtabat; alterum in uſum commercii deſtinatum. Hæc tamen nutare ſententia, futilibus innixa conjecturis, facilè creditur. D. le Pelletier in Diſſert. de pondere comæ Abſalonis, *pondus Regis* de Babylonico pondere interpretatur; quo ſcilicet in captivitate Babylonica, & poſt illam, in commerciis Hebræi uterentur. Scriptor enim, qui Regum libros digeſſit, huic captivitati ſive ſuppar, ſivè paulò inferior vixit.

Olim apud Judęos, argenti tantùm & auri in commerciis uſus obtinebat; qui enim nummi ejus Gentis ænei ſuperſunt, vel adulterini ſunt, vel ſub Simone Macchabæo cuſi. Neque Turcæ, Arabes, Ægyptii, & Orientales plerique aliam monetam hodiè uſque norunt (*).

Porrò metalla illa ſive in virgas, ſive in laminas, ſive in maſſam, ut de Sinenſium monetis ſupra innuimus, redigi conſueviſſe credimus. Similes enim phraſes in Pſalmo 68. 31. leguntur: *fragmenta argenti*, quæ potentes viri conculcant, quod facilè de virgulis argenteis dictum explicari poteſt. *Ligamen argenti* legitur Gen. 42. 35. (1), quod de virgulis ſeu verulis argenteis, inſtar obolorum Plutarchi, quorum pugillus drachmam reddebat, in faſciculum colligatis facilè uſurpatum eſt. Non tamen negaverim phraſim illam *ligare argentum* (2) tantundem ſonare in Scriptura, ac in panno quodam, ſive in marſupio argentum claudere; quod ſanè noſtræ hypotheſi non repugnat. Acham Joſue 7. 21. ſpolia Jericho excutiens, in *regulam auream* (Hebr. *linguam auream*) 50. ſiclorum auri, & inſuper in argentum pondere 200. ſiclorum incidit. Crimina ſua Deum recondidiſſe, veluti virgulas argenteas in marſupio, Jobus inſinuat. David collectos auri argenti & æris in virgas & in maſſam theſauros filio reliquit; aurumque illud, quod Moyſi in opus Tabernaculi, Aaroni aureo Vitulo conflando, Joſiæ ad ſarta tecta Templi collatum eſt, in monetam certè cuſum non fuiſſe conſtat.

Poſt inductum in commerciis Hebræorum argentum, adhuc tamen vetus quandoque mos rerum permutandarum ſervatus eſt; ita emiſſe Jacob à filiis Hemor partem agri 100 agnorum pretio in Septuag. Vulgata, Chaldæo, & pleriſque Commentatoribus legimus (3). In Hebræo eſt 100. *Keſitah*, cujus vocis ſignificatio obſcuriſſima eſt. Adiri poteſt noſtrum commentarium in hunc locum. Si quis tamen eam vocem de moneta aliqua agni figura ſignata interpretari maluerit, eamque Abrahami ętate obtinuiſſe contenderit, ſuæ illum opinioni inhæſiſſe per me liceat. Jacob præſtitæ Labano ſervitutis non aliam mercedem, quàm gregis portionem poſtulavit; Gen. 30. 33. nec ipſe viciſſim alterius generis munuſculis Eſau fratrem delinivit Gen. 32. 18. Quæ

A rerum permutatione inſtituebantur commercia, in libro Job. 2. inſinuantur, cum de homine ſermo eſt, qui *pellem pro pelle, & cuncta quæ habet, dabit pro anima ſua* (4). Eadem ſpectans Eccleſiaſticus 26. 18., pretioſum adeò nihil eſſe dixit, quod pro ſapiente dari poſſit. Utrumque commercii genus, argenti nempè ſoluto pretio, & rerum permutatione, exactiſſimè deſcribit Iſaias: *Venite*, ait cap. 55. 12. *emite abſque argento, & abſque ulla permutatione vinum & lac. Quare appenditis argentum non in panibus, & laborem veſtrum non in ſaturitate?* Gregis ſui hædum Judas ad Thamar detulit Gen. 38. 17.; Salomon acceptis ab Hiram lignis, frumentum & oleum in pretium rependit 3. Reg. 5. 10.; Oſeas uxorem ſibi pretio 15. argenteorum, & unius cori cum
B dimidio, hordei emit, Oſe. 3. 2.

Obſolevit jam inter Eruditos recepta illa perſuaſio de ſiclis quibuſdam, quos in Judæa cuſos ſub Davide & Salomone jactitabant. Licet enim cum Moyſis ætate comparati, recentiſſimi nummi illi reputari potuiſſent; tantam nihilominus præſeferrent vetuſtatem, quanta cuſis Græcorum & Perſarum monetis nunquam tribui potuiſſet. Cùm enim Samaritanis characteribus inſcribantur, ſpeciem, quaſi ante captivitatem cuſi eſſent, præſeferunt; hæc enim ſcribendi apud Hebræos ratio poſt captivitatem obſoleviſſe fertur. Cum demùm in uno latere inſculptum legeretur *Jeruſalem Sancta*, in altero *Siclus Iſrael*, certa ſtatim ætas numiſmatum intelligebatur, nempè ante di-
C viſum ſub Jeroboamo Regnum; poſt ſeceſſionem enim factam inter Iſraelem, decem nempe Tribus, & Judam, id eſt Tribum Juda, & Benjamin, Jeruſalem, Iſraelitarum ſeu 10. Tribuum opinione, de veteri religione excidit. Numiſmatum igitur ætatem conſtitui oportebat ante Jeroboami ſchiſma; cum Hebræi omnes uno Iſraelis nomine cenſerentur, unico parerent è domo David Regi, atque Jeruſalem totius Judaicæ religionis ſedes haberetur.

Sed tam bellæ ratiocinationis fundamenta omnia nutant, ut proinde horum numiſmatum vetuſtas ſpecioſior ſit, quam ſolidior. Veterem ſcribendi rationem poſt captivitatem apud Judæos prorſus obſoleviſſe, obtinentibus pro Samariticis Chaldaicis characteribus, quales hodie in Bibliis
D ſuis adhibent Judæi, tanquam certum conſtituitur. Sed contra receptam illam perſuaſionem faciunt numiſmata ſub Simone Macchabæo cuſa, Samaritanis characteribus, quos potiùs Phœnicios & Hebræos veteres dixeris, inſculpta. Quin & veteres omnes Chaldæo, vel Hebraico recentiori charactere inſcripti, Antiquariorum omnium aſſenſu ſuppoſititii pronunciantur. Parem feramus ſententiam oportet in numiſmata, quæ Davidis & Salomonis ætatem mentiuntur, cum falſitatis characteres non obſcuros præſeferant; tum quòd recenti cuſa metallo, cum puerilibus inſculpta ſæpè emblematibus deprehendantur. Nonnulla ex ære conflata ſunt, quo metalli genere nunquam in commerciis uſos veteres Hebræos ſupra oſtendimus. Uno vel altero ſeculo
E vetuſtiora non eſſe aſſerit Sperlingius, atque in virum ſe, illa fabricantem, in Holſatia incidiſſe teſtatur. Inter quampluri̇mos ſiclos, quos in variis Muſæis Patinus inſpexit, nullum ſibi, qui antiquior eſſet, occurriſſe ſcribit. Veros quidem ſiclos extare, ſed omnes ſub Simone Macchabæo cuſos, ſentit Morellus; quæ ſanè Eruditorum omnium, à nobis conſultorum, eſt una ſententia. Quare inter apocrypha ſunt numiſmata Abrahami, ſene in antica, & vitulo in poſtica

(*) Belion. Obſerv. l. 2. c. 103.
(1) Vide & Prov. 7. Vulg. Sacculum argenti. Oſee 13. 12. Exod. 32. 4. Job. 14. 17.
(2) Ag. 1. 6. צרור נקיב, *Sacculus*
(3) Gen. 33. 19. (4) Gen. 30. 33.

poſtica, inſculpta; Moyſis, cum viri imagine cornuta, (quemadmodum imago Alexandri, & quorumdam ex Succeſſoribus exhiberi ſolet) inſcripta ex altero latere illa ſententia: *Non habebitis Deos alienos coram me*; Joſue, taurum bine, indè monocerotem exhibentia; David, cum regiæ ſedis, & turris figura; Mardochæi, cum ſacco & cinere ex uno latere, corona verò ex altero. Nec meliora auguramur ſiclis, inter veterum Eccleſiarum cimmelia aſſervatis, quos ipſiſſimos à Juda ſolutos in pretium venditi Servatoris jurant. Nummi ſiquidem illi, caput inſignis Coloſſi, Soli dicati, præſeferentes, inde verò roſâ inſculpti, vetera Rhodium numiſmata ſunt.

Quod ad genuinos ſiclos, ſub Simone Macchabæo cuſos, attinet; Summo illi Sacerdoti cudendæ monetæ poteſtas ab Antiocho Sidete Syriæ Rege poteſtas facta eſt: *Permittimus tibi facere percuſſuram proprii numiſmatis in regione tua*. 1. Macch. 15. Cum tamen Icones omnes & imagines lege Judæorum interdicerentur, emblematibus quibuſdam, ſive vaſe aliquo Templi monetas ſuas Simon inſculpſit; e. g. vaſe, ſcypho, vel lyra ex uno latere; ex altero verò palmite vitis cum fructu, pampino, manipulo, ſpicis, vel ſimili; inſcriptio addita erat in uno tantùm latere, *ſiclus* vel *hemiſiclus* (pro monetæ pretio) *Iſrael*; in poſtica legebatur anni nota 1. 2. 3. 4. ſive 5. adjectis verbis, *Liberationis Sion*. Nullæ extant monetæ, in quibus ulterior quàm annorum quinque nota exhibeatur, quanquam ultra 8. ſolidos annos Simon regnavit; atque nullæ circumferuntur Joannis Hircani, qui poſt illum rerum potitus eſt, quanquam 20. annis jus dixerit. Quamobrem aliqui ſuſpicantur, Judæos Simoni ſuggeſſiſſe, hæc cuſa in monetis emblemata, non minùs quàm animantium, hominumque figuras Legi repugnare; qua inductus perſuaſione, facilè Sacerdos conceſſo ſibi privilegio renunciaverit. Non deſunt etiam, qui cuſas credant à Simone monetas non in Judæa, ſed in Urbibus quibuſdam Samaritanis ditionis ſuæ; quòd ſcilicet Samaritanis characteribus, jam apud Judæos obſoletis, inſcriptæ ſint; neque figuram aliquam in monetis inſculpi, in regione ſua Judæi ſuſtinuiſſent. Verùm, ratiocinantur illi, cum inita à Simone ratio, cudendæ ſcilicet in Urbe Samaritana monetæ, quod in Judæa nunquam auſus fuiſſet, cum avita Lege ſemper repugnaſſe deprehenderetur; tandem vir ille religioſus ſuſceptum opus dimiſit. Conjecturę quidem ſunt iſtæ, ſed non temerè prorſus excogitatæ.

Quid enim moverint Judæi, cum Pilatus Imperatoris imaginem in Urbem invehere tentaret (1), ſatis ſcimus. Cum Vitellius exercitum in Arabes ducens, per Judæam iter habere diſpoſuiſſet, Judęi optimates, ſuſcepta ad illum legatione, rogarunt, ne vexilla Romanorum Imperatorum imagines exhibentia, in Judæa explicaret.

Cum Herodes Magnus (2) in ornamentum theatri, Jeroſolymæ à ſe excitati, trophæa erexiſſet, murmurare populus, quòd trophæa illa armatas ſtatuas crederet, nec antea quieſcere, quàm ſublatis armis nuda ligna apparerent. Ornatas figuris ædes Herodes Tetrarcha ſibi Tiberiade conſtruxerat, quas ut Cives ejus Urbis abolerent, Joſephus Hiſtoricus, legatione pro Optimatibus Judæorum functus, etiam atque etiam rogavit (3). Salomonem violatæ Legis reum agit ipſe Joſephus, eo nomine, quòd boum ſimulacris vas, mare dictum, & in Templo conſtitutum ornaſſet (4). Rumorem etiam Jeroſolymis excitatum occaſione Aquilæ aureæ; ſuper Templi januam ab Herode magno conſtitutæ, idem Hiſtoricus alibi narrat (5). De hac Judæorum religione ita etiam Tacitus Hiſtor. l. 5.: *Nulla ſimulacra Urbibus ſuis, nedum Templis ſiunt, non Regibus hæc adulatio, non Cæſaribus honor*. Nulli quin etiam apud Judęos erant imaginum artifices, non ſculptores, non pictores juxta Origenis teſtimonium contra Celſ. l. 4.

Quanquam autem inter ipſos Hebræos Doctores de ſenſu Legis, figuras & imagines interdicentis, non conſtat; atque inter ipſos nonnulli emblemata omnia, & hieroglyphica, quorum nulla in rerum natura ſimilitudo, permitti in Lege contendunt; pleríque tamen imagines omnes, vel aſtrorum, etiam ad merum ornatum, interdictas defendunt (6). Nullæ etiam hodie in domibus Hebræorum, & Synagogis extant imagines, Leone Mutinenſi teſtante (7); quanquam pecuniis vulgaribus utuntur, quin & imaginibus ab aliis factis, non in commercium tantùm, ſed etiam in ornamentum; & Jeſu Chriſti ætate moneta Romana, Cęſarum effigie cuſa, in Judæa vulgaris habebatur. Matth. 22. 17.

Hinc conjecturam capere licet, quare Simon ab incœpto cudendæ monetæ deſtiterit. Reges tamen Aſmonæi, qui filio ipſius Simonis Joanni Hircano ſucceſſerunt, ab hac avitâ religione recedentes, monetas cum imagine ſua, adjecto in poſtica emblemate, fertilitatem Judææ ſignificante, cuderunt; qui deinde mos uſque ad excidium Judææ ſub Veſpaſiano obtinuit.

Varia monetarum genera in Scriptura occurrunt; e. g. Talenti, Sicli, Hemiſicli, Hebraicè *beKa*, Oboli, Hebraicè *Gerah*. Alia ſunt etiam minus nota, ut *Keſita*, *Adarconim*, ſive *Darcmonim*, *Mina*, vel *Mna*, *Denarius*, *Stater*, quæ nomina ſunt extraneæ Hebræis monetæ. Qui de valore & pondere monetarum Hebraicarum diſſeruerunt Authores, adeò inter ſe varii ſunt & diſcrepantes, ut quæ potiſſimùm ſententia in ea re ſeligatur, diſcerni vix poſſit. Siclos ſub Simone Macchabæo vulgates non idem ſervare pondus, peritiſſimorum virorum relatione, qui plures ad libram examinarunt, didici. Cum tamen certam ſibi determinari ſententiam Lectores plurimi expoſcant, neque inamœnæ hujus quæſtionis intima penetrandi ſibi negotium velint aſſumere; hinc calculum D. le Pelletier Rothomagenſis, viri exactiſſimi, & eruditiſſimi, præferendum duximus.

Dabimus etiam, ſupplementi loco, menſurarum, & ponderum Hebraicorum ad Gallicana ſupputationem.

In conferendis autem veteribus, cum noſtris monetis maximè habenda eſt ratio, ut certum monetarum pondus, atque ponderum valor determinetur. Libra Gallicana refert 16. uncias, vel 2. marcha, vel 128. groſſos, vel 324. denarios, vel 9216. grana.

Marchum 8. uncias continet.

Uncia 8. groſſos; groſſus 3. denarios; denarius 24. grana.

Scutum aureum 63. grana.

Ludoviſium aureum 126.; & Hemiludoviſium 63. grana.

Ludoviſium argenteum ſive ſcutum 21. denarios, 8. grana, ſive 512. grana.

Dimidium Ludoviſium argenteum, ſive dimidium ſcuti, pondere eſt 10. denariorum, 16. granorum, vel 256. gran.

Aureus Hiſpanus 126. granorum, atque aurei dimidium 63. granorum.

(1) Vide Joſeph. Antiq. l. 18. c. 4., & de bello l. 2. c. 8.
(2) Antiq. l. 15. c. 7. (3) De Vita ſua.
(4) Joſeph. antiq. l. 8. c. 2. (5) Antiq. l. 17. c. 8.
(6) Vide Selden. de Jure Naturæ, & Gent. l. 2. c. 6.
(7) Leo Mutinen. par. 1. c. 2.

Regale Hiſpanicum 2. denar. 16. gran. ſive 649. gran.

Aureum regale 5. denar. 8. gran. ſive 128. gran.

Auri valor ad argentum relatus, pondere collato, eſt veluti 1. ad 14.

Valor monetarum Hebraicarum ad Gallicanas.

Siculus argenteus pondere erat hemiunciæ, vel 4. drachmarum Romanarum, vel 266. & $\frac{34}{15}$ grani; quare medium Ludoviſium 11. granis excedebat. Valebat autem 32. ſolidis, 5. denariis, & $\frac{1}{5}$ denarii pecuniæ noſtratis.

Hemiſiclus argenteus, vel Beka, pondere erat 133. granorum, & $\frac{1}{2}$ valebat 16. ſolidis, 2. denariis & $\frac{19}{24}$ denarii monetę noſtratis.

Tertia ſicli pars, quam Judæi puſt captivitatem Templo capitationem ſolvebant, pondere erat 89. gran. valebat 10. ſolidis, 9. denar. & $\frac{19}{24}$ denarii.

Gerah, ſive obulus Hebraicus, vigeſimam ſicli argentei partem æquabat; nempè pondere erat 13. gran. & $\frac{7}{20}$ grani, valebat 1. ſolido, 7. denar. & $\frac{15}{32}$

Keſitah, moneta erat aurea 12. circiter librarum & 10. ſolid. monetæ noſtratis, juxta ac D. Le Pelletier opinatur.

Sicli aurei pondus æquabat hemiſiclum argenteum, adeoque 2. drachmas Romanas, vel 133. grana, & $\frac{1}{2}$ nempè Ludoviſium aureum 7. granis, & amplius aliquantò excedebat; valebat autem 11. libris, totidem ſolidis, & 9. denariis, ac $\frac{1}{4}$ monetæ noſtratis.

Darcmonim, vel Adarconim, Darici erant; pondere, & valore ſiclum æquabant. Porrò monetas illas, quoties in Paralipomenis, & in Eſdra occurrunt, Septuaginta verterunt drachmas; cum Alexandrinorum drachmæ, quas illi ſupputabant, duas continerent Romanorum drachmas.

Minæ argenteæ ſumma ad 60. argenti ſiclos aſcendebat; atque valoris erat 97. librarum, 6. ſolidorum, 10. denariorum, & $\frac{1}{2}$ monetæ noſtratis.

Mina aurea 60. ſiclorum auri, valebat 695. libris, 6. ſolidis, 3. denariis monetæ noſtratis.

Talentum argenteum 50. minarum argenti, ſivè 3000. ſiclorum argenti, pondere erat 1500. unciarum Romanarum, ſivè 125. librarum Romanarum, & ſupputatum ad noſtrum pondus Marchi 86. librarum, 14. unciarum, & 5. groſſorum, valebat 4867. libris, 3. ſolidis, 9. denariis monetæ noſtratis.

Talentum aureum 100. minarum auri, ſivè 6000. ſiclorum auri, pondere erat 2. drachmarum Romanarum, adeoque 1500. unciarum, ſivè 125. librarum Romanarum, & 86. librarum, 14. unciarum, 5. groſſuum noſtri ponderis marchi; valore erat 69531. librarum, 5. ſolid. monetæ noſtratis.

Menſuræ longitudinum Hebræorum.

Menſuras longitudinis Gallicanæ, ad quas A deinde Hebraicas reducamus primò determinare oportet.

Pes Gallicus 12. pollices, pollex 12. lineas æquat.

Pertica 6. habet pedes; leuca 2000. perticas.

Cubitus Hebraicus 20. pollices $\frac{64}{89}$ ſcilicet 20. pollices, & $\frac{8}{11}$ circiter.

Zeret, ſivè hemicubitus 10. pollices, $\frac{32}{89}$ pollicis.

Tophae ſivè palmus Hebraicus 3. pollicibus $\frac{17}{49}$ reſpondet.

B Esbah, vel digitus $\frac{76}{89}$ pollicis.

Iter, quod Sabbato confici poterat, 2000. cubitos Hebraicos habebat; nempè 569. perticas, pedem 1., 8. pollices $\frac{68}{89}$ pollicis menſuræ Pariſienſis.

Stadium Hebraicum, authore Joſepho, habebat 400. cubitos Hebraicos, nempè 683. pedes, 1. pollicem, $\frac{67}{89}$ menſuræ noſtratis.

Menſuræ cavæ liquidorum Hebraicæ ad Pariſienſes relatæ.

C Dolium Pariſienſe capit 8. pedes cubicos, & dolium alterum (*tonneau*) 24.

Pes cubicus habet 1728. pollices, vel 36. pintas; pinta verò 48. pollices.

Hemipinta capit 24. pollices; medius ſextarius 12. pollices; & quarta pintæ pars 6. pollices cubicos. Quare dolium minus liquidorum Pariſienſe (*la muid*) habet 288. pintas; & dolium 864. pintas.

Dolium idem (*muid*) aridorum Pariſienſe continet 48. pedes cubicos, vel 12. ſextarios.

Sextarius habet 4. pedes cubicos, vel 2. minas.

Mina 2. minas minores, vel 2. pedes cubicos.

Mina parva habet pedem cubicum, vel 3. ſtaria. (*boiſſeaux*).

D Starium [*boiſſeau*] 16. quadrantes, (*litrons*) 576. pedes cubicos.

Quadrans (*litron*) 36. pedes cubicos.

Bathus ſivè *epha* Hebraicum, ad noſtras menſuras relatum, habet 1434. pollices cubicos; $\frac{471158}{704969}$; adeoque capit 29. pintas, mediamque pintæ partem, hemiſextarium, & octavam pintæ partem, atque inſuper. $\frac{471158}{704969}$.

Chorus, ſive *chomer* Hebraicus habet 10. bathos, nempe 14340. pollices cubicos $\frac{190720}{704969}$; vel 298. pintas, ac mediam pintæ, ſextariique partem, & $\frac{110720}{704969}$ pollicis cubici.

E Letech, dimidium erat chomer, adeoque habebat 7170. pollices cubicos, & $\frac{155164}{704969}$ pollicis, vel 149. pintas cum medio ſextario, octava pintæ parte, & $\frac{155160}{704939}$ pollicis.

Seah tertiam bathi partem referebat, adeoque habebat 478. pollices cubicos $\frac{158176}{704969}$: ſive 9. pintas cum dimidio pintæ & ſextarii, octava pintæ parte, ac 4. pollices, & $\frac{257310}{704909}$.

Tria ſata, de quibus Gen. 18. 6. ipſiſſimum ſunt epha. Porrò alia eſt hæc menſura a triental in Pſ. 79. 6. & Iſa. 40. 12.

Gomor,

Gomor, vel aſſaron, decimam ephæ partem habuit, nempe 145. pollices cubicos $\frac{1667517}{1524845}$, vel 3. pintas detracto $\frac{187728}{1524845}$ pollicis.

Cabus ſexta pars *ſeah* ſivè *ſati*, vel octava pars epha, habebat 79. pollices cubicos & $\frac{496175}{704969}$ pollicis, ſivè pintam, mediamque & octavam pintæ partem, cum pollice cubico, ac $\frac{496175}{704969}$.

Quadrans cabi habebat 19. pollices cubicos $\frac{651111}{704969}$, vel medium ſeſtarium, octavam pintæ partem, pollicem cubicum, & $\frac{652821}{704969}$ pollicis cubici. Huic menſuræ alterum eſt nomen *robab* vel *log*, aut ſextarius *Rabbinicus*. Vide 4. Reg. 6. 25.

Nebel 3. bathos capiebat; quare habuit 4304. pollices, & $\frac{15516}{704969}$ vel 87. pintas cum ſemipinta, ſemiſextario, 2. pollicibus cubicis, ac $\frac{15516}{704969}$ pollicis.

Hin, ſive tarcabus perinde habebatur ac medium ſtarium, vel ſemi-ſeah Hebraicum, ſive ſeſta pars bathi; habebat 239. pollices $\frac{79101}{704969}$, vel 4. pintas, ſemipintam, ſemiſextarium, octavam pintæ partem, 5. digitos cubicos, & $\frac{79193}{704969}$.

Dimidium hin habebat 119. pollices $\frac{392081}{704969}$, vel A 2. pintas, ſemiſextarium, octavam pintæ partem, 5. pollices cubicos, & $\frac{392081}{704969}$.

Tertia pars hin cabum æquabat.

Quadrans hin habebat 59. pollices cubicos $\frac{548525}{704969}$, vel pintam cum $\frac{1}{8}$, 5. pollices $\frac{548525}{704969}$.

Sextarius hin, nempè ſexta pars ejus menſuræ 39. pollices cubicos, & $\frac{600671}{704969}$. Vide Ezech. 11.

Pondion ſivè dipondion Rabbinicum, menſura, de qua in Miſna, habebat 2. logos, adeoque ſeſtarium hin æquabat.

B Betza vel ovum Rabbinicum habebat, juxta illos, ſeſtarium log, nempe 3. pollices cubicos, & $\frac{671895}{2114907}$.

Cos, vel ſcyphus paſchalis, vas benedictionis, agendis poſt cibum gratiis deſtinatus, habebat 4. pollices cubicos $\frac{691932}{704969}$.

Rebiith, vel quarta pars log, tantumdem ac crater paſchalis capiebat.

C Mikue, vas toto homini lavando deſtinatum, cum Judæi è foro redibant. Marc. 7. capiebat 40. ſeah, nempè 400. pintarum minus aliquantò.

Semper ac in Septuaginta & Vulgata occurrit metreta, cadus, ceramium, cous, vel chus, vel congius, atque pro menſura uſurpantur, ſemper pro batho, vel epha poſitas eſſe voces reputandum eſt.

DISQUISITIONES
IN CHRONOLOGIAM,
ANNOS, MENSES, DIES, HORAS ÆGYPTIORUM, GRÆCORUM, ROMANORUM, ET HEBRÆORUM.

Chronologiæ ſtudium, omnium conſenſu longè utiliſſimum, ſummèque neceſſarium reputatur; ejus enim præſidio deſtituta hiſtoria, incondita rerum ſtrue mentem onerat potiùs, confundit, atque corrumpit, quàm ut inſtruere, moreſque & prudentiam dirigere, (quæ ſingularis eſt Hiſtoriæ indoles) valeat. Cum tamen ſcribendæ Hiſtoriæ provinciam ſeriùs, quàm par eſt, veteres inìverint, atque in deſignandis certis rerum geſtarum epochis priorum Scriptorum diligentia deſideretur; factum indè, ut in ſtudio temporum ſalebroſa & ardua via decurrenda ſit; tunc maximè cum Hiſtoria Sancta V. T. cum Authoribus prophanis, veteres Paganorum hiſtorias narrantibus, concilianda ſuſcipitur.

Quò autem Lectores ipſi per ſe, pleniùs in rebus Chronologicis inſtructi, quem ſingulæ certitudinis gradum attingant, æqua ſententia dijudicent, quidquid certi incertive continetur in Chronologiis Chaldæorum, Ægyptiorum, Græcorum, Romanorum, quibus cum maxima fuit Hebræis conſuetudo, in medium proferemus; ad Hebræos deindè deſcendentes, de forma annorum apud ſingulas eas gentes, de temporis diſtribuendi ratione diſſeremus. Hinc variis Scripturæ textibus, quorum ſinguli ſeorſim fuſiorem quàm pro noſtro inſtituto, exigerent Commentarium, lux afferetur.

D Magni nominis Scriptores quidam, poſt navatam ſedulam atque laborioſam rebus Chronologicis operam, vix profeciſſe quidquam intelligentes, rei tandem deſperatione victi, certam, exactam, atque perpetuam ex Hiſtoria Sacra Chronologiam (1) deducere, rem eſſe deploratam, ultrò pronuntiarunt. Quid de Hiſtoria prophana, in qua exactitudinis ut plurimùm & authoritatis ſemper eſt minus? Ex variis Joſephi locis colligimus, annos Judicum & captivitatem, quæ ſub Judicibus contigerunt, non continuata quidem ſucceſſione jungi, ſed intercedentibus ante captivitates anarchiis interpolari. Paria apud Julium Africanum in Chronologia legas. Porrò in Sacra Hiſtoria, ait Iſaacus Voſſius (2), *captivitates* E *& anarchiæ, veluti ſpatia mortua & infauſta, in cenſum temporis politici non veniunt.* Obſervat deindè: *Joſephus non captivitates, ſed ſolas omittit anarchias.* Nec à Voſſio in Chronologia diſſentit Simonius (3); cum enim, ait, Libri Scripturæ ex variis rerum geſtarum narrationibus, fuſioribuſque monumentis per compendium deducti ſint, neque ſemper in illis immediatæ genealogiæ retexantur, conſtantem ex illis Chronologiam derivare fruſtra conaremur. Detruncatæ genealogiæ exempla plurima ſuppetunt. 1. Eſd. 7. 3. generationes ſex deſiderantur; totidemque deſunt in genealogia J.C. apud S. Matthæum. Hinc S. Hieronymus de Chronologiæ Regum

(1) Iſaac. Voſſ. Can. Chronol. pag. 236. *Pro firmo itaque habeamus, ſacras literas continere tantùm menſuram temporis politici, nec poſſe ex illis colligi menſuram temporis phyſici.*
(2) Ibid. pag. 235. (3) Hiſtoir. Critiq. du V. T. l. 1. c. 1.

Regum Juda & Jeruſalem diſcrepantia agens, *hujuſmodi*, ait ad Vitalem, *hærere quæſtionibus, non tam ſtudioſi, quàm otioſi hominis eſſe videtur*; atque in eam rem laudat illud 1. Tim. 1. 4. *Neque intenderent fabulis, & genealogiis interminatis, quæ quæſtiones præſtant magis, quam ædificationem Dei*. Annos ab ortu Mundi uſque ad Æram Chriſtianam nunquam, niſi per conjecturas, deficiente in annis deſignandis Scriptura, unico hujus hiſtoriæ fonte, P. Petavius Ration. temp. par. 2. l. 2. c. 1. deduci tantùm poſſe teſtatur.

Neque per Hiſtoriam prophanam, quàm per Sacram, iter eſt planius; cum in prophanis etiam detruncatæ genealogiæ, atque ſupputationes ſuis numeris minùs abſolutæ non deſint. Ex 23. Macedoniæ Regibus Solinus c. 14, ducto catalogo 8. vel 9. tantùm recenſet. Juſtinus Aſſyriæ Reges hoc ordine diducit: Belus, Ninus, & Semiramis; ſtatimque ad Sardanapalum tranſit. In Chronicis Perſarum totum temporis ſpatium, poſt obitum Alexandri Magni uſque ad Arſacem, ſilentio præteritur; atque de Arſace ipſo ita agitur, quaſi non de Partho, ſed de Perſa, Dario ſive Artaxerſi ſanguine juncto (1). De ſingulis autem Chronologiarum Chaldaicarum, Ægyptiarum, Græcarum, atque Romanarum difficultatibus, ex iis, quæ infrà deducemus, Lectores inſtruuntur. Nihil planè eſſe in hiſtoria prophana certi, donec exactior in ſcribendo methodus, atque ſupputandarum Olympiadum ratio obtineret, una eſt Eruditorum ſententia.

Quòd ſcientiæ fideive parùm Hiſtoricis prophanis ineſſet, ea eo veluti fonte, ut plurimùm, errores, vel ſaltem in rebus Chronologicis ambiguitates profluxerunt, ut in decernendis temporibus perſpicuitas, vel in exactiſſimis inter illos aliquando deſideretur. Interdum numeri rotundi gratia, ea, quæ intra aliquod temporis ſpatium, incertum tamen quo potiſſimùm anno, contigerunt, appoſito rotundo numero certo tempori aſſignata ſunt. Hinc pro 304. ſivè 298. annis, annus rotundus 300. deſcriptus eſt. Princeps qui 19. annis & 6. menſ. regnavit, 20. annis rerum potitus ſcribitur. Accidit indè non raro, ut 50. annorum ſpatio idem annus ter in ſupputatione recurrat; ut cum Princeps regnaſſe fertur 20. annis, cum tamen 19. tantùm ac 4. menſibus Regnum habuerit: item ſucceſſoris anni 10. numerantur, cum alioquin 9. ac 6. menſibus regnaverit; è quibus etiam decem illius annis 8. menſes de vigeſimo deceſſoris anno accipiendi eſſent. Ducta interim omnium ſimul annorum utriuſque Principis ſumma, ſtatim 30. anni ſupputantur, cum tam 29. annorum ſpatium non exceſſerint. Numerus fractus, vel anni dimidium in Scriptura, & prophana Hiſtoria nunquam ferè capiuntur; ex quo conjecturam capere licet, accidere potuiſſe non raro, ut plures anni in ſupputationibus omitterentur, adderenturve; quibus neglectis univerſam Chronologiæ œconomiam turbatam eſſe, jure poſſumus ſuſpicari.

Alteram errandi occaſionem præbuit varia apud varias Gentes dividendi temporis ratio. In Libris quibuſdam apocryphis traditum eſt, ab ortu Mundi uſque ad 160. Henochi, annos non per menſium periodos, ſed per hebdomadas numerari conſueviſſe; quem calculum Henochus, ab Angelo Uriele inſtructus de anni temporibus, aſtrorum atque anni revolutionibus, reformarit (2). Apud aliquas Gentes anni computati ſunt in menſes; apud alias in ſingulos quadrimeſtres; nonnullas in ſemeſtres; erant qui æſtatem & hyemem in duos annos computarent; item qui annum in ſingulos 10. menſes, qui tandem in ſin- A gulos quadrimeſtres; nonnullas in ſemeſtres; erant qui æſtatem & hyemem in duos annos computarent; item qui annum in ſingulos 10. menſes, qui tandem in ſingulos duodecim. Fuerunt qui annum in quatuor tempora, alii in tria, alii in duo dividerent; his lunares menſes ſunt & anni; illis ſolares. Neque idem apud omnes exordium anni; quem enim plures ab autumno, non pauci à vere, ſicut & alii ab hyemis medietate exordiebantur. Dies quoque civilis varius apud varias gentes, illis veſperæ, his media nox, aliis mane, aliquibus tandem meridies diei caput conſtituitur.

B Noctis verò & diei quàm multiplex dividendæ ratio; nox enim ſæpè in tres, quandoque in quatuor vigilias diſtincta eſt; diei partes elevatus ſupra horizontem noſtrum Sol pro menſura ſui curſus dimetiebatur. Cùm verò per horas tempus ſupputari cœptum eſt, in horis diſſidium fuit. Minùs cauti atque inſtructi Scriptores, omnes eos annos confundentes, atque variam apud varias gentes annorum rationem ad unam conſtantemque regionis ſuæ conſuetudinem reducentes, incertis annorum notis tempora determinarunt, totamque inde Chronologiam & Hiſtoriam miſcentes turbarunt. Ex eo fonte, ait Plinius, C portentoſa Ægyptiorum vetuſtas, quam jactant, profluxit, ſingulis bimeſtribus in annum computatis, ut infra obſervabimus.

Cum Olympiades obtinerent, errores tamen incautis Hiſtoricis obrepſerunt; inſignes enim hiſtorias Olympiadum numero deſignantes, quo tamen potiſſimùm Olympiadis anno contigerint, ſilentio prætererunt. Sæpè etiam rei geſtæ tempus ad celebre aliquod factum retulerunt, quantùm ſcilicet inter hæc duo abfuiſſet annorum, ſupputantes; cum interim poſtremæ hujus hiſtoriæ tempus, Scriptorum illorum ætate notiſſimum, noſtra ætate lateat, ex quo inextricabiles Lectori ambages. D Ita Ezechiel Prophetiam ſuam ad annum 30. conſignat; ex quo autem ſupputandi hujus calculi exordium capiat, prorſus obſcurum.

Chronologia Ægyptiorum.

Poſtquam de univerſa Chronologia obſervationes noſtras in medium protulimus; modò de ſingulis variarum gentium ſingillatim agendum. Sacerdotibus Ægypti olim ſcribendorum Gentis Annalium provincia unicè demandata erat, qui tanta apud ſe cautione Commentarios illos ſervabant, ut Exteris nonniſi Regis expreſſo præcepto communicarent. Annales illos ſecum detulit E Artaxerſes Rex Perſarum, mox verò Eunuchus Bagoas, ingenti pretio accepto, Sacerdotibus illis reſtituit (3).

Quibus ita conſtitutis, non immeritò quis ſuſpicaretur nihil eſſe certius, ſanctiuſque ſervatum hac Ægyptiorum Hiſtoria & Chronologia; quippè quòd ejus rei cura doctiſſimorum virorum ſtudio & diligentiæ ita commiſſa eſſet, ut ab omni corruptione depoſitum illud ſervaretur immune. Vix tamen propiùs ad id ſtudium accedimus, confuſa omnia, & præ ceteris etiam aliis corrupta offenduntur. Vetuſtatem ſuam è remotiſſimis adeo fontibus derivant Ægyptii, ut vana commenta ſua Chronologis omnibus ridenda exponant. Horum alii, ut P. Petavius (4), Dynaſtias omnes ad meras fabellas amandant; alii immutatas, atque intra anguſtiores limites contractas recipiunt, uti Euſebius, Africanus, Syncellus, Scaliger; alii tandem partim rejectas,

partim

(1) Pezron Antiq. des tems retab. c. 8. pag. 68.
(2) Vide Salmaſ. de ann. Climacter.
(3) Diod. Sicul. lib. 15.
(4) De Doctr. temp. l. 9. c. 15. & l. 5. c. 17.

partim recipiunt, uti Marſhamus, qui ex 36525. annis, quorum periodo 30. Ægyptiorum Dynaſtiæ apud Manethonem, & Chronicon Ægyptium à Syncello laudatum, continentur, 540. annos admittit, cæteros rejicit.

Quod autem Chronologiæ Ægyptiorum ſingulare eſt, cum cæterarum gentium vetuſtas brevior ſit ea, quæ in Moſaicis libris continetur, Ægyptiorum longè Moſaicam illam excedit, ut proinde ſupputationem Scripturæ cum Ægyptiaca conciliaturi Septuaginta Interpretes, juxta quorumdam Scriptorum opinionem, ſingulorum Patriarcharum ætatem prorogarint; quæ ſanè virorum indulgentia, Chronologiam ſacram mirè deinde miſcuit, atque turbavit. Joſephus Scaliger cùm Africani diſpoſitioni in periodo Dynaſtiarum Ægypti, quas ille pro libito obtruncat, inhæſiſſet (1), fatetur tandem alteram ſibi periodum Julianam fabricandam eſſe, ut tres in ea Dynaſtias Ægyptias collocaret; cum illæ ſimul junctæ 1336. annis vulgarem periodum excederent. Euſebius, quem Recentiores ducem ſequuntur, nihilo majori, quàm Africanus, quem exſcribit, fide, ex Dynaſtiis, quæ ſibi commoda eſſent, adjecit, retraxitque. De Euſebii audacia altè conqueritur Syncellus, quamquam ipſe ejus exemplum non imitatus tantùm, ſed etiam exceſſiſſe videtur; quippè qui & annos, & Regum ad libitum excogitata nomina adjecerit, cum interim plura retraxiſſet; quare in Chronologia Ægyptiorum turbata omnia, & confuſa.

Veterum nonnulli, ut ab ea Ægyptiorum antiquitate ſeſe extricarent, Ægyptios annos intra anguſtiores, quàm noſtrorum, terminos reducunt. Obtinuiſſe ab exordio ut Regum tempora per dies apud Ægyptios ſupputarentur, tradit Palæphatus in fragmento ex Chronic. Alexandrin. Ait e. g. poſt obitum Vulcani ejus filius *Helios* regnaſſe notatur 4477. diebus, nempè 12. annis 3. menſ. 4. diebus. Annis apud ipſos tunc primò ſua 12. menſium periodus data eſt, cum in alias gentes Ægyptiorum imperium propagaretur. Plinius lib. 7. cap. 48. *Quidam Lunæ ſenio*, (annum terminant) *ut Ægyptii; itaque apud eos aliqui & ſingula millia annorum vixiſſe produntur*. Hos annos reformaſſe Pisonem Regem, ait Cenſorinus de Die Natali: *In Ægypto quidem antiquiſſimum ferunt, annum bimeſtrem fuiſſe; poſt deinde à Piſone Rege quadrimeſtrem factum, noviſſimè annum ad 12. menſes & dies 5. produxiſſe.*

Sed annum adeo brevem, atque imperfectum, qualem Scriptores illi teſtantur, apud Ægyptios obtinuiſſe vix in animum induxerim; cum Moyſes, qui in tota Ægyptiorum ſcientia inſtructiſſimus fuit, ipſo fortaſſe Piſone Rege, de quo Cenſorinus, vetuſtior, annum ſemper 12. menſium, & menſes 30. dierum periodo claudat, ſive cum Hiſtorias ante diluvium, ſive poſt illud, ſive cum res in Ægypto actas, ſive alibi deſcribit. 2. (2) *Ægyptiis principium anni non Aquarius, ut apud Romanos, ſed Cancer; nam prope Cancrum eſt Sothis, quam Græci canis ſydus dicunt. Neomenia autem eſt ipſius Sothidis ortus, quæ generationis mundi ducit initium.* Perfectus itaque annus apud Ægyptios jam inde conſtabat, cujus primi menſis nomen erat Sothis, antequam huic menſi alterum nomen Thoth, ſive Mercurius inderetur; idem autem menſis & anni, & mundi exordium apud eas gentes conſtituebatur. Porrò non à Mercurio ea obtinuit traditio, ſed penè genti coæva habita eſt; quare ſemper apud Ægyptios ea anni conſuetudo manſit, ut & præcedentis anni finis, & ſubſequentis exor-

A dium circa tempus decrementi Nili conſtitueretur; ad exortum ſcilicet canis, ſyderis, juxta Plutarchum, fulgentiſſimi. *Ipſis apud eos ſydus eſt, quod Ægyptiacè Sothis, Græcè aſtroKuon dicitur, quod in reliqua etiam ſydera regnare videtur* (3). Itaque ſi Thoth ſive Mercurius Ægyptius Moyſis ætate recentior eſt, juxta ac nonnullis Chronologis viſum, auctorem illum anni 365. dierum non eſt quòd habeamus, cum ejuſdem anni ratio in Ægypto ante Moyſem ipſum obtineret.

Non eſt igitur cur magnopere fidei Sacerdotum Thebarum deteramus, qui vetuſtatem gentis ſuæ ſupra Ægyptiacam efferentes, aſſerebant, Mercurium ſive Thoth annum civilem ad ſolis revolutionem reformaſſe, atque inde ejuſdem anni primum

B menſem de viri illius nomine appellatum (4). Facile tamen Mercurius Ægyptiacum annum ad aliquos ſacros uſus accommodavit; ſingulos ſcilicet duodecim menſes totidem Deorum patrocinio attribuens; ſicut & magni anni 36525. periodum excogitavit. Hujus periodi Mercurium authorem fuiſſe Jamblichus (5) ex Manethone teſtatur. Ad Numina ſingulis menſibus præpoſita quod ſpectat, refert Strabo lib. 17. Sacerdotes Thebanos omnem directi pro ſacris uſibus anni honorem ad Thoth retuliſſe.

Hanc à Mercurio invectam (6) rationem adeo religioſè Sacerdotes deinde obſervarunt, ut intercalarem diem ſingulis quadrienniis adjici, quanquam opportunum videretur, non ſuſtinerent;

C quare annus ſacer à civili exorbitabat, nunquam certa Feſtis eorum ſede manente. Tandem ut ambo illi anni inter ſe ad idem punctum redigerentur, 1461. annorum civilium ſpatium decurrendum erat, intra quod 1460. anni ſacri abſolverentur; cum in 1461. annis civilibus 365. dies intercalares recurrant. Porrò periodus illa magnus annus Ægyptiacus appellatur; iſque annus per 25. multiplicatus, juxta lunarem cyclum, alteram conficit periodum 36525. annorum, de qua ſupra.

Ad quinque illos dies, poſtremo menſi apud Ægyptios adjectos quod ſpectat, ejus rei authorem determinare difficile arbitramur. Thebani Sacerdotes ejus rei gloriam Thoth vindicant; Cenſorinus Regi Piſoni; Euſebius *Aſeth* Iſaaco ſuppari, juxta eumdem, vel Joſue coævo, juxta Marſ-

D hamum. Hæc Scriptorum diſcrepantia fruſtra aliter conciliaretur, niſi ſi ex *Piſon*, & *Aſeth* unus idemque vir conſtituatur; ſimulque dicatur Mercurius redigendi anni civilis tantùm, ad certum quemdam religionis & cæremoniarum uſum, authorem fuiſſe. Marſhamus Sæc. 11. pag. 310. demonſtrat, primum menſem Thoth, juxta Cenſorini ſupputationem, cum anno 3392. periodi Julianæ concurrere, quod, juxta Uſſerii calculum, Judicum imperio labenti reſpondet. His ſemel admiſſis, illud continuò ſequitur, Moyſis ætate diem intercalarem ſingulis quadrienniis, & facilè etiam quinque dies poſtremo menſi adjectos nondum obtinuiſſe; quanquam & menſes eo tempore 30. diebus conſtitiſſe, & annos ad curſum Solis ordi-

E natos, vix eſt quòd dubitemus.

Annus apud Ægyptios ab autumno exordiebatur; ita enim Horus Ægyptius à Macrobio loquens inducitur: *Explicitis duodecim menſibus, id eſt 360. diebus, reliquos quinque dies inter Auguſtum atque Septembrem anno ſuo reddunt* (7) Quæ veteri gentis perſuaſioni de exordio Mundi ab autumno conſentanea fuiſſe ſatis conſtat: *Quod tempus Sacerdotes natalem Mundi judicaverunt, id eſt tertium decimum Calend. Aug.* (8). Singulis Zodiaci ſignis eundem, quem priùs ab ipſis Mundi

crepun-

(1) Canon. Iſagog. l. 2. pag. 321.
(2) Porphyr. de Nymph. antroph. 523. edit. Holl. Vide etiam Solin. Polyhiſt. c. 35. & Macrob. l. 1. c. 21.
(3) De Iſide. A'ετησίων. (4) Diod Sicul. Bibl. l. 1. Strab. l. 17.
(5) De myſt. Ægypt. de Diis. (6) Geminianus.
(7) Macrob. Satur. l. 1. fol. 128. Edit. Aldi. Vide Cenſor. de die nat. c. 18.
(8) Solin. Polyh. c. 35.

crepundiis habuerant, peculiarem Deum aſſerebant. Soli Leo aſſignatus eſt (1), Mercurio Virgo, Veneri Libra, Marti Scorpius, Jovi Sagittarius, Saturno Caper; *ſic factum eſt ut ſinguli eorum ſignorum Domini eſſe dicantur, in quibus, cum Mundus naſceretur, fuiſſe credantur*. Legendus Cicero de Nat. Deor. l. 2. Lactan. Divin. Inſtit. l. 1. c. 4. Joſephus Antiq. l. 1. c. 4. qui poſtremus Scriptor, de diluvio agens, eam opinionem inſinuat.

Tria anni tempora Ægyptii diſtinguunt; nempè hyemem, ver, & æſtatem, quibus præſidens Pallas ab illis *Tritogenia* appellabatur. Vide Commentarium noſtrum ad *Gen.* 8. 22.

Ab omnibus Orientis populis ab ultima antiquitate uſitatum eſt, ut per ſeptimanas dierum, ſua facerent commercia, quæ Scaligeri verba ſunt. Eodem more homines hodie uſque cenſentur, cum tamen ſeptimanæ exordium varium ſit apud varios; Judæis Sabbatum eſt, Chriſtianis Dominica dies, Gentilibus feria tertia, Mahometanis ſexta. Mos autem iſte ab Ægyptiis in Græcos, Romanos, cæteraſque orbis gentes derivatus eſt; qua de re Dio Caſſius *lib.* 38. *Id inſtitutum ad Ægyptiis, haud ita dudum ad omnes homines dimanavit*. Originem verò ad ſeptem Deos refert, quibus ſingulis Ægyptiorum ſuperſtitio ſingulos ſeptimanæ dies conſecravit: ſunt autem Saturnus, Sol, Mars, Jupiter, Venus, Mercurius, Luna. Sed hujus rei certiora ſunt apud Hebræos, in Hiſtoria conditi Mundi, monumenta; quare Dioni, recentiùs in Orbem invectam conſuetudinem affirmanti, nihil eſt quod credamus. Septimanarum vetuſtatem fuſiùs oſtendit Seldenus de *Jur. Nat. & Gent. l. 3. c. 19. &c.*

Quem potiſſimum morem in diebus deducendis Ægyptii ſequuti ſint, varia eſt variorum ſententia. *Ægyptii & Hypparcus*, ait Plinius l. 2. c. 77., *à media nocte in mediam noctem* ducunt. Alii Chaldæorum rationem, ab exorto ſcilicet Sole, ſecutos malunt; alii meridiem caput diei conſtituiſſe ex eo colligunt, quòd Ptolemæus Ægyptius, inſignis eorum Aſtronomus, tantundem ſæpè præſtiterit; alii tandem à veſpera in veſperam ductum ab Ægyptiis diem ſuſtinent (2). Haſce variorum Scriptorum opiniones Salmaſius conciliandas aſſumens Exercit. Plin. pag. 552. autumavit, Ægyptiorum annum, ſibi cæteroqui conſtantem, nempe 365 dierum & 6. horarum, non ab eodem ſemper diei naturalis articulo exordium duxiſſe; modò enim in mediam noctem cadebat, ſuccedenti verò anno ſex horis poſt mediam noctem retrahebatur; quæ autem anni caput, eadem & reliquorum anni dierum prima hora habita eſt.

Maluerim ego, variatæ ſucceſſu temporis apud Ægyptios conſuetudini totam rem adſcribere; facilè enim, antequam Perſæ & Chaldæi regionem haberent, dies ſuos Ægyptii ad duas veſperas ducebant, pro more finitimarum gentium, uti Arabum, Lybicorum, & Judæorum. Sed inducto genti jugo, primò à Chaldæis ſub Nabuchodonoſore, dein à Perſis ſub Cambyſe, victorum moribus, ad Babyloniorum rationes dies ſuos reformantes, aſſueverunt. Tandem ſub Alexandro Magno, & Ptolemæis, iterum avita temporis dirigendi conſuetudo poſtliminii jure rediit. Facilè tamen Plinii ætate, ducendi à media nocte diei morem à Romanis acceperant. Ptolemæus verò diem à meridie exorditur, qua in re non morem regionis, ſed Aſtronomorum, & Mathematicorum ſequutus eſt.

Diei per horas diviſio in Ægypto priùs, quàm in reliquis orbis regionibus obtinuiſſe, vel ex ipſo horarum nomine diſcimus; *hora* enim eſt ab *Horo*, quod Solis nomen eſt apud Ægyptios. Victorinus ex Cicerone narrat (3), Mercurium Triſmegiſtum ex Cynocephalo duodecies in die æquis temporis intervallis mingente, pariterque certis diei articulis ululante, horarum diviſionem didiciſſe. Hæc quidem hiſtoria, fabellam licèt olere videatur, nec aliter fortè de Cynocephalo ſtatui oporteat, vetuſtatem tamen præfefert majorem, quàm quæ apud alias gentes occurrat; & Triſmegiſtus iſte, cui inventæ rei honor tribuitur, paulò eſt Moyſe recentior, ſi Euſebio, & Marſhamo ſupputantibus ſtemus.

Chronologia Chaldæorum.

De Chaldæorum Chronologia, niſi juncto ſimul de Aſſyriorum, Medorum, & Perſarum Chronologiis ſermone, vix eſt quod agamus; quare de tribus ampliſſimis Imperiis, eorum origine, & periodo, uno ſermonis contextu nobis loquendum eſt. In hoc verò argumento incerta eſſe omnia, atque Græcorum Hiſtoricorum errores Cl. Boſſuetus in ſua Hiſtoria univerſali Par. 1. pag. 47. demonſtravit. Ita ille: „ Quidquid de primis tribus Imperiis Authorum Græcorum turba ſcriptis mandaverat, ea planè ſapientiſſimis Græcorum, veluti dubia & incerta, minùs probantur. Sacerdotes Ægyptios de rebus vetuſtis Græcorum ignorantiam relevantes Plato inducit (4); & Ariſtoteles omnia, quæ de Aſſyriis narrantur, ad fabellas amandat.

„ Quod enim ſeriùs Græci ad ſcribendum ſeſe contuliſſent, vellentque ingenio populi in res novas arrepti blandiri, factum indè eſt, ut accurata conſulere monumenta negligentes, ea tantùm avidè arriperent, quæ jucundam magis, quàm veram efficerent narrationem.

„ Ordo planè, quo tria illa Imperia diſtribuuntur, apertæ falſitatis notam præfefert; poſt ſublatum enim Sardanapalum, ejuſque lapſu Imperium Aſſyrium everſum, Medi in ſcenam inducuntur, quibus Perſæ ſuccedunt; quaſi ſcilicet totius Aſſyriæ Monarchiæ hæreditas ad Medos devenisſet, atque in ipſis Medorum ruinis Imperii ſui trophæum erexerint Perſæ.

„ Contra tamen accidit, cum Arbaces, inductis ad defectionem Medis, Aſſyriorum & Sardanapali tantummodo jugum excuſſerit, intacto interim Imperio Aſſyriæ relicto. Primus Medorum Rex Dejoces, 50. ſolidis poſt eam defectionem annis, apud Herodotum l. 1. cap. 26. 27. quem peritiſſimi Chronologi ſequuntur, apparet; ſimulque clariſſimi illius Scriptoris, & Xenophontis, aliorumque teſtimonio ſcitum eſt, florentis Imperii Medorum tempore, potentiſſimos in Aſſyria Reges per totum latè Orientem nominis ſui terrore regnaſſe, quorum Cyrus, capta Babylone, Imperium evertit. (5)

„ Itaque ſi vulgò apud Græcos, & Latinos Græcorum fidem ſequutos, altum ſit de his Regibus Babyloniæ ſilentium; ſi ampliſſimi illius Imperii nulla habeatur ratio in Monarchiis, conſtanti ſucceſſione apud Hiſtorias continuatis; ſi ne nomina quidem apud illos florentiſſimorum Regum Teglarphalaſaris, Salmanaſaris, Sennacheribi, Nabuchodonoſoris, de quibus mira in S. Scriptura, & in Orientalibus Hiſtoriis, ejus rei ſive Græcorum ignorantiam in cauſa fuiſſe oportet; ſive accuratiſſimæ Hiſtoriarum Græcarum pars noſtra ætate excidit.

„ Pro-

(1) Macrob. ſom. Scip. l. 1. c. 31.
(2) Alex ab Alex. l. 4. c. 20. Genial. dier.
(3) Macrob. l. 1 cap. 21. & Pauſan.
(5) Herod. l. 1. Xenoph. Cyrop. 5. 6. &c.

(4) In Tim.

,, Profectò Herodotus peculiarem de Aſſyriis A
,, hiſtoriam promittit, quæ ſivè temporum inju-
,, ria intercidit, ſivè ſcribendæ tempus Hiſtorico
,, defuit. Nec ſanè de Scriptore illo ſapientiſſi-
,, mo aliter cenſendum eſt; vix enim alioquin
,, fieri potuiſſet, ut Reges ſecundi Imperii Aſſy-
,, riorum omitteret; cum maximè de Sennache-
,, ribo, ex illis uno, tanquam de Rege Aſſyrio-
,, rum, & Arabum, non ſileat.
,, Strabo, qui ſub Auguſto florebat, narrat
,, Megaſtenem veterem Scriptorem, Alexandro
,, ferè ſupparem, de expeditionibus Nabuchodo-
,, noſoris Regis Chaldæorum ſcripſiſſe, quem
,, tranſgreſſum Euphratem, in Hiſpaniam, & ad
,, Herculis columnas tranſcurriſse perhiberet.
,, Apud Ælianum occurrit Tilganus, Rex Aſsy- B
,, riæ, quem ipſum eſse Tilgath, vel Teglath
,, Hiſtoriæ Sanctæ nullos dubito; & apud Pto-
,, lomæum inter catalogos Principum, quibus
,, ampliſſima Imperia paruerunt, ordine recen-
,, ſentur quidam Aſsyriæ Reges, Græcis planè
,, incogniti, & cum Sacra Hiſtoria facilè con-
,, ciliandi.
,, Nimius eſsem, ſi ea producerem in medium,
,, quæ in Annalibus Syriæ, Beroſo, Abideno,
,, Nicolao Damaſceno leguntur. Horum Autho-
,, rum fragmenta, auro contra penſanda, Joſe-
,, phus & Euſebius Cæſarienſis ſervarunt, quod
,, etiam de pluribus aliis ab ipſis præſtitum eſt,
,, quorum omnium teſtimonio Scripturæ autho-
,, ritas de antiquitatibus Orientalibus, & Hiſto- C
,, riis Aſsyriis, potiſſimùm confirmatur.
,, Medorum verò Monarchiam, quam vulgò
,, Hiſtorici cum priori continuant, atque à Per-
,, ſica diſtinguunt, Scriptura ſimul cum illis jun-
,, git .... Quæ quidem vera eſse, ex ipſo re-
,, rum geſtarum ordine intelligimus. Medorum
,, ante Cyrum gloria, quanquam alioqui gentis
,, potentiſſimæ, florentibus Regum Babylonio-
,, rum rebus obſcurabatur; donec Cyrus, junctis
,, ſimul Medorum & Perſarum viribus, quos il-
,, le populos jure legitimæ ſucceſſionis, uti ex
,, Xenophonte conſtat, regebat, Babylonios ſub
,, jugum miſit. Ex his planè novæ Monarchiæ,
,, à Cyro erectæ, nomen, non à Medis tantùm,
,, ſed etiam à Perſis imponendum conſtat. Qua- D
,, re Medorum & Perſarum Imperium unum erat
,, idemque; quanquam Cyri gloria Perſarum no-
,, men prævaluit.
,, Accidiſse etiam facilè potuit, Medorum
,, Reges, ſuſceptis versùs Colonias Græcas Aſiæ
,, minoris expeditionibus, nominis ſui gloriam
,, longè lateque apud Græcos provexiſſe; ex quo
,, per totam Aſiam ſoli imperium obtinuiſſe,
,, quippe qui ſoli noti erant, crediti ſunt. Rea-
,, pſe tamen, licèt Græcis eorumque Hiſtoricis
,, incogniti, Reges Ninive & Babylonis floren-
,, tius, quàm Medi, imperium habebant. Fa-
,, ctum indè ut totum à Sardanapalo uſque ad
,, Cyrum ſpatium, unum Medorum imperium
,, tenuiſſe vulgaretur.
,, Non eſt itaque, cur Hiſtoriæ prophanæ ac E
,, Sacræ conciliandis tantoperè laboremus; ad
,, primum enim Aſſyriorum Imperium quod ſpe-
,, ctat, de illo obiter tantùm unum vel alterum
,, verbum in Scriptura, nihilque in ea de Nino
,, Monarchiæ authore, neque de aliis poſt ipſum
,, Regibus, uno excepto Phul, occurrit; quòd
,, eorum Hiſtoria nihil habet cum populo Dei
,, commune. Secundi Imperii Aſſyriorum res à
,, Græcis Scriptoribus ſivè prorſus ignoratæ, ſivè
,, non ſatis exploratæ, cum prioris Imperii hiſto-
,, riis miſcentur.
,, Poſt hæc, ſi Græcorum quorundam autho-
,, ritate oppoſita, tres illas Monarchias ordine
,, ſibi ſucceſſiſſe quiſpiam contendat, huic Græ-
,, eorum in ea hiſtoriæ parte ignorantiam repo-
,, nimus; qui ſcilicet non Scripturæ tantùm repu-
,, pugnantes, ſed etiam ſapientiſſimis gentis ſuæ
,, Scriptoribus deprehenduntur.
,, Quod autem uno verbo ſcrupulos omnes
,, evelleт, illud eſt, nimirum Authores Sacros &
,, tempore & loco ad Monarchias illas Orientis
,, præ aliis acceſſiſſe. Hiſtoriam inſuper ſcribe-
,, bant populi, cujus res cum ampliſſimis illis
,, Imperiis conjunctiſſimæ eſſent; ex quo fieri po-
,, terat, etſi cætera defuiſſent, ut illis præ Lati-
,, nis, & Græcis Hiſtoricis fides addiceretur.
,, Poſtrema etiam ſupereſt de obſcuritate vete-
,, rum Hiſtoricorum cauſa diſpicienda; cum
,, enim Reges Orientis plura ſibi nomina, vel,
,, ſi mavis, titulos, nominis loco uſurpatos, in-
,, ducere ſolerent, ac populus nomina illa variè
,, redderet, & pro vernacula ſingulorum dialecto
,, pronunciaſſet; factum inde, ut vetuſtiſſimarum
,, Hiſtoriarum res, quarum nonniſi confuſa ſu-
,, pererant monumenta, portentoſa caligine ob-
,, volverentur. Ex nominum enim confuſione,
,, res ipſas atque homines turbari, faciliimè con-
,, tingit; uti ex difficultate ſuum locum aſſignan-
,, di in hiſtoria Græca tot illis Aſſueris, colligi-
,, mus; quorum tempora, quantò Orientalibus
,, magis, tantò Græcis minus erant explorata.
,, Quis profectò Cyaxarem ipſum eſſe Aſſuerum
,, crederet, cujus tamen nomen ex *Ki* Dominus
,, & *Axare* compoſitum, ſtatim ad Aſſuerum re-
,, ducendum conſtat?

Quæcumque tandem fuerit digerendi Monarchias illas ratio, ſemper tamen Chronologia nutabit, quippe quæ ex his tantummodò fontibus deducenda eſt, ſivè ex Scriptura nimirum, ſivè ab Orientalibus, vel à Græcis, & Latinis. Ad Scripturam quod attinet, parcior in illa ſermo, quàm ut perpetuæ Chronologiæ ducendæ ſerviat; de Orientalibus nonniſi fragmenta quædam, dubiæ, ut plurimùm fidei, ſuperſunt. Græci, omnium confeſſione, minùs eas hiſtorias callent; ſeriuſque ad ſcribendum ſe conferentes, adeo inter ſe diſcrepantes ſupputationes & hiſtorias ſequuntur, ut eorum teſtimonio fidere nequaquam audeamus. Tandem Latini, Græcos ſecuti, nihilò majorem præ illis obtineat authoritatem.

Quid enim Scriptura de Aſſyriorum Imperio? De Nembrod, virum fuiſſe venationi deditum & violentum narrat, nominis ſui terrore univerſum Orientem complevíſſe; & liberis antea hominibus ſub jugum miſſis, Imperii ſui ſedem conſtituiſſe Babelem, ſive Babylonem, & in urbes Arach, Achad, & Calanne in terra Sennaar imperaſse. Addit deinde virum illum Imperii ſui fines, armis in Aſsyrios illatis, prorogaſse, Ninive, Rohobot, Chale, & Reſen ſubactis. Has urbes vulgò Interpretes ab Aſsur conditas arbitrantur; ſed & omnium confeſſione conſtat, illas non diu poſt ſivè Nembrod, ſive alium, poſt illum, Regem jure armorum occupaſse, duobus Regnis in unum Regem conciliatis. Hinc Cteſias, & Diodorus Siculus uni eidemque domino urbes Ninive & Babylonis ab initio paruiſse teſtantur. Ex inde de Regibus Aſsyriæ (1) altum eſt in Scriptura, uſque ad Ezechiæ tempora, ſilentium (2). Sub Ezechia igitur Merodach filius Baladan, Rex Babel, miſſis ad Regem nunciis, de prodigio, quo Ezechiæ valetudo cælitus fuit demonſtrata, quæſivit. Dein potentiſſimi Aſsyriæ Reges, labentibus Regni Iſraelitici annis, in Scriptura inducuntur, uti Phul, Teglatphalaſar, Salmanaſar, Sennacherib, & Aſsaradon. Ex quibus ſatis intelligimus, pontentiſſimos regnaſse Babylone Principes Ezechiæ ætate; quibus etiam recen-

(1) Vide Gen. 14. 1. Ubi de Rege Babylonis nomine Amraphel.
(2) Reg. 20. 11, 12. 22. Paral. 32. 31.

dorum è Peloponneſo, ut Ephorus Cumanus Socratis auditor in ſuo de Lacedæmoniis Regibus Commentario, deduxerunt. Hellanicus Lesbius hiſtoriæ ſuæ Chronologiam digeſſit ad ſeriem ſœminarum, quæ Junonis ſacra operabantur; quarum prima ſæculo circiter ante Cecropem initiata eſt. Julius Africanus Chronologiæ Athenienſis epocham determinavit in diluvio Ogygis, quod ſub Phoronæo Rege Argeos, 1020. annis ante primam Olympiadem, contingit. Varro tandem tempus hiſtoricum Græcorum ab Olympiadibus exorditur.

Cave tamen credas, poſt Olympiades ſaltem, omnem temporibus determinandis diligentiam Græcos contuliſſe. Qui enim ſuperſunt vetuſtiſſimi eorum Hiſtorici, in Scriptis ſuis nihil magis, quàm Chronologiam negligentes, ſivè certas rerum epochas, ſivè certas annorum ſucceſſiones omittunt. In eorum cenſum, Marshamo judice, referendi Herodotus, Thucydides, Xenophon, qui Hiſtoricos quidem, non Chronologos, Olympiadum ſucceſſione nondum determinata Chronologia, referunt. Eſt quidem apud illos brevis de Olympiadibus mentio, ſed vaga quadam ratione, atque certo earum anno prætermiſſo.

Nomina verò eorum, qui in Olympiacis certaminibus palmam retulerant, ſeriùs recenſeri cœpta ſunt (1); idque non dirigendæ Chronologiæ gratia, ſed ut æternam nomini gloriam comparaturi, in certamen juvenes accenderentur. Evanoridas quidam, Olympiade 50. planè non vetuſtior, omnium primus victores Olympicos in catalogum digeſſit (2). Catalogum certaminum ſerius ordinavit (3) Hippias Eleus, qui tamen opus ſuum nullo exhibito monumento probavit. De Hippia quodam ſermo eſt apud Platonem in Hippia; cum Socrate illum colloquentem, atque Olympicis adeſſe conſuetum, inducit; ejus tamen authoritas in Olympiadum catalogo ducendo, cum Socrates nonniſi poſt 95. Olympiadem à Corœbo obierit, magni eſſe momenti non poteſt.

Corœbus, omnium primus in catalogo victorum Olympicorum apparet; neque de aliis ante illum inveſtigari aliquem contigit; vicit autem Corœbus Olympiade 27. & exinde Olympiadum epocha, 108. annis circiter ab inſtitutis per Iphitum ludis, ducitur. Corœbi illius nomen tumulo ejus inſcriptum apud poſteros manſit; quare de illo quidem conſtat: de cæteris verò poſt ipſum res dubitatione non vacat; cum Daicles, qui ſextus poſt Corœbum ponitur, poſt Iphitum, à quo Olympiade ſeptima coronam victoris acceperit, recenſendus ſit.

Olympiadum verò ſucceſſionis, ut hiſtoriæ ſerviret, Timæus primus author perhibetur; florebat ſub Ptolemæo Philadelpho. Poſt ipſum, Eratoſthenem, & Polybium Græcorum Scriptorum, qui Olympiades in chronologia adhiberent, vetuſtiſſimum, eamdem methodum ſecutos ſcimus; Polybius autem Hiſtoriam Timæi continuavit.

Poſt hæc omnia, ſi Græcorum Chronologia & Hiſtoria dubiæ ſit fidei, quis jure miretur, cum tempus primarum Olympiadum, quæ totius Chronologiæ robur habentur, obſcura caligine obvolvatur? Porrò Olympiadum tres epochæ diſtingui poſſunt; prima ab inſtitutis per Atreum, filium Pelopis, ludis in ſunere Patris

A ſui; in his verò victor renunciatus eſt Hercules (4) an. 346. juxta Velleii ſupputationem (5), ante reſtitutos eoſdem ludos ab Iphito, Lycurgo, & Cleoſthene; ſecunda, in reſtitutis illis authoribus ludis, ex quibus uſque ad primam Chronologiſtarum Olympiadem, victoria Corœbi inſignem, ſpatium 180. ann. intercedit. Quare vera Olympiadum epocha ultra 400. annis vulgarem præcedit. S. Clemens Alexandrinus 427. Euſebius 430. Syncellus 600. annos inter eas numerat.

Condita etiam duo Regna Argi, & Sycionis in Peloponneſo geminæ ſunt epochæ in Hiſtoria Græcorum celebratiſſimæ; in quibus tamen fa-B bellas quamplures & incerta omnia Marshamus oſtendit. Primus Argivorum Rex Phoroneus, filius Inachi, à Pauſania lib. 2. conſtituitur; Inachum verò non viri nomen, ſed amnis eſſe tradit. Anticlides de eodem Phoroneo teſtatur, Regum Græcorum vetuſtiſſimum illum fuiſſe (6); quin & omnium hominum primum Phoroneum Argivum Acuſilas appellat; hic tandem mortalium parens à Phoronide Poeta dictus eſt (7). Phoroneus etiam, & Niobe in tota Græcia vetuſtiſſimi Platonis ætate habebantur (8); quare nihil ſupra Inachum ejuſque filium Phoroneum, Reges Argivorum, in Hiſtoria Græca referri Syncellus eſt author.

C Quæ cum ita ſint, Regum Sycioniorum in urbe Telchinia, dein Sycione dicta, regnantium catalogus fidei eſt ſubleſtæ; ſi enim nullum in Græcia Regnum vetuſtate Argivum ſuperat, Sycionis Reges omnes 200. ann. ſucceſſione deducti, Argivis vetuſtiores, ſabuloſa ſunt nomina. In Homero Iliad. B. v. 572. Adraſtus primus Rex Sycionis occurrit.

Adraſti nomen legitur in marmore Arundeliano ad annum Atticum 325. Exinde tantùm Regum Sycionis vetuſtas repeti poteſt; qui planè Reges, belli Trojani tempore, Argivorum Regibus parebant (9). Dionyſius Halycarnaſſæus lib. 1. numerum determinat generationum, qua-D rum ſpatio Pelaſgi Peloponneſum, & Theſſaliam habuerunt; ſed earum generationum tempus incertum, & indeterminatum, incertum etiam relinquit, quanto temporis ſpatio Pelaſgi eas regiones tenuerint.

Qui autem fieri poſſet, ut Hiſtoria, & Chronologia Græca certum aliquid haberent, quam impares inæqualeſque anni dirigunt? Erant quibus ſinguli quadrimeſtres annum conſtituerent (10); anni apud Arcades in menſem unicum, deinde in trimeſtrem, nempè in ſingula anni tempora durabant; apud incolas Cariæ, & Acarnaniæ interdum annus menſe determinabatur, ſemeſtri interdum; quanquam Homeri ætate Græ-E corum annus ad menſuram 12. menſium lunarium facilè redactus videtur.

Solon, referente Plutarcho in Solone, lunarium menſium inæqualitate animadverſa, ſimulque lunam cum ſole non ſemper in idem Cœli punctum convenire intelligens, illam dici partem, quæ ſolis ac lunæ congreſſum præcedit, elapſo menſi, reliquam verò ineunti tribuendam cenſuit; quare poſt eam conjunctionem ſuccedens dies Neomenia, ſive prima dies menſis, appellabatur. Factum inde, ut ſingulis menſibus 30. ſolidi dies, anno verò 360. aſſignarentur. Porrò hæc in verbis Solonis ad Crœſum apud Herodotum l. 1. c. 32. & in ænigmate anni authore Cleo-

******

bulo,

(1) Pauſan. Eliac. 1. pag. 354. (2) Idem Eliac. 1. pag. 538. apud Marsham, ſæc. 56.
(3) Plut. in Num. (4) An Hercules filius Jovis & Alcmenæ, vel alter Hercules frater Dactylos Idæ?
(5) Vellejus Paterc. lib. 1. (6) Plin. l. 7. c. 56.
(7) Clem. Alex. Strom. 1. (8) In Timæo.
(9) Vide Marsham.
(10) Cenſor. de die natal.

bulo, viro inter ſeptem Sapientes, apparent: hoc autem ænigma: uni parenti duodecim ſunt filii, quibus ſingulis 30. infantes, colore, & forma varii, nati ſunt, alii nempè albentes, nigricantes alii; immortales ſinguli, quotidie licèt decedant.

Athenienſium annus neque lunaris maximè, neque ſolaris erat; cum enim Solaris 365. diebus, & 5. horis conſtet, Athenienſis 360. claudebatur; quare lunarem 354. dierum excedebat. Itaque cum Macrobius & Solinus Græcorum annum lunarem dicunt, ita intelligendi ſunt, quaſi ſcilicet in dirigendis menſibus, & annis, lunæ potiùs, quàm ſolis ratio à Græcis haberetur. Solonis ætate ſingulis bienniis intercalaris menſis recurrebat, annumque intercalarem *trieteridem* appellabant (1); quaſi ſcilicet ſingulis trienniis menſis ille adderetur: ſed quantum ego conjicio, intercalatio illa poſt reformationem anni, ab eodem Legiſlatore inſtitutam, abrogata eſt; cum enim annus 360. dierum periodo clauderetur, ſingulis bienniis 10. tantùm dies, non integer menſis ſupereſſe poterat. Ea anni diſpoſitio apud Athenienſes diutiùs obtinuit. Quanquam enim Eudoxius & Plato veram anni redigendi ad curſum ſolis doctrinam, juſta ac Strabo inſinuat, ab Ægyptiis didiciſſent (2); attamen avita conſuetudo diutiùs prævaluit, cùm Demetrii Phalerεi ætate annus 360. diebus conſtaret. Huic enim viro *trecentas ſexaginta* (ſtatuas) *ſtatuere, nondum anno hunc numerum excedente* (3). Quanquam ſub idem temporis Callippus annum 365. diebus, & 6. horis dimetitur (4); facilè tunc Ægyptiaca in Græciam methodo ſubrepente. Anno 365. diebus conſtanti, dies intercalaris poſt quadriennium addebatur; unde *Penteteris* illi nomen inditum, quaſi ſcilicet ſingulis quinquenniis recurreret. Temporis ſucceſſu, intercalaris diei methodus non ſatis difficultatibus omnibus interceſſiſſe viſa, cùm temporis adhuc alicujus ſpatium extra anni regulas vagaretur, huic incommodo magni anni Græcorum invecti ſunt, uti Methonis 19. annorum, Philolai 59. Calliopi 76. Hipparchi 304.

Apud Achæos exorientes Plejades, æſtate ineunte, anni exordium ducebant; Athenienſibus vernum æquinoctium anni caput habebatur (5); dies verò apud illos à veſpera in veſperam ducti; annus in quatuor anni tempora diſtributus, ver, æſtatem, autumnum, & hyemem. Horarum diei ratio Homeri ætate nulla erat (6), cum noctem ille, diemque in tres partes diſtribuat, atque in die auroræ tantùm ſive mane, meridici, & veſperarum meminerit (7).

Diem per horas dimetiendi morem è Babyloniis didiciſſe Anaximenem, & Anaximandrum ſupra innuimus: *Anaximander primus gnomonem invenit, & Lacedamone ſtatuit in loco captanda umbra idoneo, qui & ſolis converſiones & æquinoctia notaret* (8). Mentio eſt quidem apud Homerum de horis, quas ille præ foribus Cœli adſiſtere dicit; ſed eo nomine, pro more apud Græcos veteres recepto, anni tempora appellantur. Apud Latinos Hora inter Deas cenſetur, cui vir adjectus eſt Quirinus. Ovidius.

Horamque vocat, qua nunc Dea juncta Quirino.

Huic munus foribus Cœli aſſiſtendi cum Jano tribuitur.

Præſideo foribus Cœli, cum mitibus horis.

Hora ſivè *Herſilia* unica priùs erat, & ſingularis Dea; nomen deinde tribus communicatum eſt, quanquam & peculiare tribus illis horis nomen eſſet, videlicet Eunomia, Dice, Irene (9).

Et Jovis, & Themidos Horæ de ſemine natæ;
Eunomis, atque Dice, atque Irene dives.

Porrò tres illæ Divæ, tres anni partes deſignant, ver, æſtatem, & hyemem; dein temporis ſucceſſu, cum diem etiam in quinque partes diſtingui contigiſſet, Numina Horarum ad quinque creverunt, eademque occaſione annus in quinque tempora ſecatus eſt. Tandem duodecim horæ totum diei ſpatium diviſerunt, pro quarum numero & religio eſt aucta. Porrò ea ſuperſtitio multò vetuſtior apud Græcos, quam apud Latinos fuit. Porphyrius apud Euſebium Præp. l. 3. c. 11. duo horarum genera diſtinguit, Cœleſtium nempè, & terreſtrium; illas Jovis ſervitiis, atque Cæli oſtiariis; has verò in ſatellitium Cereris collocat, caniſtros illi alios floribus plenos, veris emblema, alios ſpicis, ætatis indicium exhibentes conſtituit. Poſt invecta horologia veteri nomine horarum abolito, ſigna appellata ſunt; quæ ſcilicet ſtatis intervallis in horologiis ſolaribus diſtributa, horas deſignabant.

Chronologia Latinorum.

Veterum Italiæ incolarum hiſtoria adeo ſpiſſa caligine obvolvitur, ut veterum, atque recentiorum Scriptorum ſedulas inquiſitiones prorsùs fugerit. Ipſa urbis Romæ origo, & primorum illius Urbis Regum chronologia adeò in incerto verſatur, ut quam potiſſimum ineamus viam, ancipites hæreamus. Si Agatoclem Cyzicenum, Strabonem, & Cluverium audiamus, Æneam in Italia nemo vidit unquam; nulli *Numitoris* nepotes, Romulus, & Remus appellati; ac veri Urbis Romæ conditores Arcades illi habendi ſunt, qui in Italiam ab Evandro adducti, ad ripas Tiberis ſubſtiterunt. Conditæ etiam Urbis tempus, non minùs quàm Conditor ipſe, latet; cujus rei in cauſa fuiſſe conſtat, quod nullus apud Romanos Scriptor vetuſtus unquam, ſivè hiſtoriam, ſivè tabulam ſcripſit, uti Dionyſius Halycarnaſſæus, ſedulus præ omnibus antiquitatum Romanarum indagator, animadvertit lib. 1. Conditæ Urbis hiſtoria indagari diligentiùs cœpta eſt ſub M. Porcio Catone, qui ſub an. 559. V. C. Conſulatum geſſit. Cato verò epocham illam in anno 432. poſt Trojam captam conſtituit. Cum tamen ejus expeditionis tempus, ad primam Olympiadem relatum, non uſque adeo exploratum ſit, nihilo proinde doctiores ex ejus labore circa tempus conditæ Urbis efficimur. Hanc igitur alii 384. annis poſt everſam Trojam conſtituunt, nempè 38. annis ante primam Olympiadem, vel quarto anno primæ Olympiadis, vel tertio, ſivè quarto ſecundæ, ſivè tertio ſextæ, aut primo, vel ſecundo ſeptimæ, & citiùs etiam ſeriùſve; nihil enim in ea re certi.

Redigendi anni regula una eademque apud omnes æquè Italiæ populos non obtinebat (10); apud Lavinos annus 374. dierum; apud Umbros 14. menſium erat. Romulus intra 10. menſium periodum annum clauſit (11); eumdemque morem Albani ſecuti ſunt. Ita annus 300. diebus conſtabat; cui initium in Martio, exitus in Decembri. Numa Pompilius ad 12. menſes, nempè 55. dies prorogavit; quamquam Junius, apud Cenſorinum, hujus reformationis honorem (in qua duo menſes Januarius, & Februarius exteris adjecti ſunt) Tarquinio Regi vindicat. Viſum

(1) Cenſor. de die natal. c. 18. Herod l. 1. c. 32. & l. 2. c. 4.
(2) Strab. l. 17. *Ignorabatur annus eo tempore apud Græcos, quemadmodum & alia permulta; quouſque juniores Aſtrologi ab iis ea acceperunt, qui Sacerdotum monumenta in Græcam linguam tranſtulerunt.*
(3) Plin. l. 34. cap. 6. (4) Cenſor. cap. 19.
(5) *Atticus occaſum ſpectat, Babylonius ortum, Nox media Auſonio, media at lux perplacet Umbris.*
(6) Iliad. K (7) Iliad. Ph. (8) Laertius ex Phavorino. (9) Heſiod. Theogon. (10) Cenſorinus.
(11) Ovid. *Annus erat, decimum cum Luna receperat orbem. Hic numerus magno tunc in honore fuit.*

ſum eſt etiam intercalarem diem ſingulis bienniis Februario adjicere, ut ſcilicet civilis annus ad naturalem reduceretur. Ea ratione incommodo nequicquam occurſum eſt; quare injunctum Sacerdotibus, ut quos opportunos judicarent, intercalares dies aſſignarent. Incuria tamen & inſcitia Sacerdotum factum eſt, ut anni ratione malè ſucceſſu temporis turbata, Julius Cæſar ipſe per ſe nova anni reformatione ſuſcepta, annum ad 365. dies, & 6. horas reduceret, aſſignata ſingulis quadrienniis die intercalari; hinc anno ad regulas Ægyptias conformato, nomen inditum, annus Julianus.

Olim apud Romanos anni caput in Martio, dein in Januario conſtitutus (1). Quòd autem in Januario Sol ad nos regrediatur, ideò Ovidius.

Principium capiunt Phœbus, & annus idem.

Novi Magiſtratus Provinciam à Januario non ſemper iniverunt. Coſſ. P. Ebutio, & Q. Servilio, Reipublicæ ſervitiis addicti, Calendis Auguſti; ſub Decemviris, Idibus Maii; dein uſque ad ſecundum bellum Punicum, Idibus Decembris inaugurabantur; exinde dies deſtinata Magiſtratibus Idibus Martii. Quamquam cum Præfectis ſubinde conſuetudo variavit, modo provinciam ineuntibus Calendis Julii, modò Octobris; tandem ſub Auguſto Calendæ Januarii in eam rem deſtinatæ ſunt. Sub Nerone, Imperatori illiberaliter aſſentante Senatu, novi Magiſtratus ad Decembrem remiſſi ſunt, quò ſcilicet Principis natalis dies honoris acceſſione celebraretur. In rebus Religionis diſciplina ſtabilior manſit, cùm prima ſemper Martii dies, anni Romulei exordium, innovandis laureis corollis ad faſces Conſulis, & ante fores Regis Sacrificuli, Sacerdotum Jovis, & Veſtalium celebris haberetur. Ea etiam dies Veſtalibus perpetuo ſacroque igni incendendo, quem illæ ignem curabant, ſacra fuit.

Inconſtans etiam apud Italos menſium ratio; Albani enim 36. dies Martio aſſignabant, 12. Majo, 28. Auguſto, 16. Septembri; Tuſculani 36. Julio, 32. Octobri; Aricii 39. Octobri.

Martius, olim anni ineuntis caput, poſt reformationem Numæ tertius anni menſis: ut apud Albanos, effectus eſt. Apud Sabinos & Pelignos (Aprutii citerioris populos) idem menſis quartus erat in anno; apud Laurentes, & Phaliſcos quintus; apud Hernicos ſextus; apud Æquiculos decimus. Ovid. Faſt. l. 13.

Quod ſi fortè vacat, peregrinos inſpice faſtos.
Menſis in his etiam nomine Martis erit.
Tertius Albanis, quintus fuit ille Phaliſcis.
Sextus apud populos Hernica terra tuos.
Inter Aricinos Albanaque tempora conſtat,
Factaque Telegoni mœnia celſa manu.
Quintum Laurentes, bis quintum Æquiculus acer.
A tribus hunc primum turba forenſis habet.

Ut menſium nomina ſæpè immutarentur, aſſentatio non rarò fuit in cauſa; ita *Quintili* & *Sextili* menſibus nomen Julii, & Auguſti factum eſt; ex Aprili redditus Nero; ex Majo Claudius; ex Octobri Domitianus; ac tandem Tacitus è Septembri. Commodi nomen ab aſſentatoribus quibuſdam menſi Auguſto inditum; tum & Herculem de Septembri, Invincibilem de Octobri fecerunt; ità & Novembrem Exuperatorium appellari, Decembri Amaſonium contigit. Brevì tamen priſcum ſingulis nomen, Julio & Auguſto exceptis, redditum eſt. Anni tempora Romanis quinque fuerunt, ver, autumnus, æſtas, hyems, & ſolſtitium hyemale, ſivè cum dies breviſſimi ſunt: *Bruma*.

Septimanæ apud illos ignotæ, ſolitos in tres partes menſes dimetiri; Kalendas, Nonas, & Idus.

Kalendæ in primam ſingulorum menſium diem recurrebant. Menſium Martii, Maii, Julii, Octobris ſex priores dies, ad Nonas pertinebant, cum menſes reliqui quatuor tantùm dies Nonis permitterent. Inter Nonas & Idus conſtans 8. dierum ſpatium erat; poſt Idus omnia ad Kalendas ſuccedentis menſis referebantur.

Mos erat Auſoniis, vetuſtis Italiæ populis, à quibus in Romanos derivatus, ut diei terminos duas medias noctes conſtituerent; meridies in eum uſum ab Umbris & Etruſcis aſſignata. Seriùs horæ invaluerunt, cum nulla de illis mentio in Lege 12. tabularum, juxta Cenſorinum, occurrat; quare 300 annorum ſpatio horæ à Romano ſolo abſentes ſunt. Dies itaque apud illos, ſicut & noctes in quatuor diſtributæ partes, horarum defectum ſupplebant; quin & horis demum, cleplydris, atque horologiis introductis, vetus tamen noctis in quatuor vigilias diviſio in caſtris manſit. Neque incognita Romanis conſuetudo, horis ſcilicet 12. inæqualibus diem ab aurora in veſperas, & noctem à veſperis in mane dimetiendi.

Pro varia enim diei noctiumque ratione, modò dies excedentibus noctibus, modò noctes diebus, diurnæ præ nocturnis horis, & viciſſim protogabantur. Ita verò elaborata veterum horologia ferunt (2), ut horarum varietatem conſtanti ſemper fide monſtrarent, adeo ut ſexta ſemper hora in horologiis meridiano Soli reſponderet. Hujus inventionis honor Anaximeni Mileſio, juxta ac ſupra innuimus, tribuitur.

Horologia Solaria ex quo potiſſimùm Romæ cœperint, incertum; illud tamen conſtat, publica ex Sicilia tranſlata M. Valerium primùm conſtituiſſe; cum autem, pro Sicilia fabricata Romano polo malè congruere deprehenderentur, L. Philippus alterum ponendum curavit. P. Corn Naſica cleplydram conſtituit, qua dilabentes ad menſuram aquæ, cum potiſſimùm nocte ſubeunte, ſivè deficiente Sole horologia ſolaria deeſſent, horas monſtrarent. Exindè cleſpydræ, rudes primùm, exactiores in dies conſtructæ ſunt.

Chronologia Hebræorum.

Cum ad Hebræorum Chronologiam illuſtrandam noſtra potiſſimùm ſtudia ferantur, ea quæ in anteceſſum digeſſimus, omnia tanquam ad illam præludia reputanda ſunt. Porrò de Chronologiis Chaldæorum, Ægyptiorum, Græcorum, & Romanorum nihil ad nos, niſi ſi quid illis cum S. Scriptura.

Hebræorum populus, ſeorſim à cæteris per Orbem Gentibus ſpectatus, vetuſtate originis ſuæ certa documentorum fide aſſerta plurimùm præſtat. Primos enim Gentis Scriptores (ut nihil de ſuperno afflatu dicamus) in ea vixiſſe regione conſtat, in qua rerum ab exordio Mundi geſtarum traditio, quàm alibi uſpiam, incorruptior manſerat: Chaldæi ſcilicet vetuſtatum ſuarum & Aſtronomiæ ſtudioſiſſimi habiti ſunt; nec parùm illis inſtruendis primorum totius Orbis hominum conſuetudo, quorum apud illos ſedes, contulerat.

Abraham 75. annis ibidem immoratus eſt; qui ſanè vir Patriarchas ante diluvium, quibus cum primis illis hominibus conſuetudo, auſcultaſſe potuit. Iſaac filius Abrahami, Rebeccam fœminam religioſam, in eadem natam regione

---

(1) Alex. ab Alex. Genial. dier. cap. 24.
(2) Alex. ab Alex. Gen. dier. l. 4. c. 20.

duxit; natuſque ex ea Jacob in Meſopotamiam veniens, omnia, quæ à patre ſuo didicerat, religionis traditione altiùs impreſſit. Inde in Ægyptum Jacob deſcendens, ipſe unà & familia univerſa ab incolis diſcretos ſemper & ſedibus & conſuetudine ſeſe continuerunt, ſactam ſibi à Joſepho ſpem viſitationis, & liberationis populi mente verſantes: Gen. 50. 23. *Poſt mortem meam Deus viſitabit vos, & aſcendere vos faciet de terra iſta ad terram, quam juravit Abraham, Iſaac, & Jacob*. In hanc autem ſpem erecti Iſraelitæ, nihil habebant antiquius, quàm ut filios ſuos de rebus à Patriarchis geſtis, eorum ætate, & genealogiis inſtruerent.

Eodem temporis intervallo Deus ſibi virum comparavit, cujus miniſterio populum affaretur, & ſingularium veritatum ad poſteros traditio ab incorruptione, & oblivione, jam inter Hebræos gliſcente, ſimplex & integra tranſmitti poſſet. Moyſes, omni Ægyptiorum ſapientia inſtructus, in traditione gentis ſuæ ſatis verſatus, ad hæc ſuperno afflatus ſpiritu, Patriarcharum omnium ante & poſt Diluvium ætatem deſcribit, ſingulari fide & diligentia proſequutus hiſtoriam omnium, quæ ſive ad Religionem, ſive ad Rempublicam Judæorum, ab exordio Mundi ad ſuam uſque ætatem, pertinerent.

Poſt Moyſem hiſtoriæ ſeries, minùs quidem conſtans, ſatis tamen ad dirigendam chronologiam & hiſtoriam uſque ad Cyrum, perſeverat. A' Cyro uſque ad Darium, & à Dario uſque ad Macchabæos, Sacra Hiſtoria quieſcit. Huic autem Chronologiæ illud potiſſimum commodi accedit, quòd Divino teſtimonio confirmata, omnem ab epochis ſuis, in Scriptora expreſſis, ſuſpicionem removeat; quare fixæ in illa epochæ & certæ plures occurrunt: vix autem quidquam in hiſtoria prophana legitur, quod validis in contrarium argumentis non impugnetur.

Hiſtoriæ tamen Sacræ & prophanæ conſenſus, res eſt in Hiſtoriæ Sacræ ſtudio operoſiſſima; ſimulque arduum monumenta ſeligere, ad quorum fidem Chronologia Scripturæ ducatur. Cum enim Hebraica veritas, Verſio Septuaginta, ac Textus Samaritanus ſecum ipſi repugnent, quinam potiſſimum inter illos ſeligendus ſit, ægrè admodum diſcernitur.

Quod tamen ad conciliationem utriuſque hiſtoriæ Sacræ, & prophanæ pertinet, non eſt cur res illa magni momenti habeatur; quanquam enim utramque inte ſe in omnibus, ſive in multis convenire, è re Chriſtiana habetur; ſi tamen ejus difficultatis pondere preſſi deficiamus, totius rei invidia in hiſtoriam prophanam recidet, cur de Divinæ Scripturæ authoritate præjudicatum eſt. Studio tamen noſtrorum Chronologorum eò res adducta eſt, ut de fœdere illo tandem conciliando non deſperemus.

Illud etiam fateamur oportet, in re hiſtorica, & Chronologica ardua, & repugnantia non ſemel occurrere, cum ipſæ inter ſe prophanæ hiſtoriæ repugnent. Quis planè inter ſe conciliet varios de veteribus Imperiis Scriptores, ſicut & de bello Trojano, de expeditione Argonautarum, de primis Græciæ Regnis, de vita Cyri &c.? Ut autem data proportione pares in Libris Sacris difficultates occurrere, Deo ſic permittente, contigit, ita plures in illis in ſpeciem repugnantes textus occurrunt, quibus conciliandis omnes ingenii, & ſcientiæ ſuæ nervos Commentatores intendunt. Cave tamen credas, de conciliatione utriuſque hiſtoriæ negotium actum planè eſſe, atque rei difficultatem conatus omnes & ſtudium eludere. Inconſulta ſanè utuntur religione, qui hiſtoriam prophanam eliminandam prorsùs, nullumque illi cum Sacra commercium permittendum edicunt: *Actum eſſet de Chronologia Sacra*, ait Scaliger, *ſi abſque exoticis monumentis foret. Quod cum ſapientiſſimi Scriptores Tatianus, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Africanus, Euſebius, aliique animadvertiſſent, omninò ſine exotica hiſtoria intervalla Sacra deprehendi poſſe deſperarunt. Dicatur igitur tumidis buccis & elato ſupercilio, atrocem injuriam Spiritui S. irrogari, ſi Hiſtoria Sacra ab exotica ſubſidium petat; quaſi illa magna ignominia ſit, ſi hiſtoria exotica Sacra ancilletur*.

Reſtat ut de eligendo Textu ad dirigendam Chronologiam agatur; in qua tamen controverſia, poſt aſſeriam à Concilio Tridentino Vulgatæ authoritatem, maximè cum ab Hebræo textu, quo Judæi utuntur, illa non diſcrepet, nihil eſt quod ambigamus. Neque nos latet, quantùm olim verſioni Septuaginta delatum ſit, cui veteres Patres ferè omnes, & Hiſtorici Eccleſiaſtici accedunt; ſed ejus obſequii in cauſa fuiſſe credimus, quòd eorum ætate Hebraici textus cognitio rariſſima eſſet, atque Verſio Græca, originalis loco apud illos haberetur.

Pauca modo de anno Judæorum; in quam rem, ut ſine ambagibus procedamus, tempora diſtinguantur, oportet. Ante Legem eadem anni ratio apud Hebræos, & Ægyptios obtinebat; in Ægypto enim nutritis, vix aliam annorum formam, quàm Ægyptiam, noſſe potuerat. Moyſes Gen. 7. in ſupputatione temporis, quo Diluvium duravit, anni Hebraici formam ad 365. dies redigendam demonſtrat; annum verò 12. Menſes, menſes 30. dies dimetiebantur; poſtremus menſis 35. diebus conſtabat. Nullus apud illos intercalaris menſis, niſi cum poſt 120. annorum periodum annus 30. ſolidis diebus exorbitaret (1); in Scriptura tamen nihil de intercalari, ſive decimo tertio menſe.

Poſt egreſſum ex Ægypto, eodem manente anno civili, alter in uſum religionis, ad ſolares partim partimque ad lunares regulas digeſtus, annus invectus eſt. Ejus caput in vere; atque primi menſis dies decimaquarta (qui nempe menſis ſeptimus erat anni civilis) Paſchali ſolemnitati ſacra habebatur. Quæ tamen anni lunaris forma apud Hebræos, in uſum religionis introducta, nonniſi poſt Aleſandrum Magnum productis argumentis demonſtrari poteſt. Ex Eccleſiaſtico (2) enim Macchabæis, Joſepho, Philone intelligimus, Græcorum apud Hebræos annum obtinuiſſe, ſolarem nempe lunaribus menſibus conſtantem (3): *Univerſi Græci annos juxta ſolem, menſes verò, & dies juxta lunam agebant*. Paria apud Maimonidem legas: *Menſes anni, menſes lunæ; anni autem, quos nos computamus, ſunt anni ſolis*. S. Joannes in Apocalypſi 11. 2. 3. & 12. 6. 14. & 13. 5. annos & ipſe ex lunaribus menſibus 30. dierum ſupputat; tres enim annos & dimidium reddere dicit 1260. dies, quot planè reddunt 42. lunares menſes.

Nonniſi poſt invectum Talmudem, anni lunares tantùm, ope intercalarium menſium ſingulis trienniis ad ſolares redacti, apud Hebræos obtinuerunt. Menſes illos intercalares *ve-Adar*, vel ſecundos *Adar* appellant. Ad eam normam redigenda ſunt, quæ de annis Hebræorum hodie uſque apud Rabbinos feruntur. Conſtat autem annus ille 12. menſibus cavis & plenis, nempe 29. & 30. dierum alternatim. Porrò menſes illi lunares, juxta Rabbinos, non congreſſu ſolis cum luna, ſed ab ipſa lunæ phaſi ducebantur. Certi enim viri, inquiunt, mercede conducebantur, ut è montium vertice ejuſdem phaſis

(1) Vide Scalig. de emendat. tem. l. 3.
(2) Eccli. 43. 6. *Luna oſtenſio temporis, & ſignum ævi, à Luna ſignum diei Feſti . . .; menſis ſecundum nomen ejus*.
(3) Gemin. Iſagog. c. 6

phaſis punctum obſervarent; metu verò ne quid de præcepto feſti ineunte menſe celebrandi negligeretur, gemini, uti quidem ferunt, dies feſti celebrabantur, quorum alterum dies *latentis Lunæ*, alter dies *apparentis Lunæ* appellatus eſt. Scitè admodùm obſervat D. Toinardus Harmon. Evang. not. pag. 154. hæc tantùm ſervari conſueviſſe in Provinciis locisque ab urbe Jeroſolyma remotis; quæ enim ad Urbem & loca adjacentia ſpectabant, præſcripto Domus judicii dirigebantur. Opinionem illam ſuam Rabbini fulerunt textu 1. Reg. 20. 5. alibi à nobis examinando. De *viris*, quibus certum aſſignabatur pretium, ut phaſim aſtrorum ſpecularentur, ſcriptum creditur illud 1. Par. 12. 32. *De filiis Iſſachar viri eruditi, qui noverant ſingula tempora ad præcipiendum, quid facere deberet Iſrael, Principes ducenti: omnis autem reliqua Tribus eorum judicium ſequebatur.*

Anni civilis Hebræi, & Ægyptii ab autumno periodum auſpicabantur; ex quo labentis æſtatis, atque collectorum fructuum tempus, exitus ſive revolutio anni à Moyſe appellatur Exod. 23. 16. & 34. 22. Apud Ezechelem 40. 1. ſermo eſt de ineunte anno civili, quod anni tempus Judæi uſque hodie *Roſch haſchana* appellant; ducit autem exordium annus à Tizri, qui Septembri reſpondet. Diluvium cœpiſſe dixit Joſephus Antiq. l. 1. ſecundo menſe anni civilis; quem Macedones Dios, Hebræi Mareshvam appellant (Octobri ferè reſpondet). Poſt conſtitutum à Moyſe anni Sacri in menſe Niſan caput, priſtina ratio civilis anni ab autumno ducendi manſit. Feſtum Expiationis, quod in diem 10. Tizri incidebat, (Tizri Septembri, & Octobri reſpondet) inſtitutum creditur in memoriam lapſus Adami; quæ ſi vera ſint, mundus ab autumno cœperat.

Septimanarum tria ſunt apud Hebræos genera: 1. quæ 7. annorum periodo conſtat, anno Sabbatico dein ſuccedente, quo ſcilicet à terræ cultura feriaretur; 2. annus Jubilæi, 7. annorum ſeptimanas, nempè quadraginta novem annos complectens; 3. tandem ſeptimanæ dierum. Porrò Jubilæi annus tantumdem ferè apud Hebræos habebatur, ac magnus annus apud Ægyptios; æquè autem civilis erat, & ſacer. Dies à veſpera in veſperam agebantur. Moyſes civilem diem, binis commemoratis terminis deſcribit: *veſpere & mane*; dies enim à veſperis ortus, cum mane, nempè cum die deſinebat. Inter ſacros civileſque dies diſtinctio apud Moyſem nulla; quare Feſtis diebus *à veſpera in veſperam* ductis, *à veſpera in veſperam celebrabitis ſabbata veſtra*; eoſdem diebus civilibus terminos conſtituiſſe oportet. Feſta igitur *inter duas veſperas* inibant, ſole ſcilicet in veſperas declinante. Nec Feſtis tantùm indicandis voces illæ à Moyſe uſurpantur; quin & paribus pro vulgaribus rebus utitur; ita Deum immiſſurum coturnices *inter duas veſperas* prænuntiat Exod. 26. 12.; quas ipſas aves *veſpere* advolitaturas paulò inferiùs repetit; hæ igitur phraſes unum idemque tempus deſignant. Primam ſeptimanæ diem à veſperis init *S. Matth.* 28. 1. *Veſpere autem Sabbati, quæ luceſcit in prima Sabbati.*

Mos iſte in ſacris Judæorum cæremoniis nunquam abolitus, ad Chriſtianam Eccleſiam, in qua ſtatum Officio tempus inter duas veſperas conſtituitur, tranſivit. Veteres quin etiam populi plures, exordiendi à veſperis diem conſuetudinem ſervarunt, uti Athenienſes, juxta Gellium l. 3. c. 2., Galli, Germani, Numidiæ,

A Lybiæ incolæ (1). De Gallis enim hæc Cæſar de Bel. Gall. l. 6. *Spatia omnis temporis non numero dierum, ſed noctium finiunt; & dies natales, & menſium, & annorum initia ſic obſervant, ut noctem dies ſubſequatur.* De Germanis Tacitus: *nam agendis rebus*, ait, *hoc* (nempe occaſum Solis) *auſpicatiſſimum initium credunt, nec dierum numerum, ut nos, ſed noctium computant; ſic conſtituunt, ſic conducunt; nox ducere videtur.* Hujus moris veſtigia in nonnullis veterum Germanorum monumentis ſuperſunt, in quibus tres noctes pro diebus totidem numerantur. Hodie etiam apud Anglos eſt in moribus poſitum, ut ſeptimanam nomine *Sennight*, ad literam *ſeptem noctes*, deſignent (2). In Bohemia finitimiſque B regionibus, quà Poloniam reſpiciunt, hodie uſque dies & horæ 24. à veſpera in veſperam ducuntur. Veteres Poetæ ſemper noctem diei præferunt, quod & Moyſes in Geneſi obſervat; & Heſiodus in Theogonia, diem è nocte matre genitum canens, deſignat. Arabes noctem diei ſequenti tribuunt, & dies a nocte incipiunt, ut Petrus a Valle teſtatur epiſt. 14.

Requiſitus olim Thales Mileſius; (3), dieſne, an nox, prior emerſiſſet, noctem diei præceſſiſſe reſpondit. In carminibus Orphei, nox hominum & Deorum matris elogio celebratur.

Thaleti planè oppoſitam ſententiam repoſuit Gymnoſophiſta quidam, ab Alexandro Magno pari quæſtione pulſatus. Reſponſum verò admi- C ranti Regi ait Philoſophus: Ambigua quærenti, ambigua reponimus (4).

Poſt Judæam à Romanis ſubactam, tres apud Hebræos obtinuiſſe dierum rationes ferunt. 1. Diebus Feſtis priſtinus à veſpera in veſperam mos ſervatus eſt. 2. Civiles dies, à media nocte ducti parem habebant exitum. 3. Alios invectos dies à mane in mane contendunt; hi verò dies, inquiunt, in 12. inæquales horas pro temporum diverſitate diſtributi, eademque in noctibus dividendis ſervata conſuetudo. Hæc à Judæis pro more Græcorum & Romanorum ſervata ſunt, quorum ſicut jugum, ita & mores ſubierunt.

Horologia & horarum ratio apud veteres Hebræos nulla apparent. In Moyſe mane tantum- D modo, meridies, veſpera, & nihil ultra occurrit. Solis declinantis tempus hac phraſi deſignat *inter duas veſperas*; poſt occaſum Solis: *veſpere*. Alia dividendæ diei ratio in Libris ejus fruſtra requiritur; noctis ſpatium in tres partes diſtinctum legitur, *veſperas*, mediam noctem, & *cuſtodiam matutinam* (5).

Sub Ezechia prima horarum mentio occurrit, cùm ſcilicet de Regio ſolari horologio agitur, in quo ſtyli umbra per gradus quoſdam diſcurrens, horas indicabat. Vide noſtrum Comment. in 4. Reg. 20. 11. Si quid aliud ante ea tempora de horis apud Septuaginta legatur, nomen illud non diei partibus, ſed anni temporibus deſignandis, eodem quo apud Homerum, & He- E ſiodum ſenſu, uſurpatum eſt.

In N. T. vigiliæ quatuor totum noctis ſpatium diſtinguunt (6); quod ita Romanis moribus acceptum eſt, ut apud Græcos aliquandò obtinuerit. Quanquam nōn rarò pro quatuor tres tantùm noctis vigilias Græci obſervabant. Hanc dividendæ noctis rationem omnium vetuſtiſſimam eſſe, ſupra obſervavimus. De horis diei 12. ſermo eſt Jo. 11. 9. & Matth. 20. 34. 5. ut proindè inæquales diei horas, quales vulgò apud Romanos & Græcos obtinebant, in Judæam quoque invectas intelligamus. Vide noſtrum Comment. in Matt. 17. 45.

TABULA

(1) Apud Nic. Damaſc. (2) Strauch. Brev. Chronol.
(3) Apud Laert. in Thale. (4) *Plut.* in Alex.
(5) Exod. 24. 24. Judic. 7. 19. Thre. 2. 16. Vide & Pſſ. 89. & 118. & 148.
(6) Matt. 14. 25. Marci 6. 48. & 13. 35.

TABULA CHRONOLOGICA
EORUM,

Quæ referuntur in Geneſi juxta ſupputationem Uſſerii.

Anno Mundi I. PRimus Mundi aunus reſpondet anno 710. Periodi Julianæ, 4004. ante æram Chriſtianam.

I. Dies. Creatio Cœli, Terræ, & Lucis.

II. Dies. Creario Firmamenti ſuperiores aquas ab inferioribus dividentis.

III. Dies. Aquæ Maris coutrahuntur, terra detecta. Creatio Plantarum, & Viridarii Eden.

IV. Dies. Creatio Solis, Lunæ, Aſtrorum.

V. Dies. Creatio Avium & Piſcium &c.

VI. Dies. Creatio Animalium rerreſtrium, & Hominis. Adam Brutis nomen imponit. E latere hominis mulier a Deo educta.

VII. Dies. Deus abſoluto creationis opere quieſcit; diei ſeptimo benedicit, illumque ſanctificat.

X. Dies. Prima mulier peccat, & ad peccandum Adam indueit. Adam ei nomen Evæ indit. Ambo a Deo e Paradiſo ejiciuutur.

2. Cain & Abel naſcuntur. *Geneſ.* 4. 1. 2.

130. Abel a Caino interfectus moritur. *Geneſ.* 4. 8.

130. Seth naſcitur. *Geneſ.* 4. 25.

235. Enos filius Seth naſcitur. *Geneſ.* 4. 26.

Diſtinctio inter poſteros Cain, appellatos hominum filios, & poſteros Seth, appellatos Dei filios. *Geneſ.* 4. 6. *collat. cum* 6. 1. 2.

325. Cainan filius Enos naſcitur. *Geneſ.* 5. 9.

395. Malalcel Cainan filius oritur. *Geneſ.* 5. 12.

460. Jared filius Malaleel naſcitur. *Geneſ.* 5. 15.

622. Enoch Jared filius naſcitur. *Geneſ.* 5. 18.

687. Mathuſala filius Enoch naſcitur. *Geneſ.* 5. 21.

874. Lamech filius Mathuſala naſcitur. *Geneſ.* 5. 25.

930. Adam 930. annos natus moritur. *Geneſ.* 5. 5.

987. Enoch poſt exactos 365. annos a Deo transfertur. *Geneſ.* 5. 24.

1042. Seth annos natus 912. moritur. *Geneſ.* 5. 8.

1056. Noe filius Lamech naſcirur. *Geneſ.* 5. 29.

1140. Enos annos natus 905. moritur. *Geneſ.* 5. 11.

1235. Cainan annus natus 910. moritur. *Geneſ.* 5. 14.

1290. Malaleel annos natus 895. moritur. *Geneſ.* 5. 17.

1422. Jared annos narus 962. obit. *Geneſ.* 5. 20.

1536. Deus Noemo jubet, ut homines admoneat puniendos fore diluvio, 120. an. antequam ipſum diluvium mittat. 1. *Petri* 3. 10. *&* 2. *Petri* 2. 5. *Geneſ.* 6. 7. Noemus arcam conſtruendam curat.

1556. Japhet filius Noe naſcitur. *Geneſ.* 5. 31. *collat. cum Geneſ.* 10. 21.

1558. Sem filius Noe naſcitur. *Geneſ.* 5. 32.

1651. Lamech annos natus 777. moritur. *Geneſ.* 5. 31.

1656. Mathuſala annos narus 969. morirur. *Geneſ.* 5. 27.

Hoc anuo 1656. contigit Diluvium.

Noe arcam ingreditur una cum liberis ſuis, & cunctis animantibus die 17. ſecundi menſis. *Geneſ.* 7. 11. Pluviæ perpetuæ decidunt 40. diebus & 40. noctibns. Aquæ 150. diebus minime decreſcentes totam terræ ſuperficiem operiunt; inde decreſcere incipiunt, & arca in montibus Armeniæ conſidet.

Noe corvum emittit.

Poſt dies 7. Noe columbam dimittit, quæ eodem die redit; & poſt 7. alios dies eam iterum dimittit, quæ amplius non redit.

1657. Noe tectum arcæ aperit; ex arca egreditur, Deo ſacrificium Euchariſticum immolat. *Geneſ.* 8 *&* 9.

1658. Arphaxad filius Sem oritur. *Geneſ.* 11. 10. 11.

1693. Sale filius Arphaxad oritur. *Geneſ.* 11. 12.

1723. Heber filius Sale naſcitur. *Geneſ.* 11. 14.

1757. Phaleg filius Heber oritur. *Geneſ.* 11. 16.

1771. *Turris Babel ædificatur. Geneſ.* 11.

1787. Rehu filius Phaleg naſcitur. *Geneſ.* 11. 10.

1816. *Mizraim filius Cham jacit regni Ægyptii primordia.*

1819. Sarug filins Rehu naſcitur. *Geneſ.* 11. 20.

1849. Nachor filius Sarug oritur. *Geneſ.* 11. 22.

1878. Thare filius Nachor naſcitur. *Geneſ.* 11. 25.

1948. Aran filius Thare naſcitur. *Geneſ.* 11. 26.

1996. Phaleg annos natus 239. moritur. *Geneſ.* 11. 19.

1997. Nachor moritur. *Geneſ.* 11. 25.

2006. Noe annos 950. natus moritur, 390. an. puſt Diluvium. *Geneſ.* 11. 29.

2008. Abram filius Thare naſcitur. *Geneſ.* 11. 26.

2018. Sarai Abrami uxur naſcirur.

2026. Rehu moritur. *Geneſ.* 11. 21.

2049. Sarug obit. *Geneſ.* 11. 23.

2079. *Codorlahomor Rex Elam ſubigit Somoda & Gomorrha Reges, qui 12. annorum ſpatio ei parent.* Geneſ. 14. 4.

Abram

2082. Abram ab urbe Ur in Chaldæam vocatur; ibi Thare & ejus filii Idolorum cultui mancipantur. (*Joſue* 24. 2.) Abram in Meſopotamiæ urbem Haram ſe confert una cum Loth nepote ſuo, Sarai uxore ſua, ac patre ſuo Thare. Hic in Haran moritur 205. annos natus. *Geneſ.* 11. 31. 32.

Abram ex urbe Haran egreſſus in terram Chanaan cum Sarai uxore ſua, & Loth nepote ſuo proficiſcitur, annos agens 75. *Geneſ.* 12. 4. Hine vulgo initium ſumitur 430. annorum peregrinationis indicatorum Exod. 12. 40. 41.

2084. Abram fame compulſus in Ægyptum deſcendit. *Geneſ.* 12. 10. Pharao [Apophis] raptam Sarai, quam ſororem ſuam eſſe Abram tradiderat, illi reſtituit, cum ejus uxorem eſſe cognoviſſet.

Abram & Loth in terram Chanaan regreſſi ſemigrant; Loth Sodomam proficiſcitur; Abram in vallem Mambre prope Hebron. *Geneſ.* 13. Quo anno incertum.

Hoc anno Reges Pentapolis a Codorlabomor deſciſcunt. Geneſ. 14. 4.

2091. *Codorlabomor, ejuſque fœderati in Pentapolis Reges bellum inferunt. Loth, captivus deducitur. Abram cum* 318. *viris illos inſecutus fundit; Loth, ceteroſque captivos libertati reſtituit; ei Salem prætergredienti Melchiſedech benedicit.* Geneſ. 14.

Deus Abramo florentem poſteritatem pollicetur. *Geneſ.* 15. 1. *& ſeq.*

2093. Sarai famulam ſuam Agar Abramo tradit, ut filios ex ea ſuſciperet. *Geneſ.* 16. 2.

2094. Iſmael oritur. *Geneſ.* 16. 15. Abram tunc agebat annos 86.

2096. Arphaxad moritur 403. annos poſt ortum Salem. *Geneſ.* 11. 13.

2107. Deus fœdus init cum Abram; ei denuò filium promittit; nomen Abram in Abraham, & Sarai in Saram mutat. Decernitur Circumciſio. *Geneſ. & ſeq.*

Abraham tres Angelos Sodomam proficiſcentes hoſpitio recipit. *Geneſ.* 18. Sodoma, illique vicinæ quatuor urbes dilapſis cœlitus flammis abſumuntur. *Geneſ.* 19. 23. Loth., ejuſque reſpectu parva urbs Segor præſervantur.

Abraham in Berſabee ſe recipit, & aliquandiu Geraræ moratur. Abimelech Geraræ Rex Saram rapit, & dein Abrahæ reſtituit. *Geneſ.* 20.

2108. Iſaac oritur. *Geneſ.* 21. 2. 3.

Moab & Ammon filii Loth eodem anno naſcuntur. *Geneſ.* 19. 36.

2113. Abraham Iſmaelem, qui Iſaacum laceſſebat, è domo pellit. *Geneſ.* 21. 13. 14.

2126. Sale 403. annos poſt ortum Heber moritur. *Geneſ.* 11. 15.

2133. Abraham filium ſuum Iſaac immolare parat, *Geneſ.* 22. *& ſeq.*

2145. Sara annos nata 127. moritur. Hujus tantum fœminæ integram ætatem notat Scriptura. *Geneſ.* 23. 1.

2148. Abraham Eliezer ad poſtulandam Iſaaco uxorem in Meſopotamiam mittit. *Geneſ.* 24. *& ſeq.*

2158. Sem filius Noe moritur 500. annos poſt ortum Arphaxad. *Geneſ.* 11. 11.

2168. Jacob & Eſau naſcuntur; Iſaac eorum pater 60. annos agebat. *Geneſ.* 25. 22. 23. *& ſeq.*

2183. Abraham annos natus 175. moritur. *Geneſ.* 25. 7. 8.

2187. Heber obit 430. annos poſt ortum Phaleg. *Geneſ.* 11. 17.

Deus apparet Iſaac, eique grandia pollicetur. *Geneſ.* 26. 4. Durante fame Iſaac Geraræ moratur. *ibid. v.* 6.

2200. Nuptiæ Eſau cum duabus fœminis Chananæis. *Geneſ.* 26. 34.

2208. *Diluvium Ogygis in Græcia* 1020. *annis ante primam Olympiadem.*

2231. Iſmael annos natus 137. moritur. *Geneſ.* 25. 27.

2242. *Evechous regnare incipit in Chaldæa,* 224. *annis ante quam in ea Arabes regnarent.* [*Jul. Afric.*] *Credit Uſſerius hunc eſſe eumdem ac Belum, quem deinde Chaldæi divinis honoribus venerati ſunt.*

2245. Iſaac Jacobo pro Eſau benedicit. *Geneſ.* 27. Jacob Aaran. in Meſopotamiam concedit, & pro Rachele ſe adſtringit ſeptem annorum ſervituti. *Geneſ.* 27. 1. 2.

Eſau, ut patris ſui animum emolliret, uxorem ducit Maheleth Iſmaelis filiam. *Geneſ.* 28. 9.

Jacob cum Rachele nuptias init exacto primo menſe, poſtquam Labani ſervituti ſe addixerat; verum pro Rachele Lia ſupponitur Rachelis ſoror: ſeptem poſt dies Rachel quoque ei traditur. *Geneſ.* 29.

2246. Ruben oritur. *Geneſ.* 29. 32.

2247. Simeon oritur. *Geneſ* 29. 33.

2248. Levi naſcitur. *Ibid. v.* 34.

2249. Judas naſcitur. *Ibid. v.* 35.

2259. Joſeph Rachelis filius naſcitur. *Geneſ.* 30. 24.

2265. Jacob cum ſuis uxoribus & liberis, inſcio Labano, in Meſopotamiam, ſecedit. Abeuntem Laban inſecutus in montibus Galaad ſeptem poſt dies aſſequitur. Laban & Jacob inter ſe fœdus ineunt, in cujus monumentum tumulum lapidum erigunt. *Geneſ.* 31.

Eſau obviam venienti Jacobo progreditur. *Geneſ.* 32. 6.

Jacob in Chanaanitidem cum perveniſſet, ſubſiſtit prope Sichem Sichemitarum urbem. *Geneſ.* 33. 18.

Beniamin in Chanaanitide ortus; ejuſque mater Rachel partu extincta. *Geneſ.* 35. 18. Annus eſt incertus. Beniamin ortus addici poteſt primo Jacobi in hanc regionem adventus anno 2265.

2276. Joſeph annos natus 17. invidiam fratrum ſubit, qui primo illum interficere decernunt; ac deinde Iſmaelitis mercatoribus vendunt. In Ægyptum adductus emitur a Putiphare. *Geneſ.* 37.

2287. Joſeph in carcerem injuſte conjectus, ſomnia duobus Præfectis Regis Pharaonis interpretatur biennio antequam e cuſtodia educeretur. *Geneſ.* 39. 40.

2288. Iſaac annos natus 188. moritur. *Geneſ.* 35. 28.

Joſeph Pharaonis ſomnia interpretatur. *Geneſ.* 41.

Joſeph totius Ægypti Præfectura donatur. Septem annorum ubertatis numerus ineundus poſt hujus anni meſſem; ac deinde recenſendus ortus Manaſſe & Ephraim filiorum Joſeph. *Geneſ.* 41. 50.

Exordium

Digitized by Google

2296. *Exordium ſeptem annorum ſterilitatis.*
2297. Jacob liberos ſuos in Ægyptum ad frumentum comparandum mittit. *Geneſ.* 42. 1. 2. *& ſeq.*
2298. Eos illuc iterum cum Beniamino mittit. *Geneſ.* 42. 11.
Joſeph ſe fratribus prodens, in Ægyptum migrare illos una cum patre cogit, quibus Terram Geſſen tradit. Jacob annos 130. tunc agebat. *Geneſ.* 45. 46.
2300. Joſeph pecuniam ex univerſa Ægypto collectam in regia æraria infert. *Geneſ.* 47. 14.
2301. Ad Joſephum omnes Ægypti greges adducuntur. *Geneſ.* 47. 16.
2302. Ægyptii agros ſuos omnes, ſuamque libertatem pro recipiendis eſcis Pharaoni vendunt. *Geneſ.* 42. 20. 24.
2315. Jacob annos natus 147. moritur. Benedictiones, quas Ephraim, Manaſſe, & liberis ſuis impertitus eſt. Ejus cadaver in Terram Chanaan transfertur. *Geneſ.* 49. 50.
2369. Joſeph annos natus 110. moritur. *Geneſ.* 50. 25. Regnantibus Tmoſi, Amenophi, & Oro Ægyptum moderatus eſt.

Hiſtoria Geneſis 2369. annos complectentis Finis.

NOI REFORMATORI
Dello Studio di Padoa.

HAvendo veduto per la Fede di Reviſione, & Approbatione del P. F. Tomaſo Maria Gennari Inquiſitore nel Libro intitolato: *Commentarius litteralis in omnes Veteris, & Novi Teſtamenti libros &c Auctore R. P. D. Auguſtino Calmet Tomi* 2. non v'eſſer cos'alcuna contro la Santa Fede Catolica, & parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Prencipi, & buoni coſtumi, concedemo Licenza à *Sebaſtian Coleti Stampadore* che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, & preſentando le ſolite copie alle Publiche Librarie di Venetia, & di Padoa.

Dat. 11. Aprile 1728.

(Gio: Franceſco Moroſini Cav. Reform.
(Alviſe Piſani Cav. Procur. Reform.
(Z. Pietro Paſqualigo Reform.

Agoſtino Gadaldini Segretario.


20. Aprile 1728.

Regiſtrata nel Magiſtrato Eccellentiſs. degli eſſecutori alla Beſtemmia.

Antonio Canal Nodaro.

COM-

Google



CRIPTIO REGIONUM
ERI INCOLUERUNT,
D. AUGUSTINO CALMET
mum delineata
Petzora
Tobolck
MARE
CASPIUM
Cyrus fl.
ARMENIA
Sogdiana
INDIA
80
75
70
65
60
55
50
45
40
35
30

COMMENTARIUM LITTERALE IN LIBRUM GENESIS.

CAPUT PRIMUM.

Creatio Cœli, & Terræ, Noctis, & Diei, Firmamenti, Aquarum, Plantarum, Arborum, Solis, Lunæ, Piſcium, Avium, Animalium Terreſtrium, & Hominum.

℣. 1. IN principio creavit Deus cœlum & terram. 2. Terra autem erat inanis & va- Anno
cua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi : & Spiritus Dei ferebatur ſuper Mundi 1.
aquas. 3. Dixitque Deus : Fiat lux. Et facta eſt lux. 4. Et vidit Deus Ante J.Ch. 4000.
lucem quod eſſet bona : Et diviſit lucem a tenebris. 5. Appellavitque lucem Diem, Periodi Ju-
& tenebras Noctem : factumque eſt veſpere & mane, dies unus, 6. Dixit quoque lianæ 710.
Deus : Fiat firmamentum in medio aquarum : & dividat aquas ab aquis. 7. Et fe- Ante æram vulgarem 4004.
cit Deus firmamentum, diviſitque aquas quæ erant ſub firmamento, ab his quæ erant
ſuper firmamentum. Et factum eſt ita. 8. Vocavitque Deus firmamentum, Cœlum :
& factum eſt veſpere & mane, dies ſecundus. 9. Dixit vero Deus : Congregentur
aquæ, quæ ſub cœlo ſunt, in locum unum : & appareat arida, Et factum eſt ita.
10. Et vocavit Deus aridam, Terram, congregationeſque aquarum appellavit, Maria.
Et vidit Deus quod eſſet bonum. 11. Et ait : Germinet terra herbam virentem &
facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum juxta ſemen ſuum, cujus ſemen
in ſemetipſo ſit ſuper terram. Et factum eſt ita, 12. Et protulit terra herbam vi-
rentem, & facientem ſemen juxta genus ſuum, lignumque faciens fructum, & habens
unumquodque ſementem ſecundum ſpeciem ſuam. Et vidit Deus quod eſſet bonum.
13. Et factum eſt veſpere & mane, dies tertius. 14. Dixit autem Deus : Fiant lumi-
naria in firmamento cœli, & dividant diem ac noctem, & ſint in ſigna & tempora, &
dies & annos : 15. Ut luceant in firmamento cœli, & illuminent terram: Et factum eſt
ita. 16. Fecitque Deus duo luminaria magna : luminare majus, ut præeſſet diei : &
luminare minus, ut præeſſet nocti : & ſtellas. 17. Et poſuit eas in firmamento cœli,
ut lucerent ſuper terram, 18. & præeſſent diei ac nocti, & dividerent lucem ac te-
nebras, Et vidit Deus quod eſſet bonum. 19. Et factum eſt veſpere & mane, dies
quartus. 20. Dixit etiam Deus ; Producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile
ſuper terram ſub firmamento cœli. 21. Creavitque Deus cete grandia, & omnem ani-
mam viventem atque motabilem, quam produxerant aquæ in ſpecies ſuas, & omne
volatile ſecundum genus ſuum. Et vidit Deus quod eſſet bonum. 22. Benedixitque
eis, dicens : Creſcite, & multiplicamini, & replete aquas maris : aveſque multipli-
centur ſuper terram. 23. Et factum eſt veſpere & mane, dies quintus, 24. Dixit
quoque Deus : Producat terra animam viventem in genere ſuo, jumenta, & reptilia,
& beſtias terræ ſecundum ſpecies ſuas. Factumque eſt ita, 25. Et fecit Deus beſtias
terræ juxta ſpecies ſuas, & jumenta, & omne reptile terræ in genere ſuo. Et vidit
Deus quod eſſet bonum. 26. & ait : Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudi-
nem noſtram : & præſit piſcibus maris & volatilibus cœli, & beſtiis, univerſæque terræ,
omnique reptili quod movetur in terra. 27. Et creavit Deus hominem ad imaginem
ſuam : ad imaginem Dei creavit illum, maſculum & feminam creavit eos. 28. Bene-

dixitque Deus, & illis ait : Creſcite, & multiplicamini, & replete terram, & ſubjicite eam, & dominamini piſcibus maris, & volatilibus cœli, & univerſis animantibus, quæ moventur ſuper terram. 29. Dixitque Deus : Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & univerſa ligna quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, ut ſint vobis in eſcam, 30. & cunctis animantibus terræ, omnique volucri cœli, & univerſis quæ moventur in terra, & in quibus eſt anima vivens, ut habeant ad veſcendum. Et factum eſt ita : 31. Viditque Deus cuncta quæ fecerat : & erant valde bona. Et factum eſt veſpere & mane, dies ſextus.

℣. 1. IN PRINCIPIO &c.] Temporum *initio* creavit Deus Cœlum, & Terram ; omnibuſque tum viſibilibus, cum inviſibilibus rebus eſſentiam, atque primordium eſt impertitus. Verbum illius [1], atque Sapientia [2] cum eo erant in principio ; videlicet ab æterno, & ante tempora ; at res creatæ tunc tantum exiſtere inceperunt, cum ceperunt tempora fluere.

Per Sapientiam, ac Verbum ſuum, omnia, quæ fecit, creavit Deus, ut Sacræ teſtantur Litteræ [3] ; quapropter Patres nonnulli [4] per hæc verba, *in principio*, Dei filium deſignari arbitrantur. Omnia creavit Deus in Filio ſuo, & per Filium ſuum, qui creatarum quarumcumque rerum principium eſt, cauſa, & primordium. Immo Tertullianus [5], ac Hilarius [6] Geneſim per hæc verba incœpiſſe contendunt ; *creavit Deus cœlum, & terram per Filium ſuum* ; Targum autem Hieroſolymitanum, *Deus per Sapientiam ſuam*, vel *in ſua ſapientia creavit cœlum, & terram*. Verum hæ explicationes litterales haberi minime poſſunt ; & Tertulliani, ac Sancti Hilarii ſententia, inde protſus profecta eſt, quod uterque Hebraicam linguam ignorabant. Aquila, *Deus creavit in capitulo* [7] omnia ſimul, omnia ictu uno cœlum, & terram ; iſtius videlicet mundi materiem.

CREAVIT DEUS.] Verbum *creare* duo in Scripturis ſignificat ; primo ex nihilo educere ; ſecundo alicui rei formam tribuere. Potior Rabbinorum pars, & omnes propemodum Chriſtiani Interpretes iſtic in priori intelligunt ſenſu ; neque aliud nobis ſuppetit verbum, quod ſignantius creationem proprie dictam, ac tranſitum a non eſſe ad eſſe ſignificet, quam Hebraicum *Bara* [8], & Latinum *creare*. Scriptura equidem [9], & traditio, ut in priori hoc ſenſu intelligamus nos adigunt. Nonnumquam vero aliquid communi modo per immutationem diſpoſitionis, vel figuræ partium intrinſecus, vel extrinſecus, producere ſignificat, veluti in hoc ipſo capite ℣. 21. 27. ubi dicitur Deus piſces, atque hominem creaſſe. Attamen iſtic eo in ſenſu eſt intelligendum. Oleaſter vertit : *in principio Deus diviſit cœlum, & terram* ; in quo tamen nullum jactare poteſt ſectatorem.

Recentiorum criticorum nonnulli [10] locum hunc ita mallent reddi : *In principio, cum Deus creavit cœlum, & terram, terra erat informis*. Vel : *Antequam Deus formaret cœlum, & terram, terra erat informis* &c. Sed præterquamquod hæ verſiones fidei adverſantur, ei veliſicantes ſententiæ, quæ materiæ tuetur æternitatem; etiam Textum Moyſis perperam torquent, quippe quæ duas propoſitiones, quas ille diſtinguit, vellent conjungere. Dicendum itaque ; *In principio Deus creavit cœlum, & terram ; terra autem erat inanis* &c.

A non autem ; *In principio* cum *Deus creavit cœlum & terram, terra erat inanis* &c. Reticent enim conjunctionem *&*, vel *autem*, & addunt *cum*, quæ particula in Moyſe non extat : demum ab omnium veterum Interpretum verſione recedunt.

In Hebraico textu pro *Deus creavit*, ad litteram legimus, *Dii creavit* [11], unde nonnulli [12] Trinitatis Perſonarum in unitate Eſſentiæ Divinæ eruere conati ſunt argumentum ; verum id genus probationes non admodum ſolidæ eſſe videntur. Quædam in Hebraico ſermone non ſecus ac in aliis linguis, huic ſimiles irregulares loquendi occurrunt modi, idque iis in locis, ubi nullum conſtat ſubeſſe myſterium. Quædam ſunt pluralia nomina, quæ ſine ullo ſententiæ detrimento, & in plurali numero, & in ſingulari uſurpaveris ; veluti

B *Adonim* Domini, *Panim* facies. Vide *Iſai.* 19. 4. *Geneſ.* 9. 23. &c.

Priori hoc in verſiculo Phenicum, & Ægyptiorum de mundi æternitate, ac Aſtrorum divinitate ſententiam Moyſes evertit ; materiæ creationem probat, & eorum diruit opinionem, qui hanc ab æterno fuiſſe arbitrantur ; veram rerum exiſtentium productionis cauſam aperit, ac indirecte eos refellit, qui ex fortuito atomorum concurſu, quidquid extat in natura, conflatum fuiſſe, olim erant tradituri [13].

Hic Legiſlator de ſubſtantiis tantummodo ſpiritualibus loquitur, & S. Hilarius animadvertit [14] ipſum, qui rudem populum erat eruditurus, ei de rerum ſen-

C ſibilium, & corporearum duntaxat creatione diſſerere ; at S. Paullum divinum illum veteris Teſtamenti Interpretem, longe ſublimiora nobis detexiſſe myſteria ; ſiquidem edocuit, *Filium Dei, qui Patris imago eſt, eſſe pariter creaturarum primogenitum ; quoniam in ipſo condita ſunt univerſa in cœlis, & in terra, viſibilia, & inviſibilia ; ſive throni ſint, ſive Dominationes, ſive Principatus, ſive Poteſtates : omnia per ipſum, & in ipſo creata eſſe, & ipſum eſſe ante omnia* [15]. Veteres tum Græci, cum Latini Patres [16] ante S. Auguſtini tempora, Angelos ante materialem mundum creatos fuiſſe, edocuere at S. Auguſtinus [17], quique illum conſecuti ſunt, Angelos die prima cum luce creatos crediderunt.

D Iob [18] nobis Angelos exhibet una cum matutinis ſyderibus creationis tempore Dominum laudibus celebrantes ; malos autem Angelos die eadem, qua creati fuere, in Apoſtaſiam lapſos cenſet Divus Auguſtinus [19], qui ea Scripturæ verba, *ſeparavit lucem a tenebris*, explicat dicens a Deo bonos ab Angelis nequam ſegregatos fuiſſe.

COELUM, ET TERRAM.] Hæ duæ ſimul conjunctæ voces ſæpius totum mundum, ac res omnes creatas, quales hodie extant, ſignificant : at iſtic ſignificare poſſunt rerum omnium corporearum materiem. Quid ſibi

1 Johan. 1. 1. 2 Proverb. 8. 22. 23. 3 Coloſſ. 1. 6. Hebr. 1. 2. Pſal. 31. 6. Johan. 1. 3. 4 Vide Ambroſ. & Baſil. hom. 1. in Hexaem. Aug. l. 1. c. 1. de Geneſi ad litteram : & l. 11. de Civit. c. 1. & 31. & Hieronymum, ſeu alium ſub ejus nomine in Pſ. 39. alii. 11. 5 Tertull. lib. contra Praxeam : *Aiunt quidem & Geneſim in Hebraico, ita incipere : In principio Deus fecit filium.* 6 Hilar. in Pſal. 11. 2. *Bereſchit verbum hebraicum id eſt tres ſignificantias in ſe habet ; In principio, & in capite, & in filio*. Vide Hieron. quæſt. Hebr. initio. 7 ἐν κεφαλαίῳ. *In capitulo*. Baſil. in Hexaemer ἐν ἀκαριαίῳ, ἀχρόνως, ἀθρόως, καὶ ἐν ὀλίγῳ. Ambroſ. Hexaem. *In brevi, & exiguo momento*. 8 ברא *Bara* τὸ ἐποίησε. Aq. Sym. Th. ἔκτισε 9 2. Macch. 7. 28.
10 Grot. Vat. Rab. quidam. בראשית ברא אלהים את השמים ואת הארץ : והארץ τὸ ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν … ὁ θεὸς … ἡ δὲ γῆ. Sym. Th. ἐν ἀρχῇ ἔκτισεν … ἡ δὲ γῆ. 11 אלהים ברא 12 Origenes, S. Hieronym. S. Epiphanius. 13 Vide, ſi placet, Diodor. in nova edit. Hexapl. p. 14. 14 Hilar. in Pſal. 91. n. 4.
15 Coloſſ. 1. 15. &c. 16 Philo de opificio mundi p. 13. Origen. Homil. 1. in Geneſ. Baſil. Homil. 1. in Hexaemer. Nazianz. Orat. 38. & 42. alii. 17 Aug. l. 22. contra Fauſt. c. 10. & de Geneſ. ad litter. lib. 2. cap. 8. &c. 18 Job. 38. 19 Aug. l. imperfecto de Geneſi ad lit. n. 5. p. 110.

ſibi per hæc nomina velit, Moyſes in ſequenti verſiculo explicat, ac *cæli* nomine innuere videtur materiam minus rudem, & craſſam, ex qua Deus Cœlos, Aſtra, Nubes, Aerem, & Aquas ſuperiores compoſuit; *terræ* vero nomine craſſiorem materiam intelligere, ex qua terram, lapides, metalla, & animantia compegit.

℣. 2. TERRA AUTEM ERAT INANIS, ET VACUA.] Quod hic *terram* appellat, & quod deinceps hoc nomine fuit nuncupatum, nequaquam tunc erat illud, quod poſtea fuit. Tunc autem moles erat informis, omnium expers ornamentorum, quibus hodie decorata præfulget. Hebraicus textus habet [1]; *erat tohu*, & *bohu*, quas voces uſurpat Ieremias [2] ad regionem igni, ferroque vaſtatam, direptamque indicandam; alii vero vaſtam, horribilemque ſolitudinem ſignificare arbitrantur. Septuaginta [3]: *terra inviſibilis erat*, & *incompoſita*; vel, *informis erat*, & *prorſus confuſa*. Aquila, & Theodotion [4]: *erat inane*, & *nihil*. Symmachus [5]: *erat maſſa ſine motu*, ſine actione, & *indigeſta*. Nihil magis Moyſis mentem aperit, quam Veterum Chaos a Poetis exhibitum [6].

TENEBRÆ ERANT SUPER FACIEM ABYSSI.] Ne forte cenſeres, cœlum, de quo verſiculo primo fuit ſermo, cœlum fuiſſe exornatum, præfulgidum, ac lumen ſuum in terras effundens, iſtic nos admonet Moyſes cœli nomine intelligere caliginoſam, confuſamque materiam, quæ undequaque obtegebat, atque involvebat aquas, vel aquarum materiam adhuc terræ immixtam, quam *abyſſum* appellat. Iob ita exhibet nobis terram tenebris circumfuſam [7] ſub imagine pueri faſciis obvoluti; Euſebius vero [8] eam veluti filium adhuc in materno ſinu conſiderat: cuncta, opus fuit, inquit ille, Creatoris omnipotentia, ut ex aquarum ſinu educeretur, atque ut extra hanc abyſſum, qua circumundique obruebatur, tandem prodiret. Hebræis magnas aquarum colluvies *abyſſi* nomine indigitarunt.

SPIRITUS DEI FEREBATUR SUPER AQUAS.] Veteres plerique Patres [9] per hunc Spiritum Dei tertiam Sanctiſſimæ Trinitatis perſonam intelligunt, materiæ vim, motumque inferentem: neque deſunt Interpretes, qui in hiſce duobus primis verſiculis tres Trinitatis perſonas inveniant: *Deus*, Deum ſcilicet Patrem; *Principium*, Verbum; *Spiritus Dei*, Spiritum Sanctum. Alii vero [10] per hæc verba *Spiritus Dei*, vehementem ventum intelligunt immenſam hanc materiæ molem, quam appellat aquas, perniciſſime agitantem. Divinum autem appellari putant, vel quod a Deo eſſet immiſſus, vel propter ſummam ejuſdem vehementiam. Adjectivum Divinum, vel additum Dei, magnum aliquid ſemper in Scriptura portendit; veluti cum legimus, *Montes divinos*, *Cedros Dei*, *opus divinum*, *vinum Dei* &c. Divinus hic Spiritus omnipotentem Creatoris virtutem poteſt innuere, quæ per illius Sapientiam materiæ ſtatum, certumque motum indidit, per quem diverſæ hujus materiæ partes, ſex dierum ſpatio eum in mundo locum ſortitæ ſunt, quem tenent, eamque formam, quam eas ab aliis diſtinguit, cum materiæ partes, quæ vel ejuſdem erant, vel diverſæ naturæ, pro qualitatum ſimilitudine, vel diſcrepantia, vel ſimul coaluerint, vel ſeorſim ſeceſſerint.

A Quidquid Philoſophi veteres de ſpiritu movente, de Mundi anima, de amore diſſeruere, nihil eſt aliud, quam Spiritus ille, de quo loquitur Moyſes: *Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas*. Hebraica vox iſtic reddita *ferebatur* [11] juxta nonnullos [12] ſignificat plauſum volucris alas diverberantis, cum verbi cauſa pullos ſuos ad volandum excitare contendit. Alii [13] cenſent, vocem eamdem Syriace ſignificare *ova fovere*, ac Moyſem eam uſurpaſſe ad innuendum, Spiritum rebus omnibus calorem, motum, formam, ac vitam tribuere. Chaldæus vertit: *Spiritus Dei inſufflabat*. [14] Philo id explicat de aere, qui aquis incumbebat. Tertullianus legebat [15]: *ſupervectabatur aquis*, veluti ſuper currum. B Credidit Cajetanus, Spiritum hunc fuiſſe Angelum ſuper aquas circumeuntem, eaſque agitantem.

Aquarum nomine iſtic intelligimus illud idem, quod abyſſi nomine paullo ante explicabamus; hoc eſt, vel rudem, ac indigeſtam Mundi materiem cum S. Auguſtino [16]: vel aquam, quæ terram undique involvebat, eamque circumquaque permeabat. Thales Mileſius [17], ac vetuſtiſſimus quiſque ex Ethnicorum Theologorum ſchola, aquam rerum omnium originem eſſe dictitabant; quod innuere cupiebant dicentes, Oceanum, ac Thetidem fuiſſe generationis principia. *Thales, qui*, Tullio teſte, *primus de hiſce rebus ſcripſit, aquam dixit eſſe initium rerum; Deum autem eam mentem, quæ ex* C *aqua cuncta fingeret* [18]. Primum igitur principium Deum fuiſſe agnoſcebant, ex aquarum congerie creatas res quaslibet educentem. At vulgatior apud veteres Chriſtianos ſententia, quemadmodum jam dictum eſt, ea eſt, quod ſcilicet Spiritus Sanctus, ſumma potentia ſua ſuper aquas inceſſerit, eas agitarit, illis motum, atque actionem tribuerit, & juxta infinitæ Sapientiæ ſuæ leges quamcumque rem creatam eduxerit.

In priore hujus operis Gallica editione iſtic exhibueramus ſyſtematis mundi ideam, juxta veterum Hebræorum mentem: verum cum deinde hac de re ſeorſim Diſſertationem quamdam Eccleſiaſtico præfixam D ediderim, expunxi ea, quæ hoc in loco dixeram ante; ſatis futurum ratus, ſi huc ea creationis ſyſtemata attulerim, quæ Phœnices, Ægyptii, vetereſque Græciæ Philoſophi commenti fuere, ut eorum hypotheſis cum iis collata, quæ a Moyſe de re hac edocemur, apertius deprehendi queant errores, ac præjudicia, quæ ipſe convellere adnitebatur, atque obſervari ſimul quædam veteris populorum Traditionis veſtigia, fabularum, quibus narrationem hanc implicuerunt, integumentis obvoluta.

Ægyptiorum de mundi origine ſententiam non omnibus eamdem fuiſſe, Diodorus Siculus tradit [19]; alii ſiquidem mundum æternum, atque incorruptibilem E tenent, ac humanum genus ſemper fuiſſe putant; fatentur alii, principium aliquod fuiſſe, quod corruptioni eſt obnoxium, homineſque eo modo fuiſſe productos, quem modo ſumus expoſituri.

Initio quidem materia cuncta adeo perturbata erat, atque indigeſta, ut Cœlum, ac Terra ſimul permixta forent, ut alterum ab altera dignoſci nequaquam poſſet. Mox vero cum ſe ſe expediiſſet, atque extricaſſet materia, mundus compactus eſt, atque partes ejus eum, quem intuemur, eximium ſunt ordinem ſorti-

1 וְהָאָרֶץ הָיְתָה תֹהוּ וָבֹהוּ   2 Jerem. IV. 23.   3 ἀόρατος καὶ ἀκατασκεύαστος.   4 Aq. Κένωμα καὶ οὐδέν. Quidam legunt in Th. θέν, καὶ θέν. Vide nov. edit. Hexaplorum, p. 14.   5 Sym. ἀργὸν καὶ ἀδιάκριτον.

6 Ovid. Metam. 1. ... *Rudis indigeſtaque moles.*
Nec quidquam niſi pondus iners, congeſtaque eodem
Non bene junctarum diſcordia ſemina rerum.

7 Job 38. 9. *Ubi eras cum caligine illud* [mare] *quaſi pannis infantiæ obvolverem?*   8 Euſeb. in Pſal. 89. p. 583.   9 Tertul. l. de Baptiſmo. Baſil. homil. 2. in Geneſ. Auguſt. l. 13. Confeſ. Ambroſ. in Hexaem. lib. 1. c. 8. Hieron. Tradit. Hebr.   10 Tertul. contra Hermog. c. 32. Theodoret. Quæſt. 8. in Geneſ. Severian. Gabal. or. 1.

11 מְרַחֶפֶת עַל פְּנֵי הַמָּיִם 70. Πνεῦμα Θεοῦ ἐπεφέρετο. Alii, ἐπιφερόμενον. Syr. συνέθαλπε incubabat: teſte Baſil. Hexaemer. 1. ita & Diodor.   12 Deut. 32. 2. Fag. Grot. & alii.   13 S. Hieron. Quæſt. Hebr. & Aug. l. 1. c. 15. de Geneſi ad lit. Ambroſ. Hexaem. l. 1. c. 8. Baſil. Diodor. vide ſupra.   14 Philo de Gigant. p. 287.

15 Tertul. contra Hermogen. c. 32.   16 Auguſt. de Geneſ. contra Manich. l. 1. c. 7.   17 Thales apud Laertium, & Ariſtotel. l. 1. Metaphyſ.   18 Tull. l. 1. de Nat. Deor. *Thales Mileſius, qui primus de talibus rebus ſcripſit, aquam dixit eſſe initium rerum; Deum autem eam mentem, quæ ex aqua cuncta fingeret.*   19 Diodor. l. 1. Bibl. initio, Οἱ μὲν γὰρ αὐτῶν ἀγέννητον καὶ ἄφθαρτον ὑποστησάμενοι τὸν κόσμον ἀπεφήναντο, καὶ τὸ γένος τῶν ἀνθρώπων ἐξ αἰῶνος ὑπάρχειν, καὶ τὰ ἑξῆς.

tæ. Aer motum arripuit; ignis pernicitate ſua ſe ſe A extulit in ſublime, ac ſydera effinxit; quod autem ex terreſtri, atque humenti materia compactum fuit, mixtum permanſit, donec vehementi, ac circulari agitatione rotatum, humidæ partes, & aquoſæ illinc exolutæ mare conſtituerunt, partes vero craſſiores, ſolidioreſque tellurem effecere. En autem, quænam eſſet de mundi creatione Ægyptiorum idea.

Anaxagoræ Philoſophi [1], ac Euripidis illius diſcipuli ſententia hac in re ab Ægyptiorum mente minime abhorret. Ajebant autem, rerum initio, omnia ſimul permixta, ac turbata fuiſſe, quæ tamen, ſuperveniente Spiritu, ex ea perturbatione fuerunt educta, B atque in eum, quem ſuſpicimus, ordinem conſtituta. Hic Spiritus idem ille eſt, quem per ea verba, *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*, Moyſes deſignavit. Ægyptii [2] Spiritum hunc animantibus vitam impertientem, & qui ea eſt cauſa, quæ omnia producit, Jovem appellavere. Cicero [3] Anaxagoræ ſententiam referens, principium illud *Spiritum divinum* vocat. *Anaxagoras*, inquit ille, docet *materiam infinitam, ſed eas particulas ſimiles inter ſe, minutas, eas primum confuſas, poſtea in ordinem adductas mente divina*. Hunc eumdem Spiritum Platonici mundi animam nuncupabant, quam in res omnes diffuſam eſſe cenſebant, ipſiſque vitam, alimenta, ac motum tribuentem. S. Auguſtinus hoc pacto deſcribit: *Vitalis creatura, qua univerſus viſibilis mundus, atque omnia corporea continentur, & moventur*. Aerem illum Plinius appellat [4], atque hoc nomine a Græcis, Latiniſque vocari dicit; atque hoc Spiritu Cœlum, Terram, Sydera, Homines, Animantia, Piſces Virgilius ait animari [5].

Thautus [6], quem fabuloſus Sanchoniaton Auctorem ſcribit Phœnicum Theologiæ, conſtituit pro totius mundi principio tenebricoſum aerem, ac inſtar venti agitatum, ſeu mavis caliginoſum aerem, atque inſtar venti, vel ſpiritus ſubtilem; & cahos in pro- D funda immerſum obſcuritate, & confuſione. Id omne longo plurium ſæculorum ævo nullis circumſcriptum finibus ſtetit: ubi vero ſpiritus, ſeu flatus p incipiorum ſuorum amore flagrare cœpit, ac ſe cum illis commiſcuit; hæc immixtio, quam amorem, vel deſiderium appellavere, rerum omnium cauſa procreatrix evaſit. Spiritus tamen productiones ſuas penitus ignorabat. *Moth* fuit fructus conjunctionis illius cum ſuis principiis; ex *Moth* autem, quod lutum eſt, rerum ſemina, & creaturarum omnium materies extitere. Unde vero ea Porphyrius acceperit, quæ ſuo obtrudit Sanchoniatoni, profecto latet; verum haud abhorret E a fide, ipſum hæc, vel a Phœnice quodam, vel ab Hebræis didiciſſe.

Ariſtophanes quoque [7] eamdem ferme rerum originis doctrinam adfert, ex veteri quopiam Poeta plane deſumptam.

A *Chaos erat, & nox, erebuſque piger primum, & Tartarus latus.*
Terra autem, neque aer, neque cœlum erat, Erebi autem in infinitis ſinibus.
Parit primum ventoſum, nox nigra pennas ovum,
Ex quo perfectis temporibus pullulavit amor deſiderabilis,
Splendidus humero, alis aureis, ſimilis ventoſis velociter volutionibus.
Hic autem Chao alato mixtus, nocturno in Tartaro lato
Fecit genus noſtrum, & primum reduxit in lucem.
B *Prius autem non erat immortalium, antequam amor commiſcuit omnia;*
Commixtis autem alteris alteris factum eſt Cœlum; Oceanuſque
Et terra, omniumque Deorum beatorum genus incorruptibile.


In poſtremis hiſce duobus ſyſtematibus occurrit Chaos, quod cum pluribus ſæculis ſtetiſſet iners, illi motus inditur a Spiritu, qui quin illud agnoſcat, cuncta producit. Amorem, vel ſympathiam, quæ ſimul homogeneas partes conjungit, & naturalia corpora componit, Philoſophi veteres agnovere. In his omni- C bus plura adſunt, quæ Moyſis narrationi poſſunt accomodari, alia vero, quæ cum ea nequeunt conciliari, veluti hæc materiæ pluribus ſæculis ante rerum productionem quies, & inertia.

℣. 3. FIAT LUX.] Poterat ne Moyſes gravius, ac magnificentius infinitam Dei poteſtatem innuere, quam dicendo: *Fiat lux, & facta eſt lux: fiat firmamentum: congregentur aquæ in locum unum, & factum eſt ita*? Poterat ne ſublimiorem perfectionis, pulchritudinis, ac pretii omnium Creatoris operum ideam nobis adſtruere, quam dicens: *Vidit lucem, quod eſſet bona*, ſeu pulchra. Hebraica enim vox *tob* [8], æque D bonum, ac pulchrum ſignificat. Has loquendi rationes in tractatu ſuo *de ſublimi caractere* Longinus eſt admiratus [9].

Quæritur, quænam fuerit hæc lux a Deo prima die creata? Hanc ſolem fuiſſe Rabbini docent, quodque ℣. 14. de ſolis creatione dicitur per anacephalæoſin repetitum contendunt. Origenes [10] tres priores mundi dies, Sole, ac Luna, Syderibuſque caruiſſe, nulla putat ratione poſſe perſuaderi. Nonnulli vero [11] Moyſis textum ad litteram intelligendum eſſe rati, cum ait die quarta Solem fuiſſe creatum, arbitrantur, Deum ad id lucidum corpus effinxiſſe, non longe ab ignea columna abſimile, cujus fulgore in Deſerto divinitus noctu Iſraelitis lux non deeſſet. Conjiciunt alii, trium priorum dierum lucem tenuem adhuc, imperfectumque ſplendorem fuiſſe, illi ſimilem, quo terra illuſtratur, cum Sol nubibus eſt involutus, aut Auroræ lumini parem. Inter has ſententias, quæ magis arriſerit, eam


1 Apud Euſebium l. 14. c. 5. & l. 1. c. 7. Ἦν τὰ ἀρχῇ τὰ πράγματα ὁμοῦ τεθυμμένα, νοῦς δ' εἰσελθὼν, αὐτὰ ἐκ τῆς ἀταξίας εἰς τάξιν ἤγαγε. 2 Euſeb. Præpar. l. 3. c. 3. ex Diod. Sicul.
3 Lib. 2. Academic. Quæſt.
4 *Spiritus, quem Græci noſtrique vocabulo eodem aera appellant; vitalem hunc, & per cuncta rerum meabilem, totoque conſertum* &c. Plin. l. 2. c. 5.
5 *Principio Cœlum ac Terras, campoſque liquentes,*
Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque Aſtra
Spiritus intus alit; totamque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.
Hinc hominum, pecudumque genus, vitæque volantum,
Et quæ marmoreo fert monſtra ſub æquore pontus.
Virgil. Æneid. 6. v. 727.
6 Sanchoniaton, apud Euſeb. Præp. l. 1. c. 10. Ἀέρα ζοφώδη καὶ πνευματώδη,
7 Ariſtophan. in Avibus pag. 573. Edit. Genev. 1606.
Χάος ἦν καὶ νὺξ, ἔρεβός τε μέλαν πρῶτον, καὶ τάρταρος εὐρύς.
Γῆ δ' οὐδ' ἀὴρ, οὐδ' οὐρανὸς ἦν, ἐρέβους δ' ἐν ἀπείροσι κόλποις
Τίκτει πρώτιστον ὑπηνέμιον νὺξ ἡ μελανόπτερος, ᾠόν.
Ἐξ οὗ περιτελλομέναις ὥραις ἔβλαστεν ἔρως ὁ ποθεινὸς
Στίλβων νῶτον πτερύγοιν χρυσαῖν, εἰκὼς ἀνεμώκεσι δίναις
Οὗτος δὲ χάει πτερόεντι μιγεὶς νυχίῳ, κατὰ τάρταρον εὐρύν.
Ἐνεόττευσε γένος ἡμέτερον, καὶ πρῶτον ἀνήγαγεν εἰς φῶς, &c.
8 טוב 9 Longinus de Sublim. c. 7. 10 Origen. l. 4. de princip. c. 2.
11 Hugo, Victorin. Lyran. Menoch. &c.

Systema Creationis Mundi juxta Moysem · I tab.



NAPOLI

Syſtema Creationis Mundi juxta Moyſem · 1 tab



NAPOLI
Digitized by Google

eam licet eligere, cum hac de re nihil certi habeatur.

℣. 4. Et divisit lucem a tenebris.] Lux qualitas eſt realis, atque ſenſibilis, tenebræ vero nihil aliud ſunt, quam lucis privatio, vel abſentia. Aſſerit quidem Moyſes Lucem creatam fuiſſe, tenebras vero creatas non aſſerit. Deus hæc duo ſejungit per eas qualitates, quas luci tribuit, quæ cum tenebris ſimul eſſe non poſſunt, earumque ſocietatem reſpuunt, atque lucem inter, ac tenebras, neceſſariam ſeparationem, ac naturæ oppoſitionem efficiunt.

℣. 5. Appellavitque lucem Diem, et tenebras Noctem,] hoc eſt juxta S. Auguſtinum fecit, ut ita ab hominibus appellaretur. Vocavit autem, dictum eſt, vocari fecit.

Factumque est vespere, et mane dies unus.] Dies artificialis ex nocte conſtat, ac die. Ita ex nocte, ac die naturali, compoſita fuit prima dies artificialis. Ea die, ſicut & reliquis nox præceſſit diem; Hebræi dies ſuos a veſpera in veſperam recenſebant. *Veſper* noctem, diem vero *mane* ſignificat. Prior autem nox tenebras innuit, quæ lucis creationem præceſſerant. In Textu legitur *dies unus*, pro *dies primus*, quæ Hebræorum eſt propria locutio.

℣. 6. Fiat firmamentum.] Hebraica vox *Rakiah* [1], quam ſeptuaginta *ſoliditatem* [2], Vulgata vero *firmamentum* reddidere, a pleriſque recentiorum Interpretum *expanſum*, vel *expanſio* transfertur. Scriptura ſæpius Cœlum tentorii velaminibus confert; *Extendens cœlum ſicut pellem*, ait Propheta [3], *qui tegis aquis ſuperiora ejus*. Eadem utitur comparatione Iſaias [4]: *qui extendit velut nihilum cœlos, & expandit eos ſicut tabernaculum*. Vide caput 42. 5. & 51. 13. Prophetæ ejuſdem; & Jeremiam 51. 15. Verbum *Rakah*, unde fluit *Rakiah*, ſignificare poteſt [5] metallum mallei ictibus tuſum extendere: perinde ac voluiſſet Moyſes oſtendere, Cœlum eſſe corpus valde ſolidum, ac durum, ad inſtar immenſi cujuſdam fornicis ex ære fuſo, atque malleo ad incudem extenſo. Iob [6] cœlum ſpeculo fuſo confert; & profani auctores de celis iiſdem ferme vocibus differunt. Homerus [7] Cœlum Iovis domum æneis innixam fundamentis appellat; & alibi cœlum ex ſolido ære conflatum.

Nonnulli [8], Hebraicam vocem *Rakah* numquam ſignificare, *extendere*, contendunt, at dumtaxat firmare, claudere, comprimere; quæ ſane hujus vocis apud Syros eſt ſignificatio, eamque reſpexerunt Septuaginta, & S. Hieronymus vertentes, illi quidem *ſtereoma*, hic autem *firmamentum*. Patres quidam [9] cœlum die altera firmamentum appellatum fuiſſe crediderunt; propterea quod Deus ea die aquis illud conſtituentibus duritiem, ac ſoliditatem contulerit, quæ par eſſet, ut cunctis motibus, ac aliorum cœleſtium corporum impulſionibus reſiſteret; præſertim vero ignis agendi vi, cujus orbis immediate ſupra hoc glaciei cœlum collocatur [10]. Firmamentum igitur veluti quamdam immenſæ expanſionis, ac duritiei glaciem conſiderabant, in qua ſydera quodammodo eſſent commiſſa [11]; quam ipſe Moyſes ideam ingerit, qui ℣. 16. ait, Deum, cum jam Solem, Lunam, ac Stellas condidiſſet, eas in Cœli firmamento collocaſſe.

Firmamenti nomine alii [12] aerem, vel atmoſpheram, ſive interſtitium, quod cœlum inter ac terram interja-

A cet, intelligunt; vel denique nubes [13], quæ ſuperas ab inferis aquis ſeparare videntur. Pluviæ ſunt ſuperiores aquæ ab inferioribus, hoc eſt, ab aquis marium, fluviorumque diſtinctæ; nubes vero inter utraſque ſunt poſitæ; quæ idea vulgaris eſt, & captu perfacilis: verum cum firmamentum eſſe debeat fortioris naturæ, ſolidioriſque firmitatis, quam ſuperiores aquæ, quas coercet, atque ab inferioribus dividit, nomen hoc neque aeri, neque nubibus merito poteſt attribui.

Quo ad ſuperiores aquas frequenter adeo, ac ſignanter loquitur Scriptura, ut nequaquam nobis integrum ſit, utrum vere exiſtant, nec ne, in dubium vocare. Earum paſſim meminit Propheta [14]: *Laudate eum cœli cœ-*
B *lorum, & aquæ omnes, quæ ſuper cœlos ſunt* &c. & alibi [15]: *Qui tegit aquis ſuperiora ejus*; & Daniel [16]: *Benedicite aquæ omnes, quæ ſuper cœlos ſunt Domino.*

Inferius paullo Moyſes loquitur de cœli cataractis, quæ, ut terram aquis obruerent, apertæ ſunt; & licet quoad harum aquarum naturam Patres, atque Interpretes abeant in diverſa, S. Auguſtinus [17] tamen minime ambigendum eſſe putat, quin aquæ ſint ſuper cœlos, & Scripturæ id aſſerentis auctoritati magis, quam argumentis, quæ humana mens obtrudere poteſt, eſſe fidem habendam. *Major eſt Scripturæ hujus auctoritas, quam omnis ingenii humani capacitas.*

Superarum aquarum nomine, quas ſupra firmamen-
C tum Scriptura locat, & ad laudandum Dominum Prophera invitat, non veras, & reales aquas, ſed cœleſtes Angelos, quorum eſt indeſinenter Deum laudibus proſequi; inferarum vero nomine, quæ in abyſſis conſtitutæ ſunt, & mare conficiunt, non aquas, ſed dæmones, qui per maris inconſtantiam, procellaſque exhibentur, intelligendos eſſe Origenes exiſtimavit [18]. At qui illum ſunt ſubſecuti, has Origenis allegorias ſerio, ac ſolide confutarunt; quibus commentis, fabuliſque, [eas enim hoc nomine appellat,] rejectis S. Baſilius [19] id de veris aquis intelligendum eſſe confirmat.

At quorſum hæ ſuper firmamentum aquæ? Ut ſci-
D licet tellus pluviis irrigetur, S. Cyrillus Hieroſolymitanus [20] reſpondet; atque ut Solis, ac Syderum ardores temperentur, ne igni torreat terrarum orbis, alii arbitrantur [21]; quo eodem conſilio Deum immenſam illam aquarum colluviem in mari congeſſiſſe, putant, quæ cœleſtium corporum igni eſſet veluti alimento. Alii [22] ſuper firmamentum a Deo aquas poſitas fuiſſe cenſent, ut ibi ad diluvium, quo tellus erat obruenda, teſervaret; nec defuere [23], qui dixerint, id factum, ut nobis Empirei eriperetur adſpectus, cujus fulgorem oculorum noſtrorum acies ferre minime potuiſſet. Non pauci, has ſuperas aquas nihil aliud eſſe quam nonum cœlum ſunt arbitrati; cui ſententiæ S.
E Bonaventura, Ægidius Romanus, Nicolaus Lyranus, Toſtatus, Cajetanus, & Catherinus velificari dicuntur. Nonnulli denique de hac aquarum congerie non aliam afferri poſſe rationem magis ingenue fatentur, quam Dei voluntatem, qui eas ad majus mundi ornamentum ibi congeſſit.

Quoad ſuperarum aquarum naturam ex iis, quæ hactenus dicta ſunt, ſatis patet, Patrum pleriſque perſuaſum fuiſſe, eas veras aquas fuiſſe, ejuſdemque cum

1 רקיע 2 70. στερέωμα Aq. Sym. Th. 3 Pſal. 103. 3. 4 Iſai. 40. 21. 5 Vide Exod. 39. ℣. 3. & Num. 16. 36. 6 *Tu forſitan cum eo fabricatus es cœlos, qui ſolidiſſimi, quaſi ære fuſi ſunt.* Textus Hebræus ait .... *Fabricatus es cœlos, fortes ſicut ſpeculum fuſum.* Job. 37. 18. 7 Iliad. A. Διὸς χαλκοβατὲς δῶ, & οὐρανὸς πολύχαλκος.
8 Fuller. Clericus hic. 9 Theodoret. Quæſt. 11. in Geneſ. Severian. Gabal. orat. 2. 10 Theodoret. in Pſal. 118. 11 Joſeph l. 1. cap. 1. Antiq. Baſil. hom. 3. in Hexaemeron. Nyſſen. l. 1. contra Eunom. Ambroſ. l. 2. in Hexaemer. Lyran. Menoch. Tirin. &c. 12 Vatab. Druſ. Grot. Eſt. Caſtalio. 13 Iin Rabbini quidam.
14 Pſal. 113. 4. 15 Pſalm. 103. 3. 16 Dan. III. 60. 17 Aug. lib. 2. de Gen. ad Litter. c. 5.
18 Vide S. Hieron. ad Pammachium, & S. Epiph. in epiſt. ad Joan. Hieroſolym. apud eumdem S. Hieron.
19 Vide Baſilium homil. 3. in Hexaem. τοὺς δὲ τοιούτους λόγους ὡς ὀνειράτων συγκρίσεις, καὶ γραώδεις μύθους ἀποπεμψάμενοι τὸ ὕδωρ νοοῦμεν. 20 Cyrill. Catech. 9.
21
Firmans locum cœleſtibus,
Simulque terræ rivulis,
Ut unda flammas temperet,
Terræ ſolum ne diſſipent.
Vide Ambroſ. l. 2. in Hexaem. & Sever. Gabal. orat. 2. de mundi creat. &c.
22 Quidam apud Bedam l. de natura rerum. 23 Tirin. ex Bonfrer.

maris, & fluminum aquis naturæ: & equidem id aperte ſatis Moyſes oſtendit, cum ait, Deum bifariam aquas diviſiſſe, quarum partem alteram ſupra firmamentum collocavit, in abyſſis alteram reliquit. Palam quoque aquarum illarum naturam demonſtrat, cum ait, Deum terras omnes ſubmerſurum aquis, cataractas aperuiſſe, ut aquas ſuper terram copioſius effunderet. S. Auguſtinus [1] nonnullorum ſententiam refert, qui has aquas gelu adeo fuiſſe adſtrictas fatentur, tantæque ſoliditatis, ut nulla umquam vi, vel diſſolvi poſſent, vel infringi. Ipſe vero [2] opinari videtur, aquas ſupra firmamentum poſitas haud multum a nebulis, ac iis vaporibus differre, qui in aera elati, ibi & ſua raritate, ac molis amplitudine ſe ſuſtinent, cum immania illa nubium corpora conflant. S. Gregorius [3] Nyſſenus ſine ulla ambage inquit, aquas, quæ a Scriptura nobis ſupra firmamentum exhibentur, alterius omnino eſſe naturæ ab ſublunaribus undis, atque ſub illarum aquarum idea nihil corporei, hoc eſt, nihil craſſi, ſenſilis, & tactilis eſſe intelligendum.

Verum his omnibus in rebus Moyſes diſſerere potuit juxta populi ſenſum, qui aquas e cœlo delabentes, quas a terra ſurſum extolli minime viderit, ex ſuperno quopiam excipulo cenſet diffluere. Nonne nimiæ ſimplicitatis forent arguendi, qui vulgarem hanc opinionem mordicus amplecti vellent, omniaque Moyſis verba ad litteram interpretari? Nequit fortaſſe dici, Deum per eum motum, quem in mundi primordio aquis impreſſit, immenſam earum vim in vapores extuliſſe, quæ poſtmodum ſolutæ fuerint in pluvias; eumdemque in natura a mundi exordio, ad hæc uſque tempora ordinem deinceps fuiſſe ſervatum? Vapores in aera elati nubes efformant, mox vero in pluvias delapſi, realem perpetuamque ſuperas inter & inferas aquas ſejunctionem perennant. Neſcio vero an ad explanandos Scripturæ loquendi modos, qui in hujuſmodi locis nullo pacto ſunt Philoſophici, plura requirantur.

Quod vero ad inferiores aquas ſpectat, S. Auguſtinus [4] credit, primum quidem valde rarefactas fuiſſe, ac nubibus, & caligini haud abſimiles: eas vero deinde magis denſatas, longe minus, quam antea ſpatium occupaſſe; atque hoc pacto tellurem, quæ aquis erat obruta, donec eæ nebularum laxitatem obtinuere, ſtatim exaruiſſe, ſimulac graviores, denſioreſque effectæ ſuopte ingenio defluxerunt in abyſſos maris, quæ vel aderant jam, vel tunc terræ ſubſidentis hiatu patuere. At plerique has inferiores aquas, vere aquas fuiſſe intelligunt, & Moyſes, qui hujus condenſationis non meminit, ſed aquarum congeriem mare appellat, iiſdem eas qualitatibus nunc præditas innuit, quibus præditæ erant, antequam in abyſſos dilaberentur.

℣. 9. DIXIT VERO DEUS: CONGREGENTUR AQUÆ &c.] Hebræi contendunt, iſtic eſſe vertendum, *Deus dixerat* pro *Deus dixit*; aquæ enim in loco ſuo ſubſederant die ſecunda, cum rerum Opifex ſuperas ab inferis aquis diviſit. At non inde ſequitur, omnes aquas ea die in abyſſos difluxiſſe; adhuc univerſam terræ ſuperficiem ſupereffuſæ operiebant, ſed die tertia dumtaxat illinc in abyſſos, ac pelagus receſſere.

Hebraica vox [5], quæ redditur, *congregentur*, transferri poteſt [6] *diffluant*, *dilabantur*; perinde ac naturali motu, ac proprio pondere in eos terræ locos, qui magis imi, & profundi ſunt, receſſiſſe innuerentur. Alii [7] vertunt, *ad libellam componantur*. Aquila, &

A Symmachus [8] reddidere, aquas conſtitiſſe, atque in deſignato ipſis loco ſubſediſſe, quin ultra ſupra terram diffluerent. Scriptura [9], ac Patres [10] ita ſæpe loquuntur, quaſi aquæ divinitus terra altiores continerentur, jam jam eam ſubmerſuræ, niſi Dei manua earum cohiberet irruptionem.

Arbitrati nonnulli ſunt, terram, re adhuc integra, perfecte orbicularem fuiſſe conditam, & univerſam illius ſuperficiem aquis obtectam fuiſſe; verum Dei juſſu alibi in montium juga conſurrexiſſe, alibi vero in abyſſos ſubſediſſe, quo aquæ motu ſuo defluxerunt. Et ſane ſi æqualis aquarum altitudo terræ faciem ubique operuiſſet, quonam pacto unum in locum ſe ſe recipere B potuiſſent, ni [11] eas montium inſtar in cumulos, acervoſque aſſurrexiſſe dixeris, veluti fluctus, qui ventorum vi ad ſydera extolluntur?

℣. 10. IN LOCUM UNUM.] Omnes terrarum orbis aquæ communicant inter ſe: flumina, fonteſque omnes ſe in mare protipiunt, ac maria omnia, vel palam, vel clam mutua communione junguntur. Pro explorato habetur, Mare Caſpium per ſubterraneos permeare cuniculos, ac in Euxinum Pontum, vel in Oceanum erumpere, qui unum haberi poteſt omnium terræ aquarum receptaculum.

℣. 11. GERMINET TERRA HERBAM VIRENTEM, ET FACIENTEM SEMEN &c.] Locus hic duplicem poteſt C ſenſum admittere. Primo: terra proferat herbas, vel plantas cum ſuis ſeminibus, & arbores fœcundas cum fructibus, eas ſcilicet in perfectione ſua producat, fructibus ſuis onuſtas, quales eſſe debent, ut homini, & animantibus alimenta ſuppeditent. Secundo: producat terra herbas, & arbores, quæ per ſemina, & fructus, quos proferent, vim habeant ſe ſe multiplicandi; perinde ac Deus terram virtute donaſſet plantas gignendi, vel plantarum germen dumtaxat in terra procreaverit: quæ Sancti Auguſtini ſententia fuiſſe videtur [12], aliorumque nonnullorum: verum plerique Deum plantas in perfecto ſtatu produxiſſe contendunt cum ſeminibus, fructibuſque maturis; Omnes D vero plantas, ac arbores, quæ deinde extiterunt, in prioribus, quæ creatæ fuerant, virtualiter fuiſſe contentas; atque terræ ubertatem, qua gignuntur, aluntur & adoleſcunt, effectum fuiſſe benedictionis, quam in ipſo rerum primordio Deus illi eſt impertitus. Moyſes hoc in loco eorum opinionem ſubvertit, qui terram velut Numen aliquod ſinu ſuo omnia proferens ſunt venerati.

Quæritur iſtic quonam anni tempore mundus conditus fuerit? Patrum plerique [13] vere conditum aſſeruere, quod ipſum in Concilio [14], quod in Palæſtina a Theophilo Alexandrino ex Papæ Victoris auctoritate habitum fuiſſe dicitur, confirmatum eſt. Poetæ E [15] quoque primos mundi dies, nobis velut ver ſpecioſiſſimum exhibent.

Qui vero pro Autumno certant, animadvertunt Hebræos, ac Ægyptios anni ſui civilis ab Autumnali æquinoctio exordium ſumpſiſſe [16]; more profecto a majoribus per manus tradito, atque a primis uſque hominibus ad eos deducto. Moyſes ſane Patriarcharum annos, ſeu præceſſerint, ſeu Diluvium fuerint ſubſecuti, juxta veteris illius conſuetudinis normam recenſet, quam mundo ipſi coævam eſſe arbitrabatur. Ad hæc cum Adam a Deo creatus ſimul etiam perfecto ætatis flore donatus fuiſſet, neceſſe quoque fuit, ne arbores

ac

1 Lib. 2. de Geneſi ad Litt. c. 5. 2 Ibidem cap. 4. 3 In Hexaem. ſub initium. 4 De Geneſi ad lit. l. 1. c. 12. in Hexaem. 5 יקוו המים מתחת השמים 6 Cajet. Jun. 7 Fuller. 8 συνέστη τὸ ὕδωρ. 70. Th. συνήχθη. 9 Job. 38. 11. Jerem. 5. 22. 10 Gregor. Nazianz. Orat. 34. Theodoret. in Pſalm. 103.
11 Auguſt. de Geneſi ad Litter. l. 1. c. 12. & l. 1. contra adverſ. Leg & Prophetarum.
12 Auguſt. de Geneſ. ad Litter. l. 5. c. 4. 13 Cyrill. Hieroſolym. Catech. 14. Baſil. in Hexaemer. Nazianz. Orat. in Nativ. Dom. Ambroſ. l. 1. in Hexaem. Theodor. quæſt. 72. in Exod.
14 Apud Bedam de ſexta ætate mundi.
15 -- *Ver erat illud, ver magnus agebat*
Orbis, & hybernis parcebant flatibus Euri:
Cum primum lucem pecudes hauſere.
Virgil. Georg. l. 2. v. 338.
16 Vide Diſſertationem noſtram de annis Hebræorum &c.

ac plantæ eo in ſtatu crearentur, ut fructibus ſuis novo homini victum poſſent ſuppeditare. Illud vero omnem dubitandi locum adimit, quod Adæ præcepit Deus, ne ex cujuſdam arboris fructu, quæ ſane tunc fructibus erat onuſta, veſceretur; quandoquidem ex iia Eva comedit, ac viro ſuo, non diu poſt creationem, comedendum appoſuit. Hanc ſententiam notæ melioris Chronologi Scaliger puta, Pater Patavius, Uſſeriuş, aliique eruditiſſimi Interpretes mordicus tenent.

Dicendum tamen generatim eſt, quæſtionem hanc ex earum eſſe numero, quæ Gordiano nodo impeditiores ſunt, & quamdam contradictionis ſpeciem involvunt: namque fieri nequaquam potuit, ut, ſax dierum intervallo cum mundus conditus fuerit, eadem anni ætas, ſive Autumnus, ſeu Ver, ubique tarrarum eodem tempore ſimul occurrarit; ideoque quidquid pro Autumno, aut Vere afferri, probarique hoc in climate, ac orbis parta potarit, id mehercle pro alio climata, vel terrarum parte minime probaveris. Supponendum igitur iſtic eſt, Moyſem de iis loqui dumtaxat, quæ tranſacta fuere ibi locorum, ubi Homo creatus fuit; cumque dicimus mundum Autumno conditum, ſimpliciter eſſe intelligendum, eo in loco, ubi Adam effictus fuit, tuoc temporis Autumnum obtinuiſſe; vel hac in quæſtione ratio habenda dumtaxat eſt ſigni illius in Zodiaco, quod tuoc Sol percurrebat: ita ut ſi tunc Arietis ſignum ingradiebatur, tunc Ver fuiſſe dicatur; e contra vero Autumnus, ſi Libræ ſignum obibat.

Deus tempore eodem aliis in terrarum partibus plantas, ac arbores magis, minuſve matureſcentes edidit pro ut caloris, vel frigoris eo in climate varietas aas potuit proferre. In Armenia, axempl. gr. ubi Adam procreatum fuiſſe arbitramur, Deus arbores fructibus prægraves protulit. In regionibus vero magis borealibus, garminantes dumtaxar, foliis, fructibuſque viduatas produxit; alibi autem tanquam tempore verno floentes. Idem de animantibus dicendum eſt, quæ ipſe in qualibet terrarum plaga eo in numero, iiſque qualitatibua prædita creavit, ut viram poſſent tranſigere, iiſque in ipſo illorum eraationis loco, & tempore, unde alerentur, ſuppeditavit. Verum fortaſſe Deus, longe minorem, quam qui vulgo fertur, animantium, plantarum, arborumque numerum in variis terrarum partibus protulit. Vide infra ỳ. 24. Non deſunt, qui ante diluvium tarram æqualem ſemper obtinuiſſe ſitum quoad Solis axem, ideoque ſemper Æquinoctium, ac ſemper Ver fuiſſe, opinentur; quorum ſententiam alibi ad examan vocabimus.

ỳ. 14. FIANT LUMINARIA IN FIRMAMENTO.] Iudęi, ac Interpretes complures [1], lumen, ac luminoſa corpora prima die condita fuiſſe arbitrantur, & hoc eſſe veluti narrationis, quam ſacer Auctor ỳ. 3. intarciderat, ſupplementum. Volunt autem verbum *dixit* hic quoqua, quemadmodum ỳ. 1. pro *dixerat* uſurpatum, quod Linguæ Sanctæ equidem licet; cum enim illi unum tantummodo ſuppetat tempus ad innuendum præſens, imperfectum, perfectum, aoriſtos, & pluſquamperfectum, ſæpe ex orationis decurſu de verbi tempore judicium ferre cogimur. At ſi iſtic legeris *dixerat*, illud profecto oboriatur abſurdum, quod nihil novi die quarta factum fuiſſe dicatur. Vide quæ dixerim in ỳ. 3.

FIANT LUMINARIA, ET DIVIDANT DIEM, AC NOCTEM.] Solis præſentia diam efficit, abſentia vero noctem. Cum Sol abeſt, Luna, ac ſtellæ collucent, A hinc Sol, & Luna diem, noctemque dividere dicuntur.

SINT IN SIGNA;] Quæ nimirum aaris mutationes præmonſtrent, quid in agris excolendis facto opus eſt, edoceant [2]; diverſarumque anni tempeſtatum vices admoneant.

IN TEMPORA, ET DIES, ET ANNOS.] Diei, noctiſqua tampora per Solis abſentiam, vel præſentiam diſcriminamus ex hebdomadibus, menſibuſqoc annum componimus; eaque omnia ad certum Solis, ac Lunæ curſum metimur. Videtur bic Moyſes innuere voluiſſe, nullos eſſe in hominum actiones, proſperam eorum, advarſamque fortunam ſyderum influxus; Solem, ac Lunam nequaquam eſſe numina, ex quibus B aliquid vel metuendum ſit, vel ſperandum; quandoquidem boc unum ea creantis Dei conſilium fuit, ut tempora, annique vices moderaretur. Origenes [3] credidit, aſtra quamdam aſſe libri ſpeciem, in qua futura quælibet legerentur inſcripta, juxta locum quemdam apocryphi libri, cui titulus Ioſephi oratio, *Legi in Tabulis cœli*. Verum plurimas id genus apud hunc auctorem ſententias repereris, quas ax quibuſdam apocryphia libris, qui ævo illius adhoc auctoritatem obtiuebant, percepit.

Patres [4] hoc utuntur loco ad judiciariam Aſtrologiam refellendam. Vocem *tempora* menſes ſignificare iſtic nonnulli putant, & quod alioquin de menſibus Moyſes nihil hoc in loco dixiſſet, & quod Pſalmo 104. C 19. *Tempora* pro menſibus uſurpantur: *fecit Lunam in tempora*. Alii vero vocam hanc innuere putant cętuum tempora, ac feſtivitarom, quo in ſenſu hebraica vox *Mohed* [5] ſæpius a Moyſe uſurpatur. Cum Geneſis quædam ſit veluti præparatio ad Legis libros, intererat Iudæis oſtendare, Deum in iis omnibus, quæ ab orbis terrarum origine fecerat, ſemper Legem ſpectaſſe: vel potius Deum tempora cætuum Religionis, Lege vigante, præſcripſiſſe juxta ſyderum curſum, quæ motu ſuo temporum noſtrorum vices matiuntur. Plato [6] Solem, Lunam, & Planetas temporum organa vocat, vel inſtrumenta: Et Horatius de Sole differens [7] eum eſſe ait,

- - - Qui res hominum, ac Deorum
D *Qui mare, & terras, variiſque mundum*
Temperat horis.

ỳ. 16. DUO LUMINARIA MAGNA.] Sol, ac Luna inter ſe magnitudine longiſſime diſcrepant; ſiquidam Luna Soli, cæteriſque collara ſyderibus longe minor comperitur. Verum Sol ac Luna reliquis aſtris majores videntur, eo quod præ aliis terræ propiores ſint, & quod eorum ſplandor cæterique illis attributi effectus nos propius afficiunt, quod aliorum corporum cœleſtium; quo in ſenſu Moyſes iſtic aſt intelligendua.

ỳ. 17. ET POSUIT EAS IN FIRMAMENTO COELI.] Hebraicus textus hoc pacto poteſt intelligi: Poſuit in firmamento hæc omnia; Solem, Lunam, & ſtellas; dum vulgata ad ſtellas dumtaxat coarctari videtur, E *poſuit eas*.

ỳ. 18. ET PRÆESSENT DIEI, AC NOCTI.] In Ægyptiorum Theologia Sol, & Luna tamquam ſeptem planetarum reges habebantur [8]. Vocas, quibus iſtic uritur Moyſes, eædem ſunt, ac illæ, quibus hominum imperium in cætera animantia ỳ. 26. ſignificat. Non dafuere Scriptores, qui quamdam intelligendi vim ſydaribus tribuerint: & ea ſententia, qua illa vita, & ratione donantur, apud Antiquos fuit vulgatiſſima. Vetuſtiſſimi Philoſophorum, valuti Thales [9], & Pythagoras, eorumque eruditiſſimi, atque nominia fa-

ma

1 Cajetan. Catharin. Eugubin. &c.
2 Philo de upificio mundi p. 12. c.
3 Origen. in Geneſ. tom. 3. edit. Huet. Vide notas ejuſdem.
4 Baſil. homil. 6. in Hexaemer. cap. 4. Auguſt. l. 4. Confeſſ. c. 3. l. 3. de Civit. c. 1. 2. 3. Theodoret. q. 15. in Geneſ. &c. 5 מועד
6 Plato de mundi anima ὄργανα χρόνων.
7 Horatius l. 1. Ode 12.
8 *Solem & Lunam ſeptem ſtellis præeſſe arbitrantur*. Sext. Empyr. adverſ. Mathem. l. 5.
9 Laert. l. 1. in Thaleta.

ma maxime florentes, Plato, ac Ariſtoteles [1], nec non & Stoici, non ſolum anima prædita fuiſſe crediderant ſydera; verum etiam rationis uſu, ac beatitudine frui; quin & numina eſſe Plato ipſe docebat [2].

Prioribus Eccleſiæ ſæculis S. Clemens Alexandrinus [3], & Origenes [4], nec non ſubſequenti ævo complures Patres, crediderunt, aſtra poſſe vel bene mereri, vel male; eaque animas eſſe ſortita majoris meriti, ac puritatis, quam eæ ſint, quæ noſtra corpora informant. Verum alii hiſce animabus revera ſydera informari docuere; alii vero dumtaxat regi, & gubernari, eo ferme pacto, quo currus ab auriga gubernatur. S. Auguſtinus [5], S. Hieronymus, S. Iſidorus Peluſiota, ac S. Thomas [6] quæſtionem hanc, quæ illorum B ævo agitabatur, neque damnarunt, nec probavere; ſcilicet utrum aſtra animabus eſſent prædita, an ſecus; quin immo S. Thomas hanc ad fidem minimum ſpectare ait: atque inter recentiores non defuere, qui affirmativæ parti adhærerent, atque rationis participes animas ſyderibus tribuerent; ea quorum numero Bodinus [7], Ricius [8], Tycho, & Kepletus fuiſſe dicuntur.

Utrum vero hac eadem in ſententia Iudæi veteres verſarentur, non auſim aſſerere; Philo certe [9] hac in re mordicus Platonis doctrinam amplectebatur. Sydera anima donata fuiſſe arbitrabatur, atque ſimplicitate, ac innocentia integerrima; & alicubi puriſſimos eſſe ſpiritus, ait; verum alibi corporea eſſe non diffi- C tetur [10]. S. Paullus in Epiſtola ad Coloſſenſes in quoſdam Iudæos invehitur, qui in Eccleſiam ſuperſtitioſum erga Angelos cultum invehere adnitebantur, docentes, inquit Auctor Commentariorum in Epiſtolas D. Paulli, S. Ambroſii nomine allatus, ſydera Angelos eſſe. *Inflantur motum prævidentes ſtellarum, quas Angelos vocant*. Rabbinus Maimonides ipſe quoque aſtris animas tribuit.

Scriptura etiam ea utitur alicubi loquendi ratione, quæ hanc videtur ſententiam innuere; verum in metaphorico ſenſu ibi eſt intelligenda. Exempli gratia hic Moyſes a Deo Solem, ac Lunam procreatos ait, ut diei alter, altera nocti, præeſſent; ac alibi [11] ſydera cœleſtem exercitum vocat: quæ locutio tercenties in D Scriptura repetitur [12] ad ſignificanda cœleſtia corpora, quæ cum animata, ac Numina eſſe putarentur, ab omnibus populis ſumma veneratione colebantur. Cœleſtis hujus exercitus Dominus ſæpe Rex appellatur; atque a Propheta velut Rex copiarum ſuarum recenſionem habens exhibetur: *Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat* [13]. Apud Iſaiam [14] Deus aſtris mandata imponit, minaſque intentat, ac ait, ſe, ubi Regnum ſuum in Hieruſalem, & in Sion conſtituerit, Solem, & Lunam, quibus illic cultus exhibitus fuerat, confuſione eſſe oppleturum. Iob [15], David [16], & Daniel [17] nobis ſydera veluti Deum laudibus celebrantia deſcribunt. Levitæ apud Nehemiam [18] Domino concinunt: *Tu feciſti cœlum, & cœlum cœ- E lorum, & omnem exercitum eorum .... & tu vivificas omnia hæc, & exercitus cœli te adorat*. Eccleſiaſtes [19] etiam nobis Solem exhibet, totum terrarum orbem luſtrantem, quidque ibi fiat inſpicientem. *Luſtrans A univerſa in circuitu pergit ſpiritus* &c.

Quæ noviſſima vox Sancto Hieronymo juxta quoſdam MSS. veteres [20] anſam dicendi præbuit, Solem eſſe *animal ſpirans, & vivens*; vel juxta recentem editionem, ſpiritum aſſeruit, *quod animet, & ſpiret, & vigeat*. In duodevigeſimo Pſalmo Sol veluti heros quidam adumbratur, qui longum ingreſſurus iter exurgit. Iob [21] hæc habet: *Stellæ non ſunt mundæ coram ipſo*, Deo ſcilicet; & alibi [22] hoc ipſum de cœlis prædicat: *Cœli non ſunt mundi in conſpectu ejus*. Unde præcipuum ſententiæ ſuæ hauſerat argumentum Origenes, non ſecus ac ex iis D. Paulli verbis ad Romanos: *Vanitati enim creatura ſubjecta eſt non volens, ſed propter eum, qui ſubjecit eam in ſpe*; quibus ſydera animata eſſe probabat. Verebatur plane Moyſes, ne Hebræi cœlos, Solem, ac Lunam potentes, abſolutaſque ſubſtantias eſſe arbitrarentur, quandoquidem iſtic eos edocere adnititur, ea a Deo creata fuiſſe, ac illius mandatis obnoxia.

℣. 20. PRODUCANT AQUÆ REPTILE ANIMÆ VIVENTIS, ET VOLATILE SUPER TERRAM.] Textus Hebræus legit [23]: *Et volucres volent ſuper terram*. Ea Scriptura [24] patet, ab Hebræis piſces fuiſſe inter reptilia recenſitos. Quoad aves quæritur, an eadem illis, ac piſcibus origo ſit tribuenda, atque utrum ut piſces, ita & volucres ea aquæ ſubſtantia fuerint productæ: vel ſi e terra ſicuti cætera animantia eductæ, an earum carnis eadem ratio habenda ſit, æque ac quadrupedum hu- C mi degentium?

Nec deſunt, qui aquarum nomine aerem, vel nubes [25] intelligant, & cenſeant aves in aere fuiſſe procreatas, atque proinde huic elemento adhæſiſſe, unde originem hauſerant.

Qui putant vero e terra fuiſſe prognatas, primum illi Geneſis loco cap. 2. ℣. 19. innituntur: *formatis ... de humo cunctis animantibus terræ, & univerſis volatilibus cœli* &c. Secundo affirmant ℣. 20. textum, quem iſtic explicamus, non innuere explicite aves, ſed piſces dumtaxat ex aqua productos fuiſſe. *Producant aquæ*, Moyſes ait, *reptile animæ viventis, & volatilia volent ſuper terram*.

Potior Interpretum pars eamdem, & piſcibus, & D volucribus originem fuiſſe opinantur, & utroſque ex aquis eductos fuiſſe. Verſiculus 20. illis ſuffragatur, præſertim ſi hoc pacto reddatur: *Producant aquæ reptile, & aves, quæ ſuper terram volent*. Hac in verſione relativum *quæ* ſuppletur, qua in re nihil admittitur, quod Hebraicæ Grammaticæ regulis adverſetur. Septuaginta, Chaldæus, Arabica verſio, & vulgata textum eum in ſenſum, quem allata tranſlatio præfefert, intellexere. At ℣. 21. magis adhuc illis favet, qui aſſerunt aves ex aqua procreatas fuiſſe. *Creavit Deus cete grandia, & omnem animam viventem, atque motabilem, quam produxerant aquæ in ſpecies ſuas, & omne volatile juxta genus ſuum*. Scriptura iſtic piſces, & aves opponit iis, quæ terra ℣. 24. & ſequentibus E protulit.

Affertur etiam veterum Chriſtianorum traditio, qui fas eſſe putabant Quadrageſimæ tempore quibuſdam volatilibus veſci, ſi Socrati [26], S. Epiphanio, ac Nicephoro fides habenda eſt. Plures e veteribus

1 Idem Laert. l. 8. 2 Plato in Timæo, & Epinomis p. 583.
3 Clem. Alex. in Selectis e Propheticis. 4 Origenes paſſim, ſed præcipue l. 1. Περὶ ἀρχῶν. Et l. 5. contra Celſ. Videſis Hues. l. 6. Origenian. quæſt. 5. art. 3. & 4. 5 S. Auguſt. l. 2. de Geneſi ad litt. c. 18. & in Enchirid. ad Laurent. Vide notas Guillel. Spencer. in l. 5. contra Celſum. 6 S. Thom. l. 2. contra Gentes c. 70. 7 Bodin. in Theatro Naturæ. 8 Ricius de Anima cœli. 9 Philo lib. quod ſomnia ſint a Deo immiſſa; Vide & lib. de opificio mundi, p. 5. [illegible] & pag. 16. loquens de aſtris: [illegible]. Vide & lib. de Gigantibus. 10 Idem de opificio mundi p. 33. loquens de iis quæ fuerunt ante hominem in mundo; [illegible]. 11 Geneſ. 11. 1. 12 Vide Deuter. 4. 19. & 17. 3. &c. 13 Pſal. 146. 4. 14 Iſai. 45. 12. & 24. 21. 22. 23. 15 Job. 38. 7. 16 Pſalm. 148. 3.
17 Dan. 3. 62. 63. 18 2. Eſdr. 9. 6. 19 Eccle. 1. 6. 20 Hieron. in Eccleſ. 1. *Solem Spiritum nominavit, quod animet, & ſpiret, & vigeat*. 21 Job 25. 5. 22 Job 15. 15. 23 ועוף יעופף על הארץ 70. [illegible] 24 Pſal. 103. 26. 148. 10. 25 Vide ſupra ℣. 2. & S. Auguſt. l. 3. de Geneſi ad litter. c. 3. & Rupert. l. 1. c. 50. de Trinitate.
26 Hiſt. Eccl. l. 5. c. 20. Epiph. in expoſ. fidei catholicæ, Niceph. l. 11. hiſt. Eccleſ. c. 34.

bus [1] Cœnobitis haud ſibi interdictum eredidere volatilium, æque ac piſcium carnes comedere. Verum hoc nequaquam eſt inferendum ex eorum Patrum ſententia, qui volucres e mari, aquis, atque etiam nubibus ortas cenſuere [2]. Licet enim aves, ac piſces ex aquis ortum duxiſſe compertum eſſet, atque explotatum, non inde tamen iis indiſcriminatim diebus pœnitentiæ, atque continentiæ addictis uti poſſe, liceret inferri. Atque ut ipſum difficultatis fontem attingamus, ſi Moyſes innuere voluiſſet, aves quoque, non ſecus ac cætera animantia e terra editas fuiſſe, earum procul dubio creationem in diem ſextam retuliſſet, in qua terræ animantia genita eſſe dicuntur. Cum cap. 2. ℣. 19. ait ille: *Formatis . . . de humo cunctis animantibus terræ, & univerſis volatilibus cæli*: textus optime intelligi poteſt has voces, *formatis de humo*, ad terreſtria tantum animantia coarctando, quin ad aves extendantur, ut notat S. Auguſtinus lib. 9. de Geneſi ad litteram cap. 1.

Ad has autem ſententias conciliandas, dici fortaſſe poſſet, aves ex terra admodum eliquata, ac limoſa eductas fuiſſe, atque hoc pacto ex terra, & aqua ſimul fuiſſe compactas. Ægyptii, auctore Diodoro Siculo [3], aſſerebant piſces ex aquoſa ſubſtantia productos, in aquæ elementum ſe recepiſſe; reptilia vero, atque terreſtria animantia ex terra concreta terras obtinuiſſe; aves autem calidam, igneamque ſubſtantiam nactas in aerem evolaſſe. Verum cum iſtic agatur de ſententia a Moyſe allata, haud ab ea recedimus, quam Patres in illius verbis invenere, videlicet aves, & piſces ex aquis eductos fuiſſe; quæ quidem magis ad Scripturæ litteram videtur accedere.

℣. 21. CREAVIT DEUS CETE GRANDIA] Hebraica vox *tanninim* [4] ſæpius in vulgata vertitur *dracones* [5], ſcilicet dracones maris; atque aſſerunt, vocem hanc proprie ſignificare omnia immanis longitudinis genera brutorum, tam terreſtrium, veluti dracones, & angues [6], quam aquatilium, veluti cete, crocodilos, marinos vitulos, hippopotamos.

Nomen *cete*, quod Vulgata a Septuaginta mutuata eſt, generatim omnia ſignificat immenſæ magnitudinis animantia, ac præcipue balęnas. Mare gignit cujuſvis generis animantia terreſtribus longe majora. Plinius [7] ait, viſas fuiſſe balęnas ſexcentis pedibus oblongas, latas vero trecentis, ac ſexaginta; & addit [8] quatuor terræ jugerum latitudine quaſdam fuiſſe detectas, quę cum ſuper aquas extant, inſularum ſpeciem præſeferunt: at Pater *du Tertre* aſſerit, ſe licet pluſquam duodecim leucarum millia maris obierit, nullam uſpiam vidiſſe balęnam, quæ ſexaginta pedum longitudinem excedere videretur.

Docent Rabbini Deum in ipſo mundi primordio duplicem immenſæ molis balęnas creaſſe, cum quarum altera quotidie ludit [9]; alteram vero cæſam, ac ſale conditam reſervat, ut cum terrarum Orbis interierit, ex ea juſtis omnibus epulas inſternat. Vetuſta hæc ſomnia ſunt [10], atque Hebraicorum librorum auctoritate confirmata, at non minoribus ideo ſibilis, & cachinnis excipienda.

OMNEM ANIMAM VIVENTEM, ATQUE MOTABILEM.] Hebraice ad litteram [11], *omnem animam reptilem ex aquis productam*; piſces omnes, omne reptile vivens, & ex aquis productum.

℣. 22. BENEDIXITQUE EIS, DICENS: CRESCITE, ET MULTIPLICAMINI.] Bruta ratione carentia Dei mandata intelligere nequeunt; verum locutio hæc eſt

A explicanda de fęcunditate quam Deus illis impertit, ac de appetitu, quo ad ſpeciem ſuam multiplicandam feruntur. Hinc autem inferre licet, ea tunc perfecta fuiſſe, atque ad Dei juſſa adimplenda ſatis idonea.

℣. 24. PRODUCAT TERRA ANIMAM VIVENTEM IN GENERE SUO.] Videtur Moyſes [12] terræ vim animantia gignendi tribuere, illi ferme ſimilem, qua animantia a Deo donata fuere, ut ex ſe ſibi ſimile gignerent; quo in ſenſu a veteribus tellus rerum omnium mater nuncupabatur; nec defuere quidam, qui eam animatam crediderint. Moyſis hoc in loco verba veterum Ægyptiorum opinioni ſatis congruunt [13]; qui aſſerebant, aquam, ac terram ſimul commixtas in mundi centrum propria gravitate præcipites actas fuiſſe; aquarum ve-
B ro partem a terra diſſociatam in abyſſos ſe recepiſſe, atque compoſuiſſe mare, alteram autem partem aquarum, quæ terræ commixta permanſit, limum quemdam, ſeu terram perquam dilutam conſtituiſſe. Hanc ignis calor quamprimum ſolidiorem reddidit, craſſioremque, ſuaque vi in ſuperficie ſua tumores quoſdam protulit, ſub quibus humores coaluerunt, vel aquæ ſtagnantes, ex quibus per corruptionem pelliculæ quędam emerſere, fermentatam, calentemque materiam contegentes. Humor calori copulatus materiæ huic corruptæ formam indidit, ac terra veluti ex ſinu ſuo diverſas animalium ſpecies protulit, quæ ex ſemet ex pelliculis illis, ubi tectæ primum delituerant, atque ubi originem, & incrementum perceperant, prodierunt.
C Cum ventorum flatibus, ac Solis ardore magna humoris vis exaruiſſet, quæ uberem effecerat humum, hæc nullas amplius novas animantium ſpecies peperit; ſed inſectilia quædam ſolummodo deinceps effudit; verum perfecta animantia huic defectui ſupplevere, atque ex mutua commixtione generari cœperunt.

Falſa procul dubio ſunt hæc, & ridicola, quæ nullo jure ſunt Moyſi, multoque ſecius Divino Spiritus, quo afflabatur ille, adſcribenda: & licet populus in non longe abſimili ſententia fuiſset verſatus, Moyſes ea dixit, quæ ſatis eſse poterant, ut hæ ideæ corrigerentur, atque hanc virtutem omnem merum eſse Divinæ effectum Omnipotentiæ, edoceret. Hoc pacto cuicumque Ægyptiorum errorum periculo occurritur;
D & Moyſes iſtic agentem, loquentemque Dominum repræſentat, veluti abſolutum naturæ Dominum, qui animantibus, ac terræ omnem illorum fęcunditatem, virtutemque impertitur.

Jumentorum nomine *Hebr. Behemoth* [14] domeſtica animalia paſſim intelliguntur, at nonnumquam, & ſylveſtres feræ; at cum *Behemoth* additum eſt *Chaiah* [15], quæ vox belluas ſignificat, ut iſtic, nomen illud de domeſticis dumtaxat animantibus explicatur.

Nonnulli putant, quod iſtic de terreſtrium animalium productione memoratur, ad ℣. 22. atque ad quintam diem eſse referendum. Hiſce animantibus Deum benedixiſse non legimus, neque illis imperaſse, ut creſcerent, ac multiplicarentur; at hoc ex ℣. 22.
E poſſumus mutuari.

Quæritur an imperfecta animantia fuerint ab initio creata? Quædam extant monſtrorum genera, quæ ex duarum diverſæ ſpeciei belluarum concubitu prodeunt, ac dici poteſt [16], licet Deus ea immediate minime procrearit, ea tamen creaſse, quandoquidem ipſe ea protulit animantia, a quibus genita fuere. Alia quoque extant, quæ ex materiæ corruptione exoriri creduntur, quæ S. Auguſtinus [17], & quidem merito, nequaquam in ipſis rerum primordiis creata fuiſse arbitratur.

---

1 Vide Aimoin. de Geſtis Franc. l. 5. c. 10. & 34. & Concil. Aquiſgran. c. 78. & ep. Theodemari ad Carol. Magn. & vitam S. Cutberti. 2 Ambroſ. hymno ad Veſper. feriæ 4. & l. 5. c. 14. in Hexaemeron. Cyril. l. 1. in Geneſ. Chryſoſt. hom. 7. in Geneſ. Damaſc. de fide orth. l. 2. c. 9. Baſil. hom. 8. in Hexaemer. Theodor. l. 5. Divin. decret.
3 Diod. Sicul. Bibl. l. 1. c. 1. 4 תנינים 5 Pſalm. 148. 7. & 73. 13. & 123. 26. & Exod. 7. 12.
6 נחש Exod. 4. 31. collatum cum תנינים Exod. 7. 9. 7 Plin. l. 23. 1. 8 Id. ibid. 9. init.
9 *Draco iſte quem formaſti ad illudendum ei*. Pſalm. 103. 26. 10 Vide 4. Eſdr. 6. 49. 50. & Tamuld. &c.
11 ואת כל נפש החיה הרומשת 70. Καὶ πᾶσαν ψυχὴν ζώων ἑρπετῶν. 12 Vide quæ ſupra diximus ad ℣. 11.
13 Diodor. Sicul. Bibl. l. 1. c. 2. 14 בהמות 15 חיה 16 Rupert. l. 1. de Trinit. c. 57.
17 Auguſt. l. 3. de Geneſi ad litter. c. 14.

Digitized by Google

tratur. Nec deſunt alia quædam, quorum generatio terræ, aut plantis accepta refertur, quæ idem S. Auguſtinus minimum ambigit, quin eas Deus creaſſe dicendus ſit, eaque ab initio produxiſſe. At noſtrorum Philoſophorum pleroſque ægre coegeris, ut putent, animantia quædam eſſe, quæ ex materiæ corruptione gignantur; aſſerunt enim animalia omnia in ſpecie ſua eſſe perfecta, eaque ex ovo generari, ex quo perſpicue ſequitur ea omnia fuiſſe a Deo ab origine mundi immediate creata.

Quoad animalia carnivora, fidei pronius eſt, ipſa initio nequaquam comediſſe carnes; neque enim eorum ullum eſt [1], quod herbis, & leguminibus minime veſcatur; ſe autem invicem vorare occeperunt, cum ſatis fuerunt multiplicata [2].

Cenſent nonnulli Deum ubique locorum magnam animantium vim produxiſſe, cui ſententiæ, quæ ſane Creatoris magnificentiam potentiamque maxime decet, S. Gregorius Nyſſenus [3], & S. Auguſtinus [4] ſubſcripſere. At alii, iique plurimi Patres [5] e contra parvum fuiſſe ab initio animantium numerum tenent; immo Theodoretus, & Procopius Deum bina tantum in ſingulas ſpecies, maſculum, & fœminam procreaſſe audent aſſerere. Bina ſane maſculum, & fœminam deduxit Deus coram Adam in Paradiſo terreſtri: bina quoque ex qualibet ſpecie, ex iis vero, quæ immolari poſſent, ſeptena in Arcam ingredi juſſit. Primitivæ autem animantium ſpecies nequaquam eo in numero fuere, quot fuiſſe creduntur. Non enim omnes luporum, canum, & felium ſpecies, quas novimus, a Deo creari oportuit; hæ ſiquidem ab una tantum ſpecie emanare potuerunt, non ſecus ac omnes homines ab Adam, & Eva prodiere, licet colore, habitu, oris ſpecie, magnitudine &c. adeo inter ſe differre videamus. Denique minime neceſſarium erat, ut tanta animalium crearetur copia, cum eatenus fieri eorum propagatio deberet, quatenus hominum multiplicatio procederet. Et equidem ſi belluæ frequentes nimium fuiſſent, homo poſt peccatum ea ſibi ſubjicere non valuiſſet, utpote quæ & viribus, & numero illi terrorem incutere poterant.

℣. 26. ET AIT: FACIAMUS HOMINEM AD IMAGINEM, ET SIMILITUDINEM NOSTRAM.] Hebræi, inquiunt, Deum iſtic ad *domum judicii ſui* ſe convertere. Dominus velut Rex potens nihil umquam aggreditur Angelis inconſultis, qui illius familiam, ac ſupremum conſilium conſtituunt. Iuxta Chaldæorum Theologiam nihil unquam, inexplorato Angelorum ſuorum conſilio, Deus operatur [6]. Verum dicendumne eſt, Deum Angelis ſuis Creatoris munus velle communicare, quod tamen illi, vel illis, ad quos hic convertitur, impertit: *Faciamus hominem?* Multo minus credendum eſt Angelos Deo æquales eſſe, atque ejoſdem naturæ, & illius ſimilitudinem adamuſſim referre; *Ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.*

Plato [7] cenſuit, corpora, animamque a minoribus Diis condita fuiſſe, quibus Deorum maximus hoc faciundum præceperit. Haud aliter Philo [8] Deum aſſerit, potentiis inferioribus imperaſſe, ut hominem effingerent; quæ illud, quidquid in homine malum eſt, effecerunt; naturam ſcilicet corruptam: quod minimum abhorret a Platonis doctrina, docentis, minores Deos, animalis animæ, quæ affectuum ſedes eſt, eſſe auctores. Ex his plane fontibus [9] Tertullianus libaſſe videtur; quandoquidem ait, quidquid rationabile in anima eſt a Deo, irrationabile vero a Dæmone eſſe profectum. Hæc ferme erant Manichæorum, aliorumque Hæreticorum documenta.

Hoc liquido conſtat, Iudæos, tum veteres, cum recentiores aſſerere, animas ſimul omnes in ipſo rerum primordio creatas fuiſſe, eaſque a Deo corporibus conjunctas, pro ut hæc coaleſcunt: quam ſententiam innuere videtur Auctor libri Sapientiæ, cum Salomonem loquentem inducit [10]: *Sortitus ſum animam bonam; & cum eſſem magis bonus veni ad corpus incoinquinatum.* Verumtamen Philo [11], & Ioſephus [12] poſt Platonicos hoc perquam aperte docent: Et Menaſſes Ben-Iſrael [13] ait, animarum præexiſtentiam opinionem eſſe apud Hebræos omnes vulgatiſſimam. Hi vero aſſerunt omnes ſimul animas primo creationis die productas fuiſſe, omneſque in Eden viridario adſtitiſſe, atque Deum illis allocutum fuiſſe, cum diceret: Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.

Alii Deum hic Principum virorum more loqui putant, qui ſæpius de ſemet loquentes multitudinis numero utuntur; quæ loquendi ratio emphaſim, & peculiarem quamdam habet auctoritatem; fatendumque eſt, hoc proœmio novum aliquid, atque magnum innuere velle Creatorem. Patres [14] iſtinc Sanctiſſimæ Trinitatis probationem hauſerunt: alii Patrem cum Filio alloqui, alii ad Filium, ac Spiritum Sanctum ſimul ſe ſe convertere crediderunt. S. Barnabas in Epiſtola ſua, Pater, inquit, ad Filium converſus dicit [15]: *Faciamus hominem ad imaginem noſtram.* S. Auguſtinus Martyr [16], Theophilus [17], Origenes [18], Euſebius Cæſareenſis [19], Sanctus Ambroſius [20] idem docent: Sanctus Irenæus [21], S. Gregorius Nyſſenus [22], & alii plures volunt Patrem ſe ad Filium ſimul ac Spiritum Sanctum convertiſſe; quæ vulgatiſſima eſt Catholicorum Interpretum ſententia.

AD IMAGINEM, ET SIMILITUDINEM NOSTRAM.] Hæ duæ voces [23] ſimul conjuncta maximam ſignificant ſimilitudinem. Hæ ℣. 3. capitis quinti uſurpantur ad eam naturæ ſimilitudinem, quæ inter Patrem, ac Filium intercedit, innuendam. Scriptura in plurimis locutionibus ſuis Deo tribuit, quod homini dumtaxat convenit; puta corpus, oculos, brachia, & affectus. Homo vix animo ſibi fingere poteſt aliquid, nulla figura circumſcriptum, & incorporeum, neque corpus aliquod ſuo vel ſpecioſius, vel auguſtius fingi poſſe arbitratur. Quam rudes Iudæi eſſent quis eſt, qui ignoret? Non poterat Moyſes homini humana forma ideam ſublimiorem ingerere; & Deus, qui per Moyſem loquebatur, hominem ſibi neque fortius, neque officioſius devincire poterat, quam dicendo, ſe illum ad ſuam ſimilitudinem condidiſſe. Homo, quantumlibet parum ratiocinetur, haud ægre intelligere debet, Deum, neque corpus habere, neque humanis ægritudinibus eſſe obnoxium; & Deus hominem creans in intima illius natura ea inſculpſerat, quibus cognoſceret, quam longe & natura, & infinitarum perfectionum cumulo Deus hominibus præſtaret. Quidam e Patribus [24] diſtinxere imaginem ab ſimili-

1 Plin. l. 10. c. 73. *Serratorum dentium carnivora ſunt omnia. Urſi & fruge, fronde, vindemia, pomis, vivunt & apibus, cancris etiam, & formicis; lupi ut diximus, & terra in fame.* Vide etiam Origen. hom. 2. in Geneſ.
2 Grot. Vide Nyſſen. Orat. 2. & apud Baſil. homil. 11.
3 Nyſſen. l. de hominis opificio.
4 Auguſt. l. 12. de Civit. Dei c. 21.
5 Baſil. homil. 7. Theodoret. q. 17. in Geneſ. Lactant. l. 11. c. 2. Procop. in Geneſ.
6 Iamblic. paſſim.
7 Plato in Timæo p. 63.
8 Philo de opificio mundi p. 16.
9 Tertull. de Anima p. 317.
10 Sap. 8. 19.
11 Philo de Confuſ. ling. p. 270. de Gigantib. p. 222. 223.
12 Vide Ioſeph. Antiq. l. 18. c. 2. & de bello l. 2. c. 8. & l. 7. c. 25.
13 Menaſſe Ben-Iſrael concil. in Geneſ. q. 6. p. 12. & de creatione probl. 15. p. 61.
14 Baſil. hom. 9. in Geneſ. Chryſoſt. hom. 8. Auguſt. de Civit. l. 16. c. 6. Cyril. adv. Iul. l. 1. Theodor. q. 19. in Geneſ. Vide Janſen. hic.
15 Λέγει (Κύριος) τῷ υἱῷ, ποιήσωμεν κατ' εἰκόνα, &c. Vide not. in Epiſt. Barnab. p. 102. 104.
16 Juſtinus martyr. Dialog. cum Tryphone.
17 Theophil l. 2. ad Autolyc.
18 Origen. l. 2. contra Celſ.
19 Euſeb. Cæſar. l. 1. c. 2. hiſt. Eccleſ.
20 Ambroſ. l. 6. in Hexamer.
21 Iren. Præf. l. 4. contra hæreſ. & eodem lib. c. 37.
22 Nyſſen. Orat. 1. in, *faciamus hominem*, &c.
23 Imago צלם umbra &c. Similitudo דמות figura, idea.
24 Orig. l. 3. περὶ ἀρχῶν c. 6. Victorin. l. 1. adverſ. Arium, Eucher. Lugdun. l. 1. in Geneſ. Nicetas in Theſ. orth. fid. l. 4. hær. 31.

militudine hominis cum Deo. Adam primum quidem ad Dei imaginem conditus fuit, & in dies per optimæ cujuſque virtutis exercitationem Dei ſimilitudinem eſt conſecutus.

Hominis ergo cum Deo ſimilitudo in ethicis animæ virtutibus præcipue conſiſtit; homo vero ad Dei imaginem creatus eſt, propterea quod immortalis eſt, intellectu, libertate, atque ad beatitudinem, & ſcientiam aſſequendam facultate donatus. Quoad Ethicas virtutes, homo Deo ſimilis fit per innocentiam, juſtitiam, gratiam, ſapientiam [1], per quæ accedit ad illud Eſſe ſupremum, ac ſanctus, & perfectus efficitur juxta Scripturarum loquendi rationem, ſicuti eſt Pater Cœleſtis. Hanc autem divinam ſimilitudinem hominem per peccatum amiſiſſe docent Patres [2]. S. Paullus ſupernaturalium donorum poſſeſſioni adſcribit eam, quæ nobis eſt cum Deo, ſimilitudinem [3]. Hanc vero nequaquam in naturæ unitate eſſe poſitam, exploratum eſt [4]: quo in ſenſu Deus ſolus ſibi ſimilis eſt, Verbum dumtaxat eſt ſimile Patri. Noſtra vero cum Deo ſimilitudo in ipſius beneficiorum in nos effuſione conſiſtit, atque in ea obedientia, amore, & charitate, quibus illud proſequimur.

Porro homo imago quoque Dei eſt, eo quod Ieſus Chriſtus, qui creaturarum primogenitus eſt, in quo, & per quem facta ſunt omnia, conſecuturis temporibus homini ſimilis fieri debebat noſtram induens naturam [5]; quo in ſenſu homo ad Dei imaginem factus dici poteſt non quoad animam ſolum, verum etiam quoad corpus. Sanctus Auguſtinus in hominis corpore quamdam majeſtatis ſpeciem deprehendit, propter quam ſupra bruta animantia ſublimius attollitur, & quodammodo divinitatis conſors efficitur.

Nonnulli [6] homines cum Deo ſimilitudinem conſtituunt in auctoritate, quam homini Deus in res creatas erat largiturus: cum enim in orbe, velut alterum ſe ipſum collocavit, veluti quamdam viſibilis divinitatis ſpeciem, qui illum erat moderaturus, ac in eo Dei ipſius imperio functurus; quod ab eccleſiaſtico Auctore iis verbis innuitur [7]: *dedit illi poteſtatem eorum, quæ ſunt ſuper terram; poſuit timorem illius ſuper omnem carnem &c.* Sententiam hanc plurimi veteres Patres ſequuntur. Pythagoræus quidam a S. Clemente Alexandrino allatus [8] ait, Creatorem in ſemet velut prototypum reſpexiſſe, ut hominem efformaret. Homo ab aliis creatis animantibus differt, non materia quidem, ea qua corpus illius compactum eſt, ſed in eo dumtaxat quod ad conditoris ſui exemplum, divinumque exemplar effictus eſt.

FACIAMUS HOMINEM.] Hebr. Faciamus Adam. Adam proprium eſt primi hominis nomen, & univerſæ illius commune poſteritati. *Adam* rubrum ſignificat, vel rubicundum; & nomen hoc a Deo primo homini inditum fuiſſe Ioſephus ait propter ſubrubentem humi colorem, ex qua compactus fuit [9]. Vox eadem pulchrum ſignificat, ſi eam ab Ethiopica Lingua deducas.

ET PRÆSIT PISCIBUS MARIS, &c.] Hebraice habemus, *& præſint*, numero multitudinis. Sacri Auctoris ob oculos verſabantur, & vir, & mulier, licet nondum de hac verba fecerit; vel ad univerſum hominum naturam animum advertit, atque ad omnem Adæ poſteritatem, quæ huic ſuccedere debebat in omnium animantium imperium. Verum propter ſcelus imperii hujus jacturam ſubivimus, quod nos animantium dominus conſtituebat; ac quod vix retinemus reliquum, infirmum eſt, & coacti ſumus omnes nervus intendere, vel ut illa ſubjiciamus, vel ut eorum a nobis imperium propulſemus.

A

Quæritur autem, utrum virulenta animalia, cum feritate ſua, atque veneno fuerint creata? utrum ab initio eſſent plantæ veneno infectæ, utrum virus eſſet herbis quibuſdam, utrum roſæ ſpinas ferrent, ac ullæ arbores graveolerent?

Veteres plerique omnes ex Patribus [10] tenent, bruta, quæ hodie hominibus noxia ſunt, ante ſcelus Adæ fuiſſe innoxia; ac donec ille Deo paruit, belluas quoque homini paruiſſe: at ſimulac ille a ſuo Creatore defecit, animantia quoque hominis imperium

B

detrectaſſe. Deus nihil in rerum natura immutavit [11], neque effecit ut quod bonum erat in improbum converteretur, & de eo, quod ſpecioſum erat, aliquid ſpeciei deperiret. Verum immutatio omnis penes hominem fuit; ita ferme, ut eſcam nullo ſapore conditam, ac inſalubrem ægro videri intuemur; quæ bene valenti jucunda fuerat, & ſalutaris. Quod nobis in natura deforme, ac pravum videtur, quamdam venuſtatem habet, ac reconditum uſum, quem ſane admiraremur, ſi nobis divinitus ille oſtenderetur. Demum concludit Moyſes omnium operum Dei narrationem his verbis: *Et vidit Deus, quod eſſet bonum.* Nihil igitur pernicioſum, malum nihil in cunctis Dei operibus habetur.

Quoad plantas venenatas attinet, S. Baſilius [12],

C

ac S. Ambroſius [13] minime dubitare videntur, quin tales creatæ fuerint, quales & hodie ſunt; verum innoxio homini minime erant noxiæ, ſeu propter eximiam corporis illius conſtitutionem; ſeu quod cum illi intus, & in cute perſpecta, atque explorata eſſet natura, ac vis omnium plantarum, iis non uti poterat, quas perniciem noverat allaturas; vel ſi quibus forte uſus fuiſſet, illi præſto erant antidota, ut tuto ac celeriter pernicioſos earum vitaret effectus. Quædam extant plantæ, quæ animantibus quibuſdam lethales ſunt, quibuſdam vero ne minimum quidem afferunt detrimenti. S. Baſilius [14] addidit roſas ante culpam minime ſeptas fuiſſe ſpinis; at oppoſita fuit S. Auguſtini ſententia [15], qui e rubis ipſis, ac vepribus aliquid emolumenti hauriri poſſe ar-

D

bitratur. Quædam enim animantia carduis veſcuntur; ac præterea lexcenta ſunt, quorum uſum ignoramus, quæ tamen nec mala habenda ſunt, neque inutilia. Vide *Geneſ.* 3. 18.

℣. 27. MASCULUM, ET FOEMINAM CREAVIT EOS.] Deus unum dumtaxat virum, ac unam mulierem condidit. Ex reliquis animantibus plura fortaſſe quam bina in ſingulas ſpecies creavit; at non ita viros plures, vel fœminas. Utrumque ſexum die ſexta creavit, licet Moyſes ſeorſim modum referat, quo mulier creata fuit, atque poſt diei ſextæ hiſtoriam. Niſi enim uterque eadem die creati fuiſſent, haud equidem dicere potuiſſet Deus: *Creſcite, & multiplicamini*; atque alioquin ipſum aliquid poſt diem ſeptimam quietis produxiſſe, dicendum eſſet.

E

Vetus eſt Fabula in Sympoſio Platonis relata [16], Deum initio tres hominum ſpecies ediſiſſe: marem ſcilicet, fœminam, & aliud aliquid ex utroque conflatum, nempe androgynum, duo habentem corpora ſibi invicem a tergo adhærentia, quatuor pedes, toti-

1 Orig. l. 6. contra Celſ. & hom. 1. in Geneſ. Vide & Platon. in Phædro p. 79. 80. 95. & Philon. de opificio mundi p. 33. 2 Chryſoſt. Severian. Gabal. Cyrill. Alex. Aug. l. 6. de Gen. ad litt. c. 27.
3 2. Cor. 3. 18. collatum cum ad Coloſ. 3. 10. Epheſ. 4. 24. & 1. Petri 1. 4.
4 Vide Auguſt. l. 7. de Trinit. c. 6. 5 Tertull. l. de Reſurrect. c. 5. *Ad imaginem Dei fecit hominem, ſcilicet Chriſti, ita limus ille jam tum imaginem induens Chriſti futuri in carne, non tantum Dei opus erat, ſed etiam pignus.* 6 Theodoret. Interrog. 20. in Geneſ. Diodor. Tarſ. apud Theodoret. Chryſoſt. homil. 10. in Geneſ. Iſidor. Peluſ. l. 3. ep. 95. 7 Eccli. 17. 3. 8 Clem. Alex. l. 5. Strom. Vide & Platon. in Timæo & Philon. de opificio mundi p. 15. 9 Joſeph antiq. l. 1. c. 1. [illegible]
12 Vide Chryſ. hom. in Pſalm. 148. Aug. l. 1. de Geneſi contra Manich. c. 18. & l. 1. contra Julian. & alios Græcos & Latinos paſſim. 11 Theodor. interrog. 18. in Geneſ. 12 Baſil. hom. 5. in Hexaemer.
13 Ambroſ. l. 3. Hexaemer. 14 Baſil. ibid. 15 Auguſt. l. 3. de Geneſi ad litt. c. 18.
16 In Sympoſio p. 190. 191.

totidemque manus, ac omnia duplicata membra præſeferentem.

Alii, puta Eugubinus [1], ac Rabbini quidam [2] credidere, Deum viri, ac mulieris corpora ad latus ſibi cohærentia feciſſe, quæ mox per Adæ ſomnum diviſerit, quam ſententiam fulcire nituntur ex iis, quæ capite ſecundo ℣. 21. Hebraice leguntur [3]: *Et tulit unam (fœminam) de latere ejus, & replevit carnem pro ea*. Sejunxit ab hominis latere mulierem, & in locum illius carnem ſubſtituit.

Ridiculum hoc commentum Moyſes ipſe refellit, cum ait Deum eos creaſſe maſculum, & fœminam *creavit eos*, non autem *creavit eum*, quemadmodum dicendum fuiſſet, ſi viri, & mulieris corpora in creatione ſimul conjuncta fuiſſent. Origenes [4], Sanctus Chryſoſtomus [5], Sanctus Thomas [6], aliique nonnulli putant fœminam die ſeptima tandem creatam fuiſſe, quod quidem toto cœlo abhorret ab ea ſententia, quam modo diluimus: at ea ſententia, quæ ſexta die Adam, & Evam creatos fuiſſe tenet, plures jactitat ſectatores. Talmudiſtæ immanis adeo magnitudinis Adam fuiſſe ajunt, ut ab una ad alteram extremam terræ partem pertingeret; at poſt illius lapſum a Deo valde fuiſſe imminutum, quod tamen minime obfuit, quo minus adhuc, auctore Iohanne Lucidio Chriſtiano, omnium gigantum maximus eſſet, quod ex Ioſue probat 14. 15. ubi hæc legimus: *Adam maximus ibi inter Enacim ſitus eſt*. At verum hujus loci ſenſum alibi diſcutiemus.

Alii Rabbini inquiunt a Deo duas conditas fuiſſe mulieres ab initio, quarum altera *Lilit*, *Eva* altera vocabantur. Prior quidem eodem modo, ac Adam, & cum ipſo de terræ limo creata fuit; altera vero de illius carne, & latere educta, cujus creatio Geneſis 2. 28. refertur. De priori illa ne verbum quidem Scriptura facit: verum plurima Judæi Doctores venditant, & hanc eam eſſe contendunt, de qua loquitur Iſaias c. 34. 14. Hæc autem viri ſui imperium detrectaſſe dicitur, atque ab Adam per divortium ſeceſſiſſe, atque recens natis filiis necem inferre conatam fuiſſe [7].

Benedixit illis.] Benedictio, quam Deus viro, ac mulieri impertitur, nequaquam in fœcunditate, cæteriſque dotibus corporis dumtaxat eſt poſita, puta pulchritudine, ac valetudine; ſed ſpectat præcipue naturalium, ac ſupernaturalium animæ munerum affluentiam, ſcientiam videlicet, æquitatem, innocentiam, ſpiritus in corpus imperium, juſtamque corporis ſpiritui obedientiam; perfectum erga Deum amorem, atque integram voluntati illius ſubmiſſionem; eximias ſane dotes, quibus homo per peccatum ſpoliatus fuit.

Creſcite, et multiplicamini.] Hebræi [8] hoc ad litteram explicant, veluti præceptum, quod non ad Adam ſolum, ſed ad omnem illius poſteritatem attineat; ac docent, eum, qui viceſimum natus annum, nondum uxorem duxerit, hoc præceptum infringere. Plerique vero putant virum dumtaxat, non mulierem hac lege teneri. At hoc juſſum, quo Adam ad conjugium compellebatur, nequaquam omnes & ſingulos ex illius minoribus obſtringit; ſolum ſpecies tota generatim cavere debet, ne humanum genus intermoriatur; quod ſane minime verendum eſt, cum homines adeo fuerint multiplicati.

Evanuit ratio, qua Adam primique ejus liberi ad nuptias adigebantur, neque amplius pacto eodem omnes homines uxores ducere tenentur. Plato [9] nobis ait ab interitu vindicandam eſſe hominum naturam per filiorum generationem, qui poſt parentum obitum numini valeant famulari; ac eos, qui uxores non duxerint, ærario, ac magiſtratibus ſolvere jubet tantam auri vim, quantam in uxoribus alendis impenderent, atque hoc pacto injuriam cœlibatu ſuo Reipublicæ illatam erogata pecunia reparare.

Replete terram, et subjicite eam.] Chaldæus vertit: *Communite vos ſuper terram*; eam in ditionem veſtram redigite. Syriaca verſio; *domate eam, ſubigite*, eam vobis trado. En imperii noſtri in animantia, totamque terram, ac mare nomen. Niſi homines ab officio erga Conditorem ſuum receſſiſſent, neque per ſummum nefas ſe ſe morti, atque mundi concupiſcentiæ obnoxios præbuiſſent, haudquaquam hæc bonorum, malorumque diſpar adeo cerneretur diſtributio: nullæ de meo, ac tuo contentiones (nimium heu frequentes!) obſtreperent; victuriæ, victorumque nomina minime perſonarent; non bella, non prœlia, non depopulationes, non rapinæ audirentur; omnia eſſent communia; cumque omnes æqua poſſeſſione his fruerentur bonis, nemo eſſet calamitoſus, nemo egeſtate laboraret, nemo flagraret invidia. Neque inæqualitas, ac diſparitas cultus, bonorumque facta fuiſſet unquam malum in corrupto mundo neceſſarium.

℣. 29. Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, et universa ligna . . . ut sint vobis in escam.] Locum hunc cum cap. 9. 3. conferre ſufficit, ubi Deus alloquens Noe, illi poſt diluvium carnium eſum permittit; ut judicium ferre poſſis, magnum intereſſe diſcrimen inter ea, quæ iſtic Adæ permittit Deus, & ea, quæ Noe poſteriſque illius poſt diluvium concedit. Plantas hic, legumina, fruges, & fructus permittit; ibi vero: *Omne*, inquit, *quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum; quaſi olera virentia tradidi vobis omnia*. Pleriſque Patrum [10], ac Interpretum perſuaſum eſt ante diluvium carnibus veſci minime licuiſſe. Legimus etiam apud auctorem quæſtionum, quæ S. Iuſtini martyris nomine circumferuntur [11], veteres quoſdam crediſſe, hominem ante diluvium non fructibus, non carne, ſed herbis dumtaxat, & leguminibus uſum fuiſſe. Soli fœcunditas, plantarum ubertas, humani corporis robuſta habitudo, & parvus animantium numerus ab initio, præcipuæ rationes ſunt, quibus hæc innititur ſententia, quæ deprehenditur etiam in veteri populorum traditione, atque in idea, quam ſibi animo propoſuerunt, de aurei ſæculi felicitate, quod a nobis ſtatus innocentiæ appellatur; ubi herbis, quas ſponte ferebat tellus, quæ nullo exerceretur aratro, veſcebantur; uti quoque ſylveſtribus pomis, moris, glandibus, aliiſque eſcis, quas nullo cogente ex ſe met benigna tellus gignebat [12].

Poſtquam etiam carne veſci licuit, non admodum frequentem illius uſum fuiſſe conſtat. Cum enim in parvo eſſent numero domeſtica animantia, cumque eorum opera adeo eſſet neceſſaria, homines temperabant, quo minus illa enecarent; ſed potius & piſcibus, & belluis, quas venabundi capiebant, veſcebantur. Ægyptiis [13] animantia quædam, ex quibus fructum, & operum ſummam utilitatem percipiebant, adeo erant in pretio, ut poſtquam lege primum caverint, ne quis illa interficerent, poſtmodum ea veluti numi-

1 Eugub. in Coſmopœja. 2 R. Samuel, Manaſſe Ben-Iſrael, Maimonides. 3 ויקח אחת מצלעתיו
4 Origen. in Geneſ. hom. 2. 5 Chryſoſt. in Geneſ. hom. 15. 6 D. Thom. 1. par. quæſt. 73. art. 1. ad tertium. 7 Buxtorſ. ſynag. Judæor. c. 2. & noſtrum Commentarium in Iſaiam 34. 14.
8 Apud Seld. de jure natur. & gent. l. 5. c. 5. 9 Plato de Legib. apud Clem. Alex. l. 3. Strom.
10 Origen. hom. 1. in Geneſ. Chryſoſt. hom. 27. in Geneſ. Theodoret. quæſt. 39. & 55. in Geneſ. Hieronym. l. 1. adverſ. Jovin. 11 Quæſt. 119.
12 *Contentique cibis nullo cogente creatis,*
Arbuteos fœtus, montanaque fraga legebant,
Cornaque & in duris hærentia mora rubetis,
Et quæ deciderant patula Jovis arbore glandes.
. . . . Ovid. 1. Metam.
13 Diodor. Sicil. l. 2.

numina fuerint venerati. Alibi oſtendimus [1] Athenis lcgem rogatam fuiſſe, qua capite damnabatur, ſi quis aliquod ex iis animantibus interemiſſet, quæ ad agros excolendos adhiberentur; atque Plinius, velut prodigium aliquod illius nomen refert, qui primus bovem occidit in Græcia [2]. Quin immo Auctor idem Romæ agricolam exilio mulctatum fuiſſe narrat, quod taurum laborum ſuorum ſocium mactaſſet [3]. Impium enim habebatur comedere magnorum animalium carnes, ne ſaltem Deorum cuipiam fuiſſent immolata. Deus in Lege præcepit [4], ut quæcumque enecanda eſſent animalia ad ſui tabernaculi oſtium deducerentur.

Bochartus [5] ante diluvium carnis uſum licuiſſe cenſuit, omneſque promiſcue carnes comediſſe arbitratus eſt. Ait enim hæc ℣. 29. verba, *hæc ſint vobis in eſcam* non referri dumtaxat ad olera, & fructus, de quibus in eodem verſiculo eſt ſermo, verum etiam ad animantia, quæ præcedenti verſiculo memorantur. Addit ad hæc, Abel numquam oblaturum fuiſſe Deo ſacrificia, niſi victimarum carne veſci licuiſſet, & nequicquam oves, & agnos fuiſſe innutriturum, niſi A integrum illi fuiſſet eoſdem in eſcam occidere.

Reſpondetur primo, veritati quidem conſentaneum eſſe, impios, quibus nulla præter propriam cupiditatem lex erat, ab eſu carnium ante diluvium minime temperaſſe: verum aſſerimus, ex Scripturæ verbis ne ſuſpicionem quidem ſuboriri poſſe, quod juſti ex iis umquam comederint. Secundo, Abel holocauſta dumtaxat forte obtuliſſe, ideoque minime inferendum victimarum ſuarum carnes manducaſſe. Tertio, Sacrificia illius nequaquam fortaſſe cruenta fuiſſe; lac enim, ac vellera tantum offerre poterat. Quarto, utilitatem quæ ex lana, & lacte domeſticorum animantium cedit, tantam eſſe, ut merito illis paſcendis impendas operam, quin eadem in epulas mactes. Strabo [6] equidem, plurimas eſſe Maſſagetis oves refert; verumtamen numquam ab illis occidi, ut ex lana, ac lacte quæſtum B facere poſſint. Satis eſt oculos in Hebraicum loci hujus textum conjicere, ut luce clarius innoteſcat, Moyſem omnino oppoſitum aſſerere ab eo, quem illi ſenſum vellent obtrudere, neque in allatum ſenſum poſſe detorqueri, quin addantur verba, non equidem neceſſaria, quæ ſententiam corrumpant [7].

1 Geneſ. 9. 3. 2 *Animal occidit primus Hyperbius Martis filius, Prometheus bovem.* Plin. l. 7. c. 56.
3 *Socium enim laboris, agrique culturæ habemus hoc animal, tantæ apud Perſas curæ, ut ſit inter exempla damnatus a Populo Romano die dicta, qui occiderat bovem, actuſque in exilium tamquam colono ſuo interempto.* Plin. l. 8. 45. 4 Levit. 17. 3. 5 De Animalibus ſacris part. 1. l. 1. c. 2.
6 L. 11. p. 358. 7 הנה נתתי לכם את כל עשב זרע זרע אשר על פני כל הארץ .. ולכל חית הארץ את כל ירק עשב וגו *dedi vobis omnem plantam afferentem ſemen ſuper terram, & omnem arborem ferentem fructum; & cunctis animantibus terræ, omnique volucri cœli omnem herbam, ut habeant ad veſcendum,*

CAPUT SECUNDUM.

Hiſtoriæ creationis Mundi concluſio. Dies ſeptimi requies. Viridarii Edem deſcriptio. Adam animantibus nomen imponit.

℣. 1. IGitur perfecti ſunt cœli & terra; & omnis ornatus eorum. 2. Complevitque Anno Mundi 1.
Deus die ſeptimo opus ſuum quod fecerat: & requievit die ſeptimo ab univerſo Ante Jeſu
opere quod patrarat. 3. Et benedixit diei ſeptimo, & ſanctificavit illum: quia Chr. 4000.
in ipſo ceſſaverat ab omni opere ſuo quod creavit Deus ut faceret. 4. Iſtæ ſunt generatio- ante æram
nes cœli & terræ, quando creata ſunt, in die quo fecit Dominus Deus cœlum & terram: vulgarem 4004.
5. & omne virgultum agri antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis priuſ-
quam germinaret: non enim pluerat Dominus Deus ſuper terram, & homo non erat qui
operaretur terram: 6. Sed fons aſcendebat e terra, irrigans univerſam ſuperficiem ter-
ræ. 7. Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem
ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem. 8. Plantaverat autem Do-
minus Deus paradiſum voluptatis a principio: in quo poſuit hominem quem formaverat.
9. Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum
ſuave: lignum etiam vitæ in medio paradiſi, lignumque ſcientiæ boni & mali. 10. Et
fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradiſum, qui inde dividitur in
quatuor capita. 11. Nomen uni Phiſon: ipſe eſt qui circuit omnem terram Hevilath,
ubi naſcitur aurum. 12. Et aurum terræ illius optimum eſt: ibi invenitur bdellium, &
lapis onychinus. 13. Et nomen fluvii ſecundi Gehon: ipſe eſt qui circumit omnem ter-
ram Æthiopiæ. 14. Nomen vero fluminis tertii, Tigris: ipſe vadit contra Aſſyrios.
Fluvius autem quartus ipſe eſt Euphrates. 15. Tulit ergo Dominus Deus hominem, &
poſuit eum in paradiſo voluptatis, ut operaretur & cuſtodiret illum. 16. Præcepitque
ei dicens: Ex omni ligno paradiſi comede: 17. de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne
comedas: in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris. 18. Dixit quoque
Dominus Deus: Non eſt bonum eſſe hominem ſolum: faciamus ei adjutorium ſimile ſibi.
19. Formatis igitur Dominus Deus, de humo cunctis animantibus terræ, & univerſis vo-
latilibus cœli, adduxit ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea: omne enim quod voca-
vit Adam animæ viventis, ipſum eſt nomen ejus. 20. Appellavitque Adam nominibus

ſuis cuncta animantia, & univerſa volatilia cœli, & omnes beſtias terræ: Adæ vero non inveniebatur adjutor ſimilis ejus. 21. Immiſit ergo Dominus Deus ſoporem in Adam: cumque obdormiſſet, tulit unam de coſtis ejus, & replevit carnem pro ea. 22. Et ædificavit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem: & adduxit eam ad Adam. 23. Dixitque Adam: Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur virago, quoniam de viro ſumpta eſt. 24. Quamobrem relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ: & erunt duo in carne una. 25. Erat autem uterque nudus, Adam ſcilicet & uxor ejus, & non erubeſcebant.

℣. 1. COELI, ET OMNIS ORNATUS EORUM.] Septuaginta, & vulgata *ornatum* reddidere, hebraicam vocem *Zaba* [1], quæ paſſim exercitum ſignificat, perinde ac vellent innuere, res creatas adeo concinne, & apte in Mundo fuiſſe diſpoſitas, ac aciem ad prœlium inſtructam. Autumant complures iſtic cœlum cum ſyderibus eſſe intelligendum, quæ paſſim cœleſtis vocantur exercitus [2]: *Tu feciſti cœlum, & cœlum cœlorum, & omnem exercitum eorum*. Hic cœleſtis exercitus nonnumquam vocatur etiam vis, vel virtutes cœlorum [3]. Denique nomine exercitus cœli Angelos quoque intelligere poſſumus [4]: *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium ſuum, & omnem exercitum cœli aſſiſtentem ei a dextris, & a ſiniſtris*; & S. Lucas [5] hæc habet: *Et ſubito facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cœleſtis laudantium Deum*.

B ℣. 2. COMPLEVITQUE DIE SEPTIMO OPUS SUUM.] Septuaginta [6], & Syriaca verſio habent, *ſexto die*. Verum Hebraicus textus, veteres Græci traductores, Samaritanus, Arabus, Chaldæus una cum vulgata legunt *die ſeptimo*; uti quoque Jeſu Chriſti ævo Judæi legebant, uti videre eſt in S. Barnabæ epiſtola. Credi poteſt Librariorum errore in Septuaginta verſionem *diem ſextum* obrepſiſſe, ne cogerentur aſſerere, Deum die ſeptima laboraſſe, ſi die ſeptima opus ſuum diceretur expleſſe. Ut autem commentitium hoc evitaretur abſurdum, Judæi, atque nonnulli Interpretes hunc locum torquent, qui revera nihil aliud ait, quam quod ex eo extorquere conantur, Deum videlicet extra diem ſeptimum ab opere ceſſaſſe, nihilque novi ea die produxiſſe.

C Quæritur iſtic utrum e Moyſis narratione ſucceſſiva creatio arguenda ſit, an ſimultanea? utrum ſcilicet res creatæ, in eo, quem modo obtinent perfectionis, ſtatu, omnes ſimul, uno eodemque momento, an vero per ſeptem dierum intervallum conditæ fuerint. Deum quidem ſolo fiat, ſimpliciſſimo nempe ſuæ omnipotentis voluntatis actu e nihilo totam mundi materiam uno eduxiſſe momento, plerique omnes Interpretes docent: verum cum propoſitam quæſtionem ad trutinam vocant, abeunt in diverſa; alii ſiquidem [7] opinantur continenti ſex dierum intervallo, ſenſiles circumſtantias numeris ſuis fuiſſe abſolutas, quorum ſententiæ Moyſis narratio, quæ Gordianum videtur nodum abſcindere, ſuffragatur. Optime ſane perſpicitur, Chaos expediri minime potuiſſe, niſi per pluſimorum, diverſorumque motuum decurſum, qui eterogeneas ſecrevere partes, homogeneas vero copulavere, ut Cœli, Aſtra, Aquæ, Tellusque coaleſcerent: quæ omnes diverſæ partes ab invicem ſe ſe, ut oportuit, expedire minime potuerunt, atque hunc ordinem, quem maxime decuit, ſortiri, niſi aliquantulum temporis ſpatium elaberetur.

D Verumtamen haud inficiamur quidem, Deum omnipotentiæ ſuæ vi ſuccedaneis his motibus, quibus homogeneæ, vel eterogeneæ materiæ partes, vel ſuſ-

A que deque agitatæ fuerunt, vel in ordinem compoſitæ, ſupplere potuiſſe. Verum miracula ſine neceſſitate minime ſunt multiplicanda, tunc præcipue, cum textus Scripturæ nos cogat in eam ſententiam, quæ minimum vel naturæ Legibus, vel Dei majeſtati adverſetur. Fatemur quoque Deo uni acceptum eſſe referendum motum materiæ inditum, atque ſupremæ ipſius Sapientiæ juſſu omnes mundi partes efformatas, atque in eum, quem admiramur ordinem diſpoſitas; ne quis nos inſimulet, quod hæc omnia motui mere naturali tribuamus. Fatemur denique etiam, præter haſce omnes res, quæ certo naturæ motu, ac juxta naturales leges divinitus conſtitutas efformatæ videntur, alias eſſe innumeras, quæ eſſe nequeunt, niſi opus peculiaris voluntatis illius, qui hominem creavit, animan-

B tia, plantas, & qui partes, organa, & facultates tanta arte, ac ſapientia diſpoſuit, ut quibuſdam legibus, quæ humani prorſus intellectus aciem exſuperant, ſui ſimilem procreare, ſeſe multiplicare, atque ſervare unaquæque commode poſſit.

Philo [8], Origenes [9], S. Auguſtinus [10], ac recentiores quidam [11] veriti, ne ex ſucceſſivæ creationis ſententia, aliquid inferri poſſet, quod Creatoris officeret immutabilitati, atque Omnipotentiæ, perinde quaſi omne opus ſuum uno ictu abſolvere minime valens, aliis, atque aliis ſubinde temporibus peragere debuiſſet, ac demum ſeptima die velut tanto defatigatus labore conquieſcere, credidere, in univerſa hac narratione Moyſem ordinis, ac rationis tantum ſucceſſionem ſignificaſſe, atque de ſuccedanea tantum creatio-

C ne locutum eſſe, ut ad populi captum ſe ſe dimitteret, & magis perſpicuam creationis ideam illi tribueret. Igitur debuit ille explicare, quemadmodum hæ partes cahos ſe mutuo expedierint, atque hunc fuerint ordinem ſortitæ, quem in toto terrarum orbe intuemur. Ad hoc animum advertit Moyſes in narratione ſua, verum rem aliter ſe habuiſſe dicendum eſt. Deus omnia ſimul creavit, ut ait, Sapiens: [12] *Qui vivit in æternum, creavit omnia ſimul*. Materia Omnipotentiæ nutibus ſemper obnoxia, nullo indigebat tempore, ut ad divinæ voluntati parendum ſe veluti inſtrueret; minimeque dignum eſt eo conceptu, quem de divina omnipotentia haberi fas eſt, affirmare, Deum per ſex dies haud intermiſſos laborem diluculo repetiiſſe, ac ſeptima tandem die opere defatigatum quieviſſe. Hæc

D locutionum genera, quæ pietati adverſantur, in æquiorem ſenſum ſemper ſunt explicanda.

Verum poſtremam hanc ſententiam Interpretum nemo fere unus amplectitur. Eccleſiaſtici enim locus nihil innuit præterea, quam Deum rerum creatarum omnium, nulla excepta, Creatorem fuiſſe [13]. Nonnullæ equidem in Moyſis narratione dicendi rationes videntur occurrere, quæ aptiorem poſtulant explicationem; fatemur ſiquidem in Mundi creatione Deum minime ſexies ad opus admoviſſe manus, neque indiguiſſe, ut ſeptimæ diei requie reficeretur. Verum quid

1 צבאם כל 70. πᾶς ὁ κόσμος αὐτῶν, Philo l. 1. alleg. Leg. initio Καὶ ἐτελέσθησαν οἱ οὐρανοὶ καὶ πᾶς ὁ κόσμος αὐτῶν. *Omnes militia eorum*. 2 2. Eſdr. 9. 6. Vide pariter Deuter. 17. 3. Iſai. 45. 12. Sophon. 1. 5.
3 Vide Pſalm. 32. 6. 102. 21. Luc. 21. 26. 4 3. Reg. 22. 19. 5 Luc. 2. 13.
6 Ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἕκτῃ. 7 Ita Patres & Interpretes paſſim.
8 Phil. allegor. l. 1. & de Mundi opificio p. 6. & 41. 9 Origen. l. 6. contra Celſum.
10 Aug. l. 4. de Geneſ. ad litt. c. 18. & ſeq. Eccl. 11. de Civit. Dei c. 7. & lib. 15. Conf. c. 29.
11 Cajetan. Melch. Canus. 12 Eccl. 18. 1. 13 Concil. Lateran. cap. *firmiter*. Ita & Interpr. in eum locum.

quid inde ? non idcirco, ordinem Moſaicæ narrationis abjicere cogimur, qui luce clarius ſucceſſivam creationem deſcribit. Aſſerere ſufficit, Deum liberrimæ ſuæ voluntatis conſilio optimum factu cenſuiſſe ſex dierum intervallum in creationis opus impendere, licet veram voluntatis illius cauſam ſcrutari minime valeamus.

Requievit ab universo opere.] Chaldæus reddit: *delectatus eſt Deus in opere ſuo*; perinde ac prævertere vellet ideam, quam quis concipere poſſet, textum ad litteram explicans de fatigato Deo, ac requie indigente.

Tamquam laſſati mollis imago Dei.

Deus eſſentialis eſt virtus, quæ infirmos regit, ac potentibus vires impertit; quæ numquam ab opere ceſſat, & cujus cooperatio in perenni rerum omnium productione, & conſervatione eſt vera actio, quæ omnem tollere debet mutationis ideam, perinde quaſi Deus agere inciperet, & ab agendo ceſſaret. Semper ſimul, & agens, & conquieſcens, omnium mutationum in natura auctor eſt, nulli ipſe, ne minime quidem, obnoxius immutationi.

℣. 3. Benedixit diei septimo,] Præ ceteris, qui præceſſere, diebus, ſeptimo diei plurimas large, effuſeque tribuit prærogativas, eique benedixit jam tunc eo conſilio, ut in Judæorum Religione quieti daretur, ſuoque cultui ſacer, agendis peculiari ritu ſolemniis institueretur.[1]

Patrum, necnon Judæorum Doctorum nonnulli Sabbathi benedictionem in eo poſitam fuiſſe arbitrantur, quod jam tum Deus eam diem cultui ſuo conſecrarit, quam ſemper inter primos homines juſtiſſimus quiſque, & etiam ante Moyſem Patriarchæ omnes ſanctiſſime coluerunt. Nec deſunt, qui ſeptimi diei religionem apud Ethnicos quoque ſolemnem fuiſſe putent, & traditionem hanc ab ipſis uſque Mundi incunabulis eſſe deductam. Manaſſes ben-Iſrael[2] Amſtelodamenſis Synagogæ Princeps, hanc veterem eſſe tradiſionem teſtatur, Abraham, ac poſteritatem illius, cum Creationis memoriam ſervaſſent, Sabbathum quoque coluiſſe, veluti ad illud naturali lege tenerentur; immo ea quæ infra *Geneſ.* 26. 5. dicuntur; *eo quod obedierit Abraham voci meæ, & cuſtodierit præcepta, & mandata mea, & cærimonias, legeſque ſervaverit*, ad Sabbathi obſervantiam referri arbitratur. Videri poteſt apud Seldenum, quænam[3] hac de re aliquorum aliorum fuerit ſententia.

Philo[4] ait, Sabbathum, non uni Populo, aut Regioni, ſed terris omnibus, ſolemnem fuiſſe diem, ac merito Feſtum publicum, atque Mundi natalitium diem poſſe vocari: atque alibi de Sabbatho verba faciens: *Quis hominum*, inquit, *ſingulis hebdomadis haud colat diem hanc, ita ſanctam, quæ requiem, pacemque non dominis modo, liberiſque viris concedit, ſed captivis etiam, atque animantibus?* Joſephus magis adhuc urgere videtur; *Nulla*, ait, *ſeu Barbarorum, ſeu Græcorum, ſeu aliarum Gentium urbs eſt, ad quam Sabbathi, qua quieſcimus die, Religio non pervenerit*. His vero auctoritatibus plurimi Auctorum tum Græcorum, cum Latinorum loci addi poſſunt, ubi videre eſt, quo cultu Ethnici quoque ſeptimam diem fuerint venerati. Ariſtobulus apud Euſebium[6] Homerum profert, ac Heſiodum, qui rem hanc palam videntur aſſerere, eamque a Moyſis libris hauſtam fuiſſe contendit. Heſiodus

A [7]: *primus, quartus, ac ſeptimus dies ſancti ſunt*. Et Homerus[8]: *ac ſeptima advenit dies, quæ ſacra eſt*: Et alibi[9]: *Septima dies erat, qua omnia completa fuere*. Linus[10] quoque ibidem citatus, hæc habet:[11] *Septima die omnia perfecta ſunt*; & alibi[12]: *ſeptima dies una eſt ex optimis diebus, eſt dies nativitatis, ex primis diebus eſt, ac dies perfecta*. S. Clemens Alexandrinus[13] eadem eſt in ſententia, ac allatus Ariſtobulus de die Sabbathi; adfert autem quædam veterum Poetarum teſtimonia, additque Solonis Elegias, quibus dies ſeptimus veluti eximiæ ſanctitatis dies commendatur. Adferuntur etiam quidam Latinorum auctorum loci, qui de Sabbathi obſervantia, tamquam de re apud Romanos vulgata loquuntur. Ovidius.

B *Nec te prætereat Veneri ploratus Adonis,*
Cultaque Judæo ſeptima ſacra viro.

Seneca[14] de quorumdam loquitur conſuetudine Sabbatho lampades accendendi, perinde ac ævo ipſius communem uſum obtinuiſſet[15]. Tertullianus[16] innuere videtur, Ethnicis diem Saturni, qui dies eſt Sabbathi, eodem ferme ritu, ac Judæos coluiſſe: *Non longe a Saturno, & Sabbathis veſtris ſumus*.

Ut autem omnibus hiſce auctoritatibus reſpondeamus, dicimus primo non omnium Rabbinorum eamdem eſſe de vetuſtate celebrationis Sabbathi ſententiam; ſed quamplurimos ex illis[17] aſſerere, hoc præceptum in *Mara* tantum, vel in *Sinai* tandem fuiſſe rogatum, neque obſervatum umquam fuiſſe, antequam Iſrael de Ægypto egrederetur. Secundo, Philo[18]
C in vita Moyſis ait, Iſraelitas oblitos, qua die Mundus ortus eſſet[19], quaque perfectus, cum ex ſenioribus haurire non poſſent, quo pacto hanc exſolverent difficultatem. id palam deinde intellexiſſe, cum Deus illis omnibus aliis diebus, Sabbatho excepto, mannam dimiſerit. Ex hoc Philonis loco lux poteſt accedere Auctoris ejuſdem teſtimonio ſuperius allato, ex quo conantur oſtendere, Sabbathum in toto terrarum orbe obſervatum fuiſſe, veluti feſtum diem ubique gentium communem.

Sabbathum equidem omnibus in terris feſtus eſt dies; is enim Orbis eſt dies natalitius[20], quo etiam nomine Philo ipſe alibi Sabbathum vocat: non inde tamen inferri licet, ubique locorum celebratum fuiſſe. Alter vero Auctoris ejuſdem locus, innuit dumtaxat, viros
D quoſdam, qui præ cæteris inter Gentes pietate excellebant, Sabbathi religionem, non ſecus ac alios nonnullos Judæorum ritus coluiſſe: at nihil addit præterea: & in Libro ſuo Decalogi refert quoſdam populos in ſingulos menſes ſemel tantum ſeptimum diem veneratos fuiſſe; Judæos vero ſingulis hebdomadis Sabbathum celebraſſe. Ethnici vero in Apollinis honorem, qui ſeptima die menſis natus fuerat, ſeptimum diem colebant; ideoque hujus ſolemnitatis longe alius erat apud Ethnicos, & Hebræos & cultus, & illius cauſa.

Tertio, quod ad Joſephi ſententiam attinet, reſpondemus, licet ceteræ nationes Sabbathum minime ignorarint, & quoſdam Judaicis ſimiles ritus ſervarint, non inde aſſerendum, eoſdem fuiſſe. Neque auctorem
E hunc propugnare poſſumus, quin alios omnes, qui illius ævo floruerunt, mendacii inſimulare velimus; qui fatentur quidem, Religioſos quoſdam viros juxta Judæorum cæremonias Sabbathum coluiſſe; verum ajunt

1 Tertul. l. 2 contra Judæos. 2 Lib. de Creat. Problem. 8. 3 Lib. 3. c. 13. de jure Nat. & Gent.
4 Philo de opificio mundi, & Vita Moſis lib. 2. 5 Joſeph contra Appionem lib. 11.
6 Apud Euſeb. Præparat. l. 13. c. 12. 7 Πρῶτον ἕνη, τετράς τε, καὶ ἑβδόμη ἱερὸν ἦμαρ.
8 Ἑβδομάτῃ δ' ἔπειτα κατήλυθεν ἱερὸν ἦμαρ. 9 Ἑβδόμη ἦμαρ ἔην καὶ τῷ τετέλεστο ἅπαντα.
10 Seu forte Callimachus, ut a Clemen. Alex. appellatur. 11 Ἑβδομάτῃ δ' αὖ τετελεσμένα πάντα τέτυκται.
12 Ἑβδόμη εἰν ἀγαθοῖσι καὶ ἑβδόμη ἐστὶ γενέθλη.
Ἑβδόμη ἐν πρώτοισι καὶ ἑβδόμη ἐστὶ τελεία.
13 Clem. Alexand. Strom. 5. 14 Seneca ep. 96. 15 *Accendere aliquam lucernam Sabbathis prohibeamus quoniam nec lumine Dii egent, &c.* 16 Tertul. ad Nation. l. 1. cap. 13. 17 Salomon Jarchi, & alii RR, apud Selden. l. 3. c. 13. de Jur. Nat. & Gent. 18 Philo de Vita Moſis lib. 2.
19 Τὴν τοῦ κόσμου γενέθλιον. 20 Τὴν τοῦ κόσμου γενέθλιον ἡμέραν, & Τὴν ἑορτὴν τοῦ κόσμου γενέθλιον. Id. In de Mundi opificio.

quoque [1] non defuiſſe, qui hac de re jocarentur, atque riderent, veluti ſingularem, novamque rem, cæteriſque hominibus inauditam.

Mathematici, & Aſtrologi ſeptimum, qui rei cujuſpiam initium ſubſequebatur, diem inſignem præ ceteris habebant; quæ eſt Poetarum, quos attulimus, ſententia; vel ſeptimum, uti diximus, menſis diem venerabantur, utpote Apollini ſacrum [2].

Denique ex iis omnibus, quæ hactenus dicta ſunt, minime inferri poteſt, Sabbathum vel ante Moyſis legem fuiſſe cognitum, vel ab Ethnicis fuiſſe obſervatum. Ipſamet Scriptura pluribus in locis [3] apertiſſime refert, morem hunc Iſraelitas ante Legem penitus ignoraſſe: quem ipſum Moyſes veluti mandatum recens proponit: & S. Juſtinus [4] tamquam certiſſimum aſſerit, Patriarchis, tum qui ante Diluvium floruere, tum qui Diluvium conſecuti ſunt, Sabbathum minime ſolemne fuiſſe; [5] quod ipſum non mediocris Patrum adſtruit caterva.

Illud porro magis, magiſque hanc ſententiam confirmat, quod ſcilicet & Scriptura, & Patres docent Sabbathum, & Circumciſionem ſigna fuiſſe dumtaxat, per quæ Judæi a cæteris populis dignoſcerentur. Ezech. 20. 12. *Sabbatha mea dedi ipſis, ut eſſent ſigna inter me, & ipſos*; atque ibidem ℣. 20. *Sabbatha mea ſanctificate, ut ſint ſigna inter me, & vos.* Moyſes ipſe in Deuteronomio [6] aſſerit palam Sabbathum in exitus de Ægypto memoriam fuiſſe inſtitutum. *Memento, quod & ipſe ſervieris in Ægypto, & eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti, & brachio extento. Idcirco præcepit tibi, ut obſervares diem Sabbathi.*

Sanctus Irenæus [7] utramque ex iis, quas attulimus, propoſitionem confirmat. Sabbathum nempe a Patriarchis nequaquam fuiſſe obſervatum, ac illud fuiſſe dumtaxat ſignum fœderis inter Deum, ac Iſraelitas: *Quod hæc in ſigna data ſunt Judæorum populo oſtendit ſcriptura, quod Abraham ipſe ſine circumciſione, & ſine obſervatione Sabbathorum Deo credidit, & amicus Dei vocatus eſt.* Vide Auctores, qui hac de re præſertim diſſeruere [8].

CESSAVERAT AB OMNI OPERE SUO, QUOD CREAVIT DEUS, UT FACERET.] Vulgata vere Hebraici textus vim expreſſit, qui ad litteram habet: *Ceſſaverat ab omni opere, quod creaverat, ut faceret*, vel *faciens*; hoc eſt, juxta nonnullos: Materiæ creationem abſolverat, quamque ſibi propoſuerat formam, illi jam erat impertitus; vel juxta alios; Perfecerat opus, quod fecerat, & crearat, vel quod adeo perfecte crearat. Septuaginta legunt [9]: *Requievit poſt omnia opera, quæ facere inceperat.* Rabbinus quidam apud Munſterum ait, ea textus verba, *quod creavit ut faceret*, quaſdam innuere creatas res, quas quidem imperfectas reliquerat Deus, cum præ temporis caritate ante diem Sabbathi minime potuiſſet abſolvere; quæ imperfectæ creaturæ familiares dæmones ſunt (ait), ſatyri &c. Meræ nugæ.

℣. 4. ISTÆ SUNT GENERATIONES COELI, ET TERRÆ.] Septuaginta [10]: Hic eſt liber generationis *cœli & terræ*. Hæc eſt narratio creationis Univerſorum, *in die quo*, videlicet, tempore *quo fecit Dominus cœlum & terram.*

℣. 5. ET OMNE VIRGULTUM AGRI, ANTEQUAM

A ORIRETUR IN TERRA, OMNEMQUE HERBAM REGIONIS PRIUSQUAM GERMINARET: NON ENIM PLUERAT DOMINUS DEUS SUPER TERRAM, ET HOMO NON ERAT, QUI OPERARETUR TERRAM; ℣. 6. SED FONS ASCENDEBAT E TERRA, IRRIGANS UNIVERSAM SUPERFICIEM TERRÆ.] Totus hic textus ſimul ſumendus eſt, ut ille rite queat explicari, utque oſtendi poſſit, quo pacto cum ſuperioribus, & cum iis, quæ ſubſequuntur, adnectatur. Hæc autem Auctori Vulgatæ ſententia mihi videtur fuiſſe. ℣. 4. Deus creavit cœlum, & terram, ℣. 5. & omnes plantas, ac herbas agri, antequam germinarent, vel e terra prodirent. Nulla enim vis eas gignere potuerat, antequam a Deo crearentur: nam pluvia nondum de cœlo deciderat, quæ terræ ubertatem poſſet conferre; cumque

B nondum creatus fuiſſet homo, nullo hominis labore, industria nulla juvari potuerant, ut orirentur: demum maximus invictuſque aderat obex, ne tellus ex ſe herbas proferre poſſet; quandoquidem aquis undequaque obruebatur: *Fons aſcendebat e terra*. Hebraicus textus verti poteſt: *aqua ſuper terram evehebatur, ac univerſam illius ſuperficiem obtegebat*. Terra aquis uſquequaque erat obruta; vide ſupra caput 1. ℣. 6. 7. 8. 9. Inferendum igitur erat, omnia ornamenta terræ a Deo creata fuiſſe; quandoquidem nulla antea exſtiterat cauſa, quæ aliquid potuiſſet proferre. Validum hoc, invictumque erat adverſus Ægyptiorum opinionem argumentum, qui, ut ſuperius docuimus, non aliam ferebant rerum producendarum cauſam, quam terram tepentem, atque humeſcentem. Patres

C quoque egregie in rem animadverterunt, ſapientiſſima Dei providentia factum, ut plantæ antequam Sol exiſterent, ne quis earum generationem Solis virtuti, vel Aſtrorum influxibus vertere auderet [11].

Nonnulli textum hoc pacto reddidere [12]: *Planta agri nondum erant in terra, & herbæ agrorum nondum germinaverant; eo quod nondum pluerat, & homo, qui terram exerceret nondum formatus erat, ſed vapor aſcendebat, & irrigabat omnem faciem terræ.* Moyſes lectoris animum præparaturus ad viridarii Edem deſcriptionem, atque illi cauſam traditurus, propter quam illud conſeverit Deus, hoc utitur proœmio: Deus licet plantas, & herbas die tertia creaverit, tamen terræ facies adhuc erat nudata; herbæ, & arbores nondum erant multiplicatæ; eo quod nondum pluvia deſcende-

D rat, & homo nondum plantas exercendo coluerat, quæ ſimplici vapore, ſeu rore alebantur, qui ſuper terram undique effundebatur. Hac de cauſa conſilium cœpit Deus, viridarium in Edem provincia conſerendi, illic hominem collocaturus, ut ibi jucundiorem ageret vitam, donec tellus plantis, pomiferiſque arboribus indueretur.

Hebraicus textus in hunc quoque ſenſum reddi poteſt: ℣. 4. *Ita creavit Deus cœlum, & terram, & plantas, antequam ſuper terram prodirent, & herbas, antequam germinarent; non enim Deus pluviam adhuc demiſerat, & nondum creatus fuerat homo, qui exerceret terram, terraque nondum vapores emiſerat, qui in ros, vel pluviam ſoluti, ac dilabentes, eamdem irrigarent.* Ut verſionem hanc, quæ ſane mihi melior videtur, ac litteræ propior, confirmemus, textui negatio

eſt ſu-

---

1 *Hodie tricesima Sabbatha: vin' tu*
Curtis Judæis oppedere?

Horat. Serm. l. Satyr. 9.

2 — Ἔβδομον ἱερὸν ἦμαρ.
Τῇ γὰρ Ἀπόλλωνα χρυσάορα γείνατο Λητώ.

Heſiod. in diebus.

3 *Super montem Sinai deſcendiſti, & Sabbathum Sanctum tuum notum feciſti eis in manu Moyſi ſervi tui*, 2. Eſdr. 9. 14. Vid. & Ezech. 20. 10. & Exod. 16. 22. 4 Juſtin. Dialog. cum Tryphone. 5 Vide Tertul. adverſ. Judæos c. 4. Euſeb. hiſt. Eccl. l. 1. c. 4. & Præpar. l. 7. c. 4. & Demonſtr. l. 1. c. 6. & in Pſal. 91. & Bernard. in Cant. Ser. 50. 6 Deuter. 5. 15. 7 Adverſ. hæreſ. l. 4. c. 30. 8 Vide Gomar. de origin. Sabb. c. 4. & Spencer. de Legib. Ritual. Hebr. l. 1. c. 4. & Selden. de jure Nat. & Gent. lib. 3. c. 10. in fin. 9 Κατέπαυσεν ἀπὸ πάντων τῶν ἔργων αὐτοῦ, ὧν ἤρξατο ὁ Θεὸς ποιῆσαι. 10 70. Αὕτη ἡ βίβλος γενέσεως. Aq. & Sym. αὗται αἱ γενέσεις τοῦ οὐρανοῦ, καὶ τῆς γῆς. 11 Vide Philon. de opificio Mundi p. 9. Baſil. homil. 6. in Hexaem. Chryſoſt. hom. 6. in Gen. Ambroſ. l. 3. in Hexaem. c. 6. & l. 4. c. 1.

12 וכל שיח השדה טרם יהיה בארץ . . . כי לא המטיר יהוה אלהים על הארץ ואדם אין לעבד את האדמה ואד יעלה מן הארץ והשקה את פני האדמה

eſt ſuperinducenda [1], & loco legendi *vapor aſcendebat*, legendum eſt, *terra nondum vapores emiſerat, qui in ros, atque pluviam ſoluti, ac dilabentes eamdem irrigarent*. Negatio vero deſumitur ex membro ſuperiori: *Homo non erat . . ., & fons*, vel *vapor (non) aſcendebat*. Plurima id genus exempla, ubi negationis ellipſis adſit, in Scriptura repereris. Exempli gratia Pſalmo 9. 17. *Non in æternum oblivioni erit egenus, afflictorum expectatio in æternum peribit*; ubi ſecundo membro addenda negatio eſt, & *afflictorum expectatio in æternum non peribit*; & in Pſalmo 43. 19. *& non receſſit retro cor noſtrum, & declinavit greſſus noſter a via tua*: pro *non declinavit*.

Hebræa vox Ed [2], quam Vulgata, & Septuaginta *fontem* reddidere, ab Aquila vertitur [3] inundatio, ſcatebra; a Chaldæo vero, aliiſque plurimis *de nube* intelligitur. At plerique de vaporibus, qui in aera extolluntur, explicant.

℣. 7. Formavit igitur hominem de limo terræ.] Hebraice ad litteram [4]: *Formavit Deus hominem pulverem terræ*; vel *formavit Deus hominem de pulvere terræ*. Vulgata Hebraicam vocem *Aphar limum* reddidit, eo quod arida, ac ſoluta pulvis minimum videbatur idonea, ut corpus organis ſuis præditum illinc effingeretur. Adam e virgine terra compactus erat alterius Adæ figura, qui erat ex Matre Virgine naſciturus [5]. Homines a Poetis e limo ſimulachra vocantur [6].

Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ.] Hebræus textus verti poteſt: *Inſpiravit in nares ejus ſpiraculum vitæ*. Reſpiratio eſt e præcipuis animalium operationibus, eaque præſertim per nares ſignificatur, quæ uſitatius organum ſunt, quo aer admittitur, emittiturque. Grotii ſententia eſt ex loco hoc ad litteram ſumpto animæ immortalitatem minime poſſe probari, ex quo vita dumtaxat animalis infertur. Profert autem nonnullos Scripturæ locos, ubi corporis mors per vitæ ſpiraculum, quod ab homine recipit Deus, ſignificatur [7]; imo Deum ipſum adfert hæc dicentem [8]: *Omnem carnem, in qua eſt Spiritus vitæ*.

Verum huic ſententiæ Patres adverſantur [9], qui animadvertunt per ipſum Dei ſpiraculum hominem fuiſſe animatum, humanoque corpori ſpiritualem inditam fuiſſe ſubſtantiam, omnino a corpore alienam, quæ immediate a Deo prodiit, atque ideo incorruptibilis eſt, ac immortalis. Hoc ipſum docuit Eccleſiaſtes [10]: *revertatur pulvis in terram ſuam, unde erat, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*. Immo ex hoc plane Moyſis loco Platonici [11], ac alii quidam Philoſophi ſententiam hanc eruere, animam ſcilicet hominis divinæ ſubſtantiæ eſſe particulam. Horatius [12].

--- quin corpus onuſtum
Heſternis vitiis, animam quoque prægravat una,
Atque affigit humo divinæ particulam auræ.

Quidam ex Patribus [13] pro hoc vitæ ſpiraculo Spiritum ſanctum, & ſanctificantem; quem Adæ inſpiravit Deus, intellexere, per quem vitam animæ tribuit, juſtitiam, innocentiam, & gratiam. Verum hæc, licet vera, ac recta explicatio, velut litteralis loci hujus expoſitio nequit haberi: nam propter hanc ſpiraculi vitæ inſpirationem, homo animal vocatus eſt: *Factus eſt homo in animam viventem*.

Factus est homo in animam viventem.] Homo in perfecto ſtatu creatus fuit, vitæ plenus, & ad quæcumque naturæ ſuæ propria munia peragenda idoneus. Verti poſſet [14]: *Factus eſt in ſpirationem vitæ*: reſpirandi facultatem, ac vitam accepit. Chaldæus vertit: *Factus eſt ſpiritus loquens*: videlicet; ſpiritu, ac loquela donatus fuit. Reſpiratio, & ſermo ſunt vitæ operationes, quæ pro eadem vita uſurpantur.

Ecce autem veram hominis originem, quem eo ignorantiæ deveniſſe turpiſſimum eſt, ut ſuæ originis oblitus fuerit. Poetæ cachinnos ferme eliciunt, cum hominis ortum deſcribunt, perinde ac ex recenti, & adhuc cœleſtis ſeminis fœcunda extiterit terra, vel quaſi a Prometheo e molli, dilutaque argilla effictum, atque igne de cœlis ſurrepto animatum [15]. At longe magis ridiculum illud eſt, quod de Deucalione, & Pyrrha comminiſcuntur, qui poſt diluvium, poſt tergum lapidibus jactis homines procrearunt [16].

Philoſophi nihilo ſecius ac Poetæ hac in re longiſſime aberrant a veritate. Alii enim Mundum æternum eſſe opinati ſunt, quin umquam primum fuiſſe hominem, dici queat [17]; quam ut ſententiam confirment magna in medium afferunt nomina, Pythagoræ, Cereji, Architæ, aliorumque ex Pythagoræorum grege; nec non Plato, Xenocrates, Dicæarchus, Ariſtoteles, Theophraſtus, aliique plurimi Peripatetici, qui docuere infinitam adfuiſſe generationum revolutionem, ac ambitum, quibus mutuo ſibi ſuccedentibus, nullum umquam principium earum poſſit aſſignari. Alii vero, qui Mundi originem ſtatuerunt, haud rectius tamen diſſeruere. Quænam Ægyptiorum ſententia fuerit, ſuperius intuiti ſumus; nihil fere abſimile apud Græcos docuit Anaximander; & Empedocles, quem laudibus extollit Lucretius, neſcio quid magis adhuc a fide abhorrens commentus eſt. Arbitratur autem, hominem non ſtatim perfectum a terra fuiſſe genitum; ſed cum plurima diverſis in locis membra fuiſſent efformata, hæc caſu aliquo in corpora coaluiſſe, atque hinc homines, ac mulieres prodiiſſe, ex quibus naturali deinceps generatione univerſum humanum genus effectum eſt.

Epicurus credidit, terram humentem, ac Sole tepefactam in ſinu ſuo pueros efformaſſe, quos aluit humore quodam lacti ſimillimo; qui Terræ filii, cum adoleviſſent, alios ex ſe viros procrearunt. Veræ hominum originis ignorantia cauſa fuit, quamobrem tot fabulas ſuper quorumdam populorum antiquitate venditarint, & quæ fidem adſtruit, integras gentes ex ea, quam incolebant, tellure ortas fuiſſe, quo inſa-

1 Vide Saadia apud Kimchi & alios. 2 אד
3 Aquil. Ἐπικλυσμὸς, alias, ἐπιβλυσμὸς. Scatebra, 70. Πηγή. 4 וייצר יהוה אלהים את האדם עפר מן האדמה
5 Iren. l. 3. c. 31. Tertul. de Carne Chriſti c. 17. 6 Ariſtophanes, πλάσματα πηλοῦ.
7 *Si ſpiritum illius & flatum ad ſe trahet, deficiet omnis caro ſimul*, &c. Job. 34. 14. & Pſalm. 103. 29. *Auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in pulverem ſuum revertentur*. Vide Eccleſ. 12. 7. Act. 18. 25.
8 Geneſ. 6. 10. 9 Philo de opificio mundi p. 31. & lib. de plantatione Noe p. 217. & l. quod deterius &c. p. 170. 171. Auguſt. l. 13. de civit. c. 24. & Cyrill. l. 12. in Johan. c. 56. Athanaſ. &c.
10 Eccle. 12. 7. 11 Plato Phædro p. 79. 80. 81. 95. & alibi ſæpius. 12 Horat. lib. 2 ſat. 2.
13 Ambroſ. l. de Paradiſ. c. 5. Baſil. in Pſal. 48. Cyrill. in Johan. c. 47. 14 ויהי האדם לנפש חיה
15 Ovid. l. 1. Metamorph.

Sanctius his animal mentiſque capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera poſſet;
Natus homo eſt: ſive hunc divino ſemine fecit
Ille opifex rerum, mundi melioris origo;
Sive recens tellus, ſeductaque nuper ab alto
Æthere, cognati retinebat ſemina Cæli.
Quam ſatus Japeto miſtam fluvialibus undis,
Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum.

16 *— Quo tempore primum*
Deucalion vacuum lapides jactavit in orbem,
Unde homines nati, durum genus.

17 Cenſorin. de Die natali c. 3.

niſſimo errore ducti Attici, Arcades, Theſſali, aliique plurimi ſe terra natos jactitarunt, eodemque nomine alios populos appellavere, quorum originem ignorabant.

Iſaac de Peirera, inſignis propter *Præadamitarum* librum, quem edidit in Hollandia anno 1652. conatur oſtendere ante Adam homines extitiſſe: Deum hos homines majori in copia ubique locorum creaſſe, ſexta creationis die, diutius antequam Adam crearetur, ad quam Præadamitarum creationem ea primi Geneſeos capitis verba ℣. 26. 27. applicat: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram: & præſit piſcibus maris, & volatilibus cœli, & beſtiis, univerſæque terræ, &c. & creavit Deus hominem ad imaginem ſuam: ad imaginem Dei creavit illum, maſculum, & fœminam creavit eos*: hoc eſt, juxta hujus auctoris mentem: tunc Deus ubique terrarum plurimos viros, mulieresque creavit, quemadmodum plurima cujuslibet generis animantia crearat. Diutius vero poſt creavit Adam, quod innuunt illa alterius Geneſeos capitis verba ℣. 7. *Et formavit Dominus Deus hominem de limo terræ: & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ*. Homines, qui ſexta die creati fuere, ii ſunt, ex quibus Ethnici originem deduxerunt; Adam pater fuit electi generis, Nationis Judaicæ. Moyſes nequaquam ſibi propoſuit generalem omnium hominum hiſtoriam conſcribere; ſed dumtaxat unius Hebraici populi geſtas res enarrare; de reliquis vero tunc tantum verba facere, cum ad ipſius propoſitum conducerent, atque cum aliquem cum Judaicis rebus nexum haberent.

Addit ad hæc, Diluvium Noe minime fuiſſe univerſale, ſed eas dumtaxat terras, quas incolebant Hebræi, aquis obrutas fuiſſe; ideoque nequaquam omnes terrarum populos a tribus Noe filiis Sem, Cham, & Japhet prodiiſſe: Adam quidem per inobedientiam in orbem terrarum ſcelus invexiſſe, eoque poſteros omnes infeciſſe; at Ethnicos, qui ex Præadamitis originem hauſerant, cum neque legem, neque mandata a Deo acceperint, nequaquam communi obnoxios fuiſſe crimini, licet ab aliis ſceleribus minime vacuos: quæ tamen ſcelera illis nequaquam erant expianda, quandoquidem ea, ut ita dicam, materialia erant errata, quibus nullam ſibi Deus injuriam inferri arbitrabatur, propter eorum, qui peccarunt, inſcitiam.

Auctor hic ſententiam ſuam ex D. Paulli verbis præcipue confirmabat [1]: *Uſque ad legem enim peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur, cum lex non eſſet; ſed regnavit mors ab Adam uſque ad Moyſem etiam in eos, qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ, qui eſt forma futuri*. Contendebat autem S. Paullum ibi loqui de lege Adæ tradita, & uſque ad ipſum peccatum in mundo fuiſſe, ſed minime fuiſſe imputatum, propter cognitionis defectum in illis, qui peccaverant. Alterum vero argumentum, veluti ſententiæ ipſius Achilles, a Chaldæorum, Ægyptiorum, Æthiopum, Scytharum, & Chinenſium petebatur hiſtoria, quos populos longiſſime ante ea tempora, de quibus loquitur Moyſes, vixiſſe affirmabat.

Doctrina hæc licet ineptiſſima maximos exciviт rumores in populis; atque maxime pernicioſa viſa eſt pluribus eruditis viris, ita ut ad eam evertendam omnes nervos intenderent. Urſinus, Upertus de Hannovera, Euſebius Romanus, & P. Alexander, ac alii nonnulli in hoc unum adlaborarunt, & Auctor ipſe Bruxellis deprehenſus, cum Condei Principis ope evaſiſſet, apud quem officio quodam fungebatur, Romam ſe recepit, ubi Calvini erroribus, quos antea profitebatur, palam abdicatis, librum ſuum, quem de Præadamitis conſcripſerat, reprobavit; quod ipſum edito ab ſe libello ſtuduit antiquare, ac denique apud Beatiſſimæ Virginis Virtutum, quo ſe contulerat, diem obiit.

A Temporum diviſio, quam ille admittit inter primorum hominum, & Adæ creationem, fabuloſa eſt, & commentitia; neque illi Scriptura, vel hilum, opitulatur; cum utrobique Moyſes aperte ſatis de creatione Adæ loquatur. Quod vero illic peccatum minime imputatum fuiſſe aſſerit, non impium ſolum eſt, ſed & irridendum. Hominibus enim numquam naturale defuit lumen, ac ſua conſcientia, quæ ſatis ſuperque fuerunt, ut bonum a malo poſſent ſecernere, quemadmodum S. Paullus prolixius in Epiſtola ad Romanos oſtendit: & loci ii, quibus Iſaac allatus perperam abutitur, ut fuco quodam ſuam ſententiam illiniat, palam ſatis de Moyſis lege diſſerunt, quam Apoſtolus paſſim *Legem* ſine addito appellat, tunc præcipue cum ei opponitur ſtatui, quem *Naturæ* dicimus,

B in quo non alia hominibus propoſita lex erat, quam ipſum lumen Naturæ. Demum allata Chaldæorum, ac Ægyptiorum antiquitas argumentum eſt, quod ex ſe corruit, quemadmodum & plurimi eruditi viri probarunt, & facile poteſt ex illis intelligi, quæ in Diſſertatione de Chronologia nos ipſi conſcripſimus.

Haud tamen Iſaac de Peirera primus fuit, qui doctrinam hanc de Præadamitis concinnarit. Legimus in libro Cozai, qui a commentitio Rege Cozar, inſane prorſus, conſcriptus fertur, apud Indos 100000. annorum ædificia extitiſſe; ibique ſermo quoque eſt, de quibuſdam veteribus libris, ubi memorabantur Janbuzar, Zagrit, & Roanne, qui Adæ ævo degebant; ex quibus Janbuzar Adæ ipſius præceptor fuiſſe narratur. Rabbinus Abrar aſſerit, Giafar, qui Turcarum

C Iman erat, vivebatque anno circiter 770. fuiſſe Præadamitam; quandoquidem ait tres jam fuiſſe Adam ante illum, de quo loquitur Moyſes, atque ſeptemdecim alios adhuc futuros eſſe; docebat enim totidem mutationibus Terrarum orbem obnoxium futurum, quas novum conſequetur hominum genus, ad Adæ, atque minorum illius, quos novimus, imitationem creandorum. Verum hæc omnia commenta miſſa faciamus, quæ ſatis eſt innuiſſe, ut quam levia, ac ridicula eſſent, intelligerentur. Si enim Peirera, qui palinodiam cecinit, ſi ejus ſingularis doctrina quinque millium annorum, ac ſupra, traditioni, Scripturæ, ac univerſæ antiquitati oppoſita, ſi demum ea omnia, quæ ab eruditiſſimis viris contra hujus Auctoris ſententiam, edita fuere, minime coercere valent, & aver-

D tere tot, tantaque mala, quæ hic error gignere poteſt, oleum operamque perderem, ſi ea refellere conarer. Non enim novum aliquid contra illum afferre valeo; atque ſatius eſt, ut per ſe conſeneſcat, & corruat. Non tamen deero, ut aliquando, veluti per tranſennam, nonnulla hujus auctoris ſomnia, vel potius deliria in medium proferam.

℣. 8. Plantaverat autem Dominus Deus Paradisum voluptatis a principio.] Nullam fortaſſe in Scriptura quæſtionem inveneris, quæ Scriptorum magis in diverſa jactarit ſententias, quam hæc de ſitu Paradiſi terreſtris; neque aliquid magis impeditiſſimam hujus materiæ difficultatem oſtendit, quam hæc ſententiarum varietas [2]; Hunc enim in tertio cœlo, in quarto, in cœlo Lunæ, in Luna eadem, in

E monte cœlo Lunæ proximo, in media aeris regione, extra terram, ſuper terram [3], ſub terra, in abdito loco, & procul ab hominum cognitione poſuerunt [4]. Alii eum ſub Arctico polo collocarunt, in Tartaria, eo in loco, quem modo mare Caſpium occupat; alii in extremam Meridionalem plagam rejecerunt, in Terram ignis: Plurimi in Oriente, vel ſecus Gangem, vel in Inſula Ceilani conſtituerunt, ipſum nomen Indiæ ab *Edem* deducentes. Non defuere qui hunc in Sinarum Regni Orientali plaga, inhoſpitoque loco ſtatuerint; alii in Armenia, in Africa alii ſub Æquatore [5]; alii ad Orientem Æquinoctialem; alii in monti-

1 Rom. v. 12. 13. 14.
2 Vide Huetium de Situ Paradiſi p. 4. 5. & Origeolan. l. 2. q. 12. art. 7. 8.
3 Baſil. hom. de Paradiſo, & Damaſc. l. 2. de Fide orthodox. c. 11. 4 Tertull. Apolog. c. 47. Aug. l. 8. de Gen. ad litt. c. 7. Theodor. q. 29. in Geneſ. &c. 5 Durand. in 2. diſtinct. 17. q. 3.


PONTUS EUXINUS
PHISON hodie Phasis
TERRA
HEVILATH
MARE
CASPIUM
Ophir
PARADISUS
CHUS
EUPHRATES Fl. hodie FRAT seu FORAT
ARMENIA
EDEN
TERRESTRIS
ARARAT Montes
GEHON Fl.
Artaxata
ARAXES
MEDIA
Edessa
Samosata
M. Masius
ASSYRIA
M. Taurus
Chalach
SEU
ADIABENE
Niniue seu Ninus
Haran
Circessus seu Carchemis
Tapsaq
ARAMNAHARAIM
Planities
Cittacene
Ctesiphon
Seleucia
Sabatica
Elymais
Sabatha
EUPHRATES hodie FRAT
BABYLONIA
BABYLON
SUSIANA
Susae
Chalanna
Achad
Arach
CHALDÆA
Casdim
Orchoë
TABULA
PARADISI TERRESTRIS
Juxta Systema AUCTORIS
incisa à P. STARCK-MAN.
75
80
85
40
35
30

NAPOLI

montibus Lunæ, unde Nilus originem haurire putabatur, plerique vero in Aſia, vel in majori Armenia, vel Meſopotamia, Syria, Perſide, Babylone, Arabia, Aſſyria, & Palæſtina. Immo nonnulli etiam extitere, qui noſtram hanc Europam tali honore dignari voluerint; Philo [1], & Origenes Paradiſum hunc mere ſpiritualem eſſe crediderunt; Seleucienſes vero inviſibilem eſſe arbitrati ſunt [2].

Clericus terreſtrem Paradiſum in Syria fuiſſe ait non procul a Libano, Antilibano, & Damaſco, eumque late patuiſſe putat uſque in Meſopotamiam, ubi Tigrim invenit, & Euphratem. Phiſon, ex illius ſententia, eſt parvulus amnis Chryſorroas; Gehon eſt fluvius Orontes: & terra Chus ſunt montes Caſſiotides, & regio Edem terræ tractus in Syria, qui hoc nomine appellatur. Veteres ſe ab hac quæſtione abſtinuerunt, & Janſenius putat ante ſeptimum ſæculum neminem auſum fuiſſe Terreſtris Paradiſi ſitum ſignanter ſtatuere. Hac autem in re præſtaret forte veterum Patrum ſilentia imitari; at fortaſſe quoque non deeſſet malignus interpres, qui ex hoc ſilentio aliquid perperam arguendi contra Scripturæ veritatem occaſionem arriperet. Pro virili igitur nobis adnitendum eſt, ut Paradiſi terreſtris, præter propter, qui ſitus fuerit, oſtendamus ea iis veſtigiis, quæ diutius permanſerunt, & quorum non pauca permanent adhuc ea in regione, ubi olim Deus eum conſtituerat.

Nemo hactenus diligentius veteri Abrincenſi Epiſcopo Huetio quæſtionem hanc pertractavit in diſſertatione ſua de ſitu Paradiſi Terreſtris; quem ipſe collocat a fluvio, in quem Tigris, & Euphrates pariter confluunt, qui hodie Arabum fluvius appellatur, ad eum uſque locum ubi flumen ipſum dividitur, antequam in Sinum Perſicum exoneretur. Eum porro in Orientali hujus fluminis ora conſtituit, quod, ſi alvei ſui, non autem aquarum lapſus ratio habeatur, in quatuor capita, vel quatuor oſtia ſinuum diverſorum dividebatur.

Quatuor hi ſinus quatuor efficiunt fluvios, duos quidem ſuperiores, Euphratem, & Tigrim, inferiores duos, ſcilicet Phiſon, & Gehon. Phiſon occiduus eſt, Gehon vero Eous Tigris alveus, in Sinum Perſicum defluentis. Haud multum ab Huetii ſententia Bochartus videtur abhorruiſſe, quod videre eſt ex pluribus operum illius locis [3].

Maxime licet nobis ſint in honore hi ſummi viri, minime tamen prætermittendum arbitramur, quin aliquid in difficili adeo quæſtione operoſius, ac diligentius inveſtigemus. Oſtendere autem adnitemur, Terreſtrem Paradiſum in Armenia ſitum fuiſſe inter Tigris, Euphratis, Phaſis, & Araxis origines; quia in ſe ſupponimus Moyſem in Arabia Petræa Geneſim conſcripſiſſe, & locorum, de quibus verba facit, ſitum conſtituere habita hujus regionis ratione. Credimus quoque illum Iſraelitis Terreſtris Paradiſi ſitum deſcribere ex veſtigiis illis, quæ ævo ſuo adhuc ſupererant, & ex quibus, ſaltem præter propter, noviſſe poterant, ubi locorum hic Paradiſus fuiſſet. Ea igitur Moyſis verba; *Et fluvius egrediebatur &c. qui inde dividitur in quatuor capita*, in naturali, qui primum ſe ſe offert, ſenſu intelligimus de fonte, vel lacu, ex quo quatuor flumina originem ducunt. Demum dum nobis certa ſuppetunt veſtigia ad *Eden*, vel Paradiſi ſitum cognoſcendum, hoc eſt Tigris, & Euphrates, qui illic fluere incipiebant. Nunc autem ordo, atque ratio poſtulat, ut aliorum duorum fluminum, de quibus Moyſes loquitur, inveſtigemus originem in loco eodem, atque viridarium Edem conſtituamus inter fon-

A tes fluviorum, qui nobis Euphrati, ac Tigri propiores occurrent; dummodo ibi alios, quorum Moyſes meminit, caracteres inveniamus, neque ex viridario immenſam Provinciam faciamus. Omnia igitur ſigillatim textus verba juxta hypotheſim noſtram, age, conſideremus.

PLANTAVERAT DOMINUS DEUS PARADISUM VOLUPTATIS A PRINCIPIO.] Hebraice [4]: *Plantaverat Dominus Deus viridarium Edem Orientem verſus*, vel *a principio*. Nonnulli Auctores putant viridarium Edem a Deo cum omnibus ornamentis tertis die conſitum fuiſſe, ea ſcilicet, qua & arbores creaverat [5]: Alii vero a Deo creatum putant dumtaxat poſtquam formaverat Adam: & ſane ex ea ratione, qua Moyſes illud B a Deo productum narrat, conjicere licet, a Deo conſulto, ut ibi Adam conſtitueret, conditum fuiſſe.

S. Hieronymus in Hebraicis quæſtionibus Judæorum referens ſententiam ait, Paradiſum ante mundum conditum fuiſſe; eamque ſententiam confirmat ex Græcis verſionibus, quæ Hebraicam vocem *Mikkedem* [6] *ab initio* reddidere. Aquila [7] vertit *a principio*: Symmachus [8] *in primis*. Auctor quarti libri Eſdræ eo modo, quo Hebræi, explicat [9]; *Induxiſti eum (Adam) in Paradiſo, quem plantaveras dextera tua, antequam terra adventaret*. Paraphraſtes Onkelos non ſecus ac D. Hieronymus hebraicam vocem *a principio* reddidit: At Septuaginta, & Joſephus, quibus Græci Patres adſtipulantur [10], & plerique Latinorum Interpretum re- C centiorum adhærent, de Oriente explicarunt. Conſtructio authographi, fateor equidem, ſatis ſuperque iis favere videtur, qui vertunt *a principio*: Verum non deſunt harum conſtructionum exempla, ubi particula *min*, *ab* pro *ad* uſurpatur: *ab Oriente*, pro *ad Orientem* [11]. Cum vox *Kadem* ad locum aliquem ſignificandum uſurpatur, ſemper Orientem ſignificat, eaſque Provincias, quæ habita Palæſtinæ ratione magis ad Orientem vergunt, veluti Arabia deſerta [12], terra Nod [13], mons Sephar [14], regio trans Euphratem [15], Ammonitis, ac Moabitis [16].

PARADISUM VOLUPTATIS.] Hebraice, *viridarium in Eden*. Septuaginta hoc in loco putant *Eden* nomen loci eſſe; at ℣. 15. in ſenſu appellativo de amœno D loco interpretantur. Græci Patres paſſim tenent, Eden eſſe nomen loci; ac textus conſtructio ſenſum hunc abſolute poſtulare videtur; *Plantavit Paradiſum in Eden*. Quid enim ſibi vellet; *Plantavit Paradiſum in deliciis*? In hoc igitur poſita difficultas eſt, ut regionis Eden ſitum inquiramus: hinc enim ea erui poſſunt, quæ univerſam loci hujus difficultatem valeant enucleare.

Scriptura non ſemel de regione Eden loquitur, atque eas adfert loci circumſtantias, ex quibus facile poſſit cognoſci. In Iſaiæ capite 37. 12. qui locus reſpondet 4. Regum cap. 18. 11. & 19. 13. invenimus habitatores Eden, qui erant in Thalaſſar, ſimul cum incolis Gozan, Haram, & Reſeph conjunctos: *Num-* E *quid eruerunt eos dii gentium, quas ſubverterunt patres mei, Gozan, & Haram, & Reſeph, & filios Eden, qui erant in Thalaſſar*. Voces eædem occurrunt in undevigeſimo quarti Regum libri capite: & capite duodevigeſimo ℣. 11. libri ejuſdem legimus, Salmanaſar Regem Aſſyriæ transtuliſſe Iſraelitas de regno Samariæ in Aſſyriam, iiſque ſedem dediſſe, *in Hala, & in Habor, fluviis Gozan in civitatibus Medorum*; & capite 16. 6. eadem invenimus nomina; ſed ℣. 24. capitis ejuſdem traditur, Rex Aſſyriorum, cum Iſraelitas trans Euphratem traduxiſſet, in eorum locum in Samariæ regnum acciviſſe populos de Cutha; Se-

phar-

---

1 Lib. 1. Allegor. 2 Auguſt. de hæreſ. n. 29.
3 Vide Phaleg. l. 1. c. 4. & de Animal. ſacris part. 2. l. 5. c. 6. 4 גן בעדן מקדם 5 Auguſt. l. 8. de Geneſ. ad litt. c. 3. Rupertus, Beda, Hug. de S. Vict. & plerique recentiores. 6 מקדם 70. κατ' ἀνατολάς.
7 Aquil. Ἀπ' ἀρχῆς. 8 Sym. Ἐν πρώτοις. 9 4. Eſdr. 3. 6. *Induxiſti eum in paradiſo, quem plantaveras dextera tua, antequam terra adventaret.* 10 Chryſoſt. hom. 13. in Geneſ. Irenæ l. 5. c. 5. Theophil. Antioch. l. 2. ad Autolyc. Diodor. Tarſ. apud Theodor. &c. 11 Geneſ. 3. 24. וישכן מקדם לגן עדן Geneſ. 13. 2. 1. Reg. 14. 15. 2. Reg. 11: 2. collat. cum 1. part. 13. 1. 12 Geneſ. 4. 6. Judith. 6. 5. 7. 12. 8. 10. 4. 30. Job. 1. 3.
13 Geneſ. 10. 30. 14 Geneſ. 28. 14. 29. 1. 15 Iſai. 9. 12. 11. 14. ארם מקדם *Aram ab Oriente*.
16 Ezech. 25. 4. 10.

A pharvaim ; Evah ; & Emath.

Ex omnibus his locis invicem collatis inferri poteſt Provinciam Eden finitimam fuiſſe Gozan, Haram, & Reſeph, aliiſque regionibus, quas ſubegerat Teglatphalaſſar, & quæ erant ultra Euphratem in Media, *in civitatibus Medorum* in Cholchide, Chaboram verſos. Apud Eſdram nonnullos Iſraelitas in montibus Caſpiis captivos fuiſſe legimus: quæ omnia fuſius videri poſſunt in Diſſertatione, quam de regionibus, quo decem tribus in ſervitutem abductæ fuerunt, Paralipomenon fronti præfiximus. At hæc omnia Armeniæ proxima ſunt, nec longe a fontibus fluviorum Euphratis, ac Tigris abſunt. In eo igitur terræ tractu B regionem Eden fuiſſe, dicendum eſt.

Moyſes duo hic ſtatuta ſigna ſuppeditat, ex quibus certius intelligere poſſimus, ubi hæc fuerit Provincia: ibi enim Euphratem, ac Tigrim origines ſuas habuiſſe dicit. Vide ℣. 10. & 14.

Ezechiel quoque 28. 28. ut non procul ab hoc loco eam ſtatuamus, impellit, Mercatores Eden cum Mercatoribus *Charam*, *Channe*, & *Calne* conjungens, qui merces ſuas commutaturi Tyrum confluebant: nam cum alii omnes vel in Aſſyria ſint, vel in finitimis locis, hinc oritur, Provinciam Eden non longe abfuiſſe. Verumtamen, ut aliquid peculiare magis in medium afferamus, reor, *Adiabene* Aſſyriæ Provin- C ciam, quæ olim pars fuit Armeniæ [1], partem fuiſſe vetuſtiſſimæ regionis Eden. Nomen *Adiabene* deduci poteſt ex Hebræo *ab-Adenim*, hoc eſt, Pater Adeniorum, vel potius a *bene-Aden*, hoc eſt, filius Aden apud Iſaiam 37. 12. Paraphraſtes Chaldæus pro *Charan*, *Channe*, & *Eden*, Ezechielis 27. 23. vertit, *Carræ*, *Niſibis*, & *Adiab*, quæ eadem eſt ac *Adiabene*, quod videre eſt in Talmud [2].

At vero, & vetus regio Eden latius patere debebat, quam Adiabene; quandoquidem complectebatur fontes Tigris, & Euphratis, Phiſon, & Gehon. Chaboras quoque in Eden regione defluebat, quemadmodum Talmudiſtæ animadvertunt [3]: & Ptolomæus re- D fert ad hoc flumen *Addæam* urbem fuiſſe poſitam: atque hoc pacto regio Eden Meſopotamiæ partem comprehendebat, Sophene, Adiabena, ac Armeniæ, & Cholchidis partem. In Sophene inter montes Maſium, & Antitaurum occurrunt nominis Eden veſtigia. Æticus [4] Provinciam hanc *Adonim* vocat, ac fluvium *Armodium* Adonim Provinciam, ac Meſopotamiam præterfluere docet: & Sextus Rufus [5] hanc *Madenam* vocat: *Madenam opimam Armeniorum regionem obtinuit*. Plurimi Auctores regionis illius pulchritudinem, ac ubertatem celebrant, opimamque totius Armeniæ terram affirmant.

Ad fluvium Chaboram urbs viſitur *Aphadena*, quæ E nomen ſuum eduxiſſe potuit ab *Aph*, & *Eden*, facies, vel fines, vel terra oppoſita Edan; in Cholchide vero *Athenæ* aderant, & *Adienum*, quæ apud Arrianum nominis Eden reliqua veſtigia conſervant. Diodorus Siculus lib. 17. de agris Uxiorum, unde Tigris manat, loquutus, miram loci fertilitatem deſcribit; ait enim, pluribus irrigari fontibus, ac magnam adeo dulciſſimorum cujuslibet generis fructuum copiam gignere, ut lintribus ſecundo flumine per Tigrim, qua A longe defluit, Babylonem uſque deferantur. Quintus Curtius lib. 5. initio teſtatur regionem, quæ proxima eſt Euphratis, ac Tigris fontibus, miræ eſſe fertilitatis, ita ut a paſcuis abducenda ſint pecora, ne nimia pinguedine obeſa diſrumpantur. Hanc autem ubertatem duorum fluviorum aquis cenſet referendam, quæ ſolum permeant, atque pervadunt. Hæc adhuc reliqua ſunt e feliciſſimi illius Viridarii deliciis, in quo Deus Parentes noſtros primitus collocarat.

℣. 9. PRODUXITQUE DE HUMO OMNE LIGNUM PULCHRUM VISU &c.] Hebraicus textus hoc pacto verti poteſt [6]: *& germinare quoque fecerat* (*ſeu erumpere*) *de terra omnia arborum genera .... & arborem vitæ cum* B *arbore ſcientiæ boni, ac mali*; perinde quaſi innuere vellet Moyſes, Deum, cito ad maturitatem perduxiſſe quidquid aderat in Paradiſo, ut illis fructibus homo ibi conſtitutus veſceretur. Cum Auctor Sacer immediate ſuperius de hac terra Eden locutus fuerit, reor, iſtic eamdem *terræ* nomine ſignificari: *Germinare fecit ... de hac terra omnem arborem* &c. Quod autem ad arborem ſcientiæ boni, ac mali ſpectat, inferius explicationem afferam, cum omnia ſubinde expoſuero, quæ ad terreſtrem Paradiſum ſpectant.

℣. 10. ET FLUVIUS EGREDIEBATUR DE LOCO VOLUPTATIS AD IRRIGANDUM PARADISUM, QUI INDE DIVIDITUR IN QUATUOR CAPITA.] Hæc ſi preſſius ad C litteram verba intelligere velis, videretur ex Provincia Eden magnus profluxiſſe fluvius, qui cum in Paradiſum illapſus eum circumundique irrigaſſet, in quatuor capita dividebatur, quorum unumquodlibet ad inſtar maximi fluminis erat, quæ Euphrates, Tigris, Phiſon, & Gehon nuncupabantur. At cum omnes ferme Intarpretes docuerint Paradiſum in terra Eden fuiſſe, & amnem, qui illum irrigabat, & qui in quatuor flumina dividebatur, fuiſſe in Paradiſo eodem; nos huic hypotheſi inſiſtentes, iſtic noſtra argumenta proferimus. Neque expectes, a nobis in orbe fluvium inveniri, vel fontem, qui immediate, ac palam quatuor flumina componat, Euphratem ſcilicet, Tigrim, D aliosque duos fluvios: quod neque Moyſis tempore extitiſſe probari poteſt, neque eos, ad quos Moyſes diſſerebat, hoc pacto iſthæc intellexiſſe. Satis eſt, ut ante diluvium, & cum Adam in Paradiſo collocatus eſt, hæc flumina, ut Moyſes ait, immediate ex illo prodirent; ac ſatis eſſe debet, ſi in provincia Eden oſtenderimus fontes Euphratis, ac Tigris, aliorumque duorum ingentium fluminum, quibus omnibus ea omnia egregie conveniant, quæ de Phiſon, & Gehon Moyſes locutus eſt. Diluvium fontes hos loco movere potuit; atque poſt tot annorum millia, tot terræ motus, tot rerum omnium perturbationes, mirumne videri poteſt, ſi fluviorum origines parum ab eo loco E receſſerint, ubi olim conſpiciebantur?

Sententia, quæ Tigris, & Euphratis unam fuiſſe originem tenet, neque recens eſt, neque Moyſi peculiaris, ſed pluribus veteribus [7] communis; quos tamen amnes diverſis nunc erumpere fontibus certum eſt, atque aliis in Armeniæ locis manare: Verum licet alter ab altero diſtet, hac de re minime dubium ſuboriri poteſt; quandoquidem Moyſes ait, ipſis olim unam, eamdemque originem fuiſſe, atque de Terreſtri Paradiſo

---

1 *Adiabene nonnumquam Armenia adhæreſcit.* Plin. l. 15.
2 Talmud. tract. Bavabatra, & Kiddusim.
3 Tract. Kiddusim. Chabor. 4. Reg. 17. 16. Eſt Adiab.
4 Ætic. in Coſmographia pag. 4. & 8.
5 Rufus in Luculli expedit. c. 15.
6 ויצמח יהוה אלהים מן האדמה כל עץ . . . ועץ החיים בתוך הגן ועץ הדעת טוב ורע
7 Lucan. Pharſal. l. 3.

Quaque caput rapido tollit cum Tigride magnus
Euphrates, quos non diverſis fontibus edit
Perſis ..

Boet. l. 2. de conſolat. Philoſophiæ, carm. 1.

Rupis Achemeniæ ſcopulis ubi verſa ſequentum
Pectoribus figit ſpicula Perſa fugax,
Tigris & Euphrates uno ſe fonte reſolvunt,
Et mox abjunctis diſſociantur aquis;

Vide & Salluſtii fragmenta.

diſo emanaſſe. Ad hanc quoque diem ex iiſdem Armeniæ montibus, licet non ſatis modico intervallo, quatuor maxima flumina defluunt: Euphrates quidem ad Occaſum, Araxes ad ortum, Phaſis ad Boream, ac Tigris magis procul ab Euphrate ad meridiem. Strabo lib. 11. p. 501. inter noviſſimorum horum fluminum fontes duum millium, & quingentorum ſtadiorum intercedere ſpatium ait, leucarum videlicet circiter centum, tribus paſſuum millibus in leucas ſingulas recenſitis. At inſignis ille Geographus plane dimenſus eſt duorum fontium diſtantiam ab eo loco, ubi Euphrates palam fluere incipit ad eum uſque locum, ubi Tigris hoc nomine incipit appellari; omnes enim Geographi fatentur, Tigrim prope fontem aliis vocari nominibus, quam tunc vocetur, cum intumeſcens perniciſſimo curſu defertur.

Quintus Curtius l. 5. innuere videtur, duos hoſce fluvios ex eodem fonte diffluere: *Ipſi amnes ex Armeniæ montibus profluunt, & magno deinde aquarum divortio iter, quod capere, percurrunt: Duo millia, & quingenta emenſi ſunt, qui ampliſſimum intervallum circa Armeniæ montes notaverunt*. Ita quoque Strabo maximam illorum diſtantiam fortaſſe notavit. Xenophon [2] diligentior eſt, atque accuratior, cum iter deſcribens Græcorum exercitus de expeditione redeuntis, qui Juniorem Cyrum proſecutus fuerat, ait, copias tandem, cum conſtitiſſent ad fluvium Pigretem, (hoc nomine in Carduchis montibus Tigris appellatur.) neque flumen propter nimiam alvei altitudinem traducere potuiſſent, ab indigenis intellexiſſe, Carduchos montes ſibi ſuperandos eſſe, ubi fluvii originem invenirent, quæ non longe ab Euphratis fonte diſtabat [3]. Ex ejuſdem vero narrationis decurſu liquet ipſos ad Euphratem perveniſſe, ac ſatis prope hujus fluminis ſcaturiginem, cum ſexaginta mille paſſos, hoc eſt leucas circiter viginti, difficillimo, prærupto que per montes, perque ſylveſtria, inviaque loca itinere eſſent emenſi.

Procopius quoque de bello Perſico lib. 1. cap. 17. Euphratem, ac Tigrim ex monte eodem erumpere docet. Aſſurgit, inquit ille, in Armenia ad duo, & quadraginta ab Theodoſiopoli ſtadia mons, non adeo præruptus, fontibus abundans, ex quibus duo ingentia flumina, Euphrates, & Tigris dimanant &c. In narratione quadam Miſſionis Curdiſtanenſis anno 1681. legimus, ea in regione, Jeſides eſſe, qui a Jeſu Chriſto nomen deducunt, atque Chriſtianam Religionem profitentur. Hi populi e Curdibus ſunt, qui vitam ſemper huc, illucque migrantes, nec ullam ſtatam obtinentes ſedem vivunt, & qui dum per æſtatem calor maxime ſævit in jucundiſſimam ſtationem ſecedunt loci cujuſdam, qui *Ben-guell*, hoc eſt *mille fontes*, vocatur. Adeſt ibi collis ſpecioſiſſimis arboribus conſitus, ac uberrima florum copia exornatus, ubi vel mille deſiliunt ſcatebræ, ac fontes, qui in ſubjectam vallem dilapſi in quatuor alveos confluunt, & quatuor majora flumina efficiunt, hoc eſt, Tigrim, Euphratem, Goezo, & Chalich, quorum aquæ pluries ſubterraneis exceptæ latebris, ſubinde poſt plures ambitus prodeunt. Nec deeſt populorum traditio, qua ſitum ibi Terreſtrem fuiſſe Paradiſum incolæ credant.

Haud operoſum eſt narrationem hanc cum ſententia noſtra conciliare; ubi & populorum traditio, & regionis natura, ubi fontes terras ſubeunt, ut alibi emergant, nobis maxime favent. Verumtamen, ut alibi dictum eſt, nequaquam tenemur hodie Lacum, Fluvium, vel aquarum invenire congeriem, ex qua immediate quatuor flumina exiſtant; at ſatis eſt quatuor in provincia eadem reperire fontes, quibus a Moyſe deſcriptæ circumſtantiæ apprime reſpondeant. Conſpiciuntur in nonnullis Armeniæ tractibus pulcherrima loca eximiis paſcuis, divitibus aquis, pomiferiſque arboribus [4] uberrima; neque plurimi deſuere Auctores, qui terreſtrem Paradiſum in Armenia poſitum fuiſſe crediderint, atque eo in tractu ubi ſe ſe efferre cæterorum regionis illius montium maxime ſublimis mons Ararat, ubi Armenii conſtanti traditione edocti Arcam Noe poſt Diluvium conſediſſe, acerrime affirmant.

℣. 11. NOMEN UNI PHISON.] Prior e quatuor fluviis, qui e fonte Eden emanant, eſt *Phiſon*, vel *Phaſis* celeberrimus Cholchidis fluvius. Nominis ſimilitudo Phiſon inter, & Phaſim ſatis eſt conſpicua, & vox Phiſon [5], quæ ſignificat creſcere, diffundi, apprime Phaſi convenit. Hoc flumen [6] in Armeniæ montibus exoritur, atque in Euxinum ſe exonerat, omnium circa Cholchidem fluviorum maxime inſignis. Hic aliis fluviis auctus, qui ſe ſe illius alveo ſubinde immiſcent, graviſſimis navibus pervius eſt ad triginta octo millium, ac ſeptingentorum paſſuum tractum; at minoribus adhuc triremibus illinc aditus patet. Centum & viginti pontibus oppoſita Phaſis littora, ſecus quæ plurimæ conditæ ſunt urbes, junguntur; ac oſtia illius ultra leucæ dimidium patent, atque ibi ſexaginta ulnarum aquæ eſt altitudo. In Cholchide commercia olim adeo floruere, ut Auctores quidam [7] in una tantum urbe ſeptuaginta, vel aliquando etiam trecentos diverſi idiomatis populos adfuiſſe teſtentur, qui illuc merces commutaturi confluebant; & Plinius [8] aſſerit, a Romanis centum & triginta Interpretes negotiorum commodo ibi conduci conſueviſſe.

IPSE EST, QUI CIRCUIT OMNEM TERRAM HEVILATH.] Hoc fluvium Phiſon a reliquis tribus diſtinguit. Duo in Scriptura occurrunt viri hoc nomine Hevilah; alter quidem filius Chus [9], alter filius Jectan [10]. Horum alteruter regionem quamdam in Arabia deſerta coluit ad extremum Euphratem; qui cum finitimos ad Occidentem Iſmaelitas, & Amalecitas haberet, late uſque ad deſertum Sur Ægyptum verſus dominabatur; uti liquet ex Geneſi 25. 18. & 1. Reg. 15. 7.

Uter ex duobus Hevilah, filiuſne Chus, an Jectan regionem Phiſon incoluerit, iſtic noſſe parvi refert; verum in rem noſtram ſatis eſt, eorum alterutrum circa Phaſim oſtendere: hunc tamen filium Jectan fuiſſe libentius crediderim; namque alibi oſtendemus poſteros Jectan in Armeniam, ac Meſopotamiam, atque finitima effuſos fuiſſe. Hoc ſane conſtat Arphaxad filium Sem, ſaltem partem Meſopotamiæ, & Armeniæ obtinuiſſe. Haud igitur a fide abhorret nepotes Arphaxad in immenſis illis provinciis æque ac Patrem ſuum, fuiſſe immoratos; quorum hæreditatem hoc pacto Moyſes deſcribit, Geneſ. 10. 29. 30. *Ophir, & Hevila, & Jobab: Omnes iſti filii Jectan: & facta eſt habitatio eorum de Meſſa pergentibus uſque Sephar montem Orientalem*.

Nomine *Meſſa*, vel *Maſa* Maſium montem in Meſopotamia intelligimus; nomine vero *Saphar*, vel *Sephar* regionem Saraparorum in Armenia, de qua loquitur Strabo l. 10. vel *Saraparorum* ad Phaſim, de qua libro 11. vel *Tapyrorum*, ibidem: vel potius *Sapirorum*, de quibus Herodotus loquitur lib. 1. & lib. 4. quos ait, ſolos eſſe populos, qui Chulchidem a Media ſejungunt. Saphirus pretioſus lapillus, qui in Media præſertim invenitur [11] a cognomine populo, qui non procul inde morabatur, nomen fortaſſe mutuatus eſt. Sapiri vere ſunt ad Orientem, uſque ad Sephar montem Orientalem.

Reor autem *Sepharvaim*, de quibus ſermo eſt lib. 4. Regum

2 Xenophon, de expedit. Cyr. Jun. l. 4. initio. 3 Idem ibidem.
4 Vide Xenoph. Cyropæd. l. 3. pag. 91. 5 פישון Phiſon, de פוש creſcere, diffundi.
6 Plin. l. 6. c. 4. 5. & Strab. l. 11. 7 Timoſthen. apud Plin. l. 6. 4. & 5. & alii apud Strabon. l. 11.
8 Plin. l. 6. c. 5. *Poſtea a noſtris 130. Interpretibus negotia ibi geſta*.
9 Geneſ. 10. 7. 10 Geneſ. 10. 29. 11 *Cærulea, & Sapphiri raroque cum purpura: optima apud Medos*. Plin. 37. c. 9.

Regum 17. 6. 7. eſſe populos Sephar, quos Medis finitimos fuiſſe arbitramur; videturque mihi ex iis omnibus, quæ hactenus dicta ſunt, eſſe intercludum: primo, terram Hevilah prope Armeniam fuiſſe, nec procul a fontibus Euphratis, & Tigris; ſecundo, Phaſim, cum has regiones interluat, illique ex adamuſſim reſpondeant circumſtantiæ, quæ a Moyſe flumini Phiſon tribuuntur, Phaſim, inquam, iſtic nomine Phiſon deſignari. Reliquum ergo eſt, ut in Armenia, & Cholchide, quæ Phaſi alluuntur, nominis Hevilah veſtigia oſtendamus, atque doceamus huic regioni, ac flumini ea omnia convenire, quæ regionem Hevilah, & Phiſon diſtinguunt; quod ipſum modo præſtabimus.

In Armenia, & Cholchide novimus urbes *Colvam*, & *Cholvatam* [1], ac regionem *Cholobetene*, & apud Haiton in Armenia [2] regionem *Halaen*. Vox *circuit*, qua Moyſes utitur, ut curſum Phiſon deſcribat, Phaſi apprime reſpondet, nam re ipſa in meandri morem allabitur; neque fortaſſe alium in orbem fluvium inveneris qui majores ambitus habeat; quapropter plurimi ii conſtruendi fuere pontes, de quibus locuti ſumus, *Pontibus centum viginti pervius* [3].

Ubi nascitur aurum, et aurum terræ illius optimum est.] Perpaucæ in terrarum orbe regiones ſunt æque ac Cholchis auro ſuo inſignes; ſeu magnam, quæ inde avehebatur, auri vim perſpexeris, ſeu ad metalli hujus puritatem, ac perfectionem animum adjunxeris. Nemo unus velleris aurei fabulam neſcit, quæ quidem ab Hiſtoria originem duxit. Strabo enim lib. 11. pag. 479. Fluvios, ac Torrentes regionis Cholchidi proximæ undis ſuis aurea fragmenta devehere refert, quæ regionis incolæ ex aquis in pelles velleribus ſuis converſas, vel in perforatos alveos colligunt. Plinius lib. 33. c. 3. loquitur de aureis cubiculis, laquearibus, columnis, argenteiſque pilis, quæ omnia in Cholchide fuiſſe teſtatur; omneſque veteres Scriptores maximas regionis hujus opes extollunt.

Haud abhorret a fide aurum *Phaz*, Uphaz, vel Ophaz, de quo crebro adeo in Scripturis eſt ſermo [4], fuiſſe aurum Phaſis. Apud veteres majori longe in pretio habebatur, aurum in fluminum arenis compertum, quam quod e fodinis educebatur: *Nec ullum abſolutius aurum eſt, curſu ipſo trituque perpolitum*; id autem confirmat, quod Moyſes inquit: *& aurum terræ illius optimum eſt*. Sin autem Mingreliæ, quæ vetus eſt Cholchis, hodie nequaquam divitiarum ſuarum copia celebratur, cui mirum videri poteſt? Nonne plurimas novimus regiones olim opibus ſuis, fodinis, emporiis, virtute militari, ſcientiis, & cultu celeberrimas, ubi nihil modo reliquum eſt, quod veteri locorum exiſtimationi reſpondeat? Ferunt tamen ad hanc uſque diem divites auri fodinas in Mingrelia reperiri, quas quidem indigenæ celant, ne eæ Turcas, vel Perſas alliciant.

℣. 12. Ibi invenitur Bdellium, et lapis onychinus.] Hebraice [5]: *ibi invenitur Bedolah, & lapis Schohem*. Duæ hæ voces non ſatis perſpectæ nobis ſunt. *Bedolah* iſtic a Septuaginta [6] redditur *Carbunculus*; in Numeris vero 11. 7. *cryſtallum*; quorum priorem explicationem [7] plerique Græcorum, Latinorumque Patrum ſequuntur. S. Hieronymus, Aquilam, Symmachum, & Theodotionem ſequutus *Bdellium* reddidit; at alii *Ebenum* eſſe putant, ſeu *piperis arborem*, ſeu *Leeuojum*. Interpres Perſa hunc Berillum eſſe putat; Arabs vero, Syrus, & complures alii viri ſapientes uniones eſſe contendunt. Ex Rabbinis autem alii *cryſtallum* eſſe cenſent, adamantem alii, alii Jaſpidem, alii Smaragdum, ſeu alium quemdam ex lapidibus pretioſis.

At vix adducar, ut cenſeam hunc pretioſum lapidem eſſe. Moyſes collocat vocem *Eben*, lapidem, ante *Schoem*, non autem ante *Bdolah*. Sententia, quæ iſtud de *bdellio* interpretatur, innititur primo nominum ſimilitudini, quæ ſane ratio Joſephum, ac S. Hieronymum impulit, ac recentiorum interpretum pleroſque, ut *de Bdellio* explicarent: Secundo probatur, eo quod manna colore cum *Bdolah* comparatur [8]; et Manna æque ac bdellium croceum colorem referunt, uti a Salmaſio oſtenditur [9]. Bdellii quædam ſpecies ex Media, vel Scythia advehitur, & Scythica appellatur. Scythis, Cholchidi erat proxima; Scythæ namque ad Phaſim uſque late patebant, ut infra oſtendemus.

Porro *Bdellium* eſt gummi arboris cujuſdam in Arabia, ac alibi paſſim in Oriente. Plinius lib. 12. cap. 9. ait optimum Bdellium a Bactrianis regionibus advehi, & arborem, ex qua gignitur, nigram eſſe, ac oleæ magnitudine parem, quercui foliis perſimilem, fructibus vero a Caprifico non abhorrentem. Bdellium pellucidum eſſe debet, & ceræ inſtar croceum, guſtui amarum, pingue, & *unguis odorati* cum comburitur odorem referens. Invenitur etiam in Arabia, in Indis, in Media, in Babylonicis arvis. Hæc autem apud Plinium habemus de *Bdellio*.

Qui *Bdellium* de unionibus interpretantur, candidam fuiſſe Mannam affirmant. Bochartus [10] pro hac ſententia propugnatores adfert Arabicas, Syriacaſque verſiones, & Talmudiſtas, Pagninum, Oleaſtrum, Steuchum, Mercerum, alioſque. Fatendum quidem eſt, hodie nullum eſſe in flumine Phiſon piſcatum; verum in finitimis expiſcantur maribus, & vel deeſſe, vel negligi fortaſſe potuerunt, non ſecus ac regionis ejuſdem fodinæ.

Quoad lapidem *Schoem*, non ſecus ac *Bdolah* nos fugit. Septuaginta hanc alibi vocem reddentes non ſibi conſtant. Iſtic *lapidem praſinum* vertunt, alibi vero, *onycem*, *ſmaragdum*, *beryllum*, *ſapphirum*, *Sardonychem* *reddunt*. Tres Græci Interpretes *onycem* eſſe putant, *ſmaragdum* Philo, Joſephus *Sardonychem*. S. Hieronymus hic *onycem* transfert, at in Job *Sardonychem*. Omnia vero Hebræorum Lexica ferme *Onyc.* ſuffragantur. Paraphraſtes Onkelos, & Jonathan, Moyſes Barcephas, Interpres Arabs, & Syrus *Schohem* de Beryllo explicant. Vetus Italica verſio, Euſebius, Severianus, D. Ambroſius, D. Auguſtinus, ac plurimi alii Patres a Septuaginta minime recedunt.

Ego vero lubens ſmaragdum verterem; nomen *Sohem*, vel *Soham* in ſmaragdi nomine occurrit, quæ componi fortaſſe potuit a *Sohem ragnah* [11], *Sohem* ſcilicet *cæſo*. Pulchriores, ac pretioſiores ſmaragdi a Tartaria deferuntur, qui plurimi omnium æſtimantur; & Plinius ait inter duodecim ſmaragdi genera, quæ recenſentur, Scythicos reliquis perquam longe præſtare [12]; at Scythia regioni, quam Phaſis alluit, eſt contermina; & Solinus cap. 24. adnotat, cum de Scythicis ſmaragdis eſt ſermo, intelligendam eſſe Scythiam in Aſia, quæ ad Phaſim uſque protenditur.

℣. 13. Nomen fluvii secundi Gehon; ipse est, qui circumit omnem terram Æthiopiæ.] Hebraice, *qui circumit omnem terram Chus*. Nullum in orbe fluvium novimus, qui Gehon vocetur: ni forte hic ſit *Oxus*, quem Arabes Geihon appellant, & qui in Caſpium mare prope Orientales oras dilabitur. Abyſſini quoque Nilum Guyon vocant: at ſi animum ad ea, quæ Moyſes de Gehon loquitur, advertamus, & fluvium inquiramus, qui non procul a Tigris, & Euphratis fontibus originem ducat, nullum præter Araxem inveniemus, cui hæ notæ conveniant: celeberrimum quidem fluvium, qui ex monte Ararat ſex paſſuum

1 Ptolom. tab. 3. Aſiæ. 2 Lib. de Tartaris c. 35. 3 Plin. l. 6. c. 4.
4 Cant. 5. 11. Jerem. 10. 9. Dan. 10. 5. Plin. l. 33. c. 4. 5 שם הבדלח ואבן השהם 6 70. ἄνθραξ, Carbunculus. 7 Huetius in Diſſertat. de Paradiſo terreſtri. 8 Num. 11. 7.
9 De homonymis Hyles jatricæ, c. 109. 10 De animal. facr. p. 11. l. 3. c. 5.
11 Exod. 16. 31. והוא כזרע גד לבן
12 Plin. lib. 37. c. 5. *Genera eorum duodecim; nobiliſſimi Scythici, ab ea gente in qua reperiuntur appellati: nullius major auſteritas, nec minus vitii; & quantum Smaragdi a gemmis diſtant, tantum Scythici a ceteris Smaragdis.*

ſuum millibus ab Euphrate procul erumpit, & qui in mare Caſpium ſe exonerat [1]. Strabo lib. 11. vocat Abos montem, unde Euphrates, atque Araxes ſortiuntur originem.

Hebræum nomen *Gehon* [2], quod a radice prodit, quæ cum impetu defluere ſignificat, belle quidem Araxis naturam deſignat, qui ingens fluvius eſt, & perniciſſimus, ſubinde plurium amnium, ac torrentium aquis, quæ in ipſum defluunt, tumeſcens; & qui cum liquatis nivibus turget, nullis aggeribus, ac munimentis coercetur; immo aquarum ſuarum tumore, & celeritate eos, qui illud intuentur, abſterret: naves autem impoſitas tanta devehit pernicitate, ut uno ferme temporis momento quingentorum paſſuum iter abſolvant [3]. Plurimi in utramque fluminis ripam jacti pontes fuere; ac ipſe magnus Alexander ripas ponte conjunxit: ſed quantumvis hi validi eſſent, ac ſolidi, uti ad hanc quoque diem videre eſt ex fornicum reliquiis, quæ adhuc extant, aquarum vim ſerre minime potuerunt; quamobrem cecinit Maro; *& pontem indignatus Araxes*. At cum Auguſtus ibi pontem ædificaſſet, qui diutius ibi manſurus exiſtimabatur, immutato epitheto vocari cœpit, *longii patiens jam pontis Araxes*; at hunc non ſecus, ac reliquos brevi Araxes ſubvertit. Verumtamen noſtris hiſce temporibus pontem patitur Araxes, quem Incolæ ex traditione putant ex terreſtri Paradiſo prodire [4]. Herodotus lib. 1. ait, pro locorum varietate Araxem alibi Iſtro majorem, alibi minorem eſſe; eumque docet ex Mantienis montibus per ſexaginta fontes effluere, qui in paludes diſperduntur, eo excepto, unde Fluvius ille, de quibus eſt ſermo, exiſtit, & in Caſpium mare dilabitur.

Summa ſunt ea, quæ de ſoli illius, quod Araxes alluit, ubertate traduntur. Strabo l. 11. p. 352. edit. Baſil. terram hanc quodlibet ſegetum ferre genus ait, quin excolatur: vites vero tot racemis prægraves eſſe, ut nunquam omnes colligantur. Moltis præterea in locis, cum ſemel ſatum fuerit, bis terque meſſis peragitur; at primo quinquagies ſemen multiplicatum metitur, quin tamen tellus inſtaurata fuerit, vel ferreo aratro, uti mos eſt, ſed ligneo tantum proſciſſa. Cœlum mirum in modum lene eſt; vites cultore non indigent, & poſt quintum dumtaxat annum putantur: tenellæ arbores ſecundo ſtatim anno fructus emittunt. En autem, quæ ſit regionum Terreſtri Paradiſo finitimarum ubertas.

Strabo [5] in Geographia ſua non ſemel ait, Jaſonem, ac Medeam ea in regione regnaſſe, quæ inter Euxinum, atque mare Caſpium interjacet; ibique diutiſſime Jaſonis monumenta ſubſtitere, qui ibi divinis honoribus decoratus fuit: hunc autem plurimarum Provinciarum, fluviorumque nomins immutaſſe teſtatur, illiſque Græca nomina, ex Græcis amnibus deſumpta, quæ aliquam cum Armeniis ſimilitudinem habere videbantur, impoſuiſſe: Araxem vero hoc nomine vocaſſe propter ſimilitudinem cum flumine *Peneo*, quod a Græcis Araxes quoque appellatur, eo quod Oſſam ab Olympo ſejungat. Hæc Strabonis adnotatio nobis aperit difficultatis originem, propter quam operoſum eſt vetera hujus regionis locorum, ac fluminum nomina ex antiquitatis tenebris eruere.

Moyſes ait Gehon *univerſam terram Chus irrigare*. Maximi momenti eſt hanc regionem Chus invenire, ſed cum hac de re in diverſa auctores abeant, res eſt maximis difficultatibus præpedita. Septuaginta nomen Chus paſſim Æthiopiam reddidere, quibus ſubſcribit S. Hieronymus, qui in quæſtionibus ſuis in Geneſim quæſt. 10. ait, a Judæis Æthiopiam vulgato nomine terram Chus appellari. Joſephus quoque lib. 1.

A c. 7. Antiq. refert, Æthiopes ſemet Chus vocari, atque hoc nomine ab Aſia univerſa diſtingui. Videntur etiam nonniſi de Æthiopia eſſe explicanda, quæ de regione Chus in Iſaia 11. 12. dicuntur: *Adjiciet Dominus ſecundo manum ſuam ad poſſidendum reliquum populi ſui, quod relinquetur ab Aſſyriis, & ab Ægypto, & a Peteos, & ab Chus*, ſeu Æthiopia; & in Ezechiele 29. 10. *daboque terram Ægypti in ſolitudines, gladio diſſipatam, a terra Syenes uſque ad terminos Chus*, ſeu Æthiopiæ. Hæc regio Ægypto eſt proxima: & ſimul cum Ægypto fuit in captivitatem redacta. Jeremias 13. 23. eo prorſus modo non poſſe Judæos vivendi rationem immutare ait, quo neque Chuſii pellis colorem immutant.

B Adverſus hoc auctoritatum, haud ſane ſpernendarum, robur Bocharens Geograph. ſac. lib. 4. cap. 2. contendit, veram regionem Chus partem fuiſſe Arabiæ Petrææ, partem vero Arabiæ Felicis, ac præſertim late patuiſſe ad imam uſque Erithræi maris partem, ac ſecus Eoum litus. Hujus vero ſententiæ hæc ferme ſunt argumenta. Primo Regio Chus eadem eſt, ac Madian juxta ea Habacuc verba 3. 7. *Vidi tentoria Æthiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian*. At Madian proculdubio ad rubrum mare erat poſita, atque in Arabia, ex unanimi Ptolomæi, Joſephi, atque D. Hieronymi ſententia. Chus ergo in eadem erat regione. Secundo Paraphraſtes Jonathan pro *Chus Geneſ.* 10. 6. Arabiam vertit. Tertio Job [6] loquitur de Topatio Chus; ſed Topatium non niſi in inſula rubri maris invenire poterat [7] ei regioni, de qua loquimur, finitima. C Quarto Ezechielis [8] locum, quem protulimus, ut ſententiam eorum confirmaremus, qui Chus nomine Æthiopiam intelligendam autumant, in ſententiæ ſuæ argumentum convertit: *Daboque terram Ægypti in ſolitudines, gladio diſſipatam, a turre Syenes uſque ad terminos Chus*. Credit enim hoc in loco Prophetam utrumque Ægypti terminum innuere, Meridionalem alterum prope *Syenem* civitatem in Æthiopiæ finibus poſitam [9]; alterum Borealem, vel potius Orientalem in regione Chus, & in extrema rubri maris ora. Quinto obſervat Tharacam Regem Chus veniſſe, ut cum Sennacherib urbem Lebnam [10] ad meridiem tribus Juda ſitam oppugnanti congrederetur; & Zaram ejuſdem regionis Regem contra Azam Regem Juda veniſſe cum D decies centenis militum millibus [11]; manuſque conſertas fuiſſe in valle Sapheta juxta Marezam ad tribus Juda meridiem. At quomodonam Æthiopiæ Reges ab iis terris, quæ ultra Nili fontes jacent, in regionem Juda bellum intuliſſent, quin prius Ægyptum omnem ſuperaſſent? quænam cauſa in bellum coegiſſet Principes adeo remotas incolentes terras, & qui ſe mutuo minime noſſent? Sexto Iſaias 20. 4. 5. prænuntiata Ægyptiorum, & Chuſiorum captivitate, ait, Azotios, Philiſtæoſque deſtitutum iri ſubſidiis, quæ ab Chus, & Ægypto præſtolabantur: *confundentur ab Æthiopia* (a Chus) *ſpe ſua, & ab Ægypto gloria ſua*. Non equidem ab Æthiopia, quæ longiſſime aberat, auxilia opperiebantur; ſed a regione Chus, quæ ad Philiſtinorum uſque fines patebat. Septimo Iſaias deE nique 18. 1. & Sophonias 3. 10. nobis Ægyptum exhibent veluti trans fluvios regionis Chus poſitam: at ſi de Æthiopia, quæ eſt ad Ægypti meridiem loqui voluiſſent, e contra dicere debuiſſent Æthiopiam trans Ægypti fluvios patere. De alia igitur regione Chus loqui voluere, quæ alia ſane eſſe nequit ab ea, quam in Ægypti finibus fuiſſe diximus, & quæ ab Ægypto torrente Bezor, & Rhinocorure, ac Trajano flumine, quod in rubrum mare dilabitur, & denique alveo Nili magis orientali, qui regionem Chus ab Ægypto ſejungebat, dividebatur.

Addi

1 *Araxes eodem monte quo Euphrates 6. m. paſſuum intervallo, auctuſque amne Muſ. defertur in Caſpium mare*, Plin. lib. 6. cap. 9. 2 גיחון Gehon. 3 Chardin voyage de Perſ. p. 285.
4 Paulus Lucas, Voyage, du Levant t. 1. c. 27. 5 Strabo lib. 11. pag. 369.
6 Job. 28. 19. פטדת כוש 7 Plin. lib. 37. c. 8. Strabo l. 16. & alii plures.
8 Ezech. 29. 10. 9 Strabo l. 17. Plin. l. 5. c. 9. Solin. c. 35.
10 4. Reg. 19. 9 11 2. Par. 14. 9.

Addi poteſt his argumentis, aliquando apud Veteres Æthiopiæ nomen tribui conſueviſſe regioni, quæ Ægypto, qua rubrum mare ſpectat, finitima eſt; exempli gratia, dicitur Cepheus regnaſſe in Æthiopia [1], & filia ipſius Andromeda expoſita fuiſſe marino cete in ora maris; cum pateat Andromedam expoſitam fuiſſe Joppe in Palæſtina. Bochartus oſtendit, hos Chuſchios, de quibus ſæpius Scriptura loquitur, eoſdem eſſe ac Arabes Scenitas, admodum veteribus notos, & eoſdem ac Saracenos recentioribus celeberrimos; & illorum regionem hodie nuncupari *Hegiaz*, & Medinam, & Meccam urbes eorum eſſe principes; & ad Jeremiæ locum c. 13. 23. ubi ait; *Chus poteritne pellis ſuæ colorem immutare?* reſpondet, hos populos longe nigriores fuiſſe, quam Judæos. Hi quippe buxei coloris erant, Cuſchii vero penitus nigri. Hæc habes, quæ acris ille ingenii vir ait, cui libenter ſubſcribimus in eo, quod aſſerit de regione Chus Ægypto finitima, ac in Erithræi maris littore collocata; verum credimus in Scriptura agnoſcendas eſſe plures regiones Chus, quæ incoli potuerunt à minoribus Chus filiis Cham, aliis, atque aliis temporibus, ac diverſis illuc coloniis deductis.

Cum Chus ex Ægypto originem duceret, quandoquidem Cham illius pater ibi locorum immoratus eſt, minime difficile eſt, ipſum ſui nominis veſtigia reliquiſſe in Arabia, & in Oris rubri maris, quæ penitus cum Ægypto cohærent [2], quod ipſum ex pluribus Scripturæ locis innoteſcit, ubi Chuſii videntur in Arabia, ac in finibus Ægypti.

Non credimus quoque, veterum omnium Interpretum authoritati nobis eſſe obſiſtendum, qui Chuſios in Æthiopia ſtatuunt; verum ſtatuere non auſim, utrum Æthiopes, qui ſuper, & ad meridiem Ægypti immorantur, illuc ante, an poſt Moyſem acceſſerint. Euſebius ipſorum in hanc regionem adventum (quę antea Ætheria, vel Æria nuncupabatur, *ut ajunt Strabo l. 2. Plin. l. 6. c. 30. Heſychius*) ſtatuit ſub Rege Amenophi, vel potius Thutemoſi, triginta annos ferme antequam Moyſes naſceretur. Homerus, & poſt ipſum Strabo l. 1. p. 29. docent Æthiopes fuiſſe in Oriente, ac Occidente citra, & trans mare rubrum, in Africa, & in Aſia. Æthiopes igitur, qui ad meridiem Ægypti incolunt, advenę ſunt, atque illuc aliunde appulerunt: & Chuſii Arabię, qui ad maris Orientem habitant, palam ab aliquo filiorum Cham patre Mizraim originem deduxerunt, qui Mizraim pater fuit Ægyptiorum.

Priſci, qui nos docent Æthiopum adventum in Meridionales plagas Ægypti, ajunt, illos aſcendiſſe ex inferioribus fluminis Indi partibus, omneſque aſſentiuntur, ipſos Indos fuiſſe ab origine. Verum quemadmodum Indorum nomen latius patuit, & olim tributum fuit (ut obſervat Plinius lib. 6. c. 20.) provinciis, que ſunt citra flumen Indum, & quandoqua etiam Lybię, Ægypto, Æthiopię, Arabię, atque Palęſtinę; nihil non veritati conſonum erit, ſi diaerimus, Æthiopes, qui ad Ægypti meridiem incolebant, non e longinquiori acceſſiſſe terra, quam ex orientali rubri maris plaga.

Sed hoc agitur, ut regio Chus ad Araxem inveniatur. Reor, Chureos, de quibus loquitur Scriptura, eſſe veros Chus poſteros, de quibus loquitur Moyſes, eorumque regionem eam eſſe, quam alluit Araxes. Haud ægre fateberis *Cuth*, & *Chus* idem eſſe nomen aliter prolatum, pro Dialectorum varietate [3]. Chaldæi velut *Thau* enunciant, quod Hebræi velut *Schin* proferunt. Oſtendimus ſuperius paullo, populos, quos Salmanaſar deduxit Samariam, ex iis fuiſſe, quos captivos retulerat vel Teglatphalaſar, vel ipſe idem Salmanaſar Medorum victor in Caſpii

A maris litore. Verum nullum in illis oris agnovimus populum, cui nomen fuerit Cuth, vel Cutha, niſi Scythas, qui, ut Hiſtorici omnes fatentur, primum ad Araxem fluvium incoluerunt. Non eſt enim major optetur nominum conformitas, quam quæ intercedit inter *Kuthæ*, & *Schythas*, *vel Scythas*.

Diodorus Siculus l. 2. p. 89. 90. ait, Scythas, qui Indo finitimi ſunt, incoluiſſe Araxis litora, unde latius deinceps poſuere fines, & in ea regione potiti ſunt montibus uſque ad Caucaſum, atque agris uſque ad Oceanum, & Paludem Męotidem, atque uſque ad Tanaim: inde vero ad Nilum uſque proceſſiſſe, ac in ditionem ſuam redegiſſe populos omnes, qui inter Caſpium mare, paludem Męotidem, Oceanum Orientalem, atque Ægyptum &c. immorantur: *Sacas* autem,
B *Maſſagetas*, *Arimaſpos* eſſe diverſa *Scytharum* genimina.

Herodotus quoque l. 1. c. 201. & l. 4. c. 11. veterem Scytharum permanſionem ad Araxem ſtatuit. Ait ipſos fluvium hunc fuiſſe prætervectos, & a Maſſagetis in fugam conjectos, in Cimmeriorum regiones confugiſſe. Juſtinus [4] Phaſim, & Araxem Scythiæ fines ad meridiem conſtituit.

Immenſa propemodum adeſt harum regionum nominum copia, quæ e regione Chus efformata videntur. Strabo l. 15. p. 355. loquitur de Quitiis ad radices montium Mediæ, & Armeniæ. Ptolomæus invenit Catarzenem in Armenia, & Orchiſthenem, & urbes Coaolam, Coromanam, Cytamum &c. Extat hodie quoque in Cholchide urbs Cotatis. Priſci loquuntur de
C urbibus Cyta, vel Citaja, in Cholchide, quæ Medææ patria fuit, & quæ Cytæis nomen indidit. Magnus Scaliger hinc Samariam Cuthæos adveniſſe credidit. Xenophon libro 7. memorat Cotæos aut Coetas eamdem regionem verſus. Invenitur etiam oppidum Cotyæum, vel Coryacum, & urbs Cothena dicta in Armenia minori.

℣. 14. NOMEN VERO FLUMINIS TERTII, TIGRIS. IPSE VADIT CONTRA ASSYRIOS.] Omnes fatentur tertium hunc fluvium, qui Hebraice *Chidkel* [5] nuncupatur, eſſe Tigrim. Veteres *Diglito* appellabant, & hodie quoque Tegil, vel Tigil vocatur. Diglat vero dicitur in Joſepho, in Paraphraſte Chaldæo, in verſionibus Arabicis, & Perſicis. Pernicissimus hujus fluminis lapſus Tigris nomen illi indidit, quod ſagit-
D tam apud Medos ſignificat, ut docet Plinius l. 6. c. 27. Sed melius nomen hoc deduci poteſt ex hebraica voce Chidkel, aut Diglit, vel Tiglit, D in T. littera immutata & L in R. Joſephus Antiq. lib. 1. cap. 1. ait nomen hoc ſignificare clauſum, & pungentem.

Moyſes de Tigri flumine differens ait ipſum *ante Aſſyriam* [6] labi, vel in conſpectu Aſſyriæ. Qui Aſſyriam trans ſtatuunt, atque ad Orientem Tigris, poſteriorem hanc verſionem amplecti poſſunt; quoniam re ipſa Tigris fluit ante hanc Provinciam, eamque a Meſopotamia ſejungit. Sed qui arbitrantur Aſſyriam veterem uſque in Meſopotamiam patuiſſe, atque citra Tigrim, naturali prorſus ratione Moyſem explicant, dicentes Tigrim fluere ad Aſſyriæ Orientem; quoniam re vera Orientalem hujus Provinciæ partem al-
E luit. Arrianus in ſeptimo libro expeditionis Alexandri, & Ammianus Marcellinus libro 23. c. 20. Hiſtoriæ ſuæ, Aſſyriam inter Tigrim, & Euphratem conſtituunt. Sed Scriptores plerique trans Tigrim ſtatuunt; atque hic verus eſt veteris regionis Aſſur ſitus.

Plinius l. 6. c. 27. diligentius originem, & lapſum Tigris deſcribit. Hujus fluminis origo eſt a detecto fonte in Armeniæ majoris agro. Locus hic vocatur *Elongoſine*: Fluvius ſtatim Diglito appellatur, ſed ſimulac vehementius fluere incipit, Tigris nomen illi tribui-

1 Apollodor. lib. 2. Bibl. cap. 4.
2 Num. 12. cap. 2. Par. 14. 9. & 21. 16.
3 Bochartus Phaleg. lib. 4. 4 Juſtin. lib. 1. *Thomiris cum prohibere hoſtes poſſet, vadum Araxis fluminis tranſire permiſit, & ſibi feliciorem pugnam intra regni ſui terminos rata &c.* Idem lib. 2. *Scythia in Orientem porrecta includitur a tergo Aſia & Phaſi flumine.*
5 חדקל Chiakal. Tigris. 6 קדמת אשור Kidemath. Aſſur.

tribuitur . . . In lacum Arethuſam decidit . . . . atque oblique per ipſum labitur , quin aquas ſuas aquis lacus immiſceat . Inde egreſſus Taurum montem offendit , quem per ſpecum quemdam pervadit , unde poſt aliquod intervallum ex eltero montis latere elabitur . . . Iterum quoque obtegitur , poſtquam Thoſpitem lacum eſt prætergreſſus . Terræ abditus quinque & viginti millibus paſſuum fluit : atque inde itetum prodit prope Nymphæum . Afforore poſſumus Strabonem Tigris originem ex eo loco deſumpſiſſe , ubi e monte Tauru defluit . Sed Ptolomæus ad unguem cum Plinio conſentiunt . Vidimus jam de Araxis originibus , atque iſtic quoque videmus , horum fluminum fontes exacte ſtatui non poſſe , atque potuiſſe quidem locum immutare poſt Moyſis tempora , atque hodie longinquos nimis videri ; quamquam tunc temporis prope invicem fuerunt .

Fluvius autem quartus ipse est Euphrates .] Hic e maximis , celeberrimiſque terrarum eſt fluviis . Strabo l. 11. & Plinius l. 5. c. 24. illius originem in monte Abo , aut Aba ſtatuunt in Armenia ; ſed in reliquis ferme hi duo auctores opponuntur . Strabo ait , Euphratem elabi ex ſeptemtrionali Tauri montis latere , atque illico Occidentem verſus fluere , atque deinceps meridiem verſus relabi . Plinius e contra aſſerit virorum , qui ea loca ſcrutati fuerant , teſtimonio innixus , Euphratem a Septemtrione in meridiem pergere , atque deinde in Occaſum reverti . Animadvertit flumen hoc vocatum fuiſſe *Pyxuratem* in ipſa origine , *Omiram* vero cum fines Tauri montis ingreditur , nec Euphratem appellatum , niſi ex horum montium gurgitibus egreſſum . Hæc nominum varietas , quæ regionis incolæ Euphrati tribuunt , & Tigri pro aliis locis , qua fluunt , non parum conferre potuerunt , ut in ſententias alias , atque alias homines irent , quæ de ipſorum origine apud veteres inveniuntur .

Regio , quæ eſt circum Euphratis Origines ad hanc uſque diem veteris fertilitatis veſtigia tuetur . Dicunt prope Erzerum hordeum quadraginta , triticum vero diobus ſexaginta creſcere . Mela l. 3. c. 8. hujus fluminis originem deſcribit ea ratione , quæ lucis aliquid conferre poteſt iis , quæ Moyſes ſcribit . *Euphrates immani ore aperto , non exit tantum unde oritur , ſed & vaſte quoque decidit ; nec ſecat continuo agros , ſed late diffuſus in ſtagna , diuque ſedentibus aquis , & ſine alveo patulis piger , poſt ubi marginem rupit , vere fluvius eſt , acceptiſque ripis celer , ac fremens per Armenios , & Cappadoces , Occidentem petit* , &c.

Plurimi crediderunt olim Armeniæ montes , prope quos Terreſtrem Paradiſum ſtatuimus , continentis noſtri medium eſſe . Aeris maxima temperies eſt , terræ ubertas mira , atque animadverti poterit ex hujus commentarii decurſu , ea omnia , quæ narrat Moyſes , ſyſtemati noſtro egregie congruere . Non illud autem gloriamur , quod materiam hanc ſatis illuſtraverimus , verum credimus hypotheſim noſtram fortaſſe minoribus eſſe obnoxiam difficultatibus .

Qui [1] Gangem credidere *Phiſon* , Nilum vero *Gehon* , minimum attendere videntur locorum ſitum , & veriſimilitudinis leges . Quoniam quinam Paradiſus Terreſtris , quem Moyſes deſcribit velut viridarium , ubi Adam , & Eva poſiti fuerant , donec tellus nondum egregie ornata erat , atque impleta ; quinam hoc viridarium letius adeo patere potuiſſet , ac regiones , quæ inter origines Gangis , Nili , Euphratis , ac Tigris interjacent ? Num vero videri poteſt ſimile , Gangis , & Nili origines , cum ſint in Armenia , ſubterraneis abditæ ferantur rivis , neque prodeant , niſi ad maximum ab eo loco intervallum , in Indiis , atq; in Æthiopia ? Invenitur aurum , bdellium , pretioſi lapides in Indiis , atque ad Gangem ; verum etiam alibi gentium inveniuntur ; quis igitur ibi locorum Hevilah auſit ſtatuere ?

Arabia Ægypto finitima , atque Æthiopiæ ſimul omnes vocantur aliquando Terra Chus ; verum Scriptura hoc nomen populis etiam tribuit , quibus nulla eſt cum illis regionibus relatio . Nonne mirum eſſet admodum , Libros Sanctos frequenter adeo de Nilo ſermonem habere , quin vel ſemel Gehon appellarent , ſi hoc illi nomen fuiſſet ? Verum quidem eſt Authorem Eccleſiaſtici 24. 37. notare exundationes fluminis Gehon temporibus vindemiæ : *Aſſiſtens quaſi Gehon in die vindemiæ* ; quod Nilum videtur innuere , qui prope Caniculam exundet , atque fluctibus ſuis Ægyptum dierum centum ſpatio irrigat . Verum hæc hujus temporis innundatio , non unius Nili eſt peculiaris . Plures alii magni adſunt fluvii , qui fere æſtate exundant ; veluti Padus , Rhenus , Tigris , & Euphrates . Solinus cap. 8. de Pado loquens ait : *Intumeſcit exortu caniculæ tabefactis nivibus , & liquentibus brumæ pruinis* &c. Rhenum autem tumere conſpicimus ſub Auguſti finem , atque Septembris .

Euphrates , ut teſtatur Strabo l. 16. *Æſtate exundat , a Vere incipiens , cum jam nives in Armenia liqueſcunt* . Et Plinius l. 5. c. 26. de Euphrate locutus , illum ait intumeſcere , cum Sol Cancri obtinet partem vigeſimam , videlicet aliquandiu poſt Æſtivum Solſtitium , & verſus Julii initium ; atque decreſcere , cum Sol in ſigno eſt Virginis , ſcilicet menſe Septembri . *Increſcit & ipſe Nili modo ſtatis diebus paulum differens , ac Meſopotamiam inundat Sole obtinente viceſimam partem Cancri , minui incipit in Virgine* &c. Libro vero 18. cap. 18. Tigris , & Euphratis parem ait eſſe rationem : *Similis ratio (Ægypti) ſed major felicitas Babylonis , ut Seleuciæ , Euphrate , atque Tigri reſtagnantibus* . Adiri poteſt author idem l. 18. c. 17. & Solinus cap. 50. ubi ait Euphratem ſub idem fere tempus , ac Nilum exundare : *Iiſdem fere temporibus , quibus Nilus exit , Sole ſcilicet in parte Cancri viceſima conſtituto . Tenuatur cum jam ad Leonem decurſo ad extima Virginis curricula facit tranſitum* .

Cum Araxis fons ſit in montibus iiſdem , ac Euphratis , habere quoque decet exundationes ſuas tempore eodem , tunc cum ſub Æſtatis exitum nives , quæ in Armeniæ montibus ſunt , colliqueſcunt . Itaque in noſtra hypotheſi verum eſt , Gehon *in diebus vindemiæ* exundare , ut Author Eccleſiaſtici innuit . Author idem ait Tigrim intumeſcere *in diebus novorum* , ſcilicet Vere ; quod ipſum confirmat Strabo , qui ut ſuperius dictum eſt , exundationum initium Euphratis , quæ ſub idem tempus fiunt cum exundationibus Nili , Vere ſtatuit , *a Vere incipiens* &c.

Qui terreſtrem Paradiſum in Palæſtina ſtatuunt , res parum adeo veriſimiles aſſerere coguntur , atque audacter adeo quædam ſupponere , ut hypotheſim ſuam ſtatuentes nequaquam ſerio egiſſe videantur . Videntur enim nihil aliud quæſiviſſe , quam ut eruditionem ſuam jactitarent , atque in re admodum difficili conjecturas ſuas liberius vagari paterentur . Deſcribitur alicubi in Scripturis Palæſtina velut regio electa a Deo , atque miræ fœcunditatis . Videtur ager , ubi olim erat Sodoma , Paradiſo Domini collatus : ſed illud nullatenus probat hanc fuiſſe regionen Eden , nec ibi umquam terreſtrem Paradiſum fuiſſe . Parvulus rivus *Gehon* vocatus , qui prope Jeruſalem fluit , nequaquam ſibi vindicare poteſt decus fluminis Gehon , quod de viridario Eden delabebatur ; pernicitati ſuæ nomen hoc acceptum referre debet ; & cum regio , quam

1 Joſephus lib. 1. Antiq. c. 1. Epiphan. in Anchor. Auguſt. l. 8. de Geneſi ad litter. c. 7. Janſen. hic , Sacerdos Ægyptius apud Lucanum lib. 10.

--- Sunt qui ſpiramina terris
Eſſe putent , magnoſque cavæ compagis hiatus ;
Commeat hac penitus tacitis decurſibus unda .
----- Gangeſque , Padusque
Per tacitum mundi . Tunc omnia flumina Nilus
Uno fonte vomens , non uno gurgite perfert .

alluit Jordanes, Paradiſo Domini [1] conferatur; hoc profecto alibi Paradiſum fuiſſe confirmat.

Syſtema, quod ab Huetio mira profecto eruditione, atque elegantia propoſitum fuit, præ cæteris magis rationi conſentaneum videtur, & quod potiori jure alii amplectantur; verum in eo deeſt, quod vim quodammodo facit, ut Moyſis textum explicet, & longius a naturali ſenſu recedit, quem ipſius verba primo intuitu præſeferunt. Pro quatuor fluviis duos tantum fuiſſe ait, & pro quatuor fontibus, qui ab eadem origine dimanant, de quibus loquitur Moyſes, ne unum quidem conſtituit. Eden ſtatuitur infra conjunctionem Euphratis, & Tigris; dum juxta Scripturas regio hæc longius ſupra hanc conjunctionem eſſe debebat, & Aſſyriam verſus. Hevilah regio, & Chus hypotheſi accommodatur; verum omnes licet aſſentirentur, ibi locorum fuiſſe Hevilah, & tractum regionis vocatæ Chus, naturaliter aſſeri nequit, duas Tigris, atque Euphratis vias poſt ipſorum conjunctionem diviſas in univerſam regionem illam reverti; quoniam ad ſummum parvulam illius partem ambiebant.

Neque Scriptura, neque Profani loquuntur umquam de auro Hevilah in ſinu Perſico, neque reor Bdellium, neque Onychem ibi reperiri. Denique Euphratis, & Tigris alvei nonniſi ſero conjuncti ſunt; & Plinius *Hiſt. Natural. l. 6. c. 27.* ait, antiquitus hæc duo flumina ſeorſim in ſinum Perſicum difluxiſſe, quorum oſtia ad vigintiquinque millia, vel ut alii malunt ad ſeptem paſſuum millia abeſſent. *Inter duorum amnium oſtia 25. mille paſſus fuere, aut ut alii tradunt ſeptem mille, utroque navigabili; ſed longo tempore Euphratem præcluſere Orcheni, & accolæ agros rigantes, nec niſi per Tigrim defertur in mare* [2]. Ita hypotheſis, quæ Paradiſum in horum fluminum conjunctorum alveo ſtatuit, nequaquam probari poteſt. Si Moyſes innuere voluiſſet, quod innuiſſe contendunt, aliter profecto locutus eſſet; & ſi nunquam dixit, quod ipſum dixiſſe volunt, videtur, futurum fuiſſe ut, ſi juxta ſententiam noſtram loqui voluiſſet, alia prorſus, ab ea quam iniit, ratione loqueretur.

Sanctus Auguſtinus de Geneſi *ad litteram l. 7. cap. 1. & lib. 13. de Civitate cap. 21.* quæſtionem inſtituit, utrum Paradiſus a Moyſe deſcriptus ſpiritualis ſit, an materialis, an uterque ſimul. Credibile autem eſt, difficultatibus, quas Sanctus hic Doctor ad litteram explicaturus, quidquid Moyſes ait, invenit, adactum fuiſſe, ut hanc quæſtionem iniret: atque verum eſt, non poſſe niſi maxima cum difficultate ad litteram explicari, quidquid Sacer author inquit, atque longius minoris eſſe negotii in allegoricum, & ſpiritualem ſenſum intelligere, de ſtatu felicitatis, atque innocentiæ, in quo verſabatur Adam, quam ad litteram explicare. Verum Moyſis textus innuit materialiter intelligendum eſſe; & ſpiritualis ſtatus Adam in Paradiſo non niſi indirecte admodum exprimitur in textu; atque ideo Sanctus ille Doctor agnoſcit Paradiſum ſimul materialem eſſe, & ſpiritualem: ſed diverſorum habita ratione. Locus ubi ſitus erat, materialis eſt, verum Beatorum ſtatus, cujus ſymbolum erat, ſpiritualis.

Patres multi [3], & magna Interpretum copia crediderunt Enoch, atque Eliam translatos fuiſſe in Paradiſum terreſtrem, qui ſubſiſtit adhuc in aliqua terrarum parte, quæ nunquam, ajunt illi, detegi potuit. Innititur hæc ſententia Eccleſiaſtici loco 44. 16. *Enoch placuit Deo, & translatus eſt in Paradiſum*; atque contendunt ibidem eſſe & Eliam, quoniam æque ac Enoch haud obiit, atque cum ipſo ante poſtremi judicii diem eſt reverſurus. Verum reſponderi poteſt, græcum Eccleſiaſtici textum de Paradiſo non loqui, ſed ſimpliciter aſſerere Enoch translatum fuiſſe: Quod etiamſi *Paradiſi* vocem in textum admittas, non ideo ſequitur intelligendum eſſe de Paradiſo terreſtri, ſed tantum de aliquo delitiarum viridario, cujus ſitus ignoretur. Doctiores, atque diligentiores ex Patribus [4] ſtatuere non audent quo translatus fuerit Enoch; atque S. Auguſtinus *l. 2. de peccato origin. c. 23.* quæſtionem hanc illis accenſet, quæ nullo Fidei detrimento in Eccleſia poſſunt agitari.

Verum minime ambigimus, quin locus, ubi Paradiſus ſitus eſt, adhuc ſubſiſtat, quamquam eo omni decore exutus, quo olim ornatus adeo fuerat in deliciis, atque pleriſque qualitatibus illis, ac circumſtantiis viduatus, quarum fulgore illum hodie quoque poſſemus agnoſcere. Aderant in Terreſtri Paradiſo quædam animantia; non ita vero omnes animantium ſpecies. Serpens, qui adfuit, oſtendit alia quoque bruta adeſſe potuiſſe. Aderant Arbores, & Virgulta cujuſque generis, tum ea illis, quæ ornatui, tum ex iis, quæ vitæ hominum inſerviunt utilitati: *Omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuave*.

Quoad arborem vitæ, arboremque ſcientiæ boni, & mali, de quibus ſermo eſt ℣. 9. & de quibus hic nobis differendum diximus, quæ vulgo afferantur, hic habes.

℣. 9. PRODUXIT DOMINUS LIGNUM VITÆ IN MEDIO PARADISI, LIGNUMQUE SCIENTIÆ BONI, ET MALI.] Creditur arbor vitæ peculiaris quædam fuiſſe arboris ſpecies, cui virtus eſſet vitæ ſervandæ, atque incolumitatis in homine fructu ſui frequenti conſuetudine: ita ut qui ex illo ederent, numquam eſſent morituri.

Sanctus Auguſtinus *de Geneſ. ad litteram l. 8. c. 5. & l. 2. de peccator. merit. c. 21.* ſupernaturali virtuti credidit tribuendum, quod hujus arboris fructus hunc gigneret effectum; ſed plerique (*St. Bonav. in 2. Diſt. 19. Gabriel in 2. Diſt. 19. Strab. in Geneſ. Hug. Victor. Abul. in 13. Geneſ. Procop. in Geneſ. Molina, Bonfrer.*) arbitrantur hanc vivificandi virtutem naturalem fuiſſe illi arbori. Nominis tantum hic fortaſſe eſt difficultas: atque fieri poteſt, ut Sanctus Auguſtinus exiſtimaverit virtutem hanc repubeſcendi a Creatore huic arbori inditam, ſupernaturalem eſſe habendam. Theologi recentiores contrarium omnino concluſerunt.

Nulla extat hodie arbor in rerum natura, quæ mira hac excellat virtute, vel quod Deus arborem vitæ deſtruxerit, vel quod tempore Diluvii conciderit; atque non abs re eſſet credere, virtutem hanc reſpectivam tantum fuiſſe, atque effectum gignere potuiſſe in ſolo Adam innocentia corpore. Nonnulli etiam credunt arbores vitæ, ac ſcientiæ ſymbola tantum fuiſſe, quæ admonerent Adam, ne aliunde, quam in Deo vitam quæreret, neque lumen aliud, vel ſapientiam haberet, niſi ut voluntates Dei ſcrutaretur. Philo *de opificio mundi p. 35.* aſſerit hanc vitæ arborem denotare pietatem in Deum; virtutem, quæ immortalitatem animæ impertit; atque arborem ſcientiæ boni, & mali indicare prudentiam.

Verum locus hic capitis tertii: *Ne forte mittat manum ſuam, & ſumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & vivat in æternum*; palam oſtendit, quod hic fructus non eſſet modo nota, & ſymbolum, ſed & cauſa, ſaltem moralis, immortalitatis Adam. Et cum ſerpens promitteret Evæ futurum, ut, ſimulac ex illius arboris fructu manducaverint, oculi eorum aperiantur; dubio procul intelligebat, illius fructus uſum certam eſſe acquirendæ ſcientiæ viam. Ita illud intellexit Eva, atque adnixa eſt, ut vir quoque intelligeret.

Quandoquidem Adam immortalis erat, inſpiciamus oportet, quæ illius eſſet immortalitas, & in quo conſiſteret. Unum immortalitatis genus eſt mori nequaquam poſſe. Ea eſt Dei immortalitas, qui numquam mortem perpeti poteſt; immortalitas Beatorum, qui ne-

1 Geneſ. 13. 10.
2 Vide Cellar. Geograph. l. 3. c. 16.
3 Auth. quæſt. ad Orthodoxos quæſt. 85. Irenæus adv. hæreſ. l. 5. Author libri de vita & obitu Sanctor. c. 3. & alii plures.
4 S. Chryſoſt. homil. 21. in Geneſ. Theodor. interrog. 45. in Gen.

nequeunt amplius mori, ſed aliud quoque eſt immortalitatis genus, poſſe non mori: & hæc erat Adam immortalitas, qui poterat, ſi Deo obtemperaſſet, moriendi neceſſitatem effugere. Niſi ille de innocentia ſua excidiſſet, credunt aliqui, diutius illud hoc in orbe fuiſſe immoraturum in tranquillo ſtatu, ac felici, rerum obnoxium viribus ſuis reparandis, tuendæque vitæ fructus vitæ conſuetudine; atque fuiſſe futurum, ut poſtea in immortalem vitam traduceretur, ubi nulla hujus fructus vitæ neceſſitate teneretur, ut mortem effugeret. Rabbini aſſerunt futurum fuiſſe, ut poſt diuturniſſimam, feliciſſimamque vitam Deus illius animam ſine ulla ægritudine, vel dolore a corpore ſejungeret, quod ipſi vocant non *mortem*, ſed *oſculum pacis*. Vide Grotium ad Rom. 5. 12.

Communes noſtrarum ægritudinum cauſæ, noſtræque mortis in Adam adeſſe non poterant. Exceſſus, violenti perturbationum animi impetus, humorum corruptio, organorum infirmitas, naturalis caloris extinctio, humidi radicalis defectus, peſſimæ eſcarum qualitates, exteriorum cauſarum vis minimum poterant Adam terrorem incurere in Paradiſo. Cum infirmitate aliqua, aut virium imminutione corpus affici percepiſſet, ſuppetebant illi Paradiſi arbores, quæ optimum præberent cibum; contra ætatis, & ſenectutis effectus aderat arbor vitæ, quæ illum in robuſtæ, firmæque valetudinis ſtatu ſervaret. Sapientia qua imbutus erat, nullo negotio prævidere poterat, atque occupare, quidquid extrinſecus obeſſe illi potuiſſet.

ARBOR SCIENTIÆ BONI, ET MALI.] Scientia boni, & mali perfectam rerum omnium moralium cognitionem complectitur: ſed videtur hic in ſenſu, qui latius pateat, eſſe intelligenda, ſcilicet pro univerſa moralium, rerumque naturalium, ſcientia, quarum rerum cognitio hominem decet. Cum Dæmon Evæ promittit ſcientiam Divinæ ſcientiæ perſimilem [1] nihil aliud illi pollicetur, quam boni, maliqua agnitionem. Apud Homerum *ſcire bonum, & malum*, amplectitur & ſcientiam boni, & mali moralem, atque rerum omnium hujus mundi ſcientiam, quæ rerum periculo comparatur. Non ſum amplius puer, ait Telemachus, modo bonum, & malum agnoſco [2].

Joſephus l. 1. antiquit. c. 2. ait, arborem ſcientiæ hanc habuiſſe vim ſpirituum aperiendi, ut facilius intelligeret; quæ explicatio præ cæteris nobis arridet, & magis ſimplex, ac naturalis videtur. Arbor hæc ſtatuta erat, ut Adam ſibi compararet ſcientiam univerſalem, quemadmodum arbor vitæ, ut ſibi vitam ſervaret. Auctor Eccleſiaſtis 14. 6. Legem Moyſis appellat *Legem vitæ, & Scientiæ*, quod illa tribuere debebat vitam, & ſcientiam Hebræis. Deus illis vitam pollicebatur, qui illi obtemperaſſent, mortem vero minitabatur, ſi quis dicto audiens non fuiſſet. Ipſius adminiculo populum ſuum edocuit, quidquid ipſe præciperet, atque item quidquid vetaret. Arbor vitæ, arborque ſcientiæ idem reſpectu Adam præſtabant.

Plerique Patrum [3], ac Interpretum in ſenſum figuratum intelligunt: Arbor, quæ docebit Adam bonum, & malum, & quæ prius erat ipſius inobedientiæ cauſa, cauſa erit quoque, ut periculum ineat, atque oppoſitionem agnoſcat, quæ intercedit inter ſtatus prioris felicitatem, & calamitatem alterius. Chaldaica verſio idem videtur intellexiſſe: *Arbor, quam manducantes diſcernant inter bonum, & malum*. Hæc ſententia non admodum ab ea differt, quæ aſſerit huic arbori nomen illud ironicè [4] inditum. Hæc illa eſt arbor ſcientiæ, qua uſus eſt dæmon, ut primos parentes in errorem induceret, ſpe adactos fore, ut ſapientes, ac immortales evaderent. Alii ita explicant; Arbor, qua Deus voluntatem ſuam homini prodidit, prohibens, ne de illius fructu comederet.

Quoad hanc ſcientiæ arborem, quæritur, num una tantum eſſet, utrum ab arbore vitæ differret, an adhuc ſubſiſtat?

Scriptura numquam de arbore ſcientiæ loquitur, niſi veluti de una tantum arbore, neque ulla adeſt neceſſitas, ut plures admittantur. Aliqui Interpretes credidere hanc arborem fuiſſe frumentum; ſed frumentum ſub arborum genere minime continetur. Rabbini [5] vineam fuiſſe arbitrantur; Theodorus apud Theodoretum quæſt. 28. *in Geneſ.* Sanctus Iſidorus Peluſiota l. 1. Ep. 2. Procopius, aliique plures retulerunt arborem hanc fuiſſe ficulneam; quod ſtatim poſt peccatum parentes primi conſuerunt folia ficus, ut nuditatem obtegerent. Rabbini ficus vocant dementiæ filias propter Evæ, atque Adam peccatum. Toſtatus contrarium infert; neque enim probabile aſſerit Adam, atque Evam adhibere voluiſſe ad ſe obtegendos hujus arboris folia, quæ illis adeo obfuiſſet. Alii contendunt ceraſum fuiſſe. Plerique vero fuiſſe pomum arbitrantur, quæ vulgata eſt ſententia, quamquam infirmis, æque ac aliæ, innititur argumentis. Ut hæc probetur ſententia, Canticorum locus affertur cap. 8. 5. *Sub arbore malo ſuſcitavi te: ibi corrupta eſt mater tua; ibi violata eſt genitrix tua*. Verum afferri poteſt Salomonem iſtic non loqui de peccato primæ mulieris in Paradiſo. Vide noſtrum Commentarium in Cantica Canticorum.

Affirmari certo nequit, utrum arbor ſcientiæ boni, & mali, ac arbor vitæ duæ eſſent arbores diverſæ. Textus enim utrumque ſenſum affirmativum pati poteſt, & negativum. Verti enim æque rite poteſt, *Lignum vitæ, & lignum ſcientiæ*, ita ut duæ arbores diverſæ notentur; ac, *Lignum vitæ, ſeu lignum ſcientiæ*, ita ut de una tantum arbore intelligatur. Cap. 3. 22. ſcriptum eſt, a Deo expulſum fuiſſe Adam de Paradiſo, *ut ſumat etiam de ligno vitæ, & vivat in æternum*; quod ipſum in utrumque, quos paullo ante memoravimus, ſenſum explicari poteſt; *Ne ſumas iterum fructum de ligno vitæ, atque, ut ſcientiam invenit, ita inveniat & vitam*: vel in ſenſum oppoſitum; ne ut fructum vitæ ſumat, ſicuti ſcientiæ fructum percepit. Sed ſententia, quæ diverſas fuiſſe contendit arbores, admodum eſt probabilior.

℣. 15. TULIT ERGO DOMINUS HOMINEM, ET POSUIT EUM IN PARADISO.] Deus condidit hominem, & mulierem extra Paradiſum, uti ex hoc loco apparet, ſi conferas cum verſiculo 23. cap. 3.

UT OPERARETUR, ET CUSTODIRET ILLUM.] Ut ſe ſe hilariter exerceret, ut haud ægre ſine ullo labore coleret, atque veluti hæreditatem ſuam tueretur; utque caveret, vetaretque, ne quæ officerent animantia.

℣. 16. & 17. PRÆCEPIT EI DICENS: EX OMNI LIGNO PARADISI COMEDE.] Præceptum hoc ad Adam pertinet, atque Evam; vel quod hoc Deus utrique præceperit allocutus Adam coram Eva; vel dum Eva aberat, illud imperavit Adam, ut ipſe uxorem ſuam faceret certiorem; vel denique uni Adam illud præſcripſerit, atque denique Evæ inſtauraverit. Liquet autem ipſam haud ignoraſſe, ſe ad eaſdem conditiones teneri, ac virum ſuum: atque ſupplicium, quod Adam, ac Evæ commune fuit poſt peccatum, oſtendit, utrique ſimul illud imperatum, vetitumque fuiſſe. Sanctus Juſtinus Martyr *apolog. 2. p. 81.* refert Deum dixiſſe Adam: *Bonum, & Malum eſt coram te*; Quod in Moyſe non extat, ut hic Sanctus Juſtinus Martyr contendit: ſed hoc ex Eccleſiaſtico depromptum eſt, ubi legitur 15. 17. 18. *Appoſuit tibi aquam, & ignem ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi*.

[1] Geneſ. 3. 5.

[2] --- Καὶ οἶδα ἕκαστα
Ἐσθλά τε καὶ τὰ χέρεια· πάρος δ' ἔτι νήπιος ἦα.
Ode 5.

[3] Chryſoſt. hom. 13. in Geneſ. Theodoret. quæſt. 27. in Geneſ. Auguſt. l. 8. de Geneſi ad litter. cap. 14. & 14. de Civit. Dei c. 17. &c.

[4] Rupert. Menoch. Tirin. [5] Sanhedrin. fol. 70. Bemidbar. Rabba. fol. 170. & 238.

[A] Quæri hic poteſt ; utrum felicitas, vel infelicitas Adam, atque poſteritatis ipſius ita illius fidelitati, vel infidelitati perſonali adhæreret, ut ſi Eva tantum peccaſſet, ipſius inobedientia nihilum humano generi obfuiſſet, ſi Adam minime fuiſſet aſsenſus.

Primo reſponderur, in Scripturis Adam ſemper repræſentari, velut qui humanum genus omne complecteretur, atque omnium hominum nomine ageret, cujus actio in univerſam hominum naturam influeret. Sanctus Paulus illius comparationem inſtituit cum Redemptore, quod enim illius poſteritas propter ejuſdem inobedientiam emiſit, hoc Jeſus Chriſtus ſua eſt obedientia aſſecutus [1].

Secundo cum mulier facta fuiſſet, ut homini inſerviret, *Adjutorium ſimile ſibi*, cumque homo caput eſſet mulieris, minimum detrimenti ee ſolo hujus crimine A- [B] dam, atque ipſius poſteritas capere poterat. Adeſt hic pactionis, [2] fœderiſque conditionalis inter Deum & hominem ſpecies quædam, qua Deus ſe ſe obſtringit, felicem redditurum Adam, ipſiuſque poſteritatem, ſi in fide permanſerit. Fœmina in fœderis hujus partem vocata eſt, non autem ut pars princeps ; verum dumtaxat veluti Adam ſubjecta ; non enim contractum antiquare potuiſſet, neque fœdus infringere ſola ipſius perſonali infidelitate, niſi hominis conſenſus interfuiſſet. Itaque intuemur, non niſi poſt Adam lapſum, in ipſos velut rebelles Deum animadvertiſſe. Quare inferri poteſt, ſi Eva ſola peccaſſet, minime futurum fuiſſe, ut nobis obeſſet [3].

MORTE MORIERIS.] Certe morieris ; vel juxta Syriacam, Symmachum [4], ac Rabbinos, *Eris mortalis*, [C] cum eſſes immortalis. Mortis nomine Scriptura plura intelligit ; exempli gratia mortalia vulnera, periculum mortis, mortis timorem, mortem animæ, mortem temporalem, ac mortem æternam. Patet Adam peccato ſuo mortem animæ [5] offendiſſe : verum videtur hic Moyſes exprimere ſolum peccati ſenſibilem effectum, qui eſt mors corporis ; quod confirmari poteſt eo loco capitis 3. ℣. 19. *Donec revertaris in terram, de qua ſumptus es.*

Peccatum Adam cum omnibus effectibus illius in ipſius poſteritatem emanavit, ut nos Fides edocet contra Pelagianos, qui aſſerebant primum hominem animæ tantummodo ſubiiſſe mortem, atque peccatum illius, uni ipſi obfuiſſe : niſi obfuit fortaſſis pravo exemplo, inquiunt illi, quod inde ad ipſius poſteros reli- [D] ctum eſt. Credunt aliqui Adam illico poſt peccatum ſuum fuiſſe moriturum, niſi pœnitentiam egiſſet : verum Scriptura de hoc nihil loquitur. *Morte morieris*, notat dumtaxat neceſſitatem aliquando moriendi [6], atque mortis initium, propter infirmitatem, qua ſe affici percepit, & quæ aliquandiu poſt re ipſa necem illi conferre debebat. Deus aliquandiu Adam ſervavit incolumem, ut ipſi criminis ſui expiandi locus eſſet, atque ut ille conſilia ſua in humanum genus exequeretur.

℣. 18. NON EST BONUM HOMINEM ESSE SOLUM.] Moyſes hic quadam epilogi ſpecie hæc omnia colligit, & prolixius quidquid omiſerat, refert, vel quod obiter [E] tantum attigerat cap. 1. ℣. 27. Non eſt bonum, ex omnibus animantibus, hominem eſſe ſolum in ſpecie ſua. Oportet igitur illi comitem tradere, qui illi opem ferre queat cum quo ille verſetur, & per quæ ſervare, ac multiplicare ſuam ſpeciem valeat [7]. *Adjutorium ſimile ſibi* ; Hebraice, adjutorium quod ſit coram ipſo. Adjutorium a quo nunquam deſeratur, quod illi inceſſanter adhæreat. Eſſe coram aliquo, juxta ſcripturarum conſuetudinem [8] indicat præſto eſſe alicui, illi actu inſervire.

[A] Septuaginta vertunt [9] ; Adjutorium, quod illum deceat, quod ejuſdem ſit conditionis, naturæ ejuſdem, ejuſdem qualitatis cum illo ; quod cum illo eadem habeat negotia, eademque ſtudia. Alii vertunt ; Adjutorium, quod illi adhæreat, quod prope illum ſit, atque ad illum pertineat. Onkelos, Jonathan, & Arabica verſio transferunt ; *Adjutorium quod ſit incumbens anterioni ipſius*. Ludovicus de Deo his verſionibus innititur, atque intelligit de ſexus utriuſque concurſu ad generationem : quod haud abeſt a Sancti Auguſtini ſententia *l. 9. Geneſ. ad litteram c. 5.*

℣. 19. FORMATIS DE HUMO CUNCTIS ANIMANTIBUS TERRÆ, ET UNIVERSIS VOLATILIBUS.] Vide quid de hoc loco dixerim de productione volatilium cap. 1. ℣. 20. Samaritanus textus, & Septuaginta le- [B] gunt [10] : *Deus creavit etiam e terra omnia animantia*. Ea effinxit ita ferme, uti hominem effinxerat ; vel ea, æque ac hominem de humo formavit. Particula hæc *etiam* ſignificare poteſt Dei concurſum in creatarum rerum conſervationem, ipſarumque continuam reproductionem, quæ S. Auguſtini videtur ſententia initio libri noni Geneſis ad litteram. Arabica verſio optimum habet ſenſum ; *Dominus coegit omnes beſtias agri, atque adduxit ad Adam, ut illi oſtenderet, quod nomen ipſe illis tribueret.*

ADDUXIT EA AD ADAM.] Hoc factum fuiſſe Angelorum miniſterio [11] cenſetur. Locus hic ideam nobis tribuit exigui animantium numeri, impellitque, ut credamus, Deum forſitan alia nequaquam alibi creaſſe, niſi prope Paradiſum terreſtrem. Neque enim [C] intelligi poteſt, ex omnibus animantibus ubique locorum creatis, aliquot, vel bina e ſingulis ſpeciebus legata fuiſſe, ut honorem hunc Adam conferrent ; multoque minus omnia ſimul ee omnibus partibus undequaque conveniſſe, eo brevi temporis intervallo, quo Adam innocentiam ſervavit. Verum fieri equidem potuit, ut naturali inſtinctu, quem Deus omnibus animantibus indiderat, omnia in unum coacta ſint poſt ſuam creationem circum Adam, veluti ipſius ditionem, atque imperium ſuper ſe teſtatura.

Idea, quam Scriptura tribuit de Statu Adam, ipſius innocentiæ tempore, ipſum velut animantium Dominum nobis exhibet ; verum imperium in ipſa exercere non potuiſſet, niſi Deus naturaliter illa ſubmiſiſſet voci, ac ſignis, quibus uti poterat homo, ut illis [D] imperaret : quoniam ipſius dominium ſuper animantibus relativum eſt cum ſubmiſſione illius, & obedientia ; atque imperium Adam ſuper belluis, nequaquam violentum erat, difficile, arduum, uti eſt reliquum hoc dominium, quod Deus nobis ſuper ipſis reliquit. Quod ſi hominis dominium non decebat eſſe violentum, animantium quoque ſubmiſſio coacta, atque obſtricta vi nequaquam eſſe debebat ; ſed ipſis a natura indita, cum libera nequaquam eſſe poſſet, rationabilis, atque electiva.

Haud neceſſe eſt aſſerere, piſces quoque ſe ſe obtuliſſe Adam ; [12] ei tantum ſe ſe obtulerunt illi, qui in eo flumine creati fuerant, quod hunc tractum Eden al- [E] luebat, quin ab aquis egrederentur. Sanctus Auguſtinus l. 9. *de Geneſ. ad litter. c.* 12. non credit piſces coram Adam conveniſſe, uti cætera acceſſerant animalia. Verum ait, hominem primum, aut illius minores piſcibus ſubinde nomen tribuiſſe, prout ipſorum naturam, ac proprietates perſpiciebant ; in qua explicatione minimum Moyſi adverſari opinatur. Cajetanus contendit hæc omnia peracta fuiſſe in Adam imaginatione. Alia prorſus futilis imaginatio.

Nos latet, quo loco, qua die Adam animalia recenſere inſtituerit ; nihil enim nos cogit, ut hoc ipſum

---

1 Vide Rom. 5. 6. 2 Vide Auguſt. de Civit. lib. 16. c. 27. Bedam in Lucam 11. Rupertum hic, & dicta ad ℣. 14. c. 17.
3 Vide Perer. ad Rom. v. 12. 4 *Sym.* Θνητὸς ἔσῃ 70. Θανάτῳ ἀποθανεῖσθε. 5 Origen. hom. 15. in Geneſ.
6 Auguſt. lib. 1. de Peccatorum meritis c. 16. 7 Joſeph. antiq. l. 1. c. 2. Βλέπων δὲ τὸν Ἀδάμον μὴ ἔχοντα κοινωνίαν πρὸς τὸ θῆλυ, καὶ συνδιαιτησιν, οὐδὲ γὰρ ἦν, ἐκπληττόμενον δὲ ἐπὶ τοῖς ἄλλοις ζώοις ἔχουσι
8 1. Reg. 29. & 3. Reg. 10. 8. Ezech. 44. 11. Dan. 1. 5. & paſſim. 9 כנגדו βοηθὸς κατ᾽ αὐτόν. Confer Biantis dictum: εἰς τὸ ὁμοῖον ἕλκε. Aq. ἀντικρυς αὐτοῦ. 10 ꝟ 70. ἔπλασεν ὁ Θεὸς ἔτι ἐκ τῆς γῆς.
11 Aug. l. 9. de Geneſ. ad litter. c. 14. 12 Menoch.

ſum in paradiſo Eden peregiſſe eredamus: illis nomina poſuit imponera, antaquam illuc ingredaretur, quod ipſum magis conſentaneum viderur, ne cogamur aſſerere, animantia cuncta in Paradiſum adducta fuiſſe. Videbimus infra ℣. 20. ab ipſo nomina ante Evæ formationem fuiſſe impoſita, quod iis, quæ hactanus diximus, confirmatur.

℣. 20. Appellavit Adam nominibus suis cuncta animantia.] Adam hic in animalia jus imperii ſui exercet, illis noman imponans, oti Deus imperium ſuum in hominem denotarat illi Adam nomen tribuens [1]. Alicui nomen imponere eſt authoritatis notat arque altiſſimæ argumentum ſapientiæ, noſſe res ſingulas nomine proprio appellara. Oportuit igitur, ut primus homo perfectiſſima rerum omnium naturæ cognitione eſſet imbutus, ut ipſis aarum propriatatibus apts nomina impertirer. Veteres Philoſophi [2] marito admirati ſunt ſermonis adinventum, illiuſque ingenium, qui illum effinxir, arque primus creaturas appellavit. Ita Tullius: l. 1. Tuſcul. quæſt. *Quis primus, quod ſummæ ſapientia Pythagoræ viſum eſt, omnibus rebus impoſuit nomina?* S. Clemens Alexandrinus l. 1. Stromat. credit, Adam prophatico afflatum ſpiritu animantibus nomina tribuiſſe: opus quidam erat ad id non vulgari, ſed perſpicaciſſimo, & extraordinario lumina.

Quod vocavit Adam animæ viventis ipsum est nomen ejus.] Joſephus Antiq. lib. 1. cap. 1. contendit Hebraica animantium nomina, quæ tempore quoqua illius oſurpabantur, ea fuiſſe, quæ illis Adam impoſuit. Inde ioſertur, primum hominem hebraice locutum fuiſse, arqua a Deo hebraicam linguam accepiſſe. Invenitur profecto in hoc ſarmone mira conformitas inter animantium naturam, ac nomina, quibus appellantur. Bochartus in magno illo opera de Scripturæ animalibus, maximam oſtendit Etymologiarum vim; & ſi melius Hebraicam linguam callaremus, plaræque aliæ datagerentur.

Adæ vero non inveniebatur adjutorium simile sibi.] Adam in ea recenſione, quam de animantibus inſtituit, nullum invenir, quod ſibi factum agnoſceret; nullum ſibi ſimila: animantia bina arant, & bina, ipſa vero ſolus arat. Igitur peracta eſt animalium recenſio, antequam Eva fieret.

℣. 21. Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam.] Hebraica vox [3], quam Vulgata *Soporem* vertit, a Septuaginta transfertur [4] eſtaticus ſomnus, atque divinus; Aquila [5] Somnus, qui ex improviſo invadit, atque obruit. Symmachus vertit [6] Somnum eum capitis gravedine: Tertulianus lib. de anima c. 21. legebar, *Immiſit Dominus in Adam amentiam.* Adam fuit valuti axtra ſa raptus, atqua in magno mantis exceſſu, profecto in Eſtaſi, cujus tempora Deus illi prodidit, quidquid facturus erat, & Eccleſiæ ſuæ myſterium, quæ juxra Patrum [7] ſententiam egradi debebat a Jaſu Chriſti latara in Cruca obdormientis; vel voluit ſenſibili illius dolori parcare in ea ſectione, quam in illius corpore erat operaturus.

Tulit unam de costis ejus,] vel ſecundum alios ſumpſit particulam carnis da illius coſtis. Chaldaica verſio, ut animadvartit Grotius apud Maimonidem transfart aliquando hebraicam vocem *Zela* [8], *partem*. Et Septuaginta [9] in aumdem ſanſum aliquando transferunt, ut Exodi c. 24. 26. & 35., & 36. 27. Sed unio, atqua ſarmonis conſtructio oequeunt naturalitar hic niſi da femore intelligi. Vertendum eſſet juxta Grotium: *Tulit partem corporis Adam, replevitque carnem pro ea; & mulierem effinxit de ea parte, quam tulerat.* Nonnulli credunt Deum accepiſſe coſtam da aliqua coſta Adam: alii cradunt, accepiſſe tantum car-A nis particulam de una e coſtis. Cajetanus hoc re ipſa factum fuiſſe non credit; ſad hęc omnia in Metaphoricum ſenſum explicat. Philo quoque allegor. legis l. 3. p. 109. 110. illud figurata intelligit; aſſerens naturalem hujus loci ſenſum fabuloſum eſſa: verum hæc ſententia ſcripturæ adverſatur [10], omnibuſque Patribus, & Traditioni.

Et replevit carnem pro ea.] Si Deus abſtulit unam a coſtis Adam, neutiquam nudam abſtulit, & ſine carne; itaque cum ait, repleviſſa carnem pro ea; credibile eſt ipſum nequaquam ſine coſta repleviſſe [11]. Vidatur tamen divus Auguſtinus de Geneſ. ad litter. l. 9. c. 13. credera Daum mioime novam coſtam repleviſſe, ſad carnem ſimplicitar juxta Moyſis textum. Interpretes nonoulli inani prorſus labora quærunt e B num Adam creatus fuerit cum una, aut altera coſta ſuper earum numerum, quæ nobis ſunt: val utrum vixarit illa una, vel duabus coſtis diminutus, ac nos ſumus: & hoc ſuppoſito, an ille prodigii loco baberi dabebat. Verum pueriles hæ quæſtiones ſunt, idoneæ ad eos detinendos, qui otio ſoo veline abuti.

℣. 22. Ædificavit costam in mulierem.] vel materiam multiplicando, veluti cum Jeſus Chriſtus quinque panas in deſerto multiplicavit; vel carnem adjiciendo, vel humum, quam in carnem immutarit. Scriptura non aſſarit, Deum inſpiraſſe ſpiraculum vitæ in muliarem; verum hoc intelligendum eſt, quandoquidem Deus illam viventem adduxit ad Adam poſtquam axperrectus eſt, nequa aliunde niſi ab ipſo vitam potuit accipere.

C ℣. 23. Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea.] Hæc loquendi ratio hic intelligi poteſt ad litteram. Adam per revelationem cognoſcere potuit, quid, dum ipſe ſopore percitus eſſet, fuiſſet factum; videlicat Evam vere aſſe os de oſſibus ſuis, & carnem da carne ſua. Sed hæc locutio intelligi in aodem ſenſu potaſt, in quo paſſim in Scripturis intelligitur, ubi ſolum affinitas, & conſanguinitas denotatur; valuti Labao ait Gena. 29. 14. Jacob nepoti ſuo: *Tu es os de oſſibus meis, & caro de carne mea;* Abimelach Judic. 9. 2. Sichimitis ait, ſa ipſorum os, & carnem aſſa; & Tribus Juda ait ad David 2. Rag. 5. 1. ſe de illius oſſibus, atqua carne eſſe. In aliis quoqoe linguis dicitur; hic aſt ſanguis ſuus: *Quo tendis ameus? ſanguinem fundis tuum.* Senec. Tragic. Non D invenerat hactenus Adam aliquem, qui illi ſimilis eſſet, qui eadem, ac ipſe, eſſet natura; ille tamen ſa dainde in Eva perſpexit: in ipſa ſuum ſanguinem, ſua oſſa, ſuam eſt naturam intuitus.

Hæc vocabitur virago, quia de viro sumpta est.] Latine referra voluerunt alluſionem, quæ adeſt in textu intar *Iſch*, hominem, & *Iſchah*, mulierem [12]. Latini priſci mulierem dicebant *viram*, ut docat Feſtus; in eademque lingua aliquando nomen hoc *Virago* uſurpatum eſt, ut mulier fortis, & virili animo prædita notaratur. Symmachus [13] aamdem alluſionem voloit imitari.

℣. 24. Quamobrem relinquet homo patrem suum, et matrem, et adhærebit uxori suæ.] Chaldaice; *relinquet homo cubile Patris ſui, & matris ſuæ.* Inter-E pretum nonnulli hæc verba Deo tribuunt, Adam alii, atque alii Moyſi. Sermonis contextus poſcera videtur ut Adam refarantur. Dici quidem poteſt, hanc Authoris ſacri eſſa animadverſionem, qoi hæc dixerit, ut oſtenderet inſolubile hominis, & muliaris vinculum. Denique apud S. Matthæum 19. 5. Salvator ea videtur tribuere Deo, qui primam hanc conjugii legem inſtituit. Apoſtolus ad Epheſios c. 5. ℣. 23. 24. 25. detexit myſterium conjugii inter Jeſum Chriſtum, atque Eccleſiam figuratum in conjugio Adam, & Evæ.

1 Philo de Mundi opificio p. 34. σοφίας γὰρ [illegible] τὸ ἔργον. 2 Plato in Cratylo. 3 תרדמה על האדם. 4 Ἔκστασις. *Mentis exceſſum.* 5 Καταφορὰν ἐπὶ τὸν Ἀδὰμ. 6 Sym. Κάρον. alius, ὕπνον, *Somnum.* 7 Aug. tract. 9. in Johan. & Tertul. l. de anima c. 43. Epiphan. hæreſ. 48. 8 צלע Zela. 9 Μέρος. 10 1. Cor. xi. 8. *Non enim vir ex muliere, ſed mulier ex viro.* 11 Menoch. Eſtius, Piſcat. Ita & Catharin. &c. 12 לזאת יקרא אשה כי מאיש לקחה זאת. 13 Sym. Αὕτη κληθήσεται ἀνδρίς, ὅτι ἐξ ἀνδρὸς αὐτῆς ἐλήφθη αὕτη. 70. αὕτη κληθήσεται γυνή, ὅτι ἐκ τοῦ ἀνδρὸς αὐτῆς ἐλήφθη. Theodot. αὕτη κληθήσεται λῆμμα, ὅτι ἐκ τοῦ ἀνδρὸς ἐλήφθη. *Ipſa vocabitur aſſumptio, quia de viro ſumpta eſt.*

Et erunt duo in carne una.] Hebraicus textus, & Chaldaicus verti poſſunt: *Erunt una eadem caro*, vel in unam, eamdemque carnem jungentur. Vox duo non adeſt, verum apud Septuaginta [1] reperitur. Erunt duo, qui ſient una eademque caro propter filiorum productionem, qui utriuſque ſunt ſanguis. Sponſus, & ſponſa aliquo modo unum tantum conſtituunt propter negotiorum communionem, atque reciprocam poteſtatem alterius in alterius corpus, & propter inſeparabile unionis vinculum. Samaritana lectio habet: *Fiet e duobus una eadem caro*: & Sanctus Paulus 1. Cor. 6. 16. ait, *Qui adhæret meretrici unum corpus efficitur? Erunt enim, inquit, duo in carne una.*

℣. 25. Erat autem uterque nudus, et non erubescebant.] Paraphraſtes Jonathan vertit: *Illi erant ſapientes, verum non permanſerunt diu in eo ſtatu adeo glorioſo*, Junius, & Tremellius Hebraicum textum [2] vertunt: *Callidi erant*, vel *ſapientes erant*. Sed melior eſt Vulgatæ ſenſus; & locum hunc cum iis, quæ dicuntur capite 3. 7. conferentibus innoteſcit de corporali nuditate hæc verba eſſe intelligenda. Moyſes hic animadvertit, primos parentes non erubuiſſe propter ſuam nuditatem; verum præterit rationem. Ait deinde, illos tunc nuditatem ſuam agnoſcere incœpiſſe, ſimulac peccaverunt, eamque obtegere ſategerunt. Unde arguitur peccatum, & concupiſcentiam, quæ illius effectus eſt, unam eſſe cauſam perturbationis, ac defectionis carnis in ſpiritum: atque ideo pudoris, qui illam conſequitur. Plato in Politico p. 272. opinatus eſt, omnes homines nudos fuiſſe, dum aureum ſæculum floreret. Atque l. 5. de Repub. loquens de Græcorum conſuetudine, qui ad ludos ſuos nudi pro-

A dibant, ait: non magnum adeo temporis lapſum eſt ſpatium, cum mos hic probro vertebatur in Græcia, & cachinnis excipiebatur, uti apud plures barbaros populos conſuevit. Sed modo qui rideat, eſt nemo; morem enim conſuetudo probavit.

Pudoris quædam ſpecies eſt inanis, atque irrationabilis, quæ opinioni tantum innititur, vanitati, pravæque conſuetudini; altera vero eſt, quæ naturæ innititur, atque oppoſitioni, quæ rei cuidam eſt cum recto jure, verecundia, atque ratione. Stoici, & Cynici perperam hunc cum priore perturbabant; neque ſatis utriuſque diſcrimen adnotaſſe videtur Plato in iis, quæ ab illo dici ſuperius paullo docuimus. Nu-

B dum incedere, quamquam dici queat, inverecundi tamen aliquid habet, atque pudori & rationi adverſantis; atque oportuit, ut, qui priores honeſtatem hanc neglexerunt, pudorem, & naturæ ipſius ſenſum oppugnarint.

Hæretici quidam [3] crediderunt primos parentes lumine captos creatos fuiſſe; quoniam nuditatem ſuam minime intuebantur. Illud, quod ſequitur, *aperti ſunt oculi amborum*, occaſionem præbere potuit ſententiæ huic omnino irridendæ. Origenes l. 7. contra Celſum p. 358. edit. Cantabrig. prudenter advertit, in narratione lapſus Adam, ipſum hunc a ſcriptura repræſentari ſimul & cæcum, & perſpicue videntem; cæcum

C vero oculis animæ, quos clauſit, ne, quid ſibi opus eſſet, aſpiceret; videntem vero oculis corporis, quos aperuit, ut ea intueretur, quæ mentem illius diſſipatunt, atque hanc cordis cæcitatem effecerunt, quæ ipſi tanto conſtitit detrimento.

---

1 Ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν. 2 ויהיו שניהם ערומים. 3 Philaſtr. hæreſ. 66.

CAPUT III.

Tentatur Eva a Serpente. Lapſus Evæ, & Adam. Maledictiones in Serpentem. Primorum hominum damnatio. Ipſorum expulſio e Paradiſo.

Anno Mundi 1. Ante Jeſu Chr. 4000, ante æram vulgarem 4004.

1 Sed & ſerpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus:
Qui dixit ad mulierem: Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni li-
gno paradiſi? 2 Cui reſpondit mulier. De fructu lignorum, quæ ſunt in pa-
radiſo, veſcimur: 3 De fructu vero ligni, quod eſt in medio paradiſi, præcepit nobis
Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne forte moriamur. 4 Dixit autem ſer-
pens ad mulierem: Nequaquam morte moriemini. 5 Scit enim Deus, quod in quo-
cumque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri: & eritis ſicut dii, ſcientes bo-
num, & malum. 6 Vidit igitur mulier, quod bonum eſſet lignum ad veſcendum,
& pulchrum oculis, aſpectuque delectabile: & tulit de fructu illius, & comedit: de-
ditque viro ſuo, qui comedit. 7 Et aperti ſunt oculi amborum: cumque cognoviſ-
ſent ſe eſſe nudos, conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata. 8 Et cum au-
diſſent vocem Domini Dei deambulantis in paradiſo ad auram poſt meridiem, abſcondit
ſe Adam, & uxor ejus a facie Domini Dei in medio ligni paradiſi. 9 Vocavitque Do-
minus Deus Adam, & dixit ei: Ubi es? 10 Qui ait: Vocem tuam audivi in paradi-
ſo: & timui, eo quod nudus eſſem, & abſcondi me. 11 Cui dixit Dominus: Quis
enim indicavit tibi, quod nudus eſſes, niſi quod ex ligno, de quo præceperam tibi, ne
comederes, comediſti? 12 Dixitque Adam: Mulier, quam dediſti mihi ſociam, dedit
mihi de ligno, & comedi. 13 Et dixit Dominus Deus ad mulierem: Quare hoc feci-
ſti? Quæ reſpondit: Serpens decepit me, & comedi. 14 Et ait Dominus Deus ad ſer-
pentem: Quia feciſti hoc, maledictus es inter omnia animantia, & beſtias terræ: ſuper
pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. 15 Inimicitias po-
nam inter te, & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius: ipſa conteret caput tuum,
& tu inſidiaberis calcaneo ejus. 16 Mulieri quoque dixit: Multiplicabo ærumnas tuas,
& conceptus tuos; in dolore paries filios, & ſub viri poteſtate eris, & ipſe do-

mina-

minabitur tui, 17 Adæ vero dixit: Quia audiſti vocem uxoris tuæ, & comediſti de li-
gno, ex quo præceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo: in la-
boribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. 18 Spinas, & tribulos germinabit ti-
bi, & comedes herbam terræ. 19 In ſudore vultus tui veſceris pane, donec reverta-
ris in terram, de qua ſumptus es: quia pulvis es, & in pulverem reverteris. 20 Et
vocavit Adam nomen uxoris ſuæ, Heva: eo quod mater eſſet cunctorum viventium. 21 Fe-
cit quoque Dominus Deus Adæ, & uxori ejus tunicas pelliceas, & induit eos. 22 Et
ait: Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt, ſciens bonum, & malum: nunc
ergo ne forte mittat manum ſuam, & ſumat etiam de ligno vitæ, & comedat, &
vivat in æternum. 23 Emiſit eum Dominus Deus de paradiſo voluptatis, ut ope-
raretur terram, de qua ſumptus eſt. 24 Ejecitque Adam, & collocavit ante paradi-
ſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque verſatilem, ad cuſtodiendam
viam ligni vitæ.

℣. 1. SERPENS ERAT CALLIDIOR CUNCTIS ANIMANTIBUS TERRÆ.] Veteres omnes ſerpentis fraudem cognoverunt; & nonnulli crediderunt etiam antequam Dei maledictione percuteretur, hoc animal, multo magis perſpicax fuiſſe, quam ſit modo. Scriptura de illius arte paſſim loquitur: inquit enim, exempl. gr. ipſum aures ſuas obturare, ne venefici vocem percipiat, Pſal. 57. 3. equi pedem mordere, ut dejiciat equitem, Geneſ. 49. 17. & Jeſus Chriſtus in Evangelio Matth. 10. 16. nos hortatur, ut ſerpentis prudentiam imitemur. Moyſes ut animos noſtros ad narrationem tentationis Evæ præparet, hac utitur præfatione; cupiens hoc pacto nos certiores facere de ſerpentis inviſibilis malitia, ac dolo, qui ad primam mulierem decipiendam, non fatuo, rudique animanti uſus eſt, ſed quod præ cæteris calliditate, atque aſtu præſtaret.

Ratio, qua Moyſes hiſtoriam hanc de primorum hominum lapſu refert, uſquequaque eſt animadvertenda. Figuratis enim, & ænigmaticis locutionibus utitur, atque ſpecie quadam parabolæ narrationem obtegit rei veriſſimæ, atque hiſtoriæ, quæ maxime fuit ſeria, maximique momenti. Repræſentat enim ſerpentem animantium omnium calliḋiſſimum, qui loquitur, & ratiocinatur cum Eva, qui illam in fraudem allicit, & qui ſuper ſe ipſum Dei pertrahit maledictiones. Hiſtoricus Sacer Dæmonis videtur oblitus, qui mali princeps extitit cauſa: & ſupplicium omne, quod ſerpens inviſibilis merebatur, in animal illud corruiſſe, quod inſtrumentum erat tantummodo, quo dæmon uſus eſt. Verum Moyſes ita ſermonem inſtituit, ut levi negotio intelligatur, de alio ſe loqui ſerpense ab eo, qui Evam eſt allocutus; atque inter maledictiones, quibus Deus ſerpentem mulctavit, quædam ſunt, quæ non niſi de dæmone valeant intelligi: Exempli gratia, quod ille ait de inimicitiis, quas inter mulierem ſtatuet, ac ſerpentem. Credi poteſt Iſraelitas hoc eodem verborum ambitu uſos fuiſſe, ut factum hoc ſibi invicem enarrarent. Moyſes populum alloquebatur, qui ſtylo huic figurato aſſueverat, & qui aliunde hanc hiſtoriam audierat, atque ſerpentis nomine, non ſolum hujus nominis animal, verum etiam *ſerpentem antiquum* intelligebat; quemadmodum Scriptura [1] vocat Dæmonem, qui initio homicida fuit, ut ait Chriſtus Jeſus, Johan. 8. 44.

Imperator Julianus apud Cyril. l. 3. contra Julian. univerſam hiſtoriam hanc fabulis accenſebat, atque Poeticis commentis comparabat. Illudens enim quærebat, quanam lingua uſus eſſet Dæmon Evam allocutus; & quomodo aſſeri poſſes, Deum homini denegaſſe boni, & mali agnitionem? Verum S. Cyrillus hiſtoriæ hujus veritatem tuetur, atque aſſerit dæmonem ſerpentis formam ſuſcepiſſe, & cum muliere ſub hujus animantis ſpecie eſſe collocutum: Evam recens creatam, atque ad ſummum ſimplicem, incautam crediḋiſſe quæque animantia loqui, neque ſibi caviſſe ab dæmone, qui ipſam in fraudem impellebat; cæterum abs re admodum videri, quod Ethnicus hæc nobis objiceret, quandoquidem cuncta vetus Græcorum hiſtoria exemplis diffluebat animantium, quæ loquerentur. Denique Sanctus Cyrillus Juliani Moyſis narrationem cum Poeticis figmentis comparantis argumenta in ipſum retorquet: quandoquidem hæc referens fatebatur, univerſam Græcorum religionem, quæ Poetarum commentis innitebatur, ipſam quoque verum eſſe commentum.

Cajetanus in hoc ſerpentis cum Eva colloquio nihil invenit præter allegoriam, qua Sacer Author oſtendat, quid in Evæ ſpiritu, & corde a dæmone tentatæ contigerit, qui hic ſerpentis nomine eſt intelligendus. Philo quoque de opificio mundi p. 86. & de agricultura p. 201. hanc mulieri fraudem a ſerpente intentatam figurate explicat. Cupiditas, ſeu voluptas carnalis, apud ipſum, verus eſt ſerpens, qui primos parentes fefellit, ſenſibiles nimium motibus cupiditatis, & perturbationis, quos ipſorum ſimilitudo, & deſiderium ſibi ſimiles filios gignendi in ipſorum animos invexit.

Joſephus l. 1. Antiquit. c. 1. nonnulli apud Philonem, Sanctus Baſilius homil. de Paradiſo, Sanctus Ephrem apud Barcepha de Paradiſo c. 17. aliique crediḋiſſe videntur, tunc ſerpenti ſermonis uſum fuiſſe. Joſephus ibidem, & Sanctus Baſilius crediderunt etiam ſerpentem, antequam Evam tentaret, rectum incedere conſueviſſe; atque a Deo damnatum fuiſſe, ut reperet, quod eo inſtrumento callidus dæmon ad fraudem uſus fuerat. Dixerunt alii, ſerpentem, abſque eo quod articulatim verba enunciaret, ſe ſe mulieri prodere potuiſſe, quoniam illa belluarum noverat linguas æque ferme, ac Apollonius Thyaneus illas ſe intelligere jactitabat. Liquet autem, Profanos aſſerere, quod animantia aureo ſæculo loquerentur, & dum feliciſſimum Saturni floreret imperium.

Nonnulli crediderunt, dæmonem ſerpentis moviſſe linguam, atque effeciſſe, ut veras voces enunciaret. Alii contendunt, dæmonem Evæ oculos fefelliſſe, atque in aere, vel ſimpliciter in primæ mulieris organo voces effinxiſſe, quas illa e ſerpentis gutture emanaſſe eſt arbitrata. Abarbanel, atque alii quidam rem admodum ſimplicem hic intelligebant, ſed clam, atque ænigmatice prolatam, ſcilicet ſerpentem ſæpius in arborem ſcientiæ boni, & mali coram muliere aſcendiſſe, atque de vetito fructu comediſſe, quin aliquid caperet detrimenti, & mulierem crediḋiſſe eodem veſci poſſe, quin mortem vereretur. Si Rabbinum hunc percuncteris, cur igitur Deus illum ſupplicio affecit? Inde factum ait, quod cum illi non ſatis eſſent paſcua, & herbæ, quas Deus illi in eſcam tradiderat, veſci voluerit arboris fructu, ex quo manducare illi nefas erat.

Profana antiquitas hiſtoriæ, quam hic Moyſes narrat, aliquot ſervavit veſtigia. Inde autem originem habuit pomorum aureorum fabula, quibus ſerpens invigi-

1 2 Cor. 11. 3. Apocal. 12. 9.

vigilabat. In Bacchi myſteriis (uti videre eſt apud Clementem Alexandrinum in Euſebio Præp. 2. c. 3.) ſerpens oſtendebatur, qui illum, a quo Eva tentata fuit, referebat; atque in Bacchanalibus Evoe clamabatur, veluti ut nomen illius ſervaretur, quæ peccatum in terrarum orbem invexerat. Ægyptii peculiari honore ſerpentem proſequebantur teſte Sanchoniathone ex Euſebio Præpar. Evang. l. 1. cap. 10. ipſum immortalem putabant, & tanquam Deum venerabantur; illi *Kneph* nomen tribuebant, quod in ipſorum lingua bonum ſpiritum ſignificat, quo nomine Phænices etiam illum vocabant.

Priſci Patres [1] de Ophitarum hæreſi locuti ſunt, qui inani cultu ſerpentem colebant, permittente Deo, ut infelices illi a dæmone ſub eadem forma fallerentur, quam primos homines decepturus induerat. Poetæ [2], ut oſtenderent humani generis calamitatem a prima muliere emanaſſe, dicebant, Deos iratos mulierem efformaſſe, ut hæc miſeros efficeret homines. Eam vocarunt Pandoram, quod illorum quiſque donum huic contulit; eaque ad Epimetheum miſſa fuit cum cado funeſtorum horum munerum referto. Illi cupiditas inceſſit hunc aperiendi, ſed illico mala omnia effluxerunt. Spes una in imo cado ſubſedit.

Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno Paradisi?] vel potius: Cur vobis non permiſit, ut omnibus fructibus veſceremini? Textus verba [3] in ſermonis exordium communiter non preponuntur, ſed ſermonis jam inchoati decurſum notant; crediturque id eſſe ſerpentis cum fœmina dialogi continuatio, cujus principium Moyſes preteriit. Verti quoque poteſt? *Poſſibile ne erit*, Deum vobis horum omnium fructuum uſum interdixiſſe? Vel: *Admiror utique; quod nequaquam permiſeris Deus* &c. vel denique: *Cur Deus vobis hoc interdixiſſet* &c. perperam illius præceptum intellexiſtis.

℣. 2. Cui respondit mulier.] Ægre componitur hæc Evæ ſimplicitas, vel ignorantia, qua loquitur, ac reſpondet ſerpenti, quin ſtupore ſe captam oſtendat, cum idea, quam de ſapientia, ac perſpicacia primorum patrum, effinximus. Si ignorabat Eva, ſerpentem ratione carere, ac ſermonis uſu, quid de illius ſcientia eſt cogitandum? Sin autem ſciebat, hoc animal loqui non poſſe, quomodo ſibi minime cavet, cum illum ſermocinantem, ac verba enunciantem audit? denique ſi illa juſta erat, atque innocens, quin indignaretur, audire potuit, Deum malitiæ, invidiæ, atque mendacii redargui?

Sanctus Thomas, ac Sanctus Bonaventura in 2. ſentent. diſt. 21. crediderunt, Evam judicaſſe quidem, quod ſerpens ex ſe loqui non poſſet, atque aliquo ſpiritu eſſet afflatus; ſed non confeſtim intellexiſſe, quinam hic erat ſpiritus, nec quodnam illius eſſet conſilium. Magnificis illecta promiſſis, quæ ille pollicebatur, animum non advertebat, quemadmodum hoc animal loqui poſſet. Magiſter ſententiarum in 2. diſt. 21. & Toſtatus in Geneſ. haud ægre fatentur, primam fœminam credidiſſe, quod ſerpens ſermonis compos a Deo fuiſſet effectus. Eva poterat quidem mentis lumine excellere, ac ſpeculativas cognitiones habere, carere autem his cognitionibus, quæ rerum experientia comparantur. Error, de quo hic agitur, cum ſit error de facto, quod ſingulares animantis reſpicit qualitates, ſtatui innocentiæ æque ac peccatum veniale non repugnabat. Eva poterat facile falli, ſuis cognitionibus animum non advertens; uti eruditioribus, atque ſapientioribus viris labi contigit in errores, & defectus, quos minime adverterunt, in quos, ſi mentis ſuæ lumine uterentur, nequaquam prolaberentur. Eva nequaquam ſtupore percita videtur ſerpentem loqui audiens; quoniam neque ſibi a dæ- A mone cavebat, quem non noviſſe poterat, neque a ſerpente, cujus ipſa erat domina.

Denique aſſeri poteſt, primam fœminam jam aditum in mentem ſuam præbuiſſe alicui nubeculæ, & tepori in cor ſuum, qui metum imminuerunt, atque amorem, quo proſequi debebat Deum, antequam ſerpens illum tentaturus accederet. Dæmon in illa animadvertit diſpoſitionem, atque adiens, ut eam a Creatoris ſui fide ſubduceret. Illa non primo ſtatim impetu in crimen ruit; ſed per gradus innocentiæ fecit jacturam. Incepit enim ab avido nimium adſpectu; ipſa nimis ſibi ipſi complacuit: ipſa curioſitate tacta fuit, quæ ipſius ſpiritum diſſipavit; ipſa excellentiam ſui ipſius nimium dilexit; & cor ipſius erga Deum tepefactum eſt, cui amo- B rem omnem debebat: ipſa ambigere cœpit, ſe nimium amavit, & ſenſim ſe ad illius imperium teneri pœnituit. Dæmon acceſſit; qua infirmior erat, aggreſſus eſt; ſtudia illius, ne cui pareret, aſſentationibus fovit; in Deum auxit diffidentiam, illi ſcientiam ſpopondit: illa vero his pollicitationibus inflata, officii ſui eſt oblita, errorem amavit ſuum, fructum comedit; neque ægre Adam induxit, cujus perſimiles eſſe poterant cogitationes, ut ipſe quoque comederet. Amor illius erga conjugem ſuam in illius mente, ac corde idem eſt operatus, quod in Eva ſerpens effecerat.

Sanctus Auguſtinus l. 11. de Geneſ. ad litt. c. 30. prudentiſſime animadvertit, numquam fuiſſe futurum, ut mulier prima ſerpentis propoſitionibus ad- C hæreret, niſi illam propriæ excellentiæ occupaſſet ambitio, atque inordinatum nemini obtemperandi deſiderium. *Non crederet verbis ſerpentis a bono, atque utili re ſe eſſe prohibitos, niſi ineſſet ejus menti amor propriæ poteſtatis, & quædam de ſe ſuperba præſumptio*. Vide etiam eumdem l. 3. de libero arbitrio c. 24. ubi perpendit, quomodo, cum primi patres ſapientes adeo creati fuerint, a dæmone potuerint falli. Videri etiam poteſt liber primus Retractationum c. 14. & liber 14. de civitate Dei cap. 12. & 13.

℣. 3. Ne forte moriamur.] Intuemur hic in Eva dubietatis exordium. Addit illa ſenſim vires dæmoni, oſtendens ſe vereri, minas Dei fuiſſe abſolutas. *Deus affirmat, mulier dubitat, Sathan negat*; ut ait Bernardus Serm. 22. n. 3. de diverſis. Hebraice, D Chaldaice, & Syriace in ſecunda legitur perſona, *Ne forte moriamini*. Senſus vero idem eſt ſemper.

℣. 5. Scit enim Deus.] Dæmon invidiæ hic Deum coarguit, qui vereatur, ne creatura illius perfectior evadat, & æque ac ille ſapiens.

Eritis sicut Dii scientes bonum, et malum.] Hebraica vox Elohim [4] ſignificat Deum, Deos, Principes, Angelos, Judices. Chaldaica verſio habet: *Eritis ſicut principes* [5]. Rabbini, & plures Interpretes: *Eritis ſicut Angeli*. Denique verti poteſt: *Eritis ſimiles Deo*, boni, atque mali, quam obtinebitis, agnitione, ſcilicet, rerum omnium ſcientia, atque ex decurſu patet, Adam, atque Evam futurum eſſe ſperare, ut Deo ſimiles evaderent: *Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt*, Deus dixit Adam poſt E lapſum. Scire bonum, & malum in Scripturis [6], atque apud Profanos [7] ſignificat perfectam rerum omnium cognitionem.

Hebræi [8] narrant Angelum Razielem attuliſſe Adam librum, ubi maxima continebantur myſteria, donec Angeli una cucurrerunt, ut aliquid legi intelligerent. Sed Angelus Adarniel ait ad Adam; Cogita adorare Deum tuum, & ſigna librum hunc, quoniam tibi uni datum eſt, hæc omnia arcana cognoſcere. Adam igitur illum adſpexit, neque deinde conſulebat, niſi ut penitiora intelligeret. Hinc percepit formam Currus Domini, Cœlorum fundamenta, illorum motus,

1 Tertul. de Præſcript. c. 47. Epiph. hær. 37.
2 Heſiod. Opera & dies.
3 אף כי
4 אלהים Elohim.
5 רברבין
6 Geneſ. 31. 9. & 24. 50. & 31. 24.
7 Homer. Odyſſ. 1. & Ξ & Heſiod. Theogoniæ.
8 Liber Tobeleth. Jacob in Præfatione.

tus, omnes terrarum orbis linguas, Angelorum omnium malorum, pravorumque agnitionem, Aſtronomiam, temporum, annique tempeſtatum ſcientiam, Aſtrorum influentiam, & Taliſmorum conſtruendorum rationem, ac univerſe cultus omnes tum ſacros, cum profanos. Hæc autem juxta Judęos erat Adam ſcientia. Joſephus l. 1. c 1. antiq. videtur credere, primos parentes re ipſa majori mentis auctos fuiſſe lumine, poſtquam vetitum fructum comederunt; eoſque res detexiſſe, quas antea non animadverterant; exempli gratia, propriam nuditatem, & hanc cognitionem fructus, quem manducarunt, effectum fuiſſe.

℣. 6. VIDIT IGITUR MULIER, QUOD BONUM ESSET LIGNUM AD VESCENDUM, ET PULCHRUM OCULIS, ASPECTUQUE DELECTABILE.] Hoc autem Hebraice [1] habetur ad litteram; *Vidit, quod (fructus) arboris eſſet bonus ad veſcendum, atque oculis pulcher, & deſiderabilis, propterea quod intelligentiam tribuebat.* Intelligi quoque poteſt juxta verſionem Chaldaicam; *Vidit, quod (fructus) arboris erat bonus ad veſcendum, oculis ſalutaris, aſpectuque delectabilis.* Grotius hunc ſenſum tribuit Septuaginta [2]: *Vidit, quod fructus arboris erat bonus ad veſcendum, & ſaluber quantum oculis conjicere poterat.* Eva ſpecie fructus illecta exiſtimavit, virtutem, quę illi erat ſapientiam donandi, mereri, ut ex illo comederet.

ET TULIT DE FRUCTU ILLIUS, ET COMEDIT, DEDITQUE VIRO SUO, QUI COMEDIT.] Hebraice ad litteram [3]: *Dedit viro ſuo cum illa.* Nonnulli [4] concludunt, Adam interfuiſſe conjugis cum ſerpente colloquio. Verum tunc abfuiſſe communiter creditur, neque illud videtur textus innuere. Credibile eſt, ipſam ex eo fructu non obtuliſſe viro ſuo, niſi errore cognito, in quem lapſa fuerat [5].

Ex quacumque parte Evę crimen adſpicias, enorme videtur. Inobedientia in re, quam illi Deus adeo explicite imperaverat, delictum eſt inexcuſabile. Cupiditas Deo ſimilem evadendi, horribilior eſt adhuc; deſiderium omnia ſciendi, ut Deus, indicat inordinatos ſpiritus affectus, & pręſumptionem nefariam. Criminum horum omnium fons eſt ſuperbia, quę cęcitatem mentis parit, cordis jactantiam, curioſitatem, gulam, inobedientiam, cui Sanctus Paulus omnia mala refert accepta Rom. 5. 19. *Per inobedientiam unius hominis peccatores ſunt multi.*

Quoad Adam aſſeri nequit, quibus rationibus adductus fuerit, ut uxorem ſuam imitaretur; utrum hę fuerint ſerpentis rationes, quas conjux illi enarravit, an amor, quo illam deperibat, an Dei preceptorum deſpectus; utrum vero mulier cognito Adam corde ad inobediendum diſpoſito, atque ſubmiſſionis ſuę, in qua propter Deum verſabatur, pertęſo, pravis his diſpoſitionibus uſa fuerit, ut illum in formalem inobedientiam alliceret. Vide ℣. 2.

Sanctus Paulus epiſtola ad Timoth. 2. 14. aſſerit Adam nequaquam ſeductum fuiſſe; utique vero mulierem. *Adam non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta in prævaricatione fuit.* Verum quidem eſt, a Dęmone nequaquam petitum fuiſſe, ut hunc tentaret: ſed non ideo Adam peccatum excuſationem meretur. Non ceſſit ille ſerpentis tentationi; ſed uxoris ſuæ vocibus ceſſit; & cum homo præ muliere mentis vi, & cognitionum ſuarum polleat extenſione, lapſus illius magis eſt præceps, inſolentior ambitio, & inobedientia acrius plectenda.

℣. 7. APERTI SUNT OCULI AMBORUM.] Criminis magnitudinem incœperunt agnoſcere, & rerum earum vanitatem, quas Dæmon ſpoponderat. Viderunt bonum, cujus jacturam fecerant, & malum, quo ruerant in præceps. Nuditatem ſuam cognoverunt,

CUMQUE COGNOVISSENT SE ESSE NUDOS.] Inordinata affectuum perturbatio, defectio carnis in ſpiritum illos pudore ſuffudit; nuditatem ſuam cognoverunt. Neque enim ante ad illam adverterant animum, quod nihil erat, cujus illos puderet, quodque illis diſpliceret. Aliqui in hoc explicant ſenſu: Se innocentia ſua exutos cognoverunt, quæ inter omnia illorum bona maximi erat pretii; ſeque deceptos fuiſſe intellexerunt.

Moyſes de Iſraelitarum crimine diſſerens, qui in aurei vituli ceciderant Idololatriam, Exod. 32. 25. xit: *Videns ergo Moyſes populum, quod eſſet nudatus (ſpoliaverat enim Aaron propter ignominiam ſordis, & inter hoſtes nudum conſtituerat)* &c. Dici poteſt hic in ſenſu eodem, quod Adam, & Eva *cognoverunt ſe nudos*; videlicet ea confuſione obrutos, qua viri, cum veſtibus ſuis exuti, improviſo opprimuntur. Verum hic ad litteram intelligendum eſt de corporali nuditate, quod evidenter oſtendunt ea, quæ ſequuntur. Locus Exodi allatus intelligendus eſt de reali, & effectiva armorum, ac ornatuum ſpoliatione, propter Vituli aurei cultum, quod alibi oſtendemus.

CONSUERUNT FOLIA FICUS, ET FECERUNT SIBI PERIZOMATA.] Hebraica vox [6] *Taphar*, quæ vertitur *conſuere*, ſignificat etiam applicare, accommodare, aptare; & vox illa, quæ vertitur *folia* [7], ſignificat etiam ramum viridium frondium onuſtum: atque ideo locus ille intelligi poteſt de lata zona e foliis compacta, vel etiam de ramis invicem intextis. Folia ficus admodum lata ſunt, atque apud Indos [8] ea ſunt magnitudine, ut Amazonum clypei. In Ægypto ſpecies quædam eſt ficus, quam ficum Adam vocant, cujus longitudo ulnam excedit, latitudo vero duos pedes [9].

℣. 8. CUM AUDISSENT VOCEM DOMINI DEI DEAMBULANTIS IN PARADISO.] Pro hac voce Dei intelligi poteſt, vel articulata vox: exempli gratia: *Adam ubi es?* vel ſtrepitus, quem quis edit præpropero gradu deambulans; vel denique tonitru, vox terribilis, quæ Adam, & Evam perterruit. Veteres quidam, uti videre eſt apud S. Auguſtinum lib. 11. cap. 33. Geneſ. ad litter. atque Eſtium hic, credidere Filium Dei apparuiſſe Adæ; alii Angelum fuiſſe contendunt.

AD AURAM POST MERIDIEM.] Hebraice ad litteram [10]; *ad ventum*, vel *ad ſpiritum diei*. Septuaginta ſimpliciter vertunt [11] *Poſt meridiem*. Theodotion [12] *ad ventum, cum dies frigore lenitur*. Chaldaice, *ad requiem diei*. Quod innuere videtur tempus quietis, quæ capitur ad Meridiem in calidis regionibus. Verum præſtat hunc locum explicare de tempore, quo Sol vergit ad occaſum.

Rabbini quidam docent, noſtros parentes ſub decimam horam diei peccaſſe, quæ vigeſimæ, & ſecundæ horæ noſtrati congruit in Æquinoctio. Dei apparitio ſtatim crimen eſt ſubſecuta. In Canticie Canticorum 2. 17. & 4. 6. legitur ſimilis huic locutio, *Donec aſpiret dies, & inclinentur umbræ.* Sed in Canticis hæc locutio evidenter indicat veſperam, ideo idem quoque hic debet ſignificari. Fateor quidem alio vocabulo uſum Salomonem fuiſſe ab eo, quo uſus eſt Moyſes; verum utrique eadem eſt ſignificatio; ſignificant enim *ſufflare*. Diodorus Siculus l. 3. p. 127. de maritimis Arabiæ plagis loquens, dicit, diei calores ibi maximos eſſe, ſed veſpere Zephyros, ventoſque Occiduos, atque ab Oriente in Meridiem afflare, & frigore aeris calorem temperare. Moyſes in Arabia ſcribens, tempus quo Sol ad occaſum vergit, quo Deus Adam apparuit, melius deſcribere non poterat, quam dicendo illi apparuiſſe, cum zephyri afflare incœperunt.

Ab-

---

1 כי טוב העץ למאכל וכי תאוה הוא לעינים ונחמד העץ להשכיל 2 עמה
3 Fagius, Piſc. Oleaſt. 4 Ambroſ. lib. de Paradiſ. cap. 6.
5. 70. ὅτι καλὸν τὸ ξύλον εἰς βρῶσιν, καὶ ὅτι ἀρεστὸν τοῖς ὀφθαλμοῖς ἰδεῖν, καὶ ὡραῖόν ἐστι τοῦ κατανοῆσαι.
6 תפר 7 עלה 8 Plin. l. 12. c. 5. Solin. c. 45. Theophraſ. l. 4. de Plantis.
9 Morizon Voyage l. 5. c. 9. 10 לרוח היום 11 Τὸ δειλινόν.
12 Theodot. Ἐν τῷ πνεύματι πρὸς κατάψυξιν τῆς ἡμέρας.

Abscondit se in medio ligni Paradisi.] Hæc locutio, & quæ ſuperius dicta ſunt, Deum deambulaſſe inter arbores Paradiſi, imaginem præfert lati admodum horti, ac nemoris clauſi, denſique, quo Adam, ut celaretur, receſſit. Sanctus Auguſtinus lib. 2. de Geneſ. contra Manichæos videtur innuere ipſos ſe ſe abdidiſſe ſub arbore eadem, quæ erat in medio Paradiſi, & cujus fructum comederant. S. Hieronymus illud palam aſſerit in Iſai. l. 9. c. 29. *abſconderunt ſe ſub arbore, in qua erat ſcientia boni, & mali.*

℣. 9. Vocavitque Dominus Deus Adam, et dixit ei: Ubi es?] Deus quærit Adam, utpote qui neſciret, ubi eſſet: præbere illi ſtudet occaſionem criminis agnoſcendi. Patres nonnulli, Tertul. l. 2. contra Marcion. c. 25 Origen. lib. de recta fide, Baſil. in pſalm. 114. Aug. l. 11. de Geneſ. ad litter. c. 34. Philo l. 2. allegor. Legis p. 70 hæc non in ſimplicis interrogationis ſenſu intellexerunt, ſed veluti exprobrationem, vehementemque reprehenſionem. Adam, ubi es? oculos aperi, infelix, intuere infelicitatem tuam, crimen tuum reſpice. Ubi ſunt illæ promiſſiones, quibus animum appuliſti?

℣. 12. Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, et comedi.] Crimen ſuum in uxorem rejicit, atque oblique in ipſum Deum, qui illi eam dederat ſociam, ut illi opem ferret. Hebraice; *Hæc mulier, quam poſuiſti cum me.* S. Bernardus lib. de præcepto, & diſpenſat. cap. 2. credit, ob id maxime Deum ſuccenſuiſſe in Adæ flagitium, propter pravam excuſationem, qua uſus eſt, conjugem inſimulans, dum humiliter crimen ſuum debuiſſet confiteri.

℣. 14. Ait .... ad serpentem .... Maledictus es inter omnia animantia.] Verti poſſet vocativo caſu, *O animal maledictum inter omnia animantia.* Nil magis ſerpente odit homo[1].

Serpens, ut ita dicam, odii eſt ſymbolum[2], vel rei, quam ad internecionem uſque oderimus: illum fugimus, vel perſequimur: ille veneno ſuo, & morſu obeſt. Viderat autem adfuiſſe, tunc eum Deus ſe obtulit coram Adam, atque Eva.

Patres aliquot[3] contendunt, maledictiones, quas hic jacit Deus, in Dæmonem tantum decidere. Profecto Dæmon ſolus erat ſons; & materialis ſerpens nullam habuit partem, vel cum dæmonis malitia, vel cum Adam prævaricatione; niſi velut inſtrumentum anima, non item ratione præditum. Alii in oppoſitam prorſus abeunt ſententiam; dicentes, dæmonem maledictum fuiſſe, antequam Adam prolaberetur, cujus malum eum majorem capere nequeat amplitudinem, fatendum eſſe, ſerpentem unum ſubiiſſe maledictionis effectus, quam Deus hoc loco enunciavit: hac in re nihil ab æquitate eſſe diſſonum: uti enim in hominis gratiam creata fuerant animalia, ita Deum potuiſſe homini ſuam prodere indignationem efficiendo, ut effectus ſenſibiles in belluas ratione carentes prorueret. Ita quoque in lege Moyſis[4] quædam bruta puniuntur veluti ſi malum elective, ac libere perperraſſent; & Jeſus Chriſtus ficulneam maledictione percutit, quia fructus non fecerat. Malumus vero cum Sancto Chryſoſtomo homil. 17. in Geneſ. & Theodoreto interrog. 34. in Geneſ. aſſerere maledictionem Dei dæmonem ſimul reſpexiſſe, & ſerpentem, verum in alio ſenſu; en autem quomodo hæ queant maledictiones intelligi, eas & ſerpenti, & dæmoni aptando.

Super pectus tuum gradieris.] Superius vidimus, aliquos tribuiſſe pedes, rectumque corpus

A ſerpenti: verum reor nihil novi accidiſſe corpori ſerpentis poſt primi hominis ſcelus; tunc quoque huic animanti eædem erant qualitates, quas obtinet modo; repebat, fructibus, radicibus, herbiſque terræ veſcebatur. Modo quoque ſerpentes extant, qui erecta cervice gradiuntur, & corpore tantum dimidio obrepunt. Vide Grotium in capitis hujus ℣. primo.

Verum poſt hominis lapſum, ſerpentis vita moleſtior effecta eſt, quandoquidem homo illum perſequitur, ferit, occidit, ubicumque invenit; quare illi integrum non eſt prodire, & libere obrepere; & omnia hæc ſymbolica facta ſunt, atque figuræ quædam maledictionum, quibus dæmon eſt obrutus, veluti

B princeps cauſa flagitii. Hoſtis hic humani generis aliquo modo ſuper pectus ſuum graditur, propter confuſionem, atque opprobrium, quo ſuffuſus eſt, ac propter indignum, inviſumque munus, quo fungitur, homines tentandi, ut, quantum in illo ſitum eſt, iniquos, & miſeros præſtet. Moyſes hac ſerpentis imagine hoc dæmonis ſupplicium Iſraelitis oſtendebat.

Terram comedes.] Hoc minime ad litteram eſt intelligendum: patet, ſerpentem non ali humo, ſed veſci fructibus, herbis, ranis, piſcibus, avibus, aliiſque animantibus. Hoc ſimpliciter notat, ipſum ſemper humi repentem manducare eſcas fœdas, ac pulvere aſperſas: ita eum Propheta ait, ſe manducaſſe pulverem, & cinerem cum pane; *Ci-*

C *nerem tamquam panem manducabam*, innuit ſimpliciter, ſe cineri incubantem eſcas viles fœdaſque comediſſe. Dæmon terram manducat, propter rabiem, ac deſperationem, qua vexatur; veſcitur flagitiis, & ſceleribus, quæ terreſtres, carnaleſque homines patrant.

℣. 15. Inimicitias ponam inter te, et mulierem, inter semen tuum, et semen mulieris.] Odium, atque horror, quo omnes homines in ſerpentem naturaliter afficiuntur, hanc probat maledictionem. Idque potiori jure patet adverſus dæmonem, qui omnes homines velut hoſtes conſiderat, atque ab illis tamquam hoſtis, qui neque at umquam conciliari, putatur. Quamquam dæmon in inflexibili malitiæ ſtatu, in quo verſabatur, cum E-

D vam tentavit, majora mereri ſupplicia nequaquam poſſet; verum nihilominus eſt, augmentum iræ, & deſperationis expertum eſſe, cum intellexit Deum in malitiam illius animadvertere; neque permittere, ut primi Patres in ſcelus prolapſi haud valerent expergiſci; atque mulieri promittere, nec non illi, qui ex ea erat naſciturus, fore ut de ipſo victoriam referrent.

Ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus.] Hæc eſt inter magis explicitas, claraſque venturi Meſſiæ prædictiones, qui genus humanum erat liberaturus, & de dæmone victoriam reportaturus. Hæc mulier, quæ conterere debet ſerpentis caput, eſt Sanctiſſima Virgo, quæ vires, ac imperium Sathanæ diruit,

E in lucem enixa Jeſum Chriſtum, victorem univerſæ malitiæ hoſtis humani, & everſoris ſcelerum, quæ Sathanæ imperium conſtituebant.

In textu hebraico[5] Relativum, & verbum ad filium mulieris referuntur, atque ad illius poſteritatem. Itaque vertendum eſſet: *Poſteritas mulieris conteret caput tuum.* Septuaginta[6] in hunc ſenſum intellexerunt, cum tranſtulerunt: *ipſe conteret*; vocem *ipſe* Meſſiæ referentes, mulieris filio, quem mente conceperant; quamquam antecedens *ſemen* neutrum eſſet, quod popoſciſſet, ut *ipſum* verteretur. Vetuſta aliquot

1 Theocrit. Idyll. 15. 2 Artemidorus Oniecr. l. 2. [illegible], &c.

3 Auguſt. lib. 11. de Geneſ. ad litter. cap. 36. & de Geneſ. contra Manichæos lib. 12. cap. 26. Gregor. M. Beda.

4 Vide Exod. 21. 29. Levit. 20. 15. Deut. 7. 25. & 13 15. Joſue 7. 25.

5 הוא ישופך ראש ואתה תשופנו עקב. Bellarm. l. 2. de verbo Dei c. 12. etiamſi codd. hebr. habent הוא, legit tamen unum in quo ſcriptum erat היא ipſa.

6 70. Αὐτός σου τηρήσει κεφαλήν. *Ipſe ſervabit caput tuum.* Alius. Αὐτή σου τρίψει κεφαλήν. *Ipſa conteret caput tuum.*

quot Latina exemplavia (vide recentiorem S. Hieronymi editionem tom. 1. & Hentan. & Brugens.) legunt, *ipſe*, uti quoque S. Hieronymus in quæſt. Hebraic., Sanctus Irenæus l. 4. adverſus hæreſ. c. 78. Sanctus Petrus Chryſologus ſerm. 173., Sanctus Leo Papa ſerm. 2. de Nativitate Domini, ubi ait: *Denuncians ſerpenti futurum ſemen mulieris, quod noxii capitis elationem ſua virtute contereret*. Targum Hieroſolymitanum, & duo Paraphraſtes Chaldæi hanc legendi rationem ſequuntur, quæ reperitur in Lippomano, in Iſidori Clarii verſionibus, Pagnini, Ariæ Montani, ac in recentiori Divi Hieronymi editione; & noſtra Vulgata in eumdem ſenſum explicari poteſt, quandoquidem Sanctiſſima Virgo, niſi per Chriſtum Jeſum, cujus erat Mater, ſerpentis caput potuit conterere. Hæc Vulgatæ lectio in omnibus fere latinis exemplaribus antiquitus manu exaratis invenitur. Eam ſequitur S. Auguſtinus de Geneſ. contra Manich. l. 2. c. 18. & de Geneſ. ad litter. l. 2. c. 36., Sanctus Ambroſius de fuga ſæculi c. 7. omneſque fere Patres [1]. Rufinus in veteri verſione, quem fecit Joſephi, transfert; *Præcepit, ut mulier capiti ejus plagas inferret*. Sed Græcus textus admodum diſtat; Quippe ait [2], *Deum poſuiſſe venenum ſerpentis ſub lingua illius, hominiſque hoſtem declaravit, volens, ut hic caput illius præſertim peteret; tum quod hæc erat pars, quæ humani cauſa fuerat infortunii, tum quod hæc magis facilis erat ſerpentis occidendi via*.

CONTERET CAPUT.] Editio communis Septuaginta; *Obſervabit* [3]. Editio Complutenſis legit, *franget, conteret* [4]. Iſaac Voſſius vellet legi: *perforabis* [5]. Arias Montanus ex Hebraico transfert: *ipſe afflabit te caput*; Onkelos: *meminerit de eo, quod illi feciſti ab initio, & tandem obſervabis eo*; ſcilicet, qui ex muliere orietur uſque ad finem reminiſcetur injuriæ, quam illi feciſti, & ſervabis contra illum, vel contra mulierem, odium quod in ipſum, aut in mulierem concepiſti.

Verum juxta vulgatam in hoc ſenſu explicandum eſt: Mulier conteret caput tuum, & tu non deſiſtes obſervare, ut mordeas talum illius, velut ſerpens abditus in herba, qui palam aggredi non audet; qui *talum obſervat*, qui noſtra legit veſtigia, qui nos petit a tergo. Author Vulgatæ hic tranſtulit *Inſidiaberis* eam vocem, quam prius *contereret* tranſtulerat. Septuaginta, aliique interpretes in utroque propoſitionis comare eamdem vocem ſervarunt; verum liquet in utroque loco idem ſignificari non poſſe: & ſi in ultero *conterere* ſignificat, idem ſignificare non poſſe in altero. Intelligitur quidem ſerpentis caput pedibus poſſe conteri; non item a ſerpente poſſe conteri talum, quo ipſe contritus eſt. Poſſet equidem uterque locus reddi per verbum *Inſidiari*; ſed tunc dæmonis vires potentiæ Dei, & Meſſiæ æquari viderentur, cum reciproce ſibi invicem dicerentur inſidiari.

Verti poſſet: *Ipſe conteret caput tuum, & tu obvolves calcaneum ejus*; vel *ſufflabis*, vel *odoraberis calcaneum ejus* [6]. Qui vertunt *inſufflabis*, credunt Moyſem hic ad flatum irritati ſerpentis alludere, vel minitantis, cum mordere vult. Serpens inſufflabit, & mordere adnitetur talum illius, qui ipſum perſequetur; ſed Meſſias illum inſufflando interficiet: [7] *Spiritu oris ſui interficiet impium*. Poteſt quidem minas intendere Sathanas, contra Meſſiæ calcaneum inſufflare poteſt, videlicet contra ipſius humanitatem, vel contra aſſeclas illius. Sed irriti conatus erunt, & inanis malitia contra Jeſum Chriſtum, atque electos ipſius.

℣. 16. MULTIPLICABO ÆRUMNAS TUAS, ET CONCEPTUS TUOS.] Hoc minimum ſpectat ad Sanctiſſimam Virginem, ſed ad alias mulieres, quæ ab Eva originem nactæ ſunt: *Ærumnas tuas, & conceptus tuos*, videlicet omnia incommoda, quæ prægnationi adhærent, & dolores puerperii; vel potius: *Multiplicabo pœnas tuas, & numerum prægnationum tuarum, & paries in dolore*. Deus voluit, ait S. Chryſoſtomus in hunc locum, ut, quæ res majori debebat matres afficere lætitia, eam præcederent, & comitarentur acerrimi dolores, ut in omni progenie primæ matris inobedientiæ pœnam experirentur. Si illa in innocentia perſtitiſſet, quemadmodum ſine concupiſcentia concepiſſet, ut S. Auguſtinus ait l. 14. de civit. Dei c. 26. ſine dolore etiam peperiſſet. Septuaginta [8] ſimpliciter habent. *Multiplicabo triſtitias tuas, & gemitus tuos*.

SUB VIRI POTESTATE ERIS.] Omnes fere noſtri Interpretes Hebraicum textum [9] vertunt: *Ad virum tuum deſiderium tuum*. Deſiderium tuum tendet ad conjugem tuum; vel ad virum tuum verteris; ſtudia tua, tua voluptas, voluntas tua ipſi erunt obnoxiæ; imperium, & domini authoritatem in te exercebit: *& ipſe dominabitur tui*. Mulier jure libertatis ſuæ jacturam ſubit, qua adeo abuſa fuerat; & quod Deo æqualem evadere optarat, Deus illam viro ſubmittit, Vide 1. Timoth. 2. 11. & ſequ. Hic ſenſus præſtare videtur, & locos conferendo, ubi eadem verba uſurpantur, patet primam verſiculi partem denotare obedientiam, ac ſubmiſſionem veram, veluti minoris natu ad primogenitum; alteram vero partem indicare dominium, atque authoritatem ſuperioris, & capitis. Vide Caput 4. verſiculo 7. Sponſa in Canticis Canticorum [10] ait: *Ego dilecto meo, atque tu ab illo dependeo*. Utitur illa eadem voce, quæ hic in authographo uſurpatur ad ſignificandam obedientiam, intuitus, ſubmiſſionum, quam a muliere erga ſuum virum conjugii leges expoſcunt.

In Ægypto [11], unde egreſſi ſunt Hebræi, mulieribus major erat authoritas, quam viris: Reginæ magis, quam Reges colebantur; & in rebus domeſticis, homo parebat uxori. Hæc erat e præcipuis contractus conditionibus in conjugiis. Omnia hæc vero habita Deæ Iſidis ratione, quæ de Ægyptiis merita erat perquam bene. Moyſes hic oſtendit veterem originem, & fundamentum imperii, quod homo in mulieres obtinebat apud Hebræos; oblique Ægyptiorum inanem religionem, quoad hanc rem, ſubvertit, & pravas ipſorum politiæ conſuetudines.

℣. 17. MALEDICTA TERRA IN OPERE TUO.] Hæ ſunt pœnæ, quas Deus jaculatur in Adam. Tuum crimen, tuum ſcelus, tua inobedientia, *Opus tuum*, [12] maledictionem meam traxerunt in terram. Non enim intelligendum eſt agrorum exercendorum labores hic cibus innui, *in opere tuo*: Labores hi paullo inferius notantur ℣. 19. Theodotion vertit [13]: maledicta erit terra propter inobedientiam tuam; Aquila [14], *propter te*; Symmachus [15], *in opere tuo*; Septuaginta [16], *in operibus tuis*

1 Greg. M. l. 1. Moral. c. 22. Eucher. ſeu alius in Geneſ. l. 1. cap. 29. Bern. hom. 2. in *Miſſus eſt*; & ſerm. 2. *Signum magnum*; Claud. Mar. Victorius l. 1. in Geneſ. *Toque tua mulier perimet tum ſemine*. Alcim. Avit. l. 2. in Geneſ. Bed. Alcuin. Rab. Ruper. Strabo, alii. 2 Lib. 1. Antiq. c. 1. ἰὸν ἐντίθεται ὑπὸ τὴν γλῶτταν αὐτῷ, πολέμιον ἀνθρώποις ἀποδείξας, καὶ ὑποθέμενος κατὰ τῆς κεφαλῆς φέρειν τὰς πληγάς, ὡς ἐν ἐκείνῃ τοῦ κακοῦ τοῖς ἀνθρώποις κειμένου, καὶ τῆς τελευτῆς, ῥᾴστης τοῖς ἀμυνομένοις ἐσομένης. 3 Τηρήσεις. 4 Τρίψει. 5 Τρήσεις. 6 תשופנו derivare poteſt vel ab שוף conterere, vel ab נשף obſcurare; vel ab נשף ſufflare. 7 Iſai. 11. 4. & 2. Teſſal. 11. 8.
8 Πληθύνω τὰς λύπας σου, καὶ τὸν στεναγμόν σου. 9 אל אישך תשוקתך Sym. ἡ ὁρμή σου appetitus tuus. Aquila. συνάφειά σου. Societas tua. 70. πρὸς τὸν ἄνδρα σου ἡ ἀποστροφή σου.
10 Cant. 7. 10. אני לדודי ועלי תשוקתו.
11 Diodor. Sicul. l. 1. c. 2. p. 16.
12 Hieron. in quæſt. Heb. *opera hic non ruris colendi, ut plerique putant, ſed peccata ſignificant, ut in Hebræo habentur*. 13 Theodot. ἐπικατάρατος ἡ γῆ ἐν τῇ παραβάσει σου.
14 Aqu. ἕνεκα σοῦ.
15 Sym. ἐν τῇ ἐργασίᾳ σου. 16 70. ἐν τοῖς ἔργοις σου.

Digitized by Google

mis. Symmachus ; Septoaginta , & Vulgata legiſſe A videntur Hebraice *Baabudeca* , in opere tuo , pro Baabureca [1] , *propter te* , uti hodie legimus . Varietatis hujus cauſa eſſe potuit litterarum *reſch* , & *daleth* ſimilitudo .

℣. 18. SPINAS, ET TRIBULOS GERMINABIT TIBI.] Aſſeri nequit , tantummodo poſt Adam peccatum terram ſpinas germinaſſe [2] ; illæ enim plantæ , quas conſpicimus , non ſunt recens creatæ poſt illud tempus ; ſed dum prius paucas dumtaxat tellos gignebat , multo plures deinde germinavit, atque mira facilitate , ut animadvertit Menochius . Rabbinus Eliezer apud Fagium hic opinatus eſt , fuiſſe futurum , ut tellus nil præter ſpinas eduret poſt peccatum , niſi recentem illi Deus eſſet elargitus benedictionem .

COMEDES HERBAM TERRÆ .] Hebraica vox *Heſeb* , B quæ hic vertitur *herba* , frumentum complectitur , quæ præcipua eſt hominis eſca [3] , & omnia meſſis genera , plantarum , radicum , leguminum , quibus veſci poſſumus . Antequam peccaret Adam , viridarii fructus tantum illi erant in eſcam ; poſt peccatum ſuum coactus fuit , veluti fœdiſſima animantia , herbas , & agrorum fructus comedere . Arbores non ſatis adeo in illius eſum germinarunt fructus, ideoque legumina ſuffecta ſunt , Poſt diluvium dumtaxat Deus permiſit hominibus , ut carnibus veſcerentur .

℣. 19. IN SUDORE VULTUS TUI VESCERIS PANE ,] Terra prius ſponte gignebat , quidquid voluptati hominis , & eſcæ conferret : ſed illi laboribus opus fuit , atque ſudoribus , ut ſubacta tellus , quidquid neceſſe eſſet , edere cogeretur . Panis ponitur pro genera- C li cibo .

Locus hic perpendendus eſt , veluti damnationis ſententia , ac præcepti ſpecies , quo omnes homines ad labores exercendos tenentur ; non autem veluti eorum ſimplex prædictio , quæ poſt peccatum primi parentis hominibus contingere debebat . Otium , atque inertia merito conſiderantur , non ſolum ut infeſtiſſimi animæ inimici , verum etiam ut peſtes , ac ſeviſſimæ Rerumpublicarum , & ſocietatis pernicies , Quare in optima inſtitatis imperiis bene ac ſapienter cautum eſt , ut in inertes , & otioſos animadverteretur . Ægyptii apud Herodot. in Euterpe , & Diod. l. 1. cogebantur ante Magiſtratus prodire , ut quomodo ſibi victum compararent , & quænam illorum eſſet ars , teſtarentur ; & ſi cui nullum erat miniſterium , D capite plectebantur . Draco celeberrimus Athenienſium legiſlator illis mortis ſupplicium indixerat , qui inertem vitam vivere redarguerentur . Solon apud Diog. Laert. in Solone permiſit , ut dica otioſis intenderetur , & qui victi judicio erant , legibus infames declarabantur .

Romanæ leges [4] iis diem dici permittebant , qui cum ipſis ſatis eſſet virium ad laborem , mallent in ſordibus , & inertia vitam trahere , reipublicæ oneroſi , ſibimetipſis inutiles , quam honeſtis laboribus ſibi victum parare . Apud Judæos [5] quiſque laboribus exercebatur ; viri externis operibus & agrorum cultura ; mulieres vero domeſticis miniſteriis . Nulla erat apud ipſos conditionis differentia , nobilium , atque plebis ; Princeps , & Duces illius ad E agri cultum revertebantur , poſt militiæ labores æque ac gregarius miles . Idem uſuvenit felicioribus Romanæ Reipublicæ temporibus . Doctores Judæi inter eſſentialia patris munera erga filios ipſorum hoc ſtatuunt , ut illos aliquam artem edoceri curent ; qui vero nulla arte inſtitui filios curat , idem peragit , ait Rabbinus Juda , ac ſi eos volare edoceret . Viri Legum præceptis maxime imbuti , & qui alios imbuere tenebantur , ſibi quoque , ſubciſivis horis , labori manuum navandum eſſe arbitrabantur . Sanctus Paulus [6] egregium exhibet exemplum : illius conditio , ac ſtudia minimum obſtiterant ; quin ſcenofactoriam artem perdiſceret , & prædicationis miniſterium ab artis exarcitatione numquam penitus abduxit ; elaborabat , ut victum ſibi lucraretur , & nemini oneroſus eſſet : *quoniam ſi quis non vult operari* , inquit ille 2. Theſſal. 3. 10. , *non manducet* .

DONEC REVERTARIS IN TERRAM , DE QUA SUMPTUS ES .] Ecce mortis ſententiam , quam Deus in Adam , & poſteros ipſius pronunciavit : *Quia pulvis es , & in pulverem reverteris* . Deus nihil dicere poterat , quod magis hominem abjiceret , & quod magis ob mentis oculos illius peccatum ſtatueret , & quam ſubierat , jacturam : cum enim terrenus eſſet , ſi fidem ſervaſſet , immortalis , atque felix æternum fieri potuiſſet ; ſed propter ſcelus ſuum ſubditus morti factus eſt , atque ſexcentis calamitatibus .

℣. 20. VOCAVIT ADAM NOMEN UXORIS SUÆ HEVA .] Primum conjugi ſuæ nomen *Iſchah* impoſuerat , quod omnibus convenit mulieribus . Poſt peccatum ſuum illam *Hevah* appellavit , nomine , quod ipſum fateri indicaret , Deum illis poſt eorum peccatum vitam ſervaſſe , & innueret ſpem , quam conceperat futurum , ut per ipſam ſpeciem ſuam perennem conſtitueret , atque ad poſteros vitam tranſmitteret . Septuaginta [7] *Hevah* vertunt *Zoe* , quæ vox græce vitam ſignificat , quod ipſum Hevah Hebraice . *Zoe* apud Græcos nomen eſt mulieris ; ſed *Hevah* apud Hebræos aliquid amplius ſignificat ; eam quippe ſignificat , quæ vitam tribuit . Sanctus Chryſoſtomus ævo ſuo legebat apud Septuaginta *Heva* ; & videtur idem legiſſe Origenes .

℣. 21. FECIT DOMINUS ADÆ , ET UXORI EJUS TUNICAS PELLICEAS .] Deus profecto illis præcepit , ut aliqua animantia interficerent , ex quorum coriis ſe ſe tegerent . Scriptura aliquando aſſerit Deum facere , quod ille permittit . Theodorus Heracleenſis apud Theodoretum quæſt. 39. in Geneſ. , Gennadius Conſtantinopolitanus , aliique nonnulli pro his pellibus , arborum cortices intellexerunt . Patet quidem olim pleraſque gentes arborum corticibus corpora ſua obtexiſſe , ut ait Seneca Epiſtola 9. *Corticibus arborum pleræque gentes tegunt corpora* ; ſed Hebraita vox [8] *Hor* animalium ſolummodo pellem ſignificat .

Aliqui textum Hebraicum ita vertunt : *Fecit Dominus illis tunicas ad eorum pelles obtegendas* , ſcilicet ad eorum corpora obtegenda . Moyſes eadem fere utitur locutione ad veſtes ſignificandas , Exod. 22. 27. *Si pignus a proximo tuo acceperis veſtimentum , ante ſolis occaſum reddes ei : ipſum enim eſt ſolum , quo operitur , indumentum carnis ejus* ; ad litteram *ipſum eſt ſolum veſtimentum pellibus illius* . Chaldæus : *Deus fecit illis veſtes honoris pro eorum carne* . Appellat tunicas Adam , & Evæ veſtimentum honoris , quoniam illis uſi ſunt ad carnis ſuæ tegendum pudorem . Rabbinus Eliezer opinatus eſt , a Deo indutos fuiſſe ſpoliis ſerpentis , a quo tentati fuerant .

℣. 22. ECCE ADAM QUASI UNUS EX NOBIS FACTUS EST .] Hæc verba palam oſtendunt tres Trinitatis perſonas concurriſſe ad hominis creationem [9] . Grotius , & Rabbini credunt , Deum loqui cum Angelis . Hebraicus textus verti poteſt : *Quid eſt Adam* , vel , *num homo factus eſt ſimilis nobis ?* Aliqui vertunt [10] ; *En homo , quem ſolum Deus creavit ad cognoſcendum bonum & malum* ; vel , una Dei creatura capax dignoſcendi bonum a malo . Chaldaica verſio , & Hebræi nonnulli hunc ſenſum ſequuntur . Doctores Judæi hoc loco utuntur ad homi-

1 בעבורך 2 Vide S. Auguſt. l. 3. de Geneſ. ad litter. c. 18. 3 Grot. Piſc. Fag. &c.
4 Cod. l. unica de mendicantibus valid. & Juſtinian. novella 80. 5 Vide Fleury de moribus Iſraelitarum ;
6 Act. 18. 3. 1. Theſſal. 2. 9. 2. Theſſ. 3. 8. &c.
7 Heb. חוה 70. Ζωή. Aqu. Αὔα Sym. Ζωογόνος. Vivipara. 8 עור Hor.
9 Auguſt. lib. xi. de Gen. ad litter. & Patres paſſim. 10 הן האדם היה כאחד ממנו לדעת טוב ורע

minis liberum arbitrium probandum. Septuaginta[1]: *En homo, qui factus eſt*, ſeu qui evaſit, *ut unus e nobis in cognoſcendo bonum, vel malum*. Alii vertunt, *Ecce hominem, qui fieri voluit velut unus ex nobis*. Ponitur aliquando velut abſolutum, quod in illius, de quo loquimur tantum eſt cupiditate, & feciſſe dicitur, quidquid facere voluit[2].

℣. 22. Nunc ergo ne forte mittat manum suam, et sumat etiam de ligno vitæ ℣. 23. Emisit eum.] Adeſt hic reticentia; Deus non perficit propoſitionem, quam incœpit Dicere potuiſſet, *ne forte mittat manum ſuam ad arborem vitæ, ejiciendus eſt*; vel juxta Grotium; nobis animadvertendum eſt ne de fructu vitæ capiat, ut cepit de fructu ſcientiæ. In hoc ſermone quædam irriſionis ſpecies ineſſe videtur. Sed S. Auguſtinus B l. 11. de Geneſ. ad litter. c. 39. non credit Moyſem ullam hic voluiſſe notare Ironiam, neque irriſionem ex parte Dei. *Verba Dei ſunt hæc non inſultantis, ſed alios, ne ita ſuperbiant, deterrentis*. Neutrum Divinam poteſt decere majeſtatem, adverſos Adam, quamquam peccator exiſtat, Deus his verbis alios tantum edocere contendit, ne ſuperbiam Adæ in Creatorem ſuum imitentur.

Quæritur hic quamdiu primi patres in Paradiſo permanſerint? Nonnulli, ut refert Barcephas, arbitrantur, ibi quadraginta dies permanſiſſe, quot Redemptor in deſerto ſeceſſit. Alii aſſerunt, triginta annos in abditæ vitæ tenebris fuiſſe verſatos. Alii ſex ibi fuiſſe diebus contendunt, neque minori temporis intervallo fieri poſſe putant, quod Moyſis narratione continetur. Sex illis horas, vel novem tribuunt Moyſes Barcephas lib. de Paradiſo, & alii plures, in quibus Philoxenus, Ephrem, Diodorus, & alii apud Pererium. Plures e Patribus ibi die una tantum fuiſſe dicunt; alii denique paucos aliquot dies fuiſſe ajunt, quin ipſorum numerum præcipiant.

Uſſerius contendit ipſos decima tantum a creatione die in Paradiſum deductos fuiſſe, atque eadem fuiſſe expulſos, quæ dies Kalendis Novembris reſpondet: Dies, qua deinde inſtituit Deus Expiationis feſtivitatem, aut Jejunium ſolemne, de quo ſermo eſt Levit. 16. 29., & 23. 29. Hæc ſententia minimum adverſatur textui Scripturæ, ſi ſupponamus, mulierem extra Paradiſum fuiſſe creatam, D atque extra eumdem Adam animantibus nomina impoſuiſſe. Cum Eva ait ad Serpentem, *de fructu lignorum quæ ſunt in Paradiſo veſcimur*; hæc verba non neceſſario plurium dierum conſuetudinem indicant, ſed ſimpliciter ſignificare poſſunt; Deum illis permiſiſſe, ut de quocumque fructu Paradiſi comederent, uno tantum arbore excepto.

℣. 24. Ejecit Adam.] Deus dixit Adæ, ut a Paradiſo recederet; nulla vi præterea opus erat, ut expelleretur, Conjici poteſt quinam fuerint dolores, quæ lacrymæ, quæ confuſio Adæ, cum primum horribilem jacturam, quam fecerat, intellexit; & malorum abyſſum quo præceps ruerat cum poſteris ſuis. Neceſſe equidem fuit, ut firmiſſima fide, & omnipotenti gratiæ adminiculo fulciretur, ne in de- E ſperationem prorueret ad miſerandæ adeo calamitatis adſpectum.

Quæritur, quo ejectus fuerit Adam? Unuſquiſque huic quæſtioni reſpondet juxta hypotheſim, quam de Paradiſi ſitu conſtituit. Plerique ipſum in Meſopotamia vixiſſe dicunt trans Babylonem; nonnulli in Paleſtina. Nec deſunt, qui illum in Hebron immoratum eſſe contendant in Judæa. Sed liquet, ex his locis neminem eſſe ad Orientem Provinciæ Eden, quo Moyſes innuit ipſum conceſſiſſe; quandoquidem Deus illic Cherubin ad introitum Paradiſi conſtituit, ut illac Adæ reditus interdiceretur. Credimus autem Adam ad Orientem Armeniæ perrexiſſe, Mediam verſus, aut Syriam. Muhametani apud Seldenum de jure Naturæ & Gentium l. 3. c. 13. nullis adducti rationibus teſtantur illum diſceſſiſſe ſuper montem, cui nomen *Sarandib* in parte Indiæ Orientali. Geographus Arabs ait Sarandib eſſe Inſulam in Orientali Oceano, cui nomen Harchende, aut Sumatra.

Cherubim.] Plures credunt, ad Orientem viridarii unum tantummodo Cherubim conſtituiſſe. Sed Septuaginta multitudinis numero verterunt[3] Cherubos, Et vox Hebraica *Cherubim* eſt in numero plurali. Interpretes hoc nomine Angelos intelligunt, quos Deus iſtic Adæ oſtentavit, ut ſpem omnem in viridarium Eden revertendi illi adimeret. Sed cur Moyſes hanc vocem hic adhibet Angelos ſignificaturus? Hujus vocis vim agnoſcere debebant Hebræi; eaque frequentius utitur Moyſes ſignaturus imagines, quæ Arcam Fœderis obtegebant. Si Ezechielis verſiculum decimum cap. 1. conferas verſiculo 14. capitis 10. ejuſdem Prophetæ, apparebit, Cherubin Bovi eſſe admodum ſimilem; quandoquidem hic Propheta ponit faciem Cherub veluti ex æquo reſpondentem faciei Bovis, ubi eamdem viſionem deſcribit: *Similitudo vultus eorum; facies hominis, & facies leonis, & facies bovis*[4], *& facies aquilæ*; & cap. 10. 14. *Facies unius facies Cherub, facies ſecundi facies hominis; & in tertio facies leonis; & in quarto facies aquilæ*; ubi innoteſcit quod *facies Cherub*, & *facies bovis* C eædem ſunt. Animadvertitur quoque, *Cherub* fluere ab origine, quæ Chaldaice, & Syriace *laborare* ſignificat, quod præcipuum bovis eſt opus. *Cherub* ſignificat *fortem*, & *potentem*. Bovis fortitudo neminem latet. Ezechiel 28. 14. Regem Tyri confert *Cherub*: *Tu Cherub unctus*, ut diceret; Tu Rex potens es. Fortaſſis etiam ut diceret, Regem hunc fortem eſſe, ac formidabilem, velut Taurum. Minime humilis eſt collario juxta veterum conſuetudinem. Grotius[5] ait Cherubim imagines eſſe, quæ ad vituli faciem accedebant. Bochartus arbitratur, ſuis corporis partibus plures figuras repræſentaſſe, verum præcipuam fuiſſe bovis effigiem. *Puto cherubos varias animalium formas ita exhibuiſſe, ut ad bovis ſpeciem proprius acceſſerint*. S. Johannes in Apocalypſi 4. 6. 7. Cherubim animalia vocat; *In circuitu throni quatuor animalia*.

Ezechiel in ſua Prophetia, & Sanctus Johannes in Apocalypſi nobis exhibent Cherubim, velut ex pluribus formis compoſitos. Multi credunt hominis ſpeciem in illis maxime valere; alii vero ita delineant, ut illis hominis, aquilæ, bovis, ac Leonis partem tribuant. Facies illorum erat hominis; tergum jubæ, veluti leonis, decorabant; femora, & pedes vitulum referebant; corpus vero magnis alis quatuor, quales ſunt aquilæ alæ, obtegebatur. Alii velut hominem deſcribunt, cujus caput triceps hominis ſpeciem exhibet, Leonis, & bovis, quorum ſingulis aquila inſidet, quæ trium hoc facierum caput obtegit; inter ac poſt humeros quatuor magnæ exiſtunt alæ, in utrumque latus binæ. Joſephus l. 3. Antiq. c. 6. p. 83. ait cherubim eſſe animalia alata miræ formæ, atque inauditæ, atque ejus naturæ, quam homines non cognoverunt. Clemens Alexandrinus *Strom. l. 5.* credit Ægyptios imitatos fuiſſe Cherubim Hebræorum in Sphingum ſuarum repræſentatione, atque in animalibus ſuis hieroglyphicis. Patet autem Sphingem e pluribus formis fuiſſe compactam.

Sphinx volucris pennis, pedibus fera, fronte puella,
Sphinx ergo alata eſt, volucris, leo, virgo, triformis.

---

1 Ἴδε Ἀδὰμ γέγονε ὡς εἷς ἐξ ἡμῶν, τοῦ γινώσκειν καλὸν καὶ πονηρόν. Sym. ἴδε Ἀδὰμ γέγονεν ὁ μὴ ἀφ' ἡμῶν, ἐν τῷ γινώσκειν καλὸν ἢ πονηρόν. Vidiſti Adam; factus eſt ſimilis nobis in cognoſcendo bonum vel malum.
2 Glaſſ. Gram. ſacr. lib. 3. c. 13. can. 7. 3 τὰ χερουβίμ. 4 פני שור.
5 Grotius in Exod. 25. Angelos μοσχομόρφους.

Videri poſſunt in Euſebio l. 3. c. 4. & l. 2. p. A 33. deſcriptiones aliquot harum figurarum hieroglyphicarum, ac ſymbolicarum, Ægyptiorum, & Phœnicum. S. Clemens Alexandrinus l. 5. Stromatum ait, Ægyptiorum Sphingi corpus leonis eſſe, & faciem hominis; Leo enim fortitudinis eſt ſymbolum, homo vero prudentiæ, mentis, authoritatis, & fortitudinis.

Ægre apud Hebręos veram *Cherub* invenies originem; ex quo argui poſſet, vocem hanc Ægyptiam eſſe, atque ſignificare ſymbolicam figuram, & hieroglyphicam, qualia erant Theologica hieroglyphica Hebræorum. Moyſes nomine Cherub voluit, ut Hebræi figuram intelligerent, cujus diverſæ partes eſſent figurativæ, & quæ ſimul in nullam creaturam quam noverant poterant naturaliter cogi. Figura B Bovis fortitudinem ſignabat; forma Aquilæ agilitatem; ſpecies Leonis magnanimitatem, & velocitatem; facies vero hominis ſapientiam, atque intelligentiam; quæ omnia naturæ Angelicæ conſtituunt hieroglyphicum, quam Moyſes non poterat aliter Hebræis oſtendere, qui tunc hujus generis Theologiæ, quæ res magis ſublimes per ſymbola edocebat, aſſueverant.

Deus igitur plures Angelos, vel Cherubim in Orientis parte conſtituit, in finibus, qua reverti poſſet Adam in viridarium Eden; hæc idea eſt, quam Moyſes tribuit. Si viridarium fuiſſet medium in vaſto agrorum æquore, inani prorſus cura Angelos ſtatuiſſet Deus in una parte dumtaxat, quoniam circumquaque patuiſſet aditus, ni illud C circumſeptum mœnibus, vel ſepibus dicas, quod nullatenus probabile videri poteſt; quoniam ad quid inſervire potuiſſent hæ ſepes, aut mœnia? & ſi viridarium hoc late patuiſſet, uti nonnulli contendunt, fruſtra excubiæ invigilaſſent, cum illuc ſexcentis viis pervadere homines potuiſſent. Verum montibus undequaque poterat circumcingi, ita ut non niſi per aliquot montium fauces aditus patere poſſet.

Theodoretus quæſt. 40. Theodorus Heracleenſis, & Procopius hic pro Cherubim intelligunt ſpectra, deformes, & formidabiles figuras, quas Deo obtulit Adam, ut longius a Paradiſo ſecederet. Alii, ut Pererius in hunc locum, hos Cherubim in aditu Paradiſi poſitos fuiſſe credunt, non ſolum ut il- D luc homines ingredi prohiberent; verum etiam ne dæmones illuc obreperent. Tertullianus Apologet. c. 47. atque poſt illum Divus Thomas 2. 2. quæſt. 165. art. ult. crediderunt ignitum gladium, quem hic Moyſes deſcribit, nihil fuiſſe aliud, quam Zonam Torridam, quæ erat ante Paradiſum Terreſtrem; quia Tertullianus arbitratur Paradiſum ſub Æquinoctiali fuiſſe linea, ab hac mundi parte, quam incolimus, Zona Torrida ſecretum, cujus ardores, ut ipſe ait, ferre nemo poſſet, velut igneus paries, qui commercium adimit, & communicationem. Lyranus credidit, Paradiſum Terreſtrem in editiſſimo terrarum monte ſitum fuiſſe, atque arbitratus eſt Deum montem hunc igne undique circumſepſiſſe, ut inde primum hominem deterreret, E

Sanctus Ambroſios in Pſal. 118. & Rupertus Abbas l. 3. in Geneſ. c. 32. & 33. pro igne, qui ante Paradiſi aditum apparuit, & ingreſſum viventibus præcluſit, intelligunt ignem Purgatorii, qua animæ juſtæ tantum poſt mortem ſuam illæſæ tranſire poſſunt, & ſine detrimento. Grotius cenſet Paradiſum igne invio circumdatum fuiſſe, atque aſſerit ignis hujus veſtigia adhuc exiſtere in Babylonicis agris circum ea loca, ubi Paradiſus poſitus fuerat; hi etenim agri aliquando igniti videntur, propter maximam Naphtæ, ac Bituminis vim, qua ſcatent, & quæ ſubinde levi negotio ignem concipiunt [1]. Cherubim, & ignivomum enſem idem ſignificare contendit, & verti poſſe, Deus collocavit Cherubim, ſcilicet flammeum gladium.

Verum nobis perſuaſum eſt, Deum plures Cherubim ignitis armatos enſibus collocaſſe, atque hos Cherubim, ipſorumque gladios res eſſe penitus alias. Credibile autem eſt hos Angelos in viridarii aditu viſibili facie immoratos eſſe tantum, donec Adam, atque Eva diſceſſerunt illinc, & primam ſpeciem, ac decus viridarium obtinuit; quoniam ſimulac ornatus ſui jacturam paſſum eſt, & divinæ maledictionis effectus expertum, non amplius neceſſe fuit, ut introitus ſervaretur.

Prolixius de Cherubim locuti quoque ſumus in Exodum c. 25. ℣. 18. & ſequentibus. *Corybantium* nomen rationem quandam habere videtur ad nomen Cherubim; & quod hiſtoria de veteribus Corybantibus docet, ſpeciem quamdam præfert eorum, quæ de Cherubim aſſerit Scriptura; credebant quippe Corybantes a *Corybantibus* in Ægypto originem duxiſſe, & liquet Ægyptios in penitioribus ſuorum templorum adytis animalia diverſas exhibentia formas repræſentaſſe [2]. Verſus Orphæi [3] *Corybantem* appellant, Regem diverſis præditum formis, e duabus naturis Deum: hujus dexteræ gladius appingebatur [4]: illique arboris cuſtodia deferebatur [5]. Hi profecto characteres exſcripti ſunt ex iis, quæ de Cherubim narrat Scriptura.

Hactenus adniſi ſumus, ut explicaremus quid per Moyſem nos edoceri voluerit Deus de Orbis creatione, & primi hominis lapſu. In hac narratione ſolutionem invenimus plurimarum earum difficultatum, quæ tot ſæculis hominum mentes exercuerant, atque in tot ſententias diviſerant in morali ſcientia, & naturali. Novimus equidem dubio procul authorem, & originem mundi, & cauſam miræ hujus malorum, criminum, ſcelerumque exundationis; quæ late omnibus temporibus graſſari viſa eſt, quæque nonnullis dubitandi locum tribuit de Providentia in terrenis rebus, quandoquidem illis inordinate adeo, & perperam progredi videbantur, ut ſi Deum illis immiſceri crederent, in ipſius probrum omnia cedere viderentur.

Poſt peccati originalis detectionem non eſt cur ſtupor incedat propter miram hanc in homine eodem contradictionem; ſuperbiam, & vilitatem, ad malum propenſionem, & noſtri cordis immenſam capacitatem, quam Deus unus poteſt replere. In Adam, qui juſtus creatus eſt, innocens, felix, in cujus optione vita poſita erat, ac mors; qui poſtea per crimen peccator effectus eſt, inobediens, ac infidelis, mortis noſtræ, calamitatumque noſtrarum cauſam invenimus. Noxiæ matris atque in Creatorem ſuum perduellionis reæ filii, quæ cum poſteris ſuis damnata fuit, ut criminis pœnas lueret; nos item ſontis, damnatique parentis filii, non mirum videri debet, ſi tot calamitatibus obnoxii ſimus, nobiſque tot angoribus ea, qua excidimus, ſit comparanda & lugenda felicitas.

Verum inter tot miſerias, hoc tamen recreare nos poteſt, quod hic legimus, promiſſio ſcilicet, ut Deo iterum conciliari poſſimus, & ſalutem noſtram acquirere; nobis promitti intelligimus Jeſum Chriſtum, dæmonis, & mortis victorem; atque hæc eſt omnium ſanctæ Religionis noſtræ difficultatum ſolutio. Cum veterem Adam prævaricatorem intelligimus, novumque Adam liberatorem, hæ omnes evaneſcunt contradictiones, & difficultates diſſipantur. Fortaſſe miraberis, quod pauca adeo locutus ſit Moyſes in re tanti momenti. Ille procul dubio plurima in populorum fide, ac traditione poſita

1 Plin. l. 2. Hiſt. nat. c. 106. 2 Clem. Alex. & Hero. ζῶα πολύμορφα.
3 πολύμορφον ἄνακτα, θεὸν δεινὸν πολύμορφον. 4 ξίφος, φύλακα. Hym. Orphic.
5 Jul. Damaſc. vita Iſidori, Procl. Theol. l. 6. c. 13. Vide notas Thomæ Gal. in Apollodor. Bibl. l. 1.

ſita opinatus eſt : & Spiritus Dei , qui ſcribentis manum moderabatur , ita has veritates deſcripſit , ut ea tot luminibus afflarit , quot neceſſe erant , ut A rectas mentes , animaſque optime diſpoſitas evince-ret ; eaſque tenebras reliquerit , ut inordinati ſpi-ritus excæcarentur , & corda huic lumini infeſta .

CAPUT IV.

Cain , atque Abel Nativitas . Ipſorum Sacrificia : Abel a Cain interficitur : Nativitas Enoch ; & Lamech bigami , Seth , & Enos Filii Seth .

℣. 1. ADam vero cognovit uxorem ſuam Hevam : quæ concepit ; & peperit
Cain, dicens : Poſſedi hominem per Deum. 2. Rurſumque peperit fra-
trem ejus Abel . Fuit autem Abel paſtor ovium , & Cain agricola .
3. Factum eſt autem poſt multos dies , ut offerret Cain de fructibus terræ munera
Domino . 4 Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui , & de adipibus eo-
rum : & reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus : 5 Ad Cain vero , &
ad munera illius non reſpexit : iratuſque eſt Cain vehementer , & concidit vultus
ejus . 6 Dixitque Dominus ad eum : Quare iratus es ? & cur concidit facies tua?
7 Nonne ſi bene egeris , recipies : ſin autem male, ſtatim in foribus peccatum ad-
erit ? ſed ſub te erit appetitus ejus , & tu dominaberis illius . 8 Dixitque Cain
ad Abel fratrem ſuum : Egrediamur foras . Cumque eſſent in agro, conſurrexit Cain
adverſus fratrem ſuum Abel, & interfecit eum. 9 Et ait Dominus ad Cain : Ubi
eſt Abel frater tuus ? Qui reſpondit : Neſcio : Num cuſtos fratris mei ſum ego ?
10 Dixitque ad eum : Quid feciſti ? vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de ter-
ra. 11 Nunc igitur maledictus eris ſuper terram , quæ aperuit os ſuum , & ſuſce-
pit ſanguinem fratris tui de manu tua , 12 Cum operatus fueris eam , non dabit
tibi fructus ſuos : vagus , & profugus eris ſuper terram . 13 Dixitque Cain ad
Dominum : Major eſt iniquitas mea , quam ut veniam merear. 14 Ecce ejicis me
hodie a facie terræ , & a facie tua abſcondar , & ero vagus , & profugus in ter-
ra : omnis igitur , qui invenerit me , occidet me . 15 Dixitque ei Dominus : Ne-
quaquam ita fiet : ſed omnis , qui occiderit Cain, ſeptuplum punietur . Poſuitque
Dominus Cain ſignum , ut non interficeret eum omnis, qui inveniſſet eum . 16 E-
greſſuſque Cain a facie Domini , habitavit profugus in terra ad orientalem plagam
Eden . 17 Cognovit autem Cain uxorem ſuam, quæ concepit, & peperit Henoch:
& ædificavit civitatem , vocavitque nomen ejus ex nomine filii ſui , Henoch . 18
Porro Henoch genuit Irad , & Irad genuit Maviael , & Maviael genuit Mathuſael ,
& Mathuſael genuit Lamech . 19 Qui accepit duas uxores , nomen uni Ada , &
nomen alteri Sella. 20 Genuitque Ada Jabel , qui fuit pater habitantium in ten-
toriis , atque paſtorum . 21 Et nomen fratris ejus Jubal : ipſe fuit pater canen-
tium cithara , & organo. 22 Sella quoque genuit Tubalcain , qui fuit malleator ,
& faber in cuncta opera æris , & ferri . Soror vero Tubalcain , Noema . 23 Di-
xitque Lamech uxoribus ſuis Adæ , & Sellæ : Audite vocem meam uxores Lamech,
auſcultate ſermonem meum ; quoniam occidi virum in vulnus meum , & adoleſcen-
tulum in livorem meum . 24 Septuplum ultio dabitur de Cain ; de Lamech vero
ſeptuagies ſepties. 25 Cognovit quoque adhuc Adam uxorem ſuam : & peperit
filium , vocavitque nomen ejus Seth , dicens : Poſuit mihi Deus ſemen aliud pro
Abel , quem occidit Cain . 26 Sed & Seth natus eſt filius , quem vocavit Enos :
iſte cœpit invocare nomen Domini.

℣. 1. ADAM COGNOVIT UXOREM SUAM .] Doctores Judæi aſſerunt primos parentes ſimul ac viridarium Eden ingreſſi ſunt, paruiſſe mandatis Dei , qui illis præceperat , ut creſcerent , & multiplicarentur . Sed Patres univerſi , atque Interpretes arbitrantur , ipſos e Paradiſo Virginem egreſſos eſſe . Nonnulli etiam opinantur diu permanſiſſe , quin filios haberent . Author Hiſtoriæ ſcholaſticæ ait , S. Martyrem Methodium , cum in carcerem fidei cauſa jaceret , viſionem habuiſſe , ex qua didicit , primos patres quindecim annos , poſtquam egreſſi ſunt de Paradiſo , in lacrymis , & ſquallore verſatos eſſe , quin ulle ipſis filiorum inceſſerit cupido : quo tempore exacto *Cain* , & *Chalmenam* ſororem ipſius edidere , atque poſt temporis tantumdem , genuiſſe *Abel* , & *Delboram* ſororem ipſius . Verum miſerabilis adeo hiſtoria non meretur , ut illi rejiciendæ immore-

mut diutius : Credibile videtur admodum, Evam anno poſt ipſius exitum de viridario peperiſſe filium, & ſubinde alios frequentius edidiſſe, & aliquando etiam fortaſſe geminos fuiſſe enixam. Sed Moyſes de illis tantummodo locotus, quin illius Hiſtoriæ partem erant vocandi.

Peperit Cain, dicens : Possedi hominem per Deum.] Veluti ſi teſtari vellet, ſe Deo acceptum referre munus, quod ipſi fuerat elargitus, illique ipſum offerre. Nomen Cain fluens ex Hebræo *Kanah* [1], ſignificat *poſſeſſionem*, ſed oriens e *Kun* [2] ſignificat *queſtum*. Loco legendi *Poſſedi*, verti poſſet ; *Genui hominem ope Dei*. Septuaginta Hebraicam vocem *Kanah* ſæpe vertunt *gignere* Zach. 13. 5. vel *creare*, *formare* Geneſ. 14. 19. Prov. 8. 22. Hebraicus textus transferri quoqoe poſſet ; *Poſſedi virum Dominum* [3]. Heva enim credidiſſe dicitur, videre Liberatorem ſuum in perſona Cain filii ſui. Jonathan filius Uziel transfert : *Genui hominem, qui eſt Angelus Domini*, ſcilicet Meſſias, qoem nomine Angeli Judæi nuncupabant [4]. Onkelos : Poſſedi hominem, qui Domino ſerviet, atqoe nobis in eo cultu, quem illi præſtamus, ſuccedet.

Eva hic filio ſuo nomen imponit. Videntur deinde plures matres, quæ filiis ſuis nomen imponunt ; vorum hoc non eſt univerſale. Sæpius patet filiis nomen tribuit, atque de ipſius facultate dumtaxat, mater illis nomina facit. Apud Græcos veteres plerumque mater filiis nomina imponebat [5] : ſed exempla extant nominum a patre, vel avo impoſitorum. Saides Patriarcha Alexandrinus ait, Evam peperiſſe Cain, & filiam nomine Azron : illa vocatur Azura a Sancto Epiphanio ; & Machuvelieth a Muhametanis, qui ajunt Evam binos ſemper marem, & fœminam peperiſſe. Authot operis imperfecti in Sanctum Matthæum hom. 1. duas filias Adam, quę nupſerunt Abel, & Cain, appellat *Riſam*, & *Edoclam*.

℣. 2. Rursumque peperit Abel.] Rabbini credebant, Cain, & Abel gemellos fuiſſe ; ſed locutio, qua hic otitur Scriptura, huic ſententiæ adverſatur. *Abel*, vel potius *Habel* [6] ſignificat vanitatem. Cum ex moribus Cain Eva animadvertiſſet, ipſum nequaquam eſſe Liberatorem illum, quem ipſa ſperaverat, filio, qui ſecundo natus eſt, nomen impoſuit, quod primæ ſpei ipſius oſtenderet vanitatem ; quo innuere volebat, quod filius hic naſcebatur rerum mundi inconſtantiæ ſubditus, & vanitati, cujus recentes in dies illa experiebatur effectus. Plures dixere, *Abel* ſignificare *luctum*. Illi profecto legerunt *Abel* [7] pro *Habel*. Moyſes non loquitur de filiabus, quas genuit Adam. Satis enim ſibi videtur, ſi genealogiam compendiariam filiorum ipſius inſtituat : Mares tantom recenſuit, neque eos univerſos, ſed illos tantum, qui neceſſarii ſunt, ut ad Noe deducatur narratio, atque inde ad Abraham, atque ad Meſſiam. Hoc enim in more poſitum non erat, ut de mulieribus ſermo inſtitueretur. Orientales aſſerunt, geminam Abel ſororem vocari *Avvinam*, ipſamque Seth nupſiſſe, cum Cain illam ſibi uxorem aſſumere renuiſſet.

℣. 3. Factum est autem post multos dies.] Hebraice ad litteram habetur ; *Factum eſt in finem dierum* [8]. Quod vario admodom explicatur. Alii annum unum, vel plures intelligunt ; alii menſes aliquot, alii aliquot dies, alii tempus aliquod ad anni exitum revolutum, menſis, vel etiam hebdomadæ. At præſtare videtur de anni fine explicari, & poſt meſſem. Tunc Cain, & Abel Deo gratiarum actiones agebant, & ſacrificia offerebant. Vel hac loquendi ratio ſignificare poterit, quod cum hi duo fratres ad provectiorem perveniſſent ætatem, nomine ſuo offerre Deo ſacrificia inceperunt, & laborum ſuorom fructus.

Dum Lex vigeret, terræ fructus Deo offerebantur ineunte anno, atque exeunte : Ineunte primitias, exeunte vero, & poſt meſſem ſacrificia. Sed antequam Lex ſcriberetur, quænam obtinuiſſet conſuetudo, latet, in eo ſtatu, qui naturæ appellatur.

Ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino.] Hebraicus textus habet ad litteram [9], *ut Cain adduceret munera Domino* : quare arguerunt nonnulli, quod ille munera ferret ad Adam, ut per ipſum Domino offerrentur. Ratio edocebat Cain, Deum eſſe omnium bonorum Authorem ; atque ab Adam, vel a Deo didicerat, velle Dominum oblationibus coli. Quemadmodum agrorum culturæ navabat operam, e fructibus laborum ſuorum partem offerebat, velut granum, froctus, mel, uvam. Ille profecto hæc omnia abſumebat igne. Rabbini nonnulli arbitrantur, Cain opinatum fuiſſe, belluarum animam, & hominum ejuſdem eſſe conditionis ; atque ita, cum non crederet minus crimen patrari bruta necando, quam homines, non audebat offerre Deo animantium ſacrificia. Vide Joſephum Albo parte 3. cap. 15. Verum inanibus his traditionibus nil immoremor.

℣. 4. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, et de adipibus eorum.] Syriaca verſio transfert *obtulit arietum ſuorum primogenitos, eoſque maxime pingues*. Talmudiſtæ aſſerunt, ipſum obtuliſſe holocauſta, atque igne omnem victimarum ſuarum carnem abſumpſiſſe, quoniam nefas erat illi ex iis veſci. Grotius minime credit Abel cruenta ſacrificia obtuliſſe : verum ait, obtuliſſe tantum vellerum, atque adipum primitias ; ſcilicet lac, & lacteum cremorem armentorum ſuorum. Joſephus Antiq. l. 1. c. 2. teſtatur, illum obtuliſſe lac, & gregum primogenitos.

Hebraicus textus verti poteſt, *primitias, & lac* [10] : Hebraica vox Cheleb, quæ hic *adepe* transfertur, ſæpius a Septoaginta vertitor lac. Vide Geneſ. 18. 8. 49. 12. & Exodi 3. 8. 23. 19. Conſuetudo offerendi terræ fructus, lac, vellus, herbas, flores, farinam, mel, omnium eſt vetuſtiſſima, & quæ diutius in orbe permanſit. Plinius præf. in hiſtor. Natur. notat temporibus quoque ipſius, hacteuus hoc in plurium popolorum more poſitum fuiſſe, *Verum & diis lacte ruſtici, multæque gentes ſupplicant, & mola tantum ſalſa litant*. Videri poteſt Plato lib. 6. de Legib. Pauſanias, Porphyrios apud Euſeb. Pręp. l. 4. Arnobius l. 7. atque Ovidius, qui l. 4. Paſtorum hæc habet :

Lacte, mero veteres uſi narrantur, & herbis.
Sponte ſua ſi quas terra ferebat, ait.

℣. 4. & 5. Respexit Dominus ad Abel, et ad munera ejus ; ad Cain vero non respexit.] Scriptura diſtinctionis hujus cauſam ſilet, neque nit cur Abel prelatus fuerit Cain. Qui illam arguere opinantur ex natura, & pretio oblationum illorum, inanibus propemodum inſiſtunt argumentis. Neque enim quantitatem, aut qualitatem ſacrificiorum materialium Deus reſpicit, ſed cordis integritatem, atque pietatem offerentis. Olationes, & ſacrificia magnos ſumptus, & magnificas oblationes ſignificare quidem poſſunt, quod maximam deceat Divinitatis rationem ; verum certa nequaquam ſunt argumenta. Sanctus Paulus in Epiſtola ad Hebræos 11. 4. veram detegit cauſam : etenim *Fide plurimam hoſtiam Abel, quam Cain, obtulit Deo* : vel ſi Græ-

1 קנה Kanah, poſſidere. 2 קין Kun lamentari. 3 את יהוה.
4 Iſai. 63. 1. Malach. 3. 1. &c.
5 Vide Stuk. antiq. Conviv. l. 2. 1. & Homer. Odyſſ. T.
6 הבל Habel. Vanitas. 7 אבל Abel. Luctus.
8 ויהי מקץ ימים.
9 ויבא קין מפרי האדמה. 10 מבכורות צאנו ומחלביהן

ſi Græcæ vocis vim ſpectare velis, *exploſiorem hoſtiam* [1].

Fidei lumina, quibus Abel afflatus erat, illi prodiderunt non modo obligationem offerendi Deo ſacrificia, verum etiam illi ſacrificandi in juſtitia, puritate, & innocentia, illique exhibendi, quidquid excellentius eſſet, & melius, iiſdemque oblationibus ſupremum Creatoris dominium, abſolutam creaturæ ſervitutem, criminumque confeſſionem teſtandi, & gratiarum actiones pro collatis beneficiis Deo agendi. Hæc omnia complectitur elogium, quo Apoſtolus Abel ſacrificium proſequitur: horum defectu ad Cain munera Deus non reſpexit. Patres aſſerunt duorum fratrum munera diverſimode accepta fuiſſe, quod in ipſorum cordibus diverſas admodum diſpoſitiones Deus inſpexerat. Deus in Abel firmam, perfectamque fidem; in Cain vero invidiam, injuſtitiam, mortuam fidem, ac pariter charitatem intuebatur.

Saides patriarcha Alexandrinus, qui ante ſeptingenteſimum circiter annum vixerat, refert, magnam originem inter Cain, & Abel vehementem fuiſſe amorem, quo Cain Azron ſororem geminam ſuam proſequebatur, quam Adam in uxorem Abel tradere volebat. Eam ſibi Cain uxorem dari voluiſſet, quia forma præſtabat Awinem geminam ſororem Abel, quam Adam Cain in conjugem tradere meditabatur. Cum hæc imminerent connubia, Adam duobus fratribus imperavit, ut in montis verticem aſcenderent, ibique Deo litarent. Accepit Cain ex fructibus terræ puram, electamque oblationem: Abel quoque de gregibus ſuis puram, atque optimam victimam ſumpſit. Cum illi una montem conſcenderent, dæmon ſuggeſſit Cain, ut Abel fratrem ſuum interimeret, ſicque ipſi Azron ſoror ipſius cederet in uxorem, quæ Abeli erat tradenda. Cain hac tentatione dæmonis abrepto, Deus ad illius munera non reſpexit, reſpexit vero ad Abel. Vide Selden. de jure Nat. & Gent. l. 3. c. 2. Sed cum hæc hiſtoria traditioni Judæorum, & Orientalium dumtaxat innitatur, minimam fidem meretur.

Septuaginta, quos maxima Scriptorum ſequitur copia, crediderunt, Cain diſplicuiſſe Deo, non quod male offerret, ſed quod perperam ſua munera divideret. Deo enim minorem vilioremque tribuebat partem, meliorem vero ſibi aſſervabat. Vide infra ℣. 7. Bonorum ſuorum partem offerebat, non item vero cor ſuum, ut ait S. Auguſtinus de Civit. lib. 15. cap. 27. *Cain hoc ipſo male dividebat, dans Deo aliquid ſuum, ſibi autem ſe ipſum.*

Quomodo vero oſtendit Deus, ſe Cain ſacrificia reſpuere, Abel autem accepta habere? Plerique Patres [2], atque Interpretes credunt, Deum igne de cœlo miſſo Abel ſacrificia abſumpſiſſe; ſecus vero hoſtiis Cain contigiſſe. Apparet ex Hiſtoria Sancta [3] non ſemel Deum approbationis ſuæ has notas dediſſe erga ſacrificia, quæ illi offerebantur. Ethnici quoque narrant, antiquitus nequaquam ignem ſupponi lignis, quæ erant ſuper aras, ſed precibus de cœlo deduci conſueviſſe. Servius in librum 12. Æneidos ait; *Apud Majores aræ non incendebantur, ſed ignem divinum precibus eliciebant, qui incendebat altaria.* Solinus Polyhiſtor. c. 12. loquens de Colle Vulcani in Sicilia, refert, eos, qui ibi ſacrifica-

A bant, lignis ignem numquam appoſuiſſe; ſed ea ex ſe ipſis flammas concepiſſe, ſi hoſtia Deo placuiſſet. *Qui divinæ rei operantur ligna vitea ſuper aras ſtruunt, nec ignis apponitur in hanc congeriem, cum porricias intulerint. Si adeſt Deus (ſic ſacrum probatur) ſarmenta licet viridia ignem ſponte concipiunt, & nullo flagrante, a litato numine fit incendium.* Vide Pauſan. l. Eliac. Theodotion Hebraicum textum vertebat [4]: *Accendit, Combuſſit* ſacrificia, pro *reſpexit*, &c. & Sanctus Hieronymus verſionem ſuam inde hauſit. Sanctus Paulus in Epiſtola ad Hebræos ait, Deum teſtimonium dediſſe juſtitiæ Abel ex muneribus illius; quod intelligi poteſt de gratiis, ac extraordinariis benedictionibus, quibus Deus illum cumulavit, aut de verbis, ad illius preces ab eo B prolatis coram Cain; vel demum de igne ſacrificiis immiſſo, uti ſuperius dictum eſt.

℣. 6. Dixitque Dominus ad eum; Quare iratus es? et cur concidit facies tua?] Deus hic reprehendit Cain propter invidiam in fratrem conceptam. *Cur concidit facies tua?* Hæc locutio oſtendit hominis characterem, qui nefaria init conſilia, vel qui atrabile tumet, odio flagrat, & invidia. Ita quoque Maro iratam Junonem deſcribit Æneid. 1. *Illa ſolo fixos oculos averſa tenebat.* Deus ait ad Cain, ne pravam iniret in fratrem ſuum voluntatem; ſe illius recte facta eſſe remuneraturum; ſi autem egiſſet perperam, ſe in peccatum illius citius eſſe animadverſurum: *Statim in foribus peccatum aderit.* Hic peccatum peccati pœnam ſignificat, C Interpretes inquiunt [5], & complectitur non ſupplicia ſolum, quibus Deus impios perſequitur, verum etiam privationem juris primogeniti, cæterarumque prærogativarum, quibus pollebat; hoc vero præcipue verebatur Cain. Videtur in Pſalmo 48. 6. locutio fere ſimilis. *Quid timebo in die mala? Iniquitas calcanei mei circumdabit me?* Videlicet, ne pœna, quæ ſubſequitur, atque inſiſtit calcaneo iniquitatis meæ, decidat ſuper me.

℣. 7. Nonne si bene egeris.] Deus confirmat Cain dicens, quamquam ediderit notas, quibus prætulerit Abel ad ipſius ſacrificia reſpiciens, nihilominus ipſi primogeniti privilegia perſiſtere, & Abel illi ſubditum fore: *Sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius.* Relativum *ejus* ad Abel referri D poteſt, quamquam illius nomen minime exprimitur in propoſitione; verum levi negotio concipere poſſumus, cum hæc omnia de Abel dicta ſint, de eodem hæc ipſa Cain intellexiſſe. Superius docuimus locutionem hanc [6], *Ad te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius*, ſignificare uxoris obedientiam viro ſuo, & viri dominium in uxorem ſuam. Sanctus Chryſoſtomus ſenſum hunc, quem modo expoſuimus, aperte confirmat Homilia 18. in Geneſ. Quod ipſum apprime congruit verſionibus Septuaginta, & Theodotionis, qui pronomen *ejus*, non ad peccatum, ſed ad Abel retulerunt [7].

Septuaginta vertunt [8]: *Si tu bene obtuliſti, neque bene diviſiſti, peccaſti; quieſce: ille ad te convertetur; & tu dominaberis illi.* Revocari nullo ne- E gotio poteſt hæc verſio ad ſenſum, quem paullo ſuperius vulgate tradidimus. Sed plerique Patrum [9] ita intelligunt: Peccatum ad te convertetur; præſto erit ſemper ut te aggrediatur; ſed ſi vo-

1 Πλείονα θυσίαν Ἄβελ παρὰ Κάϊν προσήνεγκε τῷ Θεῷ. Heb. 11. 4.

2 Vide Cyril. l. 2. in Geneſ. Hieron. in quæſt. Hebr. Procop. in Geneſ. &c. Ephrem. ſer. 1. de ſacerdotio; Chryſoſt. in ep. ad Hebr. c. 11. Haymon. Halberſtad. in idem caput.

3 Levit. 9. 24. Judic. 6. 21. 1. Par. 21. 26. 1. Par. 7. 1. 3. Reg. 18. 38. 2. Macc. 1. 32.

4 וישע יהוה Theodot. Καὶ ἐνεπύρισεν ὁ Θεός. Aq. ἐπεκλίθη. *Delinitus eſt.* Sym. ἐτέρφθη. *Delectatus eſt.* Sym. ἰδεξίωσεν ὁ Θεός. 70. ἐπεῖδεν ὁ Θεός. *Reſpexit Deus.*

5 Vide Oleaſt. Perer. alios.

6 ואליך תשוקתו ואתה תמשל בו. Vide ſup. c. 3. 16.

7 S. Cyrillus in Glaphyris ita intelligit. Deus ait ad Cain: *Peccaſti, quieſce; ne pecces ulterius;* atque ad Abel: *Tu converteris ad illum, & tu dominaberis illi.* Vide recentiorem Hexaplorum editionem in hunc locum.

8 Οὐκ ἐὰν ὀρθῶς προσενέγκῃς, ὀρθῶς δὲ μὴ διέλῃς, ἥμαρτες, ἡσύχασον. πρὸς σὲ ἡ ἀποστροφὴ αὐτοῦ, καὶ σὺ ἄρξεις αὐτοῦ. Theodotion, οὐκ ἐὰν ἀγαθῶς ποιῇς δεκτόν, καὶ ἐὰν μὴ ἀγαθῶς ποιῇς ἐπὶ θύραις ἁμαρτία ἐγκάθηται. πρὸς σὲ ὁρμὴ αὐτοῦ, καὶ σὺ ἄρξεις αὐτοῦ.

9 Aug. l. 15. de Civit. c. 7. Ambroſ. de Cain l. 2. c. 6. 7. Bern. ſer. 5. de Quadrag. Hieron. quæſt. Hebr. alii paſſim. Syr. Arab. Targ. Hieroſolym. alii Interpretes plerique omnes.

volueris ; obſiſtere poteris . Vel , ipſum tibi ſe offeret , ad invitum te acced et , funeſtos concupiſcentiæ motus experieris , tuum erit vel admittere , vel rejicere , tibi erit integrum ſequi , vel adverſari propenſionis tuæ motibus , qui te in crimen alliciunt .

Onkelos hac paraphraſi interpretatur : Si opus tuum (vel cultum tuum) bene fueris operatus , veniam recipies : ſin autem impie agere perſtiteris , peccatum tuum in judicii diem aſſervabitur , quo dignis plectère ſuppliciis , niſi egeris pœnitentiam ; quod ſi converſus fueris , veniam acquires . Targum Hieroſolymitanum : *Si in hac vita te pœnitueris , in ſæculo futuro veniam mereberis ; ſin autem ſceleris tui haud egeris pœnitentiam , in magni judicii diem ſervabitur , atque in cordis tui foribus reſidebit ; verum tibi facultatem concupiſcentiam tuam moderandi elargitus ſum , in bonum , & malum dominaberis illi .*

Hic quoque ſenſus Hebraico textui tribui poteſt ; *Si bene egeris , nonne remunerationem accipies ? ſin autem male , peccatum* (vel *pœna peccati*) *erit in foribus tuis ; ipſum requiret te ; ſed tu dominus eris illius .* Si tu mihi ſacrificia pura , & legitima obtuleris ; & quæ Fides comitetur , & Pietas , aliæque circumſtantiæ , quæ illa mihi reddant accepta ; ſi hos invidiæ ſenſus depoſueris , atque odii in fratrem tuum , remunerationem expectare debes : verum ſi a viis tuis pravis , in quibus verſaris , gradum non verteris , ſi oblationes tuæ fœdæ fuerint propter nefarias illas circumſtantias , quæ illis adhærent , nonniſi peccati ſuppliciu te decet expectare . Sed juſtitia velox erit ad te mulctandum , & pœna , ut ita dicam , erit præ foribus tuis ; te in integra libertate poſitum memineris ; peccatum te requiret , concupiſcentia ad malum te alliciet , ſed opus eſt ut illi obſiſtas .

Alii in hunc quoque ſenſum Hebraicum textum intelligunt : *Si bene egeris , nonne criminis tui veniam recipies ? ſi verò male , nonne peccatum tuum velut in foribus tuis delitеſcet ?* velut canis , aut hoſtis , qui januas tuas obſidet , te obſervabit ; quæret ut deprehendat , ſcilicet , ut te præveniat , vel ſuperet . Alii hunc ſenſum textui tribuunt ; *ſi bene egeris , nonne elevato collo incedes ,* velut qui nihil veretur ? vel , nonne te recto oculo aſpiciam , nonne tibi fautor ero ? In Scripturæ ſenſu , *Elevare faciem alicujus* , eſt illi favere , & quod petit , elargiri . *Vide Geneſim* 19. 21. Demum ita explicatur : *Si bene egeris , nonne elevaberis ?* Nonne illud jus obtinebis , quod ſupra fratrem tuum tua tibi nativitas impertit ? *Sed ſi inique agere perſtiteris , ſtatim peccati pœnam lues . Illa in foribus tuis adeſt , ut eo ingrediatur* . Vide S. Matthæum 24. 33. *Prope eſt in januis* .

℣. 8. Dixitque Cain ad fratrem suum : Egrediamur foras .] Hebraicus textus , qualis hodie extat , ſimpliciter ait : *Cain dixit fratri ſuo Abel , & cum in agro fuerunt* &c. vel : *Cain locutus eſt ad fratrem ſuum , & cum egreſſi fuerunt* . Septuaginta , & Vulgata ſimul addiderunt : *Egrediamur foras* . Vulgata vetus ante S. Hieronymum , & Samaritana legebant ; *Egrediamur in agros* [s] . Samaritana ad hanc uſque diem ita legit . Credunt aliqui , Hebraicum textum , qui extat , hic deficere . Maſſorethæ hic pauſam extraordinariam interpoſuere , ut aliquid deeſſe ſignificarent . Targum Hieroſolymitanum , & Jonathan filii Uzielis , Patres omnes Græci , & Latini habent : *egrediamur foras* ; vel : *Egrediamur in agros* . Syriace , *pergamus in deſertum* .

Alii tuentur , Hebraicum textum iſtic nullatenus deficere , & additionem , quæ legitur apud Septuaginta , atque in vulgata minime eſſe neceſſariam ,

A Origenes , & Sanctus Hieronymus eam reprobaſſe videntur , veluti ſupervacuam , atque a libris quibuſdam apocryphis acceſſitam . Illam tamen non auſi ſunt expungere ex verſionibus , quas vel fecerunt , vel caſtigarunt . Onkelos , & Arabica verſio nihil addiderunt ; æque ac veteres Græci Interpretes , Septuaginta , & Aquila exceptis ; ſi Origeni fides eſt , qui ait , hæc verba *Egrediamur in agros* , in libro apocrypho apud Hebræos reperiri . Vide novam editionem Hexaplorum D. Bernardi de Montfaucon . Aliqui ita ſupplent textum : Cain dixit ad Abel (verba ſubdola) ; atque reconciliationem , atque amicitiam prætexens in agrum deduxit , atque interfecit . Alii vero ita ſupplent : Ad illum locutus eſt cum deſpectu , & contumelia , ut ab illius B reſponſione occaſionem arriperet occidendi [a] . Targum Hieroſolymitanum dialogum refert inter Cain , & Abel : Cain blaſphemias tribuit , quas nonniſi horrore percitus Abel poteſt audire ; unde occaſionem elicuit Cain , quam quærebat , illius perimendi . Alii denique [b] ita explicant : Cain fratri ſuo narravit , quidquid illi dixerat Deus , atque ſimul ipſum interemit .

Sanctus Hieronymus docet , eſſe Hebræorum traditionem , quod Cain , & Abel prope Damaſcum morarentur , atque Damaſci urbem nomen deſumpſiſſe a *Dam ſac , ſacco ſanguinis* , quoniam ſanguinem Abel biberat .

Quæritur quo uſus fuerit Cain inſtrumento ad Abel occidendum . Certum eſt , illius effudiſſe ſanguinem , C illique vulnera inflixiſſe , atque inſtrumento ad lædendum apto uſum fuiſſe . Pictores plerumque illum fuſte exhibent armatum , vel maxilla , ſed integrum ſemper fuit Poetis quidlibet comminiſci . Targum Jonathan ait , lapis ictu in fronte percuſſiſſe . Rabbini inquiunt in fruſta diſcerpſiſſe , atque dentibus dilaniaſſe . Alii credunt marra , aut quolibet alio ad terram excolendam uſum eſſe inſtrumento . In hoc autem ſimplices adſunt conjecturæ . Abel injuſte a Cain fratre ſuo primogenito enecatus , mirum in modum ſignat violentam Jeſu Chriſti mortem , quam a Judæis ſubiturus erat , ipſius gloriæ , virtutiſque invidis . Sanctus Paulus Hebr. 12. 2. ait divini hujus Redemptoris ſanguinem altius , quam ſanguinem Abel clamare .

D ℣. 10. Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra .] Hic loquendi modus adamuſſim atrocitatem criminis exprimit ultionem poſcentis . Joſephus antiq. l. 1. 3. putat Cain cum fratrem interemiſſet , occuluiſſe illum , ratum futurum ut facinus lateret . Hæc locutio , *Sanguis illius clamat ad me de terra* , illum profecto impulit , ut crederet , corpus Abel humatum fuiſſe . Onkelos ita explicat : *Vox ſanguinis poſterorum , qui e fratre tuo erant naſcituri , clamat ad me* . Ex quo arguitur , nullum fuiſſe Abel filium , cum e vivis exceſſit : ſcriptura de illius poſteritate ne verbum quidem facit : verum inferri nequaquam poteſt , nullam ipſius ſobolem fuiſſe . Ipſius miniſterium impellit , ut credas , ipſi familiam fuiſſe , quam aleret . Ipſius quoque ſacrificia E probant , ipſum patrem familias fuiſſe , neque amplius domi Adam commoratum fuiſſe ; denique ipſius conditionem parum fuiſſe ſtatui Cain , qui ſeorſim familiam habebat ſuam , greges , pecudes , & domum . Nomine ſanguinis Abel ultionem de illius nece poſcentis , intelligi poſſunt uxoris viduæ gemitus , filiorumque vox , qui illius ſanguis vocantur . Probabile ne videri poteſt , Abel virginitatem ſervaſſe , cum centum , & triginta natus eſſet annos , eo præſertim tempore , quo multiplicandi præceptum vigebat ?

℣. 11. Nunc igitur maledictus eris super ter-

s Hieron. in quæſt. Hebr.
a Vatabl. Fag.
b Abenezra, Hieron. quæſt. Hebr.

Digitized by Google

TERRAM.] Hebraice habetur [1]: *Maledictus es in terra*, vel *in parte terræ*. Terra aliquomodo in te maledictionem enunciat, tanen horrore percita eſt ob ſanguinem, quo illam fœdaſti. Vel, tu maledictione mea dignior es, quam terra, quæ os ſuum aperuit, ut ſanguinem fratris tui biberet, & quæ ideo fœdiſſima effecta eſt.

℣. 12. CUM OPERATUS FUERIS EAM; NON DABIT TIBI FRUCTUS SUOS.] Terra jam maledicta fuerat poſt peccatum Adæ. Deus hic minas intendit Cain, futurum ut pro illo magis ſterilis exiſtat, quam fuerat prius, & ſe benedictiones ſuas laboribus illius nequaquam impertiturum.

VAGUS, ET PROFUGUS ERIS SUPER TERRAM.] Septuaginta Hebraicum textum vertunt [2]: *Plorans eris, & tremens*: Alii Græci interpretes [3]: *Mobilis eris, & inconſtans*.

℣. 13. MAJOR EST INIQUITAS MEA, QUAM UT VENIAM MEREAR.] Hæc verba juxta veteres, recentioreſque Interpretes deſperationem ſignificant. Juxta vero Judæos Doctores [4], ſignificant queſtum in nimium divinæ ſententiæ rigorem. Vertunt enim: *Mea igitur iniquitas major eſt, quam ut veniam merear?* Alii [5] ita intelligunt: *Major eſt pœna mea, quam ut feram*. S. Chryſoſtomus hom. 19. p. 211. verba hæc videtur excuſare; ait enim, ipſa perfectam confeſſionem criminis Cain complecti; quæ inutilis ipſi fuit, quia ſera nimis. Hæc vero ſententia nullos habet aſſeclas.

℣. 14. ECCE EJICIS ME HODIE A FACIE TERRÆ.] Me in exilium ablegas ab ea regione, ubi parentes degunt mei, ubi vixi, ubi educatus fui; vel pro *terra* homines explicando: me a fratrum meorum ſocietate in exilium agis, a juſtorum communione ſeparas, a populo tuo ſecludis. *A facie tua abſcondar*. Non audebo amplius te coram accedere. Ex hoc loco apparet, Deum primis hominibus ſæpius ſe ſe prodere, & illos familiariter alloqui conſueviſſe.

OMNIS, QUI INVENERIT ME, OCCIDET ME.] Nonnulli in hunc ſenſum explicant: Vereor ne qui prior mihi obvius occurrerit, me poſſit interficere; *Omnis, qui invenerit me, occidat me* [6].

℣. 15. OMNIS, QUI OCCIDERIT CAIN, SEPTUPLUM PUNIETUR.] Cain fratrum timebat ultionem, vel filiorum Abel, vel belluarum occurſum, quæ aliquando, veluti inſtrumenta, divinæ inſerviunt juſtitiæ. Dominus quodammodo Cain ſibi defendendum ſuſcipit, atque ipſum ab illis protegit, qui ſanguinem Abel ulciſci velint, illis ſeptuplo majus ſupplicium indicens. Quicumque primis illis temporibus ſibi jus facere poterat, antequam hominibus Principes, vel Magiſtratus imperitarent, quibus debebat Deus jus injuriarum ulciſcendarum conferre. *Septuplum punietur*. Numerus ſeptem pro indeterminato numero uſurpatur, verum magno, & inſigni. Vide Pſal. 11. 6. & 78. 13. & Prov. 6. 31. Eccli. 7. 3. 40. 8. &c. Jerem. 15. 9. &c.

Sanctus Hieronymus epiſt. ad Damaſ. varios affert ſenſus, qui loco huic tribui poſſunt. Alii dicunt, Cain a Lamech interfectum fuiſſe ſeptima poſt Adam generatione [7] in ſententiæ executionem, quam hic in ipſum enunciat Deus: quam ſententiam inordicur tenuit Antiquitas; & huic præſertim eorum incumbit opinio, qui aſſerunt Cain a Lamech interfectum fuiſſe, qui ab Adam ſeptimus [8] extitit. Vide ℣. 23. & 24. Alii credunt animadverti poſſe in Scripturis ſeptem peccata Cain, totidem ſuppliciis mulctata. Illius primum eſt crimen, non bene diviſiſſe; alterum, invidia in fratrem ſuum flagraſſe; tertium, illi ſubdole dixiſſe, *Egrediamur in agros*; quartum, ipſum enecaſſe; quintum, ſe ignorare dixiſſe, ubi eſſet Abel; ſextum in deſperationem concidiſſe, dicentem: *Major eſt iniquitas mea, quam ut veniam merear*; ſeptimum denique pœnitentiam agere noluiſſe, poſtquam de peccato ſuo admonitus fuit. Deus miſericors uſque ad ſeptimam generationem inter vivos illum degere paſſus eſt, ut illi ſuppeteret tempus, quo pœnitentiam agens ſcelera delere poſſet. Aliqui apud S. Hieronymum ad Damaſ. ad fin. qu. 1. credidiſſe videntur, pœnituiſſe Cain, atque æternam ſalutem ſibi comparaſſe.

Hebraicus textus, qui hodie extat, palam hic differt ab eo, qui Septuaginta, veterumque Græcorum interpretum, ac Divi Hieronymi præ manibus verſabatur, qui legerunt: *Nequaquam ita fiet* [9], *lo Ken*, dum textus Hebraicus in noſtris Bibliis editus habet *la Ken* [10] *ideo*. En igitur ſenſus, qui huic textui tribui poteſt; Cain ait: *Ejicis me a facie tua, & quicumque me invenerit, occidet me*. Deus illi reſpondet: *Ideo*, ne malum hoc accidat, & quo minus enecaris, impediam, edico: *omnis, qui occiderit Cain, ſeptuplum punietur*. Nonnulli [11] hebraicam vocem laken vertunt, *imo, certe, profecto, utique*. Cain ait, *omnis qui invenerit me, occidet me*, Deus illi reſpondet: *Profecto omnis, qui occiderit Cain, ſeptuplum punietur, &c.*

POSUITQUE DOMINUS CAIN SIGNUM.] Quodnam erat hoc ſignum, quo Cain dignoſceretur? Quiſque pro libidine ratiocinatur. Rabbini tribuunt Cain canem, qui illum ſemper præcederet; alii cornu in fronte [12]; alii vero contendunt in ipſius fronte litteram inuſtam fuiſſe, quæ ipſius, vel Dei, vel Abel nomen præſeferret. Credibile eſt, Deum illi notam aliquam inſcripſiſſe illi ſimilem, quam eorum frontibus, qui gemebant, ſignandam præcepit, Ezechielis c. 9. 4. 6., aut Dei characteri parem ſanctorum frontibus impreſſo in Apocalypſi c. 9. 4., vel denique veluti characteres, qui in Oriente captivorum frontibus inurebantur.

Plerique Patrum [13] credunt, ſignum hoc fuiſſe omnium artuum illius tremorem, faciei abominationem, horrorem, ſqualoremque, quo pravæ conſcientiæ morſus proderentur. Sententiæ huic anſam fortaſſis præbuere Septuaginta vertentes, *Gemens eris, & tremens*, pro *vagus, & profugus eris ſuper terram*. ℣. 13. Nonnulli veteres latini libri manu exarati habent: *Poſuit Cain in ſignum*. Verum hæc eſt Librariorum correctio, quæ hebraico textui adverſatur. Abenezra, Vatablus, Pfeifferus [14], & alii quidam crediderunt, Deum, ut Cain in maximo terrore, in quo verſabatur, confirmaret, miraculum patraſſe, ut illi probaret, neminem ipſi manus forte illaturum.

℣. 16. EGRESSUS CAIN A FACIE DOMINI.] Reliquit locum, ubi illi apparuerat Deus; vel, ſeceſſit a loco, ubi pater illius immorabatur, qui erat velut centrum unionis Fidelium. Vide, quæ ſuperius dicta ſunt ℣. 14.

HABITAVIT PROFUGUS IN TERRA, AD ORIENTALEM PLAGAM EDEN.] Hebraicus [15] Textus: *Habitavit in terra Nod ad Orientalem plagam Eden*; vel *Habitavit vagus in terra ad Orientem Eden*. Septuaginta pro *Nod* legerunt *Naid*, illudque, æque ac

1 ארור אתה מן [illegible] [illegible] 2 נע ונד 70. *στένων καὶ τρέμων*,
3 Σαλευόμενος καὶ ἀκαταστατῶν. Apud Druſ. vide nuv. edit. Hexapl. Caten. Reg. heb. & ſyr. *σαλευόμενος καὶ ἀκαταστατῶν*. 4 Lyran. 5 Abenezra apud Fag. Oleaſt. Piſc. Jun. &c.
6 Lyranus hic. 7 Legebat Symmachus: *Septimus punietur*, vel *ſeptima generatione*, juxta nonnullos a Procopio in hunc locum allatos. Ita quoque explicuerunt Joſephus, Chaldaica verſio, OnKelos, aliique plures.
8 1. Adam. 2. Cain. 3. Henoch. 4. Irad. 5. Maviael. 6. Mathuſael. 7. Lamech.
9 לא כן 10 לכן 11 Ludov. de Dieu, Vatab. Fag. 12 R. Abba Juſa, Zenorenna qu. 42.
13 Chryſoſt. in hunc loc. Theodoret. q. 42. in Geneſ. Auguſt. in Fauſtum l. 12. c. 12. Hieron. ep. ad Damaſ. Vide & Brixeid. apud Hottinger. &c.
14 Pfeiff. Dub. vexat. S. Cent. 1. l. 14. 15 וישב בארץ נוד קדמת עדן.

ac Joſephus, pro loci nomine intellexerunt [1]. Chaldaica verſio, & Author vulgatæ vocem hanc in ſua ſignificatione litterali acceperunt, quæ vagum, profugum, extorrem ſignificat. Verum conſentaneum magis eſt, ut intelligatur nomen, quod ei loco inditum eſt, quo Cain confugit. Eſt in orientali plaga Eden, atque Aſſyriæ, regio vaſta, quę Nyſa, vel Nyſæa vocabatur. Hiſtorici [2] paſſim de *Nyſæis Campis* loquuntur, & dę regionis illius equis, quæ non nimis a terra Eden aberat. Hebraice voces *Nus* נוס unde *Nyſa*; & Nod נוד idem ſignificant: fugere, recedere, errare, vagari.

℣. 17. ÆDIFICAVIT CIVITATEM, VOCAVITQUE NOMEN EJUS EX NOMINE FILII SUI, HENOCH.] Hæc urbs Henoch, quæ aſylum fuit Cain, & illius familiæ, vetuſtiſſima procul dubio eſt, quam noverimus. Hæc forſitan eadem eſt ac urbs *Hannchia*, de qua loquitur Ptolomæus l. 6. c. 3. & Tabul. 5. Aſiæ, quam in Suſiana ſtatuit. Non loquor vero de urbe Henochia falſi Beroſi, quam ille ad Libani Orientem Damaſcum verſus conſtituit.

Joſephus l. 1. antiq. c. 3. ſingularia quædam refert de Cain, quæ præterit Scriptura. Ait enim, ipſum cum domum ſuam Naid ſtatuiſſet, ibique ſibi, & familiæ ſuæ urbem ædificaſſet, dum ad frugem reverti oportebat propter exilium, quo mulctatus fuerat, in dies in majora prolapſum vitia corruiſſe, & omnibus ſceleribus deditum per fas nefaſque, omnia ſuſque, deque miſcuiſſe, latronum agminis, quos collegerat undequaque, & quomodo alienis ſumptibus ditarentur, edocuerat, principem effectum. Veterem fidem, ac ſimplicitatem, quæ in terris florebant, perfregit, fraudem, & dolum in commercium invehens, & pondera, ac menſuras inveniens. Prior ille agris limites ſtatuit, urbem condidit, & propugnaculis firmavit. Quoniam aureo ſæculo omnia erant communia juxta Poetas; hinc ait Virgilius Georg. 1.

Nec ſignare quidem, aut partiri limite campum.
Fas erat. In medium quærebant.

Urbes, & domus patebant; nec aliquis de proximo ſuo diffidebat. Tibullus.

Non domus ulla fores habuit, non fixus in agris,
Qui regeret certis finibus arva lapis.

Præadamitarum Author aliquot difficultates proponit ex iis deſumptas, quæ Scriptura ait de Cain & Abel inſtitutis, quæ plura expoſcebant inſtrumenta, auxilia, & opera, quam quæ illis ſuppetere potuiſſent, niſi in terris alii fuiſſent homines, quam quos Adam genuiſſet. Verum, unde hic author didicit Cain tantummodo & Abel ab Adam & Eva editos fuiſſe? Nonne palam aſſerit Moyſes cap. 5. ℣. 4. Adam *genuiſſe filios, & filias*; quod æque intelligi poteſt de tempore quod nativitatem Seth eſt ſubſecutum, ac de eo, quod præceſſit. Quis enim opinari poteſt centum, & triginta annorum ſpatio Adam, & Evam duos tantum filios habuiſſe? Deus nonne minitatus fuerat, ſe Evæ dolores, & partus ſore multiplicaturum? Cur ædificaſſet Cain urbem, ſi infrequens adeo illius familia extitiſſet? quid porro interfector ille verebatur, ſi nulli fuiſſent Abel fratres, vel liberi, qui ultionem expoſcerent?

Hic author his Moyſis verbis inſiſtens, *ſtatim in foribus peccatum aderit*, nobis ſuadere vult, tunc Tribunalia fuiſſe, & conſtitutę Juſtitiæ Magiſtratus. Hoc non eſt abſolute impoſſibile, & minimum ad ipſum ſpectat. Verum utique probabile eſt, locutionem hanc adagii loco poſitam fuiſſę, & pœnam ſignificare, quæ ſtatim crimen ſubſequitur: *Culpam*

A *pœna premit comes*; vel Moyſes per prolepſim, quæ illi familiaris eſt, loquitur hic juxta conſuetudinem temporum, ſuorum potius, quam eorum, quæ diluvium præceſſerant. Mirum ne videri poteſt centum & triginta annorum intervallo inſtrumenta ad Agriculturam ſpectantia inventa fuiſſe? Admirabilis porro magiſtra neceſſitas eſt. Ferrum, & metalla ſimpliciterne ſunt neceſſaria, ut terra excolatur? Nonne uti poterant lignis ad ignem obduratis, & lapidibus ad cædendum acutis, tunc præcipue cum præ temporibus noſtris maxima eſſet agrorum ubertas? Abel greges agebat ut eas tueretur, non ſolum a raptoribus, quoniam tunc jam adeſſe poterant, verum etiam a feris; armenta in meliora deducenda erant paſcua, atque in ſtabula cogen-
B da: quæ omnia hominis miniſterium expoſcunt, ac Paſtoris ſolicitudinem.

℣. 19. LAMECH ACCEPIT DUAS UXORES.] Ada, & Sella juxta Joſephum Antiq. lib. 1. c. 3. Lamech ſeptem & ſeptuaginta filios pepererunt, quam Scriptura præterit circumſtantiam. S. Hieronymus ad Damaſ. quæſt. 1. bis, vel ter, & Origenes in fragmentis aliquot, quæ nobis tradita fuerunt in Hexaplis ad Geneſ. 4. 8. de quibuſdam apocryphis Hebræorum libris loquuntur, qui ſingularia quædam in Geneſim complectebantur. Inde profecto hauſit Joſephus, quod de Cain loquitur, & Abel, quod in Moyſe non extat; & ex eodem fonte emanant fortaſſe pleræque Hebraicæ traditiones Sancti Hieronymi in Geneſim. Rabbini [3] contendunt ante Diluvium ſingulis viris binas uxores
C adhæſiſſe, alteram voluptatis cauſa, generationis alteram: hæc autem male habebatur, illa vero ſemper muneribus excipiebatur. Ada filios Lamech pariebat, Sella vero voluptati inſerviebat. Hujus, inquiunt, conſuetudinis perniciem Job reprobat cap. 24. ℣. 21. *Pavit ſterilem, quæ non peperit, & viduæ non benefecit*. Vidua filios pepererat. Verum hæc ſunt Rabbinorum commenta; & Sella quoque filios habuit. Geneſ. 4. 22.

Polygamiam Lamech velut maximum crimen reſpexere Patres. Tertullianus lib. de Exhort. ad Caſtit. c. 5. & lib. de Monogamia c. 5. acriter ſuos promit ſenſus. *Numerus matrimonii a maledicto viro cœpit. Primus Lamech duabus maritatus, tres in unam carnem effecit*; atque alibi ait, pravum Lamech exemplum ſe-
D ctatores habuiſſe ad finem uſque nationis Judaicæ; ſed ante Diluvium, qui illud fuerit imitatus, repertus eſt nemo. S. Hieronymus l. 1. contra Jovinianum nihilo ſecius, ac Tertullianus Lamech opus condemnat. *Primus Lamech ſanguinarius, & homicida, unam carnem in duas diviſit uxores; fratricidium, & bigamiam eadem cataclyſmi delevit pœna*. Vide Ep. 9. ad Salvian. & ep. 11. ad Ageruchiam.

Papa Nicolaus, I. Epiſtola ad Lotharium Regem, adulterum Lamech appellat propter bigamiam illius, & Innocentius III. [4] non veretur aſſerere numquam fuiſſe fas, plures ſimul habere mulieres, ſine particulari facultate, & revelatione Divina. *Nulli*, inquit, *unquam licuit inſimul plures uxores habere, niſi cui fuit divina revelatione conceſſum, qui mos quandoque, inter-*
E *dum etiam fas cenſetur*. Poſtrema vero hac ratione Patriarchas excuſat, qui plures duxerunt uxores. Sanctus Auguſtinus [5] eos excuſat propter illorum temporum conſuetudinem, quæ polygamiam patiebatur. *Quando mos erat, peccatum non erat; & nunc propterea peccatum eſt, quia mos non eſt*, &c. Verum nihil ex his Lamech excuſat.

℣. 20. JABEL, QUI FUIT PATER HABITANTIUM IN TENTORIIS, ATQUE PASTORUM.] Hoc loco, & ſequentibus *Pater* authorem ſignificat, inſtitutorem, inventorem. Aſſerere haud integrum eſt, Jabel primum egiſſe pecora; legimus enim, quod Abel ſuos gre-

1 70. ᾤκησεν ἐν γῇ Ναὶδ κατέναντι Ἐδέμ. 2 Strabo lib. 11. Herodot. lib. 7. Diodor. lib. 17.
3 Jarchi in Job. 24. 21. Bereſabi, Rabb. Urie. R. Juda Bar. Simon paraſ. 23.
4 Cap. *Gaudemus*. Extra, De divortiis. Vid. Ambroſ. l. 1. de Abrah. c. 4. Chryſoſt. homil. 56. in Geneſ.
5 Lib. 22. contra Fauſtum Manich. c. 47. & Confeſſ. l. 3. c. 7. & 8. & de bono conjugali c. 17.

greges paſcebat ; verum Jabel hoc ex peculiari inſtituto cum familia ſua, & poſteris profitebatur. *Habitantium in Tentoriis*. Agreſtem ille vitam duxit, velut Scythæ, qui Nomades appellabantur, & Arabes Scenitæ; dum Abel ſtatæ erant ædes, quamquam fuerat Paſtor.

℣. 21. JUBAL, IPSE FUIT PATER CANENTIUM CITHARA, ET ORGANO.] Hebraica vox *Kinnor* כנור paſſim *Cithara* transfertur; verum creditur hic poſita fuiſſe pro omnibus inſtrumentis muſicis, & qui vel digitis, vel arcu pulſantur. Ita pariter *Hugab* עוגב, quæ *Tympanum*, vel *Organum*, aut *Tibiam* ſignificat, ponitur pro inſtrumentis muſicis pneumaticis, velut fiſtula &c. Chaldaice legitur אבובא *Abuba*, quod idem eſt ac *Ambubaja*, quod in Horatio legitur *Sat.* 2. Vox hæc juxta Horatii Scholiaſtes Syra eſt; ponitur pro *Symphonia*, vel *Tibia*, quæ ſunt duæ fiſtulæ ſpecies. Prolixius de Hebræorum muſicis inſtrumentis loquemur in Commentariis ſuper Pſalmos.

℣. 22. TUBALCAIN, QUI FUIT MALLEATOR, ET FABER.] Hebraicus textus לטש כל חרש a pleriſque interpretibus vertitur [1]: *Qui lævigabat*, aut perficiebat, qui proprie elaborabat id omne, *quod ad opera ferri ſpectat*, æris, argenti, & auri. Fabulatum Vulcanus palam a Tubalcain deductus eſt. Ipſorum nomen, & ars congruunt ad unguem. Illum Septuaginta *Tobel* ſimpliciter appellant. Plures credunt *Noemam* nendi lanam, telamque texendi rationem inveniſſe; eaque fortaſſis apud Græcos eſt Minerva, quæ *Nemanoun* appellabatur, ut ex Plutarcho liquet libro de Iſide, & Oſiride.

Profani [2] de inventoribus artium loquuntur diutius poſt Moyſem. Dicitur, exempli gratia, *Liber*, aut *Bacchus* docuiſſe homines vendere, atque emere; Ceres uſum frumenti monſtraſſe, illiuſque molendi, coquendique rationem in Sicilia, in Italia, atque Africa tradidiſſe, quo divinos ſibi honores comparavit. Ante hoc adinventum homines glandibus, caſtaneiſque veſci conſueviſſe dicuntur. Hæc juxta quoſdam primum Dea leges rogavit; juxta alios Rhadamantus. Contendunt, Phœnices litteras, & ſcribendi rationem inveniſſe, & Cadmum Phœnicen ſexdecim litteras in Græciam attuliſſe. Alii aſſerunt ante Phoronæum antiquiſſimum Græciæ Regem, litterarum uſum in Ægypto inventum fuiſſe, atque uſus vetuſtior adhuc erat apud Babylonios.

Verum hæc adinventa plerumque ad Græcos dumtaxat referuntur, quorum antiquiſſima, quæ novimus, tempora non longius Troicum Bellum excedunt. Pro aliis regionibus, quæ ſemper excultæ fuerunt, velut Aſſyria, Chaldæa, Ægyptus, invenimus artes non ſolum ad vitam neceſſarias, verum etiam ad ornatum, antequam Græcia coleretur, ibique urbes ædificarentur, excultas. Qui primi Athenis ædium extruendarum artem invenerint, Euryalus, & Hyperbius fuiſſe dicuntur, atque antea homines in ſpeluncis immorati conſueviſſe. Cyniras filius Agriopis tegulas inveniſſe dicitur, atque æris metalla in Inſula Cypro; reperiſſe quoque mallei uſum, forcipis, atque incudis. Ægyptii ſe jactitant medicæ artis, telæ, & panni inventores. Heſiodus ait, Dactylos Cretenſes ferrum inveniſſe. Præterea Diodorus Siculus l. 5. ait ab illis æs inventum, ignis uſum, liquendi, cudendique metalla. Argentum alii ab Erichronio repertum aſſerunt, alii vero honorem hunc Eaco deferunt.

Cadmus Phœnix aurum invenit, ejuſque liquendi artem ad Paugæum montem; Dædalus lignum, lapideſque elaborandi author fuit; ſeram ille invenit, dolabram, terebram, gluten, libellam, &c. Pyrodes e ſilice ignem elicuit, Prometheus ipſum in Ferulæ trunco [3], quæ quinque, aut pedibus ſex altitudine erbuſtum aſſurgit, aſſervandi rationem invenit; illius cortex perdurus eſt, atque intra truncum maxima eſt medullæ vis, quam non niſi ſenſim ignis adurit; eoque utuntur nautæ ut ab una in aliam inſulam deferant ignem. Eumolpus Athenienſis vitium, & arborum excolendarum modum edocuit: Buzyges aratrum ſub jugum miſſis tauris devexit, ni Triptolemus hunc ſibi honorem vindicet. Muſicæ adinventum Amphioni, calami vero Pan Mercurii filio defertur. Quinam vero citharæ author fuerit, certant inter ſe Amphion, Orpheus, & Linus. Erythræus Rex rates in mari rubro dicitur inveniſſe, quarum diutius uſus invaluit, antequam navium oblongarum uſus inveniretur. Verum hæc adinventa, quemadmodum ſuperius dictum eſt, quoad Græciam modo plerumque ſunt intelligenda; hæc enim omnia ante diluvium excogitata fuerunt, ut ex hoc Moyſis loco innoteſcit.

℣. 23. OCCIDI VIRUM IN VULNUS MEUM.] Non apparet, quare hunc ſermonem inire cogatur Lamech cum duabus uxoribus ſuis. Nihil dixit antea Moyſes, cui hoc referri poſſit. Hebræorum Traditio, quam S. Hieronymus ſequitur ep. ad Damaſ. aliique plures [4], refert, Lamech, cum interfeciſſet Cain, uxoribus ſuis declaraſſe infortunium, quod illi contigerat, & dixit illis, futurum ut, ſi Deus pœnas de Cain interfectore ſeptuplum ſumeret, in Lamech interfectorem uſque ad ſeptuagies ſepties ulciſceretur. Ut huic hiſtoriæ major venuſtas accedat, Hebraicæ traditionis innixi fidei enarrant, Lamech, cum venatum perrexiſſet, & jam longævus non admodum oculorum acie polleret, a quodam in nemora deductum fuiſſe, quem Judæi Tubalcain filium ipſius fuiſſe comminiſcuntur. Cum adoleſcens hic inter denſa nemoris, velut deambulantis feræ ſtrepitum percepiſſet, illam prodidit Lamech, qui abſque eo quod ulterius aliquid quæreret, emiſſo jaculo, infelici eventu Cain enecavit, qui tunc aderat fortuito.

Agnovit illico errorem ſuum Lamech, atque furens ira adoleſcentem quoque interfecit, cujus monitu arcum tetenderat. Domum reverſus, quod evenerat, uxoribus refert, illiſque ait, ſi Deus pollicitus fuerit, ſe Cain mortem ſeptuplum ulturum fore, ſibi locum relictum eſſe ſperandi futurum ut, ſi quis in ipſum ſimile aliquid patrare velit, de illo ſeptuagies ſepties Deus ſumeret ultionem; quandoquidem crimen Cain ex ipſius libera voluntate emanarat, ipſe vero penitus inconſulto illud peregerat. *Occidi virum*, hoc eſt Cain, & *adoleſcentulum*, filium ſuum Tubalcain, qui ipſum, ut jacularetur, adegerat. Hæc Hiſtoria apud nullum e veteribus reperitur, & reor, ſcholaſticæ Authorem hiſtoriæ primum hoc retuliſſe. Iſtud ſatis eſſet, ut jure rejiceremus, cum ad hæc id minime accederet, quod ſtatim fabulas ſapere ſe ſe prodit.

Neque Philo, neque Joſephus crediderunt umquam a Lamech interfectum Cain, neque Paraphraſtes Onkelos, neque Hebræorum plurimi, neque S. Chryſoſtomus in Geneſ. neque Theodoretus in Geneſ. qu. 44. nec denique frequens eruditorum Interpretum [5] manus. Philo in lib. *quod deterior potiori inſidiatur ad finem* explicite aſſerit, Moyſem nihilum de Cain morte innuiſſe, perinde ac innuere vellet, crimen, atque illius, qui fratrem ſuum occiderit, amentiam æternam eſſe, atque immortalem. Joſephus Antiq. lib. 1. cap. 3. ait, Lamech, cum divinis rebus imbutus eſſet apprime, crediddiſſe, ultionem ſuam inſignem futuram, ſeque eas ſubiturum pœnas illius criminis, quod Avus ſuus in Abel patraverat. Hic author cum aliis quibuſdam (quos vide ſuperius ℣. 15.) palam credidit ultionem ſanguinis Abel in ſeptimam ab ipſo generationem ſervandam eſſe. Onkelos vertit: *Nequaquam ego hominem occidi, ut pœnam ſubirem, neque adoleſcentulum, ut in poſteros meos hanc calamitatem dimitterem*. Arabica verſio, & Rabbini quidam in eumdem ſenſum intelligunt cum interrogatione, *Occidi homi-*

1 Piſcat. Oleaſt. Munſt. Vatab. Fag.
2 Plin. l. 7. c. 56.
3 Turnefortius.
4 Raban. Strab. Anſelm. Laud. Lyran. Toſt. Cajet. Delrio, Peter.
5 Catharin. Oleaſt. Burgeus.

hominem, illi lethale vulnus inſligens? Adoleſcentulum lethiferis ictibus interfeci? Perinde ac uxores ſuas confirmare vellet, quæ verebantur, inquiunt Hebræi, ne Deus illas una cum viro plecteret, quod efficiendorum armorum artem invenerat, eamque Tubalcain filio ſuo tradiderat.

Svidas, voce *Lamech*, ait a Lamech duos homines fuiſſe interfectos; hos vero neque Cain fuiſſe, neque Tubalcain: ſed duos fratres Henoch, quem Deus extra hunc orbem tranſtulit, fuiſſe interemptos. Alii [1] credunt, Lamech non fateri hic ſe enecaſſe hominem; ſed minas intentaſſe, ſe enecaturum, ſi quis ipſum læderet, vel aggrederetur. *Ego occiderem virum propter vulnus meum*. Aliqui credunt, Lamech, cum a conjugibus ſuis argueretur, quod Cain peremiſſet, reſpondiſſe, hoc in ſui unius perniciem factum fuiſſe, ſi illum ſuſtuliſſet; *in vulnus meum*. Unus ego ſupplicium feram. Uerum ſi de Cain loquebatur, quomodo *adoleſcentulum* vocare poterat eum, qui ſeptingentis circiter annis eſſet natus?

Nec deſunt, qui opinentur, Lamech, cum ſe optimo cuique inviſum comperiſſet propter polygamiam, quæ velut fundamentalis conjugii legis violatio habebatur; cumque uxores ſuas confirmare vellet, quæ ab eo ſecedere cupiebant, ut connubii, quod peſſimo eſſet exemplo, evitarent probrum, & ne a Deo punirentur, veluti criminis participes, ad eas aſſeveranter dixiſſe; *Occidi ne hominem in vulnus meum?* &c. Quod tantum patravi ſcelus? Si Cain, qui fratrem ſuum occidit, ſervatus eſt, & ſi quis illud enecaverit, ſeptuplum plectetur; quid ille merebitur, qui me fuerit aggreſſus, cum error meus illius ſcelere longius ſit minor? Conjecturæ huic deeſt modo validum aliquod argumentum. Sed non eſt cur valida hac in re moremur argumenta, quandoquidem Scriptura ſubjectum ſermonis Lamech præterit.

℣. 24. SEPTUPLUM ULTIO DABITUR DE CAIN.] Senſus hic in duas diverſas poteſt explicari ſententias. Quicumque occiderit Cain, occidetur, & propter ſanguinem Cain *ſeptuplum* ſumetur ultio; videlicet acerrime, & ſæpius: ſed qui occiderit Lamech ſine ulla comparatione acrius, & diutius plectetur. Vide Pererium n. 91. Quæ explicatio ad litteram magis videtur accedere. Secundo intelligi poteſt, perinde ac ſi haberetur: Cain, quod Abel fratrem ſuum occiderit, ſeptuplum mulctatus eſt; ego vero ſeptuagies ſepties puniar, quod occiderim Cain, vel unum, vel alterum etiam hominem; quoniam ut ſuperius vidimus, res adhuc eſt ſub judice. Senſum hunc Arabica ſequitur verſio, & Syriaca, S. Chryſoſtomus hom. 20. In Geneſ. S. Baſilius Regul. brevior. q. 47. S. Gregorius Nazianzenus, Orat. 44. S. Hilarius in Matth. 18. Sanctus Ambroſius l. 2. de Cain, aliique plures, & illis Septuaginta [2] textus ſuffragatur. Sed Hebraicus [3], & Vulgata verſio priori potius favent expoſitioni.

Joſephus arbitratus eſt, ſeptem ultiones, quæ intentatæ fuerant in Cain, vel in interfectorem ipſius, ſeptimam poſt Adam generationem ſignificare, atque ſeptem, & ſeptuaginta vices, quibus Lamech, vel illius occiſor erant puniendi, ſignificare 77. filios, quos Lamech Ada, & Sella pepererunt. Quidnam in eam ſententiam illum impulerit, latet; niſi forte illi fuerit textus, qui a noſtris differret, vel populi ſui traditiones ſecutus ſit, quæ nos fugiunt. Videri poteſt S. Hieronymus Epiſtola ad Damaſum, ubi plures alias allegoricas loci hujus adfert interpretationes, quas ipſum ab Origene eruiſſe, opinamur.

℣. 25. VOCAVIT NOMEN EJUS SETH.] Seth natus eſt anno 130. uti liquet ex capite 5. ℣. 3. Conjicitur

A ideo, Abel enecatum fuiſſe anno ab Orbe condito 129. vel 130. Seth ſignificat, *illum poſuit*, vel *qui poſitus eſt*. Huic quoque filio mater nomen impoſuit.

℣. 26. SED ET SETH NATUS EST FILIUS, QUEM VOCAVIT ENOS; ISTE COEPIT INVOCARE NOMEN DOMINI.] Memoravit ſuperius Moyſes Artium, rerumque Inventores: oſtendit hic Religionis Authorem. Non invenit Enos religionem, & Dei cultum; quod eſt mentibus humanis inſitum, illud adinventum non eſt: Religio quippe cum homine jactat originem; atque Deum colendi obligatio hominum cordibus inſita eſt. Sed illum colendi ratio; ritus, qui tempus, locum, & cultus modum reſpiciunt; oblationum, & ſacrificiorum, quæ Deo poſſunt offerri quantitas, & natura, atque materialis, & externa Religionis a-

B ctio ab hominibus regi poteſt, atque ordinari.

Ægyptii, apud Herodotum l. 2. c. 4. Lucian. de Dea Syr. initio, jactitabant, ſe primitus Theologiam inveniſſe, & Templorum ædificandorum, altarium, ſacrarumque imaginum uſum invexiſſe; verbo, ſe Diis nomina impoſuiſſe. Verum jure potius accuſandi ſunt, quod veram Religionem corruperint, & ſuperſtitionem, & Deorum pluralitatem in orbem intulerint.

Hebraicus loci hujus [4] textus diverſas pari poteſt ſententias; aliqui vertunt: *Tunc inceptum eſt invocare nomen Domini*. Tunc temporis, exterior Dei cultus inſtitutus eſt. Antea quiſque ſtudium ſuum ſequebatur, ac lumina ſua in Religione; Sed tunc temporis a Seth publica, atque externa Deum

C honorandi ratio ſtatuta eſt. Alexandrina aſſerunt Chronica, filios Seth, dum Cain progenies in omnia proruebat ſcelera, incepiſſe invocare nomen domini, ſcilicet *Angelorum Hymnum*, recitare, qui eſt *Sanctus, Sanctus, Sanctus*.

Alii vertunt: *Tunc profanari cœpit nomen Domini* illud Idolis tribuendo. Hæc plurium eſt Judæorum traditio [5]; Idololatriam temporibus Enos in mundum obrepſiſſe. Duo Paraphraſtes Chaldæi locum hunc in eam explicant ſententiam. Vide Sapientiæ caput 14. 13. *Initium fornicationis eſt exquiſitio Idolorum*. Cum omnis caro corrumpere cœpit viam ſuam, idololatria in orbe cœpit latius graſſari.

Verti quoque poteſt: *Tunc vocari cœptum eſt de nomine Jehovah*; qui in ſervitute Dei permanſerunt,

D & in pietate, poſteri Seth, ſe filios Dei appellarunt, ut ab impiis ſecernerentur, qui vocati ſunt hominum filii. Vide Caput. 6. 2. Hic ſenſus ad rem maxime videtur.

Septuaginta [6] verterunt: *Collocavit ſpem ſuam in invocatione nominis Domini*. S. Chryſoſtomus in Pſ. 49. ℣. 1., & in hunc locum homil. 20. S. Cyrillus l. 2. in Geneſ., Euſebius Emiſenus, & Theodoretus q. 47. In Geneſ. aliter explicant: *Enos, & poſteri ipſius Deorum qualitatem ſumpſerunt*. Quemadmodum nomen hoc Angelis tribuitur, propterea quod Miniſtri, & Nuntii Dei ſunt, atque illius perſonam repræſentant, ita Enos de nomine Domini fuit appellatus propter ſuum characterem ſervi, & miniſtri Dei. Aquila [7] etiam in hunc ſenſum vide-

E tur intellexiſſe. *Tunc vocari cœpit de nomine Domini*. Legit profecto, ut nos quoque legimus אז. *Vide Edit. nov. Hexapl.* Svidas ait primos homines detuliſſe Seth nomen Dei, quoniam Hebraicas invenit litteras, & aſtrorum nomina. Alii duarum tantummodo poſtremarum litterarum acceptam illi referunt inventionem, ſcilicet *Schin*, & *Tau*, quæ nomen *Seth* conſtituunt; cum Adam contentus fuerit *Samech*, & *Theth*, quæ eumdem in Hebraico ſermone pariunt effectum.

---

[1] Vatab. Munſt. Fag. alii. [2] 70, ἑπτάκις ἐκδεδίκηται ἐκ Κάϊν, ἐκ δὲ Λάμεχ ἑβδομηκοντάκις ἑπτά.


[3] שבעתים יקם קין ולמך שבעים ושבעה.

[4] אז הוחל לקרא בשם יהוה. [5] Hieron. quæſt. Hebr. in Geneſ.

[6] Οὗτος ἤλπισεν ἐπικαλεῖσθαι τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου, legerunt זה pro אז, uti quoque S. Hieronymus.

[7] Τότε ἤρχθη τοῦ καλεῖσθαι ἐν ὀνόματι Κυρίου.

CA-



ARBOR GENEALOGICA DESCENDENTIUM ADAM ET EVÆ.
usque ad diluvium Gen. IV. V.

NAPOLI

CAPUT V.

Genealogia Adam per poſteros Seth, uſque ad Noe.

1. HIc eſt liber generationis Adam. In die, qua creavit Deus hominem, ad ſimi-
litudinem Dei fecit illum. 2 Maſculum, & fœminam creavit eos, & bene-
dixit illis, & vocavit nomen eorum Adam, in die, quo creati ſunt. 3 Vi-
xit autem Adam centum triginta annis: & genuit filium ad imaginem, & ſimilitudinem
ſuam, vocavitque nomen ejus Seth. 4 Et facti ſunt dies Adam, poſtquam genuit Seth,
octingenti anni: genuitque filios, & filias. 5 Et factum eſt omne tempus, quod vixit
Adam, anni nongenti triginta, & mortuus eſt. 6 Vixit quoque Seth centum quinque
annis, & genuit Enos. 7 Vixitque Seth, poſtquam genuit Enos, octingentis ſeptem
annis, genuitque filios, & filias. 8 Et facti ſunt omnes dies Seth nongentorum duo-
decim annorum, & mortuus eſt. 9 Vixit vero Enos nonaginta annis, & genuit Cai-
nan. 10 Poſt cujus ortum vixit octingentis quindecim annis, & genuit filios, & fi-
lias. 11 Factique ſunt omnes dies Enos nongenti quinque anni, & mortuus eſt. 12 Vi-
xit quoque Cainan ſeptuaginta annis, & genuit Malaleel. 13 Et vixit Cainan poſt-
quam genuit Malaleel, octingentis quadraginta annis, genuitque filios, & filias. 14 Et
facti ſunt omnes dies Cainan nongenti decem anni, & mortuus eſt. 15 Vixit autem
Malaleel ſexaginta quinque annis, & genuit Jared. 16 Et vixit Malaleel, poſt-
quam genuit Jared, octingentis triginta annis, & genuit filios, & filias. 17 Et facti
ſunt omnes dies Malaleel octingenti nonaginta quinque anni, & mortuus eſt. 18 Vi-
xitque Jared centum ſexaginta duobus annis, & genuit Henoch. 19 Et vixit Jared,
poſtquam genuit Henoch, octingentis annis, & genuit filios, & filias. 20 Et facti ſunt
omnes dies Jared nongenti ſexaginta duo anni, & mortuus eſt. 21 Porro Henoch vi-
xit ſexaginta quinque annis, & genuit Mathuſalem. 22 Et ambulavit Henoch cum
Deo: & vixit, poſtquam genuit Mathuſalem, trecentis annis, & genuit filios, & fi-
lias. 23 Et facti ſunt omnes dies Henoch trecenti ſexaginta quinque anni. 24 Am-
bulavitque cum Deo, & non apparuit: quia tulit eum Deus. 25 Vixit quoque Ma-
thuſalem centum octoginta ſeptem annis, & genuit Lamech. 26 Et vixit Mathuſalem,
poſtquam genuit Lamech, ſeptingentis octoginta duobus annis, & genuit filios, & fi-
lias. 27 Et facti ſunt omnes dies Mathuſalem nongenti ſexaginta novem anni, &
mortuus eſt. 28 Vixit autem Lamech centum octoginta duobus annis, & genuit fi-
lium. 29 Vocavitque nomen ejus Noe, dicens; Iſte conſolabitur nos ab operibus,
& laboribus manuum noſtrarum, in terra, cui maledixit Dominus. 30 Vixitque La-
mech, poſtquam genuit Noe, quingentis nonagintaquinque annis, & genuit filios,
& filias. 31 Et facti ſunt omnes dies Lamech, ſeptingenti ſeptuaginta ſeptem an-
ni, & mortuus eſt. Noe vero cum quingentorum eſſet annorum, genuit Sem, Cham,
& Japhet.

℣. 1. HIC EST LIBER GENERATIONIS ADAM.] Moyſes non complectitur Cain, nec progeniem illius. Loquitur tantum de Adam poſteritate per Seth, quæ erat propago populi electi, & Patrum Meſſiæ, ad quem Scripturæ omnes referri debent. Adam in hoc verſiculo Adam ſignat, atque Evam, quandoquidem ℣. 2. dicitur: *Et vocavit nomen eorum Adam, in die, quo creati ſunt*. Deus autem eos creavit ſexta die utrumque.

℣. 3. VIXIT AUTEM ADAM CENTUM TRIGINTA ANNIS.] Magna intereſt differentia inter Hebraicum textum, & Septuaginta in annorum ſupputatione, quibus veteres Patriarchæ vixerunt. Joſephus neque Hebraicum ſequitur textum, nec Septuaginta. Samaritanus quoque textus ab illis differt. Nos eas difficultates, quæ hac in re fieri conſueverunt, diſcutiendas non aggredimur; quippequi non eo conſilio hoc aggreſſi ſumus Commentarium. Nos He-
A braicum textum, Vulgatamque Verſionem majori veneratione proſequimur, quam Samaritanum textum, aliaſque verſiones, quæcumque eis vel ab ipſarum antiquitate, vel ab eorum meritis, qui illis adhæſerunt, acceſſerit authoritas.

Hic tantum obſervandum, Septuaginta centum annos addere vitæ cujuſque Patriarchæ ante nativitatem illius filii, qui a Scriptura memoratur. Sed plerumque hos annos detrahunt e tempore, quod vulgata aſſignat poſt nativitatem filii, ita ut in eodem numero congruant Hebraicus textus, & Vulgata, cum Patriarchæ mortem referunt. Exempli gratia, Hebraicus textus, & Vulgata Geneſ. 5. ℣. 9. 10. 11
B ſtatuunt Cainam filii Enos nativitatem nonageſimo anno Enos; *Poſt cujus ortum vixit (Enos) octingentis quidecim annis, & genuit filios, & filias, Factique ſunt omnes dies Enos nongentis quinque annis, & mortuus eſt*. Septuaginta Nativitatem Cainam ſtatuunt, *anno centeſimo, & nonageſimo Enos*;

nos ; Enos autem poſt ortum Cainan vixit ſe-pingentos , & quindecim annos ; & facti ſunt omnes dies Enos nongenti quinque anni , & mortuus eſt .

Iraque Septuaginta quingentos , & octuaginta ſex annos ſuper Vulgatam recenſent in eo tantum temporis intervallo , quod Diluvium præceſſit ; & juxta illos Diluvium contigit anno ab orbe condito 2242. juxta Hebraicum textum , & Vulgatam anno 1656. juxta Joſephum anno 2256. Euſebius Diluvium ait anno 2242. eveniſſe , Julius Africanus anno 2262. Textus vero Samaritanus 1307. Congruebat adamuſſim cum Hebraico, Sancti Hieronymi ævo, ſed hodie quammaxime diſtat propter ætatem Jared , Mathuſalem , & Lamech . Primo enim centum & quindecim ex Hebraici textus recenſione annos adimit ; alteri vero ducentos & quadraginta novem , Lamech demum centum , & viginti quatuor .

Poſt Diluvium ab anno 601. Noe uſque ad ſeptuageſimum Thare Septuaginta recenſent annos 1172. Vulgata vero ſolum 292. quæ eſt annorum 880. differentia , cui ſi addiderimus differentiam 586. annorum ante Diluvium , ſupputatio Septuaginta 1466. annis Vulgatæ ſupputationem excedere innoteſcet . Juxta Patrem Pezron tempus , a Diluvio uſque ad ingreſſum Abrahæ in Terram Promiſſam , eſt 2457. annorum ; ita ut ab Orbe condito uſque ad ſeptuageſimum quintum Abrahæ annum , annos numeret 3513. Uſſerius autem Hebraicum textum , Vulgatamque ſecutus recenſet modo annos 2083.

Latet ratio , qua impelli Septuaginta potuerint , ut ita Patriarcharum vitæ augerent tempus , niſi fortaſſe ut Sanctorum librorum veritatem tuerentur adverſus eos , qui exiſtimabant , primorum hominum annos noſtris breviores fuiſſe ; atque denos primorum hominum annos noſtrorum ſingulis pares fuiſſe . Hoc ſuppoſito , ſi diceretur Adam , exempli gratia , genuiſſe Seth , cum ille centeſimum & trigeſimum annum ageret , ſatendum eſſet , ipſum cum treſdecim tantum natus eſſet annos , genuiſſe . Ut huic obvii fierent difficultati , quæ profecto nullius eſt momenti habita ratione Adam , quandoquidem in ætate perfecta creatus fuit ; ſed quæ maximi eſſet momenti habita Cain , atque Abel ratione , qui provectiores ætate eſſe debebant , antequam Seth oriretur : Septuaginta Seth nativitatem ſtatuerunt anno trigeſimo Adam ſuper alterum centeſimum , qui tertio & vigeſimo ab orbe condito reſponderet anno , denis Patriarcharum annis ad ſingulos redactis , quorum quiſque decem menſibus , ex triginta ſex diebus ſingulis , conſtaret .

Profecto Sanctus Auguſtinus l. 15. c. 9. 12. 13. de Civit. ſuis quoque temporibus incredulos adfuiſſe teſtatur , qui contenderent decem Patriarcharum annos noſtrorum unum æquaſſe . Veteres nonnulli obſervant , Chaldæos , & Ægyptios ob id tantum vetuſtiſſimam antiquitatem ſibi vindicaſſe , quoniam antiquitus illorum anni non adeo erant oblongi , ac hodie ſint : quo ad Ægyptios [1] patet equidem primitus illorum annos Lunæ curſum non exceſſiſſe ; ſubinde in ſingulos annos quaternos enumeraſſe menſes ; deinde vero anno tercentum , & ſexaginta , atque tandem tercentum & ſexaginta quinque dies addidiſſe . Plinius l. 7. c. 48. de ætate diuturna , quam Hiſtorici quidam priſcis Regibus tribuebant , ait , ignorantiam temporum modo errorem hunc invexiſſe : olim quoſdam populos ex æſtate annum confeciſſe ; alios ex hyeme ; nec defuiſſe , qui ex noſtrorum annorum ſingulis quatuor ipſi recenſerent , veluti Acarnanes , quorum anni ternis conſtabant menſibus . Ægyptii plura annorum millia

A Regum ſuorum quibuſdam deferebant , atque a ſuæ Monarchiæ primordiis ad Ptolomæos uſque 36525. annos enumerabant , veterum annorum ſuorum brevitate decepti , ſi eos recentium longitudini comparemus .

Aſſeri nequaquam poteſt , quod Septuaginta crediderint Patriarcharum ætatem re ipſa talem minime fuiſſe , qualem Scriptura refert ; non enim eos redarguere in animo eſt , quod data opera Scripturæ Chronologiam perturbarint . Sed liquet Patriarcharum annos ſexaginta & trecentis ſaltem conſtitiſſe diebus , uti alibi oſtendimus . Et licet Plinius nequaquam crediderit priſcorum vitam Regum , de quibus aliqui loquuntur Hiſtorici , diuturnam æque , ac dicebatur , hoc tamen certum eſt , & plurium veterum longitudo vitæ minime incredibilis viſa eſt plurimis , iiſ-

B que graviſſimis Hiſtoricis , quos refert Joſephus [2] , & quos idem Plinius [3] in medium affert . Et quamquam minima ſit hac in re Poetarum authoritas , ipſis tamen denegari nequit honor , quod vetuſtiores traditiones ſervarint figuratis locutionibus involutas , per quorum involucra veritatis lumen aliquod eluceſcat . Heſiodus [4] ait , argenteæ ætatis homines , quæ auream ætatem eſt ſubſecuta , centum annos apud matres ſuas in diuturna vixiſſe pueritia ; quod ſi reliquum vitæ ſpatium pueritiæ diuturnitati minime congruebat , ideo factum fuiſſe , quia a mutuis internecionibus ſe haud temperarent .

Quoad cauſam longitudinis vitæ in Patriarchis , in diverſas abiere ſententias . Aliqui hoc optime primorum hominum corporum conſtitutioni cenſent referen-

C dum , vel eſcis , quas ex plantis hauriebant , quas terra adhuc recens ferebat . Alii hoc veterum ſimplici , frugali , & temperatæ vitæ . Sed præcipua hujus diuturnitatis fuiſſe videtur cauſa voluntas Dei , qui homines ſervabat , ut humanum genus multiplex fieret . Nam ſi noſtræ vitæ brevitas naturalis eſſet effectus temporum longitudinis , & ſi in dies illa imminueretur , perinde ac ab orbis origine magis recedimus ; poſt illud tempus , quo decreſcere cœpit , ad hanc uſque diem jam in nihilum fuiſſet redacta . Pſalmi XC. Author [5] , quem Babylonicæ captivitatis tempore ſcripſiſſe arbitramur , docet , ævo ſuo vix ad octuaginta annos hominis vitam perveniſſe ; atque ad eam ætatem hominum vitam per gradus fuiſſe dilapſam poſt Diluvium , quod 1750. circiter annos an-

D te captivitatem contigerat . Per id tempus nongentis , vel octingentis annis vita fuerat imminuta ; ita ut juxta naturalem rerum decurſum , a David ad hæc uſque tempora , videlicet poſt 2500. annos , & ultra , hominum vita in nihilum prorſus redacta eſſe deberet , ſi proportione quadam & vitæ noſtræ , & eorum , qui a Diluvio ad captivitatem vixere , ex æquo decreſcerent . Ad ſupernaturalem igitur cauſam eſt confugiendum , quæ poſt Diluvium hominum vitam breviorem fecit , eamque nobis in eo , quo hodie eſt , ſtatu ſervavit , in quo poſt bis mille annorum fluxum perſiſtit adhuc , quin inter noſtrorum patrum , noſtramque vitam ulla interfuiſſe differentia intelligatur .

GENUIT AD IMAGINEM , ET SIMILITUDINEM SUAM .] Ex hoc loco illi collato , ubi Deus ait , *Facia-*

E *mus hominem ad imaginem , & ſimilitudinem noſtram* , videretur homo eſſe ſimilis Deo , quemadmodum filius eſt ſimilis Patri . Sed hæc ſententia nimis adverſatur fidei , ac ideæ , quam de Deo concepimus ; Moyſes loquitur hic de ſimilitudine naturæ , quoad animam , & corpus , quæ ejuſdem naturæ ſunt in patre , ac filiis . Nonnulli [6] credunt Scripturam hic innuere naturæ fatalem ſimilitudinem , quæ reperitur inter patrem , & filios , & corruptionem , quam Adam per originale pecca-

1 Plutarchus in Numa .
2 Manethon. Beroſ. Mochus , Heſtiæus , Hieronym. Ægypt. Heſiod. Hecatæus , Acuſilas , Hellanicus , Ephorus , Nicol. Damaſc. apud Joſephum lib. 1. antiq. c. 3.
3 Hellanicus , Damaſtes , Ephorus , Alexander , Cornelius , Xenophon , &c. apud Plin. l. 7. c. 48. Vide & Valer. Maxim. l. 7. c. de Senectute .
4 Heſiod. opera & dies . v. 130.
5 Pſal. 89. 10. 6 Vatab. Munſter. Piſcat. Ainſvorth.

peccatum in poſteros ſuos diffudit. Adam genuit filios A ad imaginem ſuam, homines ut ipſe erat, mortales, ut ipſe, & ſontes, ut ipſe.

℣. 4. GENUIT FILIOS, ET FILIAS.] Inæqualitas, quæ reperitur in eo tempore, quo quiſque Patriarcha eos genuit filios, qui in Scripturis memorantur, impellit S. Auguſtinum [1], ut conjiciat, eos, quorum Geneſis meminit, non ſemper primogenitos fuiſſe; verum ſatis Moyſi fuiſſe, ſi genealogicam Patriarcharum ſeriem ad Noe uſque contexeret, ante Diluvium; & poſt diluvium uſque ad Abraham, quin omnes, qui ex eadem progenie editi eſſent, peculiariter memorarentur.

Quidam nomina Filiarum Adam aſſignant; verum nihil eo, quod afferunt, eſt incertius. Sanctus Epiphanius hæreſi de Sethianis num. 39. duodecim tan- B tum filios, ac duas filias Adam enumerat; duabus vero filiabus nomina facit, *Savem*, & *Azuram*.

℣. 5. OMNE TEMPUS, QUOD VIXIT ADAM, ANNI NONGENTI TRIGINTA, ET MORTUUS EST.] Adam nongentis triginta natus annis e vivis exceſſit, poſtquam diuturnam maxime, acerrimamque egiſſet pœnitentiam. Præter propriæ inobedientiæ dolorem, quam ipſe reſpicere debuit veluti maximum ſcelus, quodque horribiles effectus eſſet pariturum, mœrore affectus eſt, familiam ſuam diſcerpi intuitus propter Cain odium in Abel: quod malum neque juſti Abel funeſto interitu extinctum eſt. Vidit ille nequam genus Cain in nefaria irruere crimina; miræ hujus corruptionis teſtis fuit, quæ in terram univerſale Diluvium elicuit. Adam ſe velut primam omnium C harum calamitatum cauſam reſpexit; & indeſinenter mens ipſius omnium criminum cogitatione angebatur, quæ pravum ipſius exemplum, & originalis corruptio, quam ad poſteros omnes tranſmittebat, gignebant jam, & ſubinde in univerſo terrarum orbe ſæculorum lapſu erant paritura. Verum promiſſum Liberatorem intuens, fide plenus, ac ſpe in ipſum, Creatoris ſui præcepta humiliter adoravit; qui ut ſuæ potentiæ, juſtitiæque fulgor, & miſericordiæ magnitudo eluceret, ad majorem ſui nominis gloriam, paſſus fuerat creaturæ ſuæ lapſum.

Adam e numero fuit Electorum, atque Beatorum, ut Eccleſia credit, utque eadem decrevit adverſus Tatianum, & Encratitas. Scriptura pro Adam, ejuſque ſalute loquitur Sap. 10. 2. *Cuſtodivit, & e-* D *duxit illum (Deus) a delicto ſuo*; & Patres [2] ipſum veram peccati ſui pœnitentiam egiſſe arbitrantur. S. Irenæus ait, Adam feria ſexta obiiſſe. Plures Veteres credunt corpus illius tumulatum fuiſſe in Hebron, atque illi Joſue innituntur loco 14. 15. *Adam maximus ibi .... ſitus eſt*. Alii [3] aſſerunt in Calvario monte fuiſſe ſepultum. Verum hæc omnia popularibus tantum incumbunt traditionibus, quibus recentem addere authoritatem minimum excogitarunt Patres eas referentes. Papa Gelaſius de libro loquitur apocrypho, cui titulus, *Pœnitentia Adam*. Nomen hoc Hebræi tribuunt pſalmo 91. quem deſerunt Adæ. S. Epiphanius, atque idem Gelaſius papa loquitur etiam de *Apocalypſi Adam* libro pravo, quo Gnoſtici utebantur. E

Latet quamdiu prima vixerit Mulier. Marianus Scotus auſus eſt mortem illius in annum ab orbe condito 940. referre, annum ſcilicet poſt Adam mortuum decimum. Quod evidenter innititur aliquibus Judæorum traditionibus, quibus ambigua maxime fides eſt in rebus ad antiquitatem ſpectantibus.

Genebrardus hanc Chronologiam ſecutus eſt, cum nihil vel melius ſuppeteret illi, vel certius. Quam-

quam Scriptura neque de pœnitentia, neque de morte Evæ vel tumulo aliquid innuat, cum communi Fidelium ſententia credimus, ipſam pœnitentiæ Adam fidelem fuiſſe ſociam, ſicuti initium peccati illius fuerat, & poſtquam diutius in luctu, ſqualore, & patientiæ vixerit exercitatione, tandem felici fine clauſiſſe dies, atque cum Adam tumulatam fuiſſe. Sepulchrum illius, æque ac primi parentis noſtri nos fugit. Verum opinio, cui magis favit antiquitas, & quam præ ceteris Eccleſiæ probet authoritas, adſert ſuper Calvarii verticem utrumque elatum fuiſſe. Patrum plerique poſt Origenem in hanc conceſſere ſententiam, atque in Calvarii jugo nomini Adam, & in honorem ipſius ſacellum fuit ædificatum [4]. Ibi ſacris operantur Græci, verum in ſolemnibus ſupplicationibus thure non utuntur, ne oſtendatur Adam non in ſublimiorem Sanctorum claſſem referri. Græci diem feſtum, atque commemorationem Adæ, atque Evæ celebrant 14. Kal. Januarii [5] vel die Dominica, quæ immediate Nativitatis Domini ſolemnitatem præcedit. Petrus Natalis [6] Adam atque Evam Sanctorum prioris Mundi ætatis conſtituit principes, hebdomada, quam Septuageſimam nuncupamus poſt diem XI. Kal. Febr.

℣. 8. SETH MORTUUS EST.] Seth pater fuit fidelis ſobolis, ſicuti corruptæ Cain. Ipſe pietatem coluit ab adoleſcentia, ut ait Joſephus Antiq. l. 1. c. 3. & poſt ſe virtutis ſuæ imitatores filios reliquit. Deus illum benedictionibus cumulavit; atque huic aſtrorum ſcientiam, & Cœlorum motus doctrinam referre debemus. Nonnulli veteres credidere Seth Meſſiam fuiſſe; & S. Epiphanius hæreſ. 39. de hæreticorum ſecta loquitur, qui Sethiani appellabantur, qui Seth, velut Chriſtum venerabantur. Illi contendebant a Deo quoque raptum fuiſſe ex hoc orbe. Chroniſta vetus, quem Raderus citat Not. ad Chronic. Alex. n. 5. ex fragment. chronici ex Palatina Biblioth. ait Seth quadraginta annos natum ad cœlum raptum fuiſſe Angelorum miniſterio, & cum dierum quadraginta ſpatio minime apparuiſſet, regreſſum tandem dixiſſe, quod ille didicerat, futurum ut poſteri ipſius in ſcelera ſe ſe præcipites agerent, atque univerſi Diluvii aquis abſumerentur; & addidiſſe, venturum eſſe tandem Meſſiam, qui illos redimeret. Verum hæc omnia ex libris apocryphis modo erui potuerunt, quos nulla cognovit antiquitas. Patres Auguſtinus l. 15. cap. 17. & 18. de Civit. Dei, & Chryſoſtomus homil. 21. in Geneſ. Seth nativitatem intuiti ſunt, velut argumentum, aut ſaltem typum, & Reſurrectionis futuræ promiſſionem.

℣. 24. AMBULAVIT (HENOCH) CUM DEO, ET NON APPARUIT, QUIA TULIT EUM DEUS.] Syriace habetur: *Henoch placuit Domino, ac eſſe deſiit, quoniam Deus ad ſe illum accerſivit*. Septuaginta [7]: *Henoch placuit Deo, neque amplius repertus eſt, quia tulit eum Deus*. Arabice: *Henoch mortuus eſt, & illum ad ſe recepit Deus*. Nonnulli Interpretes arbitrantur textus verba naturaliter innuere, Henoch mortuum fuiſſe; ſed immatura morte. Rabbini quidam ipſum adhuc vivere contendunt; ſed Menaſſe ben-Iſrael lib. de fragilitate humana Sect. 22. art. 7. plurium aliorum Rabbinorum teſtimonio oſtendit, hæc verba, *& non apparuit* &c. naturalem mortem ſignificare, veluti in his locis: *tolle animam meam* 3. Reg. 19. 4. & alibi; *Deus redimet animam meam de manu inferi, cum acceperit me*, Pſalm. 48. 16. & 3 *Neſcio quamdiu ſubſiſtam, & ſi poſt modicum tollat me Factor meus*, Job. 32. 22. ubi hæc verba *tollere, animam tollere, accipere*, ſignificant aliquem a mundo

E per

1 Vide S. Auguſt. lib. 15. de Civit. Dei cap. 15.
2 Vide Iren. lib. 3. adv. hæreſ. c. 33. Tertull. l. 1. contra Marcionem cap. 25. Origen. tract. 35. in Matth. Epiph. hæreſ. 46. Hieron. Epiſt. ad Marcel. Aug. ep. ad Evod. 164. & alibi ſæpe.
3 Vide Origen. Tract. 35. in Matth. Epiph. hæreſ. 46. Ambroſ. l. 10. in Lucam, Hieron. ad c. 27. Matth.
4 Quareſmius tom. 2. l. 5. p. 481. 483. 5 Vide Bollandum t. 2. Febrar. p. 449.
6 Catalog. l. 3. c. 2. Vide Bailletum SS. Vet. Teſtam.
7 Εὐηρέστησεν Ἐνὼχ τῷ Θεῷ, καὶ οὐχ ηὑρίσκετο, διότι μετέθηκεν αὐτὸν ὁ Θεός.

per mortem eripere. Additur his, quod Moyſes vitæ Henoch annos recenſet, veluti aliorum Patriarchatum; quod impellit, ut credas, ipſum quoque veluti cæteros obiiſſe. Author Quæſtionum ad Orthodoxos, qui Sancti Juſtini Martyria nomine citatur, quæſt. 85. ſcribit, Henoch, & Eliam cum aliis pluribus a mortuis ſuſcitatos poſt Jeſu Chriſti mortem, una in terreſtri Paradiſo permanſiſſe, alterum Domini adventum expectantes. Eos igitur cum aliis Juſtis vita functos arbitrabatur.

Philo lib. de Abraham p. 352. Hiſtoriam Henoch in allegoricam vertit explicationem; Hic vir Juſtus placuit Deo, & tulit eum Deus; quod, ait ille, mutationem in melius ſignificat; & quod addit Scriptura, Deum illum tuliſſe, neque amplius fuiſſe inventum, innuere, quod præcedens vita illius noxia fuerit, & nequam; ſed poſtmodum ita frugi factum fuiſſe, ut idem amplius minime reperiretur, & aliquomodo vel ipſam antea factorum memoriam deleſſe: in ſolitudinem ſeceſſiſſe, neque amplius apparuiſſe, *& non inveniebatur*; unde arguitur, Philonem minime credidiſſe, quod ille temporalem mortem effugerit. Joſephus Antiq. l. 1. c. 4. ſimpliciter ait, *ipſum ad Deum perrexiſſe, quare nihil de morte ipſius ſcriptis mandatum eſt*. Si credidiſſet, Henoch nequaquam mortuum fuiſſe, jejune adeone locutus fuiſſet, quin aliquam animadverſionem adjiceret?

Verum Patres, & pleraque Interpretum aſſerunt, Henoch adhuc vivere; ipſum, veluti Eliam quoque a Deo extra mundum raptos fuiſſe, atque duos hoſce Sanctos viros ante Judicium noviſſimum venturos eſſe, ut Antichriſto adverſentur, & populos, qui a Fide erraverint, revocent; Elias quidem ut Judæis prædicet; Henoch vero Gentilibus: atque hoc Apocalypſis [1] innititur teſtimonio, ubi ſcriptum eſt, Deum duos teſtes ſuos eſſe ſuſcitaturum, qui ſaccis præcincti 1260. diebus prophetabunt. Ratio loquendi, qua Moyſes utitur, innuit, illi conſilium fuiſſe Henoch raptum ab aliorum Patriarcharum obitu diſtinguendi. Vitam illius miræ ſanctitatis fuiſſe teſtatur: *Ambulavit cum Deo* [2]. Atque virtutis ipſius remunerationem proditurus adjicit, a Deo raptum fuiſſe: *Quia tulit eum Deus*.

Si verba conferas, quæ 4. Reg. 2. 16. 17. ad Eliæ raptum adnotandum adhibentur, illis, quibus hic Moyſes Henoch raptum narrat, eædem locutiones occurrent. Filii Prophetarum Eliſæum rogant, ut illis liceat Eliam quæritare, veriti, ne ille a Deo in montem aliquem tranſlatus fuiſſet. Neque illi igitur, neque Eliſæus Eliam mortuum crediderunt; quoniam Elias Eliſeo dixerat: *Poſtula, quod vis, ut faciam tibi, antequam tollar a te*. Et inferius paullo: *ſi videris me, quando tollar a te* &c. Hac igitur locutione minimum mortem innui arbitrantur, uti contendunt Rabbini. Sanctus Paulus in Epiſtola ad Hebræos 11. 5. locum hunc interpretatur, inquiens: *Fide Henoch translatus eſt, ne videret mortem, & non inveniebatur, quia tranſtulit eum Deus*. Author Eccleſiaſtici 44. 16. juxta Vulgatam aſſerit, tranſlatum fuiſſe in Paradiſum, quod de terreſtri Paradiſo dumtaxat eſt intelligendum. Denique Septuaginta [3] evidenter illius referunt tranſlationem, quin ullum verbum addant, quod ipſum mortuum fuiſſe innuat.

Onkelos ita explicite habet: *Henoch in timore Domini ambulavit, nec apparuit amplius in terris; ſed Deus illum mori non paſſus eſt*. Patres uno ore dicunt illum haud mortuum fuiſſe; ſed moriturum eſſe, poſtquam in Antichriſtum pugnaverit. Patris Alexandri hac in re adiri poteſt diſſertatio. Quoad locum, quo Henoch tranſlatus eſt, aſſeri poteſt cum S. Auguſtino l. 2. de peccato originali c. 23. quod cum hæc quæſtio earum ex numero ſit, quæ nullo Fidei detrimen-
A to in utramque partem agitari queunt, integrum cuicumque ſit, quidquid juſtius viſum ſibi fuerit, credere. Contendunt plurimi, Henoch tranſlatum fuiſſe in Paradiſum terreſtrem; huic opinioni ex Eccleſiaſtici loco acceſſit authoritas: *Henoch placuit Deo, & translatus eſt in Paradiſum*. Sanctus Irenæus huic ſubſcripſit ſententiæ l. 4. adverſ. hæreſ. c. 30. uti quoque S. Auguſtinus lib. 6. operis imperfecti contra Jul. ata. 30. aliique paſſim.

Qui huic ſuffragantur opinioni, cum illis negotium faceſſat Diluvium, quod aquis obruit Viridarium Eden, ejuſdem tempore transferre coguntur Henoch eo, quo magis e re judicarint; vel aſſerere, Terreſtrem Paradiſum in ſublime adeo poſitum fuiſſe, ut illuc Diluvii aquæ minime potuerint accedere. Faten-
B dum eſt, Eccleſiaſtici locum prodeſſe parum, quia verba hæc *in Paradiſum*, in Græco textu non reperiuntur: ea minime legerunt Græci Patres. S. Chryſoſtomus homil. 21. in Geneſ. ac Theodoretus interrog. 45. in Geneſ. palam declarant, ſciri non poſſe, quo translatus fuerit Henoch; quod ipſum quoque ex iis, quæ attulimus hactenus concludendum eſſe mihi videtur. S. Hieronymus in Amos 8. credit Henoch, atque Eliam eſſe in cœlo: *Enoch, & Elias rapti ſunt in Cœlum, Dei reguntur arbitrio*.

Sanctus Judas Apoſtolus epiſt. ℣. 14. 15. profert Prophetiæ Henoch locum, qui occaſionem quærendi præbet, utrum vetus hic Propheta aliquid ſcripſerit, an vero illius Prophetia in traditione ſolum ſcripta, vel ſecus, integra permanſerit. *Prophetavit autem,
C & de iis ſeptimus ab Adam Henoch, dicens: Ecce venit Dominus in ſanctis militibus ſuis, facere judicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt, & de omnibus duris, quæ locuti ſunt contra Deum peccatores impii*. Extabant primis Eccleſiæ ſæculis aliquot ſcripta nomina Henoch, in quibus reperiebatur eadem Prophetia, quam Sanctus Judas adfert. Aliæ quoque hiſtoriæ fabuloſæ legebantur; exempli gratia, quod Angeli, qui Vigilantes vocabantur, *Egregori*, amore mulierum capti, cum ipſis concubuerint. Ducenti erant, illiſque Angelus *Semeias* præerat, præter quos viginti erant Archangeli, quorum nomina in illius, quod extat, libri fragmento inveniuntur. Ipſi in monte Hermon ſe ſe jurejurando obſtrinxerunt, ut quiſque
D uxorem duceret. Ex eorum connubio orti ſunt homines corrupti, qui docuerunt homines nequiſſima quæque, & perniciosiſſima inventa, arma, argentum, ceruſſam, mundum muliebrem, magiam, venenum, lites, cædes. Deus ob tot, tantaque ſcelera ira percitus Angelos bonos dimiſit, qui Dæmonum principes aggreſſi ſunt, eoſque præcipites egere, vel vinculis devinxerunt, ita ut obeſſe illis non amplius integrum foret. Aliquandiu poſt Diluvium contigit, ac hominum vita 120. annorum limite fuit circumſcripta. En quid afferat libri Henoch fragmentum.

Origenes hom. 28. in lib. Numer. & l. 5. contra Celſ. pag. 267. prior impugnaſſe videtur libri Henoch veritatem. De eo autem ita loquitur, ut minimum authoritatis obtinuiſſe liber hic in Eccleſia videatur. S.
E Hieronymus de Script. Eccl. in Juda Apoſt. & S. Auguſtinus l. 15. de Civit. c. 23. & 18. c. 38. hæc ſcripta apocryphis recenſenda putarunt, nulliuſque authoritatis, quamquam prophetia per S. Judam allata veritatis divinæ ſit, propterea quod ab hoc Apoſtolo eſt citata. Sed veteres Patres ante Origenem Juſtinus Martyr, Irenæus, Clemens Alexandrinus, majori in pretio, Librum Henoch cenſebant habendum; eumque velut Canonicum venerati ſunt, rati ob id S. Judam inde hauſiſſe locum, quem ſuperius attulimus. Scaliger [4] ait, ſe hujus Prophetiæ Henoch Græcum exemplar habuiſſe; atque in ſuo Euſebii Chronico illius

1 Apoc. 11. 3. 4.
2 Vide Geneſ. 6. 9. & 17. 1. 3. Reg. 9. 4. &c.
3 Μετατέθειται αὐτὸς ὁ Θεὸς,
4 Scaligerana p. 283.

lius fragmentum non ita parvum typis edendum curavit.

Tertullianus lib. 1. de cultu fœminar. c. 3. lib. 2. c. 10. & de Idololat. c. 4. & 15. & Apolog. cap. 22. hac in re acrius nimis ſententiam promit ſuam: Vellet enim credi, hoc opus, vel a Noe Diluvii tempore in Arca ſervatum fuiſſe, aut ab eodem Henoch iterum poſt Diluvium fuiſſe exaratum: eumque minime rejiciendum eſſe ait, atque ob id tantum a Judæis reſpui, quod palam nimis pro Jeſu Chriſto loquebatur. Qua exiſtimatione illam exceperint Juſtinus, Athenagoras, S. Irenæus, Lactantius, Clemens Alexandrinus, S. Cyprianus, aliique, videbimus capite ſequenti; ea quippe adducti fuerunt, ut ſententiam minime eorum mentibus dignam tuerentur ſuper filios Dei, qui de filiabus hominum ſibi uxores acceperant. Ex Tertulliani vero ſententia inferendum eſſet Litterarum, atque Scripturæ uſum ante Diluvium invaluiſſe: quod confirmari poſſet iis, quæ Joſephus ait Antiq. l. 1. c. 4. de columnis a filiis Seth extructis, quibus Aſtronomica inſcripſerunt inventa, & de quibus c. 6. ℣. 13. loquemur. Si Judæi Henoch librum agnoviſſent poſt Diluvii tempora, aliquid extaret in veteri Teſtamento; & neque Judæi, neque poſt ipſos Chriſtiani inter Scripturarum Canones illi denegaſſent locum. Accedit vero ad hæc, quod ipſæ falſitatis ſuæ notas fert præ ſe in iis narrationibus, quas complectitur, cachinnis prorſus excipiendis. Denique Sanctus Judas librum non citat: ait tantummodo, juſtum Henoch prophetaſſe, ac dixiſſe ea, quæ ille retulit, quæ ex veterum Judæorum traditione poterat didiciſſe.

Apud Profanos [1] Henoch, ipſiuſque prædictionum de Diluvio aliquod exiſtit monumentum. Stephanus Geographus illum *Annacum* appellat, illique ſedem ſtatuit Iconii in Phrygia. Oraculum prædixerat futurum, ut univerſus orbis poſt Hanac mortem interiret; ille tercentis, & ſuper natus annis obiit, quem extulere Phryges maximi doloris indiciis, quæ adagii locum obtinuere, dictumque fuit, *plorare Anac*, ut maximus fletus ſignificaretur. Deucalionis Diluvium ſtatim ab Anac morte contigit. Deucalion vero a Græcis [2] Kanac, & Nannac appellatus eſt. Eupolemus ab Euſebio Præpar. l. 19. allatus teſtatur Babylonios Aſtrologiæ primum authorem agnoviſſe Henoch, qui idem eſt, ac Atlas Græcorum, cujus filius Mathuſalem fuit, & qui Angelorum miniſterio ea omnia, quæ ſciebat, didicerat.

℣. 27. FACTI SUNT OMNES DIES MATHUSALA NONGENTI SEXAGINTA NOVEM ANNI.] S. Hieronymus in quæſt. Hebraic. & Sanctus Auguſtinus de Civit. l. 15. c. 12. & 13. obſervant hic celebrem difficultatem, quæ aliàs omnes ſcripturæ Interpretes exercuit. In hoc autem ſita erat, quod juxta quædam Septuaginta exemplaria, Mathuſala vixiſſet uſque ad decimum quartum annum a Diluvio; juxta vero alia quædam exemplaria, mors illius ſex ante Diluvium annos contigiſſet; in quo utrique ab Hebraico textu recedunt, qui mortem ipſius eodem Diluvii anno conſtituit. *Mathuſala*, Septuaginta inquiunt, *vixit 167. annos, & genuit Lamech; deinde vero vixit annis* 802. vel juxta alia exemplaria; 782., *& numerus annorum illius eſt 969.* anni; dum Hebraicus textus Mathuſalem annos 187. fuiſſe ait, cum genuit Lamech, & deinde 782. annos vixiſſe, quorum ſumma eſt 969. annorum. Sed cum Lamech natus anno 167. Mathuſalæ, genuerit Noe, cum ipſe 182. annum ageret, Mathuſala vero 355. ſi Diluvium contigiſſet Noe anno 600., ut ait Scriptura, videlicet anno Mathuſale 955. ſequeretur Diluvium quatuordecim annis Mathuſalæ mortem præceſſiſſe.

Ut quæſtionis hujus diſſolvatur ambages, error agnoſcendus eſt qui in Septuaginta ſupputationem obrepſit, & anni quoque Mathuſale juxta Hebraicum textum ſunt recenſendi. Mathuſala annos 187. natus genuit Lamech; poſt id tempus vixit adhuc annos 782. qui ſummam reddunt 969. quæ major ætas eſt, ad quam homo pervenerit. Lamech filius ipſius 182. annos natus genuit Noe ante diluvium anno 600. Adde ſimul 600. annos Noe, 182. annis Lamech, & 187. Mathuſalæ, atque 969. ſumma exiſtet, qui annus eſt & mortis Mathuſale, & Diluvii.

℣. 29. ISTE CONSOLABITUR NOS.] Nomen Noe naturaliter magis fluere deberet a *Nuach* נוח, quod ſignificat quieſcere, quam a *Nacham*, נחם quod conſolari ſignificat. Septuaginta a priori deduxerunt; tranſtulerunt enim [3]: *Ipſe nobis quietem parabit*. Sed præterquamquod Hebraicus textus [4] a ſecunda voce deduxit, Latina omnia Vulgatæ exemplaria conſentiunt, cæteræque verſiones Hebraico textui cohærent. Quædam adſunt propriorum Hebraicorum nominum etymologiæ, quas ægre ad Grammaticæ referas analogiam, quod plerumque oritur ab litterarum eliſione, veluti in nomine *Abraham*, quod emanat ab *Ab-rab-hammon*. Lamech vero ſpiritu afflatus prophetico [5] nomen hoc tribuit Noe, qui futurus erat pater Meſſiæ Regis pacis, verique terrarum conſolatoris. Noe parentes ſuos conſolatus eſt ſpe, quod juſtior mundus exiſteret, & minus corrupta generatio, cujus ille author futurus erat. Rabbini apud Pererium credunt Non prædictionem hanc ad litteram compleſſe, aratrum inveniendo, & animalia adhibendo ad excolendam terram, ex quo Laboratoris nomen adeptus eſt cap. 9. ℣. 20.

℣. 31. FACTI SUNT OMNES DIES LAMECH SEPTINGENTI SEPTUAGINTA SEPTEM ANNI.] Septuaginta illi tribuunt tres & quinquaginta annos ſuper ſeptingentos; pro 182. annis, quibus natus erat, cum genuit Noe, illi 190. tribuunt & pro 595. quibus poſt Noe vixit nativitatem, annis ajunt vixiſſe 565.

NOE VERO, CUM QUINGENTORUM ESSET ANNORUM, GENUIT SEM, CHAM, ET JAPHET.] Difficile quod credam, eſt, nullos Noe filios fuiſſe ante annos quingentos. Aſſeri poteſt, eos, quos prius genuerat obiiſſe; vel cum filiabus hominum adhæſiſſent, atque in communem, quæ tunc graſſabatur, corruptionem proruiſſent, quin Noe monitis, & minis animum adverterent, ab eo receſſiſſe, atque in perniciem ruiſſe voluntariam. Sed Noe non paſſus eſt, tres filios, quos genuit, poſtquam Deus illi ſe Diluvium immiſſurum prædixerat, ab ipſo recederent, atque veluti fratres ſui in communi ſcelerum colluvie verſarentur.

Minimum tamen iis, quæ modo dicta ſunt, adverſantibus, plures credunt, illudque admodum eſt probabile, quoſdam Patriarcharum nonniſi ſerius filios genuiſſe. Vide Sanctum Auguſtinum l. 15. Civit. Dei cap. 20. Japhet trium filiorum Noe natu maximus eſt, ut ſcriptura inquit Geneſ. 10. 21. Cham erat natu minimus, uti ſcriptum eſt Geneſ. 9. 24. Sem duobus poſt Diluvium annis centum annos recenſebat; ex quo ſequitur, illum natum eſſe anno Noe ſecundo ſupra quingenteſimum; itaque minor natu erat, quam Japhet, qui anno ortus eſt quingenteſimo.

---

1 Stephan. in Iconium. 2 Vide Suid. in Nannacos, & Eraſmi Adagia Chil. 2. Cent. 8. Adag. 19.
3 Οὗτος ἀναπαύσει ἡμᾶς ἀπὸ τῶν ἔργων ἡμῶν. 4 זה ינחמנו. 5 Epiph. l. 1. advers. hæreſ. hær. 30.

CAPUT VI.

Connubia filiorum Dei cum filiis hominum. Univerſalis hominum corruptio Deum adigit, ut eos Diluvio deleat. Noe invenit gratiam in oculis illius. Deus præcipit Noe, ut Arcam ædificet, ut eo cum certo cujuſque ſpeciei animantium numero ſecedat.

℣.1. CUmque cœpiſſent homines multiplicari ſuper terram, & filias procreaſſent. 2 Videntes filii Dei filias hominum, quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi uxores ex omnibus, quas elegerant. 3 Dixitque Deus: Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt: eruntque dies illius centum viginti annorum. 4 Gigantes autem erant ſuper terram in diebus illis: poſtquam enim ingreſſi ſunt filii Dei ad filias hominum, illæque genuerunt, iſti ſunt potentes a ſæculo viri famoſi. 5 Videns autem Deus, quod multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore. 6 Pœnituit eum, quod hominem feciſſet in terra. Et tactus dolore cordis intrinſecus; 7 Delebo, inquit, hominem, quem creavi, a facie terræ, ab homine uſque ad animantia, a reptili uſque ad volucres cœli; pœnitet enim me feciſſe eos. 8 Noe vero invenit gratiam coram Domino. 9 Hæ ſunt generationes Noe: Noe vir juſtus, atque perfectus fuit in generationibus ſuis, cum Deo ambulavit. 10 Et genuit tres filios, Sem, Cham, & Japheth. 11 Corrupta eſt autem terra coram Deo, & repleta eſt iniquitate. 12 Cumque vidiſſet Deus terram eſſe corruptam (omnis quippe caro corruperat viam ſuam ſuper terram;) 13 Dixit ad Noe: Finis univerſæ carnis venit coram me: repleta eſt terra iniquitate a facie eorum, & ego diſperdam eos cum terra. 14 Fac tibi arcam de lignis lævigatis: manſiunculas in arca facies, & bitumine linies intrinſecus, & extrinſecus: 15 Et ſic facies eam: Trecentorum cubitorum erit longitudo arcæ, quinquaginta cubitorum latitudo, & triginta cubitorum altitudo illius. 16 Feneſtram in arca facies, & in cubito conſummabis ſummitatem ejus: oſtium autem arcæ pones ex latere: deorſum cœnacula, & triſtega facies in ea. 17 Ecce ego adducam aquas diluvii ſuper terram, ut interficiam omnem carnem, in qua ſpiritus vitæ eſt ſubter cœlum: Univerſa, quæ in terra ſunt, conſumentur. 18 Ponamque fœdus meum tecum, & ingredieris arcam tu, & filii tui, uxor tua, & uxores filiorum tuorum tecum. 19 Et ex cunctis animantibus univerſæ carnis bina induces in arcam, ut vivant tecum: maſculini ſexus, & fœminini. 20 De volucribus juxta genus ſuum; & de jumentis in genere ſuo, & ex omni reptili terræ ſecundum genus ſuum: bina de omnibus ingredientur tecum, ut poſſint vivere. 21 Tolles igitur tecum ex omnibus eſcis, quæ mandi poſſunt, & comportabis apud te, & erunt tam tibi, quam illis in cibum. 22 Fecit igitur Noe omnia, quæ præceperat illi Deus.

℣. 2. VIDENTES FILII DEI FILIAS HOMINUM, QUOD ESSENT PULCHRÆ, ACCEPERUNT SIBI UXORES EX OMNIBUS, QUAS ELEGERANT.] Hæc eſt anacephaleoſis: hæc omnia diutius antea contigerant. Verſio Chaldaica, Symmachus [1], Arabica, Oleaſter, Abenezra, Salomon Jarchi, Vatablus, Fagius, Caſtilionæus, Ludovicus de Deo vertunt; *Videntes Filii principum filias hominum*. Aquila [2], *filii Deorum*. Theodotion, & Vulgata: *filii Dei*. Quædam exemplaria Septuaginta legebant olim: *Videntes Angeli filias hominum*. Hebraica vox *Elohim*, uti ſuperius dictum eſt, ſignificare poteſt Deos, Angelos, Principes, Primates. Lactantius l. 2. c. 14. credidit, ſcripturam hic loqui de Angelis, quibus adhuc integrum eſſet bene merendi, vel male. Huic ſententiæ paſſim adhæſere veteres. Joſephus Antiq. l. 1. c. 4. ſerio contendit, Angelos mulierum commercia expetiiſſe. Philo l. de Gigan-

A tibus excogitavit, filios Dei, de quibus hic agitur, eſſe animas, quæ per aera volantes, quin adhuc alicui hæſerint corpori, cupiditate flagrarint in humanis corporibus immorandi. Pro ſententia eadem videri poteſt Origenes libro primo contra Celſum.

S. Juſtinus Martyr in utraque Apologia addidit ex hoc monſtroſiſſimo commercio dæmones ortos fuiſſe. Athenagoras credit, pravorum Angelorum lapſum ab impudico mulierum amore fluxiſſe, atque inde ortos eſſe gigantes. S. Clemens Alexandrinus eidem videtur favere ſententiæ Stromat. l. 3 & 5. & Pædagogi l. 2. Tertullianus lib. de Idolol. c. 9. & de Cultu femin. l. 2. c. 10. & alibi Angelis mulierum amatoribus refert Aſtrologiæ adinventum, B pretioſorum lapidum, metallorum, atque aromatum, quibus utebantur mulieres, ut ſpeciei decor accederet. Sanctus Cyprianus de diſcipl. & habitu Virg. & de Singular. Cleric. hac in ſententia Magiſtrum ſuum

1 Sym. *υἱοὶ τῶν δυναστευόντων*. 2 Aq. *οἱ υἱοὶ τῶν θεῶν* 70. *οἱ ἄγγελοι τοῦ θεοῦ*. Ita MSſ. Alax. Philo de gigantib. p. 284. Joſephus l. 1. antiq. c. 4. & quædam exemplaria apud Cyrill. caten. mſſ. Vide nov. edit. Hexaplor.

ſuum eſt ſubſecutus. Sanctus Ambroſius de Noe c. 6. & l. 1. c. 80. de Virginib. aliique plures [1] in eamdem abiere ſententiam; quæ ab origine deducta fuit e Libro Henoch, cujus adhuc quædam ſuperſunt fragmenta longiora, quorum ſummam in ea Diſſertatione retulimus, quam ante S. Lucam de bonis, maliſque Angelis habuimus. Sententia hæc non admodum mira videri debet, eo tempore, quo paſſim credebantur Angeli boni, & mali habere corpora, atque uti nos carnalibus perturbationibus affici poſſe.

Sed Patres, qui deinde ſunt ſubſecuti, cum ad accuratius examen quæſtionem hanc revocarint, aſſeruerunt, Angelos, cum nulla ipſis adſint corpora, nulla affici potuiſſe mulierum libidine, atque nomine filiorum Dei, filios Seth eſſe intelligendos, qui erant genus electum; nomine vero filiarum hominum filias Cain, & poſterorum ipſius; quæ cum eſſent corruptæ æque ac parentes ſui in ſcelus pellexerunt filios Seth, qui illarum forma decepti eas uxores ſibi elegerunt. Videre operæ pretium eſt S. Chryſoſtomum homilia 22. in Geneſ., Theodoretum quæſtione 48. in librum eumdem, S. Cyrillum Alexandrinum libro 9. contra Julianum, & S. Auguſtinum libro 15. de Civitate Dei capite 23., Caſſianum collatione octava cap. 21., Sanctum Eucherium, Rupertum Abbatem &c.

Plato, in eo dialogo, cui nomen Cratylus, credit, Heroas Deorum fuiſſe filios, qui mulierum amore capti eſſent, aut Dearum, hominum amore illectarum: atque hinc illis Heroum nomen inditum fuiſſe ab Eros [2] Græca voce, quæ Amorem ſignificat. Priſci Æneam a Venere, atque Anchiſe ortum retulerunt; Remum & Romulum Deo Marte, ac Rhea Sylvia, quæ mortalis erat. Verum huic Ethnicorum errori, quamquam vetuſtiſſimo, inniti alius error non poteſt; & ſupplicium, quo Deus in homines ſolos propter hæc crimina animadvertit, argumentum eſt, ſolos homines nocuos fuiſſe.

℣. 3. NON PERMANEBIT SPIRITUS MEUS IN HOMINE IN ÆTERNUM, QUIA CARO EST.] Hebraicus textus [3]: *Spiritus meus non litigabit amplius*. Ego non parcam amplius, defeſſus ſum committendo me cum hominibus; eos evertere decrevi. Sanctus Hieronymus legebat, uti hodie legimus Hebraice, *lo jadon*, non judicabit amplius. Servavit tamen in verſione, *non permanebit*, vulgaræ verſionis ſuper Septuaginta [4] verſionem elaboratæ. Onkelos [5] ita transfert: *Meus ſpiritus non permanebit*, perinde ac ſi legiſſet לא ילון *Lo Jalon*, non obdormiet.

Pagninus vertit, *Non erit ut in vagina Spiritus meus*; Spiritus meus, non permanebit, velut (gladius) in vagina ſua clauſus. Hanc verſionem probant Cajetanus, Oleaſter, & Grotius. Deducunt quippe a *Neden* נדן, quod vaginam ſignificat, atque pro *Jadon* legunt *Iddon*. Hanc explicationem confirmant, quia in Chaldæo Danielis 7. 15. corpus de *Nedem* nomine appellatur, vagina animæ, Perinde ac ita innueret Deus; Animam ab hominis corpore dividam, ut gladius eruitur e vagina.

SPIRITUS MEUS.] Videlicet anima, & vita, quam ipſi elargitus ſum. *Quia caro eſt*; eos evertam, quia univerſi carnales ſunt, & corrupti; vel, quod vivunt, perinde ac tantum eſſent caro, & illis in id modo laborandum eſſet, ut illi facerent ſatis. S. Hieronymus in lib. Quæſt. Hebraic. in Geneſ. aliter explicat: *Non judicabit Spiritus meus homines in æ-*

A *ternum, quia caro ſunt. Hoc eſt, quia fragilis eſt in eis conditio, non eos ad æternos ſervabo cruciatus; ſed hic illis reſtituam, quod merentur*. In hac vita, non autem in æternitate eos plectam propter naturæ ipſorum fragilitatem. *In æternum* innuere ſimpliciter poteſt Diuturnum tempus, *& quia caro eſt*; quia demum mortales ſunt, non merentur, ut acriter adeo in eos animadvertam.

ERUNTQUE DIES VITÆ ILLIUS CENTUM VIGINTI ANNORUM.] Hoc intelligi poteſt de communi vitæ hominum longitudine, qui poſt Diluvium deberent vivere. Philo de Gigant., Joſephus Antiq. l. 1. c. 4. Lactantius Divin. inſtit. l. 2. c. 15. in hunc ſenſum perceperunt. Judæi huic loco innixi tribuiſſe dicuntur, ſingulis ſæculis annos centum,
B & viginti, quod plerumque hæc eſſet hominum vita. Trebellius Pollio in Claudio, & Aper apud Tacitum dialog. de orator. hominum vitæ fines annos centum & viginti conſtituunt. Non ita tamen, quod illi centum viginti viverent annos, ſed quod ætatem hanc non excederent, & perquam pauci illam attingerent.

Verum loci hujus magis naturalis ſenſus eſt ille, quem ipſi tribuunt S. Chryſoſtomus hom. 22. in Geneſ., S. Hieronymus lib. de quæſt. Hebraic. & S. Auguſtinus l. 15. de Civit. Dei c. 24. quos plerique Interpretum ſecuti ſunt; ſcilicet, Deum minas intendere, ſe non relicturum homines ſuper terram, niſi centum, & viginti annorum intervallo, qui fluere uſque ad Diluvium debebant. Obiici
C poteſt, quod loquitur Deus ad Noe centum ante Diluvium annos, non autem centum, & viginti, ut hic arbitrantur: quoniam explicite ſcriptura ait, Deum ad illum fuiſſe locutum quingenteſimo ætatis ipſius anno, ſexcenteſimo vero contigiſſe Diluvium. Verum S. Auguſtinus animadvertit, Scripturam uſurpaſſe annorum quingentorum numerum, pro quadringentis & octoginta, ut rotundo numero uteretur. S. Hieronymus opinatur, Deum ex hominum vita viginti annos abſcidiſſe, ex annis centum, & viginti, quos pollicitus fuerat, ut agerent pœnitentiam. Juxta ſententiam, quam hic propoſuimus, dicendum erit ab edicto Diluvio vigeſimo tantum anno, & poſt quingenteſimum vitæ Noe annum, ipſum tres habuiſſe filios Japhet, Sem, & Cham.
D Non deſunt, qui [6] credant toto hoc 120. annorum intervallo ad arcam extruendam Noe incubuiſſe. Alii [7] vero Noe in magnum adeo, & difficile opus inſudaſſe credunt annis duobus, & quinquaginta; vel octo & ſeptuaginta.

Qui vero locum hunc explicant, velut minas, quibus minatur Deus, ſe hominum vitam diminuturum, dicere debent, hoc per gradus tantummodo fuiſſe factum; atque ad litteram hæc verba eſſe intelligenda de iis tantum qui circa Moyſis tempora degebant. Ulterius obſervat, a Diluvio uſque ad Babylonicam Turrim, homines vixiſſe adhuc quadringentis, vel quingentis annis. A Babylonicæ vero Turris ædificatione uſque ad Abraham vivebant adhuc ducentis annis, vel etiam trecentis. Poſt A-
E braham uſque ad Moyſem, paſſim centum & quadraginta, vel centum, & triginta annorum vitam degebant.

Moyſis tempore communis hominum vita centum & viginti annorum erat, vel circiter: ut liquet ex tempore, quo ille, frater illius Aaron, Caleb, & Joſue vixerunt. Conjici quidem poſſet, Authorem hunc hominum ætatem temporum ſuorum innuere voluiſſe, vitæ Patriarcharum collatam, ut Creatoris mina-

1 Vide Joſeph. l. 1. Antiq. Euſeb. Præpar. l. 5. c. 4. Sulp. Sever. hiſt. Eccl. l. 1. Method. Olimp. ep. ſerm. de Reſurr. Lactant. lib. 2. Inſtit. c. 15. 2 Ἔρως. 3 לא ידון רוחי באדם לעולם confer hunc locum Iſaiæ 57. 16. כי לא לעולם אריב ולא לנצח אקצוף כי רוח מלפני יעטוף ונשמות אני עשיתי.

4 Οʹ. οὐ μὴ καταμείνῃ τὸ πνεῦμά μου ἐν τοῖς ἀνθρώποις τούτοις εἰς τὸν αἰῶνα. Sym. οὐ κρινεῖ non judicabit. Vide Hieronym. quæſt. in Geneſ.

5 אל יתקיים. 6 Origen. S. Auguſt. S. Gregor. &c.

7 Tanchuma.

ſum effectus magis perciperetur. Qua in re nihil A non maxime hiſtoricæ veritati eſt conſonum; quoniam reipſa ætas hominum tunc temporis ad 120. annos erat redacta: quod minimum adverſatur, ſi ex dimidio propemodum ſubinde hominum ætas eſt imminuta. Qui Moyſi Pſalmum xc. referunt, contendunt communem hominum ætatem temporibus ipſius annorum fuiſſe 70. vel 80. Verum hic pſalmus dubio procul compoſitus fuit Babylonicæ Captivitatis tempore. Vide Commentarium noſtrum. Verus hujus loci ſenſus, quem ſuperius paullo ſtatuimus, cui favent S. Chryſoſtomus, S. Hieronymus, Sanctus Auguſtinus, meliorisque notæ Interpretes, eſt de 120. annis, qui labi uſque ad Diluvium debebant.

℣. 4. GIGANTES AUTEM ERANT SUPER TERRAM B IN DIEBUS ILLIS. POSTQUAM ENIM INGRESSI SUNT FILII DEI AD FILIAS HOMINUM &c.] Author Vulgatæ innuere voluiſſe videtur, hos Gigantes, hos inſignes adeo primorum ſæculorum homines ex impio filiorum Dei cum filiis hominum concubitu extitiſſe. Verum aliqui credunt, Moyſem hic loqui de Gigantibus, qui ex illis connubiis orti ſunt, ut dumtaxat Diluvii cauſas oſtendat. Prava libertas, & effrænis libido hæc pepererunt conjugia. Crimen, & impietas ſubſecuta ſunt. Ea vi extiterunt homines prædîti, ea feritate, eaque ſuperbia, ut per vetitum nefas ruentes omnia auderent perpeti: Gigantes procera corporis ſtatura præſtantes erant, vitæ longitudine, vi mira; quos nec hominum timor, neque legum reverentia, neque C Religio poſſent deterrere; in nequiſſima ſeſe abdiderunt crimina, atque in omnimodæ corruptionis colluviem ſe egere præcipites. Hæc autem Diluvii cauſa fuit.

Hebraicus textus habet [1]; *Gigantes autem erant in terram; atque etiam poſtquam filii Dei filias hominum uxores duxerunt*; perinde ac innoere vellet, uſque ab Orbis primordio fuiſſe; ſed in majorem creviſſe numerum, poſtquam filiæ e genere Seth nupſerunt poſteris Cain. Ita ſeptuaginta [2] intellexerunt, Chaldaica verſio, aliique priſci Interpretes [3] ac recentiores.

Hebraica vox *Nephilim* [4], quam *Gigantes* etiam Septuaginta [5] interpretantur, ab Aquila vertitur [6], *Irruentes*. Verſio eſt admodum apta, atque potens, D ad Hebraicæ vocis vim exprimendam, quæ hoſtes ſignificat, qui inopinato, factoque impetu in aliquem ruont. Symmachus vertit [7] *Violenti*, qui viribus corporis temeritatem addunt, atque inſolentiam; quales ſunt in Fabulis Titanes Terræ filii, qui Jovi bellom indixerunt. Poetæ Centauros filios nubium fuiſſe dicunt [8] *Yioi nephelon*, quod cum Hebraico *nephilim* congruit. *Vide Apollodori Bibliot*.

Authores quidam veteres, & recentiores [9] opinati ſunt nunquam miræ adeo magnitudinis fuiſſe Gigantes, quæ aſſeritur: fuiſſe quidem Gigantes procero corporis habitu, & magna ſtatura homines; non admodum vero communem hominum altitudinem excedentes. Hi homines inſignes erant propter feritatem, crimina, E & violentos impetus, uti olim fabuloſi Gigantes illi, de quibus loquuntur Poetæ. Hi authores rejiciunt Hiſtorias, quæ de oſſibus Gigantum ſub terram inventis differunt; & hæc communia oſſa fuiſſe contendunt, quæ lapideſcendo ad eam magnitudinem in cavernis excreverint; aut aliorum animalium oſſa, aut denique oſſa foſſilia, quæ natura illudens in ſuo ſinu efformavit, uti aliquando ea forma lapides effingit, quæ noſtram cient admirationem. Addunt præterea naturam mire adeo, ac præter ordinem nunquam conniti poſſe in alicujus hominis productione; ut illi duorum vel trium communium hominum tribuat altitudinem: itaque ſi fateremur, Gigantibus ante Diluvium communem fuiſſe altitudinem decem, vel duodecim, vel etiamſi quindecim pedum, probari nequaquam poſſe, quod præter ordinem aſſurgere potuerint uſque ad triginta pedes, vel quadraginta, vel etiam ſexaginta; quod nihilominus dicendum eſſet, ſi hærere vellemus hiſtoriis [10], quæ de Gigantum oſſibus humo defoſſis narrantur. Verbi gratia, corpus Gigantis Antæi a Sertorio inventum cubitorum ſexaginta altitudine; vel caput in Ida monte repertum, ter craſſum, ac communia hominum capita; aut corpora in Inſula Creta adinventa quadraginta præſtantia cubitis; aut Pallantis Evandri filii corpus, qui urbis muros altitudine æquabat. Erant hodie quoque viri aliquot corpore Giganteo, ſed quo ipſorum altitudo procedit? ad ſeptem pedes uſque, vel novem; ſcilicet ad ſummum, ad tertiam, vel communis altitudinis partem dimidiam.

Verum hæc ſententia refelli poteſt. Primo ex Scriptura, quæ de Gigantibus loquitur, veluti immodicæ magnitudinis hominibus, quæ ſtatuit etiam uſquequo ipſorum ſtaturæ exurgeret magnitudo; atque illud, eo tempore, quo corpora decreviſſe debuerant, uti ætas quoque hominum decreverat. Moyſes, exempli gratia Deuter. 3. 2. loquitur de cubili Og Regis Baſan, quod longitudine novem, quatuor vero latitudine cubitorum præſtabat; Cubiti vero novem Hebraici quindecim pedes ſunt, unciæ quatuor, & dimidia. Refert quoque Num. 13. 33. 34. exploratores, qui terram Canaam inviſerunt, Iſraelitis retuliſſe, quod illius regionis populi ea erant altitudine, quæ intuentes perterrefaceret, atque Hebræos Gigantibus e ſtirpe Henac collatos locuſtas videri. Tempore David, ubi hominum vita facta jam erat brevior, Gigantes adhuc videbantur, teſte Goliath, qui ſex cubitis, & palmo eaſurgebat, ſcilicet pedibus decem, & ſeptem unciis. Adverſus facta hujus generis, locum eſſe minime reor futilibus, inanibuſque argumentis.

Fieri quidem poteſt, ut Gigantes ante diluvium non eſſent immodice adeo proceri, ac dicuntur; verum dubitari nequit, quin admodum aliis magnitudine præſtarent hominibus. Et cum aſſereremus Gigantes ejus temporis fuiſſe quater, vel quinquies majores, ac nos ſumus; num id etiam magis incredibile videretur, quam id, quod ait Scriptura, ipſos decies diutius, vel duodecies vixiſſe quam nos? Niſi Gigantes extitiſſent unquam, unde orta fuiſſet conſtans adeo opinio, & in univerſum patens, quod primi homines fortiores fuerint, majoreſque, & diutius, quam nos vixerint? Neque enim Poetæ ſunt, aut Hiſtorici tantum, qui nimium creduli de Gigantibus differant: Authores acrioris ingenii, & accuratiores de rebus his perquam ſerio loquuntur. Videri poteſt S. Auguſtinus quintodecimo libro de civitate Dei cap. 9. & 23. illiuſque Interpretes.

Sanctus Juſtinus Martyr, qui ſententiam ſuam ex apo-

---

1 הנפלים היו בארץ בימים ההם וגם אחרי כן אשר יבאו בני אלהים

2 70. οἱ δὲ γίγαντες ἦσαν ἐπὶ τῆς γῆς ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις, καὶ μετ᾽ ἐκεῖνο, ὡς ἄν. &c.

3 Vide S. Auguſt. l. 15. de Civit. c. 23.

4 נפילים Nephilim. 5 70. Γίγαντες.

6 Aquila Ἐπιπίπτοντες. Irruentes. 7 Sym. Βιαῖοι Violenti.

8 Υἱοὶ νεφελῶν. Vide Apollodor. Bibliot.

9 Philo de Gigant. Joſeph. Antiq. l. 1. c. 4. Origenes apud Gennad. Conſt. ep. in Catena Gr. Euſeb. Præpar. l. 5. c. 4. Ambr. de Noe & Arca c. 4. Chryſoſt. in Caten. Geneſ. Cyrill. Alex. l. 9. contra Julian. ſub init. Damaſcen. in Caten. Geneſ. Becanus de Gigantomach. Tempurarius.

10 Vide Plinium lib. 7. c. 16. eoſque, qui notas addidere; & Pauſaniam Arcadic. p. 503. Theodoret q. 48. ni Geneſ. Auguſt. de Civit. 15. c. 23.

pocrypho libro Henoch hauſit, credidit, Gigantes, de quibus loquitur Moyſes, nihil fuiſſe aliud, quam Dæmones, hominum ſpecie. Paulus Burgenſis, & alii nonnulli recentiores [1] hanc ſuſcitarunt ſententiam, eamque maxima eruditionis vi probarunt. Verum nimis adlaborandum nobis non eſt, ne ea ulterius progrediatur; paucos etenim illa ſectatores jactabit.

℣. 5. VIDENS AUTEM DEUS, QUOD MULTA MALITIA HOMINUM ESSET IN TERRA.] Hebraicus textus magis exprimit [2]: *Deus vidit, quod malitia hominum ad extremum pervenerat in terra, & quod omnes cordis ipſorum cogitationes in malum erant pronæ, ſemper; &c.* Poſt Adam peccatum, homo ſibi ipſi traditus, ſe maxima vi in perniciem ferri ſenſit; atque illi potentiſſimo, & ſupernaturali opus eſt auxilio, ut dignas Deo cogitationes concipiat, atque æternitate digna ineat conſilia. Prava hæc diſpoſitio perperam quoque agendi habitu augebatur in impiis, qui ante Diluvii tempora vivebant; nequam ipſorum exemplum hominum mentes adeo perverterat, ut malum non cenſeretur ferme amplius malum, neque ullam medicinam pateretur. Hi omnes impii delendi erant, quia eorum nemo ad bonam frugem poterat revocari.

℣. 6. POENITUIT EUM, QUOD HOMINEM FECISSET IN TERRA.] Syriaca habet verſio: *Diſplicuit ei, quod hominem creaſſet.* Septuaginta [3]: *Deus cogitavit cum meditatione, & quadam doloris ſpecie ad id quod fecerat, hominem creans.* Symmachus [4]: *Avertit ſe*, quodammodo veluti homo, quem conſilii ſui pœnituit. Onkelos ſimiliter explicat. Arabica verſio; Deus horrore eſt perculſus, quod hominem creaſſet. Hæ omnes vertendi rationes explicant, quod Vulgata innuere voluit, dicens: *Pœnituit eum.* Deus pœnitentiæ capax non eſt; quoniam numquam agit perperam, neque a prioribus recedere conſiliis poteſt, ut alia ineat meliora. Attamen extrinſecus agit aliquando, veluti ſi pœnitentia, atque impatientia afficeretur, & rei alicujus dolore. Sæpius ait Scriptura, Deum in ſe ea perpeti, quod Spiritus Sanctus efficit, ut juſtorum corda perpetiantur. Ita dicitur lætitia ob peccatorum converſionem, dolore ob nequitias hominum affici; quod viri juſti, & Sancti per Divini Spiritus impreſſionem ita afficiuntur.

ET TACTUS DOLORE CORDIS INTRINSECUS.] Septuaginta [5]: *Deus ſerio cogitavit*: Chaldaica verſio habet: *Dixit Deus in Verbo ſuo* (hoc eſt *in ſe ipſo*) *ſe deleturum vim eorum ſecundum ſuam voluntatem.* Hebraica vox ויתעצב ad litteram denotat mæſtitiam cordis, & dolorem intrinſecum.

℣. 7. PRÆCAVENS IN FUTURUM.] Hæc verba in quibuſdam latinis exemplaribus inveniuntur; ſed minime adſunt in textu Hebraico, neque apud Septuaginta, neque in melioribus Latinis Vulgatæ editionibus; atque hinc expunctæ abſolute fuerunt poſt Sixti V. editionem anni 1590. eamque Clementis VIII. anni 1592.

℣. 8. NOE VERO INVENIT GRATIAM CORAM DOMINO.] Inter hanc univerſalis corruptionis colluviem, Deus ſervavit ſibi Noe, cujus meritorum, & virtutis eo major eſt amplitudo, quo majori opus erat vi, ut naturæ propenſioni, ſermonum impreſſioni, impiorumque exemplo poſſet obſiſtere. *Quanti viri eſt inveniri in publica perfidia fidelem!* ait Seneca.

℣. 9. VIR JUSTUS IN GENERATIONIBUS SUIS.] Syriaca, & Arabica verſiones habent: *Juſtus in ſæculo ſuo.* Sanctus Hieronymus lib. de Quæſt. Hebr. Noe ſui ſæculi collatus hominibus erat juſtus. *Ambulavit cum Deo*; vel ſecundum Septuaginta [6], *Placuit Deo*; invenit gratiam in oculis illius; juxta Symmachum [7]; *Secutus eſt Deum.*

℣. 12. OMNIS CARO CORRUPERAT VIAM SUAM.] Æquitatis, ac Juſtitiæ nullum ſupererat veſtigium; fœda omnia erant, atque corrupta. Aliqui credunt [8], Moyſem hic innuere velle animantium, æque ac hominum corruptionem: & etiamſi animantia in ſe ipſis corrupta non erant, nemo ibit inficias, ea nequaquam corrupta fuiſſe cum iis homines nequiter abuterentur. Lyranus, Toſtatus, Pererius, Grotius, Oleaſter ita intelligunt, perinde ac naturali voluptatum uſu fuiſſent abuſi, ut ſe ſe carnalibus contra naturam traderent voluptatibus. Chaldaica verſio hanc locutionem accepit velut illi ex æquo parem, quæ adeſt ℣. 9. cap. 37. *Semen fundebat in terram.* Septuaginta vertunt [9]: *Corruperat viam ipſius*, maſculino genere; perinde ac intelligerent; Omnes viam Dei corrupiſſe, cujus præcepta violaverant [10]; vel potius: Quiſque viam ſuam fœdarat. Septuaginta majorem hominis rationem habuerunt, quem vox *Caro* ſignificat, quam grammaticalis vocis hujus generis.

℣. 13. FINIS UNIVERSÆ CARNIS VENIT CORAM ME.] Videlicet, ſtatutus eſt hominum, ac animantium interitus: Hominum quidem propter eorum ſcelera; animantium vero, quod veluti inſtrumenta hominum peccatis inſervierunt.

Joſephus lib. 1. Antiq. c. 3. velut veterem, firmamque traditionem refert, ante Diluvium poſteros Seth, cum ab Adam percepiſſent, futurum ut Orbis aquis prius, flammis deinde interiret, arbitrantes procul dubio poſt Diluvium, & incendia, aliquot permanſuros homines, ut re ipſa poſt Diluvium quidam fuerunt reliqui, in poſterorum gratiam Aſtronomica adinventa illis tradere voluiſſe, atque duabus ea columnis incidiſſe; quarum altera marmorea erat, ut aquis reſiſteret, lateritia altera, ut igni; illaſque in Syriade ſtatuerunt, videlicet, uti Voſſius obſervavit, in eo tractu, quem Scriptura *Sebirat*, prope Galgala, appellat in Jerichuntis agro. Scriptura quoque Judicum 3. 19. 26. refert in eo loco fuiſſe cælaturas, atque anaglypta [11]. Joſephus ait ſuis quoque temporibus extitiſſe veterum horum Seth filiorum lapideam columnam.

Sed hæc Joſephi narratio maximis eſt obnoxia difficultatibus; quoniam primo certum nullatenus eſt, Filios Seth Palæſtinam incoluiſſe. Secundo incertius adhuc, an Scripturæ, inſcriptionumque uſus communis fuerit ante Diluvium. Tertio Joſephus cælaturas quaſdam, aut hieroglyphica, quæ erant Sebirah prope Galgala potuit accipere pro antiquis admodum inſcriptionibus, quamquam procul dubio exculpta fuerint poſt Hieroglyphicorum per Ægyptios inventum. Reſponſio hæc iis confirmari poteſt, quæ Manethon apud Euſeb. & Syncell. ait, Mercurium alterum Ægypti Regem, cui nomen Triſmegiſtus, vertiſſe, vel potius in communes litteras tranſcripſiſſe, quod Mercurius prior, vel Thoth, olim hieroglyphicis characteribus incidendum curaverat in columnis quibuſdam, quas in Syriade conſtituerat [12]. Credi poteſt Joſephum ob oculos habuiſſe locum hunc Manethonis. Quæ ſi ita ſint, minimum dubio locus eſt, quin deceptus fuerit Joſephus, hæc Syriadis anaglypta filiis Seth ante Diluvium tribuens; quoniam vetus Mercurius Hieroglyphicorum inventor Diluvium ſubſecutus eſt, cum filius fuerit *Menes* primi Ægyptio-

1 Delrio Diſq. Mag. l. 2. q. 15. Franciſc. Georgius Venetus t. 1. ſect. 5. probl. 54. Valeſ. Philoſoph. ſacr. c. 8. p. 95.
2 וירא יהוה כי רבה רעת האדם בארץ וכל יצר מחשבות לבו רק רע כל היום.
3 70. ἐνεθυμήθη ὁ Θεός. Heb. וינחם יהוה.
4 Sym. Ἀπεστράφη. Avertit. Aquil. μετεμελήθη ὁ Θεός. Pœnituit.
5 Διενοήθη. Recogitavit. 6 70. τῷ Θεῷ εὐηρέστησε.
7 Sym. τῷ Θεῷ ἐπακολουθῶν. Heb. את האלהים התהלך נח Aq. σὺν τῷ Θεῷ ἀνεστρέφετο.
8 Lyran. ex Hebræis 9 Τὴν ὁδὸν αὐτοῦ.
10 Amb. de Noe & Arca, c. 5.
11 פסילים 70. Γλυπτὰ Vulgata, Idola. 12 Ἐν Σηριάδι γῇ.

ptiorum Regis, quem Marſhamus eumdem credit fuiſſe, qui Cham filius Noe.

Valeſius in notis, quas in Ammianum Marcellinum conſcripſit, opinatur pro *Syriadice*, quæ vox legitur in Manethone, legendum eſſe, *Syringiee*. Innititur vero Ammiani loco, ubi ait, Veteres cum Diluvium præviderent futurum, ac vererentur, ne rituum cognitio interiret, ſubterraneos paſſim effodiſſe locos, quos *Syringes* appellabant, atque horum ſpecuum rupibus diverſas excudiſſe animantium figuras, quas hieroglyphicas litteras nuncuparunt. *Sunt Syringes*, ait Ammianus lib. 23. *ſubterranei quidam, & flexuoſi receſſus, quos ut fertur, periti rituum vetuſtorum, adventare diluvium præſcii, metuentesque, ne cæremoniarum obliteraretur memoria, penitus operoſis digeſtos fodinis per loca diverſa ſtruxerunt, & exciſis parietibus volucrum, ferarumque genera multa ſculpſerunt, & animalium ſpecies innumeras, quas hieroglyphicas litteras appellarunt*. Pauſanias quoque docet, Ægyptiis Thebis *Syringes* fuiſſe in altera Nili ripa prope eam Memnonis ſtatuam, quæ oriente Sole harmonicum edebat ſonum; ſed alibi quoque eſſe poterant; quandoquidem juxta Ammianum paſſim reperiebantur. Si vera ſunt, quæ hic Author affert, ſcilicet hieroglyphica iſthæc ob Diluvii metum fuiſſe elaborata, de alio quodam intelligenda ſunt Diluvio ab hoc Noe; quoniam hieroglyphica poſt univerſale Diluvium profecto reperta fuerunt.

℣. 14. FAC TIBI ARCAM DE LIGNIS LÆVIGATIS.] Arcæ, vel capſæ nomen tribuitur navi, quam ædificandam Noe præcipit Deus, quod re ipſa plurima cum capſa ineſſe deberet ſimilitudo. Vox Græce [1], *Kibotos*, atque [2] *Larnax*, quibus uſi ſunt Septuaginta, & Joſephus, capſam ſignificant.

DE LIGNIS LÆVIGATIS.] De ligniſ ſectis, perpoliris, ſimul compactis, atque apte contextis. Hebraice עֲצֵי גֹפֶר *De lignis Gopher*. Vox hæc *Gopher* in Hebraicis Bibliis alibi non reperitur, quam hic; quapropter nonniſi difficile vera illius ſignificatio poteſt innoteſcere. Duo Paraphraſtes Chaldæi, Abeneera, & Rabbini plures, Græcuſque Interpres pro *Gopher* Cedri ligna intelligunt. Syriaca verſio, e lignis flexilibus, e lignis vimineis, aliiſve ad crates contexendas idoneis. Cymbæ quandoque e cratibus recenti corio ſuperinductis contextæ ſunt, uti patet ex Herodoto [3], qui aſſerit Armenios, qui ultra Aſſyriam immorantur, ſcaphas e viminibus intexere, eaſque intrinſecus, atque extrinſecus pellibus cooperire. Illi ſcaphas has in Tigrim immittunt, ut Babylonem ferantur; e quibus quædam ea præſtant magnitudine, ut quinque millium talentorum ponderi ferendo ſint. Conjici poteſt Interpretem Syrum cymbas has ob mentis oculos habuiſſe; ſciebat autem iis in regionibus Arcam fuiſſe ædificatam, atque non niſi hujus generis ſcaphas ibi conſtrui conſueviſſe. Strabo l. 16. p. 506. loquens de Naphta ait, hujus uſum eſſe quibuſdam cymbis e virgis contextis illinendis. Hæ obſervationes colorem quemdam tribuere poſſunt opinioni Syri Interpretis; verum numquam impellar, ut exiſtimem Arcam tantæ molis hac ratione fuiſſe compactam.

Arabica verſio [3], & forte Theodotion [4] vertunt *e lignis*. Alius Interpres Græcus arbitratur Hebraicam vocem incorruptibilia ligna ſignificare. Septuaginta vertunt [5] *e lignis quadratis*. Voſſius animadvertit, Theophraſtum in plantarum hiſtoria de quodam ligno loqui, quod *quadratum* [6] appellatur. Voſſius credit, arborem hanc abietem eſſe, vel pinum, quod hæ plerumque e trunco quatuor in æquali diſtantia ramos emittunt. Bochartus contendit *Gopher* eſſe cupreſſum. Nomen hoc *Cupreſſus*, Græce *Cupariſſos*, ex Hebraico *Gopher-Nez*, ligno Gopher, ortum videtur. In Armenia, ac Aſſyria, ubi credimus fuiſſe Noe, nulla præter cupreſſum materies adeſt oblongæ navi extruendæ accommoda, qualis debebat eſſe Arca. Arianus in Alex. 7. ait, Alexandrum Magnum claſſem integram e cupreſſu confeciſſe, quam ex Aſſyria devexit, cum idonea ligna Babylone invenire non potuiſſet. Strabo l. 16. idem repetit, & addit in Aſſyria prope Arbelam cedrorum nemus fuiſſe. Beroſus apud Euſeb. Præp. l. 9. c. 4. Abydenus, & Polyſthor teſtantur *Siſutrum* ex Aſſyria navi in Armeniam confugiſſe, ut e Diluvii aquis effugeret. *Siſutrus* hic procul dubio eſt Noe.

Neque deſunt Interpretes, qui non ſtatuentes, quænam ligni ſpecies eſſet *Gopher*, credunt intelligendum eſſe de pingui ligno, & reſina effluenti, velut pino, abiete, terebintho, &c. Hebraica vox *Gophrit*, quæ ex aliis maxime ad *Gopher* accedit, ſulphur ſignificat, atque ad reſinam extendi poteſt, picem, atque lignum, unde hæc oritur. Sanctus Hieronymus in quæſt. Hebraic. arbitratur Hebraicum nomen *ligna bituminata* ſignificare; ſed, ſi hoc fateare, cur inferius Scriptura ait, opus fuiſſe, ut intus Arca, & extrinſecus bitumine illineretur?

MANSIUNCULAS IN ARCA FACIES.] Hebraice [7]: *Nidos facies in ea*; ſcilicet ſeparata cubicula, ut diverſæ animantium ſpecies collocentur. Credunt nonnulli, totidem manſiones fuiſſe, quot animantium ſunt ſpecies: alii multo pauciores recenſent: Drexelius tercentum ait fuiſſe, P. Fournier tercentum & triginta tres; Author vero quæſtionum in Geneſ. quadringentas.

BITUMINE LINIES INTRINSECUS, ET EXTRINSECUS.] Hebraicus textus ad litteram habet, *Linitione linies intrinſecus, & extrinſecus*; quæ autem hæc fuerit linitio, præterit. Aſphaltio vel bitumine uſus fuiſſe Noe, juxta Septuaginta [8] putatur; eademque eſt Chaldaicæ verſionis, & Syriacæ, plerorumque Interpretum ſententia. Sed Aquila ſimpliciter legit [9]: *Linitione linies*. Arabica verſio, *pice linies*. Illita procul dubio pice fuit, vel naphta aliis ad id aptis rebus immixta: quoniam ſimplex bitumen navi illiniendæ non idoneum videtur propter ſutorem ipſius, & nimiam tum ad concipiendum ignem, tum ad diffluendum facilitatem [10].

℣. 15. TRECENTORUM CUBITORUM ERIT LONGITUDO ARCÆ.] Judæorum cubitus vigintiquatuor conſtabat digitis, aut ſex ſpithamis Orientalibus. Talmudiſtæ obſervant, Hebræorum cubitum quarta ſui parte exceſſiſſe Romanum. Maimonides recentiorem alium cubitum notat, cui viginti dumtaxat erant digiti.

Origenes veteri incumbens traditioni ait, cubitum, quo uſus eſt Noe, Geometricum fuiſſe cubitum ſex communibus cubitis parem: *Nos*, ait hom. 2. in Geneſ. *quo a prudentibus viris, & Hebraicarum traditionum gnaris, & veteribus Magiſtris didicimus, ad auditorum notitiam deferemus ... apud Geometras in ſex cubitos unus deputatur, &c.* Vide etiam ejus quartum librum contra Celſum. Sanctus Auguſtinus de Civit. Dei l. 15. c. 27. & Quæſt. in Geneſ. l. 1. c. 4. ſententiam probat Origenis, atque veluti cachinnis, & ſibilis excipiendas eas arguit objectiones, quas jaciebant nonnulli adverſus immenſam navis hujus magnitudinem, quæ maximarum

1 Κιβωτος. Heb. תֵּבָה.   2 Λάρναξ.
3 Herodot. l. 1. p. 128. edit. Gryph. Vide etiam Jul. Cæſar. de Bello Gallico.
4 Quidam ἐκ ξύλων πλακωτῶν, forte Theodot.
5 ἐκ ξύλων τετραγώνων. Alius, ἐκ ξύλων ἀσήπτων. Alius, ἐκ ξύλων κεδρίνων. Vide novam Hexaplorum editionem.
6 Τετραγώνια.   7 קִנִּים 70. νοσσιὰς ποιήσεις τὴν κιβωτόν. Sym. Καλιὰς ποιήσεις.
8 כפרת אתה מבית ומחוץ בכפר 70. Ἀσφαλτώσεις αὐτὴν ... τῇ ἀσφάλτῳ.
9 Aq. ἀλοιφώσεις ἀλοιφῇ.
10 Pelleterius in Diſſert. de Arca Noe cap. 12.

marum urbium ambitum ſuperaſſet. Varum hæ dimenſiones minimos eruditis viris arrident, quamquam ipſis ax duorum excellentium adeo nominum authoritate, & meritis tanta ponderis facta fuerit acceſſio. Quoad Origenem, negotium doctioribus faceſſunt viris ea, quæ ipſius Inteepres ipſum vult aſſerere in homilia decima ſecunda in Geneſim. S. Auguſtinus credidit, ſingulas a tribus Arcæ contignationibus tercentis cubitis in longitudinem, in latitudinem quinquaginta, ac triginta in altitudinem patuiſſe; quare Arcæ intercapedo myriadis fuiſſet, atque tercentorum quinquaginta millium cubitorum: quod ſi hos cubitos ſenis communibus æquari intellexerimus, immenſæ propemodum fuiſſet magnitudinis hoc opus.

Beroſus Chaldæus in Euſebio a Joſepho Scaligero allatus, Arcæ quinqua longitudinis fuiſſe ajebat ſtadia, latitudinis duo; vel juxta Jacobum Capellum, ſex longitudinis ſtadia, & latitudinis unum. Cum ſtadium quadrigentorum ſit cubirorum, Arcæ longitudo fuiſſet bis milla, & quadrigenti cubiti, quadringenti vero latitudo.

Ludovicus Capellus tria diſtinguit cubitorum genera apud Hebræos. Majus trium erat pedum, medium unius pedis cum dimidio, minus vero unciarum quindecim; ita ut major cubitus duplo communi eſſet major, ut ſiclus ſacer duplo major eſt ſiclo communi. Author hic ex Scriptura argumenta atuere conatur ad horum cubitorum genus duplex probandum. Num. 35. 4. Moyſes mille cubitos (*ſacros*) Levitis undequaque circum urbem, intra quos conſiſtere debeant, aſſignat; & ſequenti verſiculo bis mille cubitos (*communes*) tribuit. Item 3. Reg. 7. 15. præcipuarum Salomoniei Templi columnarum altitudo uodeviginti cubitorum (*ſacrorum*) fuiſſe dicitur; & ſecundo Paralip. 3. 15. quinqua, & triginta cubitorum (*communium*) aſſeritur altitudo, quæ prioris dimenſionis eſt dupla, ſi cubitum unum pro columnæ baſi addiderimus. Cubiti, qui in Arcæ dimenſione oſurpantur, juxta Capellum ſont cubiti ſacri, quorum trium erat pedum longirudu [1].

Interpretum non pauci, æque ac Capellus, conſendunt apud Hebræos duo ſemper cubitorum fuiſſe genera; ſed horum cubitorum differentiam aliter explicant. Primus, qui erat cubitus ſacer, & major palmo, communem cubitum excedebat; quod innuitur Ezechielis c. 40. 9. & 43. 13. *Iſte menſura altaris in cubito veriſſimo, qui habebat cubitum, & palmum*. Quoad communem cubitum, notari dicitur Deut. 3, 2. *Ad menſuram cubiti virilis manus*. Verum ex univerſo Teſtamento veteri non liquat aute Babylonis captivitatem multiplex fuiſſe cubitorum genus; & procul dubio non niſi poſt captivitatem Babylonicam duplex menſurarum, & ponderum genus exritit apud Hebræos.

I. Moyſes de cubito ſine ullo diſcrimine ſemper lotur; & quemadmodum populum alloquebatur, cui ex menſuræ, illæqua numerandi rationes araut, quibus in Ægypto aſſueverat; maxime videtur probabile, cubitum, quo ille uſus fuit, Ægyptium cubitum fuiſſa.

II. Ezechiel, qui in Babyloniorum ditione ſcribebat, ſpiritu vero, & mente in Hieruſalem aderat, ut metiretur Templum, admonet, cubitum, quu in Tampli dimenſiones utebatur, a cubito regionis illius, ubi ſeribebat, differta, atqua Babylonicum præſtare palmo, aur unciis quatuor. Herodotus l. 1. c. 178. ait, Babylouiis duplax fuiſſe cubitorum genus: & cubitum Regium tribus unciis præ mediocri excellniſſe.

Herodotus l. 2. c. 128. docet, Ægyptinm cubitum Samio æqualem fuiſſe, videlicet cubiro Græco, qui quatuor & viginri erat digitis. Joannes Gravius Aſtronomiæ in Univerſitate Oxonienſi Profeſſor cum Ægyptum adiiſſet, ex Modulis Memphis, Ægypti Derae menſuram accepit, qui eſt veteris Memphis cubitus. Derae autem a Pelleterio Rhotomagenſi in diſſertatione ſua de Arca Noe, Rhotomagi anno 1701. edita p. 5. noſtris collarum menſuris, vigioti unciatum longitudine præſtabat eum $\frac{44}{89}$ vel unciarum viginti cum prope dimidia: ita ut juxta illius ſupputationem, Arcæ extrinſecus longitudo eſſe debuiſſet pedibus 512 $\frac{58}{89}$ latitudo pedibus 85. $\frac{58}{89}$ altitu dodenique pedibus 51. $\frac{58}{89}$, Univerſa vero Arcæ intercapedo erant tercenta quinquaginta ſeptem millia cum ſexcentis cubicorum Hebraicorum cubitorum.

Ut ſanſibilem quamdam mirabilis hujus ædificii ideam poſſis concipere, conferenda eſt ejus magnitudo cum alicujus Templi magnitudine cognita, quemadmodum templum eſſet Divi Petri Romæ, quibus quingentorum quinquaginta quinque pedum eſt longitudo.

Pelleterius arbitratur, Arcam ædificium quodam fuiſſe rectanguli parallelipedi ſpeciem referens, cujus interior altirudo ſecari poteſt in quatuor tabulata, quorum prius tribus cubitis cum dimidio exſurgat, alterum ſeptem, tertium octo, quartum vero ſex cum dimidio; quinque cubitis, qui ex triginta cubitorum altitudine ſunt reliqui, in carinæ, triumque contignationum ſuperiorum craſſitiem recenſitia.

Primum ex bis tabulatis erat ima pars, & inferior, quam Nautæ carinam appellant; alterum pro horreo inſervire poterat, vel promptuario; tertium ſtabula continere poterat; quartum aviaria; ſed carina minime veluti tabulatum cenſebatur, cum ea tantum ad aquam dulcem ſarvandam uterentur. Arcæ proprie loquendo tres erant contignationes tantummodo; nequa plures Scriptura enumerat, quamquam Interpretes quatuor fuiſſe dicant, carinam addendo.

Pelleterius putat triginta ſex tantum ædificata fuiſſe pro animantibus ſtabula, totidemque pro volucribus aviaria, adverſus quorumdam Intarpretum ſententiam, qui tot diverſas manſiones fuiſſe arbritantur, quot esant ſpecies animantium.

Januam autem non in alterutro ſecundum longitudinem latere ſtatuit, verum in alterutra Arcæ extrema parta, ea ductus ratione, quod in longitudinia latere poſitum oſtium, Arcæ ſymmetriam fordaſſet, & illius æquilibrium ademiſſet.

Cuivis manſiunculæ longitudo eſſe poterat cubitorum quindecim, & $\frac{4}{9}$, latitudo vero ſeptemdecim, atque octo altitudo: ideoque longitudinem vigintiquinque pedum cum dimidio, latitudinem pedum undetriginta, altitudinem vero decem ac trium pedom quodlibet ſtabulum ſuperabat; Aviaria autem ejuſdem erant magnitudinis.

Ut æqualiter oneraretur arca, potuit Noe hæc ſtabula implere, & aviaria a mediis incipiens, ibiqua majoris ponderis animantia, aveſque conſtituens.

Auctor hic accurata ſupputatione oſtendit, aquam, quæ in carena eſſe poterat, excedare potuiſſe 31174. modios; quæ ſatis ſuperque eſſe poteſt, ut quadruplo major hominum, & animantium copia, quam eorum, qui in arca continebantur, ad potum inde poſſent haurire unius anni intervallo, atque ideo promptuarium quoque majorem meatuum vim potuiſſe complecti, quam qui cunctis animantibus in annum eſſent neceſſarii.

In tertia contignatione cubicula triginta ſex Noe potuit extruere, ut domeſtica ſervarer utenſilia, ad certam exercendam inſtrumenta, veſtes, grana, ſemi-

1 Capell. Hiſt. ſacr. p. 30.

mina. Culinam ibi, aulam, quatuor cubicula, & ad deambulandum quadraginta octo cubitorum ſpatium poterat educere.

Aliqui crediderunt minimum fuiſſe opus, ut dulcis aqua in arcam inferretur; quoniam maris aqua diluvii aquis immixta ſalſedinem exuere poterat, ut in potum poſſet inſervire; eamque per arcæ feneſtram hauriri potuiſſe, ut animantibus potus ſufficeretur. Verum hæc probari non poteſt opinio, quoniam maris aqua in majori erat copia, quam quæ cœlo decidebat, ut terram obtegeret. At periculo innoteſcit, tertiam ſalſæ aquæ partem duabus tertiis immixtam partibus aquæ dulcis, potionem componere, quæ bibendo non ſatis eſt apta. Et cum arca aquis innatare cœpiſſet menſis ſeptimi die ſeptima & vigeſima, ſeptem menſibus ferme in Armeniæ montibus inſedit, quorum intervallo aqua extrinſecus hauriri minime potuiſſet.

Joannes Buteo Anglus, qui admodum arcæ dimenſionibus inſudavit, animadvertit animantium numerum, quæ arcam erant ingreſſura, non mirum adeo fuiſſe. Ex quadrupedibus centum, ac triginta, præter propter, ſpecies novimus; avium totidem; triginta vero reptilium. Inter hæc ſex tantum animalium ſpecies adſunt, quæ magnitudine equo præſtent; paucæ admodum illum exæquant; pleraque vero illo longe minores ſunt, & quæ pecudibus ipſis magnitudine concedunt. Ita ut omnia quadrupedia, habita trium millium ſexcentarum, & quinquaginta ovium ratione, quæ pro carnivoris animantibus in eſcam enumerantur, idem ferme occupent ſpatium, ac ſexcenti & viginti Boves, ac ter mille ſeptingentæ, & triginta oves, & octuaginta Lupi.

E volucribus perpaucæ Cycnum magnitudine excedunt, atque omnes fere minores ſunt.

Pro reptilibus, pleraque diutius in aquis degunt; Serpentes, & virulenti reptiles in arcæ ſentina collocari potuerunt.

Quoad commeatum pro tot animalium victu, haud ægre locum invenies in arca; vel herbis, fructibus, & leguminibus veſcerentur, uti probabile videtur [1], vel carnes carnivora comederent. Si poſtremum hoc; cum oves in animantium eſcam deſtinatæ in dies imminuerentur, in earum victum tantumdem fœni recenſemus, quantum opus fuiſſet mille, octingentis, & viginti ovibus, quæ annum integrum in arca permanſiſſent.

Buteo, unde hæc omnia eruimus, opinatur ſeptem oves quotannis poſſe comedere quantum Bos eodem tempore comedit; ita mille octingentæ, ac viginti oves tantum abſument fœni, quantum Boves 271. qui 120. Bobus additi [totidem enim pro cæteris animantibus recenſentur, qui fœno veſcuntur] ſummam conficient Boum 381. verum quadringentos dicamus, ut rotundus numerus perficiatur.

Bos, ut Columella docet, veſci poteſt in ſingulos dies triginta, vel quadraginta fœni libris. Pes cubicus fœni conferti velut in fœnili quadraginta circiter libras appendit. Itaque Boves 400. quotidie 400. cubicos fœni pedes comedent, quotannis vero 146000. libras, quæ totidem cubicorum pedum ſpatium occupabunt. Sed alterum tabulatum erat cubitis 150000. ideoque capax magis, quam opus eſſet, ut fœnum ſervaretur, relicto etiam ad ultro, citroque commeandum ſpatio, atque ut aer animantium gratia diffueret.

Omnis arcæ intercapedo, ſi cubiti, cui duodeviginti ſunt unciæ, rationem inemus, erat cubitorum 450000. vel pedum 675000. Patebat illa 450.

A pedes in longitudinem, 75. in latitudinem, 45. vero pedum altitudine eminebat.

℣. 16. FENESTRAM IN ARCA FACIES.] Hæc feneſtra eſſe debebat in ſublimiori ſuperioris arcæ tabulati parte, atque ſub tectum immediate. Verum quemadmodum communis figuræ feneſtra tantum lucis quod ſatis eſſet, ut locus immenſæ adeo molis illuſtraretur, admittere minime potuiſſet; feneſtra hæc occupaſſe creditur magnum arcæ ſecundum longitudinem intervallum, vel arcam undequaque circumiviſſe ad cubiti unius altitudinem. Buteo credidit feneſtram hanc pluribus e craſſiori vitro quadratis fuiſſe clauſam; alii vero ad id cryſtallum adhibitum arbitrantur. Sed neque cryſtallus, neque vitrum adhuc inventa fuerant. Alii pellucidos quoſ- B dam lapides uſurpatos exiſtimant, veluti lapides ſpeculares. Rabbini quidam ſerio admodum narrant, intus arcam lapidem pretioſum fuiſſe, qui fulgore ſuo lucem præberet. Pelleterius autem arbitratur feneſtram tranſennis quibuſdam, & cancellis clauſam fuiſſe. Symmachus [2] vertit; *Rem pellucidam facies*. Aquila [3]: *Meridiem facies*; lucem, velut plenum meridiem.

IN CUBITO CONSUMMABIS SUMMITATEM EJUS.] Plures hæc verba ad feneſtram referunt, de qua modo locuti ſumus; ſed alii de arcæ tecti altitudine intelligunt, a faſtigio illius ſecundum omnem longitudinem uſque ad latera, ita ut ad feretri ſpeciem propius accederet [4]. Alii tectum arcu vertici currus comparant. Hæc eſt idea Patris Salia- C ni in Epitom. Annalium. Origenes [5] arcæ pyramidis figuram tribuit, cujus baſis trecenti erant longitudinis cubiti, latitudinis quinquaginta, & triginta altitudinis, ita ut faſtigium, aut apex cubito circumquaque uno pateret. Menochius in alium ſenſum trahit hæc textus verba: *In cubito conſummabis ſummitatem ejus*; videlicet, ut ille ait, eamdem ſemper in univerſo opere præ manibus menſuram habebis, ac in omnibus arcæ dimenſionibus. Hebraicus textus oſtendit, pronomen *Ejus* ad arcam referri, non vero ad feneſtram, atque ita poteſt intelligi: *Feneſtram in arca facies*, & claudes arcam uſque ad cubitum a culmine.

OSTIUM ARCÆ PONES EX LATERE.] Intelligi poteſt de alterutro arcæ ſecundum longitudinem la- D tere, vel de extremarum partium altera. Fieri hæc janua poterat, ita ut primæ, vel ſecundæ contignationi reſponderet. Credibile autem videtur, in extrema alterutra parte fuiſſe poſitam, atque mediam inter ipſius latitudinem, & altitudinem, ut illac animalia, quin multum aſcenderent, deſcenderentve, in inſtructa migrarent ſtabula. Opus vero ponte fuit, ut ad januam hanc deducerentur, ſi ita poſita fuit, uti arbitramur.

DEORSUM COENACULA, ET TRISTEGA FACIES IN EA.] Hæc verba videntur innuere, quod hæ contignationes ſub tecto, de quo ſupra ſermo fuit, eſſe deberent. Alii vocem *Deorſum* præcedentibus adjiciunt, ut ſenſus ſit. Oſtium arcæ pones ex latere in inferiori parte: & ſuperius alteram, tertiamque E facies contignationem. Septuaginta vertunt [6]: *Facies in ea cellas, ſecundum, ac tertium tabulatum*. Hebraicus textus ad litteram [7]: *Facies eam inferiora, ſecunda, & tertia*. In tres contignationes eam divides inferiorem, ſecundam, & tertiam.

S. Hieronymus hic Symmachum [8] ſecutus eſt, uti alibi paſſim. Secundum facies, ac tertium tabulatum. In Vulgata vox *Cœnacula* ponitur pro ſecunda contignatione. In media cujuſque tabulati latitudine concipere debemus viam, quæ ab una ad alte-

1 Vide Geneſ. 1. ℣. 4. 2 Sym. Διαφανῆ ποιήσεις. Hebr. צהר תעשה לתבה.
3 Aq. μεσημβρινὸν ποιήσεις τῇ κιβωτῷ. 70. ἐπισυνάγων ποιήσεις τὴν κιβωτόν.
4 Torniel. Annal. & Buteo: *Cubitus iſte ſit altitudo mediana culminis per totam longitudinem*.
5 Origen. homil. 2. in Geneſ. & l. 4. contra Celſ. Vid. nov. edit. Hexapl. p. 24. & Clem. Alex. l. 6. Strom. c. 4. 6 Κατάγαια, διώροφα καὶ τριώροφα.
7 תחתים שנים ושלישים תעשה.
8 Κατώ (forte, κάτω, infra) δίστεγα καὶ τρίστεγα.

alteram partem progrederetur, & ſcalas, qua poſſent aſcendere, ac deorſum ferri ab uno in aliud tabulatum. Joſephus Antiq. l. 1. c. 3. & Philo de vita Moyſis l. 2. quatuor arcæ tribuunt contignationes, quibus plures adhærent Interpretes, pro contignatione carinam, vel imam navis partem intelligentes, ubi quidam ſaburram ponunt, ne navis poſſit everti; ſed hæc præcautio nequaquam neceſſaria eſt in navi, cujus ima pars plana ſit, neque adſint mali, uti erat arca. Pelleterius autem ibi aquæ commeatum ſtatuit.

℣. 17. UNIVERSA, QUÆ IN TERRA SUNT, CONSUMENTUR.] Deus delet homines, atque animalia terreſtria. Servat autem piſces, plantas, eum hominum, ac animantium numerum, qui arcam ingreſſus.

℣. 18. PONAMQUE FOEDUS MEUM TECUM.] Quatuor ſolemnia fœdera, quæ Deus cum hominibus icit, in veteri Teſtamento invenimus. Prius cum Adam percuſſit, qui hominum genus univerſum repræſentabat [1], quo Deus ſemet obſtrinxit fore, ut illi & illius poſteritati cunctæ felicitatem tribueret, ea conditione tamen, ſi imperata faceret, neque vetito fructu veſceretur. Alterum vero hic promittitur, & poſt Diluvium feritur [2], quo Deus ſe ipſum addicit, ut Noe, ac ipſius familiam ab aquis Diluvii tueatur, neque amplius terras aquarum obruat illuvie; atque in promiſſionis ſuæ artham Iridem tribuit. Tertium fœdus [3] cum Abraham percuſſit, cum illi Circumciſionem præcepit, atque frequentem poſterorum ſeriem ſpopondit, quam populum ſibi electum conſtituere volebat. Quartum [4] denique per Moyſem ſanxit Deus, Leges tribuens Iſraelitis in Sinai deſerto. Alia peculiaria fœdera, de quibus Scriptura loquitur, ideo fuerunt icta, ut hæc rata haberentur, ac inſtaurarentur; eademque ſymbola erant, ac magni fœderis promiſſiones, quod Dei Filius cum humana natura percuſſurus erat, & quo id onus ſuſcepit, ut pro nobis Patri ſuo faceret ſatis.

INGREDIERIS ARCAM TU, ET FILII TUI, UXOR TUA, ET UXORES FILIORUM TUORUM.] Aſſignant nonnulli uxoris Noe, uxorumque filiorum illius nomina; verum hæc minimæ apud nos ſunt authoritatis. Uxorem Noe vocant *Noemam*, Saides *Hacalam* appellat filiam Namuſn, filiæ Henoch. Uxor Sem *Talisha* vocabatur, Conjux vero Cham *Nachilaza*, atque Japhet *Aliſiſa*, tres omnes *Mathuſalem* filiæ. Muhametani quidam perſonarum numerum, quæ in arca ſervatæ ſunt, octo, & ſeptuaginta, vel octoginta fuiſſe inquiunt; ſed ex Moyſe liquet, atque ex D. Petro [5] octo fuiſſe dumtaxat. Atque ex eodem Apoſtolo [6] diſcimus, Noe fruſtra pœnitentiam prædicaſſe hominibus illis, criminibus obduratis. Aliqui Rabbini credunt, Regem Baſan nomine Og aquis Diluvii ſe ſe ſubduxiſſe, cum arcæ tecto inſediſſet. Sybilla quoque ait, ſe ipſam in arca fuiſſe. Ineptiæ.

℣. 19. BINA INDUCES IN ARCAM.] Deus hic generatim innuit ſimpliciter, hoc ſibi eſſe conſilii, ut ex qualibet animantium ſpecie mas ſervetur, & fœmina, hoc impoſterum accuratius explicaturus. Vide caput 7. 2.

℣. 20. INGREDIENTUR TECUM, UT POSSINT VIVERE.] Hebraice ad litteram [7]: *Venient ad te, ut vitam illorum ſerves*: Animantia tibi ſe ſe offerent, ut in arcam admittantur. Ea ad Noe inſtinctu adducta fuerunt, ei ſimili, quem hirundinibus inſpirat natura, qualeis, ciconiis, aliiſque animantibus ſe ſe in paludes abdendi, aut in alia climata, dum hyems ſævit, concedendi. Plerique ad Angelorum miniſterium, vel ad miraculum confugiunt, animalia in arcam deducturi. Quiſque in ſenſu ſuo abundare poteſt ſuper ratione, qua id peractum fuerit, quia facti certitudo nihil patitur detrimenti.

1 Geneſ. 11. 16, 17. 2 Geneſ. 7. 18. Geneſ. 8. 21. 22. & 9. 9.
3 Geneſ. 15. 4 Exod. 19.
5 1. Petr. 3. 20. *In qua pauci, id eſt, octo animæ ſalvæ factæ ſunt per aquam.*
6 Ibid. *Qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam &c.*
7 מכל יבאו אליך להחיות.

CAPUT VII.

Noë cum cognatione ſua ingreditur Arcam: illuc Animantia, quæ Deus ſervari voluit, compellit, Diluvium Terras obruit, omnes homines abſumit; & animantia, quæ non erant in Arca.

1 DIxitque Dominus ad eum: Ingredere tu, & omnis domus tua in arcam: te Anno ab Orbe Condito 1656
enim vidi juſtum coram me in generatione hac. 2 Ex omnibus animantibus
mundis tolle ſeptena, & ſeptena, maſculum, & fœminam; de animantibus
vero immundis duo, & duo, maſculum, & fœminam. 3 Sed & de volatilibus cœli
ſeptena, & ſeptena, maſculum, & fœminam: ut ſalvetur ſemen ſuper faciem univerſæ terræ. 4 Adhuc enim, & poſt dies ſeptem ego pluam ſuper terram quadraginta
diebus, & quadraginta noctibus, & delebo omnem ſubſtantiam, quam feci, de ſuperficie terræ. 5 Fecit ergo Noe omnia, quæ mandaverat ei Dominus. 6 Eratque
ſexcentorum annorum, quando diluvii aquæ inundaverunt ſuper terram. 7 Et ingreſſus eſt Noe, & filii ejus, uxor ejus, & uxores filiorum ejus cum eo, in arcam propter aquas diluvii. 8 De animantibus quoque mundis, & immundis, & de volucribus, & ex omni, quod movetur ſuper terram, 9 Duo & duo ingreſſa ſunt ad Noe in
arcam, maſculus, & fœmina, ſicut præceperat Dominus Noe. 10 Cumque tranſiſſent ſeptem dies, aquæ diluvii inundaverunt ſuper terram. 11 Anno ſexcenteſimo
vitæ

vitæ Noe, menſe ſecundo, ſeptimodecimo die menſis, rupti ſunt omnes fontes abyſſi
magnæ, & cataractæ cœli apertę ſunt; 12 Et facta eſt pluvia ſuper terram quadragin-
ta diebus, & quadraginta noctibus. 13 In articulo diei illius ingreſſus eſt Noe, &
Sem, & Cham, & Japheth, filii ejus; uxor illius, & tres uxores filiorum ejus cum
eis, in arcam. 14 Ipſi, & omne animal ſecundum genus ſuum; univerſaque jumenta
in genere ſuo, & omne, quod movetur ſuper terram in genere ſuo, cunctum-
que volatile ſecundum genus ſuum, univerſæ aves, omneſque volucres, 15 In-
greſſæ ſunt ad Noe in arcam, bina, & bina ex omni carne, in qua erat ſpiri-
tus vitæ. 16 Et quæ ingreſſa ſunt, maſculus, & fœmina ex omni carne intro-
ierunt, ſicut præceperat ei Deus, & incluſit eum Dominus de foris. 17 Factumque eſt
diluvium quadraginta diebus ſuper terram, & multiplicatæ ſunt aquæ, & elevaverunt
arcam in ſublime a terra. 18 Vehementer enim inundaverunt, & omnia repleve-
runt in ſuperficie terræ: porro arca ferebatur ſuper aquas. 19 Et aquæ prævalue-
runt nimis ſuper terram; opertique ſunt omnes montes excelſi ſub univerſo cœ-
lo. 20 Quindecim cubitis altior fuit aqua ſuper montes, quos operuerat. 21 Con-
ſumptaque eſt omnis caro, quæ movebatur ſuper terram, volucrum, animantium, be-
ſtiarum, omniumque reptilium, quæ reptant ſuper terram: univerſi homines, 22 Et
cuncta, in quibus ſpiraculum vitę eſt in terra, mortua ſunt. 23 Et delevit Deus
omnem ſubſtantiam, quæ erat ſuper terram, ab homine uſque ad pecus, tam re-
ptile, quam volucres cœli, & deleta ſunt de terra, remanſit autem ſolus Noe,
& qui cum eo erant in arca, 24 Obtinueruntque aquæ terram centum quinqua-
ginta diebus.

℣. 1. INGREDERE IN ARCAM.] Scilicet, Accinge te, ut ingrediaris in arcam; ingreſſus tamen eſt modo ſub hebdomadæ finem, vide ℣. 4. Deus hæc ait ad Noa decima die menſis ſecundi, anno a Noe ortu 600. ab orbe vero condito 1656.

℣. 2. EX OMNIBUS ANIMANTIBUS MUNDIS TOLLE SEPTENA, ET SEPTENA, DE IMMUNDIS VERO DUO, ET DUO.] Hebraice ſimpliciter habetur [1]: *Ex omnibus animantibus mundis tolle ſeptena, maſculum, & fœminam, de immundis vero duo, maſculum, & fœminam*. Samaritanus textus, Septuaginta [2], & Vulgata ponunt *duo duo*, dum Hebraice ſemel tantum eſt *duo*. Ex quo magna oritur differentia: quia textus hi videntur innuere duo immundorum animantium paria ingreſſa fuiſſe, mundorum vero pa- B ria ſeptem: dum Hebraicus textus ait dumtaxat, duo immunda animantia, munda vero ſeptem introiviſſe; vel animalia munda ſeptena, bina autem munda; quod idem eſt. Ita cum Jeſus Chriſtus Marci c. 6. 39. diſcipulis ſuis ait, *ut accumbere facerent omnes ſecundum contubernia ſuper viride fœnum, & diſcubuerunt in partes per centenos, & quinquagenos*; videlicet diſcumbere facti ſunt humi in diverſa contubernia diviſi, illique diſcubuerunt in diverſis ordinibus; non item vero plura contubernia, atque ordines ſimul. Et in eodem Evangeliſta Marci 6. 7. *Miſit eos binos*, ſcilicet duos, & duos ſeorſim, non autem quatuor, & quatuor.

Sententia, quæ ſeptem munda animalia, ac immunda duo in arca conſtituit, Joſepho arridet, C plerisque Patrum [3], omnibusque fere Interpretibus. Crediderunt quippe, mundorum biſſeptem animalium numerum, immundorum vero quatuor, nimium fuiſſe, quàm arca poſſet capere, neque neceſſarium ad ſpeciei incolumitatem, quod præcipuum Dei erat conſilium, cum illa iſtic claudi juſſit. Qui juxta Geometriæ regulas capacitatis, & magnitudinis arcæ inicre rationes, atque oſtenderunt ibi recondi potuiſſe omnes animantium ſpecies cum earum com- A maatibus in annum, calculos ſuos perfecerunt, habita pleruinque mundorum ſeptem, duorum vero immundorum animalium ratione.

Origenes l. 4. contra Celſum oppoſitę adhæſit ſententiæ; verum ſuperius docuimus ipſum immenſam tradidiſſe magnitudinem arcæ, & quæ non duplo, ſed ſextuplo animantia plura capere potuiſſet. Illi favit Author Quæſtionum ad Orthodoxos quæſt. 43. uti quoque Dionyſius Chartuſianus, Oleaſter, Abenezra, aliique forte nonnulli.

Quoad vero immunditiem, munditiemque animantium, de quibus loquitur Moyſes, in diverſa abierunt eruditi. Credunt aliqui, veluti Salomon Jarahi, Moyſem loqui habita ratione ſtatutorum, quæ Legis tempore ſancienda erant: perinde ac ſi præ- B cepiſſet Deus Noe, ut in arcam ſeptem eorum animalium reciperet, quæ deinde Iſraelitæ poſt legem munda cenſuerunt: atque ita innuebat Diluvii tempore Deum ob oculos habuiſſe leges, quas poſtea Iſraelitis erat traditurus.

Sed Interpretibus plerisque ſuaſum videtur, ante Diluvium factam fuiſſe inter animantia eorum diſtinctionem, quæ in ſacrificium poſſent offerri, ab iis, quæ minime poſſent; atque fortaſſe etiam poſtquam Deus hominibus facultatem impertiit, ut carnibus veſcerentur, pura fuiſſe vocata ea non ſolum, quæ in ſacrificium offerebantur, ſed ea quoque, quibus indiſcriminatim veſci liceret; ut ab illis ſecluderet, quæ nec ſacris adhiberi, neque epulis, licitum foret; non illud autem propter religionis intuitum, C ſed propter horrorem, quo ex aliis brutis afficimur, vel propter aliorum, quę inita fuiſſet, exiſtimationem, vel quę occurriſſet, indigentiam. Hęc diſtinctio a Lege naturali emanabat, vel ab interiori ſenſu, qui nos abominatione, & horrore adverſus quędam afficit animantia turpia, & fœda, vel ab animi gratia, qua illa proſequimur, quę commodis noſtris inſerviunt, & voluptatibus. Ita quoque, ut Grotius obſervat, Tacitus Hiſtor. 4. profana vocat, bruta quędam fœda, & inviſa.

Alii

1 תקח לך שבעה שבעה איש ואשתו ומן הבהמה אשר לא טהורה היא שנים איש ואשתו
2 ... εἰσάγαγε πρός σε ἑπτὰ ἑπτὰ ἄρσεν καὶ θῆλυ. ἀπὸ δὲ τῶν κτηνῶν . . . δύο δύο ἄρσεν καὶ θῆλυ.
3 Joſephus l. 1. Antiq. c. 3. Chryſoſt. hom. 24. in Geneſ. Theodor. quæſt. 50. in Gen. Hieron. l. 2. contra Jovin. Auguſt. de Civ. l. 15. c. 27. Interpretes fere omnes.

Alii credunt Deum primis hominibus inſpiraſſe, vel vivę vocis oraculo illis prodiiſſe, quas ſibi offerri animantium vellet ſpecies. Deus loquitur ad Noe, quippe quem hęc minime fugerent. Hebręorum legumlator opinatur, eoſdem fuiſſe Noe ſenſus, ac Iſraelitarum hac in re; quandoquidem ſine explicatione ulteriori ait, Noe in arcam ſeptem animantia munda compuliſſe; quod naturaliter intelligi non poterat niſi de mundis animantibus, ſecundum ipſorum conceptum, ac Legem. Geneſis poſt Legem traditam ſcripta creditur fuiſſe. Quod ita fuerit factum, hujus libri plures innuunt locutiones. Non inde vero licet arguere apud alios populos, ęque ac apud Iſraelitas, nullum fuiſſe diſcrimen carnium, quibus vel ſacris operarentur, vel in epulas uterentur. Apud Ægyptios hęc ante Moyſem ſtatuta erant diſcrimina, ſaltem quoad animantia, quę litabantur, ut per Legem intelligere fas eſt, Exod. 8. 26. Ægyptiorum ſenſa hac in re ab Iſraelitarum, aliorumque populorum ſenſibus abhorrebant, neque tantum quoad animantium, quibus utebantur, ſpecies; verum etiam quoad rationem, quę illos, ne uterentur, deterrebat. Verum hęc ſententiarum varietas minimum obeſt, quin hujus diſtinctionis antiquitas innoteſcat, & credi poteſt, diſcrimen hoc ſaltem, ęque ac Diluvium vetuſtate pręſtare.

℣. 3. De volatilibus coeli septena, et septena.] Septuaginta legunt locum hunc aliter: *De volatilibus cœli ſolito ſeptena, maſculum, & fœminam, ex iis, quæ munda ſunt; ex immundis vero bina, maſculum, & fœminam*. Noe in arcam invexit volucres ſeptem ex eorum ſingulis ſpeciebus, quæ munda ſunt, & ex immundis, in ſingulas ſpecies aves duas, veluti de quadrupedibus dictum eſt. Samaritanus textus, & Syriaca verſio idem habent: *De volatili cœlorum mundo, ſeptem ſeptem ... & de immundo, duo duo, maſculum, & fœminam*.

℣. 4. Post dies septem ego pluam super terram quadraginta diebus, &c. (℣. 10.) Cumque transiissent septem dies; aquæ diluvii inundaverunt super terram.] A die decima ſecundi menſis uſque ad decimam, & ſeptimam ejuſdem, Noe in arcam intulit, quidquid nondum intulerat; animalia tranſduxit, & demum ſeptima ineunte die ipſe quoque mane ingreſſus eſt, *in articulo diei illius*, ℣. 13. uti inferius paullo explicabimus. Noe tunc ſexcenteſimum agebat annum; quædam exemplaria Græca, unum habent ſupra ſexcenteſimum: ſed Hebraico adhæremus textui, Vulgatæ, & pleriſque Exemplarium Græcorum, quæ ſexcenteſimum aſſerunt.

Plures e Patribus, atque Interpretibus crediderunt Diluvium verno tempore inchoaſſe, ac Vere deſiiſſe; ſecundum etenim menſem, de quo loquitur Moyſes, pro ſecundo anni Sancti intellexerunt, qui menſe Niſan incipit prope Æquinoctium vernum. Magnum quippe offendere ſibi videbantur obicem, ſi Diluvium Decembri menſe inchoaſſe dixiſſent; nam juxta hanc hypotheſim homines, & animantia debebant in terram deſcendere eo tempore, quo nihil ad victum invenire potuiſſent, nec fructum aliquem ad veſcendum: cum ad hæc nulla ante hyemem aliquid metendi ſpes eſſet. Educitur quoque ad hanc ſententiam argumentum ex eo, quod Columba ad Noe oleæ ramum tulit; qui tenellus fuiſſe dicitur, veluti recens germen, quod Veri tantum convenire poteſt; quia quomodo recentia arborum germina Decembri menſe poterant inveniri, poſt totius anni diluvium?

Verum rationes hæ minimum obfuerunt, quin eruditiores Chronologi ſecundum hunc menſem, de quo Moyſes loquitur, illum intellexerint, qui noſtro Novembri menſi reſpondet, qui anni civilis ſecundus erat, qui ab Autumni Æquinoctio ordiebatur. Cum nondum hic Legislator locutus fuerit de pręcepto, quod dederat Deus, ut Annus Sanctus vere inciperetur, futurum videtur fuiſſe, ut a nullo intelligeretur, ſi menſem ſecundum in hoc ſenſu accepiſſet, quin aliud adderet; in ea pręſertim narratione, ubi de Hebręorum ſolemnitatibus nequaquam agitur. Quoad vero difficultatem hac tempeſtate pro animantibus inveniendi paſcua dici poteſt, Noe aliquandiu uſum fuiſſe adhuc iis commeatibus, qui reliqui fuerant in arca, atque animantium partem, quam ſervarat, comedere potuiſſe, expectando, donec reviviſcerent plantę, & quędam illi pręberent legumina: ali quoque potuiſſe domeſticorum animantium lacte. Demum animadverti poteſt, uti jam dictum eſt, jam ante ſex menſes montium juga detecta fuiſſe (capitibus 8. 4.), eaque potuiſſe hoc temporis ſpatio & fructus terrę, & legumina, & herbas in Noe cibum, & animantium quæ cum ipſo fuerant in arca.

℣. 11. Rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, et cataractæ Coeli apertæ sunt.] Ut Moyſis mentem circa Diluvium aſſequamur, & quomodo illud contigerit, intelligamus, in animum revocemus oportet hujus Legiſlatoris ſyſtema, ac orbem, & elementa eo in ſtatu, ac ſitu concipere, quem ille ſupponit. Quoniam minime ferme licet ambigere, ipſum innuere voluiſſe, quod per Diluvium in eumdem ſtatum terra fuerit reverſa, ac fuerat, antequam ſuperiores aquæ ab inferioribus dividerentur, & aquæ inferiores in abyſſos defluerent. Itaque Diluvii cauſas enarraturus iis utitur vocibus, quæ naturalem habent rationem ad eas, quas Geneſis initio adhibuerat, ut aquas defluxiſſe, terraſque aruiſſe edocerat.

Dixerat ille cap. 1. ℣. 6. & 7. Deum poſuiſſe aquas ſuper Firmamentum: hic ait aquas has magno impetu iterum in terras fuiſſe dilapſas; illarum violentum lapſum Nilo comparat, qui per cataractas ex Æthyopia in Ægyptum devehitur. Addit quoque abyſſos, quo inferiores aquæ receſſerant, apertas fuiſſe, [1] atque ita terram iterum iiſdem obrutam fuiſſe aquis, quæ eamdem in ipſo rerum primordio contexerant. Animo quoque concipere docet, juxta Hebræorum ideam continens eſſe miraculum, quod in ſingula momenta aquis non obruantur terræ, cum huic inſiſtant elemento, quo undique circum ambiuntur, cum illas una tantum inviſibilis manus coerceat, ne in eas effundantur terras, quæ ab hominibus, cæteriſque animantibus incoluntur. Hanc nobis ideam tribuit Scriptura: Job. 38. 10. 11. & ℣. 12., & c. 26. 10. *Circumdedi illum terminis meis, & poſui vectem, & oſtia; & dixi: uſque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos*. Et Jeremiæ c. 5. 22. *Me ergo non timebitis, dicit Dominus, & a facie mea, non dolebitis? Qui poſui arenam terminum mari, præceptum ſempiternum, quod non præteribit; & commovebuntur, & non poterunt, & intumeſcent fluctus ejus, & non tranſibunt*. Ita quoque Pſal. 103. 9. *Terminum poſuiſti, quem non tranſgredientur, neque convertentur operire terram*; Et Sapientia in Proverbiis c. 8. 27. 29. *Quando præparabat cœlos aderam, quando certa lege, & gyro vallabat abyſſos: quando circumdabat mari terminum ſuum, & legem ponebat aquis, ne tranſirent fines ſuos*. Et Amos c. 5. 8., & c. 9. 6., *qui vocat aquas maris, & effundit eas ſuper faciem terræ: Dominus nomen eſt ejus*. Vide, ſi lubet, & orationem Manaſſe apocrypham.

In eamdem abiere ſententiam Patres, & locutionibus uſi ſunt, quæ Biblicis prorſus ſunt geminæ. Non intuemur, ait S. Ambroſius l. 3. Hexaemer c. 2., mare ita efferri, ut montium jugis inacceſſis æquetur; ſed confeſtim in arena tumorem ſuum infringere, atque in ſpumas evaneſcere, veluti cancellis coercitum arena, quæ inferior ipſius aquis ſubſidet. S. Baſilius hom. 4. in Hexaemer. idem ferme ait, & admiratione capitur, quod quorumdam marium, veluti rubri

Tom. I. F

[1] Geneſ. 1. 9. 10.

bri maris, quod altius Ægypto cenſebatur, aquæ in agros proximos minime effundantur. Nonnulli veteres Philoſophi crediderunt, & ad hanc uſque diem Perſæ credunt, terram aquis innatare, ita propemodum ut pomum, vel malum medicum in aquæ ſitula poſitum innatet. Hebræi veteres non admodum ab hac aberant ſententia, quemadmodum in ea oſtendimus Diſſertatione, quæ de mundi ſyſtemate inſcribitur; ita ut juxta has hypotheſes tantum abeſt, ut Diluvium univerſale rem impoſſibilem dicas, quod e contra veluti Divinæ manus effectus reſpiciendus eſt, aquis non in ſingula momenta terram obrui, atque terram momento in imis aquis non ſubſidere.

Satis feciſſe videri poſſumus, cum Moyſis textum explicuerimus juxta conceptum, quem tribuit Scriptura de ſtructura univerſi, Hebræorum ſyſtema ſecuti; atque oſtenderimus Patres Diluvium univerſale animo concepiſſe veluti rem nequaquam incredibilem, atque impoſſibilem. Verum ut audaciam eorum, qui ſe nimis ſcire jactant, & incredulorum temeritatem infringamus, exponam 1. argumenta, quæ Diluvii probant univerſalitatem, & 2. objectionibus, quæ in hanc ſententiam jaciuntur, occurram, atque hypotheſes quaſdam proponam, ut pro virili Philoſophorum ingeniis hæc explicans facere ſatis adnitar.

Ratio princeps, & præcipua, qua Diluvii probetur univerſalitas, eſt Sacræ Scripturæ textus, qui hanc ea ratione refert, ut nemo rationabiliter queat adverſari. Moyſes ait c. 7. ℣. 18. 19., & ſequent. Aquæ *vehementer inundaverunt, & omnia repleverunt in ſuperficie terræ, & aquæ prævaluerunt nimis ſuper terram: opertique ſunt omnes montes excelſi ſub univerſo cœlo. Quindecim cubitis altior fuit aqua ſuper montes, quos operuerat; Conſumptaque eſt omnis caro, &c. remanſit autem ſolus Noe, & qui cum eo erant in Arca.* Hæc verba complectunturne Diluvii univerſalis ideam? Num in ſenſum alium poſſunt detorqueri, ni quis ſuis ſe decipi geſtiat præjudiciis, aut omnibus adverſandi cupiditate abripiatur?

2. Omnes corrupti erant; Deus in omnes voluit animadvertere; opus igitur erat, ut terram omnem aquis obrueret. *Omnis caro corruperat viam ſuam ... finis univerſæ carnis venit coram me.* Niſi Deus eam tantum orbis terrarum partem, quæ ab hominibus incolebatur, mundare voluiſſet: cur præcepiſſet, ut Arca ædificaretur, cur ex omnibus terrarum plagis omnium coegiſſet animantium ſpecies: Noe, ac familia ipſius minori ſumptu eo procedere poterant, quo pertingere non debebant aquæ Diluvii, ut Loth, filiæque ipſius receſſerunt a Sodomis, cum urbem illam Deus igne voluit abſumere.

3. Quinam aſſerere potuit Moyſes omnes terrarum populos originem deduxiſſe a Noe [1], ſi illud fateare, quod Author libri, cui Præadamitæ titulus eſt, contendit, Diluvio Noe genus Adam modo deletum fuiſſe: non item vero hominum aliorum, qui ante Adam creati fuerant, & qui in aliis terrarum partibus immorabantur?

4. Denique Judæorum conſenſus, & Chriſtianorum cum veterum, cum recentiorum una cum profanorum Authorum traditione, præbet argumentum, quod unum ſufficere poteſt adverſus inanes rationes adverſariorum; quoniam agitur tandem de facto, atque de facto miraculoſo, cui minimum officient umquam rationes ex iis, quæ occurrunt, difficultatibus erutæ. Fatemur quidem hoc eſſe miraculum, atque fide opus eſſe, ut credas.

At enim univerſalis Diluvii ſententia plura ſimul amplectitur prodigia, quæ nequaquam ſunt neceſſaria: ajunt enim, univerſas hujus orbis aquas collectas ſimul terram operire non poſſe ad eam altitudinem, quæ in Moyſe ſignificatus; neque Deum fruſtra miracula patrare. Quid enim profuiſſet terras aquis inundare, ubi nulli fuiſſent homines? Nonne amentis eſt credere, tunc omnes terras hominibus excultas fuiſſe? Iſaac Voſſius, unde hæ objectiones ſunt erutæ, ita de univerſalitate Diluvii loquitur, ut minimum dicere vereatur, hoc abſurdum eſſe, rationis defectum, & ut verbo dicam, ineptam, inanemque pietatem hoc credere. *Hoc eſt pie nugari.* Atque in reſponſione ſua ad Andream Colvium ait, falſa magnitudinis Dei illum habere ideam, qui credit, Deum facere poſſe res naturæ, & rationi adverſantes.

Addit quoque harum utrique univerſalitatem Diluvii adverſari; hoc geometricis probari poſſe argumentis; ſi aeris univerſæ nubes in aquas dilaberentur, atque terris effunderentur, numquam eſſe futurum, ut omnem terræ ſuperficiem ad ſeſquipedalem altitudinem excederent; & cum fluviorum aquæ, & marium ſuper terram defluerent, numquam quatuor mille paſſuum altitudinem aſſecuturas, ut ad elatiorum montium juga pertingerent, niſi mirum in modum rareſierent adeo, ut Arcæ ponderi ferendo non eſſent, etiamſi non ita onerata fuiſſet, ut fuiſſe dicitur. Demum illi, qui aſſerunt, Deum creaſſe alias aquarum copias, vel ex diverſis cœleſtibus corporibus in terras deſcendiſſe, ea ſupponunt, quæ Theologus nonniſi ratione adactus fatebitur; quamvis enim aer omnis, quo terra circumdatur, in aquas converteretur, non excederet tamen triginta pedes aquæ; quod maxime abeſt ab eo, quod opus eſſet, ut univerſa terræ ſuperficies, & montium cacumina tegerentur uſque ad quindecim cubitos ſuper vertices illorum.

Pluvia non decidit in eas altitudines, quæ ultra ſexcentos paſſus attolluntur; neque ex altiori deſcendit regione, neque ibi pluvia efformari poteſt, quin illico gelu conſtringatur propter maximum frigus, quod ibi regnat. Unde igitur ex fluxerunt aquæ, ut montium juga, quæ mediam aeris regionem excedunt, obtegerentur? Num dicet aliquis pluviam contra naturam ſuam reſiliiſſe [2]? Præterea quomodo potuerunt arbores ſervari aquis obrutæ Diluvii? Quommodo animantia, quæ ex Arca egreſſa ſunt, per orbem effundi potuerunt? Fateor quidem, ait Voſſius, Dei omnipotentiam ea perficere poſſe, quæ nobis impoſſibilia videntur; verum ille neque velle poteſt, neque ea patrare, quæ rationi, ac æternis naturæ legibus adverſantur. Sed rationi adverſatur cum majori ea difficultate peragere, quæ faciliori via poſſent obtineri. Naturæ vero legibus adverſatur, quod res pondere præpollentes levibus innatent rebus; quod id quod minus eſt, capiat quod majus; quod ex altiori parte, quam ubi conficiuntur, decidant pluviæ; quod Animalia Oceanum tranent, alias quæſitura terras; quod plantæ per annum aquis ſubſidentes ſerventur; verbo, quod naturæ ordo ſine neceſſitate perturbetur. Ecce objectiones præcipuas, quas intendunt in Diluvii univerſalitatem. Noſtra intereſt adniti, ut reſpondeamus.

Voſſii argumentum in ipſum poſſumus retorquere. Auctor hic particulare fuiſſe Diluvium fatetur, atque in hunc explicat ſenſum, quidquid Moyſes hoc capite docet. Sed hoc particulare Diluvium iiſdem eſt obnoxium difficultatibus, ac majoribus forte, quam Diluvium univerſale: igitur aut neges abſolute Diluvium oportet, aut Moyſem in Diluvii univerſalis explicet ſenſum, quando quidem ipſius verba naturaliter in hanc ſententiam deducunt. Dixi porro, quod Diluvii particularis opinio iiſdem ſit obnoxia difficultatibus, quas in Diluvium univerſale Voſſius opponit. En autem argumentum. Deus agere non poteſt vel adverſus rationem, vel adverſus naturæ leges; atque adverſus rationem eſt cum majori difficul-

1 Geneſ. 8. 9. & 10. 5.
2 S. Auguſtinus hanc objectionem refellit lib. 15. de Civit. Dei cap. 27. Cajetanus Voſſii ſententiam ſecutus eſt.

ficultate fieri, quod æque minori poteſt.

Sed in particularis Diluvii hypotheſi, agere Deus contra rationis, & naturæ leges, ſupponitur, illiſque inanis labor tribuitur: quia quæ neceſſitas ſuberat, ut Arcam extrui juberet, ut illuc animantia cogeret, atque intus octo compelleret homines, ut Diluvium evitarent, quod nonniſi exiguam terræ partem erat inundaturum: cum hominibus his ſignificare potuiſſet, ut in eas regiones ſecederent, quæ nondum colebantur, & quo minime debebant aquæ Diluvii pertingere? Contra naturam eſt, aquas ad quindecim cubitus ſupra cacumina montium efferri una in regione, quin in contiguas defluant terras, quæ magis in imo ſubſidunt; & contra naturæ legem eſt, navim diutius aquarum monti inſiſtere quin in montis hujus declive ſuo pondere abrepta illabatur. Talis autem erat Arcæ conſtitutio ſuper aquas particularis Diluvii, ut Voſſius idem fatetur.

Demum, legibus quoque naturæ obſtat, ut adverſarii contendunt, quod ſaltem arbores locorum eorum, qua particulare Diluvium graſſatum eſt, non fuiſſe deletas. Nihilominus ex Scriptura liquet, homines, & animantia ex Arca egreſſa ibi locorum immorata fuiſſe, qui Diluvii aquis obruti fuerant. Poſtquam diutius circa montem Ararat permanſerunt, petiere Babylonem, quo profecto, juxta Voſſii hypotheſim, Diluvium perveniſſe debuerat. Sed illic ali nequaquam potuerunt iis rebus, quæ poſt Diluvium tellus tuliſſet. Confitendum igitur eſt, plantas ſervari potuiſſe ſub aquis Diluvii univerſalis tempore, vel ea facta neganda ſunt, quæ debent admitti etiam in Diluvii particularis hypotheſi.

Alia plurima colligi poſſent contra particulare diluvium, quæ juxta Authoris hujus ſententiam non minus rationi, & naturæ ſunt abſona, quam quæ in diluvium univerſale comminiſcitur. Sed admitendum eſt, ut directis rationibus oſtendatur diluvii univerſalitas, neque rationi, neque naturæ adverſari.

Neque enim rationi adverſatur, quod in ipſis rerum originibus terræ aquis ubique fuerint opertæ. Moyſes hoc palam ait Geneſ. 1. 2. 9. & hæ aquæ veræ erant aquæ; quandoquidem ait harum aquarum congeriem id efformaſſe, quod mare vocatur, & Deum imperaſſe ſimpliciter, ut unum in locum recederent, quin loquatur de condenſatione, aliave re qua in aquas converti potuiſſent, niſi antea fuiſſent converſæ. Non igitur rationi obſtat, quod ea potentia, quæ potuit terras detegere, atque in abyſſos aquas compellere, quæ illas creationis initio obruebant, aquas has revocare potuerit, & rurſus, ut antea, in omnem terrarum orbem effundere. At undenam tanta aquarum copia? Inde profecto, quo illas olim Creator compulerat, poſtquam de montibus, & terris defluere juſſerat, uti Propheta oſtendit Pſalmo 103. 6. 7. & ſequentibus. *Abyſſus, ſicut veſtimentum, amictus ejus* [Terræ]; *ſuper montes ſtabunt aquæ; Ab increpatione tua fugient, a voce tonitrui tui formidabunt: Aſcendunt montes, & deſcendunt campi in locum, quem fundaſti eis; Terminum poſuiſti, quem non tranſgredientur, neque convertentur operire terram.*

Duntaxat igitur opus erat, ut hæ aperirentur abyſſi, atque hæc immenſa promptuaria, ut in priſtinum ſtatum reverteretur terra; quod nonne diluvii tempore ſecundum Moyſem contigit: *Rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ?* Novas creari aquas oportuiſſet, ait Voſſius; omnes nubium, & pluviarum aquæ in habitabilem terram effuſæ, ad pedis cum dimidio altitudinem, nequaquam illam obtegerent. Aſt ſi aquæ maris, aſt ſi promptuaria, quæ ſubtus terram in immenſum patent, habitabilem terram inundarent, quam Moyſes *aridam* vocat, hæ omnes aquæ nonne ſufficerent, ut terram obruerent ad eam altitudinem, quam Moyſes refert? Fatentur quidem omnes maria latius patere, quam terras; ibique eas adeſſe profunditates, ut nequeant librari. Si miraculo opus eſt, ut hæ aquæ educantur in terram, ibique aliquot menſium intervallo aſſerventur, num miraculum hoc majus eſt

A quam quod in diluvii particularis hypotheſi ſupponitur, ubi aquæ debuerunt veluti ſuſpendi, atque efferri in iis regionibus tantum, quæ ratione adhuc difficiliori inundatæ fuerunt?

Phyſice explicandum eſſet, quemadmodum aquæ Oceani potuerunt in terras effundi, atque æquilibrio ſuo excedere: quod non admodum facile factu eſt: Sed ſi quotidie ob maris æſtum reciprocantes aquas ſuper terras extolli videmus, & deinde recedere & regulari motu, & phyſicis cauſis, ac naturalibus; concipere quoque poſſumus, diluvii tempore, aquas vehementius impulſas majori vi, & copia in terras potuiſſe defluere, eaſque aliquot menſium intervallo operire. Hic tantum de majori aquarum vi agitur vel minori: & ſi pondus, aut ventum, vel extra- B ordinariam impreſſionem, quæ Oceanum opprimat, conceperis, aquas in terram illico defluere intueberis. Hac in re nihil magis naturæ adverſatur, quam quod in maris æſtu conſpicitur, ubi ad miraculum nemo confugit, quamquam phænomeni hujus cauſas forte non ſatis rite cognoſcat. Philo lib. de Abrahamo p. 278. ita diluvium explicat: ait quippe Oceanum, cum extra conſuetudinem mirum in modum aquis eſſet refertus, majori quodam impetu in Mediterraneum, & cætera defluxiſſe maria, & aquis ſtatim inſulas obrutas, ac deinde etiam continens; quibus cum pluviarum, fluminum, & fontium aquæ acceſſiſſent, terribilem hanc exundationem feciſſe, quæ omnem ſuperficiem terræ operuit.

Strabo l. 1. p. 42. l. 2. p. 79., & l. 17. p. 547. C animadvertit, Archimedem, atque Mathematicos omnes hoc velut certiſſimum principium ſtatuere, quod corpora liquida induunt naturaliter ſuperficiem rotundam, & ſphericam, dummodo fixa ſint, ac permanentia. Unde infert aquas maris non in æqua & plana ſuperficie conſiſtere, ſed ſpherica; atque niſi illis hæc eſſet forma, futurum eſſe ut in habitabiles terras effunderentur, & earum partem obruerent. Diluvium igitur non eſt naturaliter impoſſibile; atque ad illud explicandum requiritur tantum, ut concipias quaſdam naturales cauſas, quæ ſuſpenſionem hanc aquis adimant, eaſque in terras diffluere compellant; exempli gratia, primo, ſi terreſtris Globus loco excederet habita axis mundi ratione. Secundo; ſi in aere agitatio quædam contigeret, vel motus illi ſimi- D lis, quem in procellis conſpicimus. Tertio: Si aer maxime rarefieret, atque ideo levior evaderet. Quarto: Si aliqua accideret cauſa, quæ aliquo in loco, exempli gratia ſuper Oceanum, quam ſuper terras vehementius premeret: ſed hæc omnia naturalia ſunt, & poſſibilia: igitur Diluvium quoque. Nimiam montium altitudinis magnitudinem eſſe concipimus; parvitas noſtra efficit, ut eos veluti in immenſum exſurgere exiſtimemus, atque illis aliquam opinamur ineſſe proportionem cum terræ magnitudine, & aquarum copia, quæ terram ſupra dimidium contegunt. Attamen oſtenditur, marmoreæ pilæ, mediocris magnitudinis, optime lævigatæ inæqualitates, & pulverem, qui in ipſius ſuperficiem decidere poteſt, craſſas eſſe nimis, ut aliquam proportionem referant inæqualitatum inter E imas, ſummaſque terrarum partes. Pro marmoreo globulo ceream fingamus animo pilam, aut e gelu compactam, quæ in dimidia ſui parte liqueſcat; nonne luce clarius innoteſcit dilutam materiem hanc ſufficere poſſe, ut dimidiatæ pilæ partes alterius ſuperficiem tegat, ut omnes inæqualitates repleat, atque omnes altitudines excedat? Non enim hic abſoluta montium magnitudo eſt perpendenda, verum dumtaxat eorum elatio aquis Oceani comparata; quarum profunditas montes ipſos exſuperat.

Plinius hiſt. nat. l. 2. c. 102. ait, in quibuſdam Ponti Euxini locis immenſam eſſe maris profunditatem. Fabianus in Plinium eumdem ait, maximam profunditatem maris eſſe quindecim ſtadiorum; & viatores fatentur in Oceano procul a terris, maris imum non reperiri. Præterea dum montes in quibuſdam ſolummodo terrarum tractibus attolluntur, abyſſi latius ſub aquis marium patent, & ſub terris fortaſſe paſſim.

Quod de quorumdam montium altitudine aſſeritur, quos mediam regionem aeris ſuperare comminiſcuntur, ita ut numquam, nec venti, nec vapores, nec pluviæ illos excedant, id omne fabuloſum repertum eſt novarum, quæ recens initæ ſunt, cura obſervationum. Chriſtophorus Clavius in tractatu ſuo de Crepuſculis oſtendit, vapores ad stia, & quadraginta paſſuum millia attolli, neque in terris elatum adeo reperiri montem, qui in perpendiculari linea ultra quatuor mille paſſus altitudine exſurgat.

Ita quod ait Voſſius de fabuloſa impoſſibilitate, ut aquæ pluviæ altiorum montium cacumina perſingant, niſi contra naturam reſilirent, inanibus profecto innititur fundamentis: quoad vero addit, in media aeris regione aquam propter frigus non poſſe permanere, atque illico in glaciem conſtringi, reſponderi poteſt, frigoris cauſam ibi eſſe, vel aeris partium quietem, vel earum per lineam rectam motum. Sed hi obices facile pluribus rebus amoveri poſſunt quæ nulla ratione miraculoſæ ſunt; veluti nimia vaporum copia, vel calore continenti magis, & violento. Quia mediana hæc aeris regio, reſpectu frigoris, quod ibi ſævit, minime intelligenda eſt velut metaphyſicum punctum, aut ſtatutus locus; magis enim, minuſve attollitus, perinde ac magis, minuſve ſol incaleſcis; & hyeme longe propior terræ eſt, quam æſtate; vel ut dicam melius, frigus, quod in media regione aeris ſævit æſtate, ſævit quoque Hyeme in regione ima.

Sed cum mediana aeris regio in Athmoſpheræ determinato puncto ſtatueretur, ſi terra ad magnam altitudinem aquis operiretur, tunc profecto media aeris regio ad terram accederet, & calorem conciperet, prout aquæ augerentur; atque ita, hoc ſuppoſito, quod repente in terras effunderetur mare, & nubes, quæ ſunt ſupra mediam regionem aeris in pluvias converterentur; maris aquæ, & pluviarum ſuper terras ſimul collectæ ad mediam regionem elatæ, nives liquarent, quæ ſuper altiores montes ſunt, & in pluvias nubes reſolverent, quas contendunt in hac media regione eſſe in nivem coactas.

Haud minus, quam Voſſius, hic equidem miror de iis, quæ nonnolli jactitant, aquas ab aliis globis in terras decidere potuiſſe; & quamquam illud forſitan haud eſt impoſſibile, ex aliis Planetarum vorticibus in terræ vorticem delabi poſſe materiam, quæ deinde in pluviam converti queat: credimus tamen, Moyſem, cum apertas fuiſſe air Cæli cataractas, intellexiſſe tantum de aquis pluviis, quæ in majori præter morem copia fuerunt dilapſæ. Ab illis quoque noſtra abeſt ſententia, qui ad fluminum exundationem, aut perennes pluvias, aut aquarum maris elevationem confugiunt. Arbitror quippe fluvios exundare non poſſe, niſi pluviarum copia, ac nivium diſſolutione; & utraſque efficere non poſſe, ne maris aquæ in proportione quadam imminuantur; ita ut ſuper terras eadem præter propter ſit aquarum copia. Denique non aſſerimus Deum novas aquas creaſſe, neque illas rarefeciſſe, quæ in maribus ſunt, atque fluminibus: pates enim hoc pacto rarefactam aquam minime potuiſſe arcæ pondus pati.

Scimus autem, illudque vulgo tradi ſolet, vapores aeris, cum magis illis refertus eſt, numquam pondus excedere pedis, & unciarum octo aquæ; ex quo infertur, vapores hos addere nequaquam poſſe plus quam pedem & uncias octo aquæ ſuper terræ ſuperficiem, cum etiam aer ubique adeo eſſet confertus æque, ut ulterius non poſſet. Additur præterea [1], quod ſi univerſa aeris ſphera premeretur, & comprimeretur terram verſus vi, quæ ſuperius urgens compelleret inferius, ut in minimum cogeretur locum quem occupare poſſet, & in a-

A quam ferme verteretur, tunc illi unius & triginta pedum tantummodo eſſet altitudo: atque ita vapores omnes, omniſque aer in aquam converſi trium, atque triginta pedum altitudinem minime poſſent exæquare. Sanctus Auguſtinus l. 3. de Geneſi ad litteram c. 3. crediſſe videtur aerem craſſiorem in aquam Diluvii tempore fuiſſe immutatum, atque hunc ſenſum tribuit huic loco ex altera Divi Petri epiſtola c. 3. v. 5 6. ubi ſcriptum eſt, Cælos quondam periiſſe: *Hos etiam aerios Cælos, quondam periiſſe diluvio, in quadam earum, quæ Canonicæ appellantur, Epiſtola legimus. Quod neſcio, quemadmodum poſſit intelligi, niſi in aquarum naturam pinguioris hujus aeris qualitate converſa.*

Verum quin ad examen ea revocemus argumenta, quæ aſſeruntur, ut aeris gravitas probetur,
B atque oſtendatur, effectus, qui antea naturæ a vacuo abhorrenti tribuebantur, ponderi eſſe tribuendos, aut aeris elaterio, Lectorem obſecramus, ut caput 36. Diſſertationis Pelleterii de Arca Noe conſulat, ubi experimenta inveniet, quæ illis poterunt æquiponderare, quæ pro aeris gravitate afferunt; quam ſententiam aliquot ab hinc annis eruditiores Philoſophi aſſeruerunt: & fortaſſis inſeret, aeris maſſam, illius gravitatem, & aquæ copiam, quæ inde exiſtere poſſet, ſi ille confertus in aquam immutaretur, nos fugere; & injurium eſſe, velle incertis præjudiciis, ambiguiſque argumentis innixum de facto certo judicium ferre, & Divinæ potentiæ fines ſtatuere.

C Fatetur quidem Iſaac Voſſius, elatiores montes minime perpendicularis leucæ altitudinem excedere; Leuca vero duodecim millibus pedum æſtimari poteſt; atque inſuper duodecim mille aquæ pedes neceſſe eſtent, ut montes omnes obtegerentur uſque ad quindecim ſuper eorum cacumina altitudinem cubitorum. Hæc aquæ nos terres copia; tamen ſi aeris univerſa colligatur maſſa, quæ terram involvis, atque ad Lunam uſque protenditur, eaque in aquam redacta ſupponatur, habita gravitatis ratione, aquæ volumine adverſus volumen aeris in æquali pondere ſupputato juxta eorumdem hypotheſim, qui minimam eſſe ajunt aeris gravitatem; hæc aeris quantitas in aquam coacta multo majorem aquarum vim reddet, quam ad terram om-
D nem innundandam opus ſit, ad eam, quam diximus, altitudinem. Hæc autem in allato capite videri poſſunt.

Addi poteſt præterea, quod ſi aeris gravitas nihil eſt aliud, quam vis, qua recedere nititur a motus ſui centro, qui circularis circa terram ſupponitur; & ſi corporum gravitas, quæ ſunt in aere, in aeris preſſione tantum conſiſtit, qui hoc eodem circulari motu, de quo locuti ſumus, terram verſus propellit, atque in eam majori, vel minori agit vi, prout corpora magis, minuſve craſſa ſunt, ſolida, compacta, denſa, & quibus major, vel minor ineſt diſpoſitio, ut aeris motum ſequantur, quo involvuntur; ſi res ita ſe habet, ut maxime conſonum videri poteſt, ſequetur, quod numquam
E aeris ſtatui gravitas poſſit, multoque minus intelligi ad quod pondus uſque comprimi poſſet, & in aquam converti; atque ideo omnia Philoſophorum argumenta hac de re meræ imaginationes ſunt, principii petitioni incumbentes, ſcilicet quod aeri intrinſeca inſit gravitas; perinde ac gravitas iſta qualitas eſſet realis diverſa a motu, quem ille accipit, aut quem aliis corporibus tribuit.

Illud nequaquam aſſerimus, quod ante Diluvium homines ita in quaſcumque terras fuerint effuſi, ut in qualibet mundi plaga reperirentur; ſed neque oppoſitum auſim affirmare. Potuit quidem 1656. annorum intervallo totus terrarum orbis frequentaſi. Voſſius diuturnius adhuc temporis ſpatium admittit, quandoquidem uſque ad Diluvium fluxiſſe ait

1 Vide Paſchalium de gravitate aeris cap. 9.

oit annos 2256. Contendit ille, Patriarchas non niſi admodum ſero filios, eoſque parvo in numero genuiſſe; verum eæ quas attulit rationes, non impellent, ut ſententiam mutem, atque exiſtimem illis non alios fuiſſe filios, quam eos de quibus loquitur Scriptura. Non illud vero nobis negotium faceſſet, ut ex remotioribus terris, atque ultimis Americæ plagis animalia in Arcam veniſſe oſtendamus, quoniam minime arbitramur longinquius adeo fuiſſe inquirenda: ex omnibus enim ſpeciebus in Aſia quædam poterans adeſſe; atque Dei intererat, illuc ea compellere, quemadmodum ad Noe pollicitus fuerat. Nec immorabimur, ut, quemadmodum animantia in univerſas terras dilapſa fuerint, tradamus; hoc quippe noſtra non refert, ſed minime videri poteſt incredibile. Tres Orbis terrarum partes præcipuæ, videlicet Europa, Aſia, & Africa ſunt contiguę, nuque ſatis hactenus liqeet, utrum Aſia Americæ adhæreas. Ab ea vero non longe abeſſe certum eſt. Animantia plura in inſulas ab hominibus devecta fuere, vel per ſę illue tranarunt, ſive fame adacta, ſive ut ex hominum telis elaberentur, ſive alio aliquo fortuito caſu.

Univerſalitas igitur Diluvii neque rationi, neque naturæ adverſatur; ſed verum hoc ſuis miraculum, plurimæ cujus circumſtantiæ rationem excedunt, & legibus naturæ ordinariis exceptiones conſtituunt. Nec illud priſci Patres modo, Authoreſque Judæi, & Chriſtiani crediderunt: verum etiam Ethnici retulerunt, quemadmodum per veterem, naturalemque in omnes populos diffuſam traditionem acceperant. Philo univerſale diluvium probat ex maxima concharum copia, quæ in ſummis editiſſimorum montium jugis reperiebantur. Joſephus primo libro contra Appionem, Beroſum profert, qui veterum monumentorum teſtimonio eadem, quæ Moyſes, de Diluvio aſſerebat. De arca, de Noe, & de Armeniæ montibus, ubi conſtiterat arca, ipſe verba faciebat;

Abydenus apud Euſebium Præpat. l. 9. c. 12. atque S. Cyrillum Alexandrinum l. 1. adverſus Jul. narrat Seſiſtrum a Saturno certiorem factum fuiſſe de Diluvio, quod terram inundaturum erat, & Seſiſtrum, cum navim conſcendiſſet, quaſdam aves dimiſiſſe, ut quinam terrarum ſtatus eſſet, agnoſceret, & eas aves etiam tertio reverſas eſſe. Polyſthos eadem ait, quæ Abydenus, & explicite docet, quadrupedes, reptiles, & volucres in navi fuiſſe ſervatos. Lucianus libro de Syriæ Dea ait, cum homines in flagitia proruiſſent, terram aquis penitus obrutam fuiſſe, & ex omnibus hominibus Deucalionem ſuperfuiſſe, qui aquas effugerat, navis ope, in quam cum familia ſua, & cujuſque generis animantibus conſcenderat. Apollodorus Bibliot. l. 1. c. 5. Ovidius Metamorphoſ. aliique paſſim veteres iiſdem ferme vocibus Deucalionæi Diluvii meminerunt. Sed plerique cum Diluvio Nou perturbarunt, ut e circumſtantiis, quæ referuntur, innoteſcit. Diluvii univerſalis Traditio uſque inter Americæ, & Sinarum populos viguit [1].

Quædam ſyſtemata, quæ ad rationem explicandam, qua Diluvium fieri potuit, conſtituta fuerunt, me expoſiturum recepi. En autem unum ex maxime ſingularibus, quod Anglus quidam nomine Burnetus, libro, cui titulus, *Archeologiæ Philoſophicæ*, Londini edito an. 1692. ubi de veteri rerum originis doctrina agit. Hic Author ait [2] tellurem e chaos eductam, rotundam fuiſſe forma, æquam ubique ſine montibus, & vallibus, & ſimilem ferme marmoreæ pilæ ad unguem lævigatę; in hujus telluris centro magnam abyſſum fuiſſe aquis refertam, & diverſis terræ motibus Diluvium contigiſſe: quapropter cum terra hiaſſet paſſim, atque paſſim elata confuſius excreviſſet, aditum aquis aperuit, quæ impetu exilierunt e centro, ubi prius erant, ac ſuper terras effuſæ ſunt. Supponit autem, terram immutaſſe ſitum ſuum, quoniam axis ipſius planitus adamuſſim axi orbis parallelus erat, eum directe ſemper ſub æquatore moveretur: atque iſtinc factum fuiſſe, ut in priori orbis ſitu æquinoctium perpetuum ſervaretur: Zonam torridam fuiſſe equidem inhoſpitalem, uti alii quidam docuerunt Veteres; ſed in hujuſce rei compenſationem in terris reliquis perpetuum ver floruiſſe; tunc primum nec maria fuiſſe, nec pluviam, neque Iridem, & terram hanc quam incolimus, poſtquam igne fuerit abſumpta, in priorem aliquando formam eſſe redituram, donec magno illo, noviſſimoque die in fixum ſydus immutetur.

Hujus Syſtematis Author hoc Scripturis probare adnititur: Oſtendit terram, quam habitamus aliam eſſe ab ea, quæ ante Diluvium fuerat, Sancti Petri authoritate, qui in epiſt. ſecunda cap. 3. v. 5. 6. 7. ait priorem terram ex equa, & per aquam conſtitiſſe, atque ſuper aquas ab initio conditam fuiſſe, ut dicitur Pſalmo 23. c., ac propterea, ſcilicet propter ſtatum, in qua prius erat, periiſſe, & immutationem hanc, quæ contigerat, ſignum eſſe, quod poterat adhuc immutari. Hoc, inquit ille, Divi Petri argumentum erat in illos, qui terram numquam delendam eſſe arbitrabantur, Author idem credit, Sanctum Paulum quoque innuere immutationem hanc, quæ telluri contigerat, atque expectationem ipſius in priſtinum ſtatum reſtaurationis; quia ait Rom. 8. 19. 23. creaturam vanitati ſubditam fuiſſe, eamque redemptionem expectare.

Quoad terræ, quem comminiſcitur, ſitum ante Diluvium, habita ad axem Mundi ratione, ea Scripturis probare nequit; præcipue vero opinionem ſuam ſtatuis iis, quæ Authores Prophani de aureo ſæculo, aeris temperie, ac terræ fertilitate dixerunt. Credit autem diuturnam primorum hominum vitam ſitus hujus effectum fuiſſe. Iis vero innititur, quæ Veteres dicunt de Zona Torrida, quam inhabitabilem exiſtimabant; quod Sole perpendiculariter Æquatori inſiſtente, Zona hæc quædam ignei meri ſpecies eſſet, quæ in duos mundos terram divideset; ſed immutato telluris ſitu, Zona hæc potuit habitari. Veteres, qui hanc mutationem penitus ignorarunt, retinuerunt, inquit, primam traditionem, ac de torrida Zona dicere perſtiterunt, quæ e majoribus ſuis intellexerant.

Ut autem ſententiam confirmet quoad modum, quo Diluvium contingere potuit, Author obvias Diluviorum cauſas perpendit. Prior eſt fluminum exundatio, cum aggeres, quibus illa coercentur, infringunt: quæ nonniſi parvum admodum terræ tractum inundare poſſunt, qui inferior, quam ipſi fluvii, ſubſederit. Secunda Diluviorum cauſa pluviæ ſunt: verum illæ numquam magnam adeo exundationem gignere poſſunt; ideoque Diluvii univerſalis cauſa eſſe minime potuerunt. Neque Oceanus eſſe potuit, quoniam octuplo majoribus aquis fuiſſet opus, ac quas continet, ut editiores montes obtegerentur: neque locus aliquis eſt vel in cœlo, vel ſuper terram, ubi eſſe poſſit tanta aquarum copia: Demum cum ea vis aquarum inveniri potuiſſet, quæ ſatis eſſet, ignoratum fuiſſet, ubi ea locari potuiſſent, vel quo poſtea compelli. Quapropter arguit, non eſſe amplius univerſali obnoxiam Diluvio tellurem, & jure Deum arcum in Cœlo poſuiſſe inter nubes, ut nobis illud ratum faceret: Poſtrema autem ratio, qua Diluvium contingere poteſt, ea eſt, cum aliquo terræ motu hiatus panduntur, ex quibus magna egreditur aquarum copia,

1 Vide Joſeph. Acoſta, Antonium Herrera.
2 Ex Bibl. univerſ. M. Jun. 1693. Videndus eſt liber ejuſdem Burneti, cui titulus, *Telluris Theoria ſacra*, quem refutavit Kieſon.

pia, & ſuperficies terræ præterea ita diſcerpta pondere ſuo ſubſidit, & aquas ipſas ſubit. Hoc autem pacto Diluvium univerſale contigiſſe affirmat, quod ipſum Moyſem innuiſſe contendit, cum inquit abyſſum magnam ruptam fuiſſe, vel apertam. Dilabitur porro per ſingula præcipua Diluvia, de quibus profana loquitur Hiſtoria, omniaque noviſſima hac ratione eveniſſe, conatur oſtendere.

Habes hic Burneti ſyſtema de Diluvio. Quædam ille, ut patet, audacter nimia ſuppoſuit; alibi quoque audacius aliquid addit; ea, quæ Moyſes ait de Creatinne, Evæ tentatione, Diluvio, terreſtri Paradiſo, mulieris primæ creatione, nequaquam veræ hiſtoriæ loco eſſe habenda, ſed allegoriam eſſe ducendam. Illius audaciam vel ex hoc licet agnoſcas, quod aſſerit, ante Diluvium, nullos fuiſſe montes, maria nulla, contra evidens Moyſis teſtimonium; & quod futilibus adeo argumentis innixus ait, terram in alio ſitu primitus fuiſſe Aæis mundi ratione t & tunc Zonam Torridam talem fuiſſe, quemadmodum veteres illam deſcribunt. Verum quomodo paradoxum hoc pati poſſumus, totam Oceani aquam, immo nec omnes aquas mundi obtegere non poſſe editiores montes, ut Moyſes aſſerit? Quènam ergo Diluvium contigit, & unde Burnetus idem aquas haurit ad terrarum inundationem? Quandoquidem aquæ Oceani, marium cæterorum, fluviorumque ad id non ſufficiunt; quomodo aquæ illæ, quas in terræ centro ſupponit, ſufficere potuerunt? Nonne inſignem hæc contradictionem involvunt? Undenam aquæ effluxerunt, quæ Noe arcam ſuper Armeniæ montes detulerunt? Si Moyſes fabulam narrat, vel allegorice loquitur; cur tantum laborem ſubiit, ut recens Diluvii ſyſtema ſtatueret?

Alibi [s] animadvertimus quoſdam Interpretes arbitrari, quod ab initio terra æque prorſus fuerit ſuperficiei; & cum Deus imperavit, ut effluerent aquæ, terram alibi dehiſcentem ſubſediſſe, alibi vero ſurrexiſſe; Aquas autem fluxiſſe partim in cavitates, atque profunditates, ex quibus maria extiterunt, & partim in ſubterraneos ſpecus; & Diluvii tempore hæc ſub montibus abdita aquarum promptuaria erupiſſe, omneſque terras inundaſſe cum aquis marium, quæ effuſæ quoque ſunt ſuper terram; & poſt Diluvium aquas has in locum ſuum quaſque rediiſſe. Non caret difficultatibus hæc ſententia; & quidquid de hoc veteres plures [a] excogitarint, credibile admodum eſt, multo pauciora ſub terria, & montibus hujuſmodi eſſe promptuaria, quam quilibet opinatur.

Quoad vero illud, quod ſyſtematis Author ais, ante Diluvium perpetuum ver floruiſſe, nunquam ſuper terras pluiſſe, nec Iridem in cœlo apparuiſſe; Sententia hæc, quamvis ſingularis, videri tamen poſſet minime nocua, & quibuſdam loquendi rationibus apud Moyſem innixa. Exempli gratia, quod ait capite 2. ℣. 5. 6. quod juxta Hebraicum textum ita verti poteſt: *Quando creavit Deus cœlum, & terram, nondum omne virgultum agri erat in terra; nec dum omnis herba oriebatur: Quia non pluebat Dominus ſuper terram, & homo aderat ad colendam terram*. In ipſis creationis primordiis, agri nequaquam ferebant arbores, neque herbas, quomodo ferunt hodie, cum poſt hyemem plantæ recenter vere germinant: *quia non pluebat Dominus ſuper terram, & homo non erat ad colendam terram*. Itaque cum ea eſſet terra, quæ in hominis innocentis commodum creata fuerat, non magno ad fructus ferendos labore indigebat: inſternebatur illa ſemper viriditate, & fructibus: addi poteſt quod ſequitur: *Sed vapor aſcendebat e terra, & irrigabat univerſam faciem terræ*. Iſraelitæ hoc in Ægypto viderant, ubi perquam raro pluebat, & ubi agrorum cultus facillimus eſt. Homines ante Diluvium agria colendia operam navabant, ut Moyſes de Cain refert; non inde ſequitur tamen terram æque ac hodie experimur, ingratam fuiſſe, & difficilem exercendo.

Animum quoque ad ea poſſumus advertere, quæ Deus ad Noe arca egredientem ait Geneſ. cap. 9. 11. 12. 13. futurum ut Iris in nubibus videretur, & hoc ſignum eſſet promiſſionis, qua ſe terram non amplius inundaturum recipiebat. Signum hoc recens aliquid tunc eſſe debuiſſe videtur, & ideo ante diluvium nequaquam pluiſſe. Demum loquitur Moyſes Gen. 8. 13. de variis anni tempeſtatibus, quæ Diluvium erant ſubſecuturæ, perinde ac antea illæ nequaquam fuiſſent: *Cunctis diebus terræ, ſementis, & meſſis, frigus & æſtus, æſtas & hiems, nox & dies non requieſcent*. Adjici præterea poſſunt deſcriptiones, quas de aurea ætate Poetæ fecerunt, ubi perpetuum vigebat ver, ubi nec pluviæ, nec procellæ ſæviebant. Moyſes profecto loquitur Gen. 7. 4. 12. & 8. 2. de pluviis, quæ deciderunt ad augendas aquas, quæ ex abyſſis eruperant: ſignat quoque pluviarum ceſſationem; quod minime probat, ante id tempus pluiſſe. Sed levi negotio harum probationum aperitur inanitas, omniumque harum conjecturarum infirmitas. Recens hoc ſyſtema in ſe ruit, ſi verum eſt, terram ante Diluvium in eodem loco ſitam fuiſſe habita cæterarum Mundi partium ratione, ubi hodie ſita eſt; quod equidem a Moyſis narratione liquido edocemur: certum eſt ſaltem contrarium nequaquam poſſe probari. Denique ſi tunc quoque maria aderant, flumina, vapores, venti, qui aderant dubio procul, adeſſe quoque neceſſario debuerunt pluviæ, procellæ, Iris &c.

℣. 13. IN ARTICULO DIEI ILLIUS.] Hebraice בעצם היום, Geneſ. 17. 23; Exod. 12. 41. *In Corpore*, vel *in ſubſtantia illius diei*, videlicet ſecundum plures Interpretes, *In illa eadem die* decima ſeptima menſis ſecundi, vel *in plena die*, ut illud omnes intuerentur. In quibuſdam Scripturæ locis authographi verba ſignificant evidenter mane, vel crepuſculum; eamque reor locutionis hujus genuinam eſſe ſignificationem. Hebræi diem ſuum veſpere inchoabant; ita *vis, ſubſtantia, corpus diei* erat mane: hic enim ipſorum diei naturalis erat meridies.

℣. 16 INCLUSIT EUM DOMINUS DEFORIS.] Deus per angelum deforis oſtium bitumine oblinit, quod poſt ingreſſum Noe clauſit; vel Noe illud intrinſecus oblinit, ne aquæ per Januæ rimas ingrederentur.

℣. 19. OPERTIQUE SUNT OMNES MONTES EXCELSI SUB UNIVERSO CÆLO (20) QUINDECIM CUBITIS ALTIOR FUIT AQUA SUPER MONTES.] Locus hic univerſalitatem Diluvii demonſtrat; & quomodocumque diluvium contigerit, nemo ire poteſt inficias, Moyſem innuere noluiſſe, quod illud univerſam terram inundarit, & univerſa animantia, quæ non erant in Arca interierint.

℣. 22. UNIVERSI HOMINES, ET CUNCTA IN QUIBUS SPIRACULUM VITÆ EST IN TERRA, MORTUA SUNT.] Mirum admodum eſt ex magna illa hominum frequentia, qui erant ſuper terram, octo dumtaxat homines aquas Diluvii evaſiſſe. Nonnulli 1. aſſerare auſi ſunt hominum partem, qui Diluvii aquis perierant, ex inferis redemptos fuiſſe a Chriſto Jeſu, ſimul ac poſt ſuam mortem eo pervaſit, illiſque pœnitentiam prædicavit. Sanctus Petrus huic opinioni anſam tribuit, priori Epiſtola c. 3. ℣. 19. 20. inquiens: *vivificatus ſpiritu, in quo, & his, qui in carcere erant, ſpiritibus veniens prædicavit; qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in*

t Geneſ. c. 9. 10. a Ariſtoteles, Seneca, aliique.
s Vide Hieron. in Tradit. Hebr. in Geneſ. & in 1. Cap. Nahum; Rupertum l. 4. in Geneſ. c. 19.

in diebus Noe, cum fabricaretur arca. Sed Patrum A omnium, & Theologorum ſententia aſſerit, illorum neminem, qui ſemel damnati fuerunt, ex Inferis erui poſſe; quare colligitur, ſi increduli temporibus Noe in incredulitate ſua obierunt, atque in finali impœnitentia, nequaquam a Jeſu Chriſto liberatos fuiſſe, eumque ad Inferos deſcendiſſe dumtaxat, ut Sanctorum, ac Fidelium animas eriperet: & illius prædicationem, videlicet publicationem, ac ſui adventus agnitionem damnatis, ac incredulis minimum profuiſſe, & deſperationem auxiſſe. Videatur hæc quæſtio prolixius a Pererio agitata in caput 6. ℣. 13. Geneſis.

℣. 24. OBTINUERUNTQUE AQUÆ TERRAM CENTUM QUINQUAGINTA DIEBUS,] Diluvium in plenitudine ſua conſtitit, quin creſceret, decreſceretve diebus centum, & quinquaginta; ſi a quadrageſimo poſt Noe in Arcam ingreſſum, incœpetis die enumerare.

CAPUT VIII.

Diluvii aquarum Imminutio. Noe corvum emittit, Columbam deinde. Egreditur ex Arca; Deo Sacrificium offert. Dei fœdus cum Noe.

℣. 1. RECordatus autem Deus Noe, cunctorumque animantium, & omnium ju- Anno ab Orbe Condito 1657.
mentorum, quæ erant cum eo in arca, adduxit ſpiritum ſuper terram,
& imminutæ ſunt aquæ. 2 Et clauſi ſunt fontes abyſſi, & cataractæ
cœli, & prohibitæ ſunt pluviæ de cœlo. 3 Reverſæque ſunt aquæ de terra euntes,
& redeuntes; & cœperunt minui poſt centum quinquaginta dies. 4 Requievitque
arca menſe ſeptimo, vigeſimo ſeptimo die menſis, ſuper montes Armeniæ.
5 At vero aquæ ibant, & decreſcebant uſque ad decimum menſem: decimo enim
menſe, prima die menſis, apparuerunt cacumina montium. 6 Cumque tranſiſſent
quadraginta dies, aperiens Noe feneſtram arcæ, quam fecerat, dimiſit corvum:
7 Qui egrediebatur, & non revertebatur, donec ſiccarentur aquæ ſuper terram.
8 Emiſit quoque columbam poſt eum, ut videret, ſi jam ceſſaſſent aquæ ſuper faciem
terræ. 9 Quæ cum non inveniſſet ubi requieſceret pes ejus, reverſa eſt ad
eum in arcam; aquæ enim erant ſuper univerſam terram: extenditque manum, &
apprehenſam intulit in arcam. 10 Expectatis autem ultra ſeptem diebus aliis, rurſum
dimiſit columbam ex arca. 11 At illa venit ad eum ad veſperam, portans
ramum olivæ virentibus foliis in ore ſuo; intellexit ergo Noe, quod ceſſaſſent aquæ
ſuper terram. 12 Expectavitque nihilominus ſeptem alios dies, & emiſit columbam,
quæ non eſt reverſa ultra ad eum. 13 Igitur ſexcenteſimo primo anno,
primo menſe, prima die menſis, imminutæ ſunt aquæ ſuper terram; & aperiens
Noe tectum arcæ, aſpexit, viditque, quod exſiccata eſſet ſuperficies terræ. 14
Menſe ſecundo, ſeptimo, & vigeſimo die menſis areſacta eſt terra. 15 Locutus
eſt autem Deus ad Noe, dicens: 16 Egredere de arca tu, & uxor tua, filii
tui, & uxores filiorum tuorum tecum. 17 Cuncta animantia, quæ ſunt apud te,
ex omni carne, tam in volatilibus, quam in beſtiis, & univerſis reptilibus, quæ reptant
ſuper terram, educ tecum, & ingredimini ſuper terram; creſcite, & multiplicamini
ſuper eam. 18 Egreſſus eſt ergo Noe, & filii ejus, uxor illius, & uxores
filiorum ejus cum eo. 19 Sed & omnia animantia, jumenta, & reptilia, quæ
reptant ſuper terram, ſecundum genus ſuum, egreſſa ſunt de arca. 20 Ædificavit
autem Noe altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis,
obtulit holocauſta ſuper altare. 21 Odoratuſque eſt Dominus odorem ſuavitatis,
& ait: Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines: ſenſus enim, & cogitatio
humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua; non igitur ultra
percutiam omnem animam viventem, ſicut feci. 22 Cunctis diebus terræ, ſementis,
& meſſis, frigus, & æſtus, æſtas, & hyems, nox & dies, non requieſcent.

℣. 1. RECORDATUS DEUS NOE.] Deus, ut B promiſſi, quo Noe ſpoponderat Geneſ. 6. 18. ſe illum ex aquis Diluvii erepturum, fidem præſtaret, iis inſiſtit viis, quæ ad aquas abſumendas viderentur aptiores. *Adduxit Spiritum ſuper terram, & imminutæ ſunt aquæ*. Præcepit, ut ventus afflaret, & aquas in abyſſos repelleret, unde illas Domini virtus eruerat, atque in aerem vapores extulit, qui maxime harum aquarum copiam imminuerunt, ita ut decimo ſeptimo die menſis ſeptimi, qui menſe Majo reſpondet, ſenſerit Noe Arcam non amplius aquis innare. Requieverat illa Montis Ararat jugo. Theodoretus in Caten., & S. Ambroſius l. de Noe & Arca c. 16. crediderunt hic Sanctum Spiritum ſignificari verbis illis, *Adduxit Spiritum*. Rupertus Abbas l. 4. in Geneſ. c. 22. ſolem intelligere videtur, qui aquas illas exſiccavit. Sed plerique de vehementi, atque inſueto vento illud intelligunt.

℣. 3. REVERSÆQUE SUNT AQUÆ DE TERRA EUNTES

NTES, ET REDEUNTES.] Aquæ ventis agitatæ, atque impulſæ in fluctus aſſurgebant, qui ibant, & revertebantur alii ſuper alios; *Euntes, & redeuntes*, nihilominus ſemper a terra recedentes. Septuaginta vertunt [1]: *cedebat aqua, acta terra diſcedebat*.

℣. 4. REQUIEVIT ARCA MENSE SEPTIMO, VIGESIMO SEPTIMO DIE MENSIS.] Vulgata hic ſecuta eſt Septaginta: ſed Hebraice loco diei vigeſimi ſeptimi, decimus ſeptimus legitur, quod Chaldaica lectio, Samaritana, & Syriaca ſequuntur. Septuaginta & Vulgata legiſſe videntur Hebraice שבעה עשרים *Schibah heſrim* viginti ſeptem; pro שבעה עשר יום *Schibah heſer iom*, ſemptendecim dies, uti hodie legimus. Non adeo facile eſt, utra harum lectionum præſtet, judicium ferre. B Qui Vulgatam tuentur, animadvertunt nequaquam credibile videri, quod Arca montibus Ararat inſederit die eadem, qua aquæ cœperunt imminui; ſcilicet decimo ſeptimo ſeptimi menſis die, qui noviſſimus erat dierum 152. quibus Diluvium perſtitit, quin imminueretur; probabilius vero eſſe, hoc poſt dies decem contigiſſe, cum jam aquæ admodum decreverant. Alii Hebraico adhærent textui, & credunt immenſum Arcæ corpus ima ſui parte pertingere potuiſſe montium Ararat verticem. Neque enim difficile dictu eſt, illam uſque adeo refertam, quatuordecim, aut quindecim cubitis in aqua immergi potuiſſe.

SUPER MONTES ARMENIÆ.] Hebraice [2]: *Super Montes Ararat*. C Scriptura loquitur etiam de his montibus Ararat, 4. Reg. 19. 3. 7. & Iſai. 37. 38. S. Hieronymus in cap. 35. Iſaiæ ait montes Ararat, ubi arca poſt Diluvium hæſit, eſſe montis Tauri partem, quæ agris Ararat dominatur, qua Araxes defluit. Nicolaus Damaſcenus apud Joſephum Antiq. l. 1. montem hunc *Barim* vocat, eumque in Miniade ſtatuit in Armenia. Sanctus Epiphanius de hæreſib. l. 1. c. 2. illum appellat *Lubar*; ſcilicet uti alibi animadvertimus, montem Lub, aut Lubiorum, illius regionis populorum, de quibus loquitur Plinius l. 6. c. 10. S. Ambroſius de Noa & arca c. 17. montem, ubi conſedit arca, *montem quadrati* vocat. Non adeo obvium eſt, vocis hujus reperire ethymologiam, niſi forte S. Ambroſius deceptus fuerit nominis æquivoco montium D *Cardu*, vel *Cadru*: quo nomine Chaldæi Paraphraſtes hunc montem appellant. Alii *Corduenos*, vel *Cordyenos* vocant montes; Arabica verſio, *Carda*. Hi ſunt montes Gordii a Geographis cogniti, ac inter Armeniam, Mediamqua ſiti. Armeniæ nomen in totius Veteris Teſtamenti textu nuſquam reperitur. Oriri poteſt ab Aram, qui regionem illam incoluit; vel ex Hebraica voce *Har*, quæ montem ſignificat, & *Minni*, quod eſt populi nomen, de quo Jeremias 51. 27. loquitur, & qui nomen ſuum *Miniadi* tradidit, quæ eſt Armeniæ provincia.

Hiſtorici profani [3] a Joſepho, atque Euſebio allati veterem populorum traditionem confirmant, qui aſſerebant arcam, ſive Noe navim, in Armenia fuiſſe immoratam. E Beroſus ait, quod ætate ſua bitumen colligebatur, quo Noe arca, quæ vigebat adhuc, oblita fuerat, atque eodem veluti prophylactico pharmaco uti conſueverant. Armenii [4] ſemper gloriati ſunt apud ſe reliqua eſſe navis hujus fragmenta; ac hodie quoque gloriantur; neque magis conſtans hac de re quæri poteſt traditio. Attamen, cum variæ illius regionis relationes invicem conferuntur, non liquet amplius ubinam ſtatui poſſit peculiariter ille mons, ubi arca requievit. Plerique montem Ararat prope urbem Erivan eſſe dicunt; A Armenii illum Meſeſonſar vocant, hoc eſt, arcæ montem.

Joannes Struvius in itineribus ſuis narrat in monte Ararat plures eſſe eremos, ubi Chriſtiani Religioſi incolunt viri, & plerumque in montis hujus vertice Eremitam adeſſe, qui ibi clauſus omni vitæ ſuæ ſpatium degit. Refert autem ſe, cum captivus eſſet in Aſia anno 1670. a Domino ſuo coactum fuiſſe, ut ab Erivan montis hujus aſcenderet jugum, ut Religioſo viro hernia laboranti mederetur. Septem in aſcenſum impendit dies, cum in ſingulos dies quinque leucas progrederetur, & in quinas leucas Eremum inveniebat, ubi noctu quieſceret, atque ducem ad ulterius progrediendum aſſumeret. Hoc autem pacto uſque ad eam aeris re- B gionem aſcendit, ubi nubes coeunt, atque ſcribit, ſe tunc frigore interiturum putaſſe: ſed deinde temperatum magis aerem reſpirare incœpiſſe. Religioſus ille, qui cacumen obtinebat montis, teſtatus eſt, ſe viginti annorum intervallo, quibus illic morabatur, numquam frigore laboraſſe, vel æſtu, nec illic umquam ullum aſflaſſe ventum, ullamque pluviam decidiſſe. Dono autem dedit Joanni Struvio Crucem elaboratam, ajebat ille, ex arcæ ligno, quæ integra adhuc in hujus montis apice extabat. Sed Tournefort, qui omnes eos locos ſcrutatus eſt, aſſerit, omnem hanc Struvii narrationem inane commentum eſſe, & montem Ararat uſque ad verticem inacceſſum eſſe, qui ſemper nubibus obtegitur; & aliquem illuc pervadere potuiſſe irridet. C Ille autem in agro vaſtiſſimo extollitur, atque ab aliis montibus diſſitus undequaque, in inſulæ ſpeciem aſſurgit.

Viator alius ſcribit ad duodecim ab Eviran leucas qua Orientem ſpectat, Inſignem eſſe montem Ararat, quem *Macim* appallat, de nomine Mas, vel Meſech dictum, filii Aram, patris Armeniorum. Hi populi credunt per traditionem, arcam integram adhuc in hujus montis Macis vertice ſubſiſtere; & illuc neminem aſcendere potuiſſe; quod non adeo dictu eſt difficile: quoniam a medietate ad montis apicem continentibus obruta eſt nivibus, quæ numquam evaneſcunt, & per quas nequit tranſitus aperiri.

Denique celeberrimus Benjamin in itineribus ſuis D ait, ſe duorum dierum itinere a Niſibe in inſulam filii Omar perveniſſe, quæ in medio Tigri flumine interjacet ad radices montis Ararat, qui inde quatuor leucis abeſt; & refert, Omar filium Alcitab ea hujus montis jugo detraxiſſe arcæ reliquias, quæ ibi aderant, eiſque in hanc Inſulam traductis, ex lignis, quæ inde apta invenit, meſchitam extruxiſſe. Inanes fabulæ.

℣. 5. DECIMO MENSE, PRIMA DIE MENSIS.] Prima dies menſis decimi decimo nono diei Julii reſpondet, juxta Uſſerium.

℣. 6. APERIENS NOE FENESTRAM ARCÆ &c.] Septuaginta vertunt [5]: *Aperuit Noe oſtium arcæ*. At alius Interpres *feneſtram* legit, uti & Hebraicos textus. Probabilius autem eſt, corvum emiſſum E fuiſſe per magnam arcæ feneſtram, quæ cancellis clauſa eſſe poterat.

℣. 7. QUI EGREDIEBATUR, ET NON REVERTEBATUR.] Septuaginta, Syriaca verſio typis edita, omneſque Patres hic legunt cum Vulgata, *non revertebatur*: ſed Hebraice nulla adeſt negatio; neque adeſt in Chaldaica verſione, Joſepho, & Syriaca a Dydimo allata [6]. Vertunt autem *Revertebatur*. In nonnullis etiam latinis [7] exemplaribus *non* deeſt. Quæritur autem utra legendi ratio præſtet. Plerique Septuaginta, & Vulgatæ lectionem præ-

1 Καὶ ἐνεδίδου τὸ ὕδωρ πορευόμενον ἀπὸ τῆς γῆς.
2 אררט 70. Ἀραράτ; alii. Ἀρμενίας. 3 Abyden. apud Euſeb. Præpar. l. 9. c. 4. Beroſ. apud Joſephum l. 1. Antiq. c. 3. 4 Baſil. Seleuc. orat. 6. de arca Noe.
5 70. Θύραν oſtium. Alius, θυρίδα feneſtram. 6 ויצא יצוא ושוב.
7 Brug. & edit. ult. operum S. Hieron.

præferunt ; & credunt corvum arbori alicui, vel cadaveri, quod aquis innatans reperire potuit, hæſiſſe ; vel in montium vertice permanſiſſe, neque amplius fuiſſe reverſum. Alii vero arbitrantur Hebraicam lectionem minime rejiciendam, optimamque illius eſſe ſententiam ; corvum iviſſe, & rediiſſe arcæ circumvoliſantem, illiuſque tecto inſidentem, quin arcam ingrederetur. Nonnulli in hanc ſententiam Hebraicum textum vertunt : *Ultro, citroque volitans* : Alii traſferunt : *Egreſſus eſt egrediendo, & recedendo* ; Exiit, & ſemper magis ab arca receſſit. Vox *Schub*, recedere quandoque ſignificat. Vide Geneſ. 8. 3. Ruth 1. 16. Ezech. 18. 26. Sed tunc aliter conſtruitur, ac iſtic videatur.

Donec siccarentur aquæ.] Hæc locutio ſuffragari poteſt rationi illi Hebraicum textum legendi : *Egrediebatur corvus, & revertebatur ſuper arcam*, vel etiam in arcam, donec aquæ prorſus exſiccarentur. Qui Vulgatæ adhærent, tuentur hanc particulam *Donec*, non ſemper ſignificare rem poſt certum tempus factam fuiſſe : ſed ſimpliciter antea non fuiſſe factam [1] ; atque ideo argui nequaquam poſſe corvum in arcam rediiſſe, ut Hebraicus textus habet. *Avis hæc egreſſa eſt*, inquiunt illi, *nec rediit, donec aquæ penitus ſiccarentur*. Hoc vero non ſignificat, poſtquam aquæ exſiccatæ ſunt, rediiſſe. Illa neque antea, nec poſt rediit unquam.

℣. 9. Quæ cum non invenisset, ubi requiesceret pes ejus.] Montium cacumina jam detecta erant ; ſed quemadmodum terra fœda erat adhuc, & limoſa, columba illic requieſcere non potuit.

℣. 11. Portans ramum olivæ virentibus foliis.] Septuaginta, *folium olivæ, germen*. Hebraicus textus [2] non loquitur de rami hujus viriditate ; doctique plures Interpretes [3] ſimpliciter vertunt, *Folium olivæ evulſum*, vel *ramum evulſum olivæ*. Sed ſi cum Vulgata legas, *Ramum olivæ virentibus foliis*, nullum opus eſt, ut ad miraculum confugias, ut nonnulli [4] fecerunt, & dicas, ramum hunc ſub aquis ſupernaturaliter ſervatum fuiſſe ; & illum in Paradiſo terreſtri quæras, vel in Judæa, quo Diluvium minime ſæviſſe nonnulli contendunt.

Oliva arbor eſt ſemper viridis, ut oſtendit Sanctus Chryſoſtomus hom. 26. in Geneſ. & Plinius l. 16. c. 20. & Phyſici cum Plinio l. 12. c. 25. aſſerunt, illam in mari etiam, & ſub aquis floreſcere. Plinius de Rubro mari præſertim affirmat, totoque Oceano Orientali. *Rubrum (mare), & totus Orientis Oceanus refertus eſt ſilvis* ; atque inferius : *in mari rubro ſilvas vivere, laurum maxime, & olivam baccas ferentem*, &c. Theophraſtus quoque [5] ait, in mari prope Gedroſiam lauros, & olivas videri. Quare inferri poteſt, hoc forte non tantum eſſe miraculum, ac opinantur, quod plantæ ſub aquis Diluvii ſervari potuerint, & incredulorum objectiones ex hac commentitia impoſſibilitate erutas, non admodum valere. Montes diebus dumtaxat centum & quinquaginta aquis tecti fuerunt. Noe in arcam attulerat plura ſeminum, radicumque genera, quæ plantare potuit, & ſerere. Ita & hæ plantæ, & montium arbores, & magna arborum, plantarumque copia, quæ ſub aquis vivunt, ſine miraculo ſervari potuerunt. Agnoſcimus etiam quaſdam grani ſpecies, quæ pluribus annis humi defoſſæ ſervantur.

℣. 13. Sexcentesimo primo anno, primo mense, prima die mensis imminutæ sunt aquæ, &c.] Noe arcæ tectum aperuit anno ab Orbe condito 1657. ante J. C. 2347. prima die menſis, & anni, quæ vigeſimæ tertiæ Octobris diei reſpon-

A det ; ſed ex arca egreſſus non eſt, niſi die vigeſima ſeptima menſis ſecundi, quæ decimæ octavæ Decembris diei anni ejuſdem reſpondet (℣. 14.) ; ad id autem Dei expectabat imperium.

Aperiens Noe tectum arcæ.] Superiorem arcæ partem detegere incœpit, quæ plana erat more tectorum Orientalium. Crediderunt aliqui, ipſum aperiſſe feneſtram ; quæ juxta opinionem illorum ſpeciem feneſtræ, quæ in tectorum apice fieri conſuevit, referebat, vel quadrati foraminis in tecti parte ſuperiori.

℣. 17. Crescite, et multiplicamini.] Hebraice, & Chaldaice legitur ; *Creſcant, & multiplicentur* ; perinde ac animantia tantum alloqueretur Deus. Videbimus cap. 9. 1. Deum eadem di-

B centem Noe, & filiis ipſius. Plures Interpretes aſſerunt, nec homines, nec ullum ex animantibus in arca genuiſſe ; perinde ac Dei expectaſſent imperium creſcendi, & multiplicandi.

℣. 21. Odoratusque est Dominus odorem suavitatis.] Scriptura de Deo loquitur humano modo, perinde ac odor carnium adustarum illum aſficeret voluptate. Una vero cordis Noe rectitudo ſacrificium illius acceptum Deo reddere potuit. Lucianus in Prometheo Ethnicos illudit, qui humillimam Deorum ſuorum ideam haberent, qui credebant, Deos cum voluptate guſtare fumum, atque odorem victimarum Aris incenſarum. Eos autem eum aviditate lingentes effuſum victimarum ſanguinem deſcribit irridens. Si Deus a nobis expe-

C tit ſacrificia, non ideo petit, quod ipſis indigeat, ſed ut agnoſcamus ſervitutem noſtram, in qua habita illius ratione verſamur, atque repleamur ipſius beneficiis, cum æquo animo admodum munere noſtro, ut decet, functi fuerimus.

Et ait : Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines : sensus enim, et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.] Propenſio, qua homines feruntur in malum, hic ratio videtur eſſe, quæ Deum cogit, ne ultra maledicat terræ ; e contra vero capite 6. ℣. 5. intelligimus, eamdem hominis malitiam, ipſiuſque propenſionem in malum cauſam eſſe, quæ Deum impellunt, ut terras inundet, omneſque homines, & omnia animantia Diluvio de-

D leat. Liquet autem, diverſorum habita ratione, eadem peccata hominum & Dei Juſtitiam ciere, & miſericordiam ; crimen objectum eſt naturale ultricis juſtitiæ Dei, & crimen ipſum ſubjectum eſt, in quo Dei miſericordia verſatur. *Et niſi peccaſſem, quid tu concedere poſſes ?* Peccata Deum irritant, & illius ſupplicia merentur ; ſed concupiſcentia, cogitatio hominis prona in malum, exercendæ virtutis, & malo obſiſtendi difficultas ipſius cient bonitatem, eumque flectunt ad miſericordiam.

Huic loco, quem explicamus, hic ſenſus juxta Grotium tribui poteſt [6] ; *Nequaquam ultra maledicam terræ, quoniam homines in malum proni ſunt ab adoleſcentia ſua* : ego deinceps in nequiores tantum animadvertam. Omnes eſſent mulctandi, & nova in

E dies immittenda eſſent Diluvia, Bonfrerius inquit, ſi, quotieſcumque merentur, eſſent plectendi. Vel juxta Glaſſium : Poſſem homines punire propter ipſorum crimina recentibus ſuppliciis, communibus, & univerſalibus ; verum minime faciam ; Vel juxta alios : *Non maledicam ultra terræ, quamquam cor hominis, & ipſius cogitatio corrupta ſint.*

Videmus hic peccatum originale, & concupiſcentiam eum homine naſci, & criminum omnium eſſe originem. Omnes homines in corruptionis maſſa cernuntur ; omnes a nativitate nequam, omnes poſtre-

mis

1 Matth. 1. ult. Pſal. 109. 1. &c.
2 עלה זית טרף 70. Φύλλον ἐλαίας κάρφος ἐν τῷ στόματι αὐτῆς. folium olivæ, feſtucam, Sym. θαλλὸν, ramum.
3 Bonfrer. Piſcat. Aiaſvort. Malven.
4 Ambroſ. l. de Noe & arca c. 20.
5 Hiſt. Plant. l. 4. c. 8. vid. Bochar. de Animal. ſacris par. 2. l. 2. c. 6.
6 Heb. לא אוסיף לקלל עוד את האדמה בעבור האדם.

his digni ſupplicii, & nullius boni, ſine gratiæ A
miniculo, capaces. Pro his verbis, *& ait*, hebraice habetur אמר אל לבו *Dixit in corde ſuo*; dixit intra ſe. Onkelos, & Jonathan vertunt במימריה: *Dixit in ſermone ſuo*: vel *in Verbo ſuo*, quod intelligunt quidam, perinde ac Verbum ſuum, ſive Filium ſuum eſſet allocutus. Verum cum doctioribus Interpretibus arbitramur, locutionem hanc ad id non eſſe detorquendam, niſi forte ſermonis ſenſus, & Patrum traditio nos adigat, ut de Verbo æterno intelligamus: nam patet, ſæpius hanc Chaldaicam loquendi rationem, *dicere in verbo ſuo*, ſignificare dumtaxat, dicere in ſemetipſo.

Septuaginta [1]: *Animum advertens ait*. Symmachus: Sibi dixit ipſi: Arabica verſio: Dixit Prophetæ ſuo. Intelligit autem vel Meſſiam, vel Noe. Qui de B
Noe intelligunt, vertunt: *locutus eſt illi ad cor*; Deus illum conſolatus eſt; vel *Dixit ad cor ſuum*; locutus eſt ad Noe, qui erat homo juxta cor illius [2].

℣. 22. Cunctis diebus terræ, sementis, et messis, frigus, et æstus, æstas, et hiems .... non cessabunt.] Non ſatis per Scripturam liquet, an Hebræi annum in quatuor tempeſtates, uti nos hodie ſolemus, dividerent. Ex Diodoro Siculo l. 1. c. 2. p. 18. & pag. 22. & 34. didicimus Ægyptiis tres dumtaxat fuiſſe tempeſtates anni, Ver, Æſtatem, hiemem. Tacitus animadvertit, veteribus quoque Germanis tres fuiſſe anni ætates, Autumi vero nomen, & commoda illis ignota fuiſſe, *Annum quoque ipſum non in totidem digerunt ſpecies. Hiems, & Ver, & Æſtas intellectum, & vocabula habent: Autumni perinde nomen, & bona ignorantur*. Veteres Græci [3] quoque tres tantummodo anni tempeſtates noverant, quæ in ipſorum Theologia *Horæ* nuncupabantur, Jovis, & Themidos filiæ.

Moyſes palam de hieme loquitur, & æſtate; ſed reor, duabus his vocibus, quæ calori, & frigori æquivalent, ipſum omnia anni tempora complecti. Hordei meſſis exeunte Martio in Judæa peragebatur, ſationes vero ſub finem menſis Octobris fiebant; verum non liquet, ſationis nomine Moyſem innuere voluiſſe Autumnum, nec meſſis nomine, Ver. Pſalmiſta [4] Æſtatem, & Hiemem vocat, veluti duas ſolas Hebræorum anni tempeſtates: *Æſtatem, & Hiemem tu plaſmaſti ea*. Vulgata alicubi nomen habet Autumni, veluti Iſaiæ 28. 4. Sed Hebraice legitur vox *Kaitz*, quæ ſignificat Æſtatem, aut meſſis tempus, quæ menſe Aprili fiebat, vel Majo. Hebræis nulla vox eſt, quæ proprie ſignificet Ver.

Targum Jonathan in hunc locum ait, in Paleſtina ſationes fieri ſub Æquinoctium Septembris, meſſes vero ſub Æquinoctium Martii, Hiemem eſſe prope ſolſtitium Decembris, Æſtatem denique prope Junii ſolſtitium. Cophti, vel Ægyptii Autumnum ſuum incipiunt a die 15. Septembris ad 15. Decembris; Hiemem a 15. Decembris ad 15. Martii; Ver a 15. Martii ad 15. Junii; & Æſtatem a 15. Junii uſque ad 15. Septembris. Quælibet vero tempeſtas anni tres habet integros menſes.

1 Druſ. in hunc locum. Sym. εἶπε πρὸς ἑαυτὸν Aq. Th. εἶπε πρὸς καρδίαν αὐτοῦ.
2 Εἶπε διανοηθεὶς.
3 Vide Diodor. Sicul. & Euſeb. Præpar. l. 3. c. 11.
4 Pſal. 73. 17. קיץ וחרף.

CAPUT IX.

Fœdus Dei cum Noe; Iris hujus fœderis ſignum. Noe Vineam plantat: Inebriatur; ipſius nuditas detecta a Cham. Noe Maledictio in Chanaan.

Anno ab Orbe Condito 1657.

1 BEnedixitque Deus Noe, & filiis ejus. Et dixit ad eos, Creſcite, & multi-
plicamini, & replete terram. 2 Et terror veſter, ac tremor ſit ſuper cun-
cta animalia terræ, & ſuper omnes volucres cœli, cum univerſis, quæ mo-
ventur ſuper terram: omnes piſces maris manui veſtræ traditi ſunt. 3 Et omne,
quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum: quaſi olera virentia tradidi vobis
omnia. 4 Excepto, quod carnem cum ſanguine non comedetis. 5 Sanguinem
enim animarum veſtrarum requiram, de manu cunctarum beſtiarum, & de ma-
nu hominis, de manu viri, & de manu fratris ejus requiram animam homi-
nis. 6 Quicumque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius:
ad imaginem quippe Dei factus eſt homo. 7 Vos autem creſcite, &
multiplicamini, & ingredimini ſuper terram & implete eam. 8 Hæc quoque dixit
Deus ad Noe, & ad filios ejus cum eo. 9 Ecce ego ſtatuam pactum meum vo-
biſcum, & cum ſemine veſtro poſt vos: 10 Et ad omnem animam viventem,
quæ eſt vobiſcum, tam in volucribus, quam in jumentis, & pecudibus terræ cun-
ctis, quæ egreſſa ſunt de arca, & univerſis beſtiis terræ. 11 Statuam pa-
ctum meum vobiſcum, & nequaquam ultra interficietur omnis caro aquis di-
luvii, neque erit deinceps diluvium diſſipans terram. 12 Dixitque Deus: Hoc
eſt ſignum fœderis, quod do inter me, & vos, & ad omnem animam viventem,
quæ eſt vobiſcum in generationes ſempiternas; 13 Arcum meum ponam in nubi-
bus, & erit ſignum fœderis inter me, & inter terram. 14 Cumque obduxero nu-
bibus cœlum, apparebit arcus meus in nubibus. 15 Et recordabor fœderis mei,

quod

quod pepigi vobiſcum, & cum omni anima vivente, quæ carnem vegetat, & non
erunt ultra aquæ diluvii ad delendum univerſam carnem. 16 Eritque arcus meus
in nubibus, & videbo illum, & recordabor fœderis ſempiterni, quod pactum eſt
inter Deum, & omnem animam viventem univerſæ carnis, quæ eſt ſuper terram.
17 Dixitque Deus ad Noe: Hoc erit ſignum fœderis, quod conſtitui inter me, &
omnem carnem ſuper terram. 18 Erant ergo filii Noe, qui egreſſi ſunt de arca,
Sem, Cham, & Japheth: porro Cham ipſe eſt pater Chanaan. 19 Tres iſti filii
ſunt Noe, & ab his diſſeminatum eſt omne genus hominum ſuper univerſam ter-
ram. 20 Cœpitque Noe vir agricola exercere terram, & plantavit vineam: 21 Bi-
benſque vinum inebriatus eſt, & nudatus jacuit in tabernaculo ſuo. 22 Quod cum
vidiſſet Cham pater Chanaan, verenda ſcilicet patris ſui eſſe nudata, nuntiavit
duobus fratribus ſuis foras. 23 At vero Sem, & Japheth pallium impoſuerunt
humeris ſuis, & incedentes retrorſum, operuerunt verenda patris ſui, facieſque eo-
rum averſæ erant, & patris virilia non viderunt. 24 Evigilans autem Noe ex vi-
no, cum didiciſſet, quæ fecerat ei filius ſuus minor, 25 Ait: Maledictus Cha-
naan, ſervus ſervorum erit fratribus ſuis. 26 Dixitque: Benedictus Dominus
Deus Sem, ſit Chanaan ſervus ejus. 27 Dilatet Deus Japheth, & habiter in ta-
bernaculis Sem, ſitque Chanaan ſervus ejus, 28 Vixit autem Noe poſt diluvium
trecentis quinquaginta annis. 29 Et impleti ſunt omnes dies ejus nongentorum quin-
quaginta annorum, & mortuus eſt.

℣. 1. BENEDIXITQUE DEUS NOE.] Deus Noe, & filiis illius benedicit; videlicet illos comiter, ſuaviterque alloquitur, illis protectionem ſuam polliceтur, atque fœcunditatem impertit, quæ communis eſt in ſcripturis benedictio, ut maledictio eſt ſterilitas. A

℣. 2. TERROR VESTER, ET TREMOR SIT SUPER CUNCTA ANIMALIA &c.] Deus in Noe ſervat jus illud, quod antea in omnia animantia dederat Adam. Terror, quo belluæ ferociores, fortioreſque ab homine afficiuntur, imperii hujus effectus eſt, quod Deus illi tribuit, ac timoris, quem animantibus inſpiravit. Belluæ cum ſint fortiores, & plerumque majori in copia, quam nos ſimus, delere nos poſſent, niſi omnipotens manus illarum vim cohiberet, ac furorem moderaretur. B Plinius l. 8. c. 4. ait, elephantes hominis veſtigia tantum intuentes timere, & tigres pullos ſuos transferre, ſimul ac venatorem adſpexerint. Concludit autem, id hæc animantia a natura didiciſſe, hunc effectum eſſe potentiæ, quam ipſa habet in feras, quod eæ nos timeant, quamquam numquam viderint, atque pro ipſarum modulo rationem, propter quam illis verendum ſit, intelligant. *Nimirum hæc natura rerum, hæc potentia ejus, ſæviſſimas ferarum, maximaſque, numquam vidiſſe, quod debeant timere, & ſtatim intelligere, cur ſit timendum.* S. Baſilius hom. 10. in Geneſ. ait piſces ad umbram quoque hominis fugere. Vide Pererium in Geneſim 1. 26.

℣. 3. OMNE, QUOD MOVETUR, ET VIVIT ERIT VOBIS IN CIBUM.] C Hebraice legitur כל רמש; *Comedite ex omni genere reptilium viventium*. S. Juſtinus Dialog. cum Triphone, Theodoretus quæſt. 55., Bonfrerius, aliique plures inferunt ex hoc loco tunc indiſcriminatim homines cœpiſſe veſci omnibus carnium generibus, atque hac libertate uſos deinceps fuiſſe uſque ad Legem, quæ diſcrimen inter animantia conſtituit. Quidam Theologi [1] credunt etiam, ante diluvium indiſcriminatim omnium carnium uſum valuiſſe. Dominicus Soto acriter hanc opinionem tuetur in libris de Juſtitia, huic rei præſertim innixus, quod nulla vetaret lex carnium eſum, ac illarum indifferentem uſum nullum vel poſitivum, vel naturale jus prohiberet.

Alii autem credunt id, quod hic Moyſes illis verbis innuit, *Omne, quod movetur, & vivit &c.* de Animantibus puris dumtaxat eſſe intelligendum. Arabica verſio ita habet: *Omne animal, quod repit, & quod purum eſt*. Et Sanctus Hieronymus l. 2. adverſus Jovin. c. 10. animadvertit, Deum, cum videret homines naturaliter in malum ferri, ut illis adimeret cupiditatem quocumque carnium genere veſcendi, atque ipſorum prævaricationes occuparet, ipſis carnium uſum permiſiſſe: ita ut, nihilominus illis animalia pura dumtaxat permittens, palam oſtenderit, quanti abſtinentiam faceret, & Jejunium. Pater hic in eo libro maximam exemplorum congerit vim, quæ probant, Ethnicos quoque, populoſque integros quibuſdam carnibus abſtineri conſueviſſe, aut ſuperſtitione ductos, aut politicis rationibus. Exempli gratia in Ægypto, ac Paleſtina, inquit ille cap. 6. nemo vaccina veſcitur carne propter harum animantium infrequentiam; nec ibi veſcuntur tauris, bobus, & vitulis. In noſtra Provincia, addit ille, crimen veluti habetur, vitulina carne veſci, nec diu eſt, quod Imperator Valens vetuit, ne quis in omni Oriente hujus generis carnem comederet, ut hæc animalia, cum adoleviſſent, agris exercendis poſſent inſervire.

Neminem fugit, quæ eſſet Ægyptiorum, Sacerdotum, ac Philoſophorum apud plurimas gentes ſuperſtitio quoad plura eſcarum genera; quod probare videtur [2] omnibus temporibus aliquod fuiſſe inter eſcas diſcrimen; & evidenter apud Hebræos etiam ante Legem hac in re conſuetudinem valuiſſe, quæ vim Legis obtinebat, eoſque crediſſe, a Deo puratum tantummodo carnium uſum Noe fuiſſe permiſſum. Credimus tamen, ante Legem purorum, immundorumque animantium diſcrimen viguiſſe, ratione dumtaxat ſacrificiorum: nam ſi hæc diſtinctio communem vulgo obtinuiſſet uſum in populo; cur nam in Levitico prolixius adeo peculiariter munda animalia ab immundis diſtinguerentur?

℣. 4. EXCEPTO, QUOD CARNEM CUM SANGUINE NON COMEDETIS.] Hebraicus textus obſcurior eſt [3]: *Non comedes unquam carnem cum ſanguine ſuo, & anima ſua*: vel *non comedes unquam carnem cum anima ſua*;

1 A Soto de Juſtitia lib. 5. q. 1. ar. 1. Cajetan. Franc. Victoria.
2 Chryſoſt. homil. 24. in Geneſ. 3 אך בשר בנפשו דמו לא תאכלו.

ſua ; videlicet : *Non comedes unquam ſanguinem illius*. Hebræi, & Veteres paſſim credebant ſanguinem eſſe animam, vel ſaltem animæ ſedem : *Sanguis aut anima eſt, aut animæ ſedes*, ait Servius. Vide Grotium. Et Moyſes Levit. 17. 14. & Deut. 12. 23. explicite aſſerit animantium animam in ſanguine eſſe : *Anima carnis in ſanguine eſt*. Virgilius in eumdem ſenſum inquit, *Purpuream vomit ille animam*. Vomit animam cruentam. Ariſtophanes de inſectilibus, quæ ſanguinem exſugunt, ait, animam ipſam bibere [1]. Interpretes Syrus, & Samaritanus in hunc ſenſum Moyſem intellexerunt, ut ex ipſorum verſionibus percipitur. Philoſophi ſententiam hanc confirmant ; quoniam docent, ſanguinem præbere materiam ſpirituum animalium, quæ in omnes partes effunduntur, ut illis motum dent, & animalium vitam tueantur.

Nunc autem quæritur, utrum hic caverit Deus ſimpliciter, ne quis ſuffocati carne veſceretur, & cujus ſanguis rite non effluxerit ; an prohibeat etiam cocti ſanguinis coacti, vel liquentis uſum. Denique utrum crudam carnem interdicere voluerit, an, ut explicant quidam, animantis viventis divulſas exciſaſque carnes comedere. Adſunt in Scriptura duæ leges, ex quibus lux aliqua huic mandato accedere poteſt, cujus inſtauratio tantum eſſe videntur. Prior ea eſt, quæ ſcripta eſt cap. 17. Levitici ; altera vero illa Apoſtolorum eſt in Actis cap. 15. 20.

Moyſes Levit. 7. 26. & 17. 11. & 14. ſanguinem comedere vetat. Ait ille, Deum ſibi animantium ſanguinem reſervare, ut ſibi ipſi offeratur ſuper altaria, atque ut eo populorum peccata expientur. Præcipit autem, ut ſi quis ſylveſtrem feram capiat venatu, aut avem aucupetur, illius effundat ſanguinem, eumque operiat terra, & poſtea manducet, ſi ex earum erit numero, quæ manducari poſſunt. Legis hujus praxim intuemur in Hiſtoria Saul 1. Reg. 14. 32. Cum populus magnam de Philiſtæis retuliſſet prædam, incœpit magnam animalium copiam mactare in terra, quin neceſſariis uteretur præcautionibus, ut rite ſanguis effunderetur, & in terram diffiueret. Admonitus Saul, ad ſe ſaxum grande afferri juſſit, ſuper quod animalia jugulavit. Hinc autem judicium ferri poteſt de ſenſu Legis Moyſi, & mandati, quod Deus dedit Noe ; quoniam in ſpeciem profecto duæ hæ leges ſimiles videntur, uti quoque Apoſtolorum decretum, qui abſtinentiam præcipiunt, *a ſanguine, & ſuffocatis* Act. 15. 29. ſcilicet a carne animalium ſuffocatorum, quorum ſanguis effuſus non fuerit, & a ſanguine ſeu coacto, ſeu liquenti. S. Auguſtinus obſervat, præceptum Noe inditum illius fuiſſe figuram, quod Eccleſiæ ab Apoſtolis traditum eſt : ita utrumque præceptum in ſenſum eumdem eſt explicandum.

Quæritur utrum hodie quoque vigeat apud Chriſtianos ſanguinem comedendi interdictum, atque utrum ad illud adhuc teneantur ? Docti quidam [2] viri crediderunt ad hanc quoque diem Chriſtianos ad Legis hujus obſervationem teneri. Oſtenditur Lex hæc pluribus in locis ad decimum uſque, & undecimum ſæculum obſervata fuiſſe : Conciliorum ſexti, ſeptimi, octavique ſæculi plures afferuntur Canones, qui Apoſtolorum decretum inſtaurant, & veteri huic conſuetudini plurium ſæculorum uſque ad undecimum traditio ſuffragatur. Tertullianus Apolog. c. 9. Athenagoras, Minutius Felix in Octav. S. Juſtinus Apol. 1. Sancta Martyr Byblida, quæ annum circiter 179. paſſa eſt, ut Chriſtianos tuerentur, qui arguebantur, eo quod pueros enecarent, & humanum ſanguinem comederent ; Ethnicis reſpondent, a Chriſtiana Religione interdici quoque animantis cujuſquam ſanguinis eſum. Conc. Gangrenſe an. 324. can. 2. Conſt. 58. Leonis Imper. Nov. Conſtit. 58. Concilium *in Trullo* anni 692. can. 69. ſecundum Arelatenſe anni 533. can. 20. Concilium Wormatienſe anni 868. Can. 64. Papa Zacharias Epiſt. 13. anno 731. ſcribens S. Bonifacio Moguntino Archiepiſcopo unanimi prorſus ore aſſerunt ſuffocatorum animantium, & ſanguinis eſum prohiberi. Cum ſederet Leo Papa IX. Cardinalis Humbertus [3] Legatus Conſtantinopoli Græcis reſpondens oſtendit, tunc quoque temporis vulgo in Eccleſia Latina a ſuffocatis præ hominum negligentia abſtineri, ab iis, quæ ex ſe mortua eſſent, aut aquis ſubmerſa ; atque ſeveris pœnis in eos animadverti, qui gravi nulla adacti neceſſitate ex his carnibus comediſſent.

Sed fatetur ibidem, neminem ſibi religioni vertere, aves, quas aucupio venatus eſſet, comedere, aut quas canum ope cepiſſet ; atque in his omnibus Apoſtoli præcepto obtemperari, qui ait, quodcumque manducari poſſe, quod proſtat in lanio, quin ulla res moleſtiam afferat, vel conſcientiæ religionem injiciat : *Nihil interrogantes propter conſcientiam*, 1. Cor. 10. 27. S. Hieronymus in caput 44. Ezechi. ait temporibus quoque ſuis in Eccleſiis Orientalibus, & Romana obſervari maxime conſuevíſſe morem hunc abſtinendi a ſuffocatis, & ſanguine. Sed tempore eodem S. Auguſtinus lib. 32. contra Fauſtum c. 13. quomodo hæc obſervanda ſint, docet : Hæc obſervata fuiſſe ait, donec paries, qui populum Judæorum a Gentilibus ſeparabat, fractus non fuit, & Eccleſia non penitus e duobus populis coaluit. Sed poſtquam, inquit ille, nullus videtur in Eccleſia Iſraelita ſecundum carnem, non religioni vertitur mactata comedere animalia, quin ſanguis illorum effundatur ; & ſi quis hac in re ſibi cavet, ac difficultate quadam ob ſpiritus infirmitatem diſtinetur, ab aliis profecto irrideri. Suaſum omnibus namque eſt, eo, quod intrat in os, animam nequaquam coinquinari. Videri poteſt P. Alexander in diſſertatione ſua in hunc locum.

Quod autem Deus hic ait ad Noe, intellexerunt quidam, perinde ac ille cautum vellet, ne quis viventis animalis membra devoraret. Judæi ita explicant, & contendunt hoc fuiſſe Dei conſilium, ut hac lege ſymbolica homines a crudelitate in ſe ipſos deterrerentur. Inter præcepta, quæ contendunt tradita fuiſſe filiis Noe, illud eſt, ne quis *viventis animalis membrum ſumeret*, quod credunt ad illud interdictum referri, quod hic Deus propoſuit Noe ; & verum eſt ; textum in hunc ſenſum poſſe explicari. Aliunde patet, morem hunc, quamvis crudelem, atque cruentum, minime ignotum apud veteres fuiſſe ; & fieri quidem poteſt, quod hoc interdicto voluerit Deus crudelitatem hanc vel occupare, vel tollere, ſi uſum jam obtinuiſſet. Arnobius contra Gentes l. 5. ait, quondam homines viſos fuiſſe, qui cruentato ore hædorum, hircorumque, viventium, & reclamantium viſcera diſcerperent : *Caprorum reclamantium viſcera cruentatis oribus diſſipant*.

In diebus feſtis Bacchi *Mænolis* [4], aut Lymphati, prodibant homines, capite ſerpentibus redimiti, & furore quodam, vel, ſi lubet, ſacra dementia carnem crudam comedebant, quæ ex mactatis animantibus diſcerpebatur. Porphyrius de abſtin. l. 3. ait, in inſula Chios ſacrificari Baccho, cui nomen *Omadeos*, ſeu *carnium crudarum vorator* ; illi ſacrificabatur homo, qui in fruſta dilaniabatur. Eadem vigebat in inſula Tenedo conſuetudo. Lucianus [5] de Bacchantibus loquens aſſerit, illas carpere oves, & vivas adhuc diſcerpere. Sextus Empyricus [6] ait, quod, ſi membrum aliquod viventis animalis abſcin-

1 Τὸ ψυχὴν ἐκπίνειν.
2 Grotius, Salmaſius, de Courcelles, Gerard. Voſſius, Blondellus &c.
3 Humbert. Dialog. contra calum. Græc. t. 4. Bibl. PP.
4 Clem. Alex. Protrept. p. 9.   5 Lucian. περὶ ὀρχήσεως.
6 Pirrh. Hypoth. l. 3. c. 25.

abſcinditur, minime abjiciendum eſt, aut perperam humo tumulandum, ſed comedendum, ita ut noſtri ipſius pars fiet. Hucuſque evadere potuit inanis Ethnicorum religio. Has autem crudelitates vetuit Deus Noachidis, ſi penes Judæos fides eſt.

Plutarchus de defectu Oracul. crudeles has ſuperſtitiones, cum hominum Dæmoni ſacrificandorum conſuetudine, inter veteres Gentilitatis ritus conſtituit. Grotius credit recentiores Rabbinos in odium Chriſtianorum tantummodo in hunc ſenſum Dei interdictum explicaſſe. Ille enim credere videtur, verum interdicti hujus ſenſum eſſe, ne quis ſanguinem animalium extis incluſum comedat: *Botulos cruore diſtentos*, ut loquitur Tertullianus Apolog. ſect. 19. farcimina repleta ſanguine, aut res alias ſimiles. Troglodytæ [e], & Scythæ ſanguinem lacte immixtum bibunt.

℣. 5. SANGUINEM ENIM ANIMARUM VESTRARUM REQUIRAM DE MANU CUNCTARUM BESTIARUM, DE MANU HOMINIS, REQUIRAM ANIMAM HOMINIS.] Deus antea edicto caverat, ne quis animantium comederet ſanguinem; hic autem minitatur, ſi belluæ hominis effuderit ſanguinem, ſe ultionem ſumpturum, & mulctaturum eſſe, quicumque hominem interfecerit. Rabbini nonnulli apud Fagium diſtinguunt hic genera quatuor homicidii ſontium, ex quibus ſe ultionem ſumpturum minitatur Deus. Primo, qui ſe ipſos enecant: *Sanguinem animarum veſtrarum requiram*. Secundo, qui proprie manu hominem cædunt: *Quicumque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius*. Tertio, qui ſicarios, & latrones conducunt, ut inimicos ſuos interficiant: *De manu hominis, de manu viri, & fratris ejus, requiram animam hominis*. Quarto, denique, qui hominem feris exponunt, aut furioſum animal in aliquem immittunt, ut illum devoret, aut occidat: *Sanguinem animarum veſtrarum requiram de manu cunctarum beſtiarum*. Jarchi arbitratur, ante Diluvium crudelem hunc morem viguiſſe feras alendi, ut hominibus vitam adimerent.

Nonnulli pro *Sanguinem enim animarum* &c. vellent transferri, *Nunc ſanguinem* &c. vel *Sed ſanguinem* &c. Particula *enim* non admodum apta huic loco videtur, & Hebraicus textus אך æque verti probe poreſt particulis *Sed*, *Vero*, *porro*, *atqui* &c. Prior quoque ℣. 5. pars verti poſſet: *Sanguinem animarum veſtrarum*, poſt mortem veſtram, *pro vobis requiram* &c. Vel homicidium ſui ipſius puniam &c. vel, demum ulciſcar ſanguinem veſtrum, qui eſt anima veſtra, qui vos, quoad animalem vitam, animat.

DE MANU CUNCTARUM BESTIARUM.] Samaritanus textus habet, *De manu omnis viventis*. [a] Quicumque effuderit veſtrum ſanguinem, frater ſit, conſanguineus, advena, ulciſcar. Aptus admodum hic ſenſus videtur; ſed nihil obeſt, quin Vulgatam ſequamur, Hebraicum textum [3], Septuaginta, Symmachum, qui de ultione intelligunt, quam requirit Deus de belluis, cum aliquem interfecerint. Leguntur in Lege Dei [4] ſupplicia, quæ ipſe conſtituit in boves, & tauros, qui aliquem petunt cornu. Pererius credit, Deum hic alludere illi Legi, quam poſtea allaturus erat.

℣. 6. QUICUMQUE EFFUDERIT HUMANUM SANGUINEM, FUNDETUR SANGUIS ILLIUS.] En Lex Talionis inter homines conſtituta [5]; Deus permittit ulciſci ſanguinem ſanguine, mortem morte. Jus hoc a privatis, quibus primitus datum fuerat, ad Magiſtratus, ac Principes tranſiit, qui depoſiterii ſunt rationum populi, & Legum conſervatores. In novo Teſtamento Dei Filius explicavit, fines conſtituit, & modum, his Legibus, iiſque rebus, quas hactenus tulerat. Vide S. Matthæum cap. 5. ℣. 39. Textus Hebraicus [6] in plures ſenſus detorqueri poteſt, exempli gratia: *Quicumque effuderit humanum ſanguinem hominis miniſterio, fundetur ſanguis illius*, vel: *Qui palam occiderit hominem* &c. vel: *Quicumque effuderit ſanguinem, per hominem, punietur ſui ſanguinis effuſione*.

Paraphraſtes Chaldæi ita explicant: *Qui effuderit ſanguinem coram teſtibus, eadem pœna Judicis ſententia damnabitur*. Ita quoque intelligunt Rabbini. Quicumque effuderit ſanguinem, annitens, ut injuſte damnetur homo falſorum teſtium quæſtione, morte damnabitur. Author Vulgatæ verba hæc Hebraici textus באדם *Baadam*, non expreſſit, quæ verti poſſunt *in homine*, *cum homine*, *per hominem*. Hinc loci hujus tota oritur difficultas, nam verba illa referri poſſunt ad primam, vel alteram verſiculi partem, hoc modo: Quicumque effuderit humanum ſanguinem *coram aliis hominibus*, vel *alicujus hominis miniſterio*; vel: Quicumque effuderit humanum ſanguinem, morte punietur ab *hominibus*; vel juxta vulgatam veterem, & Septuaginta [7]: Quicumque effuderit humanum ſanguinem, necabitur, ut *expiet ſanguinem hunc*, vel hanc necem.

℣. 7. INGREDIMINI SUPER TERRAM, ET REPLETE EAM.] Septuaginta [8]: *Ingredimini ſuper terram, & dominamini illi*. Senſus idem etiam Hebraico textui [9] tribui poſſet.

℣. 9. ECCE EGO STATUAM PACTUM MEUM VOBISCUM, (10.) ET AD OMNEM ANIMAM VIVENTEM.] Stupor incedit locum hunc legentibus, ubi Deus aſſerit, ſe velle fœdus inire cum homine, & cum animantibus, perinde ac belluæ intellectus participes eſſent; atque ad fœdus ineundum aptæ, & ad fœderis conditiones adimplendas. Superius paullo ℣. 5. animadverti potuit, videri, Deum ſpeciem quamdam æqualitatis in homine conſtituere, ac bellua, prohibendo, ne homo animalium ſanguinem comedat, ac affirmando, ſe de belluis, quæ humanum ſanguinem effuderint, ultionem ſumpturum. Similes loquendi modos paſſim in omni Teſtamenti Veteris Scriptura invenimus, ex quibus videri poſſet, in brutis quoque aliquid cognitionis genus ſupponi. Exempli gratia, Moyſes Geneſ. 3. 1. ſerpentem nobis ob oculos objicit, qui tentat Evam, velut ex omnibus animantibus calidiſſimum; illum exhibet velut alloquentem cum Eva: Eva illi reſpondet, & cum illo verſatur. Deus loquitur ad ſerpentem, atque ipſi illa enuntiat ſupplicia, quibus eam damnat. Deus etiam poſt creationem brutorum, ea alloquitur, illis benedicit, illiſque dicit, ut creſcant, & multiplicentur. Geneſ. 1. 22. In Adam vero confert dominium, & imperium ſuper animantia.

In Lege Exod. 21. 29. morte tauri plectuntur, qui hominem cornu petierint, & belluæ, quarum adminiculo abuſi fuerint in crimen peſſimum, Levi. 20. 15. Urbes apoſtaſiæ redargutæ, Deut. 13. 15. eo quod religionem patrum ſuorum reliquerint, devoventur igni cum habitantibus, ac animalibus, quæ in ipſis ſunt. Deus diei ſeptimi requiem præcipiens, ait Exod. 23. 12. ſe illud imperare, ut quies aliqua tribuatur captivis, & brutis, quorum opera utuntur homines. Prohibet Levit. 22. 24. animalia cædi, & ligari os bovis terentis fruges in area. Deut. 25. 4. Pſalmiſta pſalm. 35. 7. aſſerit,

e Strabo lib. 7.
a מיד כל חי *de manu omnis viventis*.
3 Hebr. כל חיה. 70. παντων τῶν θηρίων. Sym. τῆς ζωῆς.
4 Exod. 21. & ſeq. 5 Grotius hic, & lib. 1. de Jure Belli, & Pacis c. 2.
6 דם האדם באדם. Vide Seldenum de Synedr. l. 1. c. 5.
7 ὁ ἐκχέων αἷμα ἀνθρώπου, ἀντὶ τοῦ αἵματος αὐτοῦ ἐκχυθήσεται.
8 Καὶ κατακυριεύσατε αὐτῆς MS. Alex. καὶ πληθύνεσθε ἐπὶ τῆς γῆς. 9 ורבו בה.

Deum miſericordiæ ſuæ effectu homines, & belluas tueri, & conſervare; illiuſque providentiam in utroſque palam oſtendit. De brutorum morte iiſdem verbis loquitur, ac de morte hominum: *Auferes Spiritum eorum, & deficient*. Et Sapiens declarat quoad obitum hominibus beſtias eſſe perſimiles: Eccleſ. 3. 18. & ſeq. *Dixi in corde meo de filiis hominum, ut probaret eos Deus, & oſtenderet ſimiles eſſe beſtiis. Idcirco unus interitus eſt hominis, & jumentorum: & æqua utriuſque conditio. Sicut moritur homo, ſic & illa moriuntur: ſimiliter ſpirant omnia, & nihil habet homo jumento amplius ..... Quis novit, ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum, & ſi ſpiritus jumentorum deſcendat deorſum*. Deus in Ægypto percutit hominum, ac brutorum primogenita, Exod. 12. & 13. ac jubet utrorumque primogenita ſibi offerri, ut Iſraelitæ ſe a Deo ſervatos fuiſſe ſestentur.

In ſcriptis Prophetarum iidem occurrunt ſenſus. Deus per Jeremiam c. 50. 51. minitatur, ſe Babylonem puniturum, homineſque deleturum, & beſtias. Ezechiel 14. & Sophonias 1. 4. easdem minas in Jeruſalem intentant. Jonas c. 3. 4. cum Ninivitis prædicaſſet imminentem urbis excidium, Ninivitæ jejunium indixerunt hominibus, & animantibus; & cum Jonas apud Deum conquetitur, quod Ninive pepercisset, Deus illi reſpondet: Cur magnæ huic civitati non parcerem, ubi tanta eſt hominum frequentia, qui dexteram manum ſuam a ſiniſtra dignoſcere neſciunt, & ubi tanta brutorum eſt copia? perinde ac magna hæc brutorum multitudo cauſa eſſe poſſet, quæ Dominum cogeret ad parcendum Ninivitis. Propheta Pſalm. 57. 5. ait, aſpidem obturare aures ſuas, ne audiat vocem venefici incantantis. Alii plurimi loci afferri poſſent, ubi Scriptura ſupponere videtur rationem in brutis. At hi loci, qui tot habent aſſeclas, & patronos, & qui ſunt adeo uniformes, ſufficiunt ad oſtendendum, quod aſſerimus, videri ſcilicet Scripturam aliquod intelligentiæ genus in beſtiis ſupponere.

Quid inde inferam? Beſtias intellectus, ac rationis compotes eſſe? Non ita ſane. Verum opinor, aut Moyſem, alioſque authores divino afflatos lumine, voluiſſe locutiones ſuas populi præjudiciis accommodare; vel popularibus his uſos eſſe præjudiciis, ut Iſraelitas edocerent, quia Deus eſſet obſervantia colendus propter illius potentiam, juſtitiam, & miſericordiam; atque ut illis ſenſus humanitatis, & pietatis erga pares ipſorum infundant, hæc eadem erga bruta animantia illis inferentes. S. Paulus aliud quoque Spiritus Sancti conſilium in his locutionibus deprehendit; ſcilicet ut nobis velut ſymbola, & figuras objiciat, quæ in rebus moralibus egregiam præferre poſſunt ſententiam, & veritati maxime conſentaneam. Lege cautum eſt, ne quis bovis liget os meſſes in area triturantis: *Numquid de bobus cura eſt Deo?* inquit Apoſtolus 1. Cor. 9. 9. Nequaquam vero: ſed nos doceri vult, illos, qui in Eccleſia laborant, laborum ſuorum dignos eſſe.

Ægyptii, a quibus majori ex parte ſenſus ſuos perceperant Hebræi, cum diutius apud illos eſſent immorati, Ægyptii inquam veluti Deos ſuos, omnia fere ſuæ regionis bruta venerabantur, eaque plena intelligentia exiſtimabant: Metempſycoſis opinionem latius in plurimas nationes diffuderant. Omnes ferme Orientis populi belluas rationis participes eſſe arbitrabantur; Arabes, Indi, Philoſophi Empedocles, Pythagoras, Gallenus, Cleotes, Eudoxius, Porphyrius, Ælianus, aliique plures: nec defuere, qui apud populos ſe ſe jactitarint, quod avium linguam intelligerent. Legimus, Eudoxium Philoſophum Pithagoræum Canum dialogum eſſe elucubratum, vel ſaltem in Græcum idioma ex Ægyptio tranſtuliſſe, in quo primitus compoſitus fuerat. Homerus Iliad. P. Achillis equis rationem tribuit, & immortalitatem, atque vitam ſenectutis infirmitatibus vacuam.

Quis miretur igitur, Hebræos rudem populum, atque inter eas gentes, quæ præ cæteris maxime inani ſuperſtitioni vacabant, & animantibus indulgebant, innutritum, ea habuiſſe præjudicia, quæ facilius eſſet reformare, ac moderari, quam penitus evellere? Moyſes ſatis eſſe arbitratur, ſi ob oculos Hebræorum animalia poſuerit, velut Dei creaturas, quibus dominatur, in quæ animadvertit, quæ ſubjicit, ac homini tradit, quæ munda, ac immunda declarat, quæ ſibi in ſacrificium jubet offerri. Satis hoc erat, ut commentitiæ immortalitatis, & divinitatis, idea tolleretur; atque ut illa juris ſui haud eſſe cognoſcerent, ratione, ac intellectu carere; quod argui faciliime poterat ab iis, qui ex principiis aliquid aliud inferre noverunt.

Rabbini [1] docent Deum tradidiſſe Noe, filiiſque illius, & per eos poſteris illorum, quædam generalia præcepta, quæ, juxta ipſos, jus naturale amplectuntur, omnibus populis Judæis, vel Gentilibus commune, quorum obedientia ipſis poſſet ad ſalutem proficere.

Poſt Legem Moyſis horum præceptorum obſervatio erat conditio, ſine qua Proſelyti domi non excipiebantur; nec fas erat ulli in promiſſa terra immorari, qui præcepta hæc non accepiſſet; neque in Hieruſalem diverſari, propterea quod erat Civitas Sancta; capite vero mulctabantur, qui leges has ignorarent. Noachidarum vero, vel filiorum Noe præcepta hic habes.

I. *De Judiciis*, ſcilicet de obedientia, & ſubmiſſione, quæ debebatur Judicibus, Juſtitiæ miniſtris, Legibus civilibus, & Politicis, ac Magiſtratibus.

II. *De Maledictione Numinis*, vel *Nominis Sanctiſſimi*. Lex hæc blaſphemias prohibet, & ſcelera, quę ad illas referuntur.

III. *De Cultu extraneo*, ſcilicet, ne Deorum exterorum novum cultum admitterent, Majoribus ſuis ignotum, ac populo extraneum: Omne ſuperſtitionis, ac ſacrilegii genus.

IV. *De Revelatione turpitudinum*. Connubia, & inceſtos, ac illicita commercia cum matre ſua, noverca, uterina ſorore, alius viri conjuge: Sodomia, vel peccatum contra naturam, brutalitas.

V. *De Sanguinis effuſione*. Homicidium, effuſio ſanguinis cujuſcumque animantis, illius etiam, quo veſci fas eſt. Sanguis hic terra operiendus eſt.

VI. *De rapina, ſeu furto*. De furto cujuſcumque generis ſit. Sub hoc præcepto comprehenditur obligatio præſtandi fidem, atque mendacii, & perjurii interdictum.

VII. *De membro animalis viventis*. Ne quis viventis animalis membrum aliquod comedat. Vide, quæ diximus §. 4. hujus capitis.

Maimonides ait priora ſex ex his præcepta tradita fuiſſe Adam, ſeptimum verum Noe; Abrahæ autem octavum impoſitum fuiſſe, nempe Circumciſionis præceptum. Ad hæc hujus Rabbini ſententia, quælibet ante Legem hominibus præcepta tradita referuntur.

Alii quidam alia adjiciunt. Rabbinus Chavinah; *de Sanguine viventis*: ne quis e viventi bruto ſanguinem ad bibendum eliceret; qui antiquitus mos erat Maſſagetarum.

Rabbinus *Chidca*: *De Caſtratione*. Vetabat autem, ne homo, vel animal quodpiam mutilaretur. Rabbinus Simeon; *De Magia*, qua lege omnes Magiæ ſpecies prohibebantur. Rabbinus Eliezer addit interdictum de animantibus diverſa ſpecie conjungen-

---

[1] In Gemar. Babyl. tit. Sanhedrin. capite 7. Vide Seldenum de Jure Nat. & Gent. lib. 1. c. ult.

gendis, ac de arborum inciſionibus.

Miſnah nihil de ſeptem his præceptis innuit; ſed Gemarra Babyloniea, & liber, cui titulus *Bereſchit Rabba*, ac Maimonides cum aliis Rabbinis de illis loquuntur, veluti de baſi juris naturalis. Pater Alexander in ea Diſſertatione, quam de his præceptis babuit, oſtendit, hæc omnia juri naturali eſſe conſentanea; ac illorum quædam invenit veſtigia in libro Job, qui Legem Moyſis non noveras. Verum hoc non probat, illa explicite tradita fuiſſe vel Adam, vel Noe. In Scriptura nequaquam inveniuntur, neque apud veteres Authores Judæos, neque Chriſtianos. Joſephus, & Philo ne verbum quidem faciunt de illis. Ea quoque diverſitas, quæ in Rabbinis reperitur, qui hæc enumerant præcepta, dubio locum præbere poteſt de illorum antiquitate; & ſenſus, quem illis tribuunt, arctatus nimis, cum iis, quæ afferunt de Proſelytorum obligatione circa domicilium, illorumque obſervandorum, ſuſpicione non caret. Credibile quidem videtur, a Mundi primordio uſque ad Legem Moyſis nullam aliam fuiſſe legem, quam naturale rationis lumen. Ethnicis cum nulla eſſet Lex, ait S. Paulus Rom. 2. 14. *ipſi ſibi lex erant*. Cuicumque populo ſua erat conſuetudo, quæ legis naturalis explicationis locum obtinebat; & quodcumque nefas Deus in Mundo permiſerit, numquam paſſus eſt, æternam hanc legem penitus antiquari.

Alii Judæi docent, Deum tradidiſſe Noe, & poſteris illius præcepta ſeptem, quæ cap. 9 Geneſis referuntur; Primum connubii legem: *Creſcite, & multiplicamini*; alterum edomandi bruta: *Terror veſter, ac tremor ſit ſuper cuncta animalia terræ*; tertium, poſſe veſci carnibus; *Omne, quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum*; quartum, abſtinendi a ſanguine: *Excepto, quod carnem cum ſanguine non comedetis*; quintum, evitandi homicidium: *Sanguinem animarum veſtrarum requiram*; ſextum, Jus interficiendi interfectores: *Quicumque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius*; ſeptimum denique, inter ſe terras, & provincias dividendi: *Ingredimini ſuper terram, & replete eam*, vel *dominamini illi*.

℣. 13. ARCUM MEUM PONAM IN NUBIBUS.] Hebræus [1], & Septuaginta: *Arcum meum pono &c.* Quo innui videtur, quod antea non eſſet. Sed ſi tellus in eodem ſitu antea fuerat, habita Solis ratione, in quo nunc eſt, ſententia hæc probari non poteſt. Iris neceſſario apparebat, ſi tunc decidebat imber. Aſt divina inſtitutione facta eſt ſignum fœderis Dei cum hominibus; & quæ prius erat naturale pluviæ ſignum, evaſit ſignum ſupernaturale, & arrha divinæ clementiæ erga homines; eodem ferme pacto, ac lapides, quibus antea nullus erat character, ſiunt ſignum fœderis inter Jacob, & Laban.

Signum Iridis tanto magis certum eſt, quod nunquam deeſſe poteſt, donec tellus in eo ſtatu, ac ſitu, quo reſpectu Solis poſita eſt, perſtiterit. Poetæ videntur aliquid confuſe de hoc fœdere inter Deum, & Noe percepiſſe, cujus Iris nota erat; utque arrha, cum Irim Deorum eſſe nuntiam fabulati ſunt. Homerus Iliad. A deſcribit Irim velut ſignum inter Deum, & homines.

Sed plerumque apud Ethnicos funeſtum erat belli, vel procellæ ſignum; perinde ferme ac fuerunt Cometæ ignorantiæ temporibus, & apud populos ſuperſtitionibus obnoxios. Poeta idem, de quo loqui modo ſumus, duo facit Iridis genera; naturale unum, alterum ſupernaturale. Poſtremum hoc ſemper infortunium aliquod prædicebat. Vide Homerum Iliad. I.

Tom. I.

A ET ERIT SIGNUM FOEDERIS INTER ME, ET INTER TERRAM.] Chaldaice; *Inter Verbum meum, & inter terram*. Filius Dei fidejuſſor eſt, ac mediator omnium Dei fœderum cum hominibus. Illa quippe fiunt tantummodo ratione, ac virtute magni, ac Divini fœderis, quod cum noſtra natura in ſua Incarnatione percuſſit. Poteſt quoque Chaldaica verſio in Vulgatæ ſenſum intelligi. Vide ℣. 21. cap. 8.

℣. 19. AB HIS DISSEMINATUM EST OMNE GENUS HOMINUM SUPER UNIVERSAM TERRAM.] Locus hic maximi roboris eſt, ut Diluvio omnes homines periiſſe, oſtendatur; & commentitios Præadamitas ante Adam creatos numquam extitiſſe, & hoc Diluvium fuiſſe univerſale.

B ℣. 20. COEPIT NOE VIR AGRICOLA EXERCERE TERRAM, ET PLANTAVIT VINEAM.] Credimus hoc poſt aliquot a Diluvio annos [2] contigiſſe; & profecto Chanaan, quem Noe maledictione percuſſit, e pueritia exceſſiſſe debebat; quoniam, quomodo potuiſſet Noe puero maledicere, cui nullus eſſet rationis uſus? Hebræi, & Theodoretus, tunc illum decem annos natum fuiſſe putant. Probabile eſt, Noe ignoraſſe meri vim, quoniam ſe ab illo decipi paſſus eſt. Aderant quoque vites, & uvæ ante Diluvium, ut aſſerit Divus Hieronymus lib. 2. contra Jovin. Sed ante ſatis hominibus fuit illius fructum dumtaxat comedere, quin vinum exprimerent. Noe poſt Diluvium hoc iniit conſilium [3], ut vitium palmites, qui aliis arboribus antea erant immixti, in unum cogeret, illoſque coleret, & merum inde premeret. Quidam Hebraicum textum ita vertunt [4]: *Noe, qui erat Agricola, plantavit, & profanavit vineam*. Hic loquendi modus, *Profanare vineam*, invenitur in Deuteronomio 20. 6. pro metere, ac vindemiare vineæ fructum prima vice. *Profanare arborem* ſignificat fructus, & meſſes illius communes facere. Tribus prioribus annis nefas erat fructus ſumere; nam cenſebantur immundi, ut conſtat ex Levit. 19. 24. 25. quarto anno colligebantur, atque Domino offerebantur; quinto vero anno illorum domini veſci poterant, illoſque in proprium uſum convertere. Noe, juxta horum authoritatem, vineam quidem ſtatim a Diluvio plantavit, & aliquot annis poſt cum illam primum vindemiaſſet, vinum bibit intemperanter.

Buxtorfius, & Lodovicus de Deo credunt verti poſſe: *Permanſit Noe vir agricola*. Hic Patriarcha agris colendis operam impendere perſtitit poſt Diluvium, quemadmodum ante illud aſſueverat. Contendunt quidam, ante Noe vinum potum fuiſſe; & impios ante Diluvium mero ſe minime abſtinuiſſe: quæ ſententia confirmatur eo, quod in ſancti Matthæi dicitur Evangelio c. 24. ℣. 38. *Sicut erant in diebus ante Diluvium comedentes, & bibentes, nubentes, nuptui tradentes* &c. At hæc Patrum non videtur fuiſſe ſententia. Syri aſſerunt, Noe in ipſorum regionibus vineam plantaſſe in eo loco, qui *Saidania* appellatur, eſtque Virgini ſacer propter illius Imaginem a Sancto Luca depictam. Sed hæ traditiones parum ſunt certæ.

℣. 21. BIBENSQUE VINUM INEBRIATUS EST.] Ebrietas Noe non fuit peccatum, ut docent Chryſoſtomus hom. 29. in Geneſ. Theodoretus quæſt. 56. in Gen. Ambroſius de Noe & Arca c. 29. Baſilius de Jejunio hom. 1., aliique Patres, quoniam, ut illi cenſent, vim, ac uſum vini ignorabat. Numquam antea vinum biberat, neque alium viderat bibentem. Si in ipſis rerum originibus cognitum fuiſſet, illud quoque inter ſacrificia ſua Domino Abel obtuliſſet. Hieronymus contra Luciferian. Auguſtinus l. 16. de Civit. Dei c. 2. lib. 22. contra Fauſtum cap. 23.

1 את קשתי נתתי בענן. 70. τὸ τόξον μου τίθημι ἐν τῇ νεφέλῃ.
2 Torniellus, & Cajetanus anno ſexto poſt Diluvium accidiſſe arbitrantur.
3 Chryſoſt. homil. 29. in Geneſ. & Theodor. quæſt. 56. in Geneſ.
4 ויחל נח איש האדמה ויטע כרם.

24. & Cyprianus Epiſt. 61. 1. in ebrietate, ac nuditate Noe Myſterium Domini noſtri Chriſti Jeſu reperiunt, expoliati, illuſi, ac a Judæis interfecti.

Nudatus est.] Hebraice יתגל, *Nudavit ſe*. Ipſe dormiens inconſulto ſe ipſum detexit; hinc autem excuſatur, ut ait Theodoret. quæſt. 56.

℣. 24. Filius suus minor.] Theodoretus quæſt. 57. & Procopius per hæc verba *Filius minor* intelligunt Chanaan; ſed cum Scriptura non niſi obiter de Chanaan locuta ſit, & cum dixerit, Cham admonuiſſe fratres ſuos de Patris ſui nuditate, credibile eſt, hic agi de Cham, qui erat minimus natu filiorum Noe.

℣. 25. Maledictus Chanaan, servus servorum erit fratribus suis.] Cur autem hic maledicitur Chanaan, cujus nullum adhuc extat crimen? Ut Cham puniretur in perſona Chanaan filii ſui, inquiunt Chryſoſtomus homil. 39. in Geneſ. Ambroſius de Noe, & Arca c. 32. Auguſtinus l. 16. de Civit. c. 1. Theodoretus quæſt. 58. Noluit Noe maledicere Cham, qui ex Arca egreſſus benedictionem acceperat a Deo; maledixit vero Chanaan, qui erat nequam; arbitratus fore, ut Cham magis Filii ſui calamitate, quam ſui ipſius infortunio doleret.

Hebrei [1] per traditionem accepere, Chanaan, cum Avum ſuum detectum vidiſſet, admonuiſſe Patrem ſuum Cham, qui cum illum adſpexiſſet, atque illuſiſſet, certiores fecit Sem, & Japheth, qui corpus patris ſui obtexerunt, ut hic refertur: Noe vero, cum evigilaſſet, & quod peractum fuerat, intellexiſſet, maledixiſſe uni Chanaan, qui mali hujus princeps extiterat cauſa. In Cham autem mala precari noluiſſe, quamquam nequiſſimum, ne alii filii, qui a Cham gigni potuerunt, & qui meliores futuri erant, quam Chanaan, iis haud eſſent pœnis obnoxii, quas nequaquam meriti fuiſſent. Alii credunt hic ſupplendam eſſe vocem *pater*; ac legendum: *Maledictus pater Chanaan*. Arabice ita profecto legitur. Septuaginta in quibuſdam exemplaribus legunt Cham, perinde ac textus, ubi Chanaan habetur, corruptus eſſet. Alii quoque legunt: *Maledictus puer Chanaan*, juxta lectionem Septuaginta.

Servus servorum erit.] Hæc Hebraica locutio. Septuaginta vertunt [2]. *Filius natus in ſervitute*; Servus in æternum, qui numquam poſſet ſuam libertatem recipere; vel potius interpunctione mutata: *Maledictus ſit filius Chanaan, ſervus erit fratrum ſuorum*; vel juxta M. S. Alexandrinum: *Maledictus ſit Chanaan ſuus filius*, ſcilicet filius Cham &c. Hæc maledictio cedebat potius in poſteritatem Chanaan, quam in ipſum. Adimpleta vero fuit, poſtquam Iſraelitæ regionem Chanaan devicerunt, ac populos illius regionis deleverunt, vel in ſæviſſimæ ſervitutis ſtatum redegerunt. Plerique interpretum noſtrorum Theodoretum quæſt. 58. Auguſtinum quæſt. 17. in Geneſ. alioſque Patres ſecuti tuentur, Noe nullo iræ, vel ultionis adactum impetu maledixiſſe Chanaan; ſed arbitrantur, prophetico afflatum ſpiritu ea prædixiſſe, quæ infelicis hujus viri poſteritati erant ceſſura; & rem probavit eventus, non niſi peculiari divinæ Providentiæ motu, Patriarcham hunc Chanaan maledixiſſe, cujus progenies omnium, quæ extiterunt, fuit nequiſſima. Moyſes ſignificare hic voluit odii cauſam, quod intercedebat inter Hebræos, qui erant filii Sem, & Chananæos filios Chanaan.

℣. 26. Benedictus Dominus Deus Sem, sit Chanaan servus ejus.] Noe cum beneficia prævideret, quibus Sem a Deo erat cumulandus, loco benedicendi Sem, gratum animum ſuum teſtatur erga Deum, qui illorum beneficiorum Author erat. Oleaſter verti poſſe cenſet: *Benedictus a Domino Deo ſit Sem*. Noe inter has benedictiones memorat tantum imperium Sem in Chanaan, quod multo poſt futurum erat, ut Iſraelitarum tempore eveniret. At præcipua Sem prærogativa ea erat, quod Deus ſingulari honore colendus eſſet in progenie illius ab Abraham, ac poſteris ipſius; atque ex illius ſemine Meſſias eſſet naſciturus. Quare quidam locum hunc ita vertunt: *Benedictus Dominus, Deus Sem*; videlicet Meſſias, qui oriri debet e progenie Sem.

℣. 27. Dilatet Deus Japheth, et habitet in tabernaculis Sem: sitque Chanaan servus ejus.] Deus dabit Japheth partem amplam, ac frequentem poſteritatem. Adeſt in Hebraico textu elegans alluſio inter nomen Japheth, ac prædictionis verba, quæ dicunt dilatatum iri: יפת אלהים ליפת *Japheth elohim lejapheth*. Sed major adhuc erit Sem prærogativa, ſcilicet quod Deus ipſe habitabit in tabernaculis illius, atque illi ſubjiciet Chanaan. Chaldaica verſio hunc ſenſum præfert: *Gloria Domini habitet in tabernaculis Sem*. Hoc autem adimpletum eſt vero cultu Dei inter Iſraelitas conſtituto. Alii in alium ſenſum intelligunt. Deus dilatet Japheth, & Japheth habitet in tabernaculis Sem. Hæc vero prophetia adimpleta eſt, cum Græci, & Romani, qui ex Japheth originem duxerant, late imperii ſui fines in Aſiam poſuere, atque regionibus Poſterorum Sem potiti fuerunt.

Patres, Hieronymus quæſt. hebraic. Auguſtinus lib. 16. c. 2. de Civit. Rupertus l. 4. in Geneſ. aliique cenſent, prædictionem hanc ſignificare converſionem Gentilium, quorum pater erat Japheth, qui ingreſſi ſunt in tabernacula Sem, videlicet, in hæreditatem Judæorum, quos in veri Dei cultu, atque ſuæ Religionis exercitio ſunt ſubſecuti. Vel, Gentiles ingreſſi ſunt in tabernacula Sem venientes in Jeſu Chriſti Eccleſiam, qui a Sem, ſecundum carnem, originem hauſerat [3].

℣. 28. Vixit Noe post Diluvium trecentis quinquaginta annis.] Omnis Noe vita fuit annorum nongentorum, & quinquaginta: obiit autem anno ab Orbe condito 2006. Vidit ille Babylonicæ Turris ædificium, & moriens terras omni vitiorum genere inquinatas reliquit. Falſus Beroſus illum vita defunctum fuiſſe ait in Italia. Magna profecto pars populorum diſperſionis, de qua ſermo erit capite ſequenti, illi eſt referenda, ſi eam aliquo peractam fuiſſe ordine credamus.

Breviter huc revocandum eſt, quidquid Patriarchæ Noe vita ſimile præfert cum Exemplari divino, cujus ille extitit figura. Noe leviter modo ſatisfecit parentum ſuorum expectationi, cum huic nomen Conſolatoris impoſuerunt; *Ipſe nos conſolabitur*, & recreabit nos in laboribus noſtris. Illos quidem præcipue conſolatus eſt expectatione [4] ſupremi Conſolatoris, cujus erat figura; atque peccato quod uſque ad Diluvium graſſatum fuerat, Juſtitiam ſubſtituens [5]. Noe juſtus fuit inter univerſam hominum omnium corruptionem: Jeſus Chriſtus carnem hominis induit, quin ulli crimini eſſet obnoxius; neque illi, quod in lucem editi a patribus noſtris accepimus, neque aliis, in quæ corruptio noſtra, & infirmitas nos præcipites agit. Noe fruſtra veritatem prædicat incredulis, atque obduratis, qui ipſius monitis aures præbere abnuentes in poſtremum corruunt interitum; Filius Dei, ipſe idem Matt. 24. 37. dies adventus ſui diebus Noe comparat; & Judæi, qui

1 Bereſchit Rabba ſect. 37. & Theodoret. quæſt. 57. in Geneſ.
2 ἐπικατάρατος Χαναὰν παῖς· οἰκέτης ἔσται τοῖς ἀδελφοῖς αὐτοῦ. MS. Alex. Χαναὰν παῖς αὐτοῦ, Alii, Χαναὰν παῖς οἰκέτης &c.
3 Juſtin. Dialog. cum Triph. Auguſt. l. 15. de Civit. c. 2. &c.
4 Rupert. in Geneſ. l. 4. c. 17.
5 Chryſoſt. homil. 21. in Geneſ.

qui monita illius, dum vixerat, neglexerunt, inevitabilis exirii laqueo ſe irretitos, eum minus arbitrabantur, agnoverunt: & infelicitas manet impios ante noviſſimum Judicii diem.

Arca, quam tanta cura, & labore ædificavit Noe, erat admirabilis figura Eccleſiæ Jeſu Chriſti: ii omnes, qui extra Arcam erant, periere, quin reſurgere poſſent: Qui extra Eccleſiam vivunt nullam queunt ſalutem ſperare. Diluvium ab Apoſtolo Petro [1] Baptiſmati comparatur; vel potius Arca eſt velut Baptiſma, quod inter peccatorum colluviem, quæ terras inondant, eos ſervat, quos Deus per hoc Sacramentum in Eccleſiam admiſit. Noe Adam ſecundo ſimilis, patri, ac humani generis reparatori, fit Author, & caput melioris poſteritatis, ſanctioris ſobolis, recentiſque populi. Ita Chriſtus Jeſus in Eccleſia ſua generationem perfectiorem conſtituit, populum propiorem Deo; reparat ille, quidquid prior Adam amiſerat, illiſque vitam reddit, quibus Pater primus dederat mortem. Denique Noe calefactus mero, irriſus a Cham, obtectus a Sem, & Japheth, denotat Chriſtum Jeſum, qui exceſſu quodam amoris ſui ſe ſe Judæis hoſtibus ſuis tradit, a quibus eauitur, male habetur, conviciis obruitur; ſed nationes ad Deum converſæ, quæ a Japheth ſignantur, & fideles Judæi, quorum Sem erat figura, illum conregunt; atque in ipſius humilitate, quæ apparebat, omnem magnitudinem, ac dignitatem, qua indutus erat, agnoſcunt.

Plerique Interpretum credunt, Noe poſt Diluvium haud genuiſſe filius; & clarius quidem hoc innuit Scriptura, cum ait, omnes terrarum populos a Japheth, Sem, & Cham originem deduxiſſe. Aliqui tamen, veluti Cajetanus, & Torniellus, credunt, alios poſt Diluvium ab eo genitos fuiſſe. Falſus Beroſus Annii Viterbienſis, triginta fuiſſe ait Titanes appellatos a *Titea* matre illorum, quam S. Epiphanius hæreſi 36. vocat *Bath-Enos*, ſeu filiam Enos conjugem Noe. Dicuntur Theutones, vel Germani orti fuiſſe a filio Noe, cui nomen Tuiſcon. Toſtatus loquitur etiam de alio hujus Patriarchæ filio, cui nomen Jonitus, ſeu Jonicus, qui Aſtronomiæ fuit inventor. Illius Hiſtoria prolixius enarrata legebatur in libro revelationum ficti Methodii. Vide Hiſt. Scholaſt. l. 1. c. 37. Verum non adeo facile omnibus his hiſtoriis fidem adhibemus, quarum nec Scriptura, neque noti, certique Authores meminere.

Probe quidem animadvertit Philo l. de premiis & pœnis, Veteres plures de Diluvio Deucalioneo locutos illud cum Diluvio Noe perturbaſſe. Plutarchus exempli gratia, in lib. *Terreſtria, an aquatica plus habeant ſolertiæ*, ait Deucalionem in navi ſua habuiſſe columbas, quarum unam cum dimiſiſſet, illa reverſa eſt; ſed cum iterum egreſſa eſt, non iterum rediit: quare conjicit Deucalion, diluvium ceſſaſſe. Lucianus de Dea Syra, de Deucalione ea omnia ferme narrat, quæ Moyſes refert de Noe, Nihil magis ſimile eſt vere Patriarchæ hujus hiſtoriæ eo, quod de Saturno Fabulæ commentæ ſunt. Hic a Poetis generationum Author, ac omnium hominum Parens vocatur. Rhea vero conjux illius hominum, Deorumque Mater appellatur. Saturno regnante aureum floruit ſæculum, pax, æquitas, bonorum communio, & linguarum conformitas. *Tanta enim juſtitiæ fuiſſe fertur*, Juſtinus ait l. 43. *ut neque ſervitrio ſub illo quiſquam, neque quidquam privatæ rei habuerit, ſed omnia communia, & indiviſa omnibus fuerint, veluti unum cunctis patrimonium eſſet*. Quæ omnia nonne ſatis ex æquo Noe congruunt.

Hoc Saturno acceptum refertur, quod terras, ac vites colere incœperit. Illi uxor Tellus tribuitur. Idem quoque ait Scriptura de Noe; eum quippe *Virum terræ*, ſeu *Agricolam* appellat capite 9. 20. Saturnalia celebrabantur in potu, ac ebrietate; in his diebus feſtis ſervis domini famulabantur. Hic mos Romæ obtinuerat, in Græcia, & Babylone. Saturnus legem rogavit, qua cautum eſt, ne quis Deos nudos adſpiceret. Hæc omnes fabulæ nonne referunt Noe, qui inconſulto vino caleſcit, & ſubjicit Chanaan fratribus ſuis? Saturni Symbolum navis erat; Saturnus, & Rhea ab Oceano, ac Theti geniti dicebantur; Saturnus pingebatur cum falce, atque filios omnes voraſſe ferebatur, demptis Jove, Neptuno, & Platone. Noe aquas Diluvii in Arca cum ſuis tribus filiis abditus effugerat; aliosque omnes homines interire conſpexerat. Juxta Scripturæ conſuetudinem ſæpius aliquid facere dicitur, qui illud fieri non vetat, & quandoque etiam, qui aliquid vaticinatur; hinc autem fingendi locus factus eſt, Saturnum filios ſuos peremiſſe. Dicitur quoque Jupiter patrem ſuum eunuchum reddidiſſe, quod Cham viderat Noe minus decenter nudatum, illudque fratribus ſuis retulerat.

Hiſtoriæ hujus veſtigia perſpicue inſpiciuntur in fabula Myrrhæ conjugis, vel, ut aliis lubet, nutricis Hammonis, & matris Adonidis. Myrrha ſimul cum Adonide, cum inveniſſet Cyniram in tabernaculo ſuo obdormientem, veſtibus detectum, & honeſto parum corporis habitu, Hammonem admonuit; hic autem fratres ſuos fecit certiores, qui Cyniræ honeſtati conſulentes, ne experrectus ſe nudum videret, illum operuerunt. Cyniras, quod evenerat, cum intellexiſſet, Adonidi maledixit, & Myrrham perſecutus eſt in Arabiam, quæ cum novem oberaſſet menſibus, in cognominem arborem immutata fuit, quæ fert Myrrham. Hammon idem eſt, qui Cham; hic nomine Jovis Ammonis in Ægypto adoratus fuit. Chanaan filius illius; ſeu Adonis, Iſidis illius conjugis cura fuit adoratus.

Saturnus mundum univerſum tribus filiis ſuis divīdit, Jovi Cœlum, Neptuno mare, Inferos Plutoni tribuit: Noe Cham, qui idem eſt ac Jupiter, Africam tradit. Veteres regionem hanc præ cæteris maxime elatam eſſe crediderunt, quippe quæ ſoli maxime ſit proxima, atque illius ardoribus expoſita. Japheth idem eſt ac Neptunus: Scriptura Japheth aſſignat inſulas; Antiquitas vero Neptuno Maris, Inſularum, & Litorum imperium impertit. *Jupiter imperium Neptuno dat Maris, ut inſulis omnibus, & quæ ſecundum mare loca ſunt, omnibus regnaret*; ait Lactantius de Falſ. Relig. l. 1. c. 2. Græciæ populi hunc velut nationis ſuæ Patrem, Authoremque venerantur. Javan Joniorum pater, & Thiras Thracum, erant filii Japheth, ut Moyſes docet. Nomen Neptuni oriri poteſt ex Hebraico *Niphtah*, dilatari, aperiri; quod congruit nomini Iapheth, atque benedictioni, quam illi dedit Noe: *Dilatet Deus Japheth*. Sem omnium filiorum Noe ſanctiſſimus, atque acceptiſſimus Deo habuit in hæreditatem Aſiam, & pulcherrimas terrarum orbis regiones. Fratribus illius inceſſit invidia. Profani finxerunt, Sem eſſe Deum Inferni, eumque appellarunt [2] *Haden*; ſeu Plutonem, ſive Orcum, & Deum divitiarum, quia poſteri illius auri, & argenti metalla invenerunt, & regiones metallis præſtantes incoluerunt. Ophir, Hevila, Saba poſteri Sem propter aurum in Scriptura celebrantur. Ethnici Typhæo, qui apud ipſos, & in Ægypto præſertim, inviſum erat numen, nomen Smy addiderunt, qui palam ad nomen Sem refertur, qui effugere non poterat odium Cham patris Ægyptiorum, quoniam a Noe Chanaan ſubjectus fuerat Sem.

Chanaan, uti ſuperius docuimus, idem eſt ac *Adonis* Ægyptiorum. Animadvertitur etiam maxime congruere Mercurio Græcorum. Hic nuntius Deorum erat, ac famulus, uti Chanaan ſervus erat fratrum

[1] Petri 3. 20. 21. [2] Ἅδης Hades.

erum ſuorum : Mercurius Deus erat Mercatorum, Viatorum, Furum, eruditarum gentium, ac Eloquentiæ. Chanaan pater erat Phœnicum, qui celeberrimi fuere Mercatores; & diutius imperium maris obtinuerunt, ac maximam ſibi famam longinquis, frequentibuſque itineribus compararunt; pluribus regionibus potiti ſunt, atque eo tempore, quo furtum non erat æque inviſum, ut hodie, in univerſis litoribus Piraticam exercuerunt. Illis Litteræ, & Scriptura acceptæ referuntur, ut ait Lucanus;

Phœnices primi, famæ ſi creditur, auſi
Manſuram rudibus vocem ſignare figuris:

In Ægyptiorum Theologia quædam Noe filiorumque ipſius trium in Arca ſervatorum monumenta extiterunt. Jupiter Rex Cœli, & Terræ filios habuit Oſirim, Tiphœum, & Apollinem. Oſiris Thebarum urbem condidit, aras erexit, & templa, vitem invenit, prior vino uſus eſt, atque homines Agriculturam edocuit. [1] Ægyptus Oſiridi tribuit, quod Noe Moyſes.

[1] Manethon apud Euſeb. lib. 2. c. 5.

CAPUT X.


Genealogia filiorum Sem, Cham, & Japheth. Regiones, quas eorum quiſque poſſedit.

℣. 1. HÆ ſunt generationes filiorum Noe, Sem, Cham, & Japheth: natique
ſunt eis filii poſt diluvium. 2 Filii Japheth: Gomer, & Magog, & Madai,
& Javan, & Thubal, & Moſoch, & Tiras. 3 Porro filii Gomer: Aſce-
nez, & Riphath, & Thogorma. 4 Filii autem Javan: Eliſa, & Tharſis, Cet-
thim, & Dodanim. 5 Ab his diviſæ ſunt inſulæ gentium in regionibus ſuis, u-
nuſquiſque ſecundum linguam ſuam, & familias ſuas in nationibus ſuis. 6 Filii
autem Cham: Chus, & Meſraim, & Phuth, & Chanaan. 7 Filii Chus: Sa-
ba, & Hevila, & Sabatha, & Regma, & Sabatacha. Filii Regma, Saba, &
Dadan. 8 Porro Chus genuit Nemrod: ipſe cœpit eſſe potens in terra. 9 Et
erat robuſtus venator coram Domino. Ob hoc exivit proverbium: Quaſi Nemrod
robuſtus venator coram Domino. 10 Fuit autem principium regni ejus Babylon,
& Arach, & Achad, & Chalanne, in terra Sennaar. 11 De terra illa egreſſus
eſt Aſſur, & ædificavit Niniven, & plateas civitatis, & Chale. 12 Reſen quo-
que inter Niniven, & Chale: hæc eſt civitas magna. 13 At vero Meſraim ge-
nuit Ludim, & Ananim, & Laabim, & Nephthuim, 14 Et Phetruſim, & Chaſ-
luim: de quibus egreſſi ſunt Philiſthiim, & Caphtorim. 15 Chanaan autem ge-
nuit Sidonem primogenitum ſuum, Hethæum, 16 Et Jebuſæum, & Amorrhæum,
& Gergeſæum. 17 Et Hevæum, & Aracæum: Sinæum, 18 Et Aradium, Sama-
ræum, & Amathæum: & per hos diſſeminati ſunt populi Chananæorum. 19 Fa-
ctique ſunt termini Chanaan venientibus a Sidone Geraram uſque Gazam, donec
ingrediaris Sodomam, & Gomorrham, & Adamam, & Seboim, uſque Leſa,
20 Hi ſunt filii Cham in cognationibus, & linguis, & generationibus, terriſque,
& gentibus ſuis. 21 De Sem quoque nati ſunt, patre omnium filiorum Heber,
fratre Japheth majore. 22 Filii Sem, Ælam, & Aſſur, & Arphaxad, & Lud,
& Aram. 23 Filii Aram: Us, & Hul, & Gether, & Mes. 24 At vero Ar-
phaxad genuit Sale: de quo ortus eſt Heber. 25 Natique ſunt Heber filii duo:
nomen uni Phaleg, eo quod in diebus ejus diviſa ſit terra: & nomen fratris ejus
Jectan. 26 Qui Jectan genuit Elmodad, & Saleph, & Aſarmoth, Jare, 27 Et
Aduram, & Uzal, & Decla, 28 Et Ebal, & Abimael, Saba, 29 Et Ophir,
& Hevila, & Jobab: omnes iſti, filii Jectan. 30 Et facta eſt habitatio eorum
de Meſſa pergentibus uſque Sephar montem orientalem. 31 Iſti ſunt filii Sem,
ſecundum cognationes, & linguas, & regiones in gentibus ſuis. 32 Hæ familiæ
Noe juxta populos, & nationes ſuas. Ab his diviſæ ſunt gentes in terra poſt
diluvium.

ANtequam capitis hujus explicationem aggrediamur, operæ me facturum duxi pretium, ſi generice quædam de iis, quæ continet, animadverterim.

I. Non niſi conjecturæ plerumque afferri poſſunt de regionibus poſterorum Noe, de quibus ſermo hic habetur. In omnibus rebus his non eſt, cur invictas rationes expectes; ſatis eſſe debet, ſi præter propter locorum ſitum oſtenderimus, ac probabiles, & quæ defendi poſſint, hypotheſes propoſuerimus.

II. Moy-



ARBOR GENEALOGICA DESCENDENTIUM NOE E QUO OM.

Digitized by Google

Digitized by Google

II. Moyſes non uſquequaque proprium illius nomen poſuit, qui prior incoluit regiones, de quibus eſt ſermo, ſed nomen tantum, quod inditum regionibus fuit, aut nationi, quæ ibi habitavit. Ita Ægyptus appellata fuit *Mizraim* plurali nomine, quod congruere poteſt modo populis regionis, ubi unus filiorum Cham eſt immoratus: illius autem hic vocabatur forte *Mezor*, aut *Mezer*. Idem dictum puta de Rodanim, Chittim, Ludim, Chaſluim, Nepthuim, aliiſque pluribus, quæ dici nequeunt eſſe nomina hominis propria, quoniam cuncta pluralia ſunt. Invenitur hic verſiculo 26. *Hazermoth*, perinde ac eſſet nomen unius ex filiis Jectan, quamquam hoc nomen palam regionis illius, cui nomen *Atrium Mortis* juxta litteralem Hebraicæ vocis *Hazermoth* ſignificationem. Adſunt in aliis quoque Scripturæ libris ſimilia urbium, locorumque nomina, quæ hominibus tribuuntur; exempli gratia 1. Paralipomenon 2. 51. & 4. 14. *Pater Bethlehem*, *Pater Vallis artificum*, pro Patre Habitantium Bethlehem, Patre Habitantium in Valle artificum.

III. Veterum horum nominum plura admodum corrupta ſunt, & ſæpius ita immutata, ut ægre levia quædam etiam apud Veteres [1] Authores inveneris veſtigia. Propterea nil mirum eſſe debet, ſi aliquando conjecturæ proponantur, quæ videri poſſent paullulum audaces; ac res longinquius paullo deducantur. Qui huic materiæ ſtudium adverterint, rationis illius vim ſentient, quæ minimum afficiet illos, qui ad hæc ſtudia parum idonei ſunt; ubi præcipuam ſibi partem vendicant analogia, ethymologia, & quædam critica cognitio.

IV. Quamquam vulgo dicitur, Aſia ceſſiſſe in hereditatem Sem, Europa Japheth, & Africa Cham, non illud tamen ſtrictim adeo eſt intelligendum, ut trium horum filiorum Noe poſteri quærendi ſint tantummodo intra hujus diviſionis fines. Liquet enim, plures filios Japheth, & Cham habitaſſe in Aſia; & fieri poteſt, ut primæ Sem, Cham, & Japheth familiæ, quæ ibi incolatum ſuum ſtatuerant, [illegible] antequam Babylonica turris ædificaretur, immenſam regionem hanc non reliquerint; ſed poſt id tempus dumtaxat in varias colonias fuerint diviſæ, quæ in Africam, & Europam effuſæ ſunt, prout multiplicabantur familiæ: ita ut diſperſio nationum, quæ Babylonis confuſionem eſt ſubſecuta, ſenſim tantummodo peracta fuerit, & maximo temporia intervallo.

V. Methodus, qua inſtitimus, fuit, apud veteres Geographos nomina quærere, quæ magis ad illa accederent, quorum meminit Moyſes; Veterum traditiones conſulere, Provinciarum nomina ad examen vocare, in quoque urbium, montium, fluminum regionis cujuſpiam, ut veſtigia nominis illius, quod quærimus, ſcrutaremur; & cum familiæ nomen aliquod alicubi invenimus, plerumque alia ejuſdem familiæ loca in finitimis regionibus perquiſivimus, cum credibile eſſe nequeat, colonias ſtatim longinquius nimis fuiſſe dimiſſas.

VI. Cum hoc inierit conſilium Moyſes, ut hic una afferret, quidquid ſpectat ad diviſionem filiorum Noe, temporum rationem minime habere potuit: quædam enim occupare coactus fuit, ac de factis quibuſdam, & coloniis loqui, quæ multo poſt Babylonicam perturbationem contigerunt; & quemadmodum Judæorum gratia præſertim ſcribebat, genealogiam Sem per Heber longius deducit, quam aliorum Patriarcharum. Prolixius etiam effunditur in genealogia Chus filii Cham, quod Nembrod filius ipſius Regnum Aſſyriæ inſtituerat, quod longius excellebat Moyſis ætate. Alii quoque adſunt, quorum Genealogia non adfertur; exempli gratia, *Phus*,

A quoniam plane, vel abſque liberis obiit, vel illius familia cum aliqua alia ſe immiſcuit.

℣. 1. HÆ SUNT GENERATIONES NOE, SEM, CHAM, ET JAPHETH.] Legimus in Cedreno, atque Euſebio [2], Noe ex Dei mandato, teſtamentum ſuum feciſſe, quo terras omnes tribus filiis ſuis diviſit. Orientem omnem dedit Sem, Africam univerſam Cham, Europam vero cum Inſulis, ac borealibus Aſiæ partibus Japheth. Cum ita diviſionem teſtamento ſanaiſſet, ſcriptis hæc exaravit, quæ recitavit filiis ſuis, ac rite obſignata ad mortem uſque ſervavit. Cum mortem ſibi imminere cognoſceret, ſcriptum hoc tradidit Sem, qui fratribus pietate præſtabat. Nos fugit, unde Authores illi particularia hæc potuerint eruere; ſed ex Philaſtrio de
B hæreſ. c. 70. patet, inter Hæreticos accenſeri conſueviſſe, qui de his rebus ambigerent; & diviſio filiorum Noe eadem ferme ratione facta fuiſſe videtur per Moyſem, perinde ac modo retulimus. Sem portio fuit Aſia, incipiendo ab Euphrate, & verſus Orientem uſque ad Oceanum Indicum progrediendo: præterea poſteri illius Syriæ parte, ac Arabiæ potiti ſunt ad Euphraris occaſum.

Cham integram obtinuit Africam, Syriæ partem, ac Arabiæ, atque aliquid aliud inter Euphratem, ac Tigrim, ubi Nembrod regnavit.

Japheth filii, & poſteri illius Europam omnem frequentarunt; Inſulis quoque Mediterranei dominati ſunt tum Aſiaticis, cum Europæis. Illis etiam Aſia minor ceſſit univerſa. Hæc eſt verus Orienta-
C lium traditio; poſteros Japheth poſſediſſe, & frequentaſſe Septentrionales regiones poſt Tigrim. Hoc autem noſtro ſyſtemati apte congruere videbimus. Scythæ, & Boreales populi vetuſtiſſimi ſemper habiti ſunt. Juſtinus l. 2. ipſos de originis antiquitate cum Ægyptiis diſputaſſe oſtendit, & quædam affert argumenta, quæ illis ſuffragantur. Credimus autem, Boreales regiones inter primas excultas fuiſſe. Diverſæ Scytharum in Aſiam irruptiones eorum probant vetuſtatem, ac potentiam iis temporibus, quibus vix de nomine cogniti erant Græci.

℣. 2. FILII JAPHETH, GOMER [3].] Quoad regionem Gomer in diverſa Authores abeunt: [illegible] populi eum ſibi auctorem fuiſſe jactitant. Joſephus credit, Gomer incoluiſſe Galatiam. Veteres hujus pro-
D vinciæ populi Gomati appellabantur, antequam illa Galatæ potirentur. Author verſionis Arabicæ Gomer Turcarum patrem ait. Ezechiel 38. 6. illius ſententiæ favere poteſt, quia conjungit Gomer cum Togorma, atque eos populos ad boream ſtatuit. Chaldaicæ vero Author ponit Gomer in Africa; ſed huic ſententiæ ſubſcribere non poſſumus. Bochartus in Phrygia ſtatuit; quoniam *Phrygia* Græce eamdem ferme habet ſignificationem, quam Gomer Hebraice, & Syriace. In his linguis Gomer carbonem ſignificat. Verum de hujus rationis vi pene doctos viros eſto judicium; hoc tamen adductus argumento eruditus ille vir Phrygiam veluti fixum punctum ſtatuit, ut in finitimis Provinciis, alios poſteros Japheth conſtituat.

E Quidam [4] a Gomer Gallos deducere contenderunt; quod recte quidem intelligi poteſt, ſi dixerimus, Gallos, a Cimbris, & Germanis originem duxiſſe, qui immediate Gomer fuiſſe filii videntur. A Gomer facile oriri potuit, Germanus, vel Cimmer, aut Cimber. Strabo lib. 7. credere videtur Cimmerios, veteres Tauricæ Cherſoneſi incolas, a Cimbris deſcendiſſe; ſed contrarium æquali certitudine poſſet aſſeri, & credibile admodum eſt, omnes hos populos ab eadem origine naſci, atque omnes a Gomer genus habuiſſe.

MAGOG.] מגוג. Joſephus, Theodoretus, Euſtatius,

1 Strabo lib. 16.
2 Euſeb. Græc. in Theſauro temp. p. 10.
3 גמר, Gomer. 4 Pezron, Antiquités des Gaulois.

tius, S. Hieronymus, & recentiores non pauci cre- A
diderunt Magog Scytharum patrem fuiſſe. Traductor Arabs eum Tartarorum patrem facit; verum quemadmodum nomine Scytharum, ac Tartarorum plures intelliguntur populi, optandum eſſet, quod illi Authores explicite magis docuiſſent, quem vel Tartariæ, vel Scythiæ tractum Magog incoluerit. Græci Scytharum nomen tribuerunt [1] omnibus populis, qui ad Ponti Euxini Boream immorabantur, & non ſolum majorem, minoremque Tartariam habitabant, verum etiam immenſas provincias, quas Danubius, & Tyras alluunt. Scytharum vero nomine comprehenderunt, Gethas, Gothos, Sarmatas, Hyperboreos, Arimaſpes, Sacas, Maſſagetas, aliosque plurimos, quorum nomina apud Plinium inveniuntur, vetereſque Geographos. Itaque verum B
eſt, Scythas proprie dictos ab iis regionibus nequaquam originem ducere, quæ ſub Scythiæ nomine cognoſcuntur, & credimus rationibus haud ſpernendis probaſſe, Scythas eſſe e poſteritate Chus filii Cham, & ipſos primitus prope Araxem incoluiſſe. Vide Geneſ. 2. 13.

Quoad poſteros Gog, & Magog illorum ſtatui poteſt origo in majori Tartaria; & hæc vulgatiſſima eſt apud Interpretes ſententia. Plurima in Tartaria extant veſtigia Gog, & Magog in nominibus Provinciarum, Urbium, atque hominum, & apud hanc nationem conſtans eſt traditio, ſe a Gog, & Magog hauſiſſe originem. Marcus Paulus Venetus [2], qui eas regiones ſæpius peragravit, invenit provincias Gog, & Magog, *Ing*, & *Mungug* appellatas. C
Invenit etiam Provincias Cangigu & Gingui, urbes Gingui, & Cugui, Corgangui, & Caigui appellatas. Tartari antiquitus *Mogli* vocabantur, & leguntur apud Authorem eumdem nomina *Gogaca*, qui gratia pollebat apud Imperatorem magnum Cham, *Gobagaday* tertii filii Chan Hoccota.

Bochartus admodum abeſt a ſententia noſtra, cum ſtatuit regionem Gog circa Caucaſum. Inſignis hujus montis nomen deducit a *Gog Chazan* [3] Arce Gog. Oſtendit Prometheum damnatum a Jove ad Caucaſum, eumdem eſſe ac Gog. Agnoſcitur in Iberia, quæ eſt ad Meridiem Caucaſi, Gogarene [4], & hodie quoque Provincia Guagueti, quæ palam a nomine Gog oriuntur. Ezechiel 38. 2. refert Gog primitus fuiſſe Principem Tubal, & Meſech, vel ju- D
xta aliam verſionem, Principem Ros, Tubal, & Meſech; ſcilicet dominum fuiſſe Caucaſi, qui eſt ad Boream, atque ad principium Moſchorum, Tibarenorum, & populorum Araxis, nomine Ros ſignatorum, ſi credendum eſt Bocharto.

Poteſt eſſe quidem, poſteros Gog fuiſſe horum populorum Principes tempore Prophetæ Ezechielis. Qualitates, quas hic Propheta tribuit Gog, Tartaris perquam bene conveniunt; qui magni ſunt equites, ac ſagittarii celeberrimi. Si iis, quæ dicta ſunt, fas ſit veteris hiſtoriæ fragmenta Fabularum involuta integumentis addere, animadverti poterit, a Veteribus [5] appellari *Gygem*, *Cottajon*, & E
Briaraum tres Gigantes, qui opem tulere Jovi in prœlium adverſus Titanes, qui forte ſunt *Dodanim*. Nomen Gog videtur in nomine Gygis; nomen vero Cuſch, vel Cuth in nomine Cottajos. Briaræus ab hominibus vocatur Ægeon, Briaræus vero a Diis, inquit Homerus Iliad. A. v. 403. Nomen Ægeon impellere poſſet, ut conjiceremus, eſſe aliquem e poſteris Gog, aut Magog, aut originem ducere a terris ultra fluvium Gehon, quem Araxem facimus.

Veteres dicunt Gygem Ponti fuiſſe filium, vel maris, & terræ; & quidam inquiunt e mari a Theti acceſſitum fuiſſe, ut Jovi adeſſet; quare infertur, ipſum in Græcia advenam fuiſſe, atque illuc e regionibus, quæ ſunt ad Pontum Euxinum, appuliſſe.

Svidas, & Cedrenus dicunt, Perſas vocari Magog a regionis illius incolis. Reperiuntur in iis terris populi Maguſii appellati, & Philoſophi nomine Magorum cogniti, & ejuſdem nominis populi in Media [6]. Hæc omnia derivare poſſunt a Magog, cujus Coloniæ nomen hoc paſſim diffundere potuerunt.

Quidam intelligunt Gog, patrem fuiſſe Getharum, Maſſagetarum, & Gothorum. Gothi a pleriſque veterum [7] confuſi fuerunt cum Gethis, & liquet, utroſque alias immoratos fuiſſe ad Boream Ponti Euxini; verum Gethæ fines ſuos præcipue in Germania poſuerant verſus Provincias Moldaviæ, & partis Valachiæ, & Gothi proceſſerunt Boriſthenem verſus, ac fauces Danubii. Ibi in duos populos diviſi ſunt: alteri appellati Oſtrogothi, vel Gothi Orientales; Viſigothi alteri, ſeu Gothi Occidentales; utrique alii longe a Gothis Sveciæ populis. In eo, quem attulimus, Ezechielis loco dicitur, Gog eſſe Princeps Ros, Tubal, & Meſech, quod in hunc ſenſum explicari poteſt; ipſe erat Princeps, aut vir celeberrimus inter populos Ruſſiæ, Moſcoviæ, & eorum qui incoluerunt prope fluvium Tobal, ad cujus ripas ædificata eſt urbs Toboliſk in Moſcovia.

Sanctus Ambroſius l. 2. de fide ad Gratian. cap. 4. ad finem credidit, Gothorum bella adverſus Imperium Romanum prædicta fuiſſe ab Ezechiele nomine belli Gog adverſus Iſrael: & hic S. Doctor ſperat, Gothos debellatum iri a Romanis, quoniam Deus Iſraelitis pollicitus eſt, ſe illis traditurum Gog, & ſpolia ipſius. S. Hieronymus in Præfatione libri undecimi in Ezechielem loquitur de hac Divi Ambroſii ſententia; ſed illi non admodum favere videtur. Facilius eſſet fortaſſe illis applicare, quod S. Joannes ait in Apocalypſi 20. 7. Gog, & Magog populum frequentem adeo, ac arenam maris, ituros in prælia, atque ſe ſe in omnes terras effuſurum, circumdaturum campos Sanctorum, atque dilectam urbem oppugnaturum, ſed igne cœleſti abſumptum iri. Gothi, & alii Boreales populi ſe ſe in Imperium Romanum effuderunt, illi bellum indixerunt, illudque deleverunt. Romam aggreſſi ſunt, quæ eſt civitas ſancta; ſanctos affligerunt, qui ſunt Fideles. Tumultus hic omnis evanuit, populi hi ſenſim deleti ſunt, vel in Eccleſiam ingreſſi ſacro ſe Baptiſmate abluerunt; & illorum conatus in Fideles Iuſtos in Fide magis confirmarunt.

MADAI.] מדי. Omnes fere Interpretes docent, Madai eſſe Patrem Medorum. In libris Eſther, & Danielis, ut oſtendantur Perſæ & Medi, uſurpantur nomina *Paras*, & *Madai*. Tamen Salianus, & Ioſeph Medus afferunt argumenta, quæ dubio locum præbere poſſunt, utrum Madai filius Iapheth Incoluerit Mediam. Primo Thiras frater Madai proculdubio Thraciam frequentem fecit; videtur igitur circum hanc regionem Madai eſſe ſtatuendam. Secundo Media non eſt e numero *Inſularum gentium*, quæ juxta Scripturam fuerunt portio filiorum Iapheth. Tertio quis unquam quæſivit Madai inter regiones filiorum Sem, inter Armeniam, & Aſſyriam, Hircaniam, & Parthiam Suſianam & Mare Caſpium? Quarto Ma-

1 Strabo lib. 11. p. 487.
2 Marcus Paulus Venetus lib. 1. cap. 64. & lib. 2. cap. 46. 49. 66. & 58.
3 גוג כין.
4 Strabo, Ptolom.
5 Vide Heſiodi Theogoniam v. 713.
6 Herodot. l. 7.
7 Cluver. lib. 4. German. antiq.

Macedonia olim vocabatur *Amathia*, [1] nomine compoſito ex *Ei*, quod ſignificat inſulam, & *Madai*, inſulam Madai, videlicet oram maritimam quam *Madai* incoluit vel deducto e Græcis vocibus *Aia Madai*; [2] *terram Madai*. Prope Macedoniam inveniuntur populi *Medi*, vel *Madi* [3] appellati, atque in Æmathia Rea nomine Medus.

Denique Authores prophani teſtantur, Medeam Jaſonis conjugem, cum e Græcia Colchos eſſet reverſa cum filio ſuo Medo, regnaſſe in Media; & Medum illius filium, ac regni ſucceſſorem de nomine ſuo Mediam regionem eam appellaſſe. Strabo gravis author imprimis hanc narrat hiſtoriam l. 11. & l. 1. pag. 36. teſtaturque ætate ſua adhuc extitiſſe in regionibus Armeniæ, & Mediæ finitimis, Iaſonis monumenta, quæ magna veneratione in ea re- B gione colebantur. Iter Iaſonis Colchos præceſſit Trojanum bellum, ideoque etiam Eſther, & Danielem. Itaque non adeo mirum eſt in libris ipſorum Mediæ nomen occurrere, quæ tempore Moyſis alio nomine poterat appellari.

Invenitur quoque *Madai* in l. 4. Regum, & in Iſaia, ut regio ea ſignificetur, quæ eſt prope Aſſyriam; verum id quoque poſt Argonautarum iter, & Medi regnum contigit. Herodotus l. 5. p. 459. & & 460. de quibuſdam loquitur populis, qui ab ipſo *Sygina* vocantur, qui trans Danubium, ſcilicet ad boream ejuſdem incolebant, quorum regio in Adriam uſque Henetorumque fines protendebatur. Hi populi, inquit ille, iiſdem utuntur veſtibus ac Medi, atque ex illis ſe originem ducere gloriantur. Hoc C de Aſiæ Medis eſſe nequaquam poteſt, quoniam Aſiæ Medi ſe a Medea nomen accepiſſe profitebantur [4]. Dicendum igitur eſt illos e Thraciæ Medis ortos, de quibus loquuntur Strabo l. 7. p. 218. l. 1. 28. & Titus Livius; illi Macedonibus accolæ erant, & cum illam eſſent regionem ingreſſi, Mædobythini [5] appellati ſunt, ut ait Stephanus Geographus.

IAVAN] יון. Quoad *Javan* mira eſt Interpretum conſenſio; illum eſſe Ioniorum patrem unanimes aſſerunt. Omnis autem difficultas in eo eſt, ut juſta nominis hujus extenſio innoteſcat. Herodoti ævo [6] nomen hoc proprium erat ſolis ferme Aſiæ Minoris Ioniis. Athenienſes eoſdem, multoque magis cæteros Græciæ populos hujus nominis pudebat. Sed antea nomen hoc ad Athenienſes tantummodo illo- D rumque colonias pertinebat. Verum tamen eſt olim [7] fuiſſe Achæis, Bœotiis, ac Macedonibus commune. Heſychius [8] teſtatur Achaiæ, & Beotiæ populos antiquitus Ionios habitos fuiſſe. Strabo Ionium agrum ſtatuit in Bœotia; Homerus in Hymno in Apollinis honorem, Deli incolas *Jaones* [9] appellat.

Interpretes Chaldæi pro Iavan legunt hic Macedoniam; & in Daniele 8. 21. Alexander *Javan* Rex nuncupatur. Denique fieri non potuit, ut ſoli Athenienſes eas omnes colonias dimiſerint, quæ frequentarunt Ioniam, quæ duodecim conſtabat urbibus, iiſque majori ex parte admodum amplis præter inſulas Samum, & Chium: & Strabo aſſerit Mileſios, Colophonios, & Prienenſes Pylis deſcendiſſe, vel Thebis, Athenis vero non item. Denique E Ioniis Aſiaticis diverſi quatuor erant dialecti, juxta Herodotum, quod profecto minime contigiſſet, ſi ex una tantum urbe appuliſſent illuc, & Scholiaſtes Ariſtophanis in Acarnan obſervat, a Barbaris Græcos omnes Ionios vocari. Hic habes ferme, quæ hac de re Bochartus habet. Animadvertit quoque Græcos ab alio fonte *Ioniorum* nomen derivaſſe, ſed hoc ſuſpicione non vacat. Aſſerebant quippe Ioniis nomen inditum fuiſſe ab Ione Apollinis, & Creuſæ filio, quem Xuthus Helleni filius adoptaverat; & A qui virtute ſua, rebuſque præclare geſtis adverſus Thracas maximam ſibi apud Græciæ populos comparaverat celebritatem.

TUBAL, & MOSOCH.] Hebraice legitur תובל ומשך. *Tubal, & Meſech*. Hoc in articulo plures admodum diverſæ adſunt ſententiæ, quas propoſitas unam poſt aliam ad examen vocabimus. Quemadmodum his in rebus nihil certi afferri poteſt, ſatis eſſe debet, ſi quod probabilius videtur, afferatur; nec aliquid rejiciendum eſt, niſi quod palam falſum eſſe videtur.

Scriptura plerumque conjungit Tubal, & Moſoch, Ezech. 27. 13. 32. 26. 38. 2. 3. 39. 1. ex quo conjicere licet populos hos contiguas regiones habitaſſe, atque maxima ſocietatis fœdera inter ipſos B interceſſiſſe. Interpretes Chaldæi per *Tubal*, & *Moſoch* intelligunt Italiam, & Aſiam, vel Auſoniam juxta Bochartum. Joſephus explicat hoc de Iberis, qui ſunt ad Caucaſi meridiem, & de Cappadocibus. S. Hieronymus per Tubal hic interpretatur Hiſpanos, olim Iberos nuncupatos. Ecce autem quæ afferri poſſunt pro hac ſententia. Qui Beticam incolunt, *Turdetani* vocantur, aut *Turduli*, & populorum Hiſpaniæ vetuſtiſſimi cenſentur; Se jactitant ſapientes, ſtudiorum amatores, & maximæ antiquitatis proferunt monumenta. Habent illi Poemata, & Leges verſibus propoſitas ſex mille ab hinc annis, ut illi contendunt [10]. Sed hæ rationes, quod perſuadere conatur S. Hieronymus, non evincunt. Euſebius, & Epiphanius ajunt Tubal Theſſalorum C fuiſſe patrem, & Moſoch Illyriorum.

Bochartus arbitratur Moſoch, & Tubal innuere Moſchos, & Tibarenos. Authores Græci [11] duos hos populos fere conjungunt, æque ac Hebræi ſimul Moſoch, & Tubal; illis eadem tribuunt arma, & Duces eoſdem. Nominum ſimilitudo plane percipitur. Tubal edere potuit Tibar, L littera in R immutata, quod frequentius in Græcia uſurpatur, ubi invenitur quoque *Beliar* pro Belial; *Phicor* pro Phicol. Strabo, & Euſebius Tibarenos vocant *Tibaros*, quod propius accedit ad Tubal.

Moſchi in montibus Moſchicis incolebant, qui Iberiam ab Armenia ſecludunt, & Colchidem ab utraque. Ptolomeus, & Strabo montes Moſchos a finibus Iberiæ Cappadociam verſus uſqueproten- D dunt. Moſchi a Xenophonte, Diodoro Siculo, & Plinio inter urbes Ceraſum, & Cotyore, vel Cyteore ad Euxinum Pontum ſtatuuntur.

Tibareni vero longius a Moſchis immorabantur ad Occidentem Chalybum, & Moſſynæcum; ita ut inter Moſchos, & Tibarenos ſeptem diverſi populi, & ſylveſtres recenſerentur, quo profecto ſocietatis fœdus infringitur, quod Authores ſacri, & Profani inter hos populos conſtituunt, & quod hic ſtatuendum eſt, velut character, quo diſtinguantur.

Bochartus hanc ſolvere conatur difficultatem, dicens primo Iberos fortaſſe eſſe poſteros Tubal, aut Tobel, ut aſſerit Joſephus: quo ſuppoſito Moſchi, & filii Tubal eſſent finitimi. Secundo oſten- E dit ex Straboне l. 7. & l. 11. & 12. Tibarenos quoſdam fuiſſe ultra Trapezum, qui ad Moſchorum uſque, & Colchidis montes patebant. Videndum eſt deinde num qualitates, & notæ, quas Ezechiel tribuit Meſech, & Tubal, Moſchis, & Tibarenis conveniant. Ezechiel ait, populos hos Tyri captivorum, & vaſorum ex ære iniiſſe commercia. Ezech. 27. 13. Liquet porro regiones Ponti, & Cappadociæ Tibarenis finitimas captivis abundaſſe. Horat. Ep. 6. l. 1.

Mancipiis dives, eget æris, Cappadocum Rex.

Cum

1 אי מדי. Ei-Madai. 2 Αἶα Μαδαί. 3 Μῆδοι, vel Μάδοι. Μαδίνη. Ariſtot. lib. de Mirabilib. Auſcultat. Ptolom. cap. 9. tab. 9. Europ. 4 Herodot. l. 7. c. 62.
5 Μαιδοβιθυνοί. 6 Herodot. l. 1. p. 97. edit. Gryph. an. 1558.
7 Herodot. Ariſtot. Heraclid. Strabo, Plutarch. &c. 8 Heſych. in Ἰάονας.
9 Ἰάονες. 10 Strabo l. 3. p. 98. Loquitur de regionis illius divitiis l. 2. p. 102.
11 Herodot. l. 3. c. 9. & l. 7. c. 78.

Cum Lucullus hac in regione præliaretur, Mancipium quatuor drachmis tantum æſtimabatur; & Cappadoces adeo aſſueti erant ſervitio, ut ægre manumitti paterentur, cum illis libertatem offerrent Romani; adeo captivitatis amore tenebantur; quod ipſum teſtatur Strabo, qui ex eadem erat regione.

Quoad vero æris commercia, Bochartus oſtendit, vel pro Tubal Iberos intelligas, vel Tibarenos Ponti, æque regiones has eo metallo diffluere. Verum poſterior hæc pars infirmius probatur, & Author nihil addit, quod ad Moſoch, vel Meſech attineat, neque de ære, nec de Captivis, credidit plane, quod, cum hi populi admodum eſſent contigui, eas qualitates, quæ alterutri conveniunt, ad alterum quoque poſſint referri.

Superius monuimus, Ioſephum l. 1. Antiq. cap. 2. pro Tubal Iberos intelligere, & pro Meſech Cappadoces. His autem argumentis inniti poteſt opinio, quæ præ ceteris maxime probabilis videtur, quo ad primam partem de *Tubal*. Iberi olim Tobelii appellabantur. Ptolomæus Tabul. 2. Aſię in Iberia urbem conſtituit, cui nomen Thabilaca, ad flumen Gerrum, aliam quoque *Thisbim* vocatam ad fluvium eumdem, & tertiam infra, *Telebam* nuncupatam in ora maris Caſpii; pro Moſoch vero in Albania Iberiæ finitima ad Caucaſi montis radices urbs Moſega [1] invenitur, quæ nomen ſuum a Moſec deducere poteſt.

Verum quoad poſtremam hanc partem, alia eſt Ioſephi ſententia: aſſerit ille Cappadoces olim *Meſchinos* fuiſſe appellatos, qui paſſim vocantur etiam Moſchi, Moſſini, Moſſynæci. Liquet ſaltem poſtremos hos populos Cappadociæ fuiſſe finitimos. Urbs hujus provinciæ caput *Mazaca* appellata fuit uſque ad Tiberii tempora, qui Cæſareæ illi nomen tribuit. Haud erit difficile Mancipia reperire in Cappadocia, & apud Chalybes, Iberoſque metalla.

Montanus, Genebrardus, Mercerius credunt Moſoch eſſe Patrem Moſcovitarum. Medus aſſerit Moſcovitas eſſe tantummodo coloniam Cappadocum: nam Veteres nuſpiam de Moſcovitis loquuntur. Aſt mirum ne eſt adeo, a veteribus Moſcovitas appellatos nuſquam fuiſſe cum quibus nullum erat commercium, nulla conſuetudo, & qui Scytharum tantum nomine, vel Getarum cogniti fuerant? Tanta profecto eſt veri ſimilitudo, Moſchos Armeniæ finitimos, & Cappadocas a Moſcovitis originem deduxiſſe, quanta poteſt eſſe ex oppoſito. Fluvius Moſcus, Urbs Moſcou, nomen Moſcovitarum, regionis ipſorum extenſio argumenta ſunt haud ſane ſpernenda. Ruſſi ab Ezechiele *Roſch* appellati immixti ſunt cum Moſcovitis, vel potius cum ipſis unum modo populum conſtituunt. In hac regione invenitur urbs, & fluvius *Tubal* nomine, ſeu *Thobal*. His finitimi Tribalii ſunt, ac Thraces, quos e Tubal, & Thiras originem ducere arbitrantur.

Quidam adniſi ſunt, ut in Aſia minori populos invenirent, quorum hic meminit verſiculus, ea ſtetâ cogitatione, has Provincias ante regiones magis Boreales excultas fuiſſe; qua in re plane decepti ſunt; quandoquidem Hiſtorici docent, Cimmerios, & Scythas a Boreali Euxini Ponti plaga in Orientales hujus maris oras, & maris Caſpii fuiſſe tranſvectos; & Thraces, alioſque plures Europæ, & Minoris Aſiæ populos ex magis ſeptentrionalibus terris, ac ultra Pontum Euxinum ſitis, acceſſiſſe. Pleræque harum immutationum ante Ezechielis tempora contigiſſe potuere. Bochartus veluti principium quiddam, fixumque punctum ſtatuit, quod Gomer Phrygiam incoluerit; atque ideo alios fratres Gomer in finitimis regionibus conſtituis, ac quam maxime fieri poteſt huic provinciæ contiguis; ſed rationum ipſius detecta infirmitas eſt. Itaque mirum nequaquam eſſe decet, ſi oppoſito incumbentes principio, Gomer, & Gog ad Euxini Ponti Boream conſtitutis, ibi fratrum ſuorum regiones inveſtigabimus.

THIRAS.] תירס. Quoad Thiras omnes conveniunt. Ioſephus, Interpretes Chaldæi, Euſebius, Euſtathius Antiochenus, S. Hieronymus, S. Iſidorus, recentioreſque omnes hunc Thracum fuiſſe Patrem fatentur. Vox Græca *Thrax* Hebraice *Thirax* congruit. Thraces Odryſum venerabantur, qui idem ac Thiras fuiſſe cenſetur; Deus Mars, qui maxime colebatur a Thracibus, *Thoures*, vel *Thouros* [2] a Poetis vocatur. Invenitur in Thracia fluvius Athuras, cum Siou cognomine in Propontide, Byzantium verſus. Quidam Thraciæ tractus Thraſus vocatur, & ſunt prope montem Hæmum populi Thrauſes vocati. Vetus Thraciæ nomen erat Odryſia, juxta Svidam. Denique in Thracia agnoſcitur Thereus filius Martis, Therops alius Rex ejuſdem regionis, & Theres Sitacis pater, qui Odryſiorum auxit Regnum; ita ut latius evaſerit, quam cuncta reliqua Thracia.

Thracia, uti eam hodie intelligimus, Mari Ægęo clauditur, Propontide, Archipelago, & Męſia. Adſunt quoque Thraces in Aſia minori. Herodotus ait in Aſia Bithynos vocari, atque antea Strymonios vocatos fuiſſe, cum a Strymone Lacu devenerint. In Caria etiam ſunt Thraces, & Strabo ſtatuit ultra Armeniam Thraces Sarapetas. Stephanus Geographus aſſerit Thraciam appellatam fuiſſe *Peream, & Ariam*, atque illi Thraciæ nomen inditum a Nympha Titanis filia. Erithræus regioni huic Sitonis nomen tribuit, quare Ovidius Mare Thraciæ *Sitonis undam* appellavit. Strabo l. 12. animadvertit, Thraces primitus vocatos fuiſſe *Sisines*, mox *Sintos*, denique *Sajos*.

Quoniam igitur nonniſi ſero Thracia hoc nomen adepta eſt, & diutius poſt Moyſen, adnitendum eſt, ut altius, atque a primo fonte Thracum Originem repetamus. Credimus autem ipſos antiquitus ad Thraciæ, hodiernæ, Septemtrionalem partem manſiſſe. Invenitur fluvius Thiras [3] qui in Pontum Euxinum defluit ſupra, & ad Boream Danubii; Agathyrſi non longe ab hoc flumine incolunt; & Herodotus l. 4. omnes illis fere Thracum fuiſſe ritus animadvertit. Ptolomæus tab. 8. Europæ in tractu eodem Tyrangites collocat, & urbem Thyras. Thracia vetus longe patebat latius, quam hodie: Ad Boream ultra Danubium uſque protendebatur, & ad Scytharum fines, & populos minime cognitos amplectebatur; ibique locorum tantummodo agnoſcebantur Getæ, Teuriſtii [4], vel Thauriſci, Trauſi, & Creſtonii.

Qua Occidentem ſpectat, Myſiam complectebatur, vel Męſiam, atque extendebat ſe uſque in Illyrios, atque etiam uſque ad Scordiſcos, hodie Raſcianos. Meridiem verſus nonnulli illius fines ad Olympum uſque protendunt, immo in Achaiam, & Bęotiam, ut Thucydides aſſerit. Veteres inter Thracas magnum populorum numerum ſtatuunt, Thynos, Strymonios, Bardos, Dolongos, Beſſos, Denſeletos, Mædos, Odryſios, Tribalios, Getas, alioſque plures, qui videri poſſunt apud Orthelium in Theſauro. Strabo l. 12. p. 373. l. 13. l. 7. p. 204. minime ambigit, quin magna Populorum pars, qui Aſiam minorem incolunt ex Europa illuc acceſſerint, utque ex illis originem deduxerint, qui Thracum nomine appellari fuerunt: ex hoc numero Myſios, fuiſſe ait, Phrygios, Troes, Mygdonios, Bebricos, Bithynos, Modobithynos, Thynos, atque fortaſſis etiam Mariandinos; quos ille aſſerit ex Europa in Aſiam conceſſiſſe. Hæ tranſmigrationes contigerunt, Strabonis ejuſdem [5] ſententia, prope Trojani belli tem-

1 Ptolom. Tab. 11. Aſiæ.
2 Θȣ̃ρος, vel Θȣ̃ρις. Impetuoſus.
3 Hic hodie appellatur *Nieſter*, ſeu *Trula*, quo Podolia a Moldavia ſejungitur.
4 Strabo l. 7. pag. 203.
5 Strabo l. 12. pag. 394. & 395.

tempora. Tunc Græci exemplo ſuo alias nationes excitarunt, ut ſimilia itinera aggrederentur, & Colonias in exoticas terras dimitterent.

Ita cum dicuntur Thraces deſcendiſſe a Thira, intelligendi ſunt in extenſione illa, quam ipſis modo tribuimus, non autem limitibus unius Thraciæ Provinciæ concluſi, quæ Moyſis ætate illud nomen, quod hodie habet, plane minime habebat.

Eſſe quidem poteſt, quod *Thiras* Moyſis, & *Rhos* Ezechielis, iidem eſſent: en autem argumenta, quibus poteſt hæc conjectura fulciri. Fluvius Thiras oritur in Ruſſia rubra; & ad hanc uſque diem Stry nuncupatur; prope fontem illius urbs extat ejuſdem nominis. Adeſt ibidem quoque fluvius Ruſovva, pluraque alia nomina obſervantur, quæ ad Rhos, & Thiras nomen propius accedunt; atque illud adducit, ut credamus regionem Thiras a Ruſſia, & Nieſter patuiſſe uſque ad Montem Hæmum; illud ſcilicet eſt, quod hodierna quoque die inter hos montes, & Danubium videntur urbes Tiraska a Tzerka, Teriſeviſa, Riza, Ruſſi, Riſovu &c.

Sanctus Auguſtinus lib. 16. de Civit. c. 3. præter hos ſeptem filios Japheth, cujus regiones innuimus, octavum quoque refert, nomine *Eliſam*. Animadvertit autem ex octo his filiis Scripturam duorum tantum poſteritatem referre, ſcilicet Gomer, & Javan: quorum prior tres habuit filios, alter vero quatuor. Itaque, ut hic Pater aſſerit, Scriptura quindecim tantum Japheth poſteros memorat; ſed neque Hebraicus textus, neque Samaritanus, neque Paraphraſtes Chaldæi, neque Joſephus, neque Verſiones Syriaca, & Vulgara præter quatuordecim Japheth poſteros aliùs umquam meminerunt; & ex Septuaginta editione procul dubio, quæ *Elizam* refert octavum Japheth filium, illud didicit S. Auguſtinus quod aſſerit. Euſebius, & Chronica Alexandrina habent ipſa quoque hunc *Elizam*.

Arabes credunt alium adhuc fuiſſe Japheth filium, de quo nullus hic ſermo; illum vero *Cozar* appellant. Dicitur ille ad Rhæ fluminis ripas conceſſiſſe, ubi urbem condidit, quam de ſuo nomine nuncupavit. Adeſt quoque populus ad Caſpii maris Boream; cui nomen eſt *Cozar*; nec Authores deſunt, Iſraelitarum decem tribus a Salmanaſar in captivitatem deductas per regionem Cozar tranſiiſſe, atque hinc ad Tartariæ fines uſque proceſſiſſe, inde vero in Sinas. Sed Hebræi aſſerunt hunc Cozar fuiſſe non minorem natu filiorum Japheth, ſed nepotem illius ex Thogorma. Joſephus Heb. recenſet Cozar inter decem filios Thogormæ [1]. Arabica verſio habet *Chorazan* pro *Moſoch*.

ỳ. 3. PORRO FILII GOMER, ASCHENEZ, ET RIPHATH, ET THOGORMA.] Primus trium filiorum Gomer, vocatus *Aſchenez* [2] Hebraice, frequentavit Aſiam, juxta Chaldæos Interpretes, qui nomen Aſchenez vertunt Adisbene Jerem. 51. 27. Ioſephus ait *Regines* poſteros fuiſſe Aſchenez; Arabica verſio Illyrios, & Chronica Alexandrina *Mazices*. Plerique credunt Aſchenez coluiſſe Bithyniam. Adeſt ibi lacus, fluvius, & Sinus nomine *Aſcanii*. Bochartus ſtat pro Aſcania Phrygiæ minoris provincia, ubi eſt Urbs, inſulæque Aſcaniæ.

Author hic arbitratur Phryges (ſcilicet, ut ille aſſerit poſteros Gomer) poſſediſſe terras omnes, quæ ſunt ſupra Propontidem, atque eas, quas deinde Myſii occuparunt, & Thyni; atque Aſchenez filium Gomer colonias deduxiſſe in Meridionales Euxini ponti plagas, uſque ad provinciam Ponti; atque inde nomen editum fuiſſe *Ponti Axeni*, ſeu *Ponti Aſcenez*, quod deinde in Euxinum immutatum eſt, ut improba vocis *Axenos* ſignificatio vitaretur, quæ Græce hoſpitalitatis inimicum ſignificat. Authores quidam [3] retulere, nomen *Axenos* huic

A mari factum a Scytharum crudelitate, qui omnes interimebant qui ad eorum litora appuliſſent, eorumque carnibus veſcebantur. Sed Strabo ab hac crudelitate Scythas vindicat. Bochartus autem quod de regione Aſchenez ait, probare contendit loco Jeremiæ 51. 27., ubi Propheta hic recenſens populos, qui Cyro opem tulere ad Babylonem vincendam, explicite notat *Ararat*, *Mianoſt & Aſcenez*. Oſtendit ex Xenophonte Cyrop. l. 7 Cyrum Phrygia potitum eſſe, quæ eſt ad Helleſpontum, ac plures cogiſſe gentes, ut copiis ſuis maxima virium fieret acceſſio.

Optandum eſſet, Bochartum probaſſe, id, quod refert, & quod veluti ſyſtematis ſui jacit fundamentum; ſcilicet, Phryges omnia Propontidis, Euxinique B Ponti litora poſſediſſe, uſque ad Ponti provinciam, & Aſchenez illuc colonias deduxiſſe. Nam ſi hoc non ſatis erit conſtitutum, & ſi cogemur regionis Aſchenea fines ponere in Phrygia minori, aut prope Aſcanium fluvium in Bithynia; difficile profecto quis adducatur, ut credat, parvulum fluvium, qui in Propontidem defluit, lacum, & urbem, quæ procul abſunt a Mari, nomen ſuum tradere potuiſſe mari vaſtiſſimo, quod nomine Euxini Ponti cognovimus.

Pro virili autem adnitamur, ut veram, veteremque regionem Aſchenez detegamus. Apollodorus a Strabone allatus l. 14. pag. 467. Edit Baſil. anni 1523. Xanthi innixus authoritati, contendit Phryges ex Aſcania, & Berecynthia in Aſiam veniſſe, non niſi C Trojani belli temporibus. Apollodorus aſſerebat Homerum locutum fuiſſe de veteri regione Aſcaniæ, cum ait Iliad. B ad finem *Phorcum, & Aſcanium duxiſſe Phryges ſuppetias Trojanis, ex ſatis longinqua terra*, ſcilicet Aſcania. Si hic Poeta loqui voluiſſet de Phrygibus Aſiæ minoris, non ita dixiſſet profecto, nam Aſcania adeo Troadis erat finitima.

Strabo hanc Apollodori reſpuit ſententiam, & ex Homero oſtendit tempore Trojani belli Phryges in Aſia minori fuiſſe ad fluvium Sangarium; ſed Provinciam quamdam Aſcaniam procul ab Aſia poſitam fuiſſe non negat, unde Phorcus, & Aſcanius Trojanis opem tulere. In hac porro veteri Aſcania nos ſtatuimus Aſchenez. Ex Homero Iliad. D 13. patet ſubſidia Trojanis veniſſe a Provinciis Aſiæ admodum diſſitis ultra Mare, & Thraciam; ita Aſcaniam quærere poſſumus in locis Thraciæ, & Chalybum proximis, de quibus idem loquitur Poeta. Aſt in Sarmatia ad Boriſthenis fauces in Euxino Ponto ad fluvii illius partem occiduam invenitur urbs nomine *Akzacivn*, quam Mercator credit eamdem eſſe ac veterem *Axiacem* a Plinio in Sarmatia Europæa memoratam. Strabo, & Ptolomæus loquuntur de fluvio, cui nomen *Axiaces*, qui prope urbem *Axiacem* in Euxinum Pontum dilabitur. Et Strabo l. 11. pag. 356. & 357. alium fluvium ſtatuit huic cognominem in Sarmatia Europæa, qui vero in Mæotidem Paludem decurrit. Non auſim aſſerere, regionem hanc eſſe veterem Aſcaniam, E & regionem, quæ Boriſthene alluitur, eſſe Berecynthiam, de qua Xantus Lydus loquitur, & Baſtarnos veteres eſſe Berecynthios, ſed hac in re tanta ineſt probabilitas, quanta in iis, quæ de Coloniis *Aſchenez* in Euxini Ponti oris aſſeruntur, deque origine nominis *Axeni*, quod mari inditum fuit. Sanctus Iſidorus quoque, uti nos, Aſhenea ſtatuit in Sarmatia.

Jeremiæ locus 5. 27. qui ponit *Aſchenez* cum *Minnis; & Ararat*, conjecturæ locum præbere poſſet, *Sacagenem* præſtantem Armeniæ Provinciam (quæ plane eadem eſt ac *Saraſenr*) nomen duxiſſe ab *Aſchenez*. Minni, & Ararat ſunt in Armenia. *Sacagene*

1 Baſnage hiſt. des Juifs. l. 5. art. 1. 2. 3. 4.
2 השכנז Aſcenez.
3 Diodor. l. 4. & Apollodorus apud Strabon. l. 7.

gær Provincia eſt, qua Scythæ potiti ſunt. Cyro imperante, & forte etiam Trojani belli tempore Aſchenez migraſſe poterat a Sarmatia in Armeniam, atque inde in minorem Aſiam. Inter hæc verba *Aſchenez*, *Sanganæ*, vel *Sacageneæ* paullum intereſt. Herodotus l. 5. loquitur de Scythiæ populo, qui *Sygines* vocabatur, & commercio, & terrarum extenſione percelebri. Hic autem præter propter illi immorabatur, ubi ſtatuimus Aſchenez. Sed Plinius l. 11. c. 7. aliquid in rem addit, quod præ his omnibus conducit maxime; quandoquidem ille ſtatuit *Aſcanticos* prope Tanaim ac Mœotidem paludem, quod congruit cum Jeremia, qui ibi conſtituit *Aſchenez* cum Minnis, & Ararat. Ptolomæus quoque de *Aſcatancis* loquitur, ac nominis ejuſdem montibus in Scythia, eis Montem *Imaum*

B RIPHAT.] רִיפַת. Diphat 1. Paralipomenon c. 1. ℣. 6. vocatur. Similitudo *Reſch*, & Daleth in Alphabeto Hebraico, & Chaldaico huic varietati locum dedit. Arabica verſio, & Chaldaica juxta Bochartum intellexere Galliam. Euſebius Sauromatas intelligit; Chronica Alexandrina Garamantes; Joſephus Paphlagonios. Bochartus, cui recentiores plurimi adhærent, in Joſephi ſententiam abiit. Pomponius Mela l. 1. teſtatur, Paphlagonios antiquitus vocatos fuiſſe *Riphatæos*, vel Riphaces. Videtur in Bithynia provincia Paphlagoniæ proxima fluvius *Rhebas* vel Rhebea, unde Rebantium populorum nomen oritur, & tractus terrarum cognominis. Hæc autem pro Paphlagonia, vel potius Bithynia efferuntur; quod tamen non admodum evincit.

C Eos ſequi malumus, qui pro Riphæis Montibus contendunt, quos numquam fuiſſe probare conatur Bochartus. Verum Geographi omnes veteres, & recentiores plerique, eos agnoſcunt, atque in Moſcovia conſtituunt verſus fluvios Obdoram, & Obym in Provincia Petzora in finibus Aſiæ, & Tartariæ deſertæ. Ii vero a Mœotidis paludis faucibus ad Obym fluvium uſque protenduntur, & Montes Oby, vel Montes Stolp appellantur. Plinius Riphæos montes ponit ultra Sarmatiæ ſolitudines; atque ait populos *Rimphæos* vocatos ad hos uſque montes extendi. Poſitio Plinii Geographorum noſtrorum poſitioni maxime congruit. Ptolomæus eos longius a Mæotide palude ſtatuit, ad Boream. Notat vero

D Tanais fontem in uno Montium Riphæorum latere, in altero autem fluminis Cherſinii. Virgilius Georg. 3. Riphæos in extrema Boreali plaga conſtituit.

Talis hyperboreo ſeptem ſubjecta Trioni,
Gens effræna virum, Riphæo tunditur Euro,

THOGORMA:] תּוֹגַרְמָה. Joſephus, & Sanctus Hieronymus crediderunt tertium filium Gomer Phrygum patrem fuiſſe. Theodoretus, S. Iſidorus Hiſpalenſis, Euſebius pro *Thogorma* Armeniam intelligunt. Interpres Chaldæus in Ezech. 38. & Talmudiſtæ in tract. Ioma intelligunt Germaniam. Paraphraſtes Hieroſolymitanus pro Togorma Barbariam ponit; & Bochartus credit, illum hoc nomine intelligere Phrygiam. Oſtendit autem pluribus locis

E a Turnebo allatis Adverſ. l. 5. c. 15. & l. 9. c. 18. *Barbaricam* a Latinis Authoribus pro *Phrygio* uſurpari. Verum abs re; non enim de Latino, ſed Chaldæo Authore hic agitur. Paraphraſtes Arabs explicat Togorma pro Georgia parte Iberiæ. Chronica Alexandrina ponunt Borados Scythiæ populos, de quibus loquitur in ſua Epiſtola Canonica Gregorius Thaumaturgus. Recentiores non pauci credunt hanc eſſe Turcomaniam in Tartaria, & Scythia. Ezechiel 27. 14. memorat Togormios ad Boream Judææ, atque ait illos transducere conſuevisse Tyrum, equos & mulos. Bochartus huic ſententiæ innititur, ut oſtendat, a Togorma initium Cappa-

A dociam, excellentibus equis, ac aſinis inſignem [1]. Innititur etiam nomini *Throcmi*, vel *Throgmi* quibuſdam Gallis indito, qui duce Trocmo acceſſerunt, ut Ponti, & Cappadociæ fines incolerent. Sed hoc maxime a voce Togorma, atque a Moyſis temporibus abeſt; neque probari poteſt, non modo univerſam Cappadocum nationem, ſed ne partem ſatis magnam nomine appellatam fuiſſe, quod ad Togorma propius accederet.

Ecce vero argumenta, quibus adducor, ut in eorum ſententiam deſcendam, a quibus Togorma de Turcomania explicatur, aut de Sauromatis, ſive de populis, qui *Turcæ* a Plinio l. 6. c. 7. & Mela l. 1. c. 21. p. 176. vocantur, atque in Aſiatica Sarmatia conſtituuntur. Primo, nomina *Togorma*, &

B Turcomania ſenſibilem habent ſimilitudinem. Secundo, legimus in Herodoto l. 4. c. 5. Scythas hoc pacto originem ſuam referre. Targitaus, cui pater erat Jupiter, mater vero Boriſthenis filia tres habuit filios, Lipoxaim, Arpoxaim, & Colaxaim, ex quo Scythæ omnes originem deduxerunt. Addebant etiam a Targitao uſque ad ingreſſum Darii filii Hyſtaſpis in Scythiam, mille tantum annos fluxiſſe. Hic Targitaus eſſe poteſt *Togorma*, de quibus hic loquimur, Gomer filius. A nativitate Togormæ, cum illum poſt tercentos dumtaxat a Diluvio annos natum credamus, uſque ad Darium Hyſtaſpis filium longe plures quam mille anni effluxerunt; ſed Scythæ non admodum in annorum recenſione diligentes erant; & hæc ipſorum eſt ignorantiæ no-

C ta, quod mille annorum tantummodo jactitarent antiquitatem, cum ſe terrarum omnium vetuſtiſſimos eſſe populos gloriarentur. Vide Juſtinum lib. 2. cap. 1.

Tertio, adſunt prope Cherſonneſum Tauricam *Torrecades* [2], & urbes Tracana, & Tamitaca. Hodie quoque extant *Temroc*, & Trimicia in Circaſſia, & inveniuntur quoque populi *Choraſmini* [3] appellati, qui a Scythis originem deduxerunt. Turcomania, vel Turkeſtan a pluribus Authoribus in majori Tartaria ſtatuitur, ad Boream, & Imperium magni Mogoli ad Meridiem. Verum quidem eſt nonnullos contendere illic Turcomaniam non adeſſe; atque in majori Armenia eſſe quærendam, quæ intra Georgiam ad Boream, minorem Aſiam ad Oc-

D caſum, Perſidem ad Orientem, & Diarbech ad Meridiem extenditur. Sed omnes fere authores conveniunt, Turcas eſſe ex origine Scythas; atque illud ſatis eſt, ut probemus, quod hic adnitimur, Togorma in Scythia vixiſſe, vel in Sarmatia. Quarto, nomen Sauromatum propius accedit ad Togorma, ſi *Tauromates* enunciemus juxta Chaldæorum dialectum. Plinius l. 6. c. 5. & 7. ponit Sauromatas poſt terga montis Caucaſi, & circum Tanais fauces. Ex Strabone l. 1. pag. 355. liquet, a veteribus Sauromatas, Hyperboreos, & Arimaſpes eos Scytharum populos vocatos fuiſſe, qui ſupra Euxinum Pontum, Danubium, atque Adriam immorabantur; quod cum iis convenit, quæ Plinius lib. 4. aſſerit, ſcilicet Scytharum nomen, Sarmata-

E rum, & Sauromatarum ad Germanos uſque tranſiſſe. Superius monuimus, Chaldaicam verſionem, & Talmudiſtas intelligere Togorma de Germania.

℣. 4. FILII JAVAN, ELISA &c.] Javan frequentavit Græciam, quæ antiquitus Ionia nominabatur, itaque poſteri illius in Græcia ſunt inquirendi. Invenitur Elis in Peloponneſo; Chaldaice hic vertitur Hellas אֵלָם. Joſephus autem intelligit de Æoliis. Villalpandus credit hos eſſe campos Eliſios in Inſulis Fortunatis. Arabs de Almeſiſia explicat, videlicet Mopſueſtia urbe Ciliciæ. Bochartus contendit hanc eſſe Peloponneſum, ubi Provincia eſt Elis nomine, cujus pars Aliſeum vocatur ab Homero.

Eze-

1 Strabo l. 12.
2 Apud Ptolom. Tab. 8. Europæ.
3 Strabo l. 11. pag. 358.

Ezechiel 27. 7. loquitur de purpura, quæ Eliſa Tyrum deferebatur. Etenim ad Eurotæ fluminis oſtia [1] piſcabantur magnam piſcium illorum vim, quibus ad veſtes purpureo colore inficiendas utebantur; & Veteres de Laconica purpura ſæpe loquuntur. Horatius.

----- Nec Laconicas mihi
Trahunt honeſtæ purpuras clientæ.

Ex his piſcibus capiebantur etiam in ſinu Corinthi, atque in Phocide prope Ancyram [2].

Tharsis] תרשיש. Joſephus, Chaldæi Paraphraſtes, atque Arabs explicant de Tharſo Ciliciæ urbe. Septuaginta, Sanctus Hieronymus, Theodoretus intelligunt Carthaginem. Vulgata *Tharſim* vertit *Carthaginenſes*, Ezech. 27. 12. Geographus Arabs hanc *Tunetum* eſſe arbitratur; & Euſebius credit, Hiſpanos a *Tharſis* originem duxiſſe. Bochartus hic favet Euſebio, & credit, Tharſim innuere *Tarteſſum*, Inſulam atque urbem in freto Gaditano, ubi Veteres aſſerunt celebre emporium extitiſſe. Bochartus probare conatur Tarteſſum a Phœnicibus excultam fuiſſe, qua in re in ſuam ipſe agit ſententiam, atque in ſuas probationes, quandoquidem oſtendit Javan Græcorum patrem fuiſſe; cum autem Tharſis ſit filius Javan, hinc oritur profectu regionem, atque urbem Tharſim ex Græcorum origine fuiſſe, atque a Græcis excultas.

Clericus pro Tharſi intelligit inſulam, atque urbem Thaſſi in mari Ægæo in litoribus Thracum ad oſtium fluminis Neſſi. Plinius fodinas, & marmora Thaſſi commendat. Herodotus illius divitias extollit; auri fodinas, ac vires maritimas. Verum cum ille doceat urbem hanc a Phœnicibus Europam quærentibus fuiſſe conditam, nulla profecto eſt probabilitas hanc eſſe Tharſim, a filiis Javan ædificatam.

Grotius credit Oceanum univerſum appellari Tharſim propter inſignem Tarteſſi urbem in Hiſpaniæ litoribus ſitam, quam alluit Oceanus. Pater Sanchez contendit, mare generatim vocari Tharſim, & a Scriptura naves Tharſis appellari illas, e quibus componitur claſſis, quibus mari uſus eſt, ut opponerentur naviculis, ac cymbulis, quibus utimur in fluviis. Ut vim addat ſententiæ, obſervat, Septuaginta Tharſim tranſtuliſſe mare. Hinc autem factum eſt, ut Interpretes irent in diverſa, quod nempe in libris poſt Moyſem deſcriptis nomen navium Tharſis tribuit, non illis dumtaxat, quæ Mediterraneum mare peragrabant, verum etiam illis, quæ ſolvebant Aſiongaber, ut in Oceanum per ſinus Arabici fauces progrederentur. Crediderunt autem numquam fuiſſe futurum, ut Scriptura uteretur vocibus iiſdem, ut diverſa admodum referret itinera, niſi unus tantum locus fuiſſet, cui nomen Tharſis. Duplicem igitur fuiſſe Tharſim arbitrati ſunt; in Mediterraneo alterum, alterum vero in Indico Oceano: atque tranſlatum eſt, *Naves Tharſis*, pro navibus Indorum, Oceani, maris, Africæ, &c.

Verum credimus ea, quæ diſſita admodum in Scriptura videntur, conciliari poſſe, quin duplicem hanc Tharſim inquiramus: & abſque eo quod procul a Mediterraneo ſtatuamus Tharſim, oſtendere adnitemur, primo Tharſim eamdem eſſe, quam Tharſum in Cilicia; ſecundo, naves Tharſis magnas fuiſſe naves, atque oblongas, & claſſem ejus magnitudinis, quam Phœnices inſtruebant iter facturi Tharſum Ciliciæ, per oppoſitionem ad parvas cymbas, & ſcaphas, &c.

I. Quæritur urbs, quam *Tharſis* filius Javan condiderit, urbs Græca origine, urbs maximi commercii, urbs maritima, & quæ cum Phœnicibus maxime immutarit merces, præſertim poſt regna Salomonis, atque Hiram, & poſt bellum Trojanum. Sed hæc omnia invenimus in urbe Ciliciæ Tharſo; quæ urbs eſt antiquiſſima, Ciliciæ caput, a Perſeo Danai filio condita juxta Solinum Polyhiſt. c. 51. & Lucanum l. 3.

Deſeritur Taurique nemus, Perſeaque Tarſos.

En autem Solini verba: *Ciliciæ matrem urbium habet Tharſum, quam Danaes proles nobiliſſima Perſeus locavit.* Strabo lib. 14. Tharſi conditæ honorem Argivis defert, qui cum Triptolemo perquiſiverunt *Io*. Alii [3] aſſerunt diei unius curriculo [4] a Sardanapalo Aſſyriorum Rege fuiſſe conditam; ſed melius dixeris, Urbem Tharſum, occupatam, auctam, inſtauratamque fuiſſe diverſis temporibus ab illis, quibus ipſius originis honor falſo delatus eſt. Condita fuit immediate a Tharſi, vel alio quopiam ex poſteris illius, qui nomen hoc urbi, totique Provinciæ tribuit. Sed cum Phœnices, atque Aſſyrii ſubinde potiti fuerint Cilicia, & Tharſum inſtaurarint, hoc ſibi decus vindicarunt, veluti conditoribus. Extant in Scripturis plura urbium exempla ſimilia, quæ conditæ ab iis feruntur, qui vel auxerunt, vel exornarunt tantummodo. Celeberrima ad hoc adferri poſſet Babylon, & aliæ quamplures.

Solinus cap. 51. aſſerit, Ciliciam olim ad Peluſium uſque late fines ſuos potuiſſe, atque Imperio ſuo comprehendiſſe Lydos, Medos, Armenos, Pamphiliam, & Cappadociam: ſed ab Aſſyrio domitam in anguſtiores fines fuiſſe redactam. Nomen ſuum a *Cilice* quodam deſumpſit, cujus memoria interea ferme periit, quæ magis abdidit, & celavit Antiquitas. Phœnicis filios fuiſſe dicitur [5] ex primis terrarum incolis, atque etiam antiquos magis, quam Jupiter fuerit. Hic habes, quæ Solinus ait de Cilicia; unde colligere poſſis inter Ethnicorum antiquitatem vetuſtius fuiſſe nihil, quam hujus Provinciæ conditores. Hoc omne tamen eſt veluti recens, habita ratione, & Tharſis filii Javan, & Japheth, a quo Ciliciæ populi originem hauſiſſe gloriabantur. Urbs *Anchiale* [6] in eadem ora, qua Tharſus, locata, nomen ſuum a quadam filia Japheth deducebat: & fluvius *Cydnus* [7], ad cujus ripas Tharſus erat condita, nomen deſumpſerat a Cydno *Anchiali* filio. Cydni hujus filius Parthenius fuiſſe dicitur, qui nomen ſuum urbi tribuit, de qua loquimur, quæ deinde *Tharſus* fuit appellata. Moyſes docet Iapheth habuiſſe filium Iavan, qui Iavan pater fuit Tharſis. Ita Hiſtoria Profana, & Sacra conveniunt Ciliciæ populis conditores tribuendo filios Iapheth.

Quamquam Urbs Tharſus ſita non eſt in maris ora, proxima tamen ſatis eſt, ut quibuſque navigationis commodis frui valeat, atque maritima civitas haberi poſſit. Flumen Cydnus, quod urbem hanc interfluit poſt ſex paſſuum millia in mare defluit: ita ut nullo negotio naves queant adverſo flumine Tharſum uſque pervadere: Situs ipſius maxime accommodus eſt ad ineundum cum Sidoniis commercium; nam priſcis illis temporibus, de quibus eſt ſermo, nondum audebant ſatis in altum vela dimittere, & Phœnices Syriæ litora legentes, facile Tharſum uſque vehebantur, ut illic totius Aſiæ minoris, omniumque regionum uſque ad Euphratem merces compararent: nam tunc, quemadmodum alibi docuimus, commercio Pontus Euxinus nondum patebat.

Quæ hactenus dicta ſunt, ſufficere poſſent, ut probetur Tharſum eamdem eſſe, ac Tharſim Scripturæ. Argumentum a nominis ſimilitudine deſumptum nullibi, quam hic, potiori jure vim decet habere. A Turcis ad hanc uſque diem urbs illa *Therſis*

1 Plin. l. 4. c. 36. Pauſan. in Lacon. 2 Pauſan. in Phocicis.
3 Strabo l. 14. Arian. Alex. l. 2. Athen. l. 12. 4 Sardanapali tumulo hæc inſcripta legebantur: Ἀγχιάλην ἔδειμε, καὶ Ταρσὸν μιῇ ἡμέρῃ.
5 Vide Herodot. l. 7. c. 91. 6 Stephan. in Ἀγχιάλη.
7 Euſtath. ad Dionyſ. Perieg. &c.

ſis vocatur. Author libri Judith 2. 12. 13. loquitur de filiis Tharſis in Cilicia, vias Holophernis deſcribens; *Cum pertranſiſſet fines Aſſyriorum, venit ad magnos montes Ange* (*Ange* fortaſſis, qui nomen habuerunt ab *Ange*, quam Tautras Cilicum Rex uxorem duxit) *Qui ſunt a ſiniſtro Ciliciæ .... Effregit autem civitatem opinatiſſimam Milet*, forte *Miletis* aut *Meliti* in Cappadocia, *prædavitque omnes filios Tharſis*. Propheta Ionas c. 1. 3. & ſeq. cum fugeret, ne Ninivem verſus progrederetur, Ioppe navem conſcendit, quæ Tharſum iter inſtituebat. Hæc igitur urbs erat ad oras Mediterranei maris. David Pſalm. 71. 10. ſimul ponit Reges Tharſis, & Inſularum veluti in oppoſito ſitu Arabiæ ſitui, & Saba. *Reges Tharſis, & inſulæ munera offerent; Reges Arabum, & Saba dona adducent*. Nullus eſt in Scriptura locus, ubi hæc vox occurrit, quod facilius ſecundum noſtrum ſyſtema nequeat explicari: neque ulla eſt objectio, quam illi inſiſtentes refellere nequeamus: cum aliæ hypotheſes difficilius defendi poſſint, & contradictionum ſpecies contineant.

Major difficultas, quam hac in re poſſis offendere, aliquibus Scripturæ locis innititur, qui videntur innuere, Salomonis claſſem petiiſſe Tharſim ab Aſiongaber: quod de Tharſi Ciliciæ nequit intelligi, cui claſſis hæc terga verrebat Aſiongaber diſcedens verſus Arabici ſinus fauces, & verſus Oceanum. Non poſſumus autem illorum ſententiam admittere, qui alteram Tharſim in Indiis fuiſſe contendunt, quoniam hæc opinio ne minima quidem ratione fulcitur. Alia igitur huic difficultati eſt quærenda ſolutio. Loci, qui afferuntur, eruti ſunt ex libris Regum, & Paralipomenon. Ecce autem locus Regum juxta textum Hebraicum l. 3. c. 10. 22. *Claſſis Tharſis, quam Rex habebat in mari cum claſſe Hiram: claſſis hæc e Tharſis auro onuſta ſemel per tres annos revertebatur*, &c. Locus autem huic reſpondens a Paralipomenon 9. 21. ita verti poteſt ad litteram: *Naves Regis ibant in Tharſim cum ſervis Hiram: hæ naves Tharſis ſemel in tribus annis revertebantur aurum deferentes*. In eodem Paralipomenon libro, Joſaphat cum Ochoſia Rege Iudæ ſocietatem iniiſſe dicitur, ut Aſiongaber claſſem ædificarent, quæ Tharſim peteret; ſed claſſe hac ventis fracta res illis e ſententia non ceſſit 2. Paralip. 20. 36. 37. Hoc autem illud eſt, quod validius ſententiæ noſtræ objici poteſt, cui nobis eſt occurrendum.

Ex quatuor his locis noviſſimi duo procul dubio magis hypotheſi noſtræ opponuntur; quos ſi in eum, qui prior menti occurrit, ſenſum intellexeris, naturaliter profecto ſignificant, naves, quæ in rubro mari inſtruebantur in locum contendiſſe, cui nomen *Tharſis*. Verum quemadmodum nullum novimus hujus nominis locum, quo ab Aſiongaber per mare rubrum iter poſſit inſtitui; & alioquin patet locum, quo naves hæ proficiſcebantur Ophir fuiſſe, ut facillimum eſt intueri, ſi ℣. 20. cap. 9. tertii Regum libri conferas cum cap. 10. ℣. 23. libri ejuſdem; & demum Tharſim procul dubio fuiſſe in oris Mediterranei, atque in loco, qui maxime aberat a via, qua iter eſt Ninive, uti apparet ex univerſa Ionæ [1] hiſtoria: atque ex Prophetis, qui inter Mercatorum naves, quæ appellebant Tyrum, naves Tharſis recenſent. (Vide Iſaiæ 23. 1. 14. & 60. 9. & Ezech. 27. 12. 25. & 38. 13.) Locis his ea eſt adhibenda explicatio, quæ omnibus faciat ſatis difficultatibus.

Arbitramur igitur, *Naves Tharſis* innuere velle oblongas naves, & magnas, iis perſimiles, quæ ſtruebantur, ut Tharſum in Ciliciam contenderent, &

A quæ fluctuum agitationi poſſent obſiſtere. In hoc autem ſenſu Prophetæ David, atque Iſaias animadvertunt, velut Dei potentiæ effectum, qui naves Tharſis infringit Pſalm. 67. 28. *In ſpiritu vehementi conteres naves Tharſis*. Et Iſaias 2. 16. ultionis Divinæ minas intentat ſuperbis, & potentibus, fortibus civitatibus, & montibus; & præſertim navibus Tharſis, quas Latini vocaſſent *Onerarias naves*, vel *Actuarias*, ut eas a Piſcatoriis ſecernerent ſcaphis, biremibus, liburnicis, lintribus &c. Scriptura etiam ſæpe [2] *Naves maris* memorat; quæ plane eædem ſunt ac naves Tharſis, ita vocatæ per oppoſitionem ad fluminum cymbas, quæ minores erant, uti inferius paullo oſtendemus.

Ex omnibus porro locis, qui objiciuntur, nullus B eſt, qui juxta hanc hypotheſim nequeat explicari; atque duo ex illis ſunt, qui ferme in alium ſenſum nequeunt detorqueri. *Navis Tharſis Regi in mari...* 3. Reg. 10. 22. *Semel tribus annis veniebat navis Tharſis*. 2. Par. 9. 21. Salomon in mari Rubro oblongas naves inſtruebat, quæ triennio quoque iter ſuum conficiebant. Paralipomenon locus penitus eſt ſimilis.

Quoad locus, ubi ſermo eſt de claſſi Joſaphat, & Ochoziæ [3] explicari poſſunt, perinde ac legeretur, *Naves ut proficiſcerentur Tharſim*, Naves illis ſimiles, quæ ædificabantur pro longinquis maris itineribus, quemadmodum illa ætate erant itinera a Ioppe, vel Sidone Tharſum in Ciliciam: & cum ait Scriptura claſſem hanc procellis dirutam non potuiſ- C ſe aſſequi Tharſim; id innuere poteſt, iter ſuum longiſſimi curſus perficere non potuiſſe; neque in Oceanum vela dimittere, ut mercibus oneraretur, quemadmodum paſſim oneranda Tharſum per Mediterraneum petere conſueverat.

Animadvertitur, Phœnicibus duplicem fuiſſe navium ſpeciem: aliæ quippe rotundæ erant forma, quas Gaulos [4] appellabant, aliæ vero majores erant, & quæ remis agebantur.

Polyænus l. 6. loquitur de rotundis Carthaginenſium navibus, quas ab illis diſtinguit, quæ remis impellerentur. Hæ vero poſtremæ naves illis reſpondent, quæ a Scriptura naves Tharſis vocantur. Fieri quidem poteſt, ipſam magnas has oblongaſque naves opponere parvulis ſcaphis e junco, & vimi- D nibus, quæ in Ægypto ſuper Nilum viſebantur, immo etiam in mari rubro. Plinius l. 5. c. 9. & l. 6. c. 22. refert, Æthiopes, qui mercaturæ cauſa Elephantidem appellebant, quam *Navigationis Ægyptiacæ finem* vocabant, uſos tantummodo fuiſſe vimineis lintribus, quos humeris ſuis imponebant, cum vel propter aquarum præcipites lapſus, vel rupes Nili fluctibus ſe ſe objicere non audebant. Herodotus quoque l. 1. deſcribit quaſdam parvas cymbas ex pruno ſylveſtri confectas, quibus ſuper Nilum utebantur. Denique ubique occurrit diſcrimen inter minores, majoreſque, ſeu oblongas naves.

CETTHIM] vel *Kittim* כתים. Septuaginta vertunt [5], *Citios*, vel *Citieis*, vel *Citiæos*; & Joſephus E intelligit inſulam Cypri, ubi eſt urbs *Citium* apud Veteres celeberrima. Addit quoque Hebræus vocare Chetim inſulas, omneſque oras maritimas. Joſephum ſequuntur Sanctus Epiphanius, Sanctus Hieronymus, Euſtathius, Interpres Arabs, aliique plures.

Nonnulli pro *Cetthim* inſulam Chion intelligunt; alii quaſdam nationes Indorum; alii Ciliciam, ubi *Citii* apud Strabonem reperiuntur, & *Cetis* regio apud Ptolomæum, atque Sanctum Baſilium Seleucienſem.

Chal-

1 Jonas 1. 3. & 4. 2. 2 Iſai. 23. & 9. 9. & Ezech. 27. 9. 15. 3 2. Par. 20. 26. 37.
4 Γαῦλοι Φοινίκιοι πλοῖα, ait Scholiaſtes Ariſtophanis, & Callimachus;
Κύπρως Σιδώνιέ μὲ ἀνθέγης ὅδαλε Γαῦλος,
ſcilicet: *Gaulus Sidonis me ex inſula Cypro devexit*.
6 Κιτιεῖς, vel Κιτιαῖς, vel Κιτιαῖοι.

Chaldæi Interpretes de Achaja explicant, ut Bocharto videtur, qui in eorum textum reſtituit *Achajam* pro *Aeſia*. Author primi Maccbabæorum libri cap. 1. ℣. 1. *Cethim* accepit pro Macedonia; quandoquidem Alexandrum *Cethim* Regem appellat; & cap. 8. 5. loquens de *Perſeo* a Romanis devicto, dicit *Cethim* regem fuiſſe. Iſaias cap. 23. 1. ait, Tyrum deletam fuiſſe, & neminem amplius venturum de terra *Cethim*, ſeu Macedonia. Bochartus credit, hic Prophetam de Suſiana loqui; ſed cur non de Macedonia erit intelligendum, cum tot adſint in Scripturis rationes, hoc nomine Macedoniam deſignari?

Regnum hoc antiquitus vocabatur *Macettia*, vel *Macetia* [1], & Macedones *Maceta* appellabantur. In hac regione mons Cittus [2] adeſt. Obſervari potuit ex iis, quæ ſupra de Thyras diximus, regionem, quam hodie Thraciam nuncupamus, olim a Populis habitatam fuiſſe, qui [3] *Sitines* nuncupabantur, deinde *Sinti*, & poſtea *Saii*. Veteres hi Thraciæ incolæ plane e progenie Cetthim originem duxerant, atque in Macedonia a Thracibus incluſi fuerunt, qui in eorum regionem impetum fecerunt. Eſſe quidem potuit, has Thracum irruptiones in cauſa fuiſſe, ut e Macedonia Medi alio migrarent, de quibus alibi locuti ſumus. Strabo l. 7. p. 221. & 222. oſtendit egregie, Thracas, alioſque Barbaros omnem fere Græciam poſſediſſe, eamque membratim veluti diſcerpſiſſe. Hoc autem de Macedonia præſertim oſtendit.

His argumentis, quæ pro Macedonia maximi roboris, nervorumque videntur, minimum obſiſtentibus, Bochartus contendit, Cittim Italiam ſignificare. Illud autem probare conatur. Primo, quod Alexander in Daniele Rex Javan appellatur, qui ſi Rex quoque Citrim vocaretur, Cittim, & Iavan adverſus Moyſis mentem, qui ea ſejungit, confunderentur. Verum quis rationis hujus infirmitatem non intelligit? *Cittim* pars eſt regionis Iavan: Alexander, qui Rex Iavan dicitur, non poteſt etiam Rex Cittim vocari; quemadmodum Rex idem, & Hiſpaniæ Rex eſſe poteſt & Caſtellæ?

Secundo, Bochartus eumdem Danielem c. 11. 30. profert, qui de claſſe Romana loquitur, nomine *Navium Cettim*. Sed tunc claſſis hæc erat in Macedoniæ Portubus, cum egreſſa eſt, ut duce *Cajo Popillo* bellum inferret Antiocho: locus hic videndus eſt in Daniele, & conſulendus Titus Livius lib. 45. cap. 10. Tertio, Bochartus locum citat e Numerorum libro 24. 24. ubi dicuntur naves Cittim profligaſſe Hebræos, atque Aſſyrios. Sed pro his Hebræis populos intelligimus trans Euphratem, quos Alexander edomuit, quemadmodum & Aſſyrios. Quarto, invenit in Italia urbem *Ceriam*, de qua Dionyſius Halicarnaſſæus lib. 8. & Plutarchus *in Coriolano* loquuntur; *Latii* nomen ex Arabica voce *Ketiim* deducit, quæ *latronem* ſignificat, uti quoque *Latinum a lateo*, quod idem ſignificat. Sed nullius ponderis ſunt poſteriora hæc argumenta, præcipue cum ſola ſint. Plures Interpretes profert, qui pro *Cettim* Romanos intellexere in eo Danielis loco c. 11. 29. 30. Verum Interpretes hi innuerunt dumtaxat, ſe intelligere in eo loco, Romanam claſſem, quin ſtatuerent, utrum *Cettim* Italia eſſet, an Macedonia; atque utrum claſſis illuc e Macedonia, vel Roma conceſſiſſet.

DODANIM] רודנים, vel quemadmodum legitur 1. Paralipomenon 1. 7. & in Textu Samaritano in hoc loco רודנים *Rodanim*. Septuaginta quoque hic *Rodanim* legiſſe videntur, quoniam vertunt Rhodior. Euſebius, S. Hieronymus, & S. Iſidorus adhærent Septuaginta. Sed Bochartus oſtendit *Rhodiorum* nomen poſt Moyſis tempora diu inventum fuiſſe. Diodorus Siculus l. 5. ait, Inſulam hanc nomen duxiſſe a virgine quadam, cui nomen Rhode. Alii [4] nomen hoc fluxiſſe putant a pulchris roſis, quæ in hac inſula oriuntur. Alii [5] dicunt nomen illius vetus fuiſſe *Ophiuſam*, perinde ac Serpentina vocata fuiſſet a magna ſerpentum vi, qui illic ſæviebant. Plinius l. 5. c. 31. hæc illi nomina tribuit, vel potius Epitheta: *Ophiuſa*, *Aſteria*, *Æthræa*, *Trinacria*, *Corimbia*, *Pœeſſa*, *Atabyria*, *Macris*, *Oloeſſa*. Ait autem *Rhodum*, & *Delum* diu ſub aquis maris latuiſſe, antequam apparerent: Et Pindarus Olymp. 7. ex veteri populorum traditione ait Rhodum nondum detectam fuiſſe, cum Dii inter ſe terras diviſerunt. Rhodum primitus habitatam fuiſſe, tantummodo prope Cecropis tempora, ferunt. Denique inſula Rhodus parvula nimium videtur portio pro uno e filiis Iavan. Hæc ferme ſunt, quæ Bochartus ait, ut oſtendat, *Rhodios* nequaquam intelligendos eſſe pro *Rodanim*.

Aſſerit vero inter Gallos quærendos eſſe ad oſtia *Rhodani*, cujus nomen ad *Rodanim* maxime accedit. Invenitur [6] prope hoc flumen in regione Maſſilienſium, terræ tractus *Rhodanuſia* vocatus cum civitate cognomine, & in Galliis *Rhedones*, vel *Rennes*; & urbs *Rhodumna Seguſiorum*, hodie *Roane*. Hæ ſunt præcipuæ hujus authoris rationes ad probandum Rhodanim habitaſſe inter Gallos, ac nomen dediſſe Rhodano, regionibuſque finitimis.

Rejicit vero ea, quæ Plinius lib. 3. cap. 4. & Sanctus Hieronymus præfat. lib. 2. in epiſt. ad Galatas dicunt de urbe *Rhoda* hodie *Roſa* Rhodiorum colonia, quæ nomen Rhodano tribuit. Contendit autem hoc ſine ulla veriſimilitudine afferri; & Roſam, cum ſit in Hiſpania, atque abſit a Rhodano ultra quinque, & quinquaginta leucas, non potuiſſe celebri illi fluvio nomen imponere, qui ſemper *Rhodanus* vocatus fuit, quoad licet conjicere. Veteres numquam alio vocarunt nomine. Optarem equidem, Bochartus validius probaſſet, *Rhodanim* fuiſſe primos Maſſilienſium litorum incolas, ac terrarum, quas Rhodanus alluit; & ipſe quoque illius argumentis nova quædam addere vellem; aſt in illius ſententia nihil eſt, quo contenti eſſe poſſimus.

Alii quidam [7] tuentur Hebraici textus lectionem; & credunt pro *Rhodanim* præſtare legi *Dodanim*, & hujus nominis regionem prope Græciam, vel in Græcia eadem inveſtigare. Invenitur celebre Oraculum, fluvius, atque urbs Dodona in parva provincia cognomine in Epiro. Dodonæi ſunt e populis Græciæ antiquiſſimi. Homerus Odyſſ. T. vocat *Jovem Dodonæum*, & *Pelaſgicum Dodonæ patronum*.

Loquitur quoque de Dodonææ Quercus Oraculo. Herodotus lib. 2. aſſerit hoc Oraculum Græciæ oraculorum eſſe vetuſtiſſimum. Aderat etiam, antequam in Græciam magna illa Divinitatum copia inferretur, quæ extitit deinde. Oraculum hoc conſuluere, cum quæſitum eſt, an in Græciam admittenda eſſent nomina, quæ Barbari Numinibus ſuis impoſuerant. Hoc autem tempore Dii nominibus ſuis appellari cœpere, cum illi ſacrificia offerrentur. Pelaſgi, qui Dodonæ ſedem ſuam conſtituerant, in omnem Græciam effuſi, hanc ibi religionem communicarunt. Ex his porro Dodonæis Pelaſgis orti ſunt Pelaſgi illi, qui in Italiam venerunt.

Euphoras apud Strabonem lib. 5. & 7. & Dionyſius Halicarnaſſæus lib. 1. docent, Dodonæos a Pelaſgis originem deduxiſſe, vel potius Pelaſgos a Dodonæis; & Pelaſgorum partem a Deucalione e Theſſalia ejectam rediiſſe ad Dodonæos veteres illorum fratres, velut ad ſacrum, & inviolabilem aſylum, ubi eos aggredi pro locorum ſanctitate auderet nemo. Dionyſius Halicarnaſſæus ait, hos Pelaſgos ſex generationum tempore fuiſſe in Peloponneſo, atque inde in Theſſaliam veniſſe, unde poſt ſextam generationem a Deucalione expulſi fuerunt. Hinc de Pelaſgorum antiquitate judicium ferri poteſt. Recenſitis pro duodecim generationum ſpatio annis ſexcentis, ſi a Diluvio Deucalionis ad Noe Diluvium, & Babylonicæ Turris æ-

1 Vide Heſych. Μακεττία ἡ Μακεδονία. 2 Xenoph. L. de Venar. p. 229 edit. Baſil. an. 1555.
3 Strab. l. 12. p. 380. Vide & l. 7. p. 222. 4 Scholiaſtes Pindari.
5 Strabo l. 14. 6 Vide Marcian. Heracleot. & Steph.
7 Medus. Clericus &c.

dificationem aſcendimus, inveniemus ſane Pelaſgorum originem non admodum a Babylonicæ diſperſionis tempore abeſſe; nam Diluvium Deucalionis ab hac diſperſione poſt annos ſexcentos, & quinquaginta quinque circiter ſtatuimus.

Cæteroquin Pelaſgorum nomen apud Phœnices ſignificat vagos homines, errabundos, quibus nulla eſt certa ſedes. Hæc vox illorum vivendi rationem, ac ſtudia innuit, non iis vero originem; itaque mirum eſſe non debet, ſi cum tanta ſit nominum Dodonim, & Pelaſgorum differentia, alteros ab alterutris originem deduxiſſe contendimus.

Dicitur autem Oraculum Dodonæum ſortes ſuas reddidiſſe per plures lebetes ſibi prope invicem ſuſpenſos, qui ventis agitati ſonitum edebant, quo Dii ſuam promere voluntatem credebantur. Svidas refert, ſimulacrum quoddam Dodonæa Quercu inſidens dextera baculum geſtaſſe, quo lebetem percutiebat, atque eo pacto promebat Oracula. Hebraica vox *Dod*, unde nomen *Dodonim*, vel *Dodanim*, quandoque lebetem ſignificat. Hæc ethymologia, & ratio, qua reddebantur oracula, probat ſimul nominis Dodonæ originem, & vetuſtatem.

Neſcio, utrum Titanes, quos Fabulæ Cœli filios, & Terræ dicunt, ex numero ſint poſterorum Dodanim. Hi Titanes erant [1] *Oceanus*, *Coeus*, *Hyperion*, *Crius*, *Japetus*; ſorores ipſorum *Thetis*, *Rhea*, *Themis*, *Mnemoſyne*, *Phebe*, *Dione*, *Dia*, *Titanides* appellatæ. Apollo, quoad Solem ſignificat, *Titan* vocatur. Tiphœus, Briaræus, Ægæus, Elous, Enceladus, ſunt hi quoque Titanum e numero. Nomen *Titanim* non diſtat admodum a Dodanim. Antiquitas primarum, aliarumque circumſtantiarum ex ipſorum Hiſtoriis, conjecturæ huic poſſent ſuffragari. Saturni Mater *Titæa* vocabatur; Frater Saturni major natu *Titan* appellabatur. *Titan*, vel *Dis* natus erat, & regnaverat prope Dodonam; atque erat e genere Titanum. Plures Græciæ populi ſe Titanum eorumdem progeniem eſſe jactabant. Principes hi poſſidebant Phrygiam, Thraciam, Græciæ partem, Cretæ inſulam, aliaſque plures Provincias. Jupiter admodum eorum auxit imperium.

℣. 5. AB HIS DIVISÆ SUNT INSULÆ GENTIUM, &c.] Nomine *Inſularum Gentium* intelligendæ ſunt omnes inſulæ, & regiones a continenti Paleſtinæ ſejunctæ, quo Hebræi nonniſi mari poterant proficiſci: Hiſpanias intellige, Gallias, Italiam, Græciam, Aſiam minorem &c. Bochartus recte quidem oſtendit, Phœnices in omnibus his regionibus commercium habuiſſe, atque illic colonias reliquiſſe, ſuique ſermonis veſtigia. Sed difficile eſt, ipſos potuiſſe tot regiones incolis frequentes reddere, & tot Colonias deducere, quot ipſis adſcribuntur. Nemo profecto ibit inficias, Græcos ſedes ſuas conſtituiſſe in Mediterranei inſulis, in Aſia minori, in Italia, & in Gallorum litoribus, quæ Mediterraneum alluit; verum non adducor, ut credam, temporibus Moyſis, omnes has colonias conſtitutas fuiſſe; quod nonniſi plurium annorum intervallo peragi potuit. Filii Iapheth primi fuerunt harum incolæ regionum.

SECUNDUM LINGUAM SUAM, ET FAMILIAS SUAS IN NATIONIBUS SUIS.] Hæc omnia intelligenda ſunt ratione temporum, quæ Diſperſionem Babylonicam ſubſecuta ſunt, de qua Moyſes nondum locutus eſt. Ante hanc diviſionem familiæ ſejunctæ non erant, non conſtitutæ nationes, nec ulla in orbe linguarum erat diverſitas.

℣. 6. FILII AUTEM CHAM, CHUS, ET MEZRAIM.] In hæreditatem Cham cuncta ceſſit Africa, ac magna pars Arabiæ, & Syriæ; & Nembrod nepos illius poſteris Sem ademit regiones pulcherrimas in Babylonia, Suſiana, atque Aſſyria. Cham in Ægypto permanſit; ibi plurima nominis ſui extant veſtigia, atque credibile eſt, ipſum poſt obitum divinis honoribus affectum fuiſſe. Ægyptus in Pſalmis ſæpe terra Cham dicitur, Pſalm. 77. 51. & 104. 23. 27. & 105. 22. In Plutarcho *de Iſide, & Oſiride* Ægyptus *Chemia* appellatur. Quædam e Nomis Ægyptiis nomen habent *Chemmis*, *Psochemmis*, *Pſittachemmis*; quibus vocibus nomen Cham permixtum eſſe intuemur. Iupiter Ammon celebris adeo Oraculis ſuis plane idem eſt, qui Cham. Agnoſcitur in ea regione Urbs Ammonia, & Provincia Ammoniaca. Africa univerſa *Ammonia* dicitur; inſignis Thebarum urbs *No-ammon* vocatur, ſcilicet Ammonis ſedes. Nomini Cham adſpiratio eſt adempta; atque e *Cham* factum eſt *Ammon*.

Poſteri Chus filii Cham eam Arabiæ partem incoluerunt, quæ in Orientalem rubri maris oram, & Arabicam Nomum in Ægyptum inferiorem protenditur. Hanc regionem plerumque nomine terræ Chus intelligit Scriptura, uti oſtendimus ſupra cap. 2. 13. Alia quoque aderat regio Chus in Araxene, uti ibidem oſtendimus: denique regionem Chus aliquando, ſed infrequentius, Æthiopiam ſignificare ultra Ægyptum, atque ad Meridiem, cognoſcimus. Hic autem veteres omnes Græci, Latinique Interpretes ſtatuunt regionem Chus; ſed tres Chus regiones diſtinguere præſtat, ſicuti fecimus, ut Scripturam ipſam ſibi conciliaremus.

MIZRAIM.] Fatentur omnes Mizraim Ægypti populos ſignificare, vel ipſam Ægypti regionem. Numeri ratio, quo hoc nomen exprimitur, non patitur, illud de uno tantum homine intelligi. Mizraim ſignificare poteſt Ægyptum duplicem, ſuperiorem, inferioremque; Meridionalem partem, quæ verſus Æthiopiam patet, ac inferiorem, quæ Boream reſpicit, & mare Mediterraneum, vel duos Ægypti populos citra Nilum, atque ultra.

Veteres Authores [2] quidam commenti ſunt, Ægyptum ſenſim factum fuiſſe terrarum congerie, quas Nilus ex imo Æthiopiæ devexit. Negare tamen nolim, flumen hoc Ægypti terris altitudinem quamdam addidiſſe, & regionem hanc aliquantiſper in Mediterranei litore auxiſſe: verum liquet, ſtatim a Babylonicæ Turris ædificatione, Ægyptum occupatam fuiſſe a Cham, atque hanc eſſe ex terrarum regionibus unam, quæ primum fuerit exculta. Urbs Hebron, quæ adeo eſt antiqua, ſeptem annos tantummodo condita fuit ante Tanim, urbem Ægypti inferioris; ubi Moyſes tot miracula patravit. Filius Cham, cui Ægyptus ceſſit, vocabatur plane Mazor, vel Mezor. In veteri Calendario Ægyptio, menſis primus erat *Meſori*. Urbs inferioris Ægypti caput, Memphis, hodie quoque Mezer ab Arabibus nuncupatur.

In Michæa 7. 12. fines Chanaan ſunt a Mezor; uſque ad fluvium, ſcilicet ab Ægypto uſque ad Euphratem. Kimchi, & Bochartus explicant de Ægypto locos quoque 4. Reg. 19. 24. & Iſai. 19. 6. ubi ſermo eſt de fluminibus Mazor, quod alibi ad examen vocabimus. Reor autem, Mezor, & Mizraim proprie ſignificare inferiorem Ægyptum, cum qua frequentius quam cum reliqua regione Iſraelitæ inibant commercia: quare ſæpius adeo de illa loquitur Scriptura. Hoc vero nomen ad omnem Ægyptum reliquam extendunt. Hæc quoque regio *Rahab* aliquando in Scriptura vocatur, Pſalm. 81. 14. & 88. 11. & Iſai. 51. 9. ſed nomen hoc præ ſe ſumptum Deltæ modo convenit, quam veteres Ægyptii *Rib* [3] appellabant, ſcilicet pyrum propter formam illius. Arabes hoc eodem nomine ad hanc diem vocant. Videri poteſt Bochartus, qui hæc omnia prolixius explicat.

PHUT.] פוט. Nominis hujus veſtigia in Africa paſſim

1 Apollodor. Bibl. l. 1. c. 1.
2 Diodor. l. 1. Herodot. l. 2. Ariſtotel. Meteor. l. 1. c. 14. Ephorus &c.
3 Storus Hieroglyph. l. 1. c. 7. vide Mag. Ethymolog.

piſſim repetiuntur ; exempli gratia, flomen *Phut* [1] in Mauritania, urbs *Putea*, vel Phur prope Adrumettum ; in Marmarica, portus *Pthia*. Sed ne a vulgata methodo noſtra recedamus, quærere debemus *Phut* in Ægypto. Invenimus Nomum, vel terram *Phtemphu* in Plinio, & *Phtemphuti* in Ptolomeo, vel *Phtembuti* ; Nomus hic Lybiam verſus maxime ſitus erat. Nahum 3. 9. poſteri Phuth illis accenſentur, qui opem ferre debebant *No-ammon*, ſeu Thebis. Ieremias 46. 9. & Ezechiel 30. 5. illos cum Ægypti populis ſtatuunt. Arbitramur autem, illorum ſedem fuiſſe in Nomo *Phtenote*, cujus caput erat *Butus* ; vel in Nomo *Phtemphut*, cujus caput *Tava*. Subditi illi erant Nechso Ægyptio Regi temporibus Ieremiæ.

Chanaan.] כנען, regionem incoluit, quæ nomen Chanaan ſervavit uſque ad Iſraelitarum adventum, qui duce Ioſue ea potiti ſunt. Poſt id tempus in duodecim Tribus diviſa fuit, ac Iſraelis nomine appellata. Poſt reditum a Babylonis captivitate, Iudææ nomine notior extitit. Authores quidam [a] crediderunt Phœnices, qui poſteri Chanaan ſunt celeberrimi, e maris rubri littoribus in Phœniciam veniſſe, & regionem hanc [3] *Phœniciam* appellaſſe, nomine deducto a Græca voce φοῖνιξ *Phœnix*, quæ rubrum ſignificat, in monumentum nominis Rubri Maris, in cujus oris primitus fuerant immorati. Uſſerius conjicit, Phœnices eos, qui e Rubro Mari venerunt, fuiſſe Paſtores, ſeu *Tyſos*, qui cum aliquandiu in Ægypto regnaſſent, inde ejecti in Phœniciam migrarunt.

Sed Bochartus *Phœnicum*, vel *Punicorum* nomen a *Bene-Anakim* בני ענק filiis *Enacim* deducit : Chananæi nomen parentis ſui Chanaan deſeruerunt, eo forte conſilio, ut opprobrium maledictionis effugerent, qua illum percuſſerat Noe ; atque acceperunt apud Exteros nomen filiorum Enach, qui erat inſignis Heros, & Gigantum pater in regione Chanaan. Sed veteres non paſſi ſunt intermori memoriam Chanaan veri Phœnicum patris. Eupolemus apud Euſebium l. 9. Præp. de illo explicite loquitur ; & falſus Sanchoniaton apud Philon. in Euſeb. Præp. l. 1. eum vocat *Chna*, quod certe eſt Chanaan nomen brevius factum. Septuaginta Exod. 16. 35. Joſue 5. 12. Prov. ult. 24. &c. nomen *Chanaan*, & *Phœnicis* confuderunt, & Chananæa quædam Phœniſſa vocatur in novo Teſtamento ; ut innoteſcet conferentibus Matth. 15. 22. & Marc. 7. 26. Philiſtæi occuparunt partem regionis Chanaan, ut inferius videbimus.

℣. 7. Filii Chus : Saba, et Hevila, et Sabatha &c.] Plerique veterum arbitrati Æthiopiam veram eſſe regionem Chus, filios illius in Africa ſtatuerunt. Recentiores vero, qui crediderunt, Chus in Arabia fuiſſe immoratum, oſtendere adniſi ſunt, nepotes illius eas terras obtinuiſſe. Sed cum alia nobis Hypotheſis ſit propoſita, credimus, partem filiorum Chus Arabiam incoluiſſe ; aliam vero in Nembrod imperio, præſertim in Aſſyria, Suſiana, Araxene, finitimiſque terris habitaſſe.

Saba.] סבא. Hoc nomine Ioſephus Æthiopes intelligit, quorum urbs caput Saba vocabatur, antequam Meroe vocaretur. Sanctus Hieronymus explicat de Sabæis, thuris copia celeberrimis in Arabia. Bochartus ponit Saba in iiſdem regionibus ad ſinum Perſicum apud Omanites. Chaldæus Interpres habet *Sirinæos* pro Saba. Moyſes in hoc capite tres diverſos Saba fuiſſe memorat, & quartum addit Geneſis 25. 3.

Hevila.] חוילה. Hæc Hevila regio differt ab alia ejuſdem nominis notata inferius ℣. 29. Verum latet, de utra loquitur Moyſes cap. 2. ℣. 11. Alteram in Arabia Felici ponimus prope flumen, quod

A Euphrates, ac Tigris conjuncti componunt, & Perſicum ſinum. Alteram vero in Colchide ad Phaſim. Vide, quæ dixerim in caput 2. ℣. 11. Inveniuntur in Arabia Colothei apud Strabonem ; Chaulaſii apud Feſtum Avienum ; Chablaſii apud Dionyſium ; & Chaulatii apud Priſcianum. Hi poſteri ſunt Hevilæ, Bocharti ſententia, quem eruditi plures ſequuntur.

Sabatha.] סבתה. Via, quæ ducit ad ſinum Gerrhæorum in Arabia deſerta, urbs adeſt, cui nomen *Saphta*, cujus meminit Ptolomæus. In ſinu Perſico Inſula eſt, vel peneinſula *Sophta* nuncupata. Hæc eſt colonia Sabathæorum Arabiæ, ut Bochartus cenſet ; verum nonne potius eſſet ſpecies quædam Meſſabatarum, quos Plinius ſtatuit in finibus B Medo-Perſiæ, & Elamitarum ? Strabo l. 16. eos ſtatuit in Provincia Elam. Plinius l. 6. 27. Eulæi curſum deſcribens ait, ipſum in Media originem ducere, & per Meſobatenem præterfluentem Suſorum arcem circum ambire. Maſobatem vero ſtatuit ſupra Coſſæos Boream verſus in monte Cambalide. Hi Meſſabatæ eſſe poſſunt poſteri Sabathę ; & proximi ſunt Coſſæis, & Ciſſiis aliis poſteris Chus. Ptolomæus Meſſabatas ſtatuit in Perſide. Plinius lib. 2. c. 88. urbem *Sabatham* memorat in Aſſyria triginta a Seleucia ſtadiis.

Regma.] רעמה vel *Rehema*. Ptolomæus lib. 6. c. 7. urbem, cui nomen *Regma*, vel *Rhegama* ponit ad ſinum Perſicum paullo infra oſtium in ſinu Ichtiophagorum. Liquet per Ezechielem 27. 22. *Sabam*, C & *Regma* divites fuiſſe aromatibus, lapidibus pretioſis, & auro ; quod maxime hanc regionem decet, ubi hæc omnia affluenter inveniuntur. Vox Hebraica רעמה variis modis enunciatur, vel *Ramah*, vel *Rhegma*, vel *Rhema*, vel *Rema*. Quædam exemplaria Septuaginta Interpretum habent *Rhamma* ; ſed Theodoretus legit *Regma*. Littera *Ain* ſæpius enunciatur ut G, exempli gratia in Gaza &c.

Sabathaca.] סבתכה. Bochartus credit, Sabathacam ex Arabia, unde originem duxerat, in Carmaniam migraſſe per ſinus Perſici fauces. Eſt in hac regione fluvius *Samidochus*, & urbs *Samidaca*, quam credit eſſe Sabathacam, vel *Sabitaca*, cum plerumque litteræ M, & B confundantur, ut pluribus oſtendit exemplis : veluti *Berodach* pro *Merodach* ; D *Lebna* pro *Lemna* &c.

Filii Regma, Saba, et Dadan.] Credi poſſet hunc Sabam שבא filium Rhegma incoluiſſe trans Euphratem, & prope Charan, Eden, Aſſur, & Chelmad ; quoniam Scriptura illum his populis jungit in Ezechiele 27. 23. In Carmania eſt urbs, & fluvius *Sabis* [4] ; & Dionyſius Periegetes [5] ponit populos, qui *Sabæ* vocantur apud Paſargadas, qui ſunt prope Perſidem juxta Strabonem.

Bochartus ſtatuit *Saba* filium Rhegma in Arabia : prope regionem Rhegma oſtendit regionem Saba, ubi veteres ponunt Sabæos ; & montes Sabo, de quibus loquitur Arianus, *in Periplo*.

Urbs *Dedan* erat ad Orientem Rhegma. Hodie vocatur *Daden*, & regio finitima *Dadena*. Bochartus ait, per E Ezechiel. 27. 15. intelligi, Dedan fuiſſe maritimam regionem, & ideo aliam ab urbe Idumææ Dedan, de qua loquitur Jeremias 25. 23. & a Dedan conſtituta uno ex poſteris Abraham [6]. Urbs hæc a mari diſtat, & fluviis ; prior vero eſt ad ſinum Perſicum. Verum non advertit Bochartus, propinquitatem Sinus Perſici minime propinquam reddere Dedan Tyro, & Dedan maritimam ab Tyro abeſſe longius, quam Dedan Idumææ. Non ſecus autem probat, poſteriorem hanc a nepote Abrahæ conditam fuiſſe.

Id tamen non obeſt, quin ſtatui queat Dedan in

H 3 Ara-

a Ptolom. Plin. Joſephus, S. Hieron. Euſeb. Euſt. Iſidorus.
2 Herodot. l. 1. c. 1. Juſtin. l. 18. Diodor. l. 16. Strabo l. 1. &c.
3 Φοινίκη. Phœnicia. φοῖνιξ, Ruber.
4 Ptolom. Plinius.
5 Πρὸς Σάβας, μετὰ τοὺς δὲ Πασαργάδας.
6 Geneſ. 25. 3.

Arabia; quoniam Idumæa veluti Arabiæ pars conſideratur. Nec deſunt qui Dedan collocent in Palmyrenorum provincia; ubi mons eſt Aladam, vel Alſadadan. Septuaginta loco *Filii Dedan* vertunt, *Filii Rhodiorum* in Ezechiele c. 24. 15. ut S. Hieronymus animadvertit. Illi Hebraice legerunt Redan, pro Dedan. Joſephus pro Dedan, legit Judan. Ex hoc autem Juda quoſdam Judæos ortos fuiſſe ait qui inter Æthiopes Occidentales morantur. Verum quid innuere velit cum ſuis Æthiopiæ Judæis, latet.

℣. 8. PORRO CHUS GENUIT NEMBROD: IPSE COEPIT ESSE POTENS IN TERRA.] Septuaginta [1] Hebraicum textum ita vertunt: *Cœpit eſſe Gigas in Terra*. Syriaca verſio, & Arabica, atque Onkelos quoque explicant de Gigantæa ſtatura Nembrod. Author Chronicorum, quæ Methodio tribuuntur, ait duodecim paſſuum altitudine præſtitiſſe Nembrod, quod admodum ab omni diſtat veri ſimilitudine. Cœpit eſſe potens in terra. Inter alios emicuit virtute, ac viribus ſuis, atque in alios homines injuſtam, violentamque tyrannidem occupavit. Nembrod ſignificat *Rebellem*, *Apoſtatam*. Dicitur antea vocatus fuiſſe *Ninnah*, nomen, quod urbi Ninive tribuit.

℣. 9. ERAT ROBUSTUS VENATOR CORAM DOMINO.] Septuaginta [2] vertunt: *Gigas Venator*; vel juxta alium [3] Interpretem: *Violentus Venator*; quod intelligi poteſt in naturali, & litterali ſenſu de viro, qui venatus exercitatione milites docet, ac inſtruit, ut ſibi aditum aperiat ad Tyrannidem, quoniam venatus eſt Militiæ tyrocinium, ait Xenophon Cyropæd. l. 1. ac idem Author oſtendit ſub libri initium, cui de Venatione titulus, Chironem a Diis, veluti juſtitiæ præmium, venandi peritiam accepiſſe; cujus exercitatione maxime celebres Heroas in ſuo inſtituit gymnaſio, & maxime Inſignes antiquitatis imperatores, Cephalum, Æſculapium, Melanionem, Neſtorem, Theſeum, Hippolytum, Palamedem, Ulyſſem, Meneſthæum, Diomedem, Caſtorem, Pollucem, Machaonem, Podalirium, Antiochum, Æneam, Achillem. Ita quoque Nembrod potentiam ſibi comparavit, ſeque aliis terribilem reddidit. In ſenſu vero figurato dici poteſt, Nembrod magnum fuiſſe Venatorem, ſcilicet, Uſurpatorem, Tyrannum. Ezechiel 32. 30. *Venatores* appellat omnes Borealium regionum Principes, qui Judæos afflixerant. Syriace habetur; *Gigans belliger coram Domino*; Arabice, *Gigas terribilis*. Aliqui credunt ipſum hominum fuiſſe venatorem. Vide, quæ adnotavimus in Thren. 5. 13. & Eccli. 31. 7. & Iob. 19. 16. Prov. 6. 56. Jerem. 16. 16. ubi Scriptura veteri huic conſuetudini videtur alludere homines capiendi retibus, vel pedicis, quæ tendebantur, veluti belluis ſylveſtribus.

Hæc verba, *Coram Domino*, innuere poſſunt Nembrod maxime fuiſſe potentem, inauditarumque virium. Ita Scriptura Ninive magnitudinem oſtendit, dicens eam fuiſſe magnam coram Domino: *Civitas magna Deo*, & de S. Joanne Baptiſta loquens dicit, Ipſum fore magnum coram Domino: atque ut pulchritudinem Moyſis adoleſcentuli oſtendat, ait eum fuiſſe *Venuſtum Deo* [4]. Ita Nembrod erat potens coram Domino; ſcilicet juxta Vatablum, erat hominum omnium fortiſſimus.

Rabbini quidam, veluti Abenezra, & Kimchi, quos ſequitur Grotius, explicant de meritis Nembrod, ac illius religione, qua offerebat Deo ſacrificia, atque oblationes rerum earum, quas venabatur. Sed vulgo hæc omnia in pravum ſenſum intelliguntur. Creditur autem fuiſſe Nembrod violentus

A uſurpator, qui politiæ ordinem immutavit, qui populos oppreſſit, novumque cultum inſtituit &c. *Coram Domino*, perinde ac eſſet, *contra Dominum*. Vide Auguſtinum lib. 4. de Civit. cap. 4.

Profani plures Nembrod characteres Baccho tribuerunt. Nomen idem *Bacchus* oriri videtur e בר כוש *Bar-Chus*, qui erat Filius Chus, quia Nembrod e Chus originem hauſerat. Græci nomen *Nebrodeus*, vel *Nebrodes* [5], quod Baccho tribuitur, deducere voluerunt ex quadam caprina pelle, Græce *Nebris*, quam deferebat; cum a Nembrod ſit deducendum, quod nomen ſignificat rebellionem filiorum Chus [6] contra Noe, alioſque illorum temporum Patriarchas. Veteres etiam Baccho nomen tribuunt venatoris, quo Moyſes Nembrod appellat. Res geſtæ,
B ac itinera Bacchi in Indias victorias Nembrod referunt, quas de finitimis, quos ſuæ ditioni ſubjecerat, reportavit. Nembrod autem cum Noe plane confuſus fuit, cum Baccho vini, & vitium adinventum adſcripſere. Vide Bochartum Geograph. ſacr. lib. 1. cap. 2.

OB HOC EXIVIT PROVERBIUM, QUASI NEMBROD ROBUSTUS CORAM DOMINO.] Proverbium hoc plane Hebræis erat in more poſitum Moyſis ætate. Scriptura ſimilibus aliquando utitur proverbiis, non ut eis, quæ narrat, pondus adjiciat; ſed ut incredulos convincat, Authorem Sacrum nihil ſcripſiſſe, quod in vulgus editum non eſſet, vel ſimpliciter ut orationem ornaret.

℣. 10. PRINCIPIUM REGNI EJUS BABYLON, ET
C ARACH, ET ACHAD, ET CHALANNE IN TERRA SENNAAR.] Patet hæc omnia per prolepſim dici; & Regnum hoc conſtitutum fuiſſe dumtaxat poſt Babylonicæ Turris ædificationem. Nembrod igitur immoratus eſt illic, ubi turris hæc fuerat incohata, ibique reſtitit, dum alii alio migrare debuerunt. In Babylonem vero primum, atque tres urbes hic notatas imperium ſuum Nembrod exercuit. Ambigitur autem utrum hæc Babylon ſit celebris illa hujus nominis urbs, inſignis adeo in Scripturis, atque Profanis, a Belo ædificata, a Semiramide aucta, a Nabuchodonoſor exornata. Abydenus apud Euſebium Præpar. l. 9. aſſerit, locum, ubi Babylon magna extructa eſt, aquarum colluvie primum obrutum fuiſſe, & antequam exſiccaretur, Mare fuiſſe
D appellatum. Iſajas 23. 13. ait ab Aſſyriis ædificatam fuiſſe. Marshamus in Canon. Ægypt. ſæcul. 17. Nabonaſſar illius extitiſſe conditorem, & hic *Babylonem* innuere, non urbem hujus nominis, ſed Provinciam Babyloniam, in qua poſtea ædificatæ fuerunt *Erech*, *Achad*, & *Calne*.

Sed cum pleriſque Interpretum, credimus, Nembrod incepiſſe Babylonis opus eximium, illumque potiſſimum Authorem fuiſſe, qui homines ad extruendam Turrim adegit, cujus opus interruptum fuerit Artificum perturbato ſermone, & Linguis eorum, qui adlaborabant, confuſis. Hæc vero civitas ad eam magnitudinem, ac magnificentiam, quam Scriptura, atque Hiſtoria Profana deſcribunt, non pervenit, niſi poſt plurium ſæculorum
E lapſum.

IN TERRA SENNAAR.] De hac loquemur capite ſequenti ℣. 2.

ARACH.] Per *Arach*, vel *Erech*, Veteres intellexerunt Edeſſam, vel Niſibim in Meſopotamia, Armeniam verſus, & procul admodum Babylone. Sed Bochartus credit intelligendam eſſe urbem *Aracam* a Ptolomæo in Suſiana poſitam ad Tigrim, poſt illius conjunctionem cum Euphrate. Ammianus l. 23. illam *Arecham* vocat. Ex hac autem urbe Agri *Arecthæi*,

1 ἤρξατο εἶναι γίγας ἐπὶ τῆς γῆς. Heb. גבור בארץ הוא החל להיות.
2 Γίγας κυνηγός. 3 Βίαιος κυνηγός.
4 Exod. 11. 2. ἀστεῖος τῷ Θεῷ.
5 Anthologi. l. 1. c. 32.
6 נמרוד de מרד Rebellare.

Bal, a Tibullo memorati l. 4. Eleg. 1. nomen ſuum deſumpſerunt;

Ardet Arectais aut unda per hoſpita Campis.

Hæc atve referta erant Naphtæ fontibus, qui ignem aliquando concipiebant, ut Tibullus eit verſu allato. De hac plane Erech loquitur Herodotus l. 1. & l. 4. ſub nomine *Anderica*, vel Ardericæ, quam a Suſis abeſſe ait ſtadia decem, & ducenta, e puteis vero, unde naphta eruitur, ſtadia quadraginta. Nomen *Ard-Erica* ſignificare poreſt magnam Erech; *Ard* apud Perſas magnum ſignificat.

ACHAD] אכר. Septuaginte ¹ *Archad*. Chaldæi plerumque addunt R in nominibus, ubi lirrera eſt duplex per Dageſch: ita pro Dammeſchech, dicunt Darmeſchech; & *Argel* pro Aggel &c. Hinc autem credimus urbem *Argad*, vel *Archad*, vel *Achad* fuiſſe ad fluvium *Argadem* in *Sitacene* Perſidis Provincia. Ptolomæus quoque loquitur de Provincia *Acabene*, ad Tigrim: quod ed nomen *Achad* accedit. Hæc Provincia admodum eſt Aſſyriæ proxima. Author idem loquitur etiam de *Sacada*, in Adiabene, ad Orientem Tigris, & ſub Ninive.

CHALANNE] כלנה. Creditur hæc eſſe eadem urbs, quæ *Calno* in Iſaia 10. 9. & Channe in Ezechiele 27. 23. appelletur. Civitas hæc eſſe debebat in Meſopotamia; illa prope eſt Cheten, Eden, Aſſyriæ, & Chelmad, quæ Tyrum mercaturæ populos dimittebant. Eruditi quidam crediderunt, Chalanne eamdem fuiſſe, ac Callinicum, Meſopotamiæ urbem ad Euphratis oras; ſed Bochartus mavult, eſſe Cteſiphontem ad ripas Tigris, tribus paſſuum millibus a Seleucie Babyloniæ ². Interpretes Chaldæi, S. Hieronymus, & Euſebius idem quoque intellexere. Chteſiphon erat urbs caput provinciæ cujuſdam in Aſſyria, quæ Calonite ³ nuncupabatur. Aliqui Græci Patres ⁴ crediderunt, *Calne*, vel Chteſiphonte turrim Babylonicam ædificatam fuiſſe. Septuaginta ⁵ ſententiæ huic locum præbuere: quoniam Iſaiam 10. 9. ita vertunt: *Regio, quæ eſt ultra Babylonem, & Chalanne, ubi turris extructa fuit*. Euſtathius in Homerum Iliad. 1. hanc profert Patrum ſententiam. Plinius l. 6. c. 26. palam ait, Chteſiphontem conditam fuiſſe in Chalonite ed tertium e Seleucie milliare, Seleuciam vero quadraginta paſſuum millia e Babylone abeſſe. Strabo vero diſtare ait ſtadiis trecentis.

℣. 11. DE TERRA ILLA EGRESSUS EST ASSUR.] *Aſſur*, filius *Sem*, Nembrod importenrie coactus ut Babyloniam deſereret, & agros Sennaer, qui illi ceſſerant in hæreditatem, verſus Tigris origines receſſit in eam regionem, cui ipſe *Aſſyriæ* nomen indidit, vel *Aturia*. Condidit autem urbem Ninive, quæ fuit caput Aſſyriorum imperii. Hunc ſenſum tribuere poſſumus huic loco, ſi *Aſſur* proprium hominis nomen intelligas.

Sed Bochartus quorumdam eruditorum ſuffragiis ſuffultus contendit, *Aſſur* hic nomen eſſe Provinciæ: atque locum hunc eſſe intelligendum, perinde ac legeretur: *De terra illa (Nembrod) egreſſus eſt in Aſſyriam* &c. Nembrod cum diſceſſiſſet ex terra Sennaar Aſſyriam verſus proceſſit, ibique Ninivem ædificavit. Hic ſenſus minime ſcripturæ conſonus eſt; ea enim pro *Aſſur* regnum Aſſyriæ vult intelligi. Propheta Michæas 5. 6. apellat *Aſſur* terram Nembrod: *Paſcent terram Aſſur in gladio, & terram Nembrod in lanceis ejus*. Contextus orationis Moyſis poſtulat, verbo, *egreſſus eſt*, nominativum adjici *Nembrod*; quia dixit, initium imperii illius fuiſſe, Babylone, Erech, & Achad. Hinc autem illi narrandum fuiſſe videtur, quinam fuerit hujus Imperii progreſſus. Denique ſi *Aſſur* intelligas filium *Sem*, omnis tollitur ordo narrationis. Hic agitur tantum de poſteris Cham, cur igitur huc Sem obrepit? Cur de

A Aſſur actionibus habetur oratio, antequam oſtendatur qui ſit, cujas ſit? Hoc non eſt aliquid Aſſur peculiare, quod e terra Sennaar fuerit egreſſus, quoniam homines omnes egreſſi ſunt dempto Nembrod, & ſubditis illius.

Hac voce, *Egreſſus eſt*, intelligi poteſt, aggreſſus eſt, bellum intulit Aſſyriæ. Verbum *egredi* in Scripturis ⁶ frequenter in hanc ſententiam uſurpetur. & אשור *Aſſur* hic poteſt eſſe poſitum pro אשורה *Aſſurah*, in Aſſyriam. *He*, vel particula, quæ motum, & migrationem ab uno loco in alium ſignificat, ſæpius omittitur in nominibus locorum. Vide 2. Reg. 6. 10. 1. Paralip. 13. 13. &c.

ET ÆDIFICAVIT NINIVEN.] Tres fuiſſe Ninives aſſerunt: unam in Syria, alteram in Aſſyria, tertiam B in Perſide. Hæc, de qua modo loquimur, eſt Aſſyriæ caput ad Tigrim ſita, e priſcis nomine *Nini*, *Ninevi*, *Nineve*, cognita. Mirum eſt, inſignis adeo civitatis ſitum quæ erat Ninive, adeo parum agnoſci. Alii ad Tigrim ſtatuunt, ad Euphratem alii: hi in Orientali plaga, illi vero in Tigris ora occidentali. Viatores novi aſſerunt, antiquam Ninivem fuiſſe ad Orientem hujus Fluminis, extare adhuc magnæ hujus urbis rudera; atque in ulteriori fluminis ripa eſſe urbem *Mozul*, vel *Mozil*, quæ ex Ninive cementis condita fuit. Plinius e contra l. 6. c. 13. eam ſtatuit in occidentali fluvii hujus littore, quod eſt probabilius. Alii Geographi ad lævam fluvii ejuſdem conſtituunt, qua in re cum Plinio conveniunt. *Mozul*, vel *Mozil* eſt in eadem fluminis ripa.

C Profani Hiſtorici aſſerunt, Ninivem a *Nino* conditam fuiſſe, primo Rege Aſſyriorum; verum niſi *Ninus* cum Nembrod confundatur, dicendum eſt, decus hoc Ninive conditæ *Nino* fuiſſe delatum, quod illam ſolum vel auxerit, vel decorarit: uti quoque Scriptura Judith. 1. 1. eſſerit, *Arphaxad* (vel *Phraartem*) ædificaſſe *Ecbatanam*, quamquam liquet, a *Dejoce* extructam fuiſſe, a Phraarte vero decore auctam, atque amplitudine. In Scripture nulla adſunt compoſita verba; eademque utitur voce, ut ædificare, & reædificare ſignificet. Non tradimus hic Babylonis, & Ninive deſcriptionem; quia quodcumque e Græcis, vel Latinis authoribus ſuppetit, reſpicit tempus, quod diu poſt Moyſem eſt ſubſecutum.

PLATEAS CIVITATIS.] Hebraicus textus רחבת D עיר Rohoboth hir innuere poteſt urbis latitudinem, urbem amplam, vel Urbis vias. Septuaginta & plures interpretes hic ſervant nomen *Rehobot*, & Vulgata idem alibi ſervet, ſcil. Geneſ. 36. 37. 1. Par. I. 1. 48. atque pro urbis proprio nomine intelligit. Aliqui credunt Moyſem addidiſſe *Rohobot* nomen *Civitatis*, ut æquivocum vitaret vocis *Rohobot*, quæ vias ſignificat. Alii contendunt Moyſem hic voluiſſe innuere extenſionem viarum in urbe Ninive; Jonas 3. 3. ait, illam trium dierum itineris longitudine patuiſſe: ſed profecto ambitum illius ſignificare voluit. Diodorus l. 2. c. 3. illi ſtadiorum 480. longitudinem tribuit, quæ ſunt milliaria 60. Sed certum eſt *Rohobot* urbem ſignificare a Ninive diſtinctam. Vide Geneſ. 36. 37.

E In eo autem difficultas conſiſtit, ut ipſius ſitum ſtatuamus. Aliqui aſſerunt hanc eſſe *Orobam* ad Tigrim. Bochartus aliquot proponit conjecturas, ut oſtendat, hanc forte fuiſſe *Birtam*, vel *Virtam* ⁷; quam Ptolomæus ponit ad Tigris Occaſum verſus Lyci fluminis oſtium; ſed credere videtur, hanc potius eſſe urbem ab Arabibus appellatam *Rahabath Melic*, ſcilicet Rehabeth Regis, propterea quod ibi Idumææ Regum unus, Saul vocatus, originem duxerit ⁸. Geographus Nubiæ Clim. 4. parte 5. eam ſtatuit infra Cercuſam, atque infra Chaboræ in Euphratem ſe ſe exonerantis oſtium. Hujus tantum diſtantia a Ninive obſtare poteſt, ne hanc *Rahabat*, eſſe

1 Ἀρχάδ 2 Strabo l. 16. 3 Plin. l. 6. 26. 4 Baſil. Cyril. Gregor. Nazianz. Conſtant. Manaſſ.
5 Τὴν χώραν τὴν ἐπάνω Βαβυλῶνος καὶ Χαλάννη, οὗ ὁ πύργος ᾠκοδομήθη 6 Deuter. 1. 44. & 2. 22. & 33. & 3. 1. & 1. Reg. 21. 7. & 8. 20. & 2. Reg. 2. 12. 7 Ammian. l. 20. 8 Geneſ. 36. 37.

eſſe Moyſis *Rohobar* credamus.

CALACH.] כלח. Hæc eſt profecto urbs princeps Chalachene prope Lyci fluminis originem [1]; & eadem ac *Calacine* Ptolomæi [2], ac regiones Calaſſitæ, vel Claſſitæ, de quibus loquitur Plinius l. 6. cap. 26. quas prope Adiabenem conſtituit. Bochartus credit Chalach, de qua hic ſermo, eſſe eamdem ac Halah חלח 4. Reg. 17. 6. & 18. 11. memoratam. Adhæret illa Chabor fluvio Provinciæ Gozan: ex quo conjicere licet, illam eſſe debuiſſe prope Choboræ fluvii fontem, non procul a monte Maſio. Iſidorus *Characenus* ponit urbem Chala, velut Provinciæ Calonitæ caput, quæ a Media monte Zagro ſejungitur.

℣. 12. RESEN INTER NINIVEN, ET CHALE: HÆC EST CIVITAS MAGNA.] Non liquet ſatis, utrum ad Niniven, vel *Chale* hæc referantur verba: *Hæc eſt civitas magna*: verum quemadmodum patet *Niniven* olim fuiſſe Urbem ampliſſimam, eamque plane temporibus Moyſis jam extitiſſe, hoc illi ſuffragatur præjudicium. Geographi aliquot Meſopotamiæ urbium nomina ab oblivione vindicarunt, quę ſatis ad Rheſen nomen accedunt. Extat in hac regione Rheſina epiſcopalis civitas ſub Antiocheno Archiepiſcopo [3]. Ammianus Marcellinus lib. 23. cap. 14. loquitur de Reſaina urbe celeberrima propter victoriam, quam a Perſarum Rege Gordianus retulit. Extant quædam Græca numiſmata in hac urbe cuſa, cum hac inſcriptione: *Septimia colonia Reſainesium*. Vide Cellarii Aſiam lib. 3. cap. 15. pag. 733. Ptolomæus Raiſenam vocat, vel juxta exemplare Palatinum, Reſainam. In Stephano videtur ſub nomine Reſinæ, & in Notitia nomine *Raſin*. Ad fluvium Chaboram ſita erat. Reſen Moyſis erat inter Niniven, & Chalach; libri Regum 4 ponunt Chalah cum Chabor, quod inſinuat, Chalah non admodum abfuiſſe a fluvio Chabora; atque ita minime eſſet abs re, in hujus fluminis ora Reſen ſtatuere.

Bochartus credere videtur Reſen eamdem eſſe, ac Lariſſam a Xenophonte memoratam lib. 3. de Expedit. Cyri Junioris. Hujus urbis octo paſſuum millia erat ambitus. Syllaba *La* profecto nihil eſt aliud quam articulus; & verum urbis hujus nomen eſt *Riſſa*, ut Bochartus ait. Extant in Scripturis quædam urbium nomina cum præpoſitionibus ſuis ſcripta, vel articulis, perinde ac articulus ille nominis partem componeret. Exempli gratia 1. Paralipomenon 5. 26. dicitur Rex Aſſyriorum Iſraelitas traduxiſſe ad *Lahela*, cum eos adduxerit ad *Hala*.

℣. 13. MEZRAIM GENUIT LUDIM.] Paraphraſtes Hieroſolymitanus vertit: *Mezraim fuit pater habitantium in Mareotide* Terra Ægypti. Bochartus acriter contendit legendum eſſe *Meroitas*; & valida adfert argumenta. Porro Meroe urbs eſt caput Æthiopiæ. Joſephus retulit *Ludim*, & alios quoſdam Mezraim poſteros non ſubſiſtere amplius, & pridem Æthiopicis bellis fuiſſe deletos. Sanctus Hieronymus hac in re illum ſecutus eſt. Quidam crediderunt Lydos, quorum Cræſus Rex fuerat, fuiſſe poſteros Ludim: ſed hæc ſententia nullos habet aſſeclas. In Jeremia cap. 46. 9. legimus Ludim conjunctos cum *Cuſch*, & *Phut*. Ezechiel 27. 10. & 30. 5. eos cum *Phut*, & *Paras* memorat; niſi in textum error obrepſerit, legendumque ſit pro *Phras*, *Phatros*, qui eſt populus Ægypti. Alibi ſimul cum *Phut*, & *Chus* ponitur, ex quo licet conjicere populos hos vel in Ægypto fuiſſe, vel Ægypto, atque Arabiæ finitimos.

Profecto Paraphraſtes Jonathan pro *Ludim* vertit *Neutaei*, ſcilicet Ægyptios Nomi *Neout*, de qua loquitur Ptolomæus. Arabica verſio habet *Thenneſaei*, incolas Thenneſæ prope Peluſium, de qua loquitur Caſſianus Collat. 11. c. 2. quam, reor, rationi maxime conſentaneam eſſe ſententiam. Hinc autem difficultas oritur ſtatuendi regionem Ludim, & factum eſt, ut Joſephus, & S. Hieronymus hos populos deletos fuiſſe arbitrarentur, quod non inveniretur in Ægypto, finitimiſque locis veſtigium aliquod certum nominis illorum.

Bochartus oſtendere conatus eſt Ludim eſſe Æthiopes: ſupponit enim *Chus* ſignificare Arabiæ populos, non Æthiopiæ. Poſtea argumenta ſua pro Ludim depromit. Prima illius ratio deſumitur a nomine *Lud*, quod Arabice ſignificat flexuoſum eſſe, atque Mæandri more ſerpere, uti quoque *Luz* ſignificat Hebraice. Geographi loquuntur de Nili ſinuoſis flexibus, quos *Ancones* vocant, vel cubitos Nili in Æthiopia. Herodotus illum ob hoc Mæandro Aſiæ fluvio comparat, his ambagibus celebri. Sed harum infirmitas rationum apparet; nullius penitus ſunt roboris, ut credamus, Ludim nomen ſuum a Nili flexibus deſumpſiſſe, quod nulla ratione poteſt probabile videri. Hi populi, uti omnes alii nomen ſuum regionibus dedere, quas incoluerunt; non ita vero nomen ab illis mutuati ſunt. Præterea quomodo videri probabile unquam poteſt, populum ſibi flexuoſi nomen accipere, propter fluvii flexus, qui per ejus regionem dilabitur? Secundo, Ludim in Scriptura [5] commendantur, veluti ſagittis arco emittendis apprime callidi. Authores profani loquuntur de Æthiopibus veluti de ſagittariis eximiis. Rex quidam Æthiopum cum legatis Cambyſis Perſarum Regis reſponderet, illis miræ magnitudinis arcum dono dedit, quem Cambyſi offerrent, ut cum Perſæ arcum illum facile tractare poſſent, tunc de inferendo Æthiopibus bello cogitarent. His populis nullus erat pharetræ uſus; ſed capiti ſuo, veluti radios, ſagittas circumponebant. Claudianus:

Gens circumpoſitis crinem velata ſagittis.

Tela vero non ferro præfixa erant, ſed illorum apices lapide maxime duro, acutoque muniebantur. Hæc autem ſpicula venenabant, ea virulento quarumdam herbarum ſucco imbuentes, ut ait Theophraſtus; vel draconis ſanguine, ut aliis lubet. Tertio, Iſaias ſimul ponit *Phul*, & *Lud*, veluti finitimos populos. Urbs Phila, quæ plane ita a nomine Phul vocabatur, erat inter Ægyptum, ac Æthiopiam poſita [6]. Aſt vereor, ne pro *Phul* legendum ſit *Phut* in Iſaia, quemadmodum in duplici Ezechielis loco 27. 10. & 30. 5. Græci in Iſaia legerunt *Phud*, vel *Phut*. Sed Phut erat procul dubio in Ægypto inferiori. Vide ſuperius ℣. 6. Quarto, Ludim ſunt filii Mezraim; Æthiopes quoque, ait Bochartus, ſunt Ægyptiorum colonia; quoniam tot res ſunt ipſis cum Ægypto communes [7]; maxima in Reges obſervantia, mortuorum cura, eorum efferendorum ratio, Hieroglyphicæ litteræ, ornatus iidem pro illorum Sacerdotibus, Circumciſio denique utrique populo communis [8]. Hic habes eximii hujus viri potiorem partem argumentorum; ſed aliquid validius, ac tutius ſupereſt deſiderandum.

ANAMIM.] ענמים. Paraphraſtes Jonathan per *Anamim* intelligit Mareotidis incolas; Targum Hieroſolymitanum incolas Pentapolis; & Arabica verſio illius regionis viros, ubi deinde Alexandriæ urbs eſt ædificata. Bochartus credit, Anamim eos eſſe populos, qui prope Jovis Ammonis templum immorabantur, ac in Naſamonitide. Hi populi Ægyptiæ ac Æthiopicæ originis erant, juxta Herodotum l. 3. & eorum lingua utrorumque populorum ſermonis particeps erat: illiſque plures erant ſuperſtitiones Ægyptiis perſimiles. Adſunt quoque in Africa Amanientes, & Garamantes, qui fortaſſe ab Anamim originem duxere. Geographi [9] hos ultra Ammonios ſta-

1 Strab. l. 11. & l. 16. 2 Ptolom. l. 6. c. 1.
3 Vide Holſten. Not. in Geograph. ſacr. Caroli a S. Paulo. 4 4. Reg. 17. 6.
5 Iſai. 66. 19. & Jerem. 46. 9. 6 Strabo l. 5. & alii plures. 7 Diodor. l. 3.
8 Herodot. l. 2. 9 Solinus c. 41. Plinius l. 5. c. 5.

ſtatount. At illud in mantem savecandum eſt, hos populos, aum vogi eſſent, & abſque ulla ſtata ſede, longinquius ſines ſuos poſuiſſe. Nomen Garamantum otiri poteſt ex Habraico *Ger*, quod advanam, viatorem ſignificat, & *Anemim*; perinde ac diceret, vagos *Anemim*. Eorum princeps civitas appellatur Garamana a Solino cap. 42. Habitant vero in ipſo ferma Africæ centro; atque ad Vaſpaſiani uſque tempora fere ignoti fuarunt.

LAABIM.] להבים. Pleſique pro his populis *Lybies* intalligunt, val ut illes vocat Stephanus, *Libiſſios*, qui ſunt e veteribus Africæ populis. Incoluerunt illi Mediterranei maris litora, & ax illis pres Maurorum, juxta Salluſtium, nomen accapit, pro Medorum nomine, quod populi nonnulli ex Herculis acia accaperunt, qui ſe Lybicis adjunxerunt. Maurorum nomen deduci poteſt ex Hebraico *Mur* מור, vel *Mor*: quod ſignificat, eſſe in motu: nomen quod illis tribui potuit praptar viram illorum vagam, atque incoultancam.

Bochartus cradit Laabim propius Ægyptum habitaſſe, atque eſſe Lybies Ægypti, da quibus veteres quidam loquuntur nomine *Lybi-Ægyptiorum*. Manent illi ad Thebaidis occaſum in arenoſo ſolo, atque Solis ardoribus aduſto. Vox *Lebabim* ſignificat inflammarum, accenſum; atenim *Lebabab*, flammam ſignificat.

NEPHTUIM.] נפתוחים. Hi populi admodum ignoti ſunt. Jonathan intelligit *Pentaſchanites*, de quibus loquitur Stephanus [1]. Arabica aatam verſio intelligit Caemanios. Junius credit, *Nephtuim* eſſe populum Æthiopiæ, cujus caput eſt *Nepata*, vel *Nepatea* inter *Sienem*, & *Meroem* ſita. Plinius l. 6. c. 29. Ptolomæus, Strabo lib. 17. & Stephanus loquuntur de inſula Meroe, quæ erat caput Ragni Candacis Raginæ. Bochartus ſtatuit Naphtuim in Marmarica, vel in Troglodytida. Inveniuntur in Marmarica, vel potius in Cyrenaica, *Adermachides*, & *Apsuchi fanum*, quod nomen dedit urbi a S. Auguſtino Apronga appellara. Credi poſſet, *Neptunum* e *Nephtuim* oriri. Herodotus lib. a. pag. 184. teſtatur, hunc eſſe deum ab Africanis conſtitutum, ex illis ſcilicet, quos Græci acceperunt. Ægyptii non denegabant huic Dei dignitatam, verum nullo eum peculiari cultu proſequebantur.

Plutarchus ait, vocem *Nephtus* apud Ægyptios ſignificare maris litora, & montium, qui in maria aquas protenduntur, declivitatem. Huia argumento Bochartus innititus, cum ait, *Nephtuim* eſſe Troglodyras, qui in Occidentalibus maris subri oris incoluerunt. Verum hanc ſententiam auervat pluribus argumentis daductis, præcipua ex ao, quod in Scriptura Troglodytæ appellantur *Suchim*, & *Ziim*, quæ voces nullam habent tationem ad Nephtuim; atque ex eo, quod Troglodytæ non erant Ægyptii, ſed Arabes origine juxta quoſdam Authores. Sed ax iis omnibus, quæ adfert, nihil eſt, quod cogat, ut Junii ſentantiam deſeramus, atque eorum, qui Nephtuim ponunt prope *Napheam*, & *Landim*. Nomen Nephtuim in nomine *Nephtys* inſpicitur Saturni filiæ, & conjugis Typhoei: illa nullos ex *Typhoo* filios adidit; ſed Anubim genuit ax furtivo aum Oſiride concubitu. Vidarl poteſt Plutarchus in libro ſuo Iſidis, & Oſiridis.

℣. 14. PHETRUSIM.] פתרוסים. Paraphraſtes Jonathan hoc explicat de Ægyptiis, qui in Delta immorabantur: Hieroſolymiranus vero de Paluſii inculis; & verſio Arabica de Jemanitis in Arabia Felici. Nonnulli Phetruſim ſedem fuiſſe tradunt Urbem Petram in Arabia, alii segionem Pharuſiorum, vel Phauruſiorum in Africa ad Oceanum Atlanti-

A cum. Bochartus has umnes rejicit ſentantias, & contendit Phetruſim incoluiſſe Thebaidem, quæ in Scriptura *Patros* appellatur. Similitudo quæ intereſt inter *Patros*, & *Petruſim* magnum eſt pro ipſius ſententia argumentum. Præterea Patros eſt nomen Provinciæ non ita parvæ in Ægypto, ut liquat ex iis, quæ aſſerunt Prophatæ Jeremias 44. 15. & 30. 14. & Ezechiel 29. 14. Aliquando hi loquuntur valut da Provincia ab Ægypto divarſa [2]; aliquando vero eam ſtatuunt inter regionis hujus Provincias; ita Thebais quandoque veluti Ægypti pars conſideratur, quandoque etiam, ut ab eadem ſejuncta. Invenitur in hac regione Nomus, aut terra *Pathures*, aut *Pathurites*, a Plinio memorata lib. 5. c. 9. atque a Ptolomæo [3], ſed cum levi aliqua differentia.

B Jeremias recenſens populos, qui afficiandi erant ſuppliciis a Deo immiſſis, eos nominat a Juda incipiens uſqua ad Ægyptum, & ab Ægypto ad Patros. Marſhamus obſervat veteres diviſiſſa Ægyptum trifariam. Ægypti inferioris caput erat *Tanis*, vel *Heliopolis*; Ægyptus media erat regio Patros; Superior veru Thebais. Ex Jeremia 44. 15. atqua Ezechiele 29. 14. liquat, Patros Ægyptiorum provinciam fuiſſe: *Reducam captivitatem Ægypti, & collocabo eos in terra Phatures, in terra nativitatis ſuæ*, &c. S. Hieronymus in hunc Ezechielis locum loquitur de urbe Pathures, quæ eſt hujus Provinciæ caput. Cellarius credit eam fuiſſa ſub eodem parallelo ac Coptos, & Tantyra; ſed ex qua Nili parte later.

C CHASLUIM.]] כסלוחים. Paraphraſtes Ionathan vertit *Pentapolitanos*. Pentapolis incolas, vel Cyrenaicæ. Paraphraſtas Hieroſolymitanus, *Pentaſchanites* in Ægypto inferiori. Arabica verſio, Saide populos in Thebaide. Quidam pro Caſluim intelligunt Sarracenos, qui in Iſthmo commorantur, qui eſt intar mare Rubrum, & Meditarraneum. Parvula hæc regio Caſſiotis vocatur propter Caſſium montem, qui Ægyptum ſeparat a Palæſtina. Sed apparet non a Caſluim nomen ſumpſiſſe; verum quod tamquam limes Palæſtinam clauderet ex ea parra; nam *Kez* Hebraice limitem ſignificat, axtremitatem.

Bochartus affert maximam rationum vim, ut oſtendat Casluim incoluiſſe Colchidem. Primo, nomina *Colchis*, & *Chasluim* ſibi invicem accedunt.
D Secundo, Veteres [4] ax Ægypto Colchidis accarſunt incolas. Maxima aſſersi poſſet Authorum manus, Poetarum, Hiſtoricorum, Geographorum; verum hi iidem Hiſtorici aſſerunt, hunc Seſoſtrim fuiſſe Ægypti Regem, qui ibi exarcitus ſui partam reliquit; quod Bocharti conatus diruerat, ſi varum aſſet, Seſoſtrim idem aſſe, ac *Seſac* [5], qui Templi Hieruſalem divitias abſtulit, Roboamo Salomonis filio regnanta, qui ideo racentior longe eſſet, quam Moyſas. Varum Bochartus contendit, Seſoſtrim nullam in hac regione reliquiſſe coloniam; quoniam, ut Plinius lib. 33. 3. & Valerius Flaccus referunt, a Colchidis populis victus fuit, ita ut ibi incolas relinquare non potuerit. Addit etiam anta
E Seſoſtrim Argonautas Colchidis regionem petiiſſa; atque ideo aſſeri nequaquam poſſe, quod ibi Seſoſtris Ægyptias colonias conſtituerit.

Demum ait ea, quæ Herodotus lib. a. narrat, qui inter allatos eſt veſuſtiſſimus, nequaquam eſſe perpendenda, valuti ab Aathora profecta, qui rumorem tantummodo, & populorum saferat opinionem; nam ſententiam ſuam da Colchorum origine indiciis probat, quæ jure nullo poſſunt rajiai, exempli gratia, ex coloſe ſubnigro, & Colchidis, & Ægypti populis communi; ex nigris capillis, & cincinnatis, ax circumciſione, lini uſu, ejuſdem ela-

1 Stephan. in μάγδωλοι, & in ταχόμψος.
2 Iſai. 11. 2.
3 Ptolom. πάθυρις, vel πάθυρις.
4 Apollon. Argon. l. 4. Dionyſ. Perieg. v. 639. Priſcian. Faſt. Arien. Valer. Flacc. Herod. l. 2. c. 104. Diod. l. 1. Strab. l. 1. Ammian. l. 22. Agath. l. 2.
5 3. Reg. 14. 25.

elaborandi ratione, denique ex eadem lingua eademque vivendi ratione. Hæc omnia haud ſane ſunt contemnenda; imo majori in pretio eſſent habenda, ſi rite ea probaſſet Herodotus[1] præſertim illud, quod de Lingua, & vitæ ratione Colchorum aſſerit, atque de harum cum Ægypti lingua, & ritibus conformitate: nam quemadmodum hæ notæ ſunt minus æquivocæ, ac tutiores; ex illis prævalida erui poſſent argumenta, ſi melius probatæ forent, & diligentius relatæ.

Sed cum propius has perpendimus rationes, ipſarum facile detegitur infirmitas. Juxta Bochartum dicendum eſt, populos, qui Chasluim vocantur, immediate ex Ægypto egreſſos fuiſſe; qui cum ſedes ſuas in Colchide ſtatuiſſent, dimiſere colonias, quæ Palæſtinæ, & Cappadociæ partem frequentarunt; tunc temporis jam habuiſſe circumciſionem; & ad Herodoti uſque tempora ritus omnes, & linguam Ægyptiorum ſervaſſe; vel dicendum erit, ut re ipſa Bochartus ait, primos Chasluim, qui in Colchide immorabantur, nondum circumciſionem habuiſſe, cum Cappadoces, & Philiſthæi ex ea regione ſunt egreſſi: cum poſt illarum Coloniarum exitum dumtaxat, Colchi hanc arripuerint conſuetudinem, Ægyptios parentes ſuos imitati; atque hinc contigiſſe, quod neque Philiſthæi, neque Cappadoces umquam circumciſionem habuere, quoniam e Colchide exierant, antequam ibi hæc obtineret conſuetudo.

Sed hoc non ſolum ſine ulla probatione, verum etiam ſine ulla veriſimilitudinis ſpecie aſſeritur. Qua ratione impelli poterant Colchi, ut Ægyptiorum exemplo ſe ſe circumciderent, cum alii populi æque ac ipſi, Mizraim poſteri, incolentes Africam, & ferme e regione Ægypti, animum non adverterant, ut hac in re dumtaxat Ægyptios imitarentur? Quomodo Colchi, qui ſupra tercentas, & quinquaginta leucas aberant ab Ægypto, impelli potuerunt, ut mores, ritus, & circumciſionem Ægyptiorum edocerentur, dum hi illos eo proſequerentur odio, ut Seſoſtris cruentum illis bellum intulerit; neque Ægyptii eos abs ſe ortos fuiſſe, umquam fuerint[2] recordati? Hoc profecto inter eos parum commercii innuit interceſſiſſe, ut credamus, Colchos operam navaſſe, ut Ægypti ritus ediſcerent, & eos uſque ad circumciſionem excipiendam amplecterentur. Operæ pretium ſane foret, agnoſcere[3], quandonam Ægyptii circumcidi cœperint, & quando Colchi illorum exemplum ſint imitati. Si Herodoto aures præbuerimus, Ægyptus conſuetudinem hanc in ipſo primordio rerum obtinuit, eumque morem populis omnibus communicarunt, qui circumciſionem habuere. Sed Bochartus minime credidit, Herodoti ſententiam ſibi eſſe amplectendam; quippe nullo pacto eam probari poſſe intellexit. Oſtendimus alibi[2], circumciſionem ſero in Ægyptiorum more fuiſſe poſitam; atque hos illam ab Iſraelitis didiciſſe.

Hæc omnis Authorum, quos profert Bochartus, copia minimum roboris habet, iique omnes, veluti unus tantum ſunt perpendendi, quoniam illi in Herodoti ſententiam abiere, cujus authoritas hac in re levis plane momenti eſt, ſiquidem, ut ipſe idem fatetur, levibus conjecturis innititur, & cognitioni, quam hauſiſſe arbitratur ex indiciis, de quibus locuti ſumus, potiuſquam traditioni, & populorum ſententiis[3], quæ in rebus hujuſmodi magna digna ſunt animadverſione. In materia de facto, quærendæ ſunt rationes de facto, non ita vero ſimplices conjecturæ. Non liquet enim temporibus Moyſis Colchidis regionem hoc habuiſſe nomen; neque utrum, cum Iaſon advenit, hoc nomine vocaretur, ſatis patet. Credimus autem, antea Hevilam vocatam fuiſſe, uti ſuperius docuimus Gen. 2. In ea Diſſertatione, quam de origine circumciſionis habuimus, adniſi ſumus oſtendere, Colchos, quos hic Author Ægyptiæ originis refert, eſſe potius Iſraelitas e Regno Iſrael; quos Reges Aſſyriorum in Colchidem, finitimaſque regiones traduxerunt.

Quænam igitur vera eſt regio Chasluim? Prope Ægyptum eſt inquirenda, ubi pater illius, & fratres immorati ſunt. Vidimus ſupra Chaldæos Paraphraſtas, Arabicam verſionem, alioſque nonnullos eam in Ægypto inferiori ſtatuere. Invenitur in ſinu Adulite in mari rubro Æthiopiam verſus, inſula *Colocaſita*, eadem plane ac *Coloca Melæ*[4], & Hahalach, quæ ad hanc quoque diem extat, e regione ore Abex, quæ rationem habet aliquam ad Chasluim. Itaque credi poſſet, veteres Chasluim in illis oris habitaſſe, & in inſula, de qua modo fuit ſermo. Horum populorum non meminit iterum Moyſes, quia forte cum Æthiopibus fuerunt immixti, qui ſuperius ad Ægypti meridiem ſedem poſuerant.

CHASLUIM: DE QUIBUS EGRESSI SUNT PHILISTHIIM, ET CAPHTORIM] Philiſthiim, & Caphtorim ſunt Coloniæ Chasluim: hic eſt loci hujus ſenſus maxime naturalis. Difficultas colonias e Colchide in Palæſtinam deducendi poſito, quod Chasluim eſſet regio Colchorum, & loci quidam Scripturæ, qui adverſari videbantur iis, quæ hic referuntur, fuerunt in cauſa, ut loci hujus aliæ, atque aliæ explicationes quærerentur, cum per ſe ſatis pateat.

Bonfrerius credit, hæc verba; *de quibus egreſſi ſunt* &c. referri non tantum ad Chasluim, qui noviſſime hoc in loco nominantur; ſed ad omnes filios Mizraim in verſiculo memorati, ita ut hoc pacto eſſet intelligendum: *Ex omnibus his filiis Mizraim egreſſi ſunt Philiſthiim, & Caphtorim*, populi ex omnibus Ægypti regionibus collecti, qui cum ibi commodam ſibi ſedem comparare non poſſent, ſimul conjuncti, commigrarunt partim in regionem Chanaan, quæ poſtea nuncupata fuit regio Philiſthiim, & partim in regionem Caphtorim, quæ deinde Cappadocia fuit appellata.

Maſius vocem illam *Philiſthiim* refert, non ad *Chasluim*, quæ præcedit, ſed ad *Caphtorim*, quæ ſubſequitur: ita ut ad locum hunc in ſuo naturali ordine reſtituendum, legendum eſſet: *Mizraim genuit Ludim, & Chasluim, & Caphtorim, de quibus egreſſi ſunt Philiſthiim*. Tranſpoſitio hæc duriuſcula videtur; verum non caret exemplo, quo ſe tueatur, cum pares in Scripturis[5] inveniantur. Neceſſitas ad explicationem hanc confugiendi oritur ex eo, quod in aliis Scripturæ locis legitur, ſcilicet Philiſthiim ortos fuiſſe e Caphtorim: exempli gratia, Jeremias 47. 4. ait, Philiſthiim eſſe reliquias inſulæ Caphtor: *Vaſtavit Dominus Philiſthiim reſiduum inſulæ Caphtor*. Et Amos 9. 7. *Numquid aſcendere feci Iſrael de terra Ægypti, & Philiſthiim de Caphtor, & Aram de Kir*. In Deuteronomio 2. 23. ſcriptum eſt, Caphtorim, cum egreſſi fuiſſent de Caphtor, infeſta in Hevæos arma intuliſſe, eos deleſſe, atque in eorum terris habitaſſe. Hi loci omnes clare ſatis oſtendunt, Philiſthiim originem duxiſſe a Caphtorim.

Quæritur modo, qui eſſent hi Caphtorim כפתרים. Plerique Interpretes vocem hanc vertunt *Cappadoces*, Paraphraſtes Chaldæi, Septuaginta, S. Hieronymus, Euſebius, Theodoretus, S. Cyrillus, Procopius,

1 Herodot. lib. 2. cap. 104.
2 Vide Diſſertationem noſtram de Circumciſione.
3 Herodot. lib. 2. cap. 104. 4 Mela lib. 3. cap. 9.
5 Vide Glaſſ. Tract. 2. lib. 4. Obſerv. 22. 23.

copius, verbo, veteres omnes, ac recentiores ſtant pro Cappadocibus. Arabica verſio ſtatuit Caphtorim Damiatæ. Itinerator Beniamin, Author libri Juchaſim, & alii nonnulli eidem favent ſententiæ. Junius, & Tremellius ponunt Caphtorim in Nomo Setroita in Ægypto inferiori. Bochartus probare conatur ſententiam, quæ regionem Caphtorim explicat de Cappadocia. Obſervat primum, Cappadociam eſſe Colchidi proximam, ubi ille ſtatuit Chaſluim. Secundo, Hebraica vox *Caphtor* ſignificat ſphærulam; & invenitur propius Cappadociam urbs *Sidene*, quæ Græce idem ſignificat, quod Caphtor Hebraice.

In priori hujus operis editione, plures conjecturas attuleram huc, ut pro virili oſtenderem, *Caphtor* eſſe inſulam Cypri: ſed poſt illud tempus in aliam abii ſententiam, atque oſtendere adnixus ſum hanc eſſe potius inſulam Cretæ. Huic autem poſteriori ſententiæ hærere placet, illud reſpuenti, quidquid pro Cypri inſula dixerim. Videri poteſt Diſſertatio noſtra de origine, & Numinibus Phenicum ante primum librum Regum.

℣. 15. CHANAAN GENUIT SIDONEM PRIMOGENITUM SUUM.] Primogenitus Chanaan ædificavit Sidonem, & pater fuit Sidoniorum. Sidon Hebraice ſignificat *piſcatum*, quod nomen homini congruere non videtur. Dubitant etiam nonnulli, utrum Sidon fuerit proprium nomen primogeniti Chanaan. Sæpius Scriptura loco nominis proprii viri alicujus, nomen uſurpat urbis, aut loci, quem vir ille habitavit.

Nomine Sidoniorum intelligebantur Phœnices univerſi, antequam Tyrus conderetur [1]. Urbs hæc poſtrema condita fuit a Sidoniorum Colonia, ut ait Joſephus lib. 8. Antiq. cap. 2. ducentis annis, & quadraginta antequam Templum Salomonis extrueretur. Situs Sidonis ſatis notus eſt; illa enim ad Libani Boream ſita eſt, & Tyri urbs ad Meridiem. Illa a Libano ad duas leucas abeſt, a Tyro autem ſeptem, vel octo. Joſua 19. 29. Sidonem magnam appellat, & Poetæ veteres [2] de ea plura, quam de Tyro loquuntur; quæ deinde majoris nominis celebritate Sidonem antecelluit. Iis temporibus, quæ regnum Saul ſubſecuta ſunt, de Tyro ferme tantum loquitur Scriptura inter urbes Phœniciæ. Hiſtoriæ ipſius partem intuebimur in Ezechielem. Phœnicia, cujus caput Sidon erat Moyſis ætate, a flumine Eleutetio, quod in Mediterraneum dilabitur e regione inſulæ Arad, uſque ad Carmeli montem parebat, ad Gazam uſque, vel uſque ad Peluſium ad Meridiem in oris maris Mediterranei; quia limites ſæpius immutati ſunt, qua Meridiem ſpectat. Philiſthiim meridionalem extenſionis hujus partem occupabant.

HETHÆUM.] חת *Heth*. Hethæi a quibuſdam ponuntur Euphratem verſus, & ad Terræ Sanctæ Orientem. Sed vulgo prope Hebron, & Berſabee ponuntur, in montibus, qui ſunt ad Meridiem terræ Chanaan, & qui deinde Tribubus Juda, & Simeon ceſſerunt.

℣. 16. IEBUSÆUM.] Iebuſæi habitarunt in Hieruſalem, & illi finitimis locis. Erant illi bellicoſi, neque a Hieruſalem penitus expelli, & de Sion arce dejici potuerunt, niſi ſub David regno [3].

AMORRHÆUM.] Amorrhæi manebant in montibus, qui ſunt ad Aſphaltitis occaſum. Inde vero trans Iordanem migrarunt [4], & ſedes ſuas conſtituerunt prope montes *Abarim* ad Orientem Aſphaltitis lacus, inter torrentes Arnon, & Iabok in veteri Moabitarum, Ammonitarumque regione. Amos 2. 9. loquitur de giganteo ipſorum corporis habitu, deque illorum virtute. Eorum magnitudinem cedris, & vires quercubus comparat. Sæpius in Scriptura nomen Amorrhæorum uſurpatur, ut generatim intelligantur Chananæi; ita plane, quod inter eos populos, & magnitudine, & viribus præſtarent.

GERGESÆUM.] Gergeſei habitabant ad maris Tiberiadis Orientem, & creditur, Domin. Noſtri quoque temporibus [5] in hac regione quaſdam eorum adfuiſſe reliquias in urbibus *Geſara*, & *Gadara*. Iudæi aſſerunt ad Ioſue adventum populos hos in Africam conceſſiſſe. Vide noſtram Diſſertationem de regione, quo Chananæi ab Iſraelitis ejecti conceſſerunt, ante librum Ioſue.

℣. 17. HEVÆUM.] חוים. *Chivim*. Paraphraſtes Hieroſolymitanus pro *Hevæum*, vertit *Tripolitanos*, perinde ac innuere vellet, Heveos conceſſiſſe in regnum *Tripolis* in Africam, vel potius ipſos permanſiſſe Tripoli in Syria. Ionathas eos vocat *Kadmonim*; ſcilicet Orientales, Geneſ. 15. 19. Bochartus credit unam Heveorum partem incoluiſſe prope montem Hermon, trans Iordanem, ad Orientem terræ Chanaan. Ait quoque Cadmum inſignem prope coloniam, quam deduxit Thebas caput Bœotiæ, & Hermionem uxorem illius fuiſſe Hevæos; & nomen Cadmi fluere a *Kedem*, quod Orientem ſignificat; Hermionis vero nomen a monte Hermon.

Quod Fabula adjicit de ipſorum metamorphoſi in angues, eruitur ex Heveorum nomine, quod apud Phœnices anguem ſignificat. Hebræi aſſerunt Heveorum nomen huic populo Chanaan inditum fuiſſe, quod anguium more ſubtus terram, & in ſpeluncis incolerent. Aderant quoque Hevæi circum montes Hebal, & Garizim. Gabaonitæ, & Sichemitæ erant Hevæi. Aliud quoque Heveorum genus reperitur, quorum nomen ita ſcribitur עוים *Hivim*. Erant illi in ea regione, quam deinde poſſederunt Philiſthiim poſteri Caphtorim. Nonnulli credunt hos Heveos a Philiſthæis ejectos Euphratem traduxiſſe, atque in Aſſyriorum regionem migraſſe; unde poſtea Samariam deducti ſunt. Verum credimus, hos Heveos, de quibus ſermo eſt 4. Regum 17. 31. alios eſſe a priſcis Paleſtinæ Hevæis, & hos vel penitus a Philiſthæis deletos fuiſſe, vel eorum reliquias cum ceteris Chananæis fuiſſe confuſas, cum quibus ipſi ſe immiſcuerunt.

ARACÆUM.] הערקי. Aracæi incolebant urbem, & finitimos illi, locos, *Arcæ*, vel *Arca* ad radices montis Libani. Ptolomæus, & Ioſephus Antiq. lib. 2. cap. 6. loquuntur de urbe hac *Arce*. Bochartus credit iſtic celeberrimum Veneris Architidis fanum extitiſſe, quam Phœnices ſingulari cultu proſequebantur. Vide Macrob. Saturn. l. 1. c. 21.

SINÆUM.] Aliqui credunt Sineos eſſe Peluſii incolas, Hebraice סין *Sin* appellatos: ſed Sanctus Hieronymus Quæſt. Hebr. in Geneſ. arbitratur Sineos antiquitus immoratos fuiſſe prope *Arce*, quæ caput erat *Aracæorum*, & urbem *Sin* funditus bello dirutam fuiſſe, ex qua nihil præter nomen ſupereſt. Strabo lib. 16. ſtatuit arcem, cui nomen *Sinna*, in monte Libano: igitur prope montem Libanum Sinæi morabantur. Arabica verſio habet hic *Tripolitanos*, quod intelligendum eſt, de Habitantibus Tripolis, quæ eſt urbs Phœniciæ. Ionathan, & Onkelos Sinneos accipiunt pro Habitantibus Amathuntis in inſula Cypro. Alii quidam volunt Sinæos montem *Sina* incoluiſſe.

℣. 18. ARADIUM, vel ARVADIUM.] Paraphraſtes Hieroſolymitanus vertit incolas *Antaradi*, & Ionathan *Laodicæos*. Urbs Aradi erat in ſcopulo a continenti procul viginti ferme ſtadia, ſeu bis mille paſſus, & quingentos; & ipſius circuitus erat ſtadiis ſeptem, ſeu paſſibus octingentis, & quinquaginta, ut refert Strabo. Scopulus hic, vel parvula inſu-

1 Juſtinus lib. 18.
2 Vide Strabonem. lib. 16.
3 2. Reg. 5. 9. 4 Joſue 5. 1. Num. 13. 30. & 21. 29.
5 Matth. 8. 28. Marc. 5. 1. Luc. 8. 26.

inſula erat admodum frequens domibus, iiſque in plures contignationes elatis, referta. Aradiis aliæ non erant aquæ niſi in ciſternis, vel quas ad hauriendas in continentem proficiſcebantur. Dicuntur [1] autem, illi pacis tempore coriaceo tubo dulcem aquam hauſiſſe e fonte quodam, qui in imo mari emanabat.

In continente e regione *Aradi*, urbs erat *Antaradus*, quam Jonathan, & Septuaginta hic intellexerunt, veluti Arado ipſa antiquiorem. Hanc poſteriorem eodem tempore, quo Tyrus recens ædificata fuit, extructam fuiſſe putant, ſcilicet, dum Regum Aſſyriæ, & Babylonis adverſos Phœnices ferverent. Strabo ait Aradum conditam fuiſſe a quibuſdam exulibus Sidonis. Certum videtur, poſt Moyſem dumtaxat fuiſſe ædificatam, & Aradios, de quibus hic ſermo, Antaradi, & in proximis urbibus habitaſſe [2]. Non liquet autem, populos hos ab Iſraelitis domitos fuiſſe, ſed perſtiterunt in regione ſua, atque adeo in ſua libertate uſque ad imperii Romani tempora [3].

SAMARÆUM.] Sanctus Hieronymus credidit Samaræos habitaſſe Emam urbem celebrem in Celeſyria. Duo Paraphraſtes Chaldæi, & Arabs de eadem intellexerunt. In oris Phœnicum adeſt urbs, cui nomen *Simyra* prope *Orthoſiam* [4], Euſebius credidit hanc eſſe Samaræorum coloniam. Nonnulli arbitrati ſunt antiquos Samaritanos, qui morabantur prope Someron, eos fuiſſe, de quibus hic loquitur Moyſes; ſed non adverterunt animum ad ſenſibilem differentiam, quæ eſt Hebraice inter *Someronim* שומרנים, quod ſignificat *Samaritanos*, & *Hazemarim* הצמריים, quod ſignificat *Samaræos*.

AMATHÆUM.] Hic immoratus eſt *Hemath*, ac in finibus illius. Plerique aſſerunt *Hemath* idem eſſe ac Antiochiam: non ita vero celebrem illam Syriæ caput Antiochiam, quam Magnam appellat Amos 6. 2. ſed aliam Antiochiam minorem, & minus cognitam, quæ nuncupata fuit Epiphania: hoc autem a Sancto Hieronymo edocemur, qui tradit ætate ſua, Antiochiam minorem adhuc ſubſtitiſſe nomine Epiphaniæ. Verum probabilius videtur, *Emath* eſſe Emeſam ad Orontem, urbem apud veteres inſignem imprimis, ac ſæpius in Scripturis memoratam. Erat illa ad Palæſtinæ Boream, & ſæpius memorantur declives Emath colles, qui erant inter Libanum, & Antilibanum. Magna adeſt probabilitatis ſpecies Emathæos e Chanaan ortos, primitus regionem hanc incoluiſſe, cujus caput erat Emath Soba, vel Emath Damaſci. Vide Num. 34. 7.

Ecce autem populos, qui ex undecim Chanaan filiis originem habuerunt. In variis populorum Chananæorum recenſionibus reperiuntur aliquando, *Pherezæi*, *Chananæi*, *Cinæi*, *Cenizæi*, *Cadmonæi*, qui iſtic minime notantur; & e contra aliquando omittuntur *Aracæi*, *Sinæi*, *Samaræi*, *Amathæi*, qui hic exprimuntur. Hujus differentiæ cauſam eam plane fuiſſe dixerim, quod ex his populis nonnulli multiplici nomine vocarentur: Exempli gratia, qui *Cadmonæi* dicuntur, iidem ſunt ac Hevæi montis Hermon. Pherezæi non ſunt populus particularis, ſed agreſtes homines, qui cum gregibus ſuis vagi vivebant, quin illis ſtata eſſet permanſio. *Pherazim* Hebraice ſignificare poteſt ruricolas, quemadmodum *Pherazot* rura ſignificat. Chananæorum nomen illis traditum videtur fuiſſe, quorum opera in mercaturis maxime impendebatur, tum in oris Phœniciæ, cum ad fluvium Jordanem, & Lacum Geneſareth, ubi ait Scriptura Chananæos incoluiſſe. Cenizæi proculdubio, vel interierunt, vel cum aliis immixti ſunt eo temporis intervallo, quod ab Abraham ad Moyſem fluxit; poſt Abraham non inveniuntur amplius. Euſtathius Antiochenus ait, ipſos immoratos fuiſſe inter Libanum, & Montem *Amanum*. *Cinæi* tempore Moyſis morabantur ad Aſphaltitis occaſum Idumæi proximi. Num. 24. 12.

℣. 19. FACTI SUNT TERMINI CHANAAN VENIENTIBUS A SIDONE GERARAM, USQUE GAZAM DONEC INGREDIARIS SODOMAM ..... USQUE AD LEZAM.] Moyſes regiones Chanaan recenſens ea utitur diligentia, qua aliorum terras minime enumerat. Tempore, quo ille ſcribebat, intererat multum, Iſraelitas apprime noſſe regionis terminos, quam Deus illis pollicitus fuerat, & quam veluti hæreditatem ſuam perpendebant. Hujus regionis limites ſtatuuntur quatuor urbes ſatis inſignes; Sidon ad Boream, Gaza ad meridiem, in mediterranei maris ora utraque, quod eſt ad occaſum terræ Chanaan: Sodoma vero, & *Lezal*, vel *Laiſa*, hæc ad Boream, illa ad Meridiem, in Jordanis litore utraque, quod flumen regionem hanc, qua Orientem ſpectat, concludit. Non me fugit quidem, quoad *Lezam* nonnihil eſſe difficultatis. Nonnulli hic explicant pro urbe *Lais*, quæ deinde vocata fuit Cæſarea Philippi prope Jordanis originem, Oppoſitio Sodomæ quæ ad meridiem ſita eſt e regione Gazæ, aliam urbem poſtulat ad Boream, quæ ſit e regione Sidonis. Sed Paraphraſtes Jonathan, & Sanctus Hieronymus intelligunt pro *Leza* urbem Calliroe, calidis aquis inſignem, quæ in Aſphaltitem lacum defluunt ad maris hujus Septentrionem. Alii quærunt urbem Luzam inter Aſphaltitem, ac mare Erythræum. Ptolomeus ibi urbem quandam ſtatuit nomine Luzam, & Joſephus Antiquit. l. 14. c. 2. nomine *Louſſam*. Paraphraſis Arabica habet *Eluſam*, pro *Luſa*. Eluſa eſt civitas Idumææ a Ptolomæo, & Stephano cognita. Hebraicus autem textus ſic verti poteſt. *Facti ſunt Termini Chanaan venientibus a Sidone Geraram, uſque Gazam; &* (in ulteriori parte) *venientibus a Sodoma, Gomorra, Adama, & Seboim uſque Lezam*. Hæc vero deſcriptio non complectitur univerſam terram promiſſam; ſed modo ſolum illud, quod præcipui Chananæorum populi occupabant.

℣. 21. DE SEM QUOQUE NATI SUNT, PATRE OMNIUM FILIORUM HEBER FRATRE JAPHETH MAJORE.] Horum autem filiorum Sem nunc eſt inſtituenda recenſio; fuit ille Pater omnium populorum trans Euphratem. Moyſes, qui pro Hebræis ſcribebat, hic obſervat, Sem, qui illorum erat Patriarcha frequentem habuiſſe familiam, cujus enumerationem debet peragere, & quam longius præ cæteris debet deducere. Eam de integro aſſumit capite ſequenti ℣. 11. 12. &c. neque deinde amplius relinquit, progeniem Arphaxad uſque ad Abraham proſecutus. Hanc data opera poſtremam reſervavit, ut eam poſſet, pro ut libitum foret, ſine interruptione jugi narratione complecti.

Nonnulli vertunt [5]: *Ipſi Semo natus eſt (is qui fuit) pater omnium Hebræorum*. Sed ſenſus hic non videtur admodum literalis. Non credimus autem, Abraham deſumpſiſſe nomen Hebræi ab Avo ſuo *Heber*; ſed illi dediſſe, quoniam ex regionibus trans Euphratem poſitis in terram Chanaan advenerat. Hæc vero quæſtio ad examen infra revocabitur.

FRATER JAPHET MAJORE.] Hebraicus textus אחי יפת הגדול verti poteſt, *Fratre Japhethi majoris*,

1 Plin. l. 2. c. 102. & l. 5. c. 31.
2 Uſſerius urbis Aradi in inſula cognomine primordium ſtatuit anno ab orbe condito 3254. Periodi vero Julianæ 1964.
3 Dionyſ. lib. 48.
4 Plin. l. 5. c. 20. Mela l. 1. c. 12. Stephanus &c.
5 ולשם ילד גם הוא אבי כל בני עבר אחי יפת הגדול.

τῦ ; ita Septuaginta ; & Symmachus [1] intellexerunt, & quemadmodum aliunde paret, Japheth fuiſſe primogenitum Filiorum Noe, ita poſteriorem hanc ſequimur lectionem cum pluribus eruditis interpretibus [2].

℣. 22. FILII SEM, ÆLAM, ET ASSUR, ET ARPHAXAD, ET LUD, ET ARAM.] Septuaginta addunt Cainan; verum hic abs re hæc additio: nam fatentur omnes, errorem eſſe. Cainan autem additus capiti 11. ℣. 12. parit difficultatem, quoniam in Divo Luca legitur. At hæc loco ſuo agitabitur quæſtio, *Cainan* in Alexandrino manuſcripto non extat.

ÆLAM.] Nullum eſt dubium, quin Elamitæ Medis finitimi ab Ælam ortum habuerint. Urbs hujus regionis caput erat Ælymais, inſignis propter locuples templum Dianæ, vel *Nannææ*, quod Antiochus prædari voluit. Author libri primi Macchabæorum 6. 1 ſtatuit Ælymaidem in Perſide; author vero libri ſecundi Macchabæorum 9. 2. urbem hanc Perſepolim vocat, plane quod Perſarum regionis erat caput, quæ antiquitus Ælam appellabatur. Quemadmodum nomen Ælam minus erat notum, quam nomen *Perſidis*, credidit ſe poſſe vocare *Perſepolim* inter Græcos urbem, quam Ælymaidem illi vocabant populi, qui a veteri illius nomine Ælam appellabantur. Hanc in medium affero conjecturam, ita tamen ut meliorem differentiæ hujus inter duos Macchabæorum authores ſolutionem operiar, cum non ita levi negotio conciliari mihi poſſe videantur illi, quippequod magna ſit inter urbes Perſepolim, atque Ælymaidem diſtantia.

ASSUR.] Aſſyria vel nomen dedit Aſſur, vel ab eo ipſa eſt mutuata. Hebraica vox אשור *Aſſur* ſignificat felicem, quod apprime decet Aſſyriam, quæ præſtantiſſima eſt regio, & præſertim in locis Ninive proximis. Latet, utrum Nembrod ejecerit Aſſur e regione illius, an Aſſur ſucceſſerit poſt Nembrod, & nomen ſuum Aſſyriæ tribuerit. Quod autem Aſſur ſubſecutus fuerit poſt Nembrod, ex iis licet conjicere, quæ Svidas in Θέρας & Joannes Antiochenus apud Salmaſium in Solin. pag. 1235. afferunt, Nino Aſſyriorum Regi ſucceſſiſſe *Thuram* virum animo, & virtute mira præſtantem, qui aggreſſus eſt, & vicit Tyrannum Caucaſum, qui erat e Poſteris Japheth. Aſſyrii illum velut Deum ſunt venerati, eumque Baal vocarunt, quæ vox in eorum lingua Martem ſignificat. Illius quoque nomen Syderi tribuerunt, quod Martem appellamus. Alius Author, a Salmaſio allatus, aſſerit Thuram fuiſſe filium Zamet. Facile vero credere poſſumus, *Zamem* eumdem eſſe ac Sem, & *Thuram* eumdem ac Aſſur, vel *Aſhur* juxta Chaldaicam pronunciandi rationem. Ninus erit *Nembrod* Ninive conditor; Tyrannus Caucaſus erit Gog filius Japheth, qui verſus Caucaſum morabatur ad Aſſyriæ Boream.

Aſſyria, quæ aliter dicebatur Atyria vel *Adiabene*, fines habet ad Septentrionem Armeniæ majoris, & Mediæ partem; ad Ortum aliam Mediæ partem; ad Meridiem Babyloniam; ad Occaſum Meſopotamiam, a qua Tigri flumine dividitur. Sed Aſſyriæ imperium patebat latius; Medos olim complectebatur, Perſas, Babylonios, Arabes, Armenos, Syros, & Populos Meſopotamiæ &c.

ARPHAXAD.] ארפכשד Joſephus aliique nonnulli crediderunt, Chaldæos olim nomen Arphaxad habuiſſe; itaque dicendum eſſet, Chaſed filium Nachor, potitum fuiſſe regione Arphaxad, & Chaldæis nomen Caſdim tribuiſſe, qui antea Arphaxadim appellabantur: verum hujus rei nullum extat argumentum. Similitudo forte nominum *Archaſad*, & *Arphaxad* in errorem Joſephum inducere potuit. Ar,

A vel *Ur* caput eſt Caſad, vel *Caſed*; & Gen. 9. 31. invenitur *Ur Caſdim* appellata fuiſſe, antequam *Caſed* oriretur. Bochartus credit *Arphaxad* nomen ſuum dediſſe parti Aſſyriæ, quæ *Arrapachitis* a Ptolomæo Aſiæ tab. v. vocatur. Hæc quoque ea poſſet eſſe regio, cujus caput erat *Artaxata* in Armenia majori in finibus Mediæ. Hæc hodie, ut nonnulli ajunt, eſt urbs Teflis; ut alii vero, *Artaxata* eſt *Erivan* in Armenia ſub Perſarum imperio; vel ſaltem *Artaxata* erat prope Erivan. Tarvenerius aſſerit extare adhuc urbis hujus rudera ad tres ab Erivan leucas. Moyſis temporibus neque Armenia, neque Media hoc nomine appellabantur: & facile eſt, quod credas, unam ſaltem Mediæ partem Arphaxad fuiſſe vocatam. Strabo paſſim loquitur de Mediæ Provin-
B cia quadam, cui nomen *Atropatia*, ab Armenia Araxe fluvio ſejuncta. Ptolomæus illam Antropatiam vocat.

LUD.] לוד. Joſephus, S. Hieronymus, Euſebius, S. Iſidorus, Euſtathius, & plures veteres, ac recentiores ponunt filios *Lud* in Lydia Aſiæ minoris. Bochartus ſententiam ſuam probat nominum ſimilitudine, Lydorum antiquitate, vocis *Lud* ſignificatione, quæ flexuoſum eſſe ſignificat propter Mæandrum, qui in hac Provincia vagatur. Adverſus illorum ſententiam, qui poſteros Lud in Aſia minori conſtituunt afferri poteſt; primo hanc provinciam nimis abeſſe ab aliis filiis Sem; Euphratem fluvium traducendum fuiſſe Lud, ſi in Aſiam minorem migraſſet, ut in interiori parte ad Mæandrum flu-
C vium ſedem ſtatueret; quamquam Moyſes innuit omnes Poſteros Sem trans Euphratem eſſe immoratos: *Fuit pater omnium filiorum Heber*, vel trans-Euphratenſium. Hiſtorici [3] aſſerunt, Lydos *Mæones* vocatos fuiſſe uſque ad Lydum filium Athys, qui eos de nomine ſuo nuncupavit.

Verum quoad primam harum objectionum reſpondetur, quamquam Sem pater eſt omnium populorum trans Euphratem, hoc minimum obeſſe, quin aliqui ex filiis illius hæreditatem ſuam citra hunc fluvium fuerint ſortiti. Liquet, Aram, filium Sem, aut poſteros illius Syriam incoluiſſe; cur igitur Lud illius exemplo ductus in minori Aſia morari minime potuerit? Quoad vero alteram difficultatem, facile occurrimus locos, & tempora diſtinguentes.
D Hiſtorici, & Geographi docent, Provinciam Lydiam appellatam, olim Mæoniæ prætuliſſe nomen, & Lydum Athis filium Lydiæ nomen illi tribuiſſe. Sed hi Authores de ſuperiori tantum Lydia loquuntur, quæ profecto antiquitus Mæonia nuncupabatur. De inferiori autem Lydia, ac Jonia, quam ipſam quoque Lydiæ nomine [4] appellatam fuiſſe conſtat, ne verbum quidem faciunt; & Profani non referunt, quando, vel unde vetus hæc Lydia nomen acceperit. Herodotus l. 1. c. 94. Menes Regem Lydiæ Patrem Athis ait fuiſſe; & Strabo l. 5. p. 147. eum filium dicit Herculis, & Omphalæ Lydorum Reginæ. Hi igitur Authores hoc pacto innuunt, ante Lydum filium Athis, Lydiam fuiſſe a Mæonia diverſam.

E Arias Montanus ponit Ludim ad Euphratis, & Tigris confluentem, & Clericus eos ſtatuit inter fluvios Chaboram, & Saocoram, vel Maſcam: quoniam illic Euphrates ferme in Mæandri morem variis flexibus ſinuatur.

ARAM.] Aram eſt pater Aramæorum, vel Arimæorum. Hos populos Homerus memorat *Iliad*. B; & Heſiodus *Theogonia*, aliique veteres Authores. Strabo l. 1. & lib. 16. & Joſephus Antiq. l. 1. c. 6. docent a Græcis Syros appellatos fuiſſe populos, qui ſe Aramæos, vel Arimæos vocabant. Later vero quando nam a Græcis Syri cœperint appellari.

Ho-

1 Ἀδελφοῦ Ἰάφεθ τοῦ μείζονος Sym. τοῦ πρεσβύτου.
2 Ita Chald. Hebr. Lyran. Montan. Vatabl. Jun. Tremel. Malv. Ainſv. Piſc. & aliis.
3 Dionyſ. Halicarn. l. 1. c. 7. & l. 7. c. 74. Diodor. l. 3.
4 Vide Cellar. Geograph. antiq. l. 3. c. 4. p. 124.

Homerus, & Heſiodus illis ſimpliciter nomen tribuant Arimæorum.

Regio Arami late patet in Scriptura: amplectitur enim Meſopotamiam univerſam, & Syriam. Meſopotamia dicitur *Aram Naharaim*, Geneſ. 24. 10. Deut. 23. 4. Judic. 3. 8. videlicet Aram duorum fluminum; quoniam hæc regio ſita eſt inter Euphratem, ac Tigrim. Vocatur etiam *Padam Aram* Geneſ. 28. 7. & 31. 18. & 33. 18. & 35. 9. ſcilicet Arva *Aram*; & in Oſea 12. 13. *Sedeh Aram*, quod idem ſignificat, ac Padam Aram. Creditur autem nomine *Arvorum Aram* Scriptura innuere voluiſſe eam Meſopotamiæ partem, quæ exculta eſt, & quæ præſertim ad flumina extenditur, & in fertiles regionis Sennaar campos, & prope Babylonem, ut ab alia ejuſdem Provinciæ parte diſtingueretur, quæ magis ſterilis, & inculta fuiſſe dicitur.

Scriptura etiam Syriæ cunctæ nomen Aram tribuit, quæ in plures tractus, ſeu Provincias erat diviſa. Paſſim vero nomen Aram illa addit urbi Provinciæ capiti, exempli gratia, Aram Damaſci, Aram [1] Macha, Aram Bethrehub, Aram Soba &c. Hæc poſtrema Euphrati propior erat, & prope Palmyram.

Difficile eſt, quam regionem primum Aram, & poſteri ipſius incoluerint, conſtituere. Amos Propheta 9. 7. innuere videtur, ipſos primitus in regione *Kir* habitaſſe, & Deum illos inde eduxiſſe, quemadmodum ex Ægypto Iſraelitas, & Philiſthæos de Caphtor eduxit.

Hæc regio *Kir* plane eſt Iberia, ubi eſt flumen Cyrus, hodie *Cur*, vel Chiur appellatum, qui in Mare Caſpium dilabitur. Nominis ejuſdem alius quoque fluvius in Perſide invenitur, alio nomine Bagradas; atque rurſum alius in Media: & in regione eadem populi adſunt *Cyrobii* vocati, & urbs *Cyreſchata*, vel *Cyropolis*: & demum in Syria urbs *Cyrrhus*, & regio dicta *Cyrrheſtica*. Hæc omnia in incerto ponunt primam Aram permanſionem. Hoc vero certum eſt temporibus Moyſis, & forte Abraham quoque, & Jacob ætate, Meſopotamiam jam Aram fuiſſe vocatam; quandoquidem Iſraelitæ Deut. 26. fatebantur Abraham patrem ſuum egreſſum fuiſſe de Aramæis: & *Bathuelem*, ac *Labanum* in Meſopotamia natos appellatos fuiſſe Aramæos [2], quamquam erant ex genere *Arphaxad*, non ita vero ex genere *Aram*.

Præter hos Aramæos, vel Syros, qui ex Aram filio Sem originem deduxerunt, alios quoque videtur innuere Scriptura, qui e Camuele filio Nachor, & Melchæ deſcenderint. Moyſes Geneſ. 22. 21. ait Camuelem fuiſſe patrem Aram; quod Septuaginta, & vulgata vertunt, Camuelem patrem Syrorum. Locus hic trifariam explicari poſſe mihi videtur. Primo aſſerendo ſimpliciter, Camuelem habuiſſe filium nomine Aram; Secundo Camuelem patrem fuiſſe Camelitarum in Cappadocia, qui Aramæorum nomen acceperunt, vel Syrorum ab Aram filio Camuelis. Liquet autem ex Herodoto, Cappadoces Syrorum nomine comprehenſos fuiſſe. Tertio denique Aram filium Camuelis patrem fuiſſe quorumdam Aramæorum, qui cum poſteris Aram filii Sem, permixti fuerunt; vel ipſum eumdem Aramæum fuiſſe vocatum, quia ſe cum Poſteris Aram conjunxit. Vide Commentarium in Geneſim cap. 22. ℣. 21.

Plerique veterum, ac recentiorum [3] crediderunt Armenos deſcendiſſe ab Aram, & Aramæis. Strabo l. 1. obſervat, multam intereeſſiſſe inter Syros, & Armenos ſimilitudinem, & propter linguam, & propter vivendi rationem, atque corpora, & a Syris vocatos fuiſſe Aramæos, & Armenos eos, qui a Græcis Syri appellabantur. Interpres Arabs *Aram*, vertit *Armenum*, Bochartus nihilominus credit, Armeniam nomen deduxiſſe ab *Har*, quod montem ſignificat, & *Minni*, qui eſt populus prope *Ararat*; perinde ac dicerentur Montes Minni. Caldaica verſio pro *Minni* transfert *Armeniam* Jeremiæ 51. 27. & in Michæa 7. 2. Semel autem in Scriptura tantum invenitur *Armenia*, vel *Harmona* potius Amos 4. 3. quo Deus ſe in exilium ablegaturum eſſe ait Iſraelitas trans montes *Harmonæ*.

℣. 23. Filii Aram, Us, et Hul, et Gether, et Mes.] Inquiremus poſteros Aram in Armenia in Meſopotamia, in Syria, citra Euphratem, & ultra Tigrim; temporibus Moyſis in omnes has regiones poterant jam eſſe diſperſi.

Us.] עוץ, juxta Sanctum Hieronymum quæſt. Hebraic., & Joſephum Antiq. l. 1. cap. 7. incoluit Thrachonitidem, quæ eſt regio trans Jordanem, cujus ad Orientem eſt Arabia deſerta, mons Libanus ad Boream, Jordanes ad Occidentem, & Ituræa ad meridiem. Veteres credunt primogenitum *Aram* ædificaſſe urbem Damaſci; ipſum vero Damaſci agrum de nomine ſuo nuncupaſſe, qui *Us* ab Hebræis vocatur, & *Gaut*, vel *Gauta* ab Arabibus. Littera *Hain* pronunciatur aliquando velut G, & *Tzad* ſæpius in *Theth* immutatur. Arabes hodie Algautam vocant; & Geographus Arabs Climat. 3. p. 5. eam ita deſcribit. Vallis Damaſci, quæ *Algauta* dicitur, patet in longitudinem duarum ſtationum ſpatio; unius vero in latitudinem. Algauta, ut cenſet Bochartus, vallis eſt inter montes Libanum, atque Antilibanum poſita, quę vocatur *Ager excavatus* [4] a Strabone l. 16. cujus latitudo ſunt ſtadia ducenta, longitudo vero a meridie ad Septentrionem ſtadia quadringenta. Hæc eadem quoque eſt, quam Polybius [5] *terram Amikam*, vocat. Syriace עמיקא *Hamika* ſignificat planitiem. Denique tractus hic a Græcis vulgo *Celeſyria* appellatur, ſcilicet Syria excavata; ſed nomen hoc latius patet aliquando.

Poſſet eum pari veriſimilitudine ſtatui *Us* verſus origines Tigris. Diodorus Siculus l. 17. c. 67. vocat *Uxios* montes, unde hoc flumen emanat. Strabo l. 16. ibidem regionem *Uxiam*, populoſque *Uxios* conſtituit. Plinius l. 6. c. 26. Oxios vocat. Hic idem author, ibid. c. 9. loquitur de fluvio Muſi, vel Uſi, qui in Araxem defluit. Arrianus Indic. c. 40. & expedit. Alex. l. 3. c. 17. & Quintus Curtius l. 5. c. 3. horum populorum meminerunt.

Scriptura loquitur de duobus aliis hominibus, nomine Hus; quorum alter filius erat [6] Nachor, fratris Abraham: alter [7] vero unus ex poſteris Sehir Horræi. Invenitur in Auſitide [8] Arabiæ deſertæ regione parvula urbs Us, hodie *Ompſ*, ut ait *Thomas Minadojus*, appellata. Jeremias loquitur de regione *Hus* in ſuis lamentationibus lament. 4. 21. Job quoque in regione *Hus* vixit: ſed hæc illa eſt regio, quam filius Sehir Horræi excoluit. Vide Commentarium in Job l. 1.

Hul.] חול. Joſephus Antiq. l. 1. c. 6. eum *Oſſum* appellat, & in Armenia ponit. Bochartus credit præſtare, ſi legas, *Oſum*, atque hinc derivare nomen Provinciæ *Oſene* in Armenia inter Cyrum, & Araxem [9]. Plura adſunt in Armenia nominis *Hul* veſtigia: Exempli gratia, in Provincia quæ dicitur *Cholobatene*, & in urbibus *Colſa*, *Cholana*, *Cholim-*

1 2. Reg. 10. 6. & 8.
2 Geneſ. 25. 20.
3 Bonfrerius, Arias &c. 4 Πέδιον κοῖλον.
5 Α᾽μύκην πέδιον.
6 Geneſ. 22. 21.
7 Geneſ. 36. 28.
8 Prolum. apud Bochart. Phaleg. l. 2. c. 8. 9 Plin. l. 6. c. 8.

Eymma ; *& Olane* ; & apud Ptolomæum, in Colthene, & urbe Choluata. Eſt in Syria urbs *Cholle*, & in Ponto urbs Cholue.

GETHER.] גתר. Ioſephus credit, poſteros Gether incoluiſſe Bactrianam. S. Hieronymus ait, Gether eſſe Arcaniorum, & Cariorum patrem, quorum primi in Græciam prope Epirum immorabantur, alteri vero in Aſia minore, e regione Rhodiorum. Poſſetne Gether Author eſſe Ithuræorum populorum trans Iordanem, inter Arabiam deſertam ad Ortum, & Iordanem ad Occaſum? vel potius Ithuræi, de quibus loquitur Plinius l. 6. c. 23. in Syria Cyrrheſtica, inter Seleucidem, Comagenem, & Euphratem. Credimus Iethur Iſmaelis filium [1] frequentaſſe quidem Ithuræam priorem, de qua locuti ſumus; ſed Gether eſſe poſſe alterorum patrem Ithuræorum.

MES.] משך idem eſt, ac qui *Meſech* 1. Paralipomenon 1. 17. & *Moſac* a Septuaginta appellatur. Bochartus credit cum maxima veriſimilitudinis ſpecie, hunc poſſediſſe montem Maſium in Meſopotamia, & nomen ſuum monti huic tribuiſſe, & fluvio *Mazeca*, qui inde emanat. Fluvius hic vulgo Saocoras appellatur, ſed *Maſca* a Xenophonte. Stephanus hujus tractus incolas *Maſienos* vocat, vel *Maſianos*; atque hinc fortaſſe Arabes Maſæi, de quibus loquitur Plinius l. 6. c. 26. inter Meſopotamiæ populos nomen ſuum acceperunt. Sanctus Hieronymus poſuit *Mes* in Mœonia. Ioſeph credidit, *Mes*, vel, ut ille inquit, *Maſan* patrem fuiſſe Meſaniorum prope Tigris oſtium; at non advertit ille, quod a Græcis *Meſana*, vel Meſene appellatur quicumque tractus, quem fluvii circumfluunt. Armeni contendunt, Montes Moſchos ultra Erivan; ac Euphratis originem nomen habuiſſe a *Mar*. Vide ſuperius cap. 8. v. 4. Strabo l. 11. ſtatuit in Armenia montem Maſium ad Sophene Meridiem, alium omnino a Maſio Monte, quem Ptolomæus l. 5. c. 18. memorat in Meſopotamia.

℣. 24. ARPHAXAD GENUIT SALE, DE QUO NATUS EST HEBER.] Euſtathius Antiochenus aſſerit, *Salem* eſſe patrem populorum Suſianæ. Euſebius illum Coſſæorum patrem dicit, populorum ad Suſianæ Septemtrionem. Invenitur in Ammiano Marcellino l. 23. Suſiana urbs *Sela* nuncupata: a Ptolomæo *Sele* Σέλε dicitur, & Geographicæ Tabulæ eam infra ſuſam ſtatuunt ad fluvium Eulæum.

Septuaginta verſiculum hunc ita vertunt: *Arphaxad genuit Cainan, Cainan genuit Sale, & Sale, genuit Heber*. Hæc additio Cainan hic, & capitu 11. 12. maximam parit difficultatem; non modo propter Septuaginta authoritatem, ſed præcipue quod eadem invenitur additio in S. Lucæ capit. 3. 36.

Ut hac ſe ſe exolverent difficultate, Interpretes abiere in diverſa. Alii tuentur Hebraicum textum, & Vulgatam longius authoritate præſtare, quam Septuaginta; & ſicuti neque in Hebraico textu, neque in Samaritano, neque in Vulgata, neque in Verſionibus Orientalibus legitur, credendum eſſe, Septuaginta, vel ipſorum ſcribas haud in rem perperam in Græco textu Cainan appoſuiſſe.

Alii arbitrati, Hebraicum textum alicubi potuiſſe a Judæis corrumpi, credunt, locum hunc unum eſſe ex corruptis: & Judæos ex Hebraico textu expunxiſſe Cainan, ut in ſuſpicionem adducerent & Septuaginta, & Divum Lucam, qui nomen illud Græce ſervarunt. Neque defuere, qui putarent, Moyſem data opera in recenſionibus ſuis præteriiſſe Cainan, quoniam decem generationum numerum ſervare voluiſſet ab Adam ad Noe, & a Noe uſque ad Abraham. Ita quoque, inquiunt illi, Sanctus Matthæus omiſit quoſdam viros in Genealogia, quam Jeſu-Chriſti majorum inſtituit, eo conſilio, ut quatuordecim generationum numerum ſervaret ab Abraham ad David & a David ad tranſmigrationem Juda, atque a tranſmigratione ad Chriſti Jeſu nativitatem. Septuaginta vero, addunt illi, Cainan nomen ſubſtituerunt, quod diſcere potuerant, vel immediata Sancti Spiritus revelatione, vel traditione Judæorum; qua in re minime ſibi cavit S. Lucas, quin eos ſequeretur.

Alii aſſerunt Arphaxad fuiſſe patrem Cainan, & Sale [2] patrem quidem naturalem Cainan, & patrem Sale ſecundum Legem, vel propter adoptionem; aut a contra. Sed hæc ſententia ſtatim corruit; nam Septuaginta, & Sanctus Lucas aſſerunt palam, Cainan genuiſſe Sale; & ſuppoſito, quod Cainan moriens reliquiſſet Sale adoleſcentulum in manu Arphaxad, dicendum eſſet, ad Chronologiæ ordinem ſervandum, quod Arphaxad viderit naſci Sale nepotem ſuum, cum Arphaxad quinque & triginta natus eſſet annos; hunc genuiſſe Cainan, cum duodevigeſimum annum ageret; & Cainan ſeptendecim annos habuiſſe, & minus adhuc, cum filium *Sale* genuerit, quod mirum eſt admodum, atque illis temporibus præcipue.

Nonnulli contendunt *Cainan* eſſe eumdem, ac *Sale*; nomen Cainan eſſe *cognomen* Sale, & Septuaginta majoris perſpicuitatis gratia cognomen hoc addidiſſe. Hæc autem ſententia probatur, quod in vulgatis Septuaginta exemplaribus, ubi Librarii poſuerunt Cainan, & Sale, veluti duas perſonas diſtinctas, invenitur idem numerus annorum vitæ eorumdem, ac tempus idem, quo filios gignere occœperunt: ex quo conjicere licet authographa exemplaria Septuaginta unum tantum habuiſſe numerum pro duobus, & librarios, cum voluerint multiplicare perſonas, debuiſſe quoque multiplicare, & repetere numerum eumdem annorum. Euſebius vidiſſe poterat hæc exemplaria Septuaginta in primitiva integritate: quoniam in Chronicis ſuis de Sale tantum loquitur, quin memoret Cainan, cum alteruter ipſorum conſilio ipſius ſatisfaceret; quandoquidem duo nomina unam tantummodo perſonam ſignificabant. Textus etiam Divi Lucæ ſenſum hunc pati poteſt. Græcus textus [2] poteſt verti, *Pater Sale, ſive Cainan*; vel *Pater Sale, Patris Cainan*. Græcus articulus eſſe poteſt ſimpliciter explicativus; ſed magis conſentaneum videtur, in eodem ſenſu eſſe intelligendum, in quo alii omnes hujus capitis loci explicantur; ubi ille procul dubio innuere vult, filium illius, qui immediate ante nominatur.

Plures [3] aſſerunt, neque Septuaginta, nec S. Lucam primitus habuiſſe nomen Cainan, & quoſdam ſcribas ardeliones, qui legerant Cainan in genealogia Seth ante Diluvium, huc inconſultò appoſuiſſe; atque hinc errorem hunc obrepſiſſe in omnia fere exemplaria Septuaginta. Grotius aſſerit, probari nequaquam poſſe, quod ante quartum ſæculum Cainan exſtiterit in Septuaginta. Pater Pezron e contra contendit, Patres omnes, qui ante Origenem vixerunt, cognoviſſe Cainan, filium Arphaxad.

Magnum equidem præjudicium adverſus authoritatem Septuaginta in hoc loco ſunt errores magni, & ſeſquipedales, qui deteguntur in univerſa ipſorum Chronologia, tum ante, cum poſt Diluvium; anachroniſmi, qui extant, exempli gratia, in ætate Arphaxad poſt nativitatem aſſerti Cainan; additiones, quæ in ipſorum textu inveniuntur; varietates haud ita ſane contemnendæ in variis ipſorum exemplaribus: hæc omnia argumentum efficiunt, quod ſaltem in dubium vocare debet, an Cainan, qui in nullo agnoſcitur textu, neque in ulla verſio-

I 2 ne,

[1] Geneſ. 25. 25.
[2] Τοῦ Σαλα, τοῦ Καϊναν.
[3] Grotius in Luc. 3. 36. Bochart. Phaleg. l. 2. c. 13.

ne , ſictitia perſona ſit , & addita vel ab Septuaginta , vel a Scribis illorum . Talmudiſtæ treſdecim locos obſervant u Septuaginta immutatos . Addiderunt enim , inquiunt illi , *Eliſam* genealogiæ Japheth Geneſ. 10. 2. & *Cainan* filiis Sem Geneſ. 10. 22. & homines quinque poſteris Joſeph Geneſ. 46. 20. adjiciunt illi urben On , urbibus Phitom , & Rameſſes , Exod. 1. 11. denique urbem On , urbi Abel 2. Reg. 20. 18. Editio vulgata Septuaginta tribuit Arphaxad poſt nativitatem Cainan , annos quadrinquentos : aliæ editiones illi tribuerunt annos tercentos , & ſexaginta quinque , vel tercentos & triginta quinque , vel tercentos & triginta , vel demum tercentos . Vide caput 11. v. 13. Hæ additiones , & varietates nonne omnem religionem adimere deberent , quæ illis poſſet incedere , qui hoc in loco vellent a Septuaginta recedere ; cum etiam dubium non eſſet , an ipſi in verſione ſua Cainan appoſuiſſent ?

Verum hoc probare poteſt , Cainan nomen nequaquam additum fuiſſe ab ipſis Septuaginta ; quod neque Joſephus, neque Philo , præ quorum manibus exemplaria Septuaginta verſabantur , numquam Cainan hunc agnovere . Patres Priſci conſtanti animo docuere , a Noe ad Abraham decem tantummodo generationes fuiſſe ; Origenes Tract. 26. in Matth. & tract. 20. in Johan. & homil. 4. in Numeros decem tantum generationes enumerat . Euſebius , qui in Chronicis ſuis ſecutus eſt Hexapla Origenis , ne verbum quidem facit de Cainan . Julius Africanus , qui Euſebio eſt antiquior , & qui Origenis tempore degebat , haud legit Cainan in Septuaginta ; quoniam ab Adam ad mortem Phaleg tria annorum millia tantum lapſa fuiſſe teſtatur . Theophilus Antiochenus [1] in ea annorum recenſione , quam juxta editionem Septuaginta inſtituit , non meminit Cainan . Veteres fere omnes [2] qui in Chronologicis calculis ſecuti ſunt Septuaginta , Cainan tempus omiſere . His omnibus authoritatibus Ethnicorum authorum authoritates accedant , qui decem tantum generationes a Diluvio uſque ad Abraham cognoſcunt . Eupolemus , & Beroſus id palam afferunt ; ille apud Euſebium l. 9. Præpar. , & Beroſus apud Joſephum l. 1. antiq. c. 8.

Sanctus Irenæus ab Adam uſque ad JeſumChriſtum , duas ſupra ſeptuaginta generationes recenſet , cum tres , & ſeptuaginta eſſent recenſendæ , ſi Cainan ratio haberetur . Sanctus Epiphanius hæres. 55. Patriarcharum genealogiam deſcribens juxta Septuaginta verſionem , ne meminit quidem Cainan , & in ſuo libro ponderum , & menſurarum viginti & duos tantum viros numerat ab Adam uſque ad Jacob : ſed Cainan ad calculos revocato eſſent tres , & viginti . S. Hieronymus non obſervat differentiam Hebraici textus & Septuaginta in hoc loco , in quæſtionibus Hebraicis ſuper Geneſim , ſed eam adnotavit in Euſebii Chronicis , quæ tranſtulit . Non legitur Cainan in Græca editione ad Romanum exemplar excuſa ; nec in duabus verſionibus Arabicis , neque in verſione Ruſſiana 1. Paralipomenon cap. 1. 17. Videtur igitur error hic poſt Euſebium tantummodo irrepſiſſe in exemplaria Septuaginta , & temporibus Origenis non adiuiſſe adhuc in exemplaribus Græcis . Procopius in Geneſ. c. 11. & Hierony. ep. 107. ad Chromat. aſſerunt Origenem in ea editione , quam dedit , ubi jungit verſiones Theodotionis , Symmachi , & Aquilæ , Septuaginta verſioni , notare nomen Cainan aſteriſco in verſione Theodotionis , ut oſtenderet , nomen illud additum fuiſſe . Ad quid autem hoc in ſolo Theodotione adnotaſſet , ſi alii quoque Interpretes nomen Cainan prætuliſſent ?

Quoad Sanctum Lucam non deſunt , qui credant , ab illo Cainan poſitum fuiſſe in Patriarcharum ge-
A nealogia , ut pietate quadam indulgeret , neque Helleniſtas ſuboffenderet , pro quibus præcipue ſcribebat , & qui vulgo Septuaginta verſione utebantur , ubi Cainan legebant . Sed quænam poterat eſſe hæc indulgentia S. Lucæ Spiritu Sancto afflati , ut in Evangelium errorem admitteret , atque illum conſulto , ne ſuboffenderet Helleniſtas ? Quo enim ſcandalo hac in re Hebræi fuiſſent affecti , & nos ipſi afficeremur ? Quam vero anſam non præbuiſſet incredulis , qui dicerent , Evangeliſtas uſque eo indulſiſſe , ut notas falſitates referrent , in iis libris , quos veluti Spiritus Sancti opera veneramur ? Alii volunt Sanctum Lucam hac in re nequaquam locutum fuiſſe , ut ille reipſa ſentiret , ſed vulgatam opinionem , & præjudicium populorum fuiſſe ſecutum . Si quis enim
B in Evangelio illius offendiſſet Cainan , errorum hunc Septuaginta eſſe tribuendum , non ita vero Sancto Lucæ cenſuiſſet .

Sanctus Hieronymus in cap. 28. Jerem. ℣. 10. veluti principium ſtatuit , authores ſacros paſſim loqui de rebus juxta communem opinionem , non autem ſecundum veritatem exactam . *Multa quippe dicuntur juxtà opinionem illius temporis , quo geſta fuerunt , & non juxta quod rei veritas continebat* . Vide eumdem Comment. in Matth. 4. 9. & lib. 2. adverſ. Helvid. Sed hæc reſponſio id ſupponit , quod vel non eſt , vel probari non poteſt , populos , pro quibus S. Lucas ſcribebat , crediddiſſe Cainan filium Arphaxad ; neque Hebræi , neque Helleniſtæ , neque Ethnici hoc videntur putaſſe ; immo Hebræi ex adverſo crede-
C bant ; Ethnici illum ne agnoſcebant quidem , & Helleniſtæ forte in exemplaribus ſuis minime legebant . Poteſt igitur cum pluribus eruditis viris [3] dici Sanctum Lucam hoc haud poſuiſſe in primis ſuis exemplaribus . Et equidem celebre Manuſcriptum illud a Theodoro Beza , Academiæ Cantabrigienſi dono datum nomen Cainan non memorat . Manuſcriptum hoc allatum fuerat a Galatia in Gallias , & ſervatum in Cœnobio S. Irenæi prope Lugdunum , unde ſublatum eſt bellorum civilium tempore anno 1562. Verum bona fide fatendum eſt , antiqua Manuſcripta omnia ad unguem convenire quoad nomen *Cainan* . In hoc loco nulla in ipſis varietas animadvertitur , ac inſigne Cantabrigienſe Manuſcriptum , de quo locuti ſumus , pluribus erroribus , ac vitiis ſcatet , uti animadver-
D tit *Millius* in variis lectionibus ſuis in Novum teſtamentum paſſim .

Sale de quo natus est Heber .] Deus peculiariter familiam Sale amore proſecutus eſt ; ex illius vero prærogativis prima fuit , veræ Religionis ſervaſſe depoſitum in familia Abraham ante legem . 2. a Deo electam fuiſſe , ut ipſius Eccleſiam componeret : illius Leges excepiſſe , & Scripturas , atque in lucem gentium edidiſſe Meſſiam. 3. Nonnulli ab Heber Hebræorum nomen derivant , quod poſtea inditum eſt poſteris Abraham . 4. denique contendunt primævam linguam , cui ante Diluvium aſſueverant , & aſſueverunt poſt Diluvium homines uſque ad Babyloniceam perturbationem , permanſiſſe in familia Heber , atque ideo Hebraicam linguam fuiſſe vocatam .

E Sed quoad Hebræorum nomen , quod Abraham , & poſteritati ipſius impoſitum fuit , magnus eſt dubitandi locus , an re ipſa a Patriarcha Heber fuerit deductum ; nam cur Abrahæ potius , quam aliis Heber poſteris , nomen hoc impoſitum fuit ? Cur illi hoc nomen ceſſit dumtaxat , poſtquam Euphratem traduxerit , & in terram Canaan pervenerit ? Denique cur Abraham , qui ſexta ab Heber vixit generatione , longius adeo nomen ſuum deduxiſſet ? & quomodo Cananæi divinare potuiſſent , hunc Patriarcham ab Heber originem duxiſſe , ut propterea Hebræi nomen illi tribuerent ?

Reor autem Hebræi cognomen inditum Abrahæ nihil

---

1 Theoph. l. 3. ad Autolyc. edit. Græcæ , *In Latino male legitur Cainan* .

2 Quint. Jul. Hilarion. l. de duratione mundi , Oroſ. l. 1. c. 1. Idac. Proſper. Marcellin. Comes , Caſſiodorus , Gregor. Turon. & Auctores Martyrol. 3 Ita Cornel. a Lapide in 11. Geneſ. Petav. de doctr. Temp. l. 9. c. 7. Petr. Poſſin. in Diallactico Geneal. Chriſti c. 9. Cordes. Natal. Alex. & D. Matth. Petit. Didier in Prolegomenis S. ſcripturæ.

nihil aliud innuere, quam hunc Patriarcham e regionibus trans Euphratem ſitis genus deduxiſſe. Populi, qui trans hunc fluvium incolebant, vocabantur filii *Hebrr*, vel, filii *trans*. Scriptura Geneſ. 10. 21. ait, quod *de Sem nati ſunt patrs omnium filiorum Heber*; ſcilicet quod Sem pater eſt omnium filiorum Heber, hoc eſt populorum ultra flumen illud; & Patriarcha Joſeph ait Pharaoni Genes. 40. 15. *ſt furto ſublatum fuiſſe de terra Heber*, vel *Hebrgorum*, hoc eſt de regione trans Euphratem. Neque enim hoc nomine ſignare poterat regionem Canaan, ubi ſuus pater, ac fratres tunc temporis immorabantur. Hæc regio nequaquam vocabatur regio Hebræorum; & Ægyptii non percepiſſent, quid loqueretur, ſi fuiſſet hoc pacto locutus. Sed cum trans Euphratem eſſet otiginem ſortitus, & nativitatem, & cum venundatus fuiſſet hoc nomine ab illis, qui eum in Ægyptum devexerant, potuit aſſerere ſe eſſe e regione Hebræotum, videlicet e Meſopotamia.

Scriptura Meſopotamiæ populos appellat, homines *trans fluvium* e. Reg. 10. 16. Septuaginta pro *Abraham Hebræo*, [1] quod legitur in Textu Hebraico, ac in Vulgara, tranſtulerunt *Abraham viatorem* [2], propter quod Euphratem tranſierat; & hæc plane vera eſt ratio, propter quam Hebræi nomen Abrahæ, & poſteritati illius eſt impoſitum. Similium denominationum exempla inveniuntur in maxima vi nominum propriorum. Vocatur, exempli gratia, Tranſalpinus, Gallus, Batavus, qui e Gallia, ac Batavia huc acceſſerit, & *Ludovici Tranſmarini* nomen cuidam Galliarum Regi inditum eſt, qui aliquandiu in Anglia permanſerat.

At enim, non omnes Abraham filii Hebræi vocati fuerunt. Exempli gratia, Idumæi, Iſmaelitæ, & Filii Cethuræ. Vetum hæc objectio in eos non minus retorqueri poteſt, qui aſſerunt Abraham Hebræi nomen a Patriarcha Hebar deſumpſiſſe, quam in illos valeat, qui nomen hoc illi ceſſiſſe dicunt ex ipſius origine trans euphratenſi; & præterea dici potaſt quod Eſau, Iſmael, Madian, & fratres illorum, eum fœdera iniiſſent cum illis populis, inter quos degebant, cum deſeruiſſent conſuerudines, & linguam populorum, qui erant trans Euphratem, cum nullum amplius in ter ipſos peculiare viguerit commercium, non ſatis diſtingui poſſe crediderint nomine regionis, ubi originem habuerant

Secus autem in Abraham, Iſaac, & Jacob contigerat; ipſi enim neceſſirudine ſumma ſemper devincti fuerunt cum cognatione ſua, quæ trans Euphratem permanſerat. Iſaac ex ea regione uxorem duxit; Jacob, ut duceret uxorem, ipſe illuc profectus eſt; ibi pluribus annis vixit, & ibi filii illius orti ſunt. Demum nequaquam nos teneri arbitramur, ut erbitrariæ rei rationem afferamus, & quæ a populorum libidine pendet, quæ eſt nominum impoſitio. Nomen Hebræi nullum myſterium, nullum complectitur privilegium; & ſi Deus permiſis, ut illud electo populo ſuo tribueretur, hoc tamen nullum denotat particulare ex Dei parte beneficium, nullum ex parte populi meritum. Sententiam, quam propoſuimus, tutati ſunt Africanus, Origenes, S. Hieronymus, S. Johannes Chryſoſtomus, Theodoretus, Paulus Burgenſis, Eſtius, Ribera, Arias Montanus, Pater Alexander, Joſephus Scaliger, Sebaſtianus Munſterus, Iohannes Seldenus, Ludovicus Cappellus, Grotius, Gerardus Voſſius, Valton, aliique plures melioris notæ Critici.

Quoad vero Hebraicam linguam, quam aliqui contendunt, eam eſſe eamdem, quam Deus tradidit Adę in creatione illius, & quæ aſſervata fuiſſe dicitur io familia Heber, & in familia Abrahæ, quid ſuper hac celeberrima quæſtione ſentiam, hic paucis habes.

Sanctus Gregorius Nyſſenus Orat. 12. contra Eunom. credidit, primævam linguam non amplius

A ſubſiſtere: & aſſerit hanc plurium Eruditorum virorum, atque Sacræ Scripturæ doctrina excultorum fuiſſe ſententiam. Grotius in capus 11. Geneſ. ait, primævam linguam noudum penitus interiiſſe, ſed credit ipſam, cum permixta, & perturbata fuerit cum aliis linguis tempore confuſionis Babylonicæ, in omnes linguas diviſam fuiſſe, non autem integram in peculiari quadam familia permanſiſſe. Huetius Demonſtr. Evang. Propoſ. 4. c. 13. inter illuſtrium horum hominum authoritates labans, hæſit incertus, utrum primitive lingua vere interierit in Babylonica perturbatione, an eum aliis nequaquam confuſa fuerit, quæ ex terribili illa confuſione emerſerunt; an denique ulla ſit ex illis, quæ deinde ſubſtiterunt, ſed quæ nequeat amplius certe cognoſci.

B Theodoretus quæſt. 60. & 61. in Geneſim linguæ ſuæ, ac nationis gloriam evehendi cupidus, paſſim in operibus ſuis docet Syriacam linguam, vel Chaldaicam, eamdem eſſe, quam Adam, & primi Patriarchæ locuti ſunt. Eadem eſt mens Maronitarum Montis Libani; & *Georgius Amira* in præf. ad Grammatic. Syr, & *Mirieyus* in præf. ad Grammat. Chald. hoc probare validis argumentis conati ſunt.

Boxhornius contendit Illyricam linguam linguarum omnium eſſe primam, & Georgius Hervvart in recenti ſua Chronologia ait, linguam Deorum, de qua Homerus loquitur, fuiſſe Teutonicam; quæ ſententiæ ne merentur quidem, quod illis refellendis immoremur. Becanus gloriam ſibi parare velle videtur paradoxo, cum tuetur, veterem Belgarum lin- C guam Hebraicæ præceſſiſſe.

Quæcumque præjudicia Hebraicæ linguæ favent antiquitati. Iudæi omnes, Græci patres, atque Latini, Critici fere omnes, Vetares interpretes, ac recentiores, uno ore linguæ hujus antiquitati primas detulere. Et profecto ſi linguarum confuſio ſupplicium fuit temeritatis illorum, qui Babylonicam Turrim ædificabant; vel etiamſi illud ſimpliciter Dei conſilium fuiſſet, quo homines cogeret, ut alii alio ſecederent: non videntur confuſionis hujus pœnæ illi fieri debuiſſe participes, qui facinoris participes nequaquam fuerint, vel qui innocenti ſolum mente operam adjunxerint; vel denique illi, quos Deus immorari volebat in Chaldæa, finitimiſque regionibus. Maxime verò credibile eſt, neque Noe, neque Sem, ne- D que Arphaxad, neque eos omnes, qui pietatem excolebant, perniciofa immiſcuiſſe conſilia cum iis, qui nefaria mente turris ædificium ſuſceperant; & ita arbitrari debemus participes nequaquam factos illius ſupplicii, quo Deus facinus illud perſecutus eſt; ideoque primævam linguam io his familiis electis, & quæ prope Babylonem in Chaldæa, ac Meſopotamia immorabantur, nequaquam interiiſſe.

Hoc argumentum, quamquam eſt admodum veriſimile, victum tameo corruit facto, quod negari non poteſt: ſcilicet, quod Cananæorum, & Phænicum lingua eadem plane erat proculdubio, ac Hebræorum. Verum ſi primæva lingua peculiari quadam prærogativa ſervata fuit in cognatione Heber, cur idem privilegium fatebimur aſſecutum fuiſſe Canaan, quod E Heber? aut dixerit aliquis Canaam, & filios illius in Babylonicæ Turris ædificatione nullam operam adjunxiſſe? idem quoque de Philiſthæis dicetur, & Syris, deque omnibus Chaldææ populis, & Meſopotamiæ, aliiſque, qui vel Hebraice loquebantur, vel linguam, quæ propius ad Hebraicam accederet; quoniam invicem erant immixti, commercii, & conſuetudinis fœdere. Linguæ Chaldæa, Phæniſſa, Syriaca, Arabica hodie quoque maximam inter ſe habent ſimilitudinem, & ipſæ inter ſe tantum propemodum differunt, quantum linguæ ejuſdem matricis, & primitivæ dialecti.

Non igitur conſideranda eſt Lingue Hebraica, velut in una familia Adam, & poſterorum ipſius circumſcripta; initio latius profecto patebat: & ſi diu-

1 אברם העברי.

2 Ἀβραὰμ τῷ περάτῃ. Geneſ. c. XIV. 13.

tius inter Iudæos viguit, ſi iſti in ſimpliciori integritate illam ſervarunt, id uni ratio tribuenda eſt, quod ab aliis populis longius receſſerunt, conſuetudinibus vero patriis, & veteribus mordicus adhæſerunt. Aderat tamen in ipſorum ſermonibus varietas aliqua pronunciationis, pro varietate tribuum, & provinciarum. Vide Judic. 12. 6. Temporibus Salomonis Chaldaicæ quædam, & Arabicæ locutiones in Hebræorum linguam obrepſiſſe patet: verum pura ſatis uſque ad Babylonicam captivitatem permanſit.

Tunc vero Hebraica lingua vetus hactenus in ſua integritate ſervata in eamdem decidit corruptionem, in quam proruerant Syriaca lingua, & Chaldaica ex veteri lingua formatæ, quæ his populis, & Abraham poſteris fuerat communis. Agnoſcebantur adhuc verborum hebraicorum origines: ſed & characteres, & pronunciatio immutata erant; ita ut nihilominus [1] Judæi, qui e captivitate reverſi vulgo Chaldaice loquebantur, intelligerent etiam purum putum librorum Moyſis ſermonem Hebraicum: quemadmodum in Provinciis, ubi populus, qui rudem, corruptamque linguam loquitur, intelligit etiam, ſi animum velit advertere, puriorem linguam, & correctiorem. Arabes, qui ab Abraham deſcenderant, & Moabitæ, ac Ammonitæ, qui e Loth originem duxerant, deinceps ab Hebræis linguæ varietate diſtincti ſunt, ita tamen ut minimum obeſſet, quin diutius ab ſuimetipſorum ſejunctione, invicem colloquentes intelligerentur.

Sed tandem ſi quamdam velimus primitivam linguam ſtatuere, cujus aliqua haud ſane contemnenda ſuperſint monumenta, & quæ diu perſtiterit, nullam ſane repereris, quam melius hæ deceant qualitates, quam Hebraicam; & modus quo Moyſes paſſim loquitur, innuit ipſum voluiſſe oſtendere lingua hac primos parentes uſos fuiſſe. Vide exempli gratia caput 2. ℣. 19. 20. 23. caput 3. ℣. 20. cap. 4. ℣. 1. & 25. cap. 5. ℣. 29. c. 9. ℣. 27. cap. 11. 9. &c. Geneſis, ubi tradit ille plurium nominum etymologias, omnes ex Hebræorum lingua deductas.

℣. 25. NATIQUE SUNT HEBER FILII DUO: NOMEN UNI PHALEG, EOQUOD IN DIEBUS EJUS DIVISA SIT TERRA, ET NOMEN FRATRIS EJUS JECTAN.] Plures melioris notæ Interpretes credunt Phaleg nomen hoc accepiſſe a nativitate, & hoc ipſo tempore Babylonis diſperſionem contigiſſe; & ſane non apparet ratio, qua adigi potuiſſet Heber, ut illi hoc nomen *Phaleg* imponeret, poſtquam a Babylonis opere ceſſatum eſſet. Sed alii obſervant, Moyſem narrare treſdecim filiorum Iectan nativitatem in eodem loco, ubi Phaleg ortum deſcribit; quod naturaliter adducit, ut credamus, Jectan habuiſſe hos treſdecim filios, cum Phaleg frater illius in lucem editus eſt. At Phaleg natus eſt anno trigeſimo quarto Heber: Jectan, cui tunc treſdecim erant filii, debuerat ante id tempus in lucem duodetriginta, vel triginta annos editus eſſe: atque ita natus eſſet quarto, aut ſexto anno Heber, quod eſt abſurdum. Authores quidam, ut ſe ſe hac exſolverent difficultate, aſſeruere, Heber prophetico afflatum ſpiritu filio ſuo nomen Phaleg impoſuiſſe, cum futuram diviſionem præviderct, quæ poſt multos annos dumtaxat contigit, & ſerius etiam quam anno Heber trigeſimoquarto. Alii [2] credunt, Phaleg non eſſe natum eo ipſo anno, quo ab opere Babylonico ceſſatum eſt, ſed aliquot poſt annos: cum diſperſio duodecim, vel quindecim annorum decurſu peracta fuerit, quo tempore natus & Phaleg.

Ego vero mallem aſſerere filios Jectan, de quibus hic ſermo, editos fuiſſe, diu poſt Phaleg nativita-
A tem, & Moyſem hic eos omnes referre, non ſecus ac alios plures, qui in hoc capite notantur, dumtaxat ut confuſionem, ac perturbationem effugiat, quæ oriretur ſane, ſi hiſtoriam ſuam frequentioribus harum genealogiarum narrationibus ſubinde interſcinderet. Hæc prolepſis eſt, cujus viginti extant in hoc capite exempla. Fieri quidem poteſt etiam Iectan e pluribus mulieribus hos habuiſſe filios ſpatio paucorum annorum.

Phaleg nomen ſuum tradere potuit urbi Phalgæ [3] ad Euphratem ſitæ prope oſtium Chaboras in flumen hoc diffluentis. Excidiſſe autem videtur Ptolomæus, cum poſuit *Phaagam*, quæ eadem eſt ac Phalga, prope oſtium Saocoras in Euphratem. Adeſt in Arabia Felici urbs nomine *Phalagus*; & Pbalga quoque
B vocatur locus, ubi creditur olim Babylon ædificata fuiſſe.

JECTAN.] יָקְטָן, vel *Joctan*. Moyſes perſpicue regiones notat, quas treſdecim filii Jectan incoluerunt. Habitarunt illi, inquit, a Meſa uſque ad Sephar montem ad Ortum. Omnis autem in eo ſita difficultas eſt, ut duo hi loci ſtatuantur, Meſa, & Sepha.

Hic autem revocandum eſt in memoriam, quod ſupra ſtatuimus Arphaxad abavum Jectan in Aſſyria, vel in Armenia, & *Selam* in Suſiana. Advertere quoque opus eſt, Moyſem vocare Orientem, regiones, quæ ſunt trans Tigrim, & Euphratem; veluti Aſſyriam, Mediam, ac Armeniam. Hæ autem animadverſiones nos cogunt, ut treſdecim filios Ie-
C ctan in iis Provinciis ſtatuamus, quæ ſunt inter montem Maſium ad Occaſum in Meſopotamia, & montes Saphiros ad Orientem in Armenia, aut montes Tapyros ulterius in Media, ut ſuperius dictum eſt Geneſ. 2. 11. Nominum ſimilitudo, avorum Iectan propinquitas, veſtigia denique filiorum Iectan, quæ in ea regione videntur, præcipua ſuppeditant argumenta.

Bochartus oſtendere adniſus eſt, Iectan, & filios illius magnam Arabiæ partem frequentaſſe; verum capite 25. ℣. 2. Geneſis conabimur probare hoc intelligendum eſſe de Iectan filio Abraham, & Cethuræ, quod Bochartus de Iectan filio Heber intellexit. Nos enim ponimus poſteros Iectan filii Abraham, & Cethuræ in Arabia, juxta id, quod aſſerit
D Scriptura Geneſ. 25. ℣. 6. ſed ſtatuemus Iectan filium Heber, ac poſteros illius in regionibus Orientalibus inter Meſam, & Sephar, ut Moyſes ait. De ſingulis Iectan poſteris Bocharti ſententiam referemus, & quaſdam conjecturas addemus noſtram ſecuti hypotheſim, quæ ſane differt ab ea, quam ille ſeeutus eſt.

Joſephus [4] ſtatuit Iectan cum filiis illius a fluvio Cophene, uſque ad regionem Indorum, & Serum, quæ illi finitima eſt. Hæc ſententia, quæ locat Iectan, & poſteros illius verſus Indos adeo invaluit, ut omnes fere veteres, ac recentiores, eos in regionibus illis quæſiverint. Sed juxta hypotheſim noſtram intueamur, an ulla inveniamus nominis Iectan veſtigia inter Meſam, & Sephar.

E Sitacene prorſus in media illa eſt regione, quam *Arphaxad*, & *Sale* aſſignavimus, ſcilicet inter Aſſyriam, & Suſianam. Regionis caput vocatur Syraca a Xenophonte, atque a Stephano, Sitacene vero a Plinio, atque Ptolomæo. Facile vero de Jectan nomine Setaca, vel Setacene deducitur. Sampſon ponit *Aſtacanem* ad flumen Nymphium, quod in Tigrim prope Amidam dilabitur.

℣. 26. JECTAN GENUIT ELMODAD, ET SALEPH.] Bochartus credit, Elmodad eſſe patrem Allumeotatum, quos Ptolomæus in media Arabia Felici conſtituit.

1 Eſdr. 8. 2. 8. 2 Uſſerius, Bonfrerius.
3 Iſidor. Characen. Stephan. Arrian.
4 Joſeph. Antiq. l. 1. c. 6. Ἀπὸ Κωφῆνος, ἕως τῆς Ἰνδικῆς, καὶ τῆς πρὸς αὐτῇ Σηρίας. Euſebius, & Sanctus Hieronymus legerunt *ierias* loco *ſerias in locis ad Evilat*. Bochartus credit, legendum eſſe *arias*, Eduardus Bernardus in iis, quæ tradidit de Joſepho legit idem. Bonfrerius legit Σηρίας, regionem Serum. Veteres Joſephi editiones Συρίας, Syriam. Fluvius *Cophene* procul dubio alluit Provinciam *Aſiæ*, & fluit uſque ad Sericam regionem.

ſtituit. Alibi aliam propoſuimus conjecturam; nos A vero pro Allumeotis Leomim intelligimus, quos memorat Moyſes Geneſ. 25. 3. & credimus Elmodad potuiſſe quidem eſſe patrem Eldamariorum in Meſopotamia. Plinius lib. 6. cap. 26. eos Salmanis jungit, qui fortaſſe Saleph ſunt poſteri. Invenitur quoque inſignis orbs Amida ad Tigrim finem Aſſyriæ & in Meſopotamia urbs Almodeme, quæ magnam habet cum nomine Elmodad ſimilitudinem.

Bochartus obſervavit in Arabia Salapenios, a Ptolomæo relatos; & eos, qui in tabulis nomine Alapeniorum perſpiciuntur; in eo ſitu nihilominus, qui admodum ab illo diſtat, quem ille tribuit aliis filiis Jectan.

Asarmoth.] Hujus nominis urbs eſt in majori Armenia [1]: *in majore (Armenia) Aſarmotho Eu-* B *phrati proximum*; & prope montem Maſium videtur urbs *Arſamoſate*, Armoſate in quodam Marci Aurelii numiſmate obſignata. Neſcio tamen, utrum hæc eadem illa ſit, quæ a Plinio memoratur.

Euſtathius Antiochenus, Euſebius, Chronica Alexandrina, Sanctus Epiphanius, & poſt hos Bochartus ſtatuunt poſteros Aſarmoth in Arabia: hic vero, quem noviſſime memoravimus, in hac regione invenit tantum Chatramitas, Aſramotitas, vel Chatrimonitas, ut ſuam ſententiam confirmet.

Jare.] ירח. *Jerech*. Cum Bocharto e ſententia non ceſſerit, in Arabia populos inveſtiganti, qui *Jarchi*, vel *Jarochai* appellarentur; alios quæſivit, quorum nomen idem ſignificaret, ac Hebraicum *Jarach*, quod Lunam ſignificat; Agatharcides, & C Diodorus loquuntur de *Alilæis* prope Caſſandros. Vox *Alilal* idem ſignificat, ac Hebraice *Jarachæi*: *Alilat* enim Arabice Lunam ſignificat, ut probat Seldenus in libro ſuo de Diis Syris. Geographus Nubiæ Parte 5. Clim. 1r. ponit filios Hilal prope Mecham. Bochartus tuetur, filios Hilal, Alilæos, *Caſſandros*, eſſe eoſdem, ac *Caſſanites*, de quibus Stephanus, & Ptolomæus loquuntur, ac *Jerachæos* Scripturæ. Credit etiam invenire nominis *Jarach* veſtigia in Accipitrum inſula in mari rubro contra oras Caſſanitarum. Verum de rationum harum vi penes Lectorem judicium relinquo.

In Aſia vero invenimus amplam regionem, cui nomen *Trac*, vel *Iracha*, quæ juxta Baudrand eadem eſt, ac vetus Aſſyria: ſed antiquitus *Irach* poterat D quidem non adeo patere. Urbs Irach ad Euphratem, caput regionis hujus, erat olim majori digna æſtimatione; ſed paruumper abeſt a monte Maſio. Nomen *Jare* Hebraice proferri poteſt, quemadmodum *Irach*, vel *Irsha*: atque ita dare poſſet nomen *Hirtaniæ*, quæ provincia eſt Mediæ finitima.

Aduram.] הדורם. Septuaginta [2] *Odorra*. Septuaginta conſtituunt poſteros *Aduram* in Arabia prope fretum Ormus, & ſinum Perſicum. Plinius lib. 6. cap. 28. ibi ſtatuit Drimates, qui deduci poſſunt ab Aduram. Poſtremum Arabiæ Promontorium verſus Perſidem, vocatur *Corodamum*, quod etiam quamdam habet cum Aduram conformitatem.

Ut aliquid dicam, quod ad noſtram hypotheſim E referri poſſit, reor, Aduram ſtatui poſſe in Meſopotamia. Adeſt ibi urbs nomine *Aira* ad Tigrim ſita, quæ capta fuit a Trajano, ut refert Ammianus Marcellinus. Polybius lib. 6. 48. loquitur de urbe, cui nomen Dura in Meſopotamia, & Ammianus aliam cognominem ponit ad Tigrim in Aſſyria.

Uzal.] Bochartus invenit apud authorem libri Juchaſim urbem Uzal caput regni Alieman, vel Saba, in Arabia Felici. A Latinis [3] de Uzal facta fuit Auzar, & Auzaritis, atque ab illis *Myrrha* *Anzaritis* vocata fuit quædam Myrrhæ ſpecies, quæ ea illis regionibus devehitur.

Pro noſtra vero ſententia videmus ad Euphratem in Arabia Deſerta in finibus Meſopotamiæ urbem *Anzaram* dictam; & in majori Armenia, vel in Cappadocia celebrem locum, cui nomen *Zela* [4], qui terræ nomen tribuit *Zeleticha* nuncupatæ. Urbs *Zela* ædificata fuit a Semiramide; & ſupra magnum tumulum videtur templum Deæ Anaïs, quam ſummo honore Armeni venerabantur.

Decla.] דקלה. Bochartus nullum in Arabia invenit populum, qui vocatus fuerit *Decla*; ſed locos nonnullos obſervat pro inſignibus ipſorum palmis, quæ Chaldaice, & Syriace *Dicla* appellantur. Inter ceteras una adeſt in aditu Arabiæ Felicis ad mare rubrum, quam Veteres adlaborarunt, ut nobis deſcriptam relinquerent: hic autem noſter author ſtatuit poſteros Decla.

Plinius l. 6. c. 27. aſſerit, Tigrim, donec leniter fluit per agros ſuæ origini proximos in Armenia majori, *Diglito* appellari; & deinde nomen Tigrim illi tribui, cum majori pernicitate, ac impetu defertur; quod innuere poſſet, hunc Armeniæ tractum, unde originem ſuam hic fluvius haurit, *Diglito* vocari, vel *Deola*. Extat in Albania urbs Declana, & in Aſſyria urbs Degla. Sin autem loci quærantur, ubi magna ſit palmarum copia, ut illic Decla ſtatuatur, facile erit invenire prope Armeniam, & Meſopotamiam

℣. 28. Ebal.] עובל. Hebraice *Hebal*. Bochartus aſſerit Hobal, aut poſteros illius migraſſe ad Occidentem Rubri maris in regionem Troglodytarum. Invenitur tellus *Abalite* vocata, vel *Avalite*, & emporium ejuſdem nominis.

Abimael.] Bochartus credit hunc eſſe patrem Malitarum, de quibus mentionem facit Theophraſtus Hiſt. Plant. lib. 9. cap. 4. qui ait, illos fuiſſe unam ex quatuor celeberrimis nationibus propter aromata in Arabia Felici. Credit autem, quod populi *Mali* iidem ſint, ac Molites a Ptolomæo recenſiti. Agnoſcitur in Armenia minori fluvius *Melas*, qui ex Argæo monte diffluens oblique Armeniam minorem pertranſiens in Euphratem dilabitur. Tranſit vero prope urbem Melitenem, aut Melitam, quæ eſt caput provinciæ cognominis. In Aracoſia Ptolomæus ſtatuit urbem Malianam. Nulla hic ratio habetur vocis *Abi*, quæ *meum patrem* ſignificat.

Saba.] שבא. Iam adnotavimus in hoc capite plures eſſe viros hoc nomine *Saba* appellatos. Bochartus hunc ſtatuit ad mare rubrum inter Minæos, & Carabanos. Hi ſunt Sabæi aromatibus ſuis adeo percelebres. Eorum caput a Geographis vocatur, *Saba*, vel *Sabe*, ſeu *Saba*, *Sabe*. Hæc autem eadem ac eſt *Moriaba*, vel *Marab* apud Geographum Nubiæ.

Noſtram ſecuti Hypotheſim ſtatuimus *Saba* in aliquo ex his locis, quos modo ſumus memoraturi: exempli gratia in Perſide, ubi Dionyſius Africanus locat populos *Sabas* nuncupatos; quos *Sabæos* nominat Ptolomæus. Extat urbs nomine *Sabatha* prope Seleuciam in Aſſyria. Ptolomæus meminit *Sabagena* in Armenia majori. Geographi quoque agnoſcunt provincias *Sappactuen*, & *Sybacenen* in Armenia majori. Electio fieri poteſt inter tot nomina, quæ a Saba oriri videntur. Nomen hoc diffuſum videtur per Arabiam univerſam, & in omnibus regionibus trans Euphratem.

℣. 29. Ophir.] אופיר. Pletique hunc in Indiis ponunt. Nos autem in Diſſertatione, quam ad hoc ſumus elucubrati, adniſi ſumus, ut oſtenderemus ipſum incoluiſſe ultra Iſthmum, qui eſt inter Euxinum pontum, & mare Caſpium; & ſitum hunc minime obeſſe, quin dici queat, claſſim Salomonis ad

Ophir

---

1 Plin. lib. 6. cap. 9.
2 Ὀδῤῥα.
3 Plin. lib. 12. c. 6.
4 Vide Strabon. l. 6. p. 386. Plin. l. 6. c. 3.

Ophir contendiſſe. Sed ſi fateri fuerimus coacti, claſſem hanc in Indias pertexiſſe, facile nobis eſſet oſtendere, quemadmodum illa de Ophir aurum traduaetir, ſi illud nobis concederetur per mare Caſpium Salomonis tempore ultro citroque paſſim vela dimitti conſueviſſe: nam Plinius lib. 6. 17. viam oſtendit, qua ætate ſua merces ab Indiis uſque ad Pontum Euxinum deveherentur. Facile quoque erat eaſdem a regionibus in Ponti Euxini littoribus ſitis in Indias transferri. Ecce autem qua ratione traducerentur. Ea India mercibus his onerabantur naves in flumine Icaro, qui in Oaum ingreditur. Oxus in mare Caſpium dilabitur. Ex hoc mari vehebantur naves in alveum fluminis Cyri, quod adverſum licet ſuperabatur, quam poterat, altius, ubi exoneratæ merces, & dierum quinque itinere terra traductæ, iterum in Phaſim demittebantur, a quo in Euxinum Pontum deducebantur. Nonne igitur facile quoque eſt merces e regione Ophir in Cyrum flumen transferre, hinc in mare Caſpium devehere, Oxum ſuperare, eaſque in Indum fluvium, qui in Oceanum ſe ſe exonerat, traducere? Hoc pacto inveniri poterit aurum Ophir in India; ſed malim illi adhætere ſyſtemati, quod alibi inſtituimus: neque enim communia adeo videntur fuiſſe mari itinera in Indias Salomonis tempore, neque tempore Iob, qui de auro Ophir loquitur c. 17. 24. & 28. 15.

Hevilah.] חֲוִילָה. Quid de regione Hevilah ſentiam, explicui, cum de Paradiſi Terreſtris ſitu ſermo eſſet.

A Jobab.] Bochartus aſſerit Iobaritas, vel Iobabitas, ut legendum eſſe in Ptolomæo contendit, eſſe poſteros *Jobab*. *Jebab* in Arabicè ſignificat deſertum, & Iobaritæ Arabiæ regionem incolunt admodum deſertam, ultra ſinum Sachelitem. In Albania occurrit mihi urbs Iobula, & in Armenia urbs Iban: ſed non auſim aſſerere alterutram nomen ſuum deſumpſiſſe a Iobab. Neque illud etiam affirmare auſim in pleriſque nominibus præcedentibus nobis rem e voto contigiſſe, cum aliquam propoſuerimus conjecturam. Rerum, quas inquirimus, antiquitas, locorum diſtantia, variæ politiarum immutationes, populorum tranſmigrationes, nominum barbaries eos obices rerum inventis opponunt, ut eos ſuperare propemodum impoſſibile videatur. B Hæc ſaltem inquiſiviſſe, poterit haud ingratum haberi.

℣. 30. De Messa pergentibus usque ad Sephar montem Orientalem.] De amborum locorum horum ad Geneſ. 2. 11. ſententiam noſtram protulimus. Bochartus intelligit pro *Meſſa* emporium, & portum nominis *Muza* in Arabia in litore maris rubri. Ad Orientem *Muzæ* eſt urbs Saphar, caput Sepharitarum; ſed & Muza, & Sephar erant ad Meridiem poſitæ a Moyſe, & non invenitur, eum umquam vocaſſe Arabiæ partes de nomine Orientis, *Kedem*. Nomen hoc notat ſemper populos, & regiones, quæ ſunt ad Orientem Euphratis, & Tigris.

CAPUT XI.

Conſtructio Turris Babyloniæ: Linguarum confuſio Genealogia Sem: uſque ad Abraham.

1 ERat autem terra labii unius, & ſermonum eorumdem. 2 Cumque profi-
ciſcerentur de oriente, invenerunt campum in terra Sennaar, & habitave-
runt in eo. 3 Dixitque alter ad proximum ſuum. Venite, faciamus late-
res, & coquamus eos igni. Habueruntque lateres pro ſaxis, & bitumen pro cæmen-
to: 4 Et dixerunt: Venite, faciamus nobis civitatem, & turrim, cujus culmen
pertingat ad cœlum; & celebremus nomen noſtrum, antequam dividamur in univer-
ſas terras. 5 Deſcendit autem Dominus, ut videret civitatem, & turrim, quam
ædificabant filii Adam. 6 Et dixit: Ecce, unus eſt populus, & unum labium om-
nibus: cœperuntque hoc facere, nec deſiſtent a cogitationibus ſuis, donec eas ope-
re compleant. 7 Venite igitur, deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum,
ut non audiat unuſquiſque vocem proximi ſui. 8 Atque ita diviſit eos Dominus ex il-
lo loco in univerſas terras, & ceſſaverunt ædificare civitatem. 9 Et idcirco
vocatum eſt nomen ejus Babel, quia ibi confuſum eſt labium univerſæ terræ: & in-
de diſperſit eos Dominus ſuper faciem cunctarum regionum. 10 Hæ ſunt generatio-
nes Sem: Sem erat centum annorum, quando genuit Arphaxad, biennio poſt dilu-
vium. 11 Vixitque Sem, poſtquam genuit Arphaxad, quingentis annis, & genuit
filios, & filias. 12 Porro Arphaxad vixit triginta quinque annis, & genuit Sale.
13 Vixitque Arphaxad poſtquam genuit Sale, trecentis tribus annis, & genuit filios
& filias. 14 Sale quoque vixit triginta annis, & genuit Heber. 15 Vixitque Sa-
le poſtquam genuit Heber quadringentis tribus annis; & genuit filios, & filias.
16 Vixit autem Heber triginta quatuor annis, & genuit Phaleg. 17 Et vixit He-
ber poſtquam genuit Phaleg, quadringentis triginta annis, & genuit filios, & fi-
lias. 18 Vixit quoque Phaleg triginta annis, & genuit Reu. 19 Vixitque Pha-
leg, poſtquam genuit Reu, ducentis novem annis, & genuit filios, & filias. 20 Vi-
xit autem Reu triginta duobus annis, & genuit Sarug. 21 Vixit quoque Reu, poſt-
quam genuit Sarug, ducentis ſeptem annis, & genuit filios, & filias. 22 Vixit
quo-

quoque Sarug triginta annis, & genuit Nachor. 23 Vixitque Sarug, poſtquam
genuit Nachor, ducentis annis & genuit filios, & filias. 24 Vixit autem Nachor
viginti novem annis, & genuit Thare. 25 Vixitque Nachor, poſtquam genuit Tha-
re, centum decem & novem annis, & genuit filios, & filias. 26 Vixitque Thare
ſeptuaginta annis, & genuit Abram, & Nachor, & Aran. 27 Hæ ſunt autem ge-
nerationes Thare: Thare genuit Abram, Nachor & Aran. Porro Aran genuit Lot.
28 Mortuuſque eſt Aran ante Thare patrem ſuum in terra nativitatis ſuæ in Ur Chal-
dæorum. 29 Duxerunt autem Abram, & Nachor uxores: nomen uxoris Abram, Sa-
rai; & nomen uxoris Nachor, Melcha filia Aran, patris Melchæ, & patris Jeſchæ.
30 Erat autem Sarai ſterilis, nec habebat liberos. 31 Tulit itaque Thare Abram
filium ſuum, & Lot filium Aran, filium filii ſui, & Sarai nurum ſuam, uxorem
Abram filii ſui, & eduxit eos de Ur Chaldæorum, ut irent in terram Chanaan;
veneruntque uſque Haran, & habitaverunt ibi. 32 Et facti ſunt dies Thare ducen-
torum quinque annorum, & mortuus eſt in Haran.

℣. 1. ERAT AUTEM TERRA LABII UNIUS, ET SERMONUM EORUMDEM.] Omnes homines eamdem loquebantur Linguam, quæ erat lingua Adam, & quæ erat vel lingua Hebraica, vel alia, cui eſſet maxima cum Hebraica lingua conformitas. Philaſtrius hæreſ. 56. 57. credebat ante Babylonis conſtructionem linguas inter ſe fuiſſe diverſas; ſed ita tamen, ut ſinguli intelligerent univerſas. Hanc ſententiam Alphonſus de Caſtro Hæreticam cenſet, vel ſaltem temerariam, atque erroneam. Nonnulli [1] contendunt has voces: *Terra erat labii unius &c.* ſignificare ſolum, animorum conſenſum, & conſiliorum conformitatem in hominibus, qui Babylonicæ turris ædificium ſuſceperunt. Afferuntur locutiones aliquot præter propter ſimiles, quæ ſignificant ſolummodo, eodem eſſe animo, perfectoque conſenſu ad rem eamdem ſuſcipiendam. Exempli gratia, dicitur in Joſue 9. 2. Reges Canaan conveniſſe ſimul, ut in Joſue inferrent arma, *eodem ore* פה אחד *Pheh Echad*, ſcilicet communi conſenſu; quare factum eſt, ut Septuaginta verterent [2] *Omnes ſimul*, & Vulgata *uno animo, eademque ſententia*. Affertur præterea primus Regum cap. 12. 13. *Uno ore*. Et Sophonias 3. 9. *humero uno*; videlicet unanimiter.

Verum in hoc Moyſis loco, quem explicamus, palam innoteſcit, Legiſlatorem aliud innuere velle, quam conſenſum, & populorum unionem: quoniam cum dixiſſet ℣. 6. populum eſſe unum, & illi unum, eumdemque ſermonem: *Ecce unus eſt populus, & unum labium omnibus*; ait Deum, qui prævidebat, donec hæc unio perſtiterit, homines ab opere non ceſſaturos, hoc iniiſſe conſilium, ut eos ab eodem deterreret, illorum linguas confundendi, ne hoc pacto poſſent ipſi ſe invicem intelligere. *Venite deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unuſquiſque vocem proximi ſui*. En autem ſententia, quæ illico naturaliter menti occurrit. Deus temeritatis hujus pœnam, atque facinoris, convertit, non modo in unionem ſententiæ, quam diſſipat, ſed directe, & primum in linguam, quam ille confundit. Nihil eſt, quod cogat, ut hac in re ad figuratum ſermonem confugiamus, & ad figuram nimis acrem, qualis eſſet hoc in loco allegoria, & equidem continuata & perpetua in omni hac narratione, quæ ex ſe naturalis eſt, & ſimplex.

℣. 2. CUMQUE PROFICISCERENTUR DE ORIENTE.] Moyſes redit ad narrationem, quam genealogia trium filiorum Noe, & filiorum eorumdem, ac regionum, ubi fuerunt immorati, interrupetat. Liquet, pri-

A mos homines poſt Diluvium ex arca in montibus Ararat in Armenia deſcendiſſe: inde profecti ſunt in agros, qui ad horum montium radices ſunt poſiti, ac in ea loca, ubi vixerant ante Diluvium; & cum ſecundum Tigris, & Euphratis oras deſcenderent, pervenerunt in terram Sennaar; quod poſt multos annos contigit: & fortaſſe nullo alio conſilio ducti, quam ut uberiores ſibi quærerent agros, in hanc regionem rediere; ſed cum demum omnes ſimul conveniſſent illuc, quæ regio totius Orientis habetur ubertima [3], & intelligentes ſe non poſſe una diutius præ multitudine commorari, libidine capti ſunt turris ædificandæ, quæ in miram altitudinem eveheretur, ut nomen ſuum celebrarent, & poſteris unionis ſuæ, & loci, unde diſceſſerant,
B cum alii in alias terrarum partes conceſſiſſent, monumentum relinquerent.

Verum hæc explicatio in quaſdam difficultates offendit. Hæ Provinciæ, e quibus Noe poſteros migraſſe contendimus, eſſe dicuntur ad Boream, non autem ad Orientem terræ Sennaar; quod convenire non poteſt cum Textu, qui ait hos homines ab Oriente veniſſe. Ut his occurreretur difficultatibus, confugiendum fuit ad varias loci hujus explicationes. Alii vertunt Hebraicum textum: *Cumque proficiſcerentur verſus Orientem*, [4] *invenerunt campum in terra Sennaar*. Quod non tantum Hebraicæ Grammaticæ regulis adverſatur; verum præceptis omnibus, quæ Geographia de ſitu locorum tradit: quia Sennaar eſt ad Meridiem Armeniæ, & Aſſyriæ. A-
C lii [5] vertunt: *Ipſi profecti ſunt ab initio &c.* perinde ac vellet Moyſes innuere, primum hominum iter poſt Diluvium, illud fuiſſe, quo in terram Sennaar profecti ſunt. Hactenus in Armenia permanſerant prope Montem Ararat.

Capellus apud Bochartum Phaleg l. 1. c. 7. credit *Kedem* hic ſignificare regionem, quam deinde incoluit *Kedem* minimus natu filiorum Iſmael; & poſteros Noe cum e montibus Ararat in hanc regionem deſcendiſſent, inde migraſſe in agros *Sennaar*, ubi Babylonicam Turrim ædificarunt. Bochartus contendit Moyſem hic loqui juxta morem Aſſyriorum, qui appellabant *Kedem*, vel Orientem Provincias omnes Imperii ſui, quæ ſitæ erant trans Tigrim, & *Anab*, vel Occidentem eas omnes, quæ
D erant citra ſitæ. Fullerus arbitratur, primos homines, cum e montibus Ararat deſcendiſſent in Mediam, & in Aſſyriam, tranſiiſſe Tigrim, atque deinde e Suſiana in Babyloniam fuiſſe reverſos. *Suſiana* erat ad Orientem Sennaar. Sed nulla nos neceſſitas cogit, ut ad has ſolutiones confugiamus quo-

1 Hæc eſt ſententia quorumdam Theologorum Hollandiæ in Hiſt. Crit. Tom. 5. pag. 436.
2 Ἅμα πάντες.
3 Plin. l. 6. Herod. &c. 4 מקדם MiKKedem.
5 Aquila, Onkelos, Targum Hieroſolym.

quoniam Aſſyria, Meſopotamia, ut verbo dicam, ex regiones omnes, quæ ſunt ad Euphratem, vel ultra in Scriptura Oriens nuncupantur. Balaam ait Num. 23. 7. quod Balac Rex Moab ipſum deduxit *E montibus Orientis*. Venerat autem de Pethor, quæ erat ad Euphratem. Magi, qui Ieſum-Chriſtum adoraturi acceſſerunt Matth. 2. 1. veniebant ab Oriente, atque de eadem regione. Iſaias 41. 2. ait, Abraham veniſſe de Oriente in regionem Chananæorum. Patet autem eum veniſſe a Meſopotamia, & Chaldæa. Propheta idem 46. 2. ait, Cyrum venturum ab Oriente contra Babylonem, & 9. 12. ponit Syriam ad Orientem Iudeæ. Daniel 11. 44. ait, Antiochum Epiphanem turbatum fuiſſe ad nuntium defectionis provinciarum Orientis, ſcilicet trans Euphratem. Vide quid ſuperius dixerim, ad Geneſim 2. 8. B

Maxime veró naturale videtur aſſerere, poſteros Noe, cum diſceſſiſſent ex Provinciis, quæ Orientis nomine intelliguntur, veniſſe in campum Sennaar; Sennaar ſit vel ad Occidentem, vel ad Meridiem illarum Provinciarum Orientis. Hæ voces *cum proficiſcerentur de Oriente*, non inferunt neceſſario, quod Occidentem verſus proceſſerint; potuerunt enim pergere ad Meridiem.

INVENERUNT CAMPUM IN TERRA SENNAAR.] Si ignoraremus ſitum Babylonis, difficillimum eſſet, ſitum campi Sennaar ſtatuere: ſed quemadmodum patet Babylonem ædificatam fuiſſe ad Euphratem, & Babylonicam Turrim fuiſſe in campo Sennaar; falli non poſſumus, ſtatuentes Sennaar in Meſopotamiæ parte magis meridionali. Septuaginta Zach. 5. 11. Iſai. 11. 1. & Interpretes Chaldæi nonnumquam *Sennaar* vertunt Babylonem; & Daniel 1. 2. narrat, Nabuchodonoſor tranſtuliſſe vaſa de templo Hieruſalem in templum Dei ſui in terram Sennaar; at nullum dubium eſt, quin templum hoc fuerit Babylone. Demum Hyſtiæus apud Joſephum Antiq lib. 1. cap. 5. & Abydenus apud Euſebium Præpar. lib. 9. cap. 15. ponunt Sennaar in Babylonia. Obſervavimus jam, non ſatis liquere, an ibidem Babylon fuerit ædificata, ubi erat Turris Babylonica; verum fatentur omnes, utramque fuiſſe in terra Sennaar.

Non adeo tamen facile eſt terræ hujus extenſionem ſtatuere. Geographi loquuntur de monte, fluvio, urbe *Singara* in Meſopotamia ad Tigrim procul admodum à Babylone Boream verſus. Nomen Singaræ idem plane eſt ac Sennaar. שנער. *Hain* ſæpius profertur ut G. Fieri quoque poteſt, ut mons Zagra, vel Zagras, de quo paſſim adeo Strabo loquitur, ita vocetur a Sinnhar, vel Singar. Hic mons claudit Babyloniam ad Septentrionem [1]. Ita regio Sennaar late pateret admodum a Babylone ſecus Tigrim uſque Aſſyriam verſus. Vide Sanctum Epiphanium initio libri primi Hæreſum, qui ſtatuit Sennaar in Aſſyria.

℣. 3. HABUERUNTQUE LATERES PRO SAXIS, ET BITUMEN PRO CÆMENTO.] Hebraica vox חמר *Chemar*, quæ hic vertitur *bitumen*, ſignificat etiam calcem, lutum, argillam præparatam; & ea, quæ hic transfertur *Cæmentum* חמר *Chomer*, cum eiſdem litteris ſcribitur ac prima, & interpunctione immutata poteſt etiam eadem ratione enunciari. *Cæmentum*, quod hic ponitur pro calce, ſignificat proprio apud Latinos lapidum fragmenta, & minuta ſaxa ad extruendum. Juxta Hebraicum textum ita verti potuiſſet verſiculus: *Habueruntque lateres pro ſaxis, & lutum pro calce*. Sed Vulgata, & Septuaginta in optimum ſenſum intelligunt.

Ratio vero, quæ illos adegit, ut lateribus uterentur pro ſaxis, & bitumine pro calce, fuiſſe dicitur, lapidum infrequentia in ea regione, ubi Turris Babylonica ædificata eſt; ex quo calcis quoque oritur inopia; deinde laterum effingendorum facili- A tas in ſolo admodum pingui, & humenti; & denique bituminis copia, quod in ea regione eſt communiſſimum. Veteres omnes de Babylonico bitumina loquuntur: & deinceps nulla alia uſi ſunt materia, quam lateribus, & bitumine in mirabilibus ædificiis, quæ deinde Babylone extructa fuerunt Semiramide, ac Nabuchodonoſor imperante. Hoc profecto adacti Septuaginta verſiculum hunc tranſtulerunt in eum ſenſum, quem explicuimus.

℣. 4. FACIAMUS NOBIS CIVITATEM, ET TURRIM, CUIUS CULMEN PERTINGAT AD COELUM.] Videlicet, ut explicant quidam, civitatem cum turri, & propugnaculis, *Civitatem Turritam*, maximæ altitudinis; quod ea hyperbolica locutio ſignificat, cujus culmen pertingat ad cœlos. Homerus loquens de B arbore procera nimis dicit, eam vertice æquare cœlum; & Virgilius de elatis ſcopulis diſſerens vocat, *Minantes cœlo ſcopulos*; & Horatius, *Sublimi feriam ſydera vertice*. Cum Turris Babylonica ad perfectum ſuæ altitudinis apicem haud fuerit evecta, & cum Scriptura non prodat, quænam futura fuiſſet ipſius elatio, nihil certum licet aſſerere. Tamen, quemadmodum res novas, atque præter ordinem miras enunciare geſtimus, authores plures illius altitudinem voluerunt ſtatuere, atque illud ita inverecunde, ut quoſcumque veriſimilitudinis fines exceſſerint.

Sanctus Hieronymus in Iſai. lib. 5. cap. 14. ex aliorum ſententia ait, Turrim Babylonis quatuor mille paſſuum altitudine præſtitiſſe. Adon in Chro- C nicis ſuis illi 5174. paſſus altitudinis tribuit. Iudæi in libro *Jalcut* eam uſque ad 27000. paſſus evehunt. Beniamin ait, turris hujus fundamenta in 2000. paſſuum longitudinem fuiſſe poſita. Fabricius, qui illam aſt intuitus, aſſerit, ipſius ambitum fuiſſe, præter propter, paſſus mille. Guion idem affirmat. Profani, qui aliquam habuerunt ideam de hominum ſuſcepto facinore in Turris hujus ædificatione, eam fabularum integumentis involutam ſub fabula de Gigantum prœlio retulerunt, qui cœlo arma inferre cupientes, atque inde Iovem deturbare, montes montibus impoſuerunt. Virgilius Æneid. 6.

--- *Qui magnum manibus reſcindere cœlum*
Aggreſſi, ſuperiſque Jovem detrudere regnis &c.

Sybilla quædam a Ioſepho lib. 1. contra Appion. D atque ab Euſebio Præpar. lib. 9. allata his Gigantibus conſilium fuiſſe refert in cœlum Turri hac aſcendendi; atque deſcribit Deos ob eorum impotentiam ira percitos, qui magnam ventorum vim immiſerunt, qui impetu facto opus illud diruerent. Eupolemus, & Abydenus apud Euſeb. lib. 9. Præp. eodem pacto loquuntur. Plerique contenderunt Turrim Beli, Babylone, cujus deſcriptionem Herodotus exhibet lib. 1. cap. 181. eamdem fuiſſe, ac Turrim filiorum Noe. Turris hæc octo conſtabat turribus, ſibi ſuperimpoſitis, quarum craſſities in arctius ſemper cogebatur, a prima ad noviſſimam. Super hoc Beli templum erat ædificatum. Prima turris contignationis primæ ſtadium quadratum in latitudinem patebat, vel juxta alios in latitudinem, & E proceritatem. Herodotus autem non refert altitudinem, vel latitudinem turrium aliarum, ſed ne totius quidem ædificii: creditur tamen ea fuiſſe octo ſtadia, videlicet paſſus mille. Opus hoc ſubſiſtebat adhuc Herodoti tempora, ſi iis, quæ narrat, fidem habere velimus. Verum ſi Strabonem conſulamus lib. 16. initio, Turris hæc uno tantum ſtadio aſſurgebat, vel paſſibus centum & viginti quinque. Eam ipſe Pyramidem vocat, & docet dirutam fuiſſe a Xerxe, & Alexandrum illius inſtaurandæ conſilium iniiſſe: igitur Herodoti ævo ſubſiſtere non poterat, ſaltem integra. Diodorus Siculus lib. 3. cap. 4. & Plinius l. 6. cap. 26. Herodotum exſcripſerunt; atque, ut ipſi inquiunt, ætate quoque illorum turris hæc ſtabat. Demum Beli turris alia prorſus videtur

[1] Strabo lib. 16. circa initium.

detus ab ea, quam primi homines ædificare incœperunt. Hæc enim numquam perfecta fuit, nec, ut ex ea Templum fieret, deſtinata; illa vero Beli turris perfectum quidem opus fuit, ac in id præſertim extructa, ut tumulus primum, deinde vero templum Regi Belo eſſet. Non ideo tamen minime fieri potuiſſe reor, ut vel ipſe Nembrod, vel alius quiſpiam Babylonis Rex turrim hanc ſuper primis illis fundamentis perfecerit, & quam poſteri Noe ante ipſorum diſperſionem incœperant, ipſe compleverit.

Celebremus nomen noſtrum, antequam dividamur in universas terras.] Hebraicus textus ita verti poteſt: *Faciamus nobis nomen, ne dividamur*. Perinde ac Turrim hanc, & urbem ædificantibus hoc fuiſſet conſilium, obſiſtendi, ne dividerentur; & perinde ac dicerent: Donec nulla nobis erit certa, ac ſtata ſedes difficile erit, quod ſimul commorari poſſimus, & citius quidem alii ab aliis digrediemur; ſed communem ædificemus urbem, ut omnes ſimul permaneamus. *Faciamus nobis nomen*; unionis noſtræ monumentum poſteris conſtituamus, urbem de nomine noſtro ædificemus. Alii vero contendunt, hominibus fuiſſe conſilium, proceram adeo Turrim extruendi, qua freti recens Diluvium minime vererentur, ſi forte illud contigiſſet. Verum quod inane magis, inſanumque conſilium, quam Turrim in ima tellure, & inundationibus maxime obnoxia conſtruere, ut Diluvium poſſent effugere? Oblitine fuerant promiſſionum Dei, qui ſe non amplius Diluvii aquas immiſſurum ſponderat? Aliqui autem credunt, Nembrod, qui præcipuus operis hujus perhibetur author, hoc pacto vires ſibi comparare voluiſſe, ut occupatam tyrannidem tueretur.

Rabbini quidam, veluti Abenezra, Levi Ben-Gerſon, quos Toſtatus, aliique ſequuntur, aſſerunt illos, qui Babylonicam Turrim ædificarunt, nullius criminis hac in re obnoxios fuiſſe; vel illis conſilium tribuatur diſperſionem ſuam præveniendi, vel id opus aggreſſos putemus, ut ſibi nomen parerent, & gloriæ celebritate uſquequaque florerent. Cur igitur Deus in homines animadvertit? Num dicet quis, confuſionem linguarum nequaquam ſupplicium fuiſſe, & gentium diſperſionem, quæ ſubſecuta eſt, ſupplicium aliud minime eſſe cenſendum? Cum Scriptura ait, Deum deſcendiſſe ut ædificium intueretur; locutio hæc nonne ultricis juſtitiæ Dei opus ſignificat, qui judicaturus accedit, impioſque male mulctaturus? Cum Deus vult evertere Sodomam, eadem utitur locutione. Ita Maimonides, & Paraphraſtes Onkelos, & Rabbini quidam explicant; ita Patres intelligunt; Chryſoſtomus hom. 30. in Geneſ. Auguſtinus de Civit. lib. 16. cap. 4. &c. In hoc enim opere hominum ambitionem obſervant, ac temeritatem; & linguarum confuſionem, ac populorum diſperſionem ſupplicia fuiſſe arbitrantur. Demum author libri Sapientiæ 10. 5. de conſilio hoc loquitur, veluti de nefario ſcelere, & quod Dei ultionem mereatur. *In conſenſu nequitiæ cum ſe nationes contuliſſent*, &c.

Cedrenus ait, quod cum ventorum vi Babylonica Turris fuiſſet everſa, Nembrod ruinis fractus fuerit. Alii volunt, illam terræ motu everſam fuiſſe. Beniaminus ait eam cœleſti fulmine tactam concidiſſe; Eupolemus apud Euſebium Præpar. lib. 9. cap. 17. ſupernaturalem Dei potentiam agnoſcit, quæ turrim hanc proſternit, & Gigantes, qui illam ædificabant, diſpergit.

Hæc eſt quæſtio ſcitu digna, an adhuc veteris hujus ædificii quædam veſtigia ſuperſint? Viatores nonnulli, qui eam regionem luſtrarunt, aſſeruere tribus a Bagdato leucis inter Euphratem, ac Tigrim A in immenſo camporum æquore oſtendi reliquias turris, quam regionis illius incolæ Turrim Nembrod appellant, & vulgo exiſtimari, illa eſſe Babylonicæ turris rudera. Sed quod regionis illius finitimi Arabes aſſerunt, magis eſt veriſimile. Turrim hanc *Agarcouf* appellant, & ab Arabe quodam principe aſſerunt ædificatam, qui ibi lanternam accendebat, ut ſubditos ſuos belli tempore cogeret undequaque. Turris hujus circuitus tercenti ferme ſunt paſſus, & quod adhuc ſupereſt ad undetriginta paſſuum altitudinem prope conſurgit. Extructa vero eſt e lateribus ad Solis radios obduratis, quorum quilibet decem regias uncias habet in quadrum, ac tres profunditatis. Hi lateres diſpoſiti ſunt ſuper ſtratum e contritis calamis, cum palea immixtis, B ita ut in ſenos laterum ordines calami ſubſternantur. Non ita facile eſt de hujus ædificii forma judicium ferre, cum undequaque partes quædam corruerint. Videtur tamen quadrata potius fuiſſe, quam rotunda.

Interpres Arabs, Chalcondylas, Curopalates, aliique plures veterem Babylonem ibi ſtatuunt, ubi hodie Bagdatum extat; ſed procul dubio falluntur. Bagdatum eſt ad Tigrim, Babylon vero erat ad Euphratem poſita, uti omnes referunt Hiſtorici, atque a Bagdato diei unius aberat itinere, juxta Texeiram, qui eos locos ſcrutatus eſt. Nonnulli [s] ajunt ad Euphratem eſſe urbem non ſpernendam, nomine Baldach, cujus incolæ referunt, prope ipſorum urbem conſpici magnam lapidum congeriem, ac rudeC rum veteris cujuſdam ædificii. Sed eo nemini licet pervadere propter rupes, ac virulenta animantia, quæ ibi adſunt frequentiſſima. Credunt autem ibi fuiſſe turrim Babylonis, & ex hujus ædificii ruderibus urbem ſuam conditam fuiſſe.

Petrus a Valle olim dono dedit Patri Kirchero fragmenta quædam, quæ ipſe delineanda curaverat e reliquiis ædificiorum, ac turrium, quæ videbantur ad quartam leucæ partem ab Euphrate; has vero Babylonicæ turris ruinas eſſe contendunt. Pars ima eſt propemodum quadrata forma, & ambitus ferme 1134. paſſuum. Altitudo vero fere in apices veluti pyramides deſinit; materia eſt lateritia ad Solem excocta; lateres ſimul compacti ſunt calce, ac luto, parvulis contritis calamis immixto; in ea veD ro parte, qua validius erat ædificium, lateres igni erant excocti, ac bitumine illiti.

Goion, a Daviti citatus, narrat ex duorum Abavillæorum teſtimonio, qui Bagdati Sattapæ captivi fuerant, Babylonicam turrim eſſe rotundam forma, ſexaginta paſſibus proceram, & lateres, quibus ædificata eſt, eſſe pleroſque ulnæ longitudine, bitumine, & argilla interlitos. Via, qua ad hujus ædificii cacumen pervenitur, non gradibus conſtat, ſed facili proclivitate ſenſim aſcendit, in murorum craſſitie excavata, quibus dicitur centum eſſe paſſuum latitudo. Aſcenſus vero ita late poſitus eſt, ut homines viginti paſſibus æquis poſſint incedere; in denas vero ulnas rotundæ patent januæ, quibus in Turrim ingredi quiſque poſſit; in ſenas vero feneE ſtræ, quæ externam lucem intus admittunt. Circumquaque in orbem celatæ videntur figuræ, quæ capita hominum referunt, mulierum, quadrupedum, piſcium, & avium. Addit etiam, Turrim hanc integram ſemper perſtitiſſe. Sed hæc omnis narratio prorſus fabulis videtur accenſenda, uti illud quoque, quod de ſerpentibus vulgo jactatur, qui impediunt quominus ad inſignem hanc turrim pateat acceſſus, cujus non magis verus innoteſcit ſitus, quam Babylonis antiquæ.

Paulus Oroſius lib. 2. hiſt. cap. 7. ac poſt illum Sanctus Gregorius Turonenſis hiſt. Franc. l. 1. c. 7. ajunt, ædificium hoc a Nembrod conſtructum eſſe in

s Cornman. in Templo Nat. p. 289.

in media latiſſima planitie, & illius mœnia quinquaginta cubitorum latitudine, 200. altitudine, & 470. ſtadiorum ambitu præſtare, ſcilicet milliariis octo & quinquaginta cum paſſibus 750. Sed illi confuderunt Babylonis urbem a Semiramide ædificatam, cum Turre Babylonis, quæ res eſt quidem quam maxime differens.

Dubitant nonnulli, an cum Babylonica Turris ædificari cœpta eſt, tot eſſent homines in terra, qui ſufficere poſſent, ut rationabiliter opus tantum aggrederentur? Patet, octo tantummodo animas diluvii aquas evaſiſſe; dicitur Noe poſt id tempus filios non genuiſſe; & hominum vitam ferme ex dimidiata ſui parte ferunt factam fuiſſe breviorem. Turris ædificium a diluvio nonniſi poſt 150. annum eſt conſtituendum, quo temporis intervallo potuerunt-ne ita homines multiplicari, ut id potuerint inire conſilii, antequam dividerentur, Turrim ædificandi audaci adeo, ac difficili conatu, quem hic Scriptura deſcribit, ita ut Deus eorum linguam perturbarit, ut illos ab hoc opere deterreret?

His autem difficultatibus occurrere poſſumus dicendo, primo, concipi fortaſſe hoc Babylonis ædificium majus, quam re ipſa fuerit. Nihil aliud forte eſſe potuit, quam monumentum, quod homines ſimul extruendum ſuſceperunt, operæ ſe pretium facturos rati, ſi antequam alii alio ſecederent, poſteris unionis ſuæ, & cognationis memoriam inſignem relinquerent: eodem ferme pacto, quo Tribus Iſrael, quibus in terræ diviſione trans Jordanem ceſſerant agri [1], in fluminis hujus ripa monumentum conſtituerunt, ut poſteri intelligerent, ſe fratres eſſe citra Jordanem habitantium. Turrim Babylonicam eo conſilio potuerunt extruere; ſed idea longe ampliori, & magis ardua. Sed præter hoc conſilium, quod in ſe noxium equidem non videtur, acceſſit ambitio, & præſumptio, in quam Deus linguarum confuſione animadvertit. Secundo, re diligenter ad calculos revocata oſtenditur, 144. annorum ſpatio, tot quippe a diluvio ad Babylonicæ turris ædificium effluxerunt, in terris extare potuiſſe 400000. homines, totidemque mulieres, hoc ſuppoſito, quod homines viginti annos nati gignere potuerint, & mulierea plures uno eniti potuiſſe puerperio, quod nequaquam eſt impoſſibile. Deus, qui hominum vitam ad dimidium ferme imminuerat, & qui illis benedictionem ſuam, & fœcunditatem fuerat elargitus, illia imperans, ut multiplicarentur, potuit etiam gignendi tempus prævertere. Si animum adverterimus ad multiplicationem filiorum Iſrael in Ægypto, quod diximus hactenus, minus adhuc incredibile videbitur. Scriptura aſſerit ſeptuaginta ſolum e familia Jacob in Ægyptum migraſſe, e quibus pars non erat amplius gignens; atque illinc nihilominus egreſſi ſunt 600000. homines, qui armis ferendis apti eſſent, poſt annos circiter 215. Cur igitur 144. annorum intervallo, homines a diluvio erepti non potuerunt ſimiliter multiplicari, vel adhuc magis habita ratione vitæ ipſorum, quoniam diutius vivebant, & facilius alere filios poterant, & filiorum cupiditate flagrare magis, quam Iſraelitæ, qui diutius duriſſimo ſervitutis jugo oppreſſi vixerunt? Vide, ſi lubet Petavium de Doctrina Temporum c. 14.

℣. 5. DESCENDIT DOMINUS, UT VIDERET CIVITATEM &c.] Hæc ratio eſt humano modo loquendi, qua docemur, quam caute de alienis actionibus judicium nobis ferendum ſit, & horum hominum facinus, aut conſilium ſaltem impium fuiſſe, ac nefarium.

FILII ADAM.] Scilicet homines generatim: vel *filii Adam* ita vocantur propter oppoſitionem ad filios Dei, & ad juſtos, qui nullam habuerunt partem neque in hoc conatu, neque in linguarum confuſione, quæ illius fuit pœna. Cajetanus contendit non omnes homines deſcendiſſe in campum Sennaar, atque ibi eos tantum adfuiſſe, qui Turris extruendæ iniere conſilium. Genebrardus Chronic. an. 1758. Syriæ populos, & Chanaan ibi tantummodo adfuiſſe arbitratur. Sed plerique Interpretum credunt, omnes homines, qui tunc degebant, ſimul conveniſſe, ut Turrim ædificarent, quamquam aliis alia erat ſententia: & Deum linguarum confuſionis ſupplicio impios affeciſſe dumtaxat, atque nefarios: Primævam linguam in familia Heber, aliiſque nonnullis permanſiſſe, qui innoxie in operis illius partem acceſſerant.

℣. 6. NEC DESISTENT.] Hebraicus textus ועתה לא יבצר מהם כל אשר יזמו לעשות verti poteſt cum Ironia. *Nihil eos deterrebit a cogitationibus ſuis, donec eas opere compleant.*

℣. 7. VENITE DESCENDAMUS, ET CONFUNDAMUS IBI LINGUAM EORUM.] Antiqui Patres hoc loco, aliiſque nonnullis ſimilibus utuntur, Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium probaturi. ſed alii [2] credunt, aſſeri poſſe, Deum Angelos ſuos huc dimiſiſſe, qui hominum linguam immutarunt. Interpretes quidam hic loquendi modum communem ſatis agnoſcunt, quo multitudinis numerus pro ſingulari uſurpatur, Septuaginta in vulgatis editionibus legunt cum vulgata *Deſcendamus, & confundamus &c.* Sed antiquitus, ut Judæorum Chronicon ſecundi templi apud Druſium ait, legebant, *Deſcendam; & videbo*: Quod ita emendaſſe dicuntur, ne locum præberent Ethnicis dicendi, quod Judæi plures Deos venerarentur. Obſervandum eſt, quamdam eſſe in Moyſis narratione tranſpoſitionem: ait ille ℣. 5. Deum deſcendiſſe, & ℣. 8. inquit Deum deſcendendi conſilium cepiſſe: quare nunnulli putant, hic Moyſem loqui de altero deſcenſu, qui a primo differat.

CONFUDAMUS IBI LINGUAM EORUM.] Linguarum confuſio, quæ Babylone contigit, inter præcipua recenſetur miracula, de quibus Scriptura loquatur. Invertere memoriam, immutare imaginationem, & mentem hominum majori ex parte; illis adimere habitum, cui tot annis adſueverant, quaſdam voces enunciandi, ut quidlibet ſignificarent, & illis recentem, penituſque oppoſitum habitum inſerere, eaque omnia repente uno ictu peragere; hæc procul dubio res eſt, quam vix concipere valeamus. Hanc tamen ideam Scriptura ſuggerit hujus perturbationis, quæ, dum Babylo extrueretur, evenit. Authores quidam, qui ſe de Deo bene mereri putant miraculorum numerum imminuentes, naturali quadam ratione explicare adniſi ſunt quidquid hic aſſerit Scriptura. Alii [3] aſſeruerunt abſque eo quod immutatio ulla in lingua eadem contingeret, homines ſe invicem non amplius intellexiſſe, ſimpliciter propter imaginationis & mentis perturbationem.

Alii vero (quæ eſt quorumdam Theologorum Hollandiæ ſententia) [4] dixerunt, linguarum diviſionem minime Babylone eveniſſe, ſed cum diſcordia in pleraſque familias, e quibus humanum genus conſtabat, obrepſiſſet, diviſos homines fuiſſe, atque longius alios ab aliis ſeceſſiſſe: cum uſque ad illud tempus in una tantum provincia habitaſſent. Una hæc diſtantia ac ſejunctio immutationem in communi lingua, qua prius utebantur, pepetit, inquiunt illi; æque ac familiarum Græcarum ſeceſſio in eorum linguam magnam illa dialectorum varietatem, quam intuemur, invexit. Non eſt ſana opinio. Alii [5] in eam abiere ſententiam, quam propoſuerant S. Gregorius Nyſſenus, qui ait, minime credendum eſſe, Deum eſſe immediatam Linguarum confuſionis cauſam, perinde ac homines novam aliquam edocuiſſet linguam; vel cum homines in varias linguas eſſent diviſi, ipſum imperaſſe, qua quiſ-

1 Joſue 22. 2 Auguſt. de Civit. l. 16. c. 6. & Origen. hom. 10. in Num.
3 Caſaubonus filius. 4 Sentimens de quelques Theologiens &c. epiſt. 19. p. 434.
5 Hiſt. Crit. Vet. Teſt. l. 1. c. 14. & S. Greg. Nyſſ. orat. 12. contra Eunom.

quiſque lingua eſset locuturus. Sed Deus, qui volebat, homines variis linguis loqui, ut juxta communem naturæ curſum quiſque ſuos ſenſus proderet, permiſit: atque addit præterea, naturalem hanc loquendi vim, quam Deus homini inſevit, veram eſſe cauſam varietatis linguarum, quæ in variis nationibus reperiuntur. Pater idem obſervat, donec homines una vixerunt, una tantum lingua fuiſse locutos: ſed cum Deus voluerit ipſos ſejungi, tunc primam hanc linguam fuiſse immutatam. Habes hic rationes diverſas, quibus mira hæc immutatio explicatur: ſed nos illi ſententiæ adhæremus, quam ſcripturæ littera naturaliter menti proponit; neque arbitramur, ad violentas explicationes eſse confugiendum, ut miraculoſum adeo Juſtitiæ divinæ explicemus effectum.

Proponitur hic quæſtio, quotnam e perturbatione Babylonica extiterint linguæ? Plerique veterum linguarum numerum, quæ ex confuſione ortæ ſunt, recenſuerunt per capita familiarum, quæ tunc e tribus Noe filiis originem duxerant: ſed quoniam Hebraicus textus, & Septuaginta verſio differunt; hæc differentia effecit, ut in duas partes diſcederetur. Iudæi omnes, & ex Chriſtianis illi, qui Hebraicum textum & Vulgatam verſionem ſecuti ſunt, ſeptuaginta modo patresfamilias enumerarunt; ſed pleriqoe Patres, tum Græci, cum Latini, & illi omnes, qui Septuaginta adhæſerunt, recenſuerunt, ut illi, duo & ſeptuaginta capita familiarum, ideoque linguas duas & ſeptuaginta. Moyſes ipſe opinionibus his locum præbuit, cum ait Geneſ. 10. 5. *Ab his diviſæ ſunt inſulæ gentium in regionibus ſuis, unuſquiſque ſecundum linguam ſuam, & familiam ſuam in nationibus ſuis*; atque in Deuteronomio 32. 8. refert: *Quando dividebat Altiſſimus gentes, quando ſeparabat filios Adam, conſtituit terminos populorum juxta numerum filiorum Iſrael.* Porro filii Iſrael erant ſeptuaginta cum in Ægyptum migrarunt. Geneſ. 46. 27.

Origenes homil. 11. in Numer. [ita & Targ. Hieroſolym. & Rab. Godolias, & alii Rabbini,] credidit, Angelos fuiſſe inventores linguarum hominum; Angeli, qui diverſis præſident provinciis, populis ſuæ curæ commiſſis linguam tradiderunt, quam illi efformaverant. Lingua tantum primæva, quam Deus dederat Adam, apud Hebræos ſuperſtes permanſit; illi enim nullius Angelorum portio fuerunt, ſed eſſe Domini portio electa perſtiterunt.

Sed hæc quæcumque argumenta non ſatis firma ſunt. Plures e poſteris Noe capite decimo Geneſis recenſitis, nondum nati erant, cum diſperſio contigit; neque certum eſt omnes diviſionis linguarum pœnam ſubiiſſe. Maxime veriſimilitudini conſonum eſt, diverſas familias, quæ in proximis regionibus immorarentur, eodem ſermone uſas fuiſſe, quod certum videtur de omnibus filiis Canaan. Demum neque neceſſarium, neque utile eſt magnum adeo linguarum numerum aſſignare, ſed rationi magis eſt conſentaneum, eaſdem in minorem cogere numerum. At eruditi viri non conveniunt de numero matricum linguarum, quæ e confuſione extiterunt, e quibus aliæ omnes deduxerunt originem. Quidam quinque recenſent, ſeptem alii, ſed plerumque hæ matrices linguæ cenſentur, Hebraica, Græca, Latina, Teutonica vel Germanica, Illyrica, Tartarica, & Sinenſis. Credunt autem Chaldaicam linguam, Syriacam, Cananeam, Punicam, Arabicam, Armeniacam, Æthiopicam, & Perſicam, has omnes e lingua Hebraica editas fuiſſe. Græcæ autem Linguæ præter quatuor dialectos præcipuas, Ægyptia recentior accenſetur. Lingua vero Latina ÆEnuiſſe fertur veterem Volſcorum linguam, Samnitarum, Etruſcorum, Italorum, Hiſpanorum, Gallorum, ſeu Francorum. Teutonicæ linguæ adnumerantur Germanica vulgata, Helvetica, Svevica, Veſtphalica, Auſtriaca, Belgica, & Cimbrica, e quibus egreſſæ ſunt linguæ quibus in Dania, Svecia, Norvegia, & Anglia loquuntur. Illyricæ linguæ ſubjicimus linguam Dalmatiæ, Moſcoviæ, Croatiæ, Poloniæ, Bohemiæ, Lithuaniæ, Vandaliæ. Lingua Tartarorum produxit linguam Turcarum, aliaſque plures Europeas. Pater Alexander poſt Bochartum in dubium vocat an Perſarum lingua ſit matrix. Hæc omnia videri poſſunt in illis Authoribus, qui de Prolegomenis Scripturæ diſſeruerunt; atque in Bocharto Geographia ſacra l. 1. cap. 15.

℣. 9. Vocatum est nomen ejus Babel.] Grotius credit *Babel* eſſe vocem primævæ linguæ, quæ non convenit ulli earum linguarum, quæ confuſionem ſunt conſecutæ; & verum equidem eſt, nulla a nobis agnoſci, unde vox hæc directe valeat deduci. Sed credi poteſt vocem hanc ex ea lingua ortam, quam poſt confuſionem ii locuti ſunt, qui in ea Regione, ubi Babel erat, immorabantur. Hæc lingua Hebraica eſt, vel Chaldæa, in quibus voces reperiuntur, quæ propius ad Babel accedunt. Balal בלל Hebraice, & Bilbal בלבל Chaldaice ſignificant confundere. Quemadmodum hæ linguæ immutationem aliquam paſſæ ſunt, haud abſonum videtur, originem primitivam Babel obſoletam fuiſſe, vel Babel enuntiatum eſſe pro Balbel.

℣. 10. Hæ sunt generationes Sem.] Moyſes hic repetit genealogiam Sem, quam ſuperius cap. 10. 21. 22. peregerat. Quemadmodum autem præcipuum illius conſilium eſt tradendi genealogiam Sem per Arphaxad, alios relinquit filios Sem, atque ad hanc unam familiam ſe ſe coarcet, quam ad Abraham uſque deducit: & deinde hujus Patriarchæ vitam enarrat; de alio nemine loquens, niſi qui ad hoc conſilium conducat.

℣. 12. Arphaxad genuit Sale.] Septuaginta ponunt Cainan inter Arphaxad, & Sale. Sed de hac additione prolixius capite præcedenti locuti ſumus.

℣. 13. Vixit Arphaxad .... teucentis tribus annis.] In Hebraico textu legimus, quadringentis tribus annis, uti quoque in Paraphraſibus Chaldaicis, in Syriaca verſione, & Arabica. Editiones Septuaginta admodum inter ſe differunt in hoc loco. Editio Complutenſis, & Manuſcriptum Alexandrinum, habent annos triginta, & quadringentos; Editio Romana trecentos, Baſileenſis trecentos, & triginta.

℣. 14. Sale vixit triginta annis, et genuit Heber.] Textus Samaritanus, & Septuaginta habent annos centum, & triginta.

℣. 15. Vixit Sale .... quadringentis tribus annis.] Septuaginta habent tres annos, & trecentos; hinc adimunt centum annos, quos præcedenti verſiculo addiderunt ætati Sale; atque ita in ſumma cum Hebraico textu conveniunt.

℣. 18. Vixit Phaleg triginta annis &c.] Textus Samaritanus habet centum & triginta annos, & Septuaginta centum, & triginta quatuor.

℣. 19. Vixit .... ducentis novem annis. Samaritanus Textus centum & novem annos.

℣. 22. Ruu .... genuit Sarug.] Sanctis Epiphanius de hæreſibus l. 1. Idololatriæ originem ſub Sarug conſtituit. Innititur autem fortaſſe cuidam Sapientiæ loco c. 14. 15. ubi ſcriptum eſt Idololatriam ex eo ortam eſſe, quod pater ſervare voluerit memoriam filii ſui prematura morte perempti. Prima Idola erant, inquit ille, picturæ ſimplices. Thare pater Abraham ſtatuarum conſuetudinem invenit, ac ſimulacra, e metallo, ligno, & lapide. Scriptura docet, Thare veneratum fuiſſe Idola, uti inferius oſtendemus; ſed nullum certum eſt argumentum, quo probetur, vel Thare, vel Sarug perniciosum morem hunc inveniſſe. Iudæorum traditio fert Nembrod, qui ſenior erat, quam Sarug, Idololatram fuiſſe, ac ignem eſſe veneratum.

Euſebius, Præp. l. 1. c. 6. & 9. loquitur de origine idololatriæ, admodum ſcite. Perſuaſum illi eſt, hanc in Ægypto incepiſſe, & cum Phænicibus communicatam in Græciam migraſſe, ac inter barbaros populos latius fuiſſe graſſatam. Ægyptii magna capi

pti admiratione, ordinem, magnam vim, & motus regulares ſyderum obſervarunt, ſolem, ac Lunam ſibi Numina conſtituerunt. Soli Oſiridis nomen, Lunæ vero Iſidis tribuerunt. Prima Sacrificia, quæ Numinibus his oblata fuerunt, ait ille poſt Porphyrium, ſimplices fuerunt herbæ, quas cum foliis a fructibus evellebant, & veluti thuris quamdam ſpeciem adolebant in ſacrificium, ac horum numinum honorem. Servabatur in eorum templis ignis, quem numquam extingui patiebantur: atque ignem hunc, veluti præcipuam Divinitatis figuram venerabantur.

Plato in Cratilo apud Euſeb. ibidem non dubitat, quin vetuſtiores Græcorum Dii fuerint Sol, Luna, & Sydera, Terra, & Cælum. Non agnoſcebantur a primis hominibus Jovis, Saturni, aliorumque Deorum nomina; nulla magnificis extruendis templis cura impendebatur, nec ſimulacris dicandis, eo tempore, quo nec de nomine quidem Pictura, Sculptura, & Architectura agnoſcebantur. Deinde Numinum cultus delatus eſt hominibus, & creaturis: non ita vero hominibus præſtantiſſimis, & qui ſapientia ſua honorem aliquem potuiſſent mereri: ſed impiis, nefariiſque hominibus. Hoc autem intueri licet, ut ait Euſebius, apud Sanchoniaton, qui Phœnicum ſcripſit hiſtoriam. Ab hominum cultu, qui maximi haberentur, & diligerentur, gradum fecere ad honoribus divinis decoranda utilia animantia, & feras perniciosas, illa quidem ob gratitudinem, alias vero propter timorem. Et hic non ſubſtiterunt; nomen Deorum profanatum eſt, illud plantis, fluminibus tribuendo, & rebus etiam magis abjectis, ac fœdis. Vide noſtram Diſſertationem de Origine Idololatriæ, ante librum Sapientiæ.

Credimus autem poſteros Cham (Geneſ. 10. 6.) idololatriam terris invexiſſe. Alibi oſtendimus, a Cham Ægyptum excultam fuiſſe; atque ibi ab Ægyptiis adoratum nomine Iovis Ammonis; liquet etiam, Græcos ab Ægyptiis Deorum nomina accepiſſe, ſacrorum ritus, & imaginum conſuetudinem, Herodotus l. 2. c. 4., Lucianus de dea Syra, Ammianus Marcellinus l. 22. aliique authores viginti hoc ad evidentiam probant. Canaan eſt pater Phœnicum, qui non parum frequentibus itineribus ſuis, & coloniis contulere, ut latius Dæmonis imperii fines ponerentur, in regiones varias Idolorum cultum, ac Phœnicias ſuperſtitiones invehentes. Denique Chus pater Nembrod celeberrimi, & filius Cham, Chaldæam corrupit, Babyloniam, & Aſſyriam, fallacem cultum communicans, quem didicerat a Cham.

Nembrod potentia ſua, & victoriis ſibi plures filios Sem ſubdidit, qui ſecuti ſunt violenti hujus venatoris religionem, vel potius impietatem. Thare quoque, ac Patres illius, idololatriæ vinculis erant irretiti, & ambigitur, an Abraham primis vitæ ſuæ annis majorum ſuorum adhæſerit Religioni. Rabbini plures allati in Chronico Genebrardi an. mundi 1949. aſſerunt ipſum ad octavum uſque, & quadrageſimum ætatis ſuæ annum, non modo veneratum fuiſſe, verum etiam elaboraſſe, ac idola vendidiſſe. Sed Svidas in voce Abraham ſcribit hunc Patriarcham quatuordecim annos natum, ſupernaturali afflatum lumine, reprehendiſſe Patrem ſuum Thare, qui ſimulacra conficiebat, ut venderet, atque illi errorem, in quo verſabatur, & cultus, quem profitebatur, falſitatem ob oculos poſuiſſe. Philo de nobilit. p. 907. ait, Thare adoraſſe Sydera; ſed a Deo per Abraham de cultus ſui falſitate fuiſſe commonefactum. Attamen in lib. *de præmiis, & pœnis*, aperte ſatis inquit Abraham idololatram fuiſſe. Ioſephus Antiq. l. 1. c. 7. aſſerit, Abraham primum fuiſſe, qui dicere auſus ſit, Deum unum eſſe, & univerſa manuum illius eſſe opera: vide infra ℣. 31.

A ℣. 26. VIXITQUE THARE SEPTUAGINTA ANNIS; ET GENUIT ABRAM, NACOR, ET ARAM.] Videretur Thare tres hus filios anno eodem genuiſſe, videlicet ſeptuageſimo ætatis ſuæ, & Abraham, qui primus nominatur, fuiſſe quoque ex tribus his primogenitus; ſed aliunde liquet, Abraham fuiſſe inter fratres ſuos minimum natu; & credibile eſt, Moyſem hic ſeptuageſimum annum Thare ponere, quippe illum[1], quo filios gignere inceperit, non ita vero veluti annum ſtatum trium horum filiorum nativitatis. Primus locus, qui tribuitur Abrahæ, non eſt ætatis ipſius privilegium. Sem primus ſemper appellatur in filiorum Noe recenſione, quamquam eſt natu minor, quam Japheth, qui tertius vocatur. Moyſes fere ante Aaron ponitur, quamquam Aaron eſt major natu, quam Moyſes. Scriptura Geneſ. 11.
B ℣. 32. & c. 12. 20. docet Thare obiiſſe in Charan ducentos & quinque annos natum; & Abraham filium ipſius ex urbe illa egreſſum anno parentis ſui interitus, ſeptuaginta quinque annos habuiſſe, quare infertur, Abraham natum eſſe centeſimo, & trigeſimo Thare ſui patris anno; atque ideo minimus natu eſt præ duobus fratribus ſuis, qui editi in lucem fuere poſt ſeptuageſimum ætatis annum Thare.

Qui putant Sarai fuiſſe filiam Aram, probant adhuc alia inductione Abraham minime fuiſſe primogenitum. Sarai uxor Abrahæ nonaginta erant annorum, cum Abraham annum ageret centeſimum[1]. Si *Aram*, qui creditur pater Sarai, junior fuiſſet, quam Abraham, dicendum eſſet, ipſum genuiſſe Sarai ætate octo annorum, vel novem, quoniam Abra-
C ham decem annis tantum Sarai præſtabat. Sed probabilius eſt, hanc ſententiam, quæ Aram aſſerit patrem Sarai, eſſe falſam, ut innoteſcet ℣. 29. hujus capitis, & Gen. 12. ℣. 13. & c. 20. ℣. 12. Ceterum Aram creditur ſenior fuiſſe quam Nachor, quandoquidem Nachor Malcham uxorem duxit filiam illius. Ex iis omnibus, quæ modo dicta ſunt, inferri poteſt Aram fuiſſe primogenitum inter filios Thare; Nachor vero illo natu minorem; & Abraham minimum.

℣. 28. MORTUUS EST ARAM ANTE THARE PATREM SUUM.] [2] Rabbini referunt quædam peculiaria de morte Aram, ac illius circumſtantiis. Aſſerunt alii, illum a Patre ſuo Thare accuſatum, quod nollet ignem venerari, damnatum fuiſſe, ac in for-
D nacem ardentem conjectum coram Patre, qui fuerat illius accuſator; & hoc a Scriptura innui contendunt his verbis: *Mortuus eſt Aram ante*, ſcilicet *coram patre ſuo*. Alii dicunt, cum Abraham flammas conjeciſſet in eum locum ubi Thare idola ſua venerabatur, Aram voluiſſe illa ab incendio ſubripere, ſed flammis correptum in medio igne interiiſſe. Alii denique narrant Aram, cum vidiſſet Fratrem ſuum Abraham miraculo quodam e flammis ereptum, in quas Nembrod imperio immiſſus fuerat, quod Idola colere nolebat, credidiſſe, ſe quoque a Deo ereptum iri, ſi, quemadmodum Abraham, nomen Domini fateretur; ideoque coram Nembrod profeſſum, quod eumdem veneraretur Deum, quem Abraham colebat, in fornacem, ut fratri evenerat, fuiſſe in-
E jectum; & igne abſumptum. Aſt temporis jacturam faceret qui hæc vellet commenta refellere. S. Epiphanius de hæreſib. l. 1. tom. 1. credit inaudito Dei ſupplicio fuiſſe percuſſum, atque ita ante Thare patrem ſuum obiiſſe. Hactenus nihil tale in terris conſpectum fuerat: ſed Thare cum recentes inſtituiſſet Deos, ob impietatem ſuam immatura filii ſui morte fuiſſe mulctatum. Vide etiam ℣. 31.

IN UR CHALDÆORUM.] Septuaginta vertunt: [3] *in regionem Chaldæorum*. Iſaac Voſſius [4] Græcum horum Interpretum textum ita eſſe intelligendum conten-

1 Geneſ. 21. 5. & 23. 1. & 25. 20.
2 Apud Lyran. Vide etiam Hieron. in quæſt. Hebr. in Geneſ.
3 Ἐν τῇ χώρᾳ τῶν Χαλδαίων
4 De Tranſl. 70. Interpr. c. 13.

Digitized by Google

tendit, *mortuus eſt in terra Nativitatis ſuæ; Chore in Chaldæa*; & Grecam vocem *Choram* hic haud eſſe appellativam, & ſignificare non *regionem*, ſed urbem *Ur*, aut Hur, & *Ch* pro ſimplici adſpiratione eſſe adpoſitum. Sed alii aſſerunt, Septuaginta hic dara opera Chaldæorum regionem poſuiſſe conſilio diruendi ſententiam eorum, qui nomen *Ur* in litterali ſignificatione interpretabantur, ſcilicet ignem, atque ſidem adimendi fabuloſis illis narratiunculis, quæ pro vocis æquivoco venditabantur. Vide articulum præcedentem, & ℣. 31. hujus capitis.

℣. 29. .... Aran Patris Melchæ, & patris Jeschæ.] *Jeſcha* vulgo creditur eadem eſſe ac *Sarai* uxor Abrahæ; quæ ita nepos illius erat per Aran fratrem ipſius. Hæc eſt Joſephi ſententia in Antiq. l. 22. c. 35. S. Hieronymi, S. Auguſtini contra Fauſtum l. 22. 35. Genebrardi, Toſtati, aliorumque Interpretum plurimorum. Sed hæc opinio difficulatibus non vacat: quoniam primo nullus affertur Scripturæ locus, ubi Sarai, Ieſcha appelletur. Secundo Abraham idem eam rogat, ut ſe illius ſororem eſſe dicat, atque aſſerit, illam hac in re minime a veritate aberraturam. *Alids, & vere ſoror mea eſt, filia patris mei, & non filia matris mea*. Videri poſſunt Geneſ. cap. 12. 13. & 20. 21. rationes, quibus poſterior hæc ſententia fulcitur.

℣. 31. Eduxit eos de Ur Chaldæorum.] Interpretum non pauci, iis, quæ Sanctus Stephanus ait Act. 7. 2. 3 innixi credunt, Thare, & familiam ipſius, ut Dei imperata facerent, ex Ur Chaldæorum urbe egreſſos fuiſſe, & petiiſſe Charam Meſopotamiæ. Contendunt autem huc referendum eſſe mandatum illud, quod legitur c. 12. 1. quod ibi ad examen vocabimus. Vide etiam caput 15. 7.

Nomen Ur אור, quod Hebraice ignem ſignificat, plures impulit Authores, ut aſſererent, Moyſem velle hic innuere ſimpliciter, Abraham miraculo quodam ex igne eductum fuiſſe, quo illum Chaldæi conjecerant; & poſtquam miraculoſe adeo ereptus fuerat, cum Thare patre ſuo, & cum fratribus ſuis in urbem Charan feceſſiſſe. Judæi aſſerunt Patriarcham hunc miraculoſe liberatum fuiſſe ab ardenti fornace, quo fuerat immiſſus, quod Chaldæorum numina noller venerari. Vide Bereſcb. Rabah. & Hier. q. Hebr. Paraphraſtes Chaldæus in caput 4. Eccleſiaſtis ℣. 13. aſſerit, illum hæc tormenta fuiſſe paſſum propter Nembrod imperium. Sanctus Hieronymus, qui veluti fabulas coarguit ea, quæ hac de re Judęi aſſerebant, nihilominus vertit 2. Eſdræ. 9. 17. *Eduxiſti Abraham de igne Chaldæorum*; loco dicendi, de *Ur Chaldæorum*.

Maimonides aſſerit, hunc *Patriarcham* in carcerem conjectum fuiſſe, quod Solem adorare noluerit. Achior in libro Judith. c. 5. 6. 7. 8. 9. ait ſimpliciter majores Judæorum Chaldæos ab origine, cum noluiſſent ſeqoi ſuperſtitiones regionis ſuæ, ac patrem ſuorum, a Deo Cœli, cujus Religionem profitebantur, juſſos fuiſſe patriam deſerere; & cum aliquandiu in Charan permanſiſſent, ſumma cogente annonæ charitate, in Ægyptum deſcendiſſe. Hic ſermo quoſdam adduxit, ut crederent, non Abraham ſolum, ſed etiam Thare, omnemquo illius cognationem e Chaldæa ſeceſſiſſe, ut Idololatriam effugerent. Nec deſunt etiam qui aſſerant, veri Dei cultum hactenus perſtitiſse in familia Heber, & Thare, & Abraham ſaltem numquam fuiſse Idola veneratum.

Sanctus Auguſtinus ſententiam hanc tueri videtur l. 16. de Civitate Dei c. 12. Sed l. 10. de Civit. c. ultimo palam aſſerit oppoſitum. Docet autem, Abraham e Chaldæorum ſuperſtitionibus exſolutum per vocationem Dei, ſequi cœpiſse verum Deum, illumque adorare; quæ ſententia arridere videtur magis Scripturę, & magno Patrum numero, qui illi adhæſerunt. Joſue 24. 2. dicit Iudæis, quod Thare pater Abrahæ, & Nachor primitus immorati ſint trans Euphratem, & adorarint Deos alienos. *Trans fluvium habitaverunt patres veſtri, Thare pater Abraham, & Nachor ſervieruntque Diis alienis*. Idem ferme inferius paullo ℣. 14. repetit. Pro hac ſententia adferuntur a Bonfrerio S. Cyrillus contra Iul. l. 3. in fine, Auctor Recognitionum l. 1. Ephrem Serm. 2. de Pęnit. Philo de Abraham, Rabbini paſſim, Maſius, Serarius in Ioſue &c.

Patet quoque ex decurſu, poſteros Nachor, qui cum familia ſua permanſit in Charan Meſopotamiæ, regionis ſuæ ſuperſtitionibus [1] deditos fuiſse; quamquam veri Dei cognitionis ſpeciem quamdam ſervarent. Ioſephus Antiq. l. 1. c. 6. ait Thare regionem ſuam reliquiſse profecturum in Charan; quod maximo propter Aran filii ſui mortem dolore conficeretur. Sanctus Chryſoſtomus homil. 31. in Geneſ. credit amore, quo Thare unice Abraham proſequebatur, adductum fuiſse, ut ipſum abeuntem ſequeretur; non ideo tamen inanium Deorum falſum cultum reliquiſse.

Verum ut ad *Ur Chaldæorum* revertamur, minime ambigimus, quin in Chaldæa fuerit hujus nominis civitas, quæ ſententia pleriſque Interpretum maxime arridet. Sed quoad verum illius ſitum non ſatis convenit. Adeſt in Meſopotamia urbs, cui nomen *Ura* [2], que ſex dierum itinere abeſt a Corduena, Niſibim verſus, quæ bidui abhinc itinere diſtat. Bochartus, & Grotius opinantur de hac urbe *Ura*, Scripturam loqui. Bochartus animadvertit, quod poſita urbe *Ur* in Chaldæa proprie dicta, & citra Euphratem, bis Euphrates ſine ulla neceſsitate fuiſſet Abrahæ traducendus. Primo ut de Ur proficiſceretur in Haran, & ſecundo ut inde in terram Chanaan migraret: atque ipſi de Ur Chaldæorum in Haran pergenti longiſſimum, & maxime inane iter ſuſcipiendum fuiſse; cum, poſito Ur prope Niſibim, Haran ob iter occurrit de Ur in promiſsam terram recta proficiſcenti.

Sed quomodo hæc conciliari poſsunt cum Scriptura, quæ ſtatuit Ur in Chaldæa, non autem in Meſopotamia? Reſpondetur, Chaldæam ſæpius intelligi in ampliori extenſione, perinde ac aliquando Meſopotamiam omnem ſecus Tigrim complecteretur. Sanctus Stephanus in Actis 7. 2. ait, Abraham fuiſse in Meſopotamia antequam veniret in Haran; *Deus apparuit .... Abraham, dum eſſet in Meſopotamia, prius quam moraretur in Charan*; atque inferius paullo addit ipſum e Chaldæorum terra egreſſum fuiſse, ut pergeret in Haran: *Tunc exiit de terra Chaldæorum, & habitavit in Charan*; ex quo colligitur, Chaldæam, & Meſopotamiam hic non ſignificare eamdem rem. Xenophon de Chaldæa loqoitur veluti de finibus Armeniæ; unde conjicere licet, ætate illius, Meſopotamiam cum Chaldæa confundi conſuevíſse. Idem ex Ioſepho deprehenditur l. 1. c. 8. cum ait, Abraham e Charan diſceſſiſse Chaldæorum perſecutionibus adactum, & aliorum Meſopotamiæ populorum; & credi poteſt, temporibus Moyſis aliquando Chaldææ nomine Meſopotamiam fuiſse comprehenſam.

Dici quoque poſset, Meſopotamia a diverſis gentibus occupata, & præſertim a nonnullis e poſteris *Caſed* Chaldæorum patris, hos in Meſopotamia urbem Ur condidiſse, quæ ideo *Ur Chaldæorum* fuit appellata. Non poterat quidem hoc nomine nuncupari tunc, cum inde egreſsus eſt Abraham; quoniam Caſed pater Caſdim, aut Chaldæorum nondum natus erat; ſed aliter minime vocabatur, cum hanc Moyſes ſcriberet hiſtoriam.

Alii ſtatuunt urbem *Ur* in Babylonia, aut in Chal-

[1] Geneſ. 31. 19.
[2] Ammian. Marcel. l. 25. c. 28.

dæa proprie dicta citra Euphratem in ea regione, A quæ dicitur *Auranitis*. Eupolemus apud Euſebium Præpar. l. 9. c. 17. ſtatuit urbem *Uram*, vel *Uriam* ibi, ubi eſt Camarina in Babylonia. Plures arbitrantur, urbem Ur Chaldæorum eſſe eamdem, ac *Orcham* Strabonis, & Orchoe Ptolomæi, in Chaldæa, vel eamdem ac *Suram* [1], vel Uram ad Euphratem in Syria. Bocharti, & Grotii ſententiam poſſumus amplecti, quæ minimum Scripturæ adverſatur, omneſque tollit difficultates.

VENERUNT USQUE HARAN.] Creditur hæc eſſe inſignis urbs *Charræ*, celebris adeo Craſſi excidio, quæ ad fluvium Chaboram eſt ſita. Sarraceni aliqua veneratione hunc locum proſequuntur ad hanc diem: propterea quod ibi Abraham fuerit immoratus. Scriptura hic non docet, an Nachor venerit in Charan B cum Thare, & reliqua cognatione; ſed Sanctus Auguſtinus l. 16. de Civit. c. 13. non ambigit, quin eum aliis profectus fuerit, quandoquidem poſteri illius in hac urbe permanſerunt, ut liquet ex capite 29. 4. ubi videtur Laban ſedem ſuam in Charan conſtituiſſe. Joſephus Antiq. l. 1. c. 6. aſſerit; univerſam Thare cognationem in Charan commigraſſe; & S. Chryſoſtomus homil. 31. in Geneſ. nominatim notat Nachor, cum Thare, & Abraham.

Achior in libro Judith. 5. 9. ait Thare, & Abraham diu permanſiſſe in Haran, ut ex textu Græco [2] colligitur. Judæi ibi undevigioti annos fuiſſe immoratos dicunt, Lyranus quinque & viginti; ſed Chronologia, quam ſequimur, illic ne annum quidem integrum permanſiſſe patitur, perinde ac Thare illuc pertranſiens, ibi in morbum incidiſſet, ac obiiſſet; & deinde iterum Abrahæ imperatum fuiſſet, ut ex illa urbe egrederetur; quoniam inferius oſtendemus, alteram Abrahæ vocationem eſſe admittendam. Pater Harduinus credidit urbem Haran fuiſſe Palmyram, aut aliam quampiam Syriæ civitatem; & Meſopotamiam, de qua Scriptura loquitur, eam eſſe regionem, quæ Euphratem inter, ac Jordanem interjacet, non illam vero quæ Euphrate, ac Tigri continetur. Duobus autem Scripturæ locis innititur, quorum alter deductus eſt ex 2. Reg. 10. 16. alter vero ex libro Judith 2. 14. Sed novæ hujus ſententiæ confutatio videri poteſt apud Cellarium *Aſiæ* l. 3. c. 15. Spanhemius in hiſtoria ſua Job urbem Haran diſtinguit a Charris: ſtatuit Haran ad Chaboram, uti quoque & *Charras*, ſed quadraginta mille paſſibus alteram ab altera diſtantes.

1 Ptolom. & Plin. l. 5. c. 24. & 26.
2 Ημέραι πολλαι.

CAPUT XII.

Iterum vocatur Abraham ex urbe Charan. Maxima quoque pollicetur Deus huic Patriarchæ, qui in terram Chanaan proficiſcitur, atque inde in Ægyptum, Pharaon ſublatam illi uxorem poſtea reddit.

℣. 1. DIxit autem Dominus ad Abram: Egredere de terra tua, & de cogna-
tione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monſtra-
bo tibi, 2 Faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi, & ma-
gnificabo nomen tuum, eriſque benedictus, 3 Benedicam benedicentibus tibi, &
maledicam maledicentibus tibi, atque in te benedicentur univerſæ cognationes ter-
ræ, 4 Egreſſus eſt itaque Abram, ſicut præceperat ei Dominus, & ivit cum
eo Lot: ſeptuaginta quinque annorum erat Abram, cum egrederetur de Ha-
ran. 5 Tulitque Sarai uxorem ſuam, & Lot filium fratris ſui, univerſamque
ſubſtantiam, quam poſſederant, & animas, quas fecerant in Haran, & egreſſi
ſunt, ut irent in terram Chanaan, Cumque veniſſent in eam, 6 Pertranſivit A-
bram terram uſque ad locum Sichem, uſque ad convallem illuſtrem; Chana-
næus autem tunc erat in terra. 7 Apparuit autem Dominus Abram, & dixit
ei: Semini tuo dabo terram hanc, Qui ædificavit ibi altare Domino, qui appa-
ruerat ei. 8 Et inde tranſgrediens ad montem, qui erat contra orientem Bethel,
tetendit ibi tabernaculum ſuum, ab occidente habens Bethel, & ab oriente Hai:
ædificavit quoque ibi altare Domino, & invocavit nomen ejus, 9 Perrexitque
Abram vadens, & ultra progrediens ad meridiem, 10 Facta eſt autem fames in
terra: deſcenditque Abram in Ægyptum, ut peregrinaretur ibi: prævaluerat
enim fames in terra. 11 Cumque prope eſſet, ut ingrederetur Ægyptum, dixit
Sarai uxori ſuæ: Novi, quod pulchra ſis mulier. 12 Et quod cum viderint te
Ægyptii, dicturi ſunt: Uxor illius eſt, & interficient me, & te reſervabunt.
13 Dic ergo, obſecro te, quod ſoror mea ſis, ut bene ſit mihi propter te, &
vivat anima mea ob gratiam tui. 14 Cum itaque ingreſſus eſſet Abram Ægy-
ptum, viderunt Ægyptii mulierem, quod eſſet pulchra nimis. 15 Et nuntiave-
runt Principes Pharaoni, & laudaverunt eam apud illum, & ſublata eſt mulier in
domo Pharaonis. 16 Abram vero bene uſi ſunt propter illam, fueruntque ei
oves, & boves, & aſini, & ſervi, & famulæ, & aſinæ, & cameli. 17 Fla-

gellavit

gellavit autem Dominus Pharaonem plagis maximis , & domum ejus ; propter Sa-
rai uxorem Abram . 18 Vocavitque Pharao Abram , & dixit ei : Quidnam
eſt hoc , quod feciſti mihi ? quare non indicaſti mihi , quod uxor tua eſſet ? 19
Quam ob cauſam dixiſti eſſe ſororem tuam , ut tollerem eam mihi in uxorem ?
Nunc igitur , ecce conjux tua , accipe eam , & vade , 20 Præcepitque Pharao ſu-
per Abram viris , & deduxerunt eum , & uxorem illius , & omnia , quæ habebat .

℣. 1. DIXIT AUTEM DOMINUS AD ABRAM &c.] Melioris notæ Interpretes hanc ſecundam Abraham eſſe vocationem arbitrantur . Deus illi repetit in urbe Charan præcepta , quæ antea in Ur orbe tradiderat . Hujus ſecundæ vocationis quadringenti peregrinationis anni enumerantur a Sancto Paulo Galat. 3. 17. atque Exodi 12. 40. 41. qui ad exitum Iſrael de Ægypto uſque procedunt . Sanctus Stephanus duas has vocationes Actorum 7. 5. 6. palam diſtinguit .

Opponitur autem huic ſententiæ , Deum tunc non potuiſſe dicere Abraham , quod e domo patris ſui egrederetur , quoniam Thare pater illius fato functus fuerat : at enervis admodum , & nulla hæc eſt oppoſitio , quia Abraham adhuc erat in cognatione ſua , atque domi patris ſui , ubi ad hunc uſque diem fuerat immoratus . Credimus autem , alteram hanc vocationem confeſtim Thare funus fuiſſe conſecutam : quamquam non deſunt eruditi authores , qui aſſerunt , Deum allocutum fuiſſe Abraham patre hujus adhuc inter vivos degente : & forſitan hæc verba : *Exi de domo patris tui* , hoc tantum innuunt , Deum imperaſſe , ut Abraham peculiarem ſibi domum ſtatueret , & ſuæ ſobolis ſtabiliendæ curam impenderet : hæc autem ſententia confirmatur promiſſis , quæ mox Deus huic Patriarchæ pollicetur . Non liquet vero , utrum Deus viva voce cum Abraham fuerit collocutus , an illi per ſomnium ſuam prodiderit voluntatem. Munſterus ait, per Sem ipſum admonitum fuiſſe.

VENI IN TERRAM , QUAM MONSTRABO TIBI .] Jure quidem Abraham hic decet intueri , velut firmiſſimæ fidei , atque perfectiſſimæ exemplar obedientiæ . Deus enim illi imperat , ut relicta domo , patria , & fortunis in regionem proficiſcatur peregre , quam diſtincte minime deſcribit : ſed iter tantum jubetur ingredi , quin ipſi , quo profecturus ſit , innoteſcat . Exit ille , ait Sanctus Paulus Hebr. 9. 8. quin ſciat , quo eat , in locum , qui , futurum erat , ut illi cederet in hæreditatem . *Abraham obedivit in locum exire , quem accepturus erat in hæreditatem , neſciens , quo iret* . Hoc nimirum ſapientiæ eſt initium , & prior in via virtutis gradus , Deum ſequi. Vide Ambroſium libro primo de Abraham cap. 2.

℣. 2. BENEDICAM TIBI .] Obedientia Abrahæ non adeo tamen cæca erat , neque fides illius adeo credula , ut illi firmiſſima credendi argumenta defuerint , & ex prævalidæ rationes , quæ ad obtemperandum impellerent. At hæ rationes , hæc argumenta minime erant ſenſibilia : ſed excellenti Abraham virtuti maxime congrua . Ea , quæ hic Deus illi pollicetur , neque clarius exprimi poterant , neque latius patere , neque magnificentius jactari : ſed tempus dumtaxat futurum ſpectant , illudque remotiſſimum , eaque bona , quibus carnalis homo nequaquam acquieſcere potuiſſet . Deus benedictionem illi promittit , *Benedicam tibi* ; Quæcumque bona temporalia , ac ſpiritualia pollicetur , quæ omnia hac voce continentur ; *Benedicam tibi* . Minores autem illi promittit fore , qui in magnum populum excreſcant : *Faciam te in gentem magnam* ; atque ſe recipit illius nomini celebritatem additurum , & gloriam : *Magnificabo nomen tuum* ; & denique ſe illum præter quæcumque vota bonis eſſe cumulaturum : *Eriſque benedictus* : Hebraice . *Eriſque benedictio* . Tuæ benedictiones in proverbium abibunt , diceturque ; Te Deus muneribus proſequatur , æque ac proſecutus eſt Abraham . Vide caput XLIII. ℣. 15. 16.

℣. 3. IN TE BENEDICENTUR OMNES COGNATIONES TERRÆ .] Aut juxta Chaldæos , *cauſa tua* . Tu cunctis populis fons eris benedictionum . Bonorum cumulus , quo donaberis , non tibi proderit uni , ſed ſuper nationes cunctas effundetur : aliter vero , *in te* , videlicet *in ſemine tuo* , ut dicitur capite 22. 18 In Filio tuo , in Meſſia , in Ieſu Chriſto , vero gratiarum fonte , ac omnium benedictionum origine ; ut illud explicat Sanctus Paulus ad Galatas 3. 16. Quod ſi univerſam Abraham vitam percurrimus , inveniemuſne ea temporalia bona , quæ magnis hiſce promiſſis congruere videantur ? Hæc igitur dona aliud tempus ſpectabant , aliam vitam , alia bona : quo profecto excellentia fidei Abraham probatur , qui libenter ea omnia ſubit pericula , quæ illi Deus propoſuit , quamquam nullum umquam ſenſibile pignus acceperat , quo futurum confideret , ut illi Deus fidem præſtaret .

℣. 4. SEPTUAGINTA QUINQUE ANNORUM ERAT ABRAM , CUM EGREDERETUR DE HARAN .] Qui contendunt Abraham ortum eſſe , cum ſeptuageſimum annum ageret Thare , offendunt hic difficultatem , quam Sancti Hieronymus in Quæſt. Hebraic. & Auguſtinus quæſt. 25. in Geneſ. & de Civit. lib. 16. 15. inexplicabilem arbitrantur . Revera ſi *Thare* annos quinque & ducentos natus obiit : & Abraham ſeptuageſimo patris anno eſt ortus , luce clarius apparet , centum & triginta quinque fuiſſe Abraham annos , cum Thare e vivis exceſſit : quod maxime ab ſeptuaginta quinque annis abeſt , quos illi tribuit Scriptura . Ut hæc ſolvatur difficultas , alii ſeptuaginta quinque annos Abraham ab illius liberatione *ex igne Chaldæorum* numerandos aſſerunt , aut poſtquam primum *ex Ur egreſſus eſt* : alii vero bis Abraham de Haran in terram Chanaan profectum fuiſſe arbitrantur ; primum quidem anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo quinto , atque antequam Thare occumberet : iterum vero anno centeſimo triceſimo quinto , cum e Chanaan in Haran venit , ut Thare patri ſuo poſtrema pietatis officia præſtaret . Sed ſi Abraham centeſimo ſupra triceſimum Thare anno editum credimus , quæ noſtra ſententia eſt ſuper Gen. 11. 27. hæ difficultates omnino evaneſcunt .

℣. 5. TULIT ABRAM ..... ANIMAS , QUAS FECERANT IN HARAN .] Ad litteram : *Animas , quas fecerant* , videlicet ſervos , quos emerant , vel illos , qui in ipſorum ſervitute orti fuerant in Meſopotamia . Abraham tunc nulli erant filii . Sed Loth jam duas poterat filias habere ; quoniam quatuor & viginti poſt id tempus annos , cum Sodoma everteretur , nubiles erant . Joſephus nullis innixus rationibus aſſerit , Abraham ſibi adoptaſſe Loth , antequam egrederetur de Haran . Chaldæi Paraphraſtes Onkelos & Jonathan his vocibus : *animae , quas fecerant* , eos notari putant , quos Abraham a cultu Idolorum averterat , & veræ religionis præceptis imbuerat . *In Haran* . Septuaginta Romanæ editionis , *ex Charan* . Sed Complutenſis editio , & Sanctus Ambroſius lib. 2. c. 2. de Abraham legit *in Charan* .

℣. 6. USQUE AD LOCUM SICHEM , USQUE AD CONVALLEM ILLUSTREM .] Urbs Sichem media ferme eſt in terra Chanaan ſecundum longitudinem a Borea in Auſtrum : illa vocatur *Sichar* a Sancto Joanne 4. 5. Sichem eſt prope Samariam in ea parte , quæ contigit tribui Ephraim . Moyſes hic appellat Sichem per prolepſim ; fortaſſe enim hoc illi nomen inditum eſt poſt Sichem filium Hemor , cujus meminit Geneſis 34. 24.

CONVALLEM ILLUSTREM.] Hebraice אלון מורה. *Elon more*. Hoc eſt nomen convallis, quæ eſt circa Sichem. Vide Deut. 11. 30. Quidam [1] nulla adducti ratione credunt, hanc vallem eſſe, aut nemus *Mamre*, de quo fit mentio capite 13. 18. quod erat in Hebron. Septuaginta vertunt [2]: *apud magnam quercum*, aut *magnam arborem*. Alii *in querceto viſionis*, aut *terroris*; ibi, ubi Deus terribilis ſe ſe videndum exhibuit Abraham verſiculo 7. Aliter *ad planitiem oſtendentis*, ea in planitie, ex qua Deus oſtendit Abraham regionem, quam illi pollicebatur.

Nicolaus Damaſcenus, quem refert Joſephus Antiq. lib. 1. cap. 8. & Euſebius præp. Evangel. l. 9. cap. 16. ait, Patriarcham Abraham e Chaldæorum regionibus egreſſum, Damaſci immoratum fuiſſe; B ibique aliquandiu regnaſſe, antequam veniret in Chanaan. Addit, nomen hujus Patriarchæ cognitum eſſe in omnibus regionibus Damaſci; atque ibi pagum oſtendi, cui nomen domus Abraham. Trogus quoque apud Juſtinum lib. 36. cap. 2. Abraham inter Damaſci Reges enumerat, atque contendit, Judæos ex hac regione originem deduxiſſe. Admodum veriſimile eſt, Abraham aliquandiu circa Damaſcum incoluiſſe, cum de Haran ad promiſſam terram accederet: hæc enim via communior erat, qua ex Meſopotamia in Palæſtinam tranſitus fieret. Sed ibi diutius commoratum fuiſſe, ex Scriptura non liquet: immo argui poteſt in terram Chanaan eodem anno perveniſſe, quo ex Haran diſceſſerat, ex eo quod dicitur cap. 16. verſ. 16. Iſmael ortum fuiſſe, cum C Abraham ſextum, & nonageſimum annum ageret, & decimum ex eo tempore, quo eam regionem fuerat aſſecutus, ℣. 3. Credi quoque poteſt, quod cum Abraham perſecutus fuerit quatuor Reges, qui abduxerant Loth nepotem ſuum uſque ad Hoba, ſeu Abila, propius Damaſcum [3], eoſque devicerit; inde factum fuiſſe, ut illud Hiſtorici de regno, atque exercitu Abraham Damaſci enarraverint.

CHANANÆUS AUTEM TUNC ERAT IN TERRA] Quorſum autem hoc iſtic animadvertitur? alibine Moyſes ait, Chananæos non ſemper eam regionem incoluiſſe? An ibi amplius non aderant, cum iſthæc ſcriberet? Plurimi credunt, hanc gloſſam eſſe, quæ ex margine in textum obrepſerit Moyſis; atque il- D li additam fuiſſe, cum Judæi regioni huic dominarentur, illudque fortaſſe per Eſdram, qui libros hos poſt Babylonicam ſervitutem caſtigavit. Alii vero contendunt, Moyſem ipſum hoc animadvertiſſe, ut fidem, atque obedientiam Abraham patefaceret, qui minimum veritus eſt palam veri Dei profiteri cultum in regione adeo vitiis omnibus affluente, quæ erat terra Chanaan; & conſtanter credidit promiſſis, quibus ſpoponderat Deus, futurum ut ille dominaretur ei regioni, quam validæ, ac frequentes adeo nationes poſſidebant; quamquam difficultatibus obſitam intueretur viam, qua eam terram adipiſceretur.

Abenezra credit, Moyſem intellexiſſe, Chananæos tunc temporis eam regionem fuiſſe adeptos, E populo devicto, qui illam antea occupaverat: aut locum hunc hic poſt Moyſem additum. Rabbinus Salomon fermè in Abenezræ abit ſententiam; quoniam ait, quod Chananæi in dies magis progrediebantur in terram, atque adimebant minoribus Sem regionem, quam Noe terras dividens illis tribuerat. Rabbinus Moyſes filius Nachman credit, Chananæos, alioſque Palæſtinæ populos e Nomadibus originem deduxiſſe, qui quoquoverſum vagabantur, nunc dextror-

A ſum, mox lævorſum, modo ad Boream, modo ad Meridiem illius regionis.

Has autem explicationes refellimus in epiſtola tertia adverſus Furmontium. Addi vero poteſt rationibus, quæ ibi afferuntur, Moyſem perſpicue notare locos, ubi incolebant Amorrhæi, Hethæi, Gergeſæi, aliique, Gen. 10. 15. 16. 17. 19. Vide paullo ſuperius Commentarium in caput decimum. Si vagi fuiſſent Nomadum populi, poterantne diſtincte adeo eorum incolatus notari ad Meridiem, ad Boream, in montibus &c?

℣. 7. ÆDIFICAVIT IBI ALTARE DOMINO, QUI APPARUERAT EI.] Deus ſe palam prodidit Patriarchæ, cum perveniſſet in convallem More, atque illi imperavit, ut ea in regione gradum ſiſte- B ret. Abraham huic loco nomen dare potuit Convallem Viſionis, propterea quod ibi apparuerat Dominus, cujus rei, ut monumentum extaret, altare ædificavit. Arabicus textus ait, illum ædificaſſe altare Domino, qui illi angelum ſuum oſtenderat. Interpretes vero arbitrantur, omnes fere Veteris Teſtamenti apparitiones, quæ Deo tribuuntur, angelis eſſe referendas: de hoc tamen alibi erit quæſtio.

℣. 8. INDE TRANSGREDIENS AD MONTEM, QUI ERAT CONTRA ORIENTEM BETHEL, &c.] Moyſes hic Bethel memorat per Prolepſin; neque enim hoc nomen adepta eſt, niſi multo poſt, quemadmodum idem ipſe animadvertit Gen. 28. 19. Toſtatus putat montem, de quo hic eſt ſermo, eſſe Ga- C rizim, & Hebal; ſed alibi in Deuter. 11. 29. oſtendemus, duos hos montes longius abeſſe ab Hai, & Bethel. Abraham in eodem monte conſtitit, ubi deinceps urbs Bethel extructa fuit, atque altare ædificavit, qua urbs hæc Orientem reſpicit, & ſpectat Hai. Moyſes 13. 3. notat, Abraham cum ex Ægypto regrederetur, in hunc eumdem locum appuliſſe, quem Bethel ſimpliciter appellavit, ubi altare conſtruxerat. Deus in monte eodem apparuit Jacob, qui ibi quoque erexit altare. Geneſis 35. 1.

AB OCCIDENTE HABENS BETHEL, ET AB ORIENTE HAI.] Abraham Meridiem verſus procedens tetendit ibi tabernaculum ſuum in monte Bethel, ad cujus Occaſum hæc urbs erat, ad Ortum vero D *Hai*. Hæ duæ urbes ad leucam, præter propter, invicem diſtant; quæ in partitione Tribui Beniamin ceſſerunt. Occidentis loco, Hebraice legimus; *Qua mare ſpectat* &c. Sed paſſim mare Occidentem ſignificat; quia Mediterraneum eſt ad Occaſum Palæſtinæ.

ÆDIFICAVIT QUOQUE IBI ALTARE DOMINO, ET INVOCAVIT NOMEN EJUS.] Hebraicus textus [4] in aliam verti poteſt ſententiam ab ea, quam Vulgata & Septuaginta præſeferunt: *ædificavit altare, quod dedicavit Domino*, aut quod *vocavit Altare Domini Dei Abraham*, ut illud ſecerneret ab altaribus dicatis falſis numinibus Chananæorum. Abraham vero ubique palam cultum ſuæ Religionis exercet, ubi diverſatus eſt, atque iſtud Moyſes oſtendit, E ut ab omnibus perpendatur.

℣. 9. PROGREDIENS AD MERIDIEM.] Septuaginta plerumque transferunt Hebraicam vocem [5], *Negeb*, deſertum. Sed alii Interpretes Græci, & Latini Vulgatæ adhærentes vertunt, ad Meridiem.

℣. 11. NOVI, QUOD PULCHRA SIS MULIER.] Rabbini apud Grot. hic puerili prorſus argumento hinc arguunt, Abraham hactenus neque vidiſſe, neque cognoviſſe uxorem ſuam. Et Septuaginta [6] verſiculum 12. capitis 18. ita tranſtulerunt, ut innuere vi-

1 Syr. Arab. Vatabl.
2 Ἐπὶ τὴν δρῦν τὴν ὑψηλήν.
3 Cap. 14. 14.
4 ויקרא בשם יהוה 70. Καὶ ἐπεκαλέσατο ἐπὶ τῷ ὀνόματι Κυρίου,
5 הנגבה 70: Ἔρημος. *Aq. Sym.* νότον
6 Geneſ. 18. 12. Ἐγέλασε Σάῤῥα ἐν ἑαυτῇ λέγουσα, οὔπω μέν μοι γέγονεν ἕως τοῦ νῦν.

ſe videantur Abraham, & Saram continentiam ſervaſſe. Sara, cum ſexageſimum quintum annum ageret, ſpecie decora erat adeo, ut eam effrenes populi deperirent. Vita hominum tunc longior erat, quam hodie ſit; ſenectus ipſa longius aberat; atque illius effectus ſerius percipiebantur. Saræ ſterilitas prodeſſe poterat, ne quid de illius forma decederet.

℣. 13. DIC ERGO, OBSECRO TE, QUOD SOROR MEA SIS,] Abraham non hortatur Saram, ut mentiatur, atque ſe illius ſororem ſimulet, ut crediſſe videntur Sanctus Chryſoſtomus hom. 32. in Geneſim, & Sanctus Ambroſius lib. 1. de Abraham cap. 2. ubi ait; *Ut tegeretur maritum, mentita eſt germanitatem* &c. ſed ſolum petit, ne ſe illius eſſe uxorem aperiat, ſed ſororem eſſe confirmet. Hoc autem poſtremum liquido verum eſt, cum Sara ejuſdem patris, ac Abraham ſit filia, non autem matris ejuſdem, quod idem Abraham poſtea hiſce vocibus oſtendit Geneſ. 20. 12. *Vere ſoror mea eſt, filia patris mei, ſed non filia matris meæ.* Verum id etiam eſt in Scripturarum ſenſu, quæ fratres vocant, & ſorores, qui propius ſunt conſanguinitate conjuncti, ſi credamus, Saram neptem ex fratre fuiſſe tantummodo Abraham, ſcilicet filiam Aran fratris Abraham, & neptem Thare ex filio. Ita quoque capite 13. 8. Loth appellatur frater Abraham, cum nepos illius ſit dumtaxat. Patet autem ex eo, quod dicitur capite 20. 12. 13. Abraham, poſtquam egreſſus fuerat e regione ſua, cum Sara pepigiſſe, ut quotieſcumque res ferret, ſe illius ſororem eſſe affirmaret.

Origenes homil. 6. in Geneſim aſſerit, in ſimili occaſione, cum Abimelech Rex Geraræ abſtulit Saram, Abraham non modo mentitum fuiſſe, ſed uxoris ſuæ prodidiſſe caſtitatem. Sanctus Ioannes Chryſoſtomus hom. 23. in Geneſ. arbitratur, Abraham alienam veluti perſonam induiſſe, atque fictionis hujus iniiſſe conſilium, ut mortem evitaret. *In adulterium uxoris conſentis Juſtus, & quaſi ſtruis adulterio in mulieris contumeliam, ut mortem effugias*, &c. Fatetur, hunc Patriarcham in adulterii periculum adduxiſſe Saram; ipſamque libenter huic contumeliæ acquieviſſe, ut conjugis vitam tueretur. Fauſtus Manichæus [1] eo progreſſus eſt, ut aſſereret, hunc Patriarcham conjugis ſuæ pudorem turpiſſimis nundinis duobus Regibus vendidiſſe, ut avaritiæ ſuæ, atque abdomini ſatisfaceret.

Sed Sanctus Auguſtinus l. 22. contra Fauſtum, & lib. 1. contra Mendac. cap. 10. hac in re Abraham conſilium tuetur. Oſtendit nequaquam mentitum eſſe, ſed tantummodo tacuiſſe, & diſſimulaſſe veritatem. Cum enim duplex ſimul periculum impenderet, ut & ſibi vita eriperetur, & uxoris pudor, & libertas adimeretur; nec utrumque horum malorum, quæ imminebant, poſſet effugere; illud iniit conſilium, quod prudentia docuit: neque Deum tentare auſus, duobus malis ſe ſe eodem tempore objiciens, minus elegit, ut majus effugeret. Divinæ permittit Providentiæ, ſi velit, conjugis caſtitatem tueri; atque ſuam ſororem vocat, ut propriam mortem evitet, cui plane obnoxius erat, niſi illam conjugem ſuam diſſimulaſſet, cum tamen illius pudoris jactura interim facta fuiſſet. Certior enim virtutis erat hujus ſanctæ mulieris, & ſciebat, quamquam coacta vi fuiſſet, ut corpore contumeliam ferret, futurum, ut illius voluntas a turpiſſimo probro abhorteret; atque ideo cum adulterium ex parte Abraham, & Saræ involuntarium eſſet, ipſi quoque crimine carerent, ac infamia.

℣. 15. NUNCIAVERUNT PRINCIPES PHARAONI.] Ex Hebraico textu: *Principes Pharaonis viderunt illam, & laudaverunt* (*bene locuti ſunt de illa.*) Videtur Divus Hieronymus legiſſe ויגידו *Jaggidu, illi nunciaverunt*, loco יראו *Iiru, illi viderunt*. Sed Septuaginta, Chaldaicus textus, Syriacus, Arabicus idem habent, ac Hebraicus, qui hodie extat: *Viderunt illam* &c.

SUBLATA EST MULIER IN DOMUM PHARAONIS. (℣. 16.) ABRAHAM VERO BENE USI SUNT PROPTER ILLAM.] Intelligitur ex verſiculo 19. hujus capitis a Pharaone Saram fuiſſe ſublatam, ut ea ipſi nuberet; ſed eam ipſi nupſiſſe dici nequaquam poteſt, neque hunc principem conjugali uſum fuiſſe libertate; quamquam Sara non ita modicum domi illius fuerit commorata, ut ex ſequentibus innoteſcit. Theodoretus quæſt. 62. in Geneſ. credit, calamitate aliqua a Deo Pharaonem affectum, ut ad Saram accedere nequiverit, quod a Biblia innui putat his verbis: *Flagellavit Dominus Pharaonem plagis maximis*. Sanctus Hieronymus in Quæſt. Hebraic. ait, in Pharaonis aula eamdem viguiſſe conſuetudinem, quam in libro Eſther videmus: videlicet quod multorum menſium ſpatio unguentis, atque odoribus, delibutæ ſe ſe componerent, quæ ad Perſarum Regis thalamum eligebantur. Sanctus Auguſtinus quæſt. 26. in Geneſ. & lib. de 8. quæſt. Dulcit. quæſt. 7. Divi Hieronymi ſententiam probat. Hujus autem temporis intervallo Ægyptii donis Abraham cumularunt, & Deus Principem hunc male mulctavit.

Auctores nonnulli [2] cenſuerunt ab Abraham Ægyptios edoctos fuiſſe Aſtrologiam, atque Arithmeticam: quas ſcientias ipſi ignorabant antequam ille in eam regionem deſcenderet: quia hæc ſtudia ex Chaldæorum terra in Ægyptum, ex Ægypto in Græciam migravere. Eupolemus teſtatur magnum amoris fœdus interceſſiſſe Abraham cum Sacerdotibus Heliopolis, atque ipſis eas tradidiſſe ſcientias, quas memoravimus. Artapanus autem ipſum quoque Ægypti Regem ex Abraham Aſtrologiam didiciſſe contendit. Addit etiam, Patriarcham hunc viginti annos in ea regione diverſatum fuiſſe; & cum poſt id tempus inde egrederetur, plures e ſuis ibi reliquiſſe nimia regionis illectos fertilitate. Sed nos, non ultra annum in Ægypto conſtitiſſe Abraham cenſemus. Quoad vero Aſtronomiam, quam non Ægyptios ſolum, verum etiam Phœnices ab eo didiciſſe teſtantur; quamquam illud Scriptura prætereat, fieri tamen videtur potuiſſe. Neminem fugit, Chaldæos ſemper Aſtrorum ſcientia excelluiſſe. Vide, quæ de eorum populorum Chronologia dixerim.

℣. 16. ABRAM BENE USI SUNT.] Illum honoribus affecerunt, atque magnis ornarunt muneribus, utpote cujus ſororem Rex volebat conjugem ducere.

ASINÆ, ET CAMELI.] Septuaginta. *Muli, & Cameli*.

℣. 17. FLAGELLAVIT DOMINUS PHARAONEM PLAGIS MAXIMIS.] Eupolemus apud Euſebium Præpar. lib. 9. c. 17. teſtatur Deum, non modo in Regiam familiam, ſed in populum univerſum, qui ſubditus erat Pharaoni, fœdiſſimam luem immiſiſſe: & vates, quos Rex conſuluit, aeruiſſe, mulierem illam, quam ducere uxorem cupiebat Rex, eſſe conjugem Abraham, eamque viro ſuo reddendam, ne malum ulterius deſæviret. Alii vero in Principem hunc Deum animadvertiſſe arbitrantur, populorum defectione, conjugum ſuarum, atque armentorum ſterilitate, aliiſque infirmitatibus, quibus affectus fuit. Rabbini credunt, Saræ Angelum præſto fuiſſe, qui eam tuebatur, atque Pharaonem repellebat, quoties ad illam accederet. Sanctus Chryſoſtomus autem hom. 30. in Geneſim cenſet, Pharaonem divinitus admonitum fuiſſe, quod Sara Uxor erat Abraham.

Pha-

[1] Apud Aug. lib. 22. contra Fauſt. c. 33. *Quod autem juſtum & fidelem virum, matrimonii ſui infamiſſimum nundinatorem appellans, avaritia ac ventris cauſa duobus Regibus Abimelech & Pharaoni, diverſis temporibus Saram conjugem ſuam, ſororem mentitum...., in concubitum aſſerit vendidiſſe, &c.*

[2] Nicolaus Damaſcenus apud Euſebium præp. Evang. l. 9. c. 16. 17. 18., vide & Joſeph. l. 1. c. 8. 9.

Digitized by Google

Pharaon eſt nomen commune, quod ſupremum imperium apud Ægyptios ſignificabat, quemadmodum animadvertit Joſephus Antiq. l. 8. c. 2. atque S. Auguſtinus l. 1. quæſt. in Geneſim num. 196. arguit ex 47. capite Geneſis verſiculo 26. ubi ait, quod *ex eo tempore uſque in præſentem diem Pharaoni quinta fructuum pars ſolvebatur*. Permanſit autem Regibus Ægyptiis hoc nomen, ſaltem uſquedum iis terris potiri fuere Chaldæi. Ezechiel 29. 3. & 32. 2. eos vocat adhuc Pharaones. Præter hoc nomen cunctis Regibus commune, quod idem ferme erat, ac nomen *Regis* apud varias Gentes, *Sultani* apud Arabes, atque *Imperatoris* apud Romanos; ſingulis Ægyptiis Regibus peculiare nomen erat: exempli gratia *Rameſſes*, *Amenophis*, *Apries &c.* Bochartus pluribus Dictionarijs tum Arabicis, tum Copthicis probat B nomen Pharaonis ſignificare Crocodilum; at latet, utrum prius Regi, an Crocodilo hoc nomen inditum fuerit, Crocodilus eſt animal, quod in Ægypto A colebatur, neque Reges pudebat ferre nomen bruti, quod tamquam Deum venerarentur. Ezechiel ad Regem Ægypti orationem convertens huic nomini Crocodili videtur alludere: *Ecce ego ad te, Pharao Rex Ægypti: Draco Magne, qui cubas in medio fluminum.* Ad te me verto, o Pharao Ægyptius Rex, magne maris Draco (vel magne piſcis) qui in mediis fluminibus quieſcis. Vocis hujus *Pharaon* radix apud Arabes extat פרע *Pharach*, qui elatus eſt, qui eſt ſuperior. Vide Clericum in Geneſim.

℣. 20. PRÆCEPIT PHARAO SUPER ABRAM VIRIS, ET DEDUXERUNT EUM.] Scilicet extra Ægyptum, ne ipſe, aut Sara ab Ægyptiis ulla contumelia afficerentur. Septuaginta, ac Samaritanus textus addunt hic, quod Loth erat cum Abraham, & cum B ipſo de Ægypto egreſſum fuiſſe: quod animadvertere non intererat admodum, quandoquidem palam fit ex iis, quæ ſequuntur.

CAPUT XIII.

Abraham de Ægypto redit in terram Chanaan. Loth ab Abraham ſejungitur, & in Urbem Sodomam ſe recipit: Abraham poſt iteratas Dei promiſſiones, venit in Convallem Mambre prope Hebron.

1 Aſcendit ergo Abram de Ægypto, ipſe, & uxor ejus, & omnia, quæ habebat, & Loth cum eo, ad Auſtralem plagam. 2 Erat autem dives valde
in poſſeſſione auri, & argenti. 3 Reverſuſque eſt per iter, quo venerat, a meridie in Bethel, uſque ad locum, ubi prius fixerat tabernaculum inter Bethel, & Hai: 4 In loco altaris quod fecerat prius, & invocavit ibi nomen Domini. 5 Sed & Loth, qui erat cum Abram, fuerunt greges ovium, & armenta, &
tabernacula, 6 Nec poterat eos capere terra, ut habitarent ſimul: erat quippe ſubſtantia eorum multa, & nequibant habitare communiter. 7 Unde & facta eſt rixa
inter paſtores gregum Abram, & Loth. Eo autem tempore Chananæus, & Pherezæus habitabant in terra illa. 8 Dixit ergo Abram ad Loth: Nequæſo ſit jurgium
inter me & te, & inter paſtores meos, & paſtores tuos: fratres enim ſumus. 9 Ecce univerſa terra coram te eſt: recede a me, obſecro: ſi ad ſiniſtram ieris, ego dexteram tenebo: ſi tu dexteram elegeris, ego ad ſiniſtram pergam. 10 Elevatis itaque Loth oculis, vidit omnem circa regionem Iordanis, quæ univerſa irrigabatur, antequam ſubverteret Dominus Sodomam, & Gomorrham, ſicut paradiſus Domini, & ſicut Ægyptus venientibus in Segor. 11 Elegitque ſibi Loth
regionem circa Jordanem, & receſſit ab Oriente: diviſique ſunt alterutrum a fratre ſuo. 12 Abram habitavit in terra Chanaan: Loth vero moratus eſt in oppidis, quæ erant circa Jordanem, & habitavit in Sodomis. 13 Homines autem Sodomitæ peſſimi erant, & peccatores coram Domino nimis, 14 Dixitque Dominus ad Abram, poſtquam diviſus eſt ab eo Loth: Leva oculos tuos,
in directum, & vide a loco, in quo nunc es, ad aquilonem, & meridiem,
ad orientem, & occidentem. 15 Omnem terram, quam conſpicis, tibi dabo, &
ſemini tuo uſque in ſempiternum. 16 Faciamque ſemen tuum ſicut pulverem terræ: ſi quis poteſt hominum numerare pulverem terræ, ſemen quoque tuum numerare poterit. 17 Surge ergo, & perambula terram in longitudine, & in latitudine tua: quia tibi daturus ſum eam. 18 Movens igitur tabernaculum ſuum Abram,
venit, & habitavit juxta convallem Mambre, quæ eſt in Hebron: ædificavitque ibi altare Domino.

℣. 1. ASCENDIT ABRAM DE ÆGYPTO .... AD AUSTRALEM PLAGAM.] E finibus Ægyptiorum Abraham Egreſſus iter tetendit ad meridiem terræ promiſſionis, quæ ſita erat ad Vulturnum, habita C Ægypti ratione. Septuaginta, quemadmodum ſuperius monuimus c. 12. v. 9. Deſertum appellant *Meridionalem plagam*.

℣. 2. DIVES VALDE IN POSSESSIONE AURI, ET ARGENTI.] Hebraice: *Dives valde pecudum, argen-*

ſchei, atque auri; vel, *Dives valde in poſſeſſione, in auro, & argento* Hebraice מקנה *Mikneh* ſignificat bona tum immobilia, cum mobilia, argentum, & pecora.

℣. 3. REVERSUS EST .... IN BETHEL.] Patriarcha ex Meſopotamia profectus ab Haran venit Bethel, atque inde progreſſus ad Auſtralem partem terræ Chanaan [1] deſcendit in Ægyptum. Ex Ægypto vero regrediens pertranſit Auſtralem plagam Chanaan, & venit Bethel. Nonnulli putant ob id huc acceſſiſſe, ut gratias ageret Deo, qui ex eot periculis, quæ in Ægypto ſubierat, incolumem eruit; atque inde poſtea in meridionalem regionis partem revertitur. Profecto non diutius Bethel immoratus fuiſſe videtur. Biblia ſequenti capite eum nobis oſtendit, velut terras propius Hebron accolentem.

℣. 6. NEC POTERAT EOS CAPERE TERRA &c.] Paſcua gregibus illius, & Chananæorum veterum regionis incolarum ſatis eſſe non poterant, & oportuit armenta dividere, & ſeparare, ut inter paſtores jurgia tollerentur.

℣. 9. ECCE UNIVERSA TERRA CORAM TE EST.] Abraham major natu, locupletior, potentior, quam Loth nepos ſuus, illi optionem dat, ut in quaſcumque terras velit ſe ſe recipiat. Hæc erat quippe vetus conſuetudo [2], & quæ vim legis haberet, ut major natu divideret, minor vero eligeret.

SI AD SINISTRAM IERIS, EGO DEXTERAM TENEBO.] Chaldaicus Textus dexteram partem Meridiem vocat, lævam autem Septemtrionem. Animo concipere oportet Abraham ex Ægypto redeuntem, atque facie Orientis plagam intuentem. Hebraica vox Theman תימן, quæ Meridiem ſignificat utitur ex ימין Jamin, quæ dexteram ſignificat. Ægyptii, ut refert Plutarchus de Iſide, & Oſiride, dexteram Boream intelligunt, Siniſtram Auſtrum. Hoc autem apud Hebræos erat e contra. Veteres Græci dexteram pro Oriente nuncupabant; & pro Occidente lævam. Hoc liquet ex Pythagora, Platone, Ariſtotele, atque Homero Iliad. N. Aſtronomi, Etruſci Aruſpices, & Poetæ Septemtrionem collocabant ad dexteram, & ad ſiniſtram Meridiem [3], ut Ægyptii.

℣. 10. .... QUÆ UNIVERSA IRRIGABATUR ...., SICUT PARADISUS DOMINI, ET SICUT ÆGYPTUS.] Moyſes comparat Paradiſo terreſtri, atque Ægypto regionem Sodomæ, antequam Deus urbem hanc, & finitimas deleverit. Collocat autem regionis hujus pulchritudinem in aquarum copia Jordanis, quæ antequam bituminis immixtione corrumperentur, latius in ea regione vagabantur, atque miram profecto ubertatem efficiebant, & præſertim in paſcuis. Quare eas terras Loth elegit, eique quamlibet regionem poſthabuit.

℣. 11. RECESSIT AB ORIENTE.] Videtur ex narrationis decurſu vertendum fuiſſe; *Receſſit ad Orientem*; quia Pentapolis, ſeu regio Sodomæ, & quatuor urbium finitimarum, quo ſe recepit Loth, orientalis erat ratione ejus loci, unde, Abraham relicto, diſceſſerat. Grotius oſtendit hanc verſionem minimum Hebraico textui adverſari propter plures ſcripturæ locos, ubi prepoſitio מקדם *Min* Hebraica vertitur *verſus, ad, in parte*. Vide Geneſ. 11. 8. & 1. Reg. 14. 5. & 2. Reg. 2. 2. & confer 2. Paralip. 23. 16. Onkelos in eumdem ſenſum explicat; *Elegit ſibi regionem circa Jordanem, & pervenit ad Orientem*.

℣. 12. LOTH MORATUS EST IN OPPIDIS, QUÆ ERANT CIRCA JORDANEM, ET HABITAVIT IN SODOMIS.] Hebraicus textus ita poteſt transferri. *Loth commoratus eſt in regione, quæ eſt juxta Jordanis planitiem*. Armenta ſua egit circa omnes urbes, quæ in ea regione ſunt; & *demum habitavit in Sodomis*: vel *poſuit tentoria ſua juxta Sodomam* [4]. Palam fiet paulo inferius, ipſum plerumque in hac poſtrema urbe fuiſſe immoratum, non ideo tamen confeſtim ibi manſionem ſuam ſtatuiſſe. Poſſet verti quoque textus in hunc modum [5]: *Cum Loth diſceſſiſſet ab Abraham, armenta ſua dividebat circum oppida, quæ erant in planitie Jordanis; verum ille plerumque habitabat in Sodomis*. Septuaginta vertunt: *Moratus eſt in urbe circa Jordanem, & tetendit Tabernaculum in Sodomis*.

℣. 15. OMNEM TERRAM, QUAM CONSPICIS TIBI DABO, ET SEMINI TUO, USQUE IN SEMPITERNUM.] Si ad litteram has promiſſiones explicemus, eas neque in Abraham, neque in Iſaac, neque in Jacob adimpletas fuiſſe innoteſcit. Abraham ne pedem quidem terræ in regione Chanaan poſſedit, ut patet ex S. Stephano Act. 7. 5. atque Patriarchæ ab Abraham uſque ad David, & Salomonem, non late adeo ea regione potiti ſunt, neque ita diu ut textus ſignificat, cum etiam hæc verba *uſque in ſempiternum* diuturnum maxime tempus innuerent, & donec terrarum orbis permanſerit. Sanctus Auguſtinus quæſt. 31. in Geneſ. animadvertit in his promiſſionibus implicitam contineri Hebræorum fidei conditionem, ut ſi Deo fideles perſiſterent, numquam ex ea regione depellerentur. Sed melius adhuc hę promiſſiones explicantur de alia terra, aliaque vita, quæ debet eſſe populi hæreditas, qui fidem Abraham prætulerit.

℣. 17. SURGE, PERAMBULA TERRAM &c.] Veluti ſi Deus diceret Abraham: Si Lot certam ſibi terram, ubi moretur, elegit, nolo portionem tuam parva hujus regionis particula coarctari; ſed univerſam, quanta patet, tibi impertior; Abi, totam perambula terram, nullos tibi limites conſtituo.

℣. 18. JUXTA CONVALLEM MAMBRE.] Verti poteſt, *in Quercetis* [6]; aut *in planitie Mambre*. Convallis hæc, ubi nemus aderat, eſt ad radices montis ſuper quem ſita eſt civitas Hebron. Mambre autem vocatur nomine cujuſdam Amorrhæi, cujus erat ea regio [7].

1 Geneſ. 12. 9.
2 Grotius. Vide Auguſt. de Civit. l. 16. c. 20.
3 Theon. Schol. in Phænom. Arati.
4 ויאהל עד סדם 70. Καὶ ἐσκήνωσεν ἐν Σοδόμοις. Tendit tabernaculum in Sodomis.
5 ולוט ישב בערי הככר ויאהל עד סדם.
6 באלוני.
7 Geneſ. 14. 13.

CA-

CAPUT XIV.

Bellum Chodorlahomor, & fœderatorum illius adverſus Reges Pentapolis. Captus Loth ducitur in ſervitutem. Abraham perſequitur Victores, & liberat Loth. Melchiſedech benedicit Abraham, & Abraham offert Melchiſedech decimam partem prædæ.

℣. 1. FActum eſt autem in illo tempore, ut Amraphel rex Sennaar, & Arioch
rex Ponti, & Chodorlahomor rex Elamitarum, & Thadal rex Gentium,
2 Inirent bellum contra Bara regem Sodomorum, & contra Berſa regem
Gomorrhæ, & contra Sennaab regem Adamæ, & contra Semeber regem Seboïm,
contraque regem Balæ, ipſa eſt Segor. 3 Omnes hi convenerunt in vallem ſyl-
veſtrem, quæ nunc eſt mare ſalis. 4 Duodecim enim annis ſervierant Chodorla-
homor, & tertiodecimo anno receſſerunt ab eo. 5 Igitur quartodecimo anno ve-
nit Chodorlahomor, & reges, qui erant cum eo: percuſſeruntque Raphaim in
Aſtaroth, Carnaim, & Zuzim cum eis, & Emim in Save Cariathaim. 6 Et
Chorrhæos in montibus Seir, uſque ad Campeſtria Pharam, quæ eſt in ſolitudi-
ne. 7 Reverſique ſunt, & venerunt ad fontem Miſphat, ipſa eſt Cades, & per-
cuſſerunt omnem regionem Amalecitarum, & Amorrhæorum, qui habitabant in A-
ſaſonthamar. 8 Et egreſſi ſunt, rex Sodomorum, & rex Gomorrhæ, rexque A-
damæ, & rex Seboim, necnon & rex Balæ, quæ eſt Segor: & direxerunt aciem
contra eos in valle ſylveſtri. 9 Scilicet adverſus Chodorlahomor regem Elamita-
rum, & Thadal regem Gentium, & Amraphel regem Sennaar, & Arioch regem Pon-
ti: quatuor reges adverſus quinque. 10 Vallis autem ſylveſtris habebat puteos mul-
tos bituminis. Itaque rex Sodomorum, & rex Gomorrhæ terga verterunt, cecide-
runtque ibi: & qui remanſerant, fugerunt ad montem. 11 Tulerunt autem omnem
ſubſtantiam Sodomorum, & Gomorrhæorum, & univerſa, quæ ad cibum pertinent,
& abierunt. 12 Necnon & Loth, & ſubſtantiam ejus, filium fratris Abram, qui
habitabat in Sodomis. 13 Et ecce unus, qui evaſerat, nuntiavit Abram Hebræo,
qui habitabat in convalle Mambre Amorrhæi fratris Eſcol, & fratris Abner: hi enim
pepigerant fœdus cum Abram. 14 Quod cum audiſſet Abram, captum videlicet
Loth fratrem ſuum, numeravit expeditos vernaculos ſuos trecentos decem, & octo,
& perſecutus eſt uſque Dan. 15 Et diviſis ſociis, irruit ſuper eos nocte, percuſſit-
que eos, & perſecutus eſt eos uſque Hoba, & Phœnicem, quæ eſt ad lævam Damaſci.
16 Reduxitque omnem ſubſtantiam, & Loth fratrem ſuum cum ſubſtantia illius, mu-
lieres quoque, & populum. 17 Egreſſus eſt autem rex Sodomorum in occurſum ejus,
poſtquam reverſus eſt a cæde Chodorlahomor, & regum, qui cum eo erant in valle
Save, quæ eſt vallis regis. 18 At vero Melchiſedech rex Salem, proferens panem,
& vinum (erat enim Sacerdos Dei altiſſimi) 19 Benedixit ei, & ait: Benedictus
Abram Deo excelſo, qui creavit cœlum, & terram. 20 Et benedictus Deus excel-
ſus, quo protegente, hoſtes in manibus tuis ſunt. Et dedit ei decimas ex omnibus.
21 Dixit autem rex Sodomorum ad Abram: Da mihi animas, cætera tolle tibi.
22 Qui reſpondit ei: Levo manum meam ad Dominum Deum excelſum poſſeſſorem
cœli, & terræ. 23 Quod a filo ſubtegminis uſque ad corrigiam caligæ non accipiam
ex omnibus, quæ tua ſunt, ne dicas: Ego ditavi Abram. 24 Exceptis his, quę
comederunt juvenes, & partibus virorum, qui venerunt mecum, Aner, Eſcol, &
Mambre: iſti accipient partes ſuas.

℣. 1. FACTUM EST IN ILLO TEMPORE, UT AMRAPHEL REX SENNAAR &c.] Hebraicus Textus [1], & Septuaginta diſtincte innuunt regnante Amraphel hoc bellum contigiſſe. Onkelos appellat Amraphel *Regem Babylonis*. Ionathan, & Paraphraſtes Hieroſolymitanus vocant *Regem Ponti*. Ex hujus loci textu videretur Amraphel princeps, atque auctor belli fuiſſe, alioſque Reges illi tantum fœderatos fuiſſe, vel vectigales a ſed ex ſequentibus patebit, Chodorlahomor præcipuum inter hos Principes fuiſſe, atque ipſum infeſta ſigna intuliſſe. Aliqui credunt Amraphel fuiſſe Regem

[1] בימי אמרפל 70. Ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ Ἀμαρφάλ.

Regem Aſſyriæ, & Babylonis, atque unum fuiſſe a A ſucceſſoribus *Nembrod*. Targum Hieroſolymitanum, atque Rabbinus Selomon contendunt, minime alium fuiſſe a Nembrod. Ioſephus autem Antiq. l. 1. cap. 9. teſtatur exercitum, de quo hic agitur, Aſſyriorum fuiſſe, cui quatuor duces præerant. Omnes aſſentiuntur Monarchiam Aſſyriorum præ omnibus, quas novimus, eſſe vetuſtiſſimam, atque intelligitur ex Manethone apud Ioſephum l. 1. contra Appion. pag. 1039. edit. Genev. 1635. Ægyptios illorum potentiam ſemper veritos eſſe, quippe futurum prævidebant, ut in dies magis convaleſceret. Eupolemus apud Euſebium Præpar. Evang. lib. 9. cap. 17. ait, hos quatuor Reges fuiſſe ex Armenia. De regione Sennaar locuti ſumus Gen. c. 10. 10.

Arioch rex Ponti.] Hebraice [1], *Rex Ellaſar*, B Latet, cur Sanctus Hieronymus hic Symmachi verſionem ſequi voluerit relatam a Procopio [2], nec cui innixus argumento pro *Ellaſar* intellexerit Regem Ponti. Septuaginta, & Onkelos eamdem vocem *Ellaſar* ſervaverunt, & Interpretes hujus vocis ſignificationem inventuri in diverſas abeunt ſententias. Aliqui putant Ellaſar eſſe urbem *Ellas*, quam Stephanus Geographus notavit in Celeſyria. Alii urbem *Ellatinum* volunt, quam *Elas* Ioſephus nuncupat, aliique auctores *Elcale*. Grotius contendit, Arioch fuiſſe regem *Enzariorum* populorum Arabiæ, quos memorat Ptolomæus.

Ionathan vertit, *Arioch Rex Talaſſar*, & Syriace, *Rex Dalaſar*. Hæc regio Thalaſſar eſſe deberet aut in Syria, aut prope eamdem, & in provincia *Eden*; C quoniam Iſaias 37. 12. loquitur de filiis *Eden*, qui erant in Thalaſſar; atque ex eodem Propheta intelligitur, hanc provinciam Thalaſſar a Regibus Aſſyriis devictam fuiſſe unam cum aliis provinciis circa Tigrim. Similitudo nominum Ellaſar, & Thalaſſar magna admodum apparet. Litteræ T, vel S ſæpius adduntur initio vocum. Novimus in Armenia provinciam *Acilizene*, quæ nomen habet ab urbe *Zaliſſa*, quæ illius erat caput. Hæc provincia olim pars erat Sophene, uti ex Strabone colligitur l. 11. pag. 366. 368. Sed Sophene in Mediam uſque patebat, atque ideo regionem *Eden*, atque *Thalaſſar* complectebatur. Videtur igitur expreſſio Jonathan amplectenda, atque dicendum eſſe, Arioch fuiſſe Regem Thalaſſar, aut regionis prope Tigris origi- D nem, atque Aſſyriis fœdere conjunctum fuiſſe, ac illorum regioni finitimum. Hoc magis eſt veriſimile, quam illum Regem Ponti aſſerere, cum hæc regio quammaxime diſtet ab aliis Regibus, qui huic bello interfuerunt. Quod autem ſuperius poſt Eupolemum animadvertimus, has acies ex Armenia fuiſſe, id, quod hactenus pro regione Thalaſſar dictum eſt, confirmat.

Chodorlahomor Rex Elamitarum.] Alibi [3] diximus regionem Elam, vel in Perſide fuiſſe, vel prope illam. Symmachus hic vertit, *Rex Scytharum*; Arabica verſio, *Rex Choraſtan*. Hæc regio *Choraſan* latius patet in Perſide; Rex *Elam* autem non adeo fines ſuos longe extendebat. Proximus erat, & plane Aſſyriis fœderatus: atque de illius potentia E conjici facile poteſt; quoniam hic ℣. 4. & 5. legimus, in ditionem ſuam Pentapolim redegiſſe, quæ adeo ab ejus regione aberat.

Thadal Rex Gentium.] Hebraice מלך גוים *Rex Goim*. Symmachus Βασιλεὺς Παμφύλων, *Rex Pamphyliæ*. Syriace, *Taral Rex Gelicarum*. Inveniuntur populi a Plinio *Gela* vocati, a Ptolomæo *Geli*, qui morantur in Media in finibus Parthorum. Veterablus putet Thadal fuiſſe regem unius provinciæ, aut urbis, cui nomen *Goim*. Sed neque in veteri Geographia, neque in recentiori urbs, aut provincia hujus nominis invenitur.

Maſius, aliique nonnulli arbitrentur Regem *Goim* illi Galilææ parti fuiſſe dominatum, quæ Matth. 4. 15. *Galilæa Gentilium* nuncupatur; ſed negant alii hanc denominationem *Galilæa Gentilium* Moyſis tempore extitiſſe; neque invenitur in Joſue, quamquam de Galilæa paſſim loquatur. Aſſerunt autem illi hoc nomen inditum fuiſſe, poſtquam Iſraelitæ ſuperiorem Galilæam tenuere. Galilæam inferiorem dicere Galilæam Gentilium, *Galilæa-Goim*, quia ibi Phœnices incolebant.

Alii volunt Thadal Regem gentium appellari, quod ipſe alicui populo imperitaret, qui minus, quam prædicti, agnoſceretur, cujus nomen afferre minime voluerit Moyſes. Dici quoque poſſet Hebraicam vocem *Goim* collectitios ex diverſis regionibus populos ſignificare, qui urbem componebant, atque Regis Thadal imperium conſtituebant. Geographi notant quaſdam regiones, ubi omnium gentium obſcuræ, incertæque originis colluvies incolebat. Strabo lib. 1. p. 364. aliquot ex his populis in Media fuiſſe memorat: atque cuncta fere Meſopotamia hujuſmodi gentibus paſſim erat referta, ut idem docet lib. 1. p. 33. Joſue c. 12. 23. loquitur *de Rege Goim apud Galgal*. Num unus ex Regibus iſtis *Goim* apud Galgal prope Pentapolim cum Codorlahomor fœdus inire potuit, aut ipſius imperio ſubditus contra rebelles quinque urbium populos caſtra potuit conjungere?

Septuaginta in eodem Joſue loquuntur *de Rege Gentium in Galilæa*. Galilæa, quæ proprie hoc nomine appellabatur, erat trans Jordanem, ut Iſaias 9. 1. Sanctus Matthæus 4. 15. Euſebius, & Sanctus Hieronymus in locis Hebr. animadvertunt. Univerſam Borealem Palæſtinæ partem Arabes incolebant, Ægyptii, Phœnices juxta Strabonem lib. 16. & quinque Reges devicti eo confugerunt. Hæ rationes favere poſſe videntur illorum ſententiæ, qui in his regionibus regnum Thadal conſtituunt.

℣. 2. Bara Regem Sodomorum.] Pleræque Geographicarum mapparum ibi Sodomam ſtatuunt, qua Jordanes in Ærythræum mare defluit, in ora, quæ præ cæteris hujus maris ſpectat ad Septentrionem. Aſt Sodoma ſtatuenda eſt ad extremas hujus maris plagas, quæ ad Meridiem vergunt; quoniam Segor, quo Sodoma egreſſus Loth ſe ſe receperat, erat ad Auſtrum maris ejuſdem in Arabia Petræa.

℣. 3. Convenerunt in vallem Silvestrem.] Huius verſiculi textus [4] aliter, atque aliter tranſlatus eſt. Aliqui Hebraicam vocem ſervant; *Vallem Haſſiddim*. Alii [5] vertunt, *Vallem camporum*, ab *Sade* quod ſignificat *campum*. Alii, *Vallem Vaſtationum* [6]. Alii, *Vallem calcis* ex *Schid* [7] deducentes, quod calcem ſignificat. Targum Hieroſolymitanum, *Vallem hortorum*. Symmachus, & Theodotion [8], *Vallem nemorum*. Aquila [9], *Vallem camporum*. Septuaginta [10], *Agrum*, aut *planitiem ſalis*. Illi intelligere voluerunt bitumen, quo Sodomorum agri erant repleti. Hoc bitumen aliquando Sal appellatur. Syriaca verſio habet, *Vallem Sodomitarum*; Arabica verſio, *Pratum Camporum*.

Quæ nunc est Mare salis.] Ægyptii nomine ſalis intelligebant nitrum, & bitumen. Aſphaltitis lacus his ſalibus abundat, quare mare ſalis vocatum eſt. Hebraicus textus ait ſimpliciter: *Omnes hi convenerunt in vallem Haſſiddim, quæ eſt mare ſalis.*

Duo-

1 מלך אלסר. Rex Eleazar. 70. Βασιλέως Ἐλλασάρ. Sym. Βασιλέως Πόντου.
2 Procop. Geneſ. 15. Vide novam editionem Hexaplorum Origenis.
3 Geneſ. 10. 22.
4 עמק השדים, 5 Aquila, Onkelos &c.
6 שדד. Vaſtare. 7 שיד. Ita Abenezra.
8 Sym. & Th. ἐν κοιλάδι τῶν ἀλσῶν.
9 Aq. ἐν τῇ κοιλάδι τῶν περιπεδίνων.
10 70. Φάραγγα τὴν ἁλυκήν.

℣. 4. Duodecim annis ſervierunt Chodorlahomor &c.] Lighfootus hic Noe prophetiam adimpleram fuiſſe contendit, qua futurum prædixerat, ut Chanaan ſervus eſſet Sem, Geneſ. 9. 26. *Benedictus Dominus Deus Sem, ſit Chanaan ſervus ejus*. Elam, ex cujus progenie erat Chodorlahomor, maximus natu fuerat inter filios Sem; & populi Pentapolis, qui e genere Chanaan originem hauſerant, effectus Noeticæ prædictionis experti ſunt, in hujus Principis captivitatem redacti. Sed hæc explicatio nimium coarctata. Vide, quæ ſuperius de hac re dictum eſt Gen. 9. 26.

℣. 5. Quarto decimo anno venit Chodorlahomor, et Reges, qui erant cum eo, percusseruntque Raphaim in Astaroth-Carnaim.] Elapſis decem, & quatuor annis poſtquam [B] Chodorlahomor primum quinque urbes devicerat, Sodomam, Gomorrham, Adamam, Seboim, Balam, venit cum fœderatis, ut iterum eos in ſervitutem redigeret. Antequam ſigna inferret, fœderati Principes aliquibus finitimis populis bellum indixerant, vel illorum regionum cupidi, vel illos mulctaturi, quod quinque urbium rebellibus ſuppetias tuliſſent, ſeu alia ratione adducti, cujus Moyſes non meminit. Primi horum populorum, cum quibus dimicatum eſt, fuerunt Raphaim, ex origine, ut perhibetur, *Rapha*, de quo ſermo eſt 1. Paralip. 20. 7. unde Gigantes, qui erant apud Philiſthiim tempore David, ortos fuiſſe dicebantur. Pro Raphaim [1], Septuaginta, aliique Interpretes Græci verſunt *Gigantes*. Apparet equidem ex Moy- [C] ſe Deuter. 3. 13. & Joſue 12. 4. & 13. 12. &c. Raphaim fuiſſe homines gigantæa ſtatura præſtantes. Regio Baſan, & Urbes Aſtaroth, & Edrai ab his Gigantibus occupabantur, ex quorum numero erat Og, cujus ſtaturæ menſuram ſcriptis reliquit Moyſes. Regio Baſan erat trans Iordanem, ad orientalem plagam maris Tiberiadis in ea parte; quæ dimidiæ tribui Manaſſe contigit: reperitur citra Jordanem propius Hieruſalem Vallis Raphaim [2]; profecto quod ibi quoque Gigantes aliqui hujus nominis incoluerant.

Urbs Aſtaroth-Carnaim erat prope torrentem Jaboc. Dicitur nomen Aſtaroth illi impoſitum fuiſſe a nomine Divæ, quam maxime tota Syria, Phœnicia, & Paleſtina venerabantur; hæc vero eadem eſt, ac [D] Diana Græcis. Vox Carnaim, quæ *duo cornua* ſignificat, poteſt oſtendere ornatus hujus numinis Aſtaroth. Apud Hebræos aliquando hæc fabuloſa divinitas appellatur *Aſeroth*, videlicet Nemora; quia tamquam Dea nemorum adorabatur. Aſtaroth ſignificat quoque pecudes; & Sanctus Auguſtinus quæſt. 16. in Judic. teſtatur, apud Pœnos Aſtartem ſignificare Deam ipſam Junonem. Porro Aſtartes nihil eſt aliud quam Luna, quæ ab omnibus Orientis populis colebatur ſub variis nominibus. Ipſam noverans Hebræi nomine Reginæ Cœli, Ægyptii nomine Iſidis, Arabes Alittæ, Aſſyrii Mylittæ, & Perſæ Mettæ. Hæc eſt Venus Aſcalonitarum, & credunt Dagon, vel Derceto Philiſthæorum Dea eadem eſſe, ac Aſtaruth Chananæorum. Syriaca verſio intellige- [E] re videtur Aſtaroth, & Carnaim duas diverſas regiones fuiſſe. Videri poteſt noſtra Diſſertatio ante duodecimum Prophetam ex minoribus.

Et Zuzim cum eis.] Hebraicam vocem, quam Vulgata vertit *cum eis* [3], aliter legunt, atque vertunt Interpretes. Videntur Septuaginta legiſſe *Bahem* [4], *in eis*, aut *cum eis*, quod Syriaca Verſio, & Samaritana ſecutæ ſunt. Sed Chaldaica, & Maſſoretæ legunt *Becham*, in Cham, quam lectionem plerique recentiorum Interpretum Hebraico textui [A] adhærentes ſecuti ſunt. S. Hieronymus in ſuis quæſtionibus Hebraicis admonet, quod ævo ſuo Hebraicè legebatur [5] Babem cum *heth*, & credidit hoc fuiſſe nomen loci, ubi Zuzim deleti fuerunt. Ille itaque Septuaginta ſecutus eſt in ea verſione, quam edidit. Non liquet, qui fuerit ſitus loci hujus *Ham*, aut *Cham*; neque ullum horum nominum agnoſcimus in regione Ammonitarum, ubi morabantur *Suzim*. Legimus Judic. 10. 5. urbem Camon קמון, ubi ſepultus fuit Jair in veteri Ammonitarum regione: eſt ſolummodò ratio hujus nominis ſcribendi differens חם, aut חמון, quæ obſtare queat, ne credamus hanc eſſe urbem, de qua agitur; neque ſatis ſcio, an ob hanc rationem conjectura hæc ſit abjicienda.

[B] Quoad *Suſim*, Septuaginta acceperunt pro nomine appellativo, Ἔθνη ἰσχυρὰ, *Populos potentes*, veluti ſi in textu legiſſent *Huſim* עז ים, pro Suſim; Chaldaicè quoque vertitur, *Homines robuſti*. Sed nos arbitramur *Suzim* eoſdem fuiſſe, ac *Zomzomim* veteres incolas regionis Ammonitarum. Ecce quommodo loquitur Moyſes Deut. 2. 20. 21. *Terra gigantum reputata eſt; & in ipſa olim habitaverunt gigantes; quos Ammonitæ vocant Zomzomim, Populus magnus, & multus, & proceræ longitudinis, ſicut Enacim, quos delevit Dominus a facie eorum, & fecit illos habitare pro eis*. Arabica verſio transfert: *Interfecerunt Dahacuos, qui erant in Han*.

Et Emim in Save-Kariathaim.] Septuaginta *Emim* [6] acceperunt, velut nomen populi, quem ap- [C] pellans [7] Ommæos. Chaldaica verſio in alium ſenſum videtur accepiſſe; vertit enim, *Terribiles* [8]. Hæc eſt litteralis ſignificatio vocis *Emim*. Syriaca transfert *incolas vallis Cariathim*, quod denotare poteſt incolas *Save-Cariathim*, quæ eſt urbs in agro regionis Moab, in regno Eſebon [9]. Vox שוה *Save*, vertitur *Vallis*, aut *Ager*, ita ut locus hic explicandus eſſet hoc modo: *percuſſerunt Emæos in agro Cariathaim*. Moyſes Deuter. 2. 10. videtur huic internecioni Emæorum alludere. *Emim primi fuerunt habitatores ejus, populus magnus, & validus, & tam excelſus, ut de Enacim ſtirpe quaſi Gigantes crederentur ..... Moabitæ appellant eos Emim*.

℣. 6. Et Chorræos in Montibus Sehir.] Hebraicus textus [10] verti poteſt; *Chorræos, quorum* [D] *montes habitati fuerunt a Sehir*. Videntur ex Geneſi 36. 20. Chorræi originem duxiſſe a Sehir. Hic nomen dedit montibus quibuſdam, qui ad Orientem ſunt terræ Chanaan, aut ultra Aſphaltitem. Noſtri Geographi coarctant nimium montes Sehir, & Idumæam; illis extenſionem ab Aſphaltite uſque ad Iſthmum tribuentes, qui Erythræum mare a Mediterraneo ſejungit; & latitudinem octo leucarum, aut decem; patet enim ex Scriptura, Montes Sehir ulterius proceſſiſſe in Arabiam Petræam, atque perveniſſe uſque ad montem Horeb, & uſque ad Aſiongaber ad Meridiem; ad Orientem vero uſque ad montes Galaad.

In Geneſi 32. 3. ſcriptum eſt, Eſau regionem Sehir incoluiſſe; & dum ibi moraretur, fuiſſe in [E] Orientali Jordanis plaga, quod ex decurſu narrationis innoteſcit. Moyſes in Deuteronomio 2. 1. ait Iſraelitas, cum in deſerto iter facerent, *longo tempore circumiviſſe Montem Sehir*: Et Deuter. 33. 2. ait: *Dominus de Sinai venit, & de Sehir ortus eſt nobis*; atque in libro Judicum 5. 4. deſcribitur Dominus veniens de Sehir. In omnibus his locis Sinai, & Sehir ponuntur, velut ſignificantes finitimos montes poſitos in Arabia Petræa. In 3. libro Regum 9. 26. legimus Salomonem *feciſſe claſſem in Aſiongaber in littore Maris rubri, in terra Idumææ*. Ad hæc addi

1 רפאים 70. τοὺς γίγαντας. 2 Joſue 15. 8. & 17. 15.
3 וזוזים בהם 4 Ἅμα αὐτοῖς.
5 בהם *Bahem*. *In eis*, vel, *cum eis*.
6 והאימים *Emim*. 7 Ὀμμαίους. *Alias*, Ἐμμαίους
8 אמתני 9 Joſue 13. 19.
10 ואת החרי בהררם שעיר

addi poteſt id, quod priſci, & recentiores dixerunt, mare rubrum nomen ſumpſiſſe a rege Edom: quod probari nequit, niſi regionem Idumæorum latius patuiſſe dixerimus, quam Geographi arbitrantur.

Minores Eſau, eum in montibus Sehir habitarent, priſtinum nomen ſervaverunt, quod illis a Sehir vetuſtiſſimo regionis incola fuerat impoſitum, cujus extat Genealogia capite 36. hujus libri. Contendunt aliqui, Eſau nomen hoc Sehir, quod Hebraicè piloſum ſignificat, montibus indidiſſe; ſed non ſatis probari poteſt. Profani ignorarunt nomen Sehir; ſed loquuti ſunt ſæpius de Idumæis.

Quoad Chorræos, videntur incoluiſſe præcipuè montes Hor, ubi mortuus eſt Aaron apud urbem Petræ in Arabia Petræa; atque forte deinceps nomen hoc fuit commune omnibus montium habitatoribus illius regionis. Invenitur in ſenſu appellativo in tertio libro Regum 21. 2., & Interpretes vertunt, *Optimates*, aut *Heroes*; vox Heros derivare poteſt ab *Horræis*, veluti vox *Anax* apud Strabonem l. 16. quæ ſignificat Regem, ab *Enak* inſigni illius regionis gigante.

Usque ad campestria Pharan.] Vulgata verſio innititur duobus Paraphraſtibus Chaldæis, Arabicæ, nonnullis Rabbinis, & pluribus Interpretibus recentioribus. Rabbinus Salomon vellet, ſervari Hebraicas voces עַל אֵל פָּארָן, atque verti, uſque ad Elpharan. Alii exiſtimantes Hebraicam vocem *el* אֵיל idem ſignificare ac elon אֵלוֹן, quæ ſignificat quercum, aut quercetum, tranſtulerunt *uſque ad arbores* vel *uſque ad truncum Pharam*. Septuaginta [1] verterunt *uſque ad Terebinthum &c.* Quod vetus Scholiaſtes [2] de patria Jobi intellexit.

Pharan eſt nomen aliquorum montium circum Sinai: ſignificat quoque magna Campeſtria ſub his montibus; & demum urbem Arabiæ Petrææ. [3]

℣. 7. Cades eſt urbs regionis ejuſdem in finibus Idumææ, apud quam eſt rupes, ex qua Moyſes elicuit aquas, quæ vocantur *aquæ contradictionis*: atque hic eſt ille fons, qui appellatur *fons judicii*, de quo Moyſes hic loquitur per prolepſim. Chaldaicus textus, Rabbinus Salomon, atque poſt hos Grotius ajunt, hunc appellatum fuiſſe *fontem judicii*, quod finitimi populi huc venirent, ut illis jus diceretur. Pro *Cades* Syriaca verſio, & Arabica habent *Rccem*, quod eſt nomen Petræ urbis principis in Arabia Petræa.

Omnem regionem Amalecitarum.] videlicet omnem regionem, quam, vivente Moyſe, Amalecitæ poſſidebant (vide quid dicatur de Amalecitis Num. 24. 20.), quoniam temporibus Abraham, nondum ortus erat Amalech. Hebraicus textus habet, *omnem planam regionem Amalech*. Septuaginta, & Syriaca verſio, *omnes principes Amalecitarum*. Ipſi enim legerunt in textu שָׂרֵי *Sare*, Principes, pro שְׂדֵי *Sade*, Campeſtria. Regio Amalecitarum erat in Arabia Petræa inter Cades, & Mare Erythræum: ſed horum populorum fines diligentius ſtatui nequeunt, quoniam certæ illi non erant ſedes.

Amorrhæi incolebant ad Occidentem Pentapolis, aut Aſphaltitis, ad quorum meridiem erat Idumæa. Probatur vero, quod *Aſaſonthamar*, quæ creditur fuiſſe Engaddi, proxima eſt Aſphaltiti in Occidentali plaga. Ita fœderati Reges percuſſerunt omnes populos circa Pentapolim, cum ſævire cœpiſſent in Rephaim, & Emin, qui ad Boream ſpectant, trans Jordanem, atque inde in Horræos, qui ſunt ad Orientem, ac Meridiem; & demum uſque ad *Pharam*, *Cades*, & *Amalec* progreſſi in Arabiam Petræam, in Amorrhæos detonuere, quinque urbibus finitimos, & planè illis fœdere adſtrictos: Alii quoque erant Amorrhæi ultra Jordanem.

Tom. I.

℣. 20. Vallis autem Sylvestris habebat puteos multos bituminis.] Ex decurſu patebit, non inutiliter iſtic Moyſem hoc animadvertiſſe. Hi putei, ex quibus bitumen hauriebatur, vires ſuas contulere ad agrorum incendium, & ad flammis urbes Sodomæ, & Gomorrhæ abſumendas.

Cecideruntque ibi: et qui remanserant, fugerunt ad montem.] Ex verſiculo 17. liquet, Regem Sodomæ in prælio nequaquam fuiſſe interfectum; itaque illa vox *ceciderunt* explicanda eſt de exercitu quinque Regum Pentapolis, qui percuſſi ſunt in Agro Sodomorum. Aliqui [4] explicant, *ceciderunt ibi*, veluti ſi fugientes milites in puteos cecidiſſent, de quibus in hoc verſiculo fit mentio: ſed hoc nulla ratione probari poteſt.

℣. 11. Tulerunt omnem substantiam Sodomorum.] Septuaginta, omnem illorum equitatum. Hebraica vox [5] *Rechus*, quæ ſignificat divitias, minus late patet, quam vox latina *ſubſtantia*, quæ omnia bona ſignificat.

℣. 13. Nuntiavit Abram Hebræo.] Septuaginta [6]: *Nuntiavit Abram, qui venerat trans*: ſcilicet, qui trans Euphratem originem duxerat. Innititur hæc ſententia capiti 20. 21. 24. atque eam ſequuntur Origenes, Gennadius, & Theodoretus. Artabanus in Euſebio, Charax in Stephano Geographo, & Acacius in Catena manuſcripta, quam refert recentior Hexaplorum editio, deducunt nomen *Hebræi* ab *Abram*, veluti ſi *Hebræus* eſſet diminutivus *Abrahæi*. Sanctus Auguſtinus l. 16. de Civit. c. 3., & l. 2. de conſenſu Evangeliſt. c. 14. huic ſententiæ ſubſcripſerat, ſed poſtea palinodiam cecinit l. 2. c. 16. Retractationum. Diodorus in Catena MS. exiſtimat *trans* illud additum fuiſſe, quia trans Jordanem incolebat habita ratione Regum, qui Sodomis bellum intulerant.

℣. 14. Numeravit expeditos vernaculos suos.] Transferri poteſt ad litteram [7]: *Armavit ſervos domi ſuæ natos*; vel, *diſpoſuit in aciem tyrones ſuos*, (ſeu novos milites) *qui nati fuerant domi illius*; vel denique; *ſuas gentes agmine militari juſſit procedere*, *quas ipſe inſtruxerat*, *atque erudierat* in religione, ac arte militari. Non eſt cur mireris ob hanc explicationem. Abraham frequentis admodum familiæ dux erat; ipſe advena degebat, atque independens inter populum omnibus vitiis coinquinatum, & violentum; Fides, & fiducia, quæ illi erat in Deo, minime obſiſtebant, quo minus ipſe ſibi præcaveret, eaque iniret conſilia, quæ prudentia ſuggerere poterat adverſus Chananæos. Intelligimus ex Joſepho antiq. l. 7. c. 6. ex Philone de nobilit. p. 908. c. 63., ex Nicolao Damaſceno l. 4. hiſt. aliiſque vetuſtioribus hiſtoricis, Abraham veluti Regem habitum fuiſſe a populis Damaſci. Filii Heth illum tanquam Magnum Principem inter ſe venerantur. *Princeps Dei apud nos*. Gen. 23. 6. Et revera omnes divitiæ, atque potentia Regis erat illi, pro illis temporibus, & locis, ubi aderat. Illius tres Fœderati, nimirum *Eſchol*, *Aner*, & *Mambre* ei hoc in bello ſuppetias tulere. Vide verſ. 24.

Persecutus est eos usque Dan.] Nonnulli Interpretes arbitrati ſunt, eos, qui ſcripta Moyſis caſtigarunt, hic ſubrogaſſe nomen Dan, pro alio nomine, qui prius extiterit: quoniam urbs Dan poſt Moyſem ædificata fuit: vel potius Urbs, quæ tempore Moyſis appellabatur Lais, nomen Dan nonniſi maximo poſt tempore accepit. Alii dicunt, nomen Dan, non eſſe iſtic nomen urbis, ſed rivi; fons *Medan* vocatur ab incolis. [8]

L Dici-

1 Ἕως τῆς τερεβίνθου
2 Druſius, Grotius ex Heſychio. 3 Deurer. t. 1.
4 Menoch. Eſt. Cornel. Oleaſt.
5 רְכֻשׁ. 70. Τὴν ἵππον Vide nov. edit. Hexapl. p. 30.
6 עִבְרִי. 70. Τῷ περάτῃ. Aquil. περαΐτῃ. 7 וירק את חניכיו ילידי ביתו
8 Brocard. Deſcript. Ter. Sanctæ c. 3.

Grotius de jure belli, & pacis l. 3. c. 6. §. 3. 4. §. 6. In hac vero occaſione, de qua nunc agitur, eſto Sodomitæ jure potuiſſent repetere, quidquid Abraham & fœderati illius ex hoſte receperant, cre- A di tamen poteſt, quod omnia ipſis lubenter reliquiſſent pro collatis beneficiis referentes gratias; ſatis contenti, quod eos recepiſſent, quos captivos hoſtis adduxerat.

CAPUT XV.

Apparet Deus Abraham, & pollicetur illi filium. Sacrificium Abraham. Cui Deus prædicit poſteritatis illius quadringentorum annorum captivitatem. Fœdus inter Deum, & Abraham.

1 HIs itaque tranſactis, factus eſt ſermo Domini ad Abram per viſionem dicens:
Noli timere Abram, ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis.
2 Dixitque Abram: Domine Deus, quid dabis mihi? ego vadam abſque li-
beris: & filius procuratoris domus meæ iſte Damaſcus Eliezer. 3 Addiditque Abram:
Mihi autem non dediſti ſemen: & ecce vernaculus meus, hæres meus erit. 4 Statim-
que ſermo Domini factus eſt ad eum, dicens: Non erit hic hæres tuus: ſed qui egre-
dietur de utero tuo, ipſum habebis hæredem. 5 Eduxitque eum foras, & ait illi,
Suſpice cœlum, & numera ſtellas, ſi potes. Et dixit ei. Sic erit ſemen tuum. 6 Cre-
didit Abram Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam. 7 Dixitque ad eum: Ego Domi-
nus, qui eduxi te de Ur Chaldæorum, ut darem tibi terram iſtam, & poſſideres eam.
8 At ille ait: Domine Deus, unde ſcire poſſum, quod poſſeſſurus ſim eam? 9 Et re-
ſpondens Dominus: Sume, inquit, mihi vaccam triennem, & capram trimam,
& arietem annorum trium, turturem quoque, & columbam. 10 Qui tollens univerſa
hæc, diviſit ea per medium, & utraſque partes contra ſe altrinſecus poſuit: aves au-
tem non diviſit. 11 Deſcenderuntque volucres ſuper cadavera, & abigebat eas Abram.
12 Cumque ſol occumberet, ſopor irruit ſuper Abram, & horror magnus, & tene-
broſus invaſit eum. 13 Dictumque eſt ad eum: Scito prænoſcens quod peregrinum fu-
turum ſit ſemen tuum in terra non ſua, & ſubiicient eos ſervituti, & affligent quadrin-
gentis annis. 14 Verumtamen gentem, cui ſervituri ſunt, ego judicabo: & poſthæc
egredientur cum magna ſubſtantia. 15 Tu autem ibis ad patres tuos in pace, ſepul-
tus in ſenectute bona. 16 Generatione autem quarta revertentur huc: necdum enim
completæ ſunt iniquitates Amorrhæorum uſque ad præſens tempus. 17 Cum ergo oc-
cubuiſſet ſol, facta eſt caligo tenebroſa, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis
tranſiens inter diviſiones illas. 18 In illo die pepigit Dominus fœdus cum Abram, di-
cens: Semini tuo dabo terram hanc a fluvio Ægypti uſque ad fluvium magnum Euphra-
tem. 19 Cinæos, & Cenezæos, Cedmonæos, 20 Et Hethæos, & Pherezæos, Ra-
phaim quoque, 21 Et Amorrhæos, & Chananæos, & Gergeſæos, & Jebuſæos.

†. 1. FACTUS EST SERMO DOMINI AD ABRAM PER VISIONEM.] Aliqui vertunt: *Deus locutus eſt ei in Prophetia*. Revelatio *in Prophetia* juxta doctores Judæos apud Fagium ea eſt, quæ fit per viſiones rerum ſenſibilium, atque exteriorum: veluti cum Deus ſe ſe vigilantibus prodit, & in forma ſenſibili; vel cum viſibilem efficit rem, quæ naturaliter ſub ſenſus cadere non poſſet. Poſtremo hoc modo Deus apparuit Abraham, quoniam ex verſiculo quinto apparet hunc Patriarcham vigilaſſe; quandoquidem eduxit illum extra tentorium, ut infinitam Stellarum multitudinem conſideraret. Alia ſpecies revelationis, quam Judæi *per Sanctum Spiritum* nuncupant, fit abſque figuris extrinſecis, & quæ ſentiantur, ſed per ſimplicem inſpirationem, ut accidit Da- C vid, Job, & Auctoribus divino ſpiritu afflatis. Rabbinus Levi Ben-Gerſon credit apparitiones Dei Patriarchis, omnes fuiſſe viſiones.

NOLI TIMERE, EGO PROTECTOR TUUS SUM, ET B MERCES TUA MAGNA NIMIS.] Nonnulli Interpretes intelligunt, a Deo omnem timorem demptum eſſe Abraham, qui veteri poterat, ne Fœderati Reges, quos fuerat perſecutus, illi bellum inferrent. Credunt illi, a Deo Abraham commendari, quod a lucro alienus fuerit, his verbis: *Ego merces tua magna nimis*: Non reperitur in hoc terrarum orbe Abraham gaviſum fuiſſe felicitate, aut temporali proſperitate, quæ juxta litteræ vim, harum promiſſionum magnificentiam æquaret. Quod ſi de temporalibus bonis intelligeremus, quæ Iſraelitæ adepti ſunt, inveniretur ne in progenie Abraham ſecundum carnem aliquid, quo has promiſſiones adimpletas fuiſſe dicamus: *Ego merces tua magna nimis?* Nihil magis probat animæ immortalitatem, Religionis veritatem, & alterius vitæ æternitatem, quam intueri viros juſtos, qui in terris virtutum ſuarum mercedem minime conſequuntur; & ſæpius minus, quam homines nequam, felicitate fruuntur.

℣. 2. EGO VADAM ABSQUE LIBERIS.] Itaque, Domine, cui cedent tuarum promiſſionum effectus? Aliter: Quandoquidem tu eſſe vis merces mea, nihil ulterius expectare fas eſt in hac vita: libenter abſque liberis moriar; & ſcribam, ſi tibi lubet, hæredem bonorum meorum Eliezerum vernaculum meum; ut queat promiſſionum tuarum effectus intueri. Verti quoque poteſt hebraicus textus ad litteram [1]: *Ego vadam ſolus*, vel, *orbatus, deſolatus*; ego ſum ſine hærede, ſine ſucceſſore, nec mihi adeſt, cui innitar, & qui me tueatur.

ET FILIUS PROCURATORIS DOMUS MEÆ, ISTE DAMASCUS ELIEZER.] Hæc dicendi ratio mutila eſt; atque addi poteſt, *eris meus hæres*, ex verſiculo ſequenti; atque ita diſponere textum duorum verſiculorum ſecundi, & tertii: *Mihi filii non ſunt, & hic vernaculus Eliezer Damaſcus filius procuratoris domus meæ, erit hæres meus*. Non liquet ex Hebraico textu, utrum *Eliezer* ſit nomen vernaculi, quem Abraham ſuum conſtituere volebat hæredem; an hujus ſervi patris ſit nomen. Idem eſt dubium in ea voce *Damaſcus*: fugit enim, utrum hoc ſit patris nomen, an filii; atque utrum nomen ſit loci ſimpliciter, unde originem, an unde etiam ortum duxerat. Septaginta vertunt [2]: *Filius Maſech meæ ancillæ, hic Eliezer Damaſcus*: ita ut Maſech nomen eſſet ancillæ cujuſdam domus Abraham, quæ mater eſſet Eliezer; quam ſententiam Græci nonnulli ſecuti ſunt.

Plerique arbitrantur, Eliezerum fuiſſe procuratorem domus Abraham, & Damaſcum, quem Abraham adoptare volebat, hujus procuratoris filium. S. Hieronymus quæſtion. Hebraic. in Geneſ. ait, hunc Damaſcum Damaſci urbem condidiſſe. Sententiam hanc plures amplexi ſunt; ſed probabilius videtur, Damaſcum eſſe nomen patriæ Eliezeri, aut illius originis: & Eliezerum appellatum fuiſſe Damaſcenum, quod illius pater, vel mater fuiſſent Damaſceni; at ille domi Abraham natus erat. Filio Eliezeri idem plane erat nomen, ac patri; quapropter hic illud Moyſes minime expreſſit.

Pro filio Procuratoris &c. Hebraice eſt ad litteram בן משק ביתי *Filius Meſech domus meæ*, vel, *illius qui curat in domo mea*. Filius mei Oeconomi, vel rei familiaris meæ curatoris. Aquila vertebat [3]: *Filius illius, qui pocula miniſtrat domi meæ*. Sanctus Hieronymus Geneſ. 40. v. 2. vertit hanc vocem *Maſkeh* מַשְׁקֵה, quæ derivat ex eadem origine *Meſchek*, *Pincernam*. Theodotion vertit [4]: *filium procuratoris domus meæ*. Simmachus [5], *conſanguineum domus meæ*. Verti quoque poteſt textus Hebraicus *Filius procurationis*, atque de ipſo procuratore intelligere, ut dicitur *filius captivitatis* pro captivo; *filius perditionis* pro perdito; *Filius dilectionis* pro dilecto.

℣. 6. CREDIDIT ABRAM DEO, ET REPUTATUM EST ILLI AD JUSTITIAM.] Fides Abraham, quæ initium eſt juſtitiæ illius, eſt gratuitum Dei donum, quod hic Patriarcha mereri non potuit actione ulla meritoria præcedente. Sed fides hæc, & juſtitia, quæ conſtituunt meritum Abraham, ipſi adeo propriæ ſunt, atque altera alterius adeo merces eſt, ut dici nequeat, alterutram illi ſimpliciter imputari, tamquam alienum quid quod ad ipſum jure minime ſpectet. Sanctus Paulus locum hunc uſurpat Rom. 4. 3. Galat. 3. 6. (Vide & Jacobi 2. 23.) probaturus Judæis, neque Gentilibus, neminem operibus ſuis mereri poſſe gratiam juſtificationis; litteralem obſervationem præceptorum cæremonialium, & Judicialium legis Moyſis ſolam nequaquam poſſe nos juſtos efficere: atque unam fidem in Jeſum Chriſtum poſſe nobis comparare gratiam, quæ nos juſtificet; & denique ut fides hæc nobis mereri valeat cœlum, fovendam eſſe charitate, atque bonis operibus adjiciendam, ſine quibus fides eſt mortua. Fides Abraham hic præcipue ſe prodidit; ideoque eam voluit Moyſes a nobis animadverti.

℣. 7. EDUXI TE DE UR.] Abraham inde egreſſus eſt poſt apparitionem Dei. Act. 7. 2. 3. Vide ſuperius Gen. 11. 3.

℣. 8. UNDE SCIRE POSSUM, QUOD POSSESSURUS SIM EAM?] Poſtquam Scriptura ſummis laudibus fidem Abraham eſt teſtata, qui credit, quidquid illi dicit Deus, quin minimum hæreat, quamquam non ita facile futurum intelligat, ut promiſſiones Dei adimpleantur; hic ſacer auctor orationem illi tribuit, quæ omnes videtur laudes evertere, quibus eum cumulavit. Abraham poſcit pignora promiſſionum Domini. Reſpondetur; Abraham non dubitaſſe, ſed rogaſſe Deum, ut fidem, & fiduciam illius redderet ampliorem; ſicut ille, qui dicebat Jeſu Chriſto Marc. 9. 23. *Credo Domine, adjuva incredulitatem meam*. Petit, ajunt aliqui, non ſibi, ſed minoribus ſuis pignora; non ſecus ac Moyſes rogabat Deum, qui illi apparuit in rubo, ut ſignum aliquod ei præberet, quo Hebræos qui erant in Ægypto poſſet evincere, & ſe miſſum a Deo probaret. Denique Abraham a Deo petit, ut illi modum expediat, quo promiſſi fidem erat ſoluturus. Vide Theodoretum quæſt. 65. & Auguſtinum de Civit. l. 16. c. 24. Ita quoque Sanctiſſima Virgo ab Angelo petit; *quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Luc. 1. 34.

℣. 9. VACCAM TRIENNEM, ET CAPRAM TRIMAM.] Hæc animalia in hac ætate plerumque viribus [6] prævalent. Chaldaica verſio habet *Tres vaccas*; eam ſequuntur aliqui interpretes [7], qui transferunt Hebraicum textum, *Triplicem Vaccam*. Ita Septuaginta, & Aquila.

TURTUREM, ET COLUMBAM.] עגלה משלשת. Verti poteſt [8] *Turturem, & pullum* [9].

℣. 10. DIVISIT EA PER MEDIUM, ET UTRASQUE PARTES CONTRA SE ALTRINSECUS POSUIT, AVES AUTEM NON DIVISIT.] Abraham ſecundum longitudinem a capite ad femora bifariam ſecat Vaccam, capram, & arietem; atque dimidiatas partes ſeorſim collocavit ſuper aras ex adverſo poſitas. Homerus Iliad. A. hanc notat conſuetudinem ſecandi victimas, & collocandi ſeorſim ſuper altare illarum partes. *In quatuor ſecuere partes, eaſque obtexerunt adipe & bifariam dividentes omnia cruda ſuper altare poſuere.*

Veterem hanc conſuetudinem in fœderibus ſanciendis, exercitibuſque luſtrandis adhibitam fuiſſe patet [10].

Apud Macedones hoc pacto milites luſtrabantur, ut eſt apud Q. Curtium l. 10. & Livium l. 40. Exenteratæ canis cata ſumebantur, quæ bifariam ſectæ in extremas caſtrorum partes jaciebantur, & inter utraſque copiæ in aciem inſtruebantur. Sanctus Cyrillus libro x. contra Julianum teſtatur morem hunc tranſeundi per victimas diviſas derivaſſe ex Chaldæis, atque apud barbaros uſurpari. Adfert etiam locum Sophoclis, ex quo innoteſcit, tranſire conſueviſſe inter duos ignes ferrum manu præferentes. Veroſimil-

1 ערירי Orbatus, deſolatus. Aq. ἄγονος. Sym. ἄτεκνος.
2 Υἱὸς Μασεκ τῆς οἰκογενοῦς μου οὗτος Δαμασκὸς Ἐλιέζερ.
3 Υἱὸς τοῦ ποτίζοντος οἰκίαν μου.
4 Th. ὁ υἱὸς τοῦ ἐπὶ τῆς οἰκίας μου.
5 Sym. ὁ συγγενής τοῦ οἴκου μου.
6 Menoch. Cornel. 7 Rab. Salom. Muenſter. Grot. & alii in Bochar.
8 תור וגוזל.
9 Onkel. Arab. Theodot.
10 Jerem. 34. 18. Theodor. q. 66. in Geneſ.

ſimillimum eſt, Abraham tranſiiſſe per hoſtias hoc A pacto diviſas, ut iceret fœdus cum Domino; quemadmodum ex verſiculo 17. patet ignem admodum violentum, qui Deum ipſum repræſentabat, inter has victimas tranſeuntem viſum fuiſſe, veluti ex Dei partibus ratum fœdus facturum.

Ritus hic bifariam ſecandi hoſtias fœderis, inter quas pars utraque fœdus ſanciens erat tranſitura, ſignificabat, partes eaſdem invicem voto adſtringi, ut ex æquo conditiones fœderis tuerentur, eidem ſupplicio obnoxias futuras, quo victimæ dilaniatæ fuerant, ſi dolo malo a fide deſiſcerent. Apud Romanos, ut refert T. Livius l. 1. decad. 1. Fecialis, aut Sacerdos, qui in ſolemnibus fœderibus ſuem immolabat, hæc verba enuntiabat, quæ illud ſignificant quod modo enarravimus. *Si prior defecerit publico conſilio, dolo malo, tu ille,* B *Dieſpiter, populum Romanum ſic ferito, ut ego hunc porcum hodie feriam: tantoque magis ferito quanto magis potes, polleſve.* Poſt hæc gravi ſilice porcam feriebat. Dionyſius Halicarnaſſæus l. 4. ait, Servium Tullum Regem univerſi Romani populi recenſione facta illum in campo Martio congregaſſe; atque circum exercitum ſuum taurum, arietem, atque hircum deducendos curaſſe, quos poſtea Deo Marti, ut cætur ille luſtraretur, immolavit. Generatim nuſquam ſolemne fœdus inire conſuevere abſque ullo ſacrificio: atque inde ea dicendi ratio fluxiſſe videtur, *Percutere fœdus;* & *ſcindere fœdus*, quam paſſim in Scriptura [1] inveneris, atque apud profanos.

℣. 11. DESCENDEBUNTQUE VOLUCRES SUPER CADAVERA: ET ABIGEBAT EAS ABRAM.] Immutata interpunctione Maſſoretharum [2], verti poſſet textus Hebraicus: Abraham cum duas aves immolaſſet, *integras poſuit ſuper cadavera aliarum victimarum diſſectarum, atque proſtravit ſe inter illas.* Septuaginta [3] præter propter hunc ſenſum ſecuti ſunt. Illud autem animadvertendum eſt, quod Abraham erat inter has victimas, ideoque minime eſt probabile, aves deſcendiſſe ut comederent, neque opus fuiſſe, ut illas abigeret.

℣. 12. CUMQUE SOL OCCUMBERET SOPOR IRRUIT SUPER ABRAM.] Hebrica vox תרדמה *Tardemah* vertitur a Septuaginta [4] Somnus eſtaticus. Aquila [5] vertit gravedinem, aut ſoporem immiſſum a Deo. Symmachus [6] Soporem cum gravedine.

HORROR MAGNUS, ET TENEBROSUS.] Poterat verti Hebraicus textus: *Horror, & Tenebræ.* Abraham ſe inter tenebras horrore captum percepit; aut aliter, *Horror tenebrarum.* Horror illi ſimilis, qui nos incedit, cum novum aliquid, ac præter ordinem intuemur inter obſcuriſſimas tenebras. Hebraice ad litteram [7]; *Terror obſcuritatis magnæ ſuper eum cecidit.*

℣. 13. SUBJICIENT EOS SERVITUTI, ET AFFLIGENT QUADRINGENTIS ANNIS.] In Exodo cap. 12. 40. 41. hanc prophetiam adimpletam fuiſſe dignoſcitur; Scriptura refert eos poſt triginta, & quadringentos annos ex captivitate erutos fuiſſe. Sanctus Paulus ſcribens ad Galatas 3. 17. ipſe quoque triginta ſuper quadringentos annos recenſet. Septuaginta, & verſio Samaritana eodem in loco Exodi E adjiciunt, quadringentos, & triginta annos ſervitutis intelligendos eſſe de tempore univerſo, quo Hebræi, ac eorum Patres morati ſunt non ſolum in Ægypto, verum etiam in terra Chanaan; quæ majori ex parte Interpretum eſt ſententia. Juxta Uſſerii chronologiam, quam ſequimur, quadringenti

A & triginta anni incipiunt ab exitu Abraham de Ur Chaldæorum, anno ab orbe condito 2082. atque deſinunt anno 2513. quo Iſrael de Ægypto egreſſus eſt.

℣. 15. TU AUTEM IBIS AD PATRES TUOS IN PACE.] Tu, veluti Patres tui, morieris; cum ipſis in tumulum deſcendes, poſt longam, pacatamque vitam. Occumbes placida morte, quæ nec immatura ſit, nec violenta; atque in altera vita illuc perges, ubi aderunt patres tui, qui in pietate, ac juſtitia diem obiere, Redemptorem expectantes cunctis promiſſum ſæculis, qui illinc vos eruat. *Ad patres tuos*, non perinde intelligendum eſt, ac ſi omnes majores Abraham eſſent in ſtatu ſalutis; quippe liquet, majorum ſuorum pleroſque, cum in idolorum cultu dies ſuos clauſerint, æternæ felicitatis B expertes fuiſſe. *Sepultus in ſenectute bona.* Nonnullæ editiones Septuaginta olim habebant [8]: *Nutritus in ſenectute bona.* Sanctus Ambroſius l. de Abraham cap. 9. & Sanctus Auguſtinus lib. 16. de Civit. Dei cap. 24. ita legebant: ſed editiones meliores habent [9], *Sepultus*, juxta vocem Hebraicam תקבר.

℣. 16. GENERATIONE AUTEM QUARTA REVERTENTUR HUC.] Populi plures, atque inter alios Ægyptii per generationes temporum inibant rationes. Alii in ſingulas generationes viginti, aut quinque & viginti recenſebant annos; alii vero triginta, vel quinque & triginta, alii denique centum, & aliquando centum & octo, vel centum & decem annos enumerabant. Generationum tempora, quo magis ad vetuſtiſſima rerum primordia accedimus, eo ſunt diu- C turniora; atque hic maxime fidei conſonum eſt, quatuor generationes idem eſſe, ac illud quod ℣. 13. ſignificatur, annos quadringentos.

Nonnulli explicant quatuor has generationes, pro quatuor hominum ætatibus, qui continenter ſubſecuti ſunt; exempli gratia in tribu Juda, *Ezrom* naſcitur in Ægypto, cujus filius *Aram* eſt pater *Abinadab*, qui genuit *Naaſſon*. Hic vero fuit pater Salmon, qui promiſſam terram ingreſſus eſt. Ecce igitur quatuor generationes *Ezrom*, *Aram*, *Abinadab*, & *Naaſſon*. Sed hac probata explicatione anni quadringenti ſolum eſſent intelligendi de tempore Ægyptiæ captivitatis, quod noſtra chronologia non patitur. Fieri quidem poteſt, ut quatuor hæ generationes minime reſpiciant Iſraelitas, ſed Amorrhæos: D quorum crimina ſe perſecuturum minatur Deus, cum ipſorum ſceleribus cumulus acceſſerit, quod poſt quatuor generationes erat futurum. Ea, quæ ſequuntur, huic favent explicationi: *necdum enim completæ ſunt iniquitates Amorrhæorum, uſque ad præſens tempus.* In Scriptura vero ſæpius Amorrhæorum nomen occurret, ut generaliter populi ex origine Chanaan innuantur.

℣. 17. CUM ERGO OCCUBUISSET SOL.] Legimus in hoc capite, quid duarum noctium, & diei ſpatio contigerit. Priori nocte, Abraham habuit viſionem, quæ capitis initio narratur; die, quæ ſubſecuta eſt, præparavit Abraham, atque obtulit ſacrificia verſiculo nono ſuperius notata. Poſt ſolis occaſum, Abraham ſomno obrutus, eam habuit viſio- E nem, quæ ſequitur.

APPARUIT CLIBANUS FUMANS, ET LAMPAS IGNIS TRANSIENS INTER DIVISIONES ILLAS.] Fumus hic, veluti clibani ardentis, eſt fortaſſis figura malorum, quæ Hebræi paſſi ſunt in Ægypto; & lux illarum flammarum, quæ inter ſectas victimarum partes tranſeunt, Deum ipſum referebat, qui ratum ex parte

1 כרת ברית, & ὁρκία τέμνειν.
2 וירד העיט על הפגרים וישב אתם אברם.
3 Κατέβη δὲ ὄρνεα ἐπὶ τὰ σώματα τὰ διχοτομήματα αὐτῶν, καὶ συνεκάθισεν αὐτοῖς Ἄβραμ.
4 Ἔκστασις.
5 Καταφορά. 6 Κάρος. Sopor cum gravedine.
7 הנה אימה חשכה גדלה נפלת עליו.
8 Τραφείς. 9 Ταφείς.

ſua faciebat fœdus, quod ſanciebat eum Abraham. Ignis hic abſumpſit plane ſacrificium præparatum poſt multas horas. Crepitus, atque clara hujus turbinis lux excitavit Abraham, qui profundo captus ſomno fuerat ante occaſum Solis ℣. 12.

℣. 18. SEMINI TUO DABO TERRAM HANC A FLUVIO ÆGYPTI, USQUE AD FLUVIUM MAGNUM EUPHRATEM.] En conditiones, quibus hoc fœdere ſe Deus adſtringit: Pollicetur regionem omnem, quæ eſt inter Nilum, & Euphratem. Si Iſraelitæ non ita diu adeo late ditionis ſuæ fines poſuere, ſibi ſuccenſeant, atque ſuæ infidelitati. Hac Deus ſe tantum conditione obligat, ſi fideles ipſi fœdus ſervantes permanſerint. David, & Salomon regnantes promiſſionis hujus divinæ effectus experti ſunt.

Quoad *fluvium Ægypti*, aliqui Interpretes arbitrantur fuiſſe torrentem *Bezor*; ſed nos credimus fuiſſe Nilum, ſcilicet illud hujus fluminis brachium, quod magis orientem ſpectat. Ita Rabbini Salomon, & Kimchi. Moyſis ævo Nili nullum fuiſſe nomen videtur particulare; ſed tantummodo ſimpliciter appellatus fuiſſe *fluvius Ægypti*. Quemadmodum enim nullus præter hunc in Ægypto fluvius aderat, hac in re nulla eſſe poterat ambiguitas. Nilo deinceps diverſa fuerunt nomina, quæ notabuntur Joſue capite 13. 3.

℣. 19. CINÆOS.] Paraphraſtes Chaldæus *Salmæos* vocat, qui erant Arabiæ populi, de quibus loquitur Plinius 6. 26. & Ptolomæus prope urbem *Salmonam*. Num. 23. 41. Biblia Judic. 1. 16. ait Jetro ſocerum Moyſis fuiſſe Cinæum. Minores Ietro incoluerunt eam terræ promiſſæ partem, quæ tribui Iudæ contigit. Num. 24. 21. Cinæi tempore Saul conjuncti erant Amalecitis. Cum huic Principi imperaviſſet

A Deus, ut deleret Amalec, cauſa illius crudelitatis puniendæ, quam in Iſraelitas exercuerat, cum de Ægypto egrederentur, Cinæos admonuit, ut de medio Amalec recederent [1]; quoniam nolebat Dominus, illos Amalecitarum exitio obrui propter ea benefacta, quæ Iſrael per deſertum proficiſcenti contulerant. Cinæi in Iſraelitarum ditione vixerunt poſt Moyſem; neque ut Chananæi internecione deleti ſunt.

CENEZÆOS.] Latet, quinam fuerint hi populi. Caleb filius Iephone appellatur *Cenezæus* Num. 32. 12. & Joſue 14. 6. ex quo argui poſſet, Cenezæos incoluiſſe montes Juda, qui Caleb contigerunt in finibus Idumææ. Scriptura Geneſ. c. 36. 15. ſtatuit inter duces Edom, ducem Cenez; plane principem
B Cenezæorum, qui in montibus incolebant, qui ſunt in meridionali plaga Tribus Juda.

CADMONÆOS.] Hi erant ad orientem terræ Chanaan, ut ex ipſorum nomine intelligitur, *Cad-monim*, ſcilicet Orientales. Hi erant ex genere Hevæorum, atque circa montem Hermon immorabantur. Cadmus Thebarum conditor in Bœotia, & Hermiones uxor illius fuiſſe perhibentur Cadmonæi, aut Hevæi: & fortaſſis ex numero ſunt illorum populorum, qui e regione Chanaan ſe ſe in tutum receperunt, cum illuc Joſue ingrederetur. Quod autem fabulis proditum eſt de ſerpentum dentibus, quos ſevit Cadmus, atque in homines armatos converſos fuiſſe dictitant; ethymologiæ nominis Hevæorum innititur, quod ſignificat ſerpentes, ut alibi adnotavi-
C mus. Cadmus ſevit Thebis ſerpentes, ſcilicet, ibi conſtituit Hevæos, qui fuerunt populus bello potens, & laborum patiens.

[1] 1. Reg. 15. 6.

CAPUT XVI.

Abraham uxorem ſumit Agar. Agar fuga, & reditus. Nativitas Iſmael.

℣. 1. IGitur Sarai, uxor Abram, non genuerat liberos: ſed habens ancillam Ægy-
ptiam nomine Agar, 2 Dixit marito ſuo: Ecce, concluſit me Dominus, ne
parerem: ingredere ad ancillam meam, ſi forte ſaltem ex illa ſuſcipiam filios.
Cumque ille acquieſceret deprecanti, 3 Tulit Agar Ægyptiam ancillam ſuam, poſt
annos decem, quam habitare cœperant in terra Chanaan: & dedit eam viro ſuo uxo-
rem. 4 Qui ingreſſus eſt ad eam. At illa concepiſſe ſe videns, deſpexit dominam
ſuam. 5 Dixitque Sarai ad Abram: Inique agis contra me: ego dedi ancillam meam
in ſinum tuum, quæ videns, quod conceperit, deſpectui me habet, judicet Dominus
inter me, & te. 6 Cui reſpondens Abram: Ecce, ait, ancilla tua in manu tua eſt
utere ea ut libet. Affligente igitur eam Sarai, fugam iniit. 7 Cumque inveniſſet
eam angelus Domini juxta fontem aquæ in ſolitudine, quæ eſt in via Sur in deſerto,
8 Dixit ad illam: Agar ancilla Sarai, unde venis? & quo vadis? quæ reſpondit: A
facie Sarai dominæ meæ ego fugio. 9 Dixitque ei angelus Domini: Revertere ad do-
minam tuam, & humiliare ſub manu illius. 10 Et rurſum: multiplicans, inquit,
multiplicabo ſemen tuum, & non numerabitur præ multitudine. 11 Ac deinceps: Ec-
ce, ait, concepiſti, & paries filium: vocabiſque nomen ejus Iſmael, eo quod audie-
rit Dominus afflictionem tuam. 12 Hic erit ferus homo, manus ejus contra omnes,
& manus omnium contra eum: & e regione univerſorum fratrum ſuorum figet taber-
nacula. 13 Vocavit autem Agar nomen Domini, qui loquebatur ad eam. Tu Deus,
qui vidiſti me. Dixit enim: Profecto hic vidit poſteriora videntis me. 14 Propre-
rea appellavit puteum illum, Puteum viventis, & videntis me. Ipſe eſt inter Ca-
des,

des, & Barad. 15 Peperitque Agar Abræ filium: qui vocavit nomen ejus Iſmael. 16 Octoginta, & ſex annorum erat Abram, quando peperit ei Agar Iſmaelem.

℣. 1. HABENS ANCILLAM ÆGYPTIAM NOMINE AGAR.] S. Ioannes Chryſoſtomus hom. 38. in Geneſ. cenſet, Agar fuiſſe unam ex ancillis, quas Pharaon dono dederat Abraham, cum hic Patriarcha in Ægypto degeret. Rabbini teſtantur, Agar fuiſſe Pharaonis filiam. Sed quænam ſit Rabbinorum ſolertia in hiſtoriis, nemo ignorat. Agar ſuum nomen tribuit urbi Agar, aut Petræ, Arabiæ Petrææ principi, & populis, qui Agareni [1] vocati antiquitus fuerunt, vel Agræi, atque hodie Sarraceni non propter *Saram*, ut nonnulli putant, ſed potius propter eorum rapinas. Arabice סרק *Sarak* ſignificat furari, diripere.

℣. 2. SI FORTE EX EA SUSCIPIAM LIBEROS.] Hebraicus textus ad litteram ita vertitur: *Forte per eam domum meam ædificabo*. Hæc ratio loquendi, *Ædificare domum*, paſſim in Bibliis uſurpatur, ut filios gignere ſignificetur. Hebraica vox בן *Ben*, quæ ſignificat filium, oritur ex verbo בנה *Bana*, quod ſignificat ædificare. Vide Exod. 1. 21. Deut. 25. 9. & Ruth 4. 11. &c.

CUMQUE ACQUIESCERET DEPRECANTI.] Abraham ſibi uxorem ſumit Agar Saræ precibus adactus; atque divino afflata ſpiritu Sara ſecundis his nuptiis addicit Abraham; ſi fides habenda eſt Ioſepho Antiq. lib. 1. cap. 11. Neque enim in Saræ contemptum, vel ut ſatis ſuæ faceret incontinentiæ, Abraham conjugem ſibi jungit Ægyptiam hanc. Illi potiſſima fuit ratio, at patet ex Sancto Auguſtino lib. 16. de Civit. cap. 25. & lib. 2. contra adverſ. legis, & Proph. cap. 9. lib. 22. contra Fauſtum c. 30. 31. 32. ut filios gigneret, quibus ea, quæ Deus promiſerat, cedere poſſent: atque nihil hac in re patravit, quin prius Deum conſuluerit. Demum hoc tempore Polygamia conſuetudinis auctoritate rata erat, & eam ipſe Deus patiebatur; alioquin nulla alia ratione [2] juſtificari potuiſſet, juxta communem illam Ethicæ regulam, quod res natura ſua malæ nequeunt umquam bonæ fieri propter illius intentionem, qui operatur.

De Lamech locuti oſtendimus Polygamiam juris naturæ nequaquam adverſari: quamquam primæ conjugii inſtitutioni adverſetur. Deus e re fore arbitratus eſt, ſi ad tempus primævam hanc diſpoſitionem immutaret; transferendo, ait Grotius, in plures uxores jus illud, quod primitus uni tantummodo erat in virum ſuum. Iudæis hodie non eſt amplius facultas plures habendi conjuges vel in Oriente, vel in Occidente. Imperatores Theodoſius, Arcadius, & Honorius, id ipſis decretis ſuis interdixere. Mahometani, qui hoc ſibi licere volunt, Judæis denegant in ſuo imperio. Samaritani unam modo uxorem ducunt, atque Iudæis in Oriente ſecretam polygamiam crimini vertunt.

℣. 3. POST ANNOS DECEM, QUAM HABITARE COEPERANT IN TERRA CHANAAN, ET DEDIT EAM VIRO SUO UXOREM.] Rabbini apud Munſterum, & Clarium teſtantur, vetuſtiſſimam hanc fuiſſe legem inter ſuæ nationis populos, ut niſi decem primorum annorum ſui conjugii curriculo uxor filios pareret, vir alteram ſibi uxorem accipere deberat. Neſcio, an hac agendi ratione Abraham legi locum dederit, cujus vetuſtas ſuſpicione non caret. Abraham tunc erat quinque & octoginta, Saræ vero quinque, & ſeptuaginta annorum.

℣. 5. INIQUE AGIS CONTRA ME.] Hebraice habetur חמסי עליך: *Tu ſons es illius injuriæ, qua affecta ſum*; vel: *injuria, qua affecta ſum, recidis in te*. Contemptus, quo me Agar affecit, eſt contemptus, quo affecit ipſum te, qui meus frater es, & vir: Vel potius cum Septuaginta [3]: *Ego hanc injuriam patior, hoc opprobrium occaſione tui*, vel, *ex parte tui*. Sanctus Chryſoſtomus in Geneſ. homil. 38. credit, Saram impotentia quadam animi ſuo ſexui maxime propria queſtam eſſe de nimio Abraham amore, quo Agar proſequebatur; veluti ſi contemptu quodam, quo ſe peti arbitrabatur, Abraham probaſſet ancillam in iis, quæ de Domina ſua teſtabatur. Chaldaica verſio hoc ſentire videtur: *Judicio habeo contra te* &c. Habeo, de quo tecum querar &c. *Negotium habeo, atque acta, quæ in te evomam*.

JUDICET DOMINUS INTER ME, ET TE.] Hæc verba animi perturbationem, atque ægritudinem in Sara oſtendunt, atque adeo aliquam minaram ſpeciem. Verti quoque poteſt Hebraicus textus: *Judicabit Dominus* &c. Dominus me ulciſcetur &c.

℣. 6. ECCE ANCILLA TUA IN MANU TUA EST, UTERE, UT LIBET.] Ex hoc loco, & ſequentibus liquet, ancillas, quas ſibi conjuges ſumebant Domini, atque *Uxores ſecundarias*, non ideo ſervitute ſolutas fuiſſe, atque ea obedientia, quam domino dominæque ſuæ præſtare debebant, quæ *primaria uxor* erat, & materfamilias. Abraham, ut ait Grotius, Saræ tribuit jus, vitæ, & mortis, quod ipſi erat in Agar, veluti viro, & conjugi. Tale erat vetuſtiſſimum jus apud omnes ferme populos. Abraham, ut ſpiritui Agar mederetur, atque illi probaret, ſe ne minimum quidem participem eſſe injuriarum Agar; illi ancillam tradit, ut ipſa judicet, & in illam animadvertat. Chryſoſt. hom. 37.

AFFLIGENTE EAM SARAI, FUGAM INIIT.] Sanctus Auguſtinus epiſt. 48. ſeveritatem Saræ adverſus Agar excuſat. Ait prudentem hanc matremfamilias correxiſſe ſuperbiam, atque inſolentem ancillæ animum ſalutaribus punitionibus, quæ minime ex crudelitate, atque odio proficiſcerentur. Deus, qui Saræ opera approbavit, illius juſtitiam ſatis teſtatur. Vide verſiculum nonum. Sanctus Ambroſius e contra in lib. de Abraham 1. cap. 4. ait, tunc Saram nimium animi ægritudine abreptam ultra modum ſuccenſuiſſe.

℣. 7. JUXTA FONTEM AQUÆ IN SOLITUDINE, QUÆ EST IN VIA SUR IN DESERTO.] Hæc poſtrema vox *in deſerto* haud extat in Hebraico, neque in Sancti Hieronymi verſione tom. 1. novæ edit. ſed eſt repetitio vocis *in ſolitudine*, quæ paullo ſuperius eſt. Fons, aut puteus, ubi angelus apparuit Agar, eſt in via, quæ ab Hebron ducit in Ægyptum poſt deſertum Sur, qui eſt ad maris rubri promontorium.

℣. 11. ISMAEL.] Significat, *Audivit Deus*: שמע Audivit אל Deus.

℣. 12. ERIT FERUS HOMO.] Hebraicus textus ad litteram habet [4]: *Erit Onager*. Paraphraſtes Chaldæus: *Erit inter homines veluti Onager*. In ſtudiis ſuis, ſævitia, & feritate Onagrum referet.

MANUS EIUS CONTRA OMNES, ET MANUS OMNIUM CONTRA EUM.] Illius omnes hoſtes erunt; & ipſe omnium hoſtis. Quotidie bellabit, vel aliis vim inferens, vel alienas vires repellens, quodcumque

---

1 הגריאים 1. Par. v. 10. & Pſ. 82. 8.
2 Aug. l. 3. Confeſſ. c. 8. & l. 3. de Doctrina Chriſtiana c. 14. 18. 19. 20. 21.
3 Ἀδικοῦμαι ἐκ σοῦ.
4 פרא Aq. ἄγριος, Sym. Κεχωρισμένος. Th. ἔρημος.

que periculum ſubiens, ut obvios deprædetur. Ad- A implevetunt Arabes patris horoſcopum: illi enim fuerunt ſemper, hodieque ſunt raptores, bellicoſi, piratæ, ſine ſtatis ſedibus, paupetes, ſylveſtres, inconſtantes. Ipſi maximum infidelitatis crimen fidem non præſtare credunt; libenter hoſpitalitatem exercent: furtum licere credunt, hoc adducti argumento, quod omnes homines fratres ſunt: neque natura inter ipſos bona partita eſt, ſed omnia primo occupanti teliquit. Vide Abtaham Echell. Atab. cap. 5.

Chaldaica verſio locum hunc ita videtur intelligere: Ipſe omnibus indigebit, & omnes indigebunt ipſo; veluti ſi hoc ſentiret: Ipſe manum porriget, ut ab omnibus petat; omnes manum porrigent, ut petant ab ipſo; vel, ipſe omnibus innitetur, & om- B nes innitentur ipſi. Hebraicus textus ידו בכל ויד כל בו ad litteram: *Manus ejus in omnibus, & manus omnium in eo.* Quæ dicendi ratio plerumque ſignificat, aggredi, percutere, occidete. Vide Gen. 37. 27. & Deut. 13. 9. & 17. 7.

E REGIONE UNIVERSORUM FRATRUM SUORUM FIGET TENTORIA.] Occupabit regiones finitimas ſuis fratribus, in finibus eorum immorabitur, qui facere non potarunt, quin ille ibi ſuas ſedes conſtituat. Iſmaelitæ, cum latius fines ſuos in Arabia poſuiſſent, fratrum ſuorum regiones ſe circumdediſſe agnoverunt. Judæa, Idumæa, Moabitarum regiones, & Ammonitarum Arabum finibus circumſeptæ ſunt, qui Arabes ex Iſmael originem duxerunt. Scenitæ, ſeu Agræi in Orientali plaga incolebant; alii vero C Iſmaelitæ in Arabia Petræa, atque in Arabia Felici. Aliter; non obſtante illius feritate, pacem habebit cum fratribus ſuis; aut denique: omnes gentes aggredientur illum, atque ille aggredietur omnes gentes. Bellum inferet fratribus ſuis, tentoria figet, atque in ipſorum adſpectum caſtrametabitur.

℣. 13. TU DEUS, QUI VIDISTI ME.] Hebraice אל ראי *Deus, qui me vides.* Chaldaice: *Deus, qui vides omnia.* Verti poteſt; Tu es Deus, qui appares, Deus, qui te videndum prodis, qui inter homines verſatis. Vatablus: Deus viſionis, Deus, cujus providentia in humanas res ſe ſe extendit; Deus perſpicax, atque in ea omnia intentus, quæ in mundo peraguntur.

PROFECTO HIC VIDI POSTERIORA VIDENTIS ME.] D Agar ſtatim credidit eum homine colloqui; ſed cum vidit, illum ipſum, cum quo loquebatur, terga vertere, atque in auras evaneſcere, arbitrata eſt [1], hunc eſſe Deum, aut angelum, a quo corripiebatur. Mihi ſors contigit videndi poſteriora angeli, qui apparuit mihi; vel: Ego vidi poſteriora Domini, qui apparuit mihi; vel, qui oculis ſuæ providentiæ mihi proſpexit. Pro certo veteres habebant, Deos numquam apparere palam, neque faciem ſuam hominibus videndam præbere. Hoc liquet ex Callimacho in epigrammate de Jovis ſtatua humeros vertente.

Chaldaica verſio ita habet: *Aperui oculos, ſimulac mihi apparuit*; vel: *Ego memet recepi* (errorem agnovi meum) *poſtquam ille mihi locutus eſt.* Hebraicus textus hæc habet הגם הלם ראיתי אחרי ראי E *Etiamne video poſt videntem me?* Poſſum adhuc videre; poſſum adhuc vivere, quia vidi Deum, aut angelum. *Videre*, hic poſitum eſt pro *Vivere*: Vitæ functio pro vita eadem. Ita Exod. 24. 11. ſcriptum eſt, quod Iſraelitæ biberunt, & comederunt, poſtquam vidiſſent Dominum: ſcilicet quod formidabilis adeo majeſtatis aſpectus vitam illis non ademerat. Hæc erat Hebræorum opinio, eos, qui extraordinariam aliquam habuiſſent viſionem, eſſe in vitæ amittendæ periculo. Hoc patet ex pluribus Scripturæ locis: exempli gratia Jacob poſtquam tota nocte cum angelo luctatus eſt Geneſ. 32. 30. neque inde detrimentum aliquid recepit, Phanuel nomen impoſuit loco, ubi præliatus fuerat, ut monumentum exiſteret, nullum ſibi ceſſiſſe ex ea viſione damnum. Iſmaelitæ rogant Moyſem, ut ipſe loquatur illis, ne forte moriantur, ſi Dominus ipſe loquatur Exodi 20. 19. Deus dicit Moyſi, ne deſideret intueri faciem Domini Exod. 32. 20. nemo enim mortalia illam videbit, & vivet. Gedeon cum habuiſſet angeli viſionem, exclamavit Judic. 6. 22. *Heu mi Domine Deus! quia vidi Angelum Domini facie ad faciem: Dixitque ei Dominus: Pax tecum, ne timeas, non morieris.* In primo libro Regum 6. 19. Deus morte percutit quinquaginta millia, & ſeptuaginta Bethſamitarum, eo quod vidiſſent Arcam Domini.

Ethnici quoque eadem ſentiebant de ſuorum Deorum apparitione: credebant enim, eos numquam hominibus apparere, quin aliquo infortunio afficerentur illi, quibus numen ſe ſe prodidiſſet. Hiſtoriæ, & Fabulæ, quæ ab ipſis narrantur, ſignificare videntur illos hac de re ſæpius feciſſe periculum. Vide Clericum in Geneſ. hic. Tireſias oculis captus evaſit, quod Minervam ſe in Heliconis fonte lavantem vidiſſet. Actæon a canibus ſuis diſcerptus eſt, quod Dianam ſe ſe proluentem conſpexiſſet. Polyzelus Athenienſium Dux, qui Marathonicæ adfuerat pugnæ, excæcatus fuit, quod ſpectrum fuiſſet intuitus. Plutarchus in Arato ait, Dianam, quam Palleni venerabantur, non ſolum hominibus formidabilem fuiſſe, ſed & arbores ſterilitate inficere, atque ut armenta ipſa abortirentur, efficere conſueviſſe quacumque illius ſimulacrum deferebatur. Lucianus in Dialog. ait, Gorgones eſſe inviſibiles, & quicumque eas ſemel viderit, illum deinceps nihil aliud videre poſſe. Vide quoque Porphyrium in Euſebio Præp. l. 5. c. 6. qui narrat, novem homines repente obiiſſe, quod Deum Pana intuiti ſunt. Horatius ita Deum Faunum precatur.

Per meos fines, & aprica rura
Lenis incedas, abeaſque parvis
Æquus alumnis.

℣. 14. PUTEUM VIVENTIS, ET VIDENTIS ME.] Puteus, vel fons Dei viventis, qui mihi apparuit, aut fons, ubi Dominum vidi, quin perirem. Chaldaice: *Puteus, ad quem Angelus vitæ apparuit mihi.*

IPSE EST INTER CADES, ET BARAD.] Cades, aut Cadesbarne erat ad Meridiem regionum Juda in Arabia Petræa octo ferme leucas ab Hebron. Ac latet, ubi eſſet *Barad*. Onkelos hic transfert inter *Recem, & Agara*. Syriace: *Inter Racem, & Gedar*; Arabice: *inter Racem, & Jared*. Bochartus oſtendit, Racem, vel Recem, aut *Arce* fuiſſe urbem *Petram* Arabiæ Petrææ caput. *Agara* idem ſignificat; ita non ſatis liquet, cur Onkelos videntis puteum ſtatuat inter Racem, & Agara, perinde ac *Racem, & Agara* diverſi eſſent loci. Ipſe fortaſſis Agaram cepit pro Adar, aut Adara, de quibus in Numerorum libro capite 34. 4. Atque iſtud plane intelligunt verſiones Syriaca, & Arabica, quæ ſtatuunt *Gedar, & Jared*. Euſebius, & Sanctus Hieronymus collocant Arad in deſerto Cades, viginti paſſuum millibus, vel octo prope leucis ab Hebron in Tribu Juda. Jonathan vertit: *Recem, & Alnza*. Hæc poſterior urbs celeberrima eſt in Idumæa.

1 Kimchi, Clar. Vat.

C A-

CAPUT XVII.

Deus apparuit Abram, illiuſque nomen in Abraham immutat. Sarai Saræ nomen tradit; Circumciſionis inſtitutio. Promiſſiones de Iſaac naſcituro.

1 POſtquam vero nonaginta, & novem annorum eſſe cœperat, apparuit ei Domi-
nus: dixitque ad eum: Ego Deus omnipotens: ambula coram me, & eſto
perſectus. 2 Ponamque fœdus meum inter me, & te, & multiplicabo te
vehementer nimis. 3 Cecidit Abram pronus in faciem. 4 Dixitque ei Deus: Ego
ſum, & ponam pactum meum tecum, eriſque pater multarum gentium. 5 Nec ul-
tra vocabitur nomen tuum Abram, ſed appellaberis Abraham; quia patrem multa-
rum gentium conſtitui te, 6 Faciamque te creſcere vehementiſſime, & ponam te in
gentibus, regeſque ex te egredientur. 7 Et ſtatuam pactum meum inter me, & te,
& inter ſemen tuum poſt te in generationibus ſuis, fœdere ſempiterno; ut ſim Deus
tuus, & ſeminis tui poſt te. 8 Daboque tibi, & ſemini tuo terram peregrinatio-
nis tuæ, & omnem terram Chanaan in poſſeſſionem æternam, eroque Deus
eorum. 9 Dixit iterum Deus ad Abraham; Et tu ergo cuſtodies pactum
meum, & ſemen tuum poſt te in generationibus ſuis: 10 Hoc eſt pactum
meum, quod obſervabitis inter me, & vos, & ſemen tuum poſt te: Circum-
cidetur ex vobis omne maſculinum: 11 Et circumcidetis carnem præputii veſtri, ut
ſit in ſignum fœderis inter me, & vos. 12 Infans octo dierum circumcidetur in vo-
bis, omne maſculinum in generationibus veſtris: tam vernaculus, quam emptitius cir-
cumcidetur, & quicumque non fuerit de ſtirpe veſtra, 13 Eritque pactum meum in
carne veſtra in fœdus æternum. 14 Maſculus, cujus præputii caro circumciſa non fue-
rit, delebitur anima illa de populo ſuo: quia pactum meum irritum fecit. 15 Dixit
quoque Deus ad Abraham: Sarai uxorem tuam non vocabis Sarai, ſed Saram. 16 Et
benedicam ei, & ex illa dabo tibi filium, cui benedicturus ſum, eritque in nationes, &
reges populorum orientur ex eo. 17 Cecidit Abraham in faciem ſuam, & riſit, di-
cens in corde ſuo: Putaſne centenario naſcetur filius? & Sara nonagenaria pariet?
18 Dixitque ad Deum: Utinam Iſmael vivat coram te. 19 Et ait Deus ad Abraham:
Sara uxor tua pariet tibi filium, vocabiſque nomen ejus Iſaac, & conſtituam pactum
meum illi in fœdus ſempiternum, & ſemini ejus poſt eum. 20 Super Iſmael quoque
exaudivi te: ecce, benedicam ei, & augebo, & multiplicabo eum valde: duodecim du-
ces generabit, & faciam illum creſcere in gentem magnam. 21 Pactum vero meum ſta-
tuam ad Iſaac, quem pariet tibi Sara tempore iſto in anno altero. 22 Cumque fini-
tus eſſet ſermo loquentis cum eo, aſcendit Deus ab Abraham. 23 Tulit autem Abra-
ham Iſmael filium ſuum, & omnes vernaculos domus ſuæ: univerſoſque, quos emerat,
& cunctos mares ex omnibus viris domus ſuæ: & circumcidit carnem præputii eorum
ſtatim in ipſa die, ſicut præceperat ei Deus. 24 Abraham nonaginta, & novem erat
annorum, quando circumcidit carnem præputii ſui, 25 Et Iſmael filius tredecim annos
impleverat tempore circumciſionis ſuæ. 26 Eadem die circumciſus eſt Abraham, &
Iſmael filius ejus. 27 Et omnes viri domus illius, tam vernaculi, quam emptitii, &
alienigenæ, pariter circumciſi ſunt.

℣. 1. EGO DEUS OMNIPOTENS.] Hebraice אל שדי, *El-Sadai*; ſcilicet juxta pleroſque Interpretum: Deus, qui ipſe ſibi ſatis eſt, nec aliquo caret. *Dixi Domino*, dicebat Propheta: *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*. Aquila in hanc ſententiam vertit [1], *ſibi ipſi ſufficiens*: atque alibi [2]: *Deus fortis*. Aliqui deducunt nomen *Sadai* a *Sade*, quod ſignificat agrum, ac ſi diceretur *Deus agrorum*: alii vero a *Schad*, quod uber ſignificat, perinde ac *Deus rerum omnium nutritor*. Ethnici Dianam, Cererem, & Iſidem *Mammoſas* [3] appellabant, atque mammis coopertas exhibebant. Alii denique Sadai deducunt ab Hebraico [4] *Schadad*, diruere, evertere,

1 Aq. Ἱκανός.
2 Idem. Ἄλκιμος. 3 Πολυμάστοι.
4 שדד Schadad.

re, deſtruere; Deus fulmina immittens, & terribilis, qui populatur, atque delet hoſtes.

Ambula coram me, et esto perfectus.] Septuaginta tranſtulerunt [1], *& eſto irreprehenſibilis*, vive ab omni crimine purus, Syriace: *ſine macula*: Me tibi ſemper coram adeſſe, finge; perſevera, ut ſis obediens, & fidelis, atque ini vitæ rationem, quæ pura ſit, atque irreprehenſibilis.

℣. 2. Ponamque foedus meum inter me, et te.] Deus hic fœdus inſtaurat, quod cum Abraham icerat, recentia ſuæ protectionis pignora tribuit; atque ut oſtendat ſe ſibi proprium feciſſe Abraham, atque totam domum illius, primo, illi, atque illius uxori nomen immutat, quod nota eſt juriſdictionis [2], atque domini in ſervum indicat auctoritatem. Secundo, omnibus maſculini ſexus B domi illius notam circumciſionis inurit; quemadmodum domini ſervis ſuis quoſdam inurebant characteres, quibus dignoſcerentur. Tertio, ſe ſe Deus adſtringit, ad dandum Abrahamo filium, & numeroſam poſteritatem.

℣. 5. Nec ultra vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham.] Ab-ram ſignificat *Patrem Excelſum*, & *Abraham*, vel potius Ab-ram-hammon אַבְרָם הָמוֹן Patrem excelſum multitudinis populorum.

℣. 6. Ponam te in Gentibus, Regesque ex te egredientur.] Poſſet quoque transferri: *Ponam te in gentes*. Tu eris Pater multarum nationum, atque ex filiis tuis Reges enumerabit. Nullius plane eſt negotii oſtendere adimpletas fuiſſe has C promiſſiones. Iſraelitæ, Idumæi, Arabes nationes ſunt ſatis cognitæ; ſicuti quoque Reges, qui ex illis extitere. Sanctus Paulus in Epiſtola ad Roman. 4. 11. 12. & 9. 7. 8. uti quoque ad Galatas 3. 14. &c. oſtendit has promiſſiones reſpicere proprie filios Abraham, ſecundum ſpiritum, qui hujus Patriarchæ fidem imitantur, & obedientiam. Reges, qui ex Abraham naſcituri ſunt, Meſſias eſt Rex Regum, & Dominus Dominantium, ſunt illius Diſcipuli, glorioſi magis, atque præſtantiores omnibus terræ Principibus. His verbis; *Ponam te in gentibus*, Spiritus Sanctus ſignat Gentilium vocationem [3], qui debebunt aliquando eſſe filii fœderis, atque hæredes promiſſionum, quas Deus fideli Abraham fecerat, D antequam circumciſionem acciperet.

℣. 10. Hoc est pactum meum .... Circumcidetur ex vobis omne masculinum.] In ſolemnibus fœderibus adeſt ſemper nota quædam permanens, inſtituta ad memoriam ſervandam. Cum Deus fœdus iniit cum Noe, dedit in pignus, & ſignum fœderis arcum in nubibus. Cum Deus per Moyſem fœdus icit cum Iſrael, uſus eſt volumine legum, & lapideis tabulis; quæ fœderis conditiones complectebantur, & mutuas contrahentium obligationes. Aſſervatur hoc volumen, quod dicitur *Liber legis*, aut *fœderis* in arca, ubi Tabulæ digito Dei inſcriptæ veluti in depoſitum reponuntur, quæ vocatur Arca fœderis. In privatis quoque fœderibus quædam ſigna adhibentur, ut ad poſteros quoque memoria pervadat. Jacob, & Laban erigunt monumentum e lapide. Iſraelitæ trans Jordanem in hujus E fluminis ripa monumentum ſtatuunt, quo innoteſcat, ſe illorum fratres eſſe, qui citra flumen commorabantur. In Novo Teſtamento Jeſus Chriſtus ante obitum ſuum ſtatuit ſignum fœderis, quod cum hominibus iniit, morte ſua, ſui ſanguinis effuſione, & Sacramento, quod ſub ſpeciebus panis, & vini realiter continet corpus illius, & ſanguinem pro nobis traditum. Ita Deus fœdus percutiens cum Abraham, indelebile ſignum relinquit per circumciſionem, quam huic Patriarchæ præſcribit, & minoribus illius. Hæc carnalis circumciſio in filiis Abraham erat figura characteris indelebilis, qui nobis in Baptiſmate inuritur, atque in Confirmatione perficitur.

Sanctus Paulus Apoſtolus ad Rom. 4. 2. videtur omnes circumciſionis effectus intelligere, perinde ac nota quædam eſſent fœderis inter Deum, & cognationem Abraham, qua genus electum, & ſanctum ab aliis populis dignoſceretur, qui in ſuorum vitiorum ſordibus contabeſcunt. *Signum accepit* (Abraham) *circumciſionis, ſignaculum juſtitiæ fidei, quæ eſt in præputio*. Nota hæc non conferebat illi juſtitiam; ſed nota erat, & ſignum juſtitiæ, quam ille meritus fuerat per fidem, antequam circumciſionem acciperet. Priſci Patres docent, Deum non ideo imperaſſe Abraham circumciſionem, ut ille juſtitiam mereretur: ſed hunc Patriarcham eam accepiſſe veluti ſimplex ſignaculum [4]. Sanctus Irenæus lib. 4. cap. 30. ita ait: *Circumciſionem non quaſi conſummatricem juſtitiæ, ſed in ſigno dedit Deus, ut cognoſcibile perſeveraret genus Abrahæ*. Et Tertullianus adverſus Iudæos: *Ante Deo placuit* (Abraham) *quam circumcideretur: accepit autem circumciſionem: ſed quæ eſſet ſignum temporis illius, non in ſalutis prærogativam*. Videri poteſt Sanctus Chryſoſtomus hom. 37. & 39. in Geneſ. Sanctus Epiphanius hæreſ. 30. cap. 28. Theodoretus quæſt. 68. in Geneſ. Sanctus Ambroſius lib. 1. de Abraham cap. 4. & S. Hieronymus, qui in caput 3. Epiſt. ad Galatas ait; *Gregem Iſraeliticum quodam circumciſionis cauterio denotavit, ut viventes inter Ægyptios, Babylonios, atque Chaldæos, hoc ſignaculo diſtinguerentur*.

Sanctus Auguſtinus lib. 16. de Civit. cap. 27. lib. 2. contra Pelag. & Cæleſt. cap. 30. lib. 2. de nuptiis, & concupiſc. cap. 11. lib. 2. de peccato Origin. cap. 30. & nonnulli Patres [5], qui in illius ſententiam abierunt, contenderunt, peccatum originale remiſſum fuiſſe per circumciſionem; & quicumque circumciſus non fuiſſet, æternis addictum fuiſſe ſuppliciis. Super verſiculum decimum quartum loquentes hujus ſententiæ baſim intuebimur, quam amplexi fuere Sanctus Proſper, Sanctus Fulgentius, Sanctus Gregorius Magnus, Sanctus Bernardus, Venerabilis Beda, aliique nonnulli. Afferuntur quoque plures Scholaſtici, & Interpretes, qui huic ſententiæ ſuffragantur.

At ſi effectus hic circumciſioni eſt tribuendus, hoc fieri plane opus eſt virtute gratiæ, ac meritorum Redemptoris, & ſub ea conditione in adultis, ut carnis circumciſioni circumciſionem cordis adjiciant, quæ toties in Scripturis [6] commendatur veluti qualitas, ſine qua carnis circumciſio inanis prorſus eſſet, & vacua.

Quoad vero infantes, qui ante octavam diem moriebantur, ac puellas, quæ minimè circumcidebantur; plures Theologi credebant utraſque ſalvari in ſuorum parentum fide, ac precibus, aut Eccleſiæ Iudæorum; aut alio aliquo medio, quod illis fuerit, antequam Deus circumciſionem ſtatueret; denique ſacrificiis, oblationibus, purgationibus, quas lex præcipit. Vide Cornelium in hunc locum; Hugonem a Sancto Victore l. 1. de Sacramentis p. 12. c. 2. Biel in 4. ſent. diſt. 1. q. 4. & alios.

Strabo l. 17. pag. 555. & lib. 16. p. 532. credidit, Iudæos legem habuiſſe, qua juberentur puellæ circumcidi, quæ olim plurium populorum erat conſuetudo:

---

1 Ἄμεμπτος. 2 Pſalm. 146. 4.
3 Juſtin. Dialog. cum Tryphon. &c.
4 Juſtin. Mart. in Dial. cum Tryph.
5 Proſper. Ep. ad Demetrium, Fulgent. l. de Incarn. c. 15. Bern. ſerm. in Cœna Dom. Beda in cap. 2. Lucæ D. Th. 3. p. q. 62. ar. 6. Eſt. in hunc locum.
6 Vide Deut. 10. 16. & 30. 6. Jerem. 4. 4. & 6. 10. & 9. 26. Act. 7. 51. & Rom. 2. 28.

tudo. Sed hic in errorem inductus eſt Strabo: nulla enim vel Lex, vel conſuetudo eſt Judæorum, quæ illius ſententiæ ſuffragetur. Vide ſermonem noſtrum de Circumciſione.

℣. 12. INFANS OCTO DIERUM CIRCUMCIDETUR IN VOBIS.] Ratio præcipua, qua adacti octavo die circumciſionem ſtatuamus, ea eſt, quod ante hanc diem minus apti infantes ſunt circumciſionis dolori ferendo. Animantia ante id tempus perfecta non cenſebantur; ac Deus imperavit, ne illi aliquod offerretur, qui octavum ſaltem diem minimè attigiſſet [1]. Infantes ante hanc ætatem ſocietatis partem minimè efficiebant, neque puri exiſtimabantur [2]. Ariſtoteles de animal. l. 7. cap. 12. ait, infantium vitam haud eſſe in tuto ante ſeptimum diem, atque ideo niſi octavo die illis nomen imponi; quia major tunc extat ſpes futurum, ut vivant. Apparet tamen ex Ariſtophane in avibus pag. 587. edit. Genev. anni 1607. & ſcholiis Bizeti, atque ex Suida, hoc fieri conſueviſſe die, aut potius nocte decima ab ipſorum ortu, ut coram tota cognatione filiis nomina imponerentur: tunc Diis ſacrificium; conſanguineis vero, & amicis convivium inſtituebatur. Apud Romanos octava die pueris, puellis nona dabant nomen. Servius in Phormion Terentii ait, octavam diem celebrari conſueviſſe, ac diem natalitium: *Solebant antiqui diem octavum pueri natalem conſtituere, & eo die ſingulis annis lætum convivium parare, ſicut Judæi in die octava circumcidunt.*

Apud Hebræos octavo a nativitate die infantes præciſè circumciduntur; & quoad fieri poteſt aliquo die feſto, qui tunc contingat; non enim prævenire fas eſt, ſed aliquando differre, cum infantis valetudo non patitur, ut illud octavo die perficiatur.

Meridie circumciſio fiebat; atque Sacerdos, vel Levita, Chirurgus, vel alius quilibet, aut mulier, dummodo infidelis non eſſet, ſacros hos peragebat ritus; nec locus, nec modus, nec inſtrumentum, neque miniſter ex Biblia certus, ſtatuſque fuiſſe videtur. Sephora Exod. 4. 24. & Ioſue c. 5. v. 2. acutiſſimo lapideo cultro uſi ſunt; ſed Judæi plerumque novaculam adhibent ad circumcidendum.

TAM VERNACULUS, QUAM EMPTITIUS CIRCUMCIDETUR, ET QUICUMQUE NON FUERIT DE STIRPE VESTRA:] Hebraicè: *Circumcidentur tam illi, qui domi tuæ nati ſunt, quam illi qui aliunde empti ſunt, qui non ſunt de ſtirpe tua.* Aliqui, velut Abulenſis, & Cajetanus, contendunt, captivum, qui ex origine Hebræus non eſſet, adigi potuiſſe, ut vel invitus circumcideretur. Servus eſt Domini; Dominus de illius voluntate poteſt diſponere. Maimonides l. 1. c. 6. de Circumciſione, credit, ſervum extraneum, niſi circumcidi vellet, cogi minimè potuiſſe a domino; ſed ab hoc illum aliis venumdari debuiſſe.

Sed plerique alii cenſent cogi nequaquam potuiſſe captivos, qui ſe ſe circumciſioni ſubmittere recuſabant; ita enim durius ſervitutis jugum illis fuiſſet impoſitum; & nihil magis conſilio divino obſtitiſſet, quam notas ſui fœderis illis gentibus inurere, quibus nulla eſſet cum hoc fœdere pars, neque propter nativitatem, neque propter voluntatem. Ita ſentiunt Rupertus, Bonaventura, Sotus, Alenſis, Pererius. Igitur ſi locus hic ita explicatur, perinde ac præceperit Deus circumciſionem ſervis omnibus familiæ Abraham; dicendum eſt, hoc pro ea tantum vice imperatum: aut cum reſtrictione quadam juſſum illud eſt intelligendum; Circumcides ex ſervis tuis eos omnes, qui tuam religionem amplecti voluerint, atque participes fieri fœderis, quod tecum conſtitui.

Fœdus, quod Deus percutiebat cum Abraham, non perſonale ſimpliciter erat, ut unum Abraham ſpectaret; ſed Iſaac quoque reſpiciebat, omnemque illius poſteritatem; non item vero alios Abraham filios ex Agar, & Cethura. Quemadmodum enim iſti fœderis, & promiſſionum haud erant participes; ita circumciſionis lege, aliiſque fœderis conditionibus minimè tenebantur; qui ſi circumciſionis legem obſervarunt, hoc conſuetudini cuidam, ac particulari devotioni eſt tribuendum.

℣. 14. MASCULUS, CUJUS PRÆPUTII CARO CIRCUMCISA NON FUERIT DELEBITUR ANIMA ILLA DE POPULO SUO.] Hæc loquendi ratio *delebitur* &c. plerumque ſignificat pœnam mortis, uti videre eſt Exod. 30. 33. 38. & 31. 14. Levit. 17. 4. 9. & 20. 18. Num. 9. 13. & 15. 30. 31., atque in hoc ſenſu dicendum eſſet Deum mortis æternæ ſupplicio addixiſſe eos omnes, qui ex domo Abraham circumciſi non fuerint, & cum lex ſit generalis, de infantibus quoque intelligenda eſſe videretur; quamquam illis crimini verti nequeat, ſi circumciſione caruerint. Sancti Auguſtini ævo, uti ex ipſo Auguſtino intelligitur l. 16. de Civit. c. 27. atque ex Ambroſio Ep. 72. novæ editionis, in pluribus exemplaribus Latinis legebatur, quod hodie quoque in verſione legitur Samaritana, & Septuaginta: *Maſculus cujus præputii caro circumciſa non fuerit die octavo, delebitur anima illa* &c. Hæc additio *die octavo* cogebat, ut diceretur, morti adſcribendos eſſe infantes, quorum nulla poſſet aſſignari culpa, quod minimè circumciſionem percepiſſent: & forte ut iſtud inconveniens effugeret, Sanctus Auguſtinus locum hunc de morte animæ intellexit, qua illos morabantur infantes, qui ſine circumciſione decederent, quia originali peccato ſuæ nativitatis erant infecti. Explicabat autem id, quod ſequitur, *Quia pactum meum irritum fecit*, dicens omnes homines violaſſe in Adam primum fœdus, quod Deus cum humana natura pepigerat. Sententiam hanc amplexi fuere plures Doctores, qui crediderunt, Circumciſione peccatum originale dimitti, quod verſiculo 10. hujus capitis adnotavimus.

Rabbini dicunt, hominem ex genere Abraham, qui in infantia circumciſus non fuerit, ſi poſt tredecim annorum ætatem circumciſionem negligeret, hujus legis ſuppliciis obnoxium eſſe. Hæc vero ſupplicia non unanimi conſenſu ab Interpretibus explicantur; de quibus adi Selden. de Syned. l. 1. c. 6. Nonnulli, ut ſuperius animadvertimus, de violenta morte hoc intelligunt: alii autem de damnatione, aut animæ morte; aut juxta Maimonidem de illorum in nihilum reductione; hi de naturali morte, ſed immatura, illi vero de morte civili: veluti quod ſucceſſoribus carere deberent, vel per anathema ab Iſraelitarum ſocietate ſejungi. Mors immatura juxta quoſdam ſexaginta annorum eſt, juxta alios verò quinquaginta, vel quinquaginta & duorum, ut diſputat Conſtantin. in not. ad Bertram: Rep. Jud. c. 2. Denique juxta Vatablum intelligi poteſt; Abſcindetur de Iſraelitarum corpore, & carebit iis prærogativis, & promiſſionibus, quæ ex Dei cum Abraham fœdere emanant.

Diodorus Tarſenſis, & Procopius crediderunt pœnam hanc non ſolum infantibus, qui circumciſionem non recepiſſent, ſed ipſorum quoque parentibus, vel dominis impendiſſe, qui illos circumcidi neglexerint. Huic explicationi favet verſio Syriaca; *Quicumque non circumcidetur .... delebitur.* Judæi docent, cum primus, alter, & tertius familiæ ejuſdem filii circumciſionis dolore moriebantur, illorum fratres, ſi qui poſtea oriebantur, circumcidi non conſueviſſe; quod præcepta ceremonialia mortis certæ periculo ad obſervationem non obligant. Vide Hieroſol. Peſachim fol 36. Aruh. & Cholim, & Gloſſam in Zebachim, & Aruh. item Ligfooth hor. heb. in 1. Cor. 7.

℣. 15. SARAI UXOREM NON VOCABIS SARAI, SED SARAM.] Nomen *Sarai* ſignificat *Dominam meam*; *Sara* autem *Dominam*. Poſtremum hoc perfectius eſt, & majo-

1 Exod. 22. 30. 2 Macrob. Saturn. l. 1. c. 16.
3 Bouſter. Cornel. Janſen.

& majorem poteſtatis extenſionem intelligit ; Sarai non cenſebitur amplius velut Regina familiæ unius : ipſa erit plurimarum nationum Regina. Hæ nominum immutationes, & hæc Dei fœderis cum Abraham inſtauratio, ſunt figura novi Teſtamenti, & novi fœderis inter Chriſtum Jeſum, humanamque naturam.

℣. 16. ET BENEDICAM EI, ET EX ILLA DABO TIBI FILIUM, CUI BENEDICTURUS SUM, ERITQUE IN NATIONES, ET REGES POPULORUM ORIENTUR EX EO.] Hebraicus textus Saræ tribuit, quidquid Vulgata hic tribuit Iſaac. *Et benedicam eam ; illa dabit tibi filium, ego illi benedicturus ſum, eritque in Nationes, & Reges Populorum orientur ex ea.* Chaldaica Verſio quoque de Sara intelligit, ſed Syriaca hæret Vulgatæ, *Reges erunt ex eo*, Locus hic B majores benedictiones complectitur, quam alteri veteris Teſtamenti mulieri datæ fuerint : atque inde æſtimari licet Saræ meritum, quod Deus magnificis adeò promiſſionibus eſt proſecutus.

Sara excellens erat Beatæ Virginis figura. Saræ fides, ipſius Maternitas Iſaaci, qui filius erat promiſſionum, & fœderis ; illius ſterilitas, & quidquid ex parte Agar ancillæ ſuæ paſſa eſt, cujus filius malè accipiebat juvenem adhuc Iſaac : hæc omnia perfectè Mariam referunt fidei plenam, & gratiæ, quæ Mater facta eſt, quin Virginitatem amitteret, & quæ nobis dedit Jeſum Chriſtum promiſſionum, & novi fœderis fructum. Chriſtus verò, quem Synagogæ filii uſque ad necem perſecuti ſunt, qui denique cum matre ſua domo patris familias ejecti C ſunt, atque prærogativis ſuis viduati, repræſentatur in Iſaac, qui ab Iſmaele contumeliis afficiebatur, Agar Synagogam referebat cum filiis ſuis expulſam, ut notat Sanctus Paulus ad Galatas 4. 23. Sara verò Eccleſiam matrem filiorum, qui felici libertate lætantur.

℣. 17. CECIDIT ABRAHAM IN FACIEM SUAM, ET RISIT ;] Riſus Abraham dubietatem aliquam videtur innuere ; atque ex iis, quæ ſequuntur, hæc ſententia probari : quandoquidem promiſſiones ſuas Deus inſtauravit, veluti ut omnem dubitandi locum adimeret, atque ſermonis ſui veritatem adſtrueret. S. Joannes Chryſoſtomus homilia 40. in Geneſim hæc explicans progreditur nimium : ait enim hanc Abraham actionem fuiſſe in cauſa, ut illius D familia diutius adeo Ægyptiæ ſervitutis jugo opprimeretur. S. Hieronymus l. 3. contra Pelag. in hac occaſione diffidentiam Abraham redarguit. Paraphraſtes Chaldæi verbi hujus *Riſit* vim temperaſſe videntur. Onkelos vertit, *gaviſus eſt* ; aliique duo Paraphraſtos, *obſtupuit* ; & ipſos fatendum eſt perfectè litteralem ſenſum fuiſſe aſſequutos, ſi animum ad laudes eas adverterimus, quibus novi, ac Veteris Teſtamenti ſcriptura Abraham fidem proſequitur, Geneſis 15. 6. & Rom. 4. 19. *Et non infirmatus eſt fide, nec conſideravit corpus ſuum emortuum, cum jam ferè centum eſſet annorum, & emortuam vulvam Saræ. In repromiſſione etiam Dei non hæſitavit diffidentia, ſed confirmatus eſt fide, dans gloriam Deo, &c.*

Plerique Patrum, & præſertim S. Auguſtinus l. 16. de E Civitate c. 26. & S. Ambroſius l. 1. de Abraham c. 4 &c. explicant riſum Abraham, veluti illius gaudii effectum, atque admirationis : *Exultatio gratulantis, non irriſio diffidentis*, ait Auguſtinus ; & interrogationem, quæ ſequitur, ardentis deſiderii effectum fuiſſe ajunt, quo intelligere cupiebat, utrum alium habiturus eſſet filium præter Iſmaelem, & quomodo illud fieri poſſet, vel utrum ille ipſe futurus eſſet hujus filii pater, an aliquid aliud Deus intelligeret. Creditur Omnipotens huic riſui, & gaudio Abraham alluſiſſe, cum teſtatus eſt, hunc

A Patriarcham exoptaſſe diem adventus ſui videre, quem viderat, & gaviſus erat. Joan. 8. 56. *Exultavit, ut videret diem meum, vidit, & gaviſus eſt.*

℣. 18. UTINAM ISMAEL VIVAT CORAM TE.] Plures ſenſus his verbis tribui queunt : Exempli gratia ; Reus voti factus ſum, Deus meus, quod mihi Iſmaelem largitus es ; vivat ille dumtaxat, & mihi ſufficit. Videtur Abraham veritus fuiſſe, ne promiſſio, qua Deus ſe illi filium daturum eſſe receperat, forte ſignificaret, quod vellet tollere Iſmael, vel ſaltem ab eo removere, quæ in generis Abraham favorem ſpoponderat ; ideoque Abraham Deum obteſtatur, ut illius vitam ſervet. Rabbini hunc locum explicant perinde ac Abraham æternam ſalutem Iſmaelis depoſceret, quem idolorum aſſe-B runt cultorem fuiſſe. In hanc quippe ſententiam ipſi ea verba intelligunt Geneſ. c. 21. 9. *Ludentem cum Iſaac*, nimirum *cum ipſo idola facientem*. Addunt præterea Deum exaudiiſſe preces Abraham, & Iſmael pœnitentiam egiſſe, qua æternam ſalutem adeptus eſt. At iſtud meritò in dubium revocandum eſt.

℣. 20. DUODECIM DUCES GENERABIT.] Videbimus numerum filiorum Iſmael Gen. 25. 13. 14. 15. Septuaginta vertunt *duodecim nationes*. At vox Hebraica נשיאם *Neſſim* ſignificat Principes. Strabo loquitur de duodecim capitibus tribuum inter Arabes ; Melon apud Euſebium Præp. 9. c. 19. & Menander Protector loquuntur de Philarchis, aut capitibus Sarracenorum. Arabes olim non ſecus ac C Judæi in duodecim Tribus diviſi erant : atque noſtris quoque temporibus diviſos eſſe refert Thevenot p. 1. l. 3. c. 32. Quem priſci *Philarchos* appellabant, hodierni Arabes appellant *Scheich-Elchebir*, Seniores magnos, aut Magnos Dominos.

℣. 22. ASCENDIT DEUS AB ABRAHAM.] Chaldaice, *Splendor Domini aſcendit, & receſſit ab Abraham*. Arabicè, *Angelus Domini evanuit*. Plerique Interpretes cenſent, apparitiones, quas Biblia Deo tribuit, majori ex parte de Angelo eſſe intelligendas, qui ipſum Deum referebat. Diſcutietur hæc quæſtio Exodi 3. 2. Angelus evanuit ; videlicet, corpus, quo indutus fuerat, in auras receſſit ; vel impreſſiones, & motus, quos Deus miraculosè in organis Abraham produxerat, ceſſavere, neque D amplius percepti ſunt.

℣. 23. STATIM IN IPSA DIE.] Hebraicè [1] *in die* *corpore*. Superius Gen. 7. 13. animadvertimus, expreſſionem hanc ſignificare mane, quæ erat diei naturalis apud Judæos medietas, apud quos veſpere dies inchoabat, atque in veſperum deſinebat. Septuaginta vertunt [2], *tempore hujus diei*. Abraham ſe circumcidit, ac domeſticos ſuos, ipſa apparitionis die. Nos autem ad craſtinæ diei mane ſummum differre malumus. Tempus enim aliquod requirebatur, ut filios ſuos, & famulos ad illum ferendum dolorem diſponeret. Hoc autem fieri nequivit, eadem hora, eademque die, qua Deus illud præceperat Abraham.

℣. 25. ISMAEL FILIUS TREDECIM ANNOS IMPLE-E VERAT.] Arabes, qui ex Iſmaele duxerunt originem cum decimum & tertium attigerunt annum, tunc circumciduntur, ut notat Joſephus Antiq. l. 1. c. 11. & Turcæ quoque eadem ætate circumcidi conſueverunt. Sed hac de re nihil certum, [3] ac ſtatum eſt : neque illi ad circumciſionem tenentur ejus præcepti virtute, quod Deus dedit Abraham, uti adnotavimus. Colligitur ex Strabone l. 16. nonnullos Arabes circumciſionem accepiſſe, ſed aliter ac à Judæis, & Ægyptiis. Troglodytæ homines, & mulieres circumcidebantur ; atque alii Ægyptiorum ritu circumciſionem recipiebant.

CAPUT

1 בעצם היום הזה
2 Ἐν τῷ καιρῷ τῆς ἡμέρας ἐκείνης.
3 Eſt. in hunc locum.

CAPUT XVIII.

Tres Angeli apparent Abraham. Promiſſio futuræ nativitatis Iſaac. Deus conſilium ſuum detegit Abraham, delendi Sodomam, & Gomorrham. Abraham harum urbium excidium deprecari contendit.

℣. 1. APparuit autem ei Dominus in convalle Mambre ſedenti in oſtio tabernaculi ſui
in ipſo fervore diei. 2 Cumque elevaſſet oculos, apparuerunt ei tres viri
ſtantes prope eum: quos cum vidiſſet, cucurrit in occurſum eorum de oſtio
tabernaculi ſui, & adoravit in terram. 3 Et dixit: Domine, ſi inveni gratiam in o-
culis tuis, ne tranſeas ſervum tuum. 4 Sed afferam pauxillum aquæ, & lavate pedes
veſtros, & requieſcite ſub arbore. 5 Ponamque buccellam panis, & confortate cor ve-
ſtrum, poſtea tranſibitis: idcirco enim declinaſtis ad ſervum veſtrum. Qui dixerunt:
Fac, ut locutus es. 6 Feſtinavit Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitque ei:
Accelera, tria ſata ſimilæ commiſce, & fac ſubcinericios panes. 7 Ipſe vero ad ar-
mentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum, & optimum, deditque puero, qui
feſtinavit, & coxit illum. 8 Tulit quoque butyrum, & lac, & vitulum, quem co-
xerat, & poſuit coram eis: ipſe vero ſtabat juxta eos ſub arbore. 9 Cumque come-
diſſent, dixerunt ad eum: Ubi eſt Sara uxor tua? ille reſpondit: Ecce in tabernacu-
lo eſt. 10 Cui dixit: Revertens veniam ad te tempore iſto, vita comite, & habe-
bit filium Sara uxor tua. Quo audito, Sara riſit poſt oſtium tabernaculi. 11 Erant
autem ambo ſenes, provectæque ætatis, & deſierant Saræ fieri muliebria. 12 Quæ ri-
ſit occulte, dicens: Poſtquam conſenui, & dominus meus vetulus eſt, voluptati ope-
ram dabo? 13 Dixit autem Dominus ad Abraham: Quare riſit Sara, dicens: Num
vere paritura ſum anus? 14 Numquid Deo quidquam eſt difficile? juxta condictum
revertar ad te hoc eodem tempore, vita comite, & habebit Sara filium. 15 Negavic
Sara dicens: Non riſi, timore perterrita. Dominus autem: Non eſt, inquit, ita, ſed
riſiſti. 16 Cum ergo ſurrexiſſent inde viri, direxerunt oculos contra Sodomam, &
Abraham ſimul gradiebatur, deducens eos. 17 Dixitque Dominus: Num celare po-
tero Abraham, quæ geſturus ſum, 18 Cum futurus ſit in gentem magnam, ac robu-
ſtiſſimam, & benedicendæ ſint in illo omnes nationes terræ? 19 Scio enim, quod præ-
cepturus ſit filiis ſuis, & domui ſuæ poſt ſe, ut cuſtodiant viam Domioi, & faciant ju-
dicium, & juſtitiam: ut adducat Dominus propter Abraham omnia, quæ locutus eſt
ad eum. 20 Dixit itaque Dominus: Clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum mul-
tiplicatus eſt, & peccatum eorum aggravatum eſt nimis. 21 Deſcendam, & videbo,
utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint: an non eſt ita, ut ſciam. 22
Converteruntque ſe inde, & abierunt Sodomam: Abraham vero adhuc ſtabat coram
Domino. 23 Et appropinquans ait: Numquid perdis juſtum cum impio? 24 Si fue-
rint quinquaginta juſti in civitate, peribunt ſimul? & non parces loco illi propter quin-
quaginta juſtos, ſi fuerint in eo? 25 Abſit a te, ut rem hanc facias, & occidas ju-
ſtum cum impio, fiatque juſtus ſicut impius: non eſt hoc tuum: qui judicas omnem
terram, nequaquam facies judicium hoc. 26 Dixitque Domious ad eum: Si invenero
Sodomis quinquaginta juſtos in medio civitatis, dimittam omni loco propter eos. 27
Reſpondenſque Abraham, ait: Quia ſemel cœpi, loquar ad Dominum meum, cum ſim
pulvis, & cinis. 28 Quid ſi minus quinquaginta juſtis quinque fuerint? delebis pro-
pter quadraginta quinque univerſam urbem? Et ait: Non delebo, ſi invenero ibi qua-
draginta quinque. 29 Rurſumque locutus eſt ad eum: Sin autem quadraginta ibi in-
venti fuerint, quid facies? Ait: Non percutiam propter quadraginta. 30 Ne quæ-
ſo, inquit, indigneris, Domine, ſi loquar: Quid ſi ibi inventi fuerint triginta? Re-
ſpondit: Non faciam, ſi invenero ibi triginta. 31 Quia ſemel, ait, cœpi, loquar ad
Dominum meum: Quid ſi ibi inventi fuerint viginti? ait: Non interficiam propter vi-
ginti. 32 Obſecro, inquit, ne iraſcaris, Domine, ſi loquar adhuc ſemel. Quid ſi
inventi fuerint ibi decem? Et dixit: Non delebo propter decem. 33 Abiitque Do-
minus, poſtquam ceſſavit loqui ad Abraham: & ille reverſus eſt in locum ſuum.

℣. 1. **A**PPARUIT EI DOMINUS IN CONVALLE MAMBRE.] Deus apparuit Abraham in convalle, aut ſub quercu, aut in nemore, aut in querceto Mambre, quod vox Hebraica אלוני *Elon* hæc omnia ſignificare poteſt, ut ſuperius dictum eſt cap. 13. 18. Oſtendebatur adhuc quarto Eccleſiæ ſæculo, ut ex Sozomeno lib. 2. cap. 3. liquet, quercus, quæ Mambre fuiſſe dicebatur, ſub qua jactabatur Abraham angelis cœnam inſtruxiſſe. Sed fieri nequaquam potuiſſe videtur, ut arbor diutius adeo extiterit, quamquam forte quercetum ad eam uſque diem vigere poterit, & pluribus ſæculis deinceps.

℣. 2. APPARUERUNT TRES VIRI.] Sanctus Ambroſius lib. 1. de Abraham cap 5. credidit, tres hos viros, de quibus hic eſt ſermo, tres Sanctiſſimæ B Trinitatis Perſonas repræſentaſſe. Alii patres veluti Irenæus lib. 3. cap. 6. & lib. 4. cap. 23. Tertullianus lib. 2. contra Marcionem cap. 27. Iuſtinus in Dialogo cum Tryphone, Hilarius l. 4. de Trinitate, Gregorius Nazianzenus, Theodoretus &c. arbitrati ſunt, duos fuiſſe angelos, & tertium fuiſſe Filium Dei, & ſecundam Trinitatis perſonam. Eccleſia in Officio ſuo ſententiam hanc ampleaa videtur, ubi ea repetit verba, quæ in Scriptura non extant, ſed in Sanctis Patribus reperiuntur, velut apud Auguſtinum lib. 2. contra Maximinum cap. 26. art. 9. *Tres vidit, & unum adoravit*. Sirmienſe Concilium eos anathemate perculſit, qui dicerent, Abraham non vidiſſe Filium; ſed Deum ingenitum, aut hujus Dei patrem. S. Auguſtinus lib. 2. & 3. C de Trinit. & lib. 16. de Civit. Dei cap. 29. acerrime tuetur, tres viros, qui apparuerunt Abraham, fuiſſe tres angelos ſub hominum ſpecie, ſub qua ille Deum adoravit.

Viri duo, quos excepit Loth, angeli dicuntur capite 19. ℣. 1. nec alio nomine eos Sanctus Paulus appellat epiſtola ad Hebræos cap. 13. 2. ubi alludit hoſpitio, quo Abraham angelos recepit. Sancti Auguſtini ſententiam paſſim Theologi nunc ampleſtuntur.

CUCURRIT IN OCCURSUM EORUM ...., ET ADORAVIT IN TERRAM.] Abraham hic hoſpitalitatis amorem oſtendit, atque pro hoſpitibus ſuis obſervantiam, & cultum [1]. Feſtinans currit, ut eos invitet, atque coram ipſis humi proſternitur. Verbum D *adorare*, aliquando in Scripturis uſurpatur, ut ſimplex exterior obſervantia ſignificetur, quod ſic, corpus magis, minuſve inclinando, pro illorum merito, & qualitate, qui hunc honorem vel recipiunt, vel reddunt. Actus exterior, quo Deum adoramus, alius prorſus non erat ab eo, quo homines excipiebantur; ſed interiori dumtaxat animi ſenſu diſtinguebatur. Apud Latinos *Adorare*, & apud Græcos Προσκυνεῖν *Proſcunein* juxta vim vocis, *manum oſculari* ſignificant, ritum, quo Idola adorabantur. Hoc patet ex Job 31. 26. *Si vidi Solem, cum fulgeret, & Lunam incedentem clare .... & oſculatus ſum manum meam ore meo, quæ eſt iniquitas maxima*; & libro 3. Regum 19. 18. *Quorum genua non ſunt curvata ante Baal, & omne os, quod non adoravit eum oſculans manus*. Eadem quoque erat Eth- E nicis conſuetudo: *Cæcilius*, ut ait Minutius Felix in Octav. *Simulacro Serapidis denotato, ut vulgus ſuperſtitioſus ſolet, manum ori admovens, oſculum labiis preſſit*. Aliquando etiam adorabatur genua flectendo, uti videre eſt 2. Paralipomen. 6. 17. & tertio Regum 19. 18. & Daniel. 6. 10. Iſai. 45. 23.

℣. 3. DOMINE SI INVENI GRATIAM &c.] Samaritanus textus habet, *Domini mei, ſi inveni gratiam in oculis veſtris*; perinde ac cum pluribus loqueretur. Textus Hebraicus eo modo, quo in Bibliis A noſtris interpungitur; *Domini mei, ſi inveni gratiam in oculis tuis*. Septuaginta, & Sanctus Hieronymus legunt *Adoni* Domini mi, pro *Adonai* Domini mei. Ex hac perſonarum in ſermone immutatione, conjicere poſſumus, Abraham modo tres angelos allocutum eſſe, & modo illum ex tribus, qui ipſi præ cæteris honore, & cultu dignus magis videbatur, in quo Deum ipſe adorabat.

℣. 4. AFFERAM PAUXILLUM AQUÆ, ET LAVATE PEDES VESTROS.] Hebraicus textus habet: *Afferatur, quæſo, pauxillum aquæ, & laventur pedes veſtri*. S. Auguſtinus in Geneſ. quæſt. 34. & S. Hieronymus Ep. ad Pammach. legebant, *Lavem ego pedes veſtros*. Hoc erat præcipuum hoſpitalitatis officium, hoſpitibus lavare pedes. Hoc ipſum præſtat B Lot duobus Angelis, cum Sodomam pervenerunt, Geneſ. 19. 2. Hoc item ipſum domi Laban Eliezero præſtatur, Gen. 24. 32. Jeſus Chriſtus Lucæ 7. 44. queritur, quod Phariſæus, qui ipſum invitarat ad cœnam, aquam pedibus ipſius non dediſſet. Eadem apud profanos quoque eſt conſuetudo. Hæc autem quædam erat neceſſitatis ſpecies ſæpius lavari pedes in regionibus calidis, ubi nudis pedibus incedebant paſſim, aut pedibus ſolea coopertis.

℣. 5. PONAMQUE BUCCELLAM PANIS, ET CONFORTATE COR VESTRUM.] Hebraica vox פת Phat plerumque vertitur *Buccella*. Septuaginta ſimpliciter habent ἄρτον, *panem*, aut *unicum panem*. Nonnulli Grammatici putant, hebraicam vocem revera ſignificare poſſe panem integrum. Vulgata fre- C quenter hanc vocem transfert, *Cibum, panem, Menſam*, ut videre eſt Prov. 23. 8. Dan. 1. 5. & 13. 2. Reg. 12. 3. At juxta Hebraicam Etymologiam *Phat* ſignificat fracturam, ruptionem. Nomen hoc aliquando pani tribuitur, quia frangebatur, non ſecabatur. Vide Geneſ. 42. 1. Nomine vero buccellæ panis, Abraham intelligebat munus, quod hoſpitibus ſuis facturus erat. Pauca enim pollicetur, & plura donat.

IDCIRCO ENIM DECLINASTIS AD SERVUM VESTRUM.] Reor, vos minime huc appuliſſe ſub horam cœnæ *in ipſo fervore diei* [2], niſi ut hoc me dignaremini honore excipiendi vos, & convivium vobis apparandi. Verti quoque poteſt Hebraicus textus [3]: *Quandoquidem* vos huc ad tabernaculum D meum non divertiſtis, niſi ut vires reficeretis.

℣. 6. ACCELERA, TRIA SATA SIMILÆ COMMISCE.] *Satum* autem eſt tertia pars *Epha*, atque ideo tria *ſata* ſunt unum *Epha*; quod ſi ad Romanarum, Italicarumque menſurarum calculos vocaverimus, ſextarios reddet octo, & quadraginta, vel libras octoginta. Ita cœna, quam Abraham tribus Angelis inſtruxit, non admodum exquiſita erat, ſed valde copioſa, ut animadvertit Abbas Fleury libro de moribus Iſraelitarum; atque inde arguit veteres helluones fuiſſe. Patet autem primores illos hoſpitibus ſuis magnam cibi vim apponere conſueviſſe, non adeo tamen magnam eſcarum varietatem; & ante ipſum, quem honore proſequi deſiderabant, magnum, & pingue cibi alicujus fruſtum collocabant. E Joſephus portionem miſit fratri ſuo Benjamin, quæ *quinque partibus excederet* quas aliis fratribus diſtribuit Gen. 43. 34. Samuel integrum vituli armum Sauli aſſervandum curavit, cum illi in Ramatha convivium inſtruxit 1. Reg. 9. 24. Eadem erat veteribus Græcis conſuetudo. Lacedemonum reges imperabant, ut cum Rex coram populo comederet duplex portio illi apponeretur, ut, cui vellet, alterutram impertire poſſet. Ita Xenophon de Republica Lacedemonum. Dominus autem domus ipſe filiorum ſuorum auxilio miniſtrabat convivis, uti hic videtur Abraham, qui vitulum quærit, & coquendum curat, atque præcipit Saræ, ut panes hoſpitibus conficiat.

FAC

1 Vide Ambroſ. l. 1. de Abrah. c. 5. & Aug. ſerm. 179. de verbis Apoſt. Jacobi.
2 Vide verſ. 1.
3 כי על כן. Quandoquidem, Vide c. 9. 8. 33. 10. & 28. 26. & Num. 14. 41.

Fac ſubcinericios panes.] Hebraice vox עֻגֹּת *Huggoth*, quam Septuaginta [1] & Vulgata ſubcinericios panes explicaverunt, juxta Chaldaicam verſionem, & pleroſque interpretum denotat ſpeciem quamdam planę, & tenuis placentæ, quæ ſub cineribus coquitur, aut in patella, vel in æreis lancibus calefactis, aut in lapideis vaſibus ad hoc elaboratis, ſuper quibus, cum accenſa fervent, maſſa ponitur; aut in furno humi effoſſo, circum quem panis diſtribuitur, qui facile coquitur, cum digiti craſſitiem non excedat. Vigent adhuc in Oriente hæ omnes panis coquendi rationes, ut Chardinus teſtatur paſſim in itinerum ſuorum rationario, & Thavenotus parte 2. c. 12. p. 330. & c. 13. p. 495. Apud Arabes quoque, Perſas, Sarracenos, Ægyptios ea viget coquendi panis conſuetudo, ut ferme noſtratibus placentis forma ſit ſimilis. Turcarum furni ſunt veluti lacus ex argilla inverſi, qui calefiunt igne intrinſecus accenſo, ſuper quos maſſa in placentarum ſpeciem elaborata collocatur; auferuntur inde panes prout coquuntur, atque in eorum loco alii ſubſtituuntur. Bellon. l. 2. obſer. c. ultim.

℣. 8. Tulit quoque butyrum, et lac.] Nomine *butyri* intelligi hic poteſt etiam coloſtrum, atque ac in pluribus aliis Scripturæ locis. Hebraica vox Chemath חמאה aliquod ſignificat liquans, & poculentum. In calidis Orientis regionibus butyrus liquens, & perculans, in vaſibus aſſervatur, aut utribus velut oleum gelu conſtrictum, cujus prope colorem imitatur, & plerumque ſuaviſſime redolet; ut refert Chardinus in Perſicis itineribus t. 3. p. 105. & t. 2. p. 63. In libro Iudicum c. 5. v. 25. ſcriptum eſt, Jahel Siſaræ lac præbuiſſe, atque ei in phiala [2] butyrum obtuliſſe, Sophar unus ex amicis Job [3] dicit, quod impius non videbit *rivos fluminis, torrentes mellis, & butyri*. Denique Job priſtinæ ſuæ felicitatis ſtatum deſcribens cap. 24. 6. narrat, ſe lavare conſuevisse pedes butyro, ac ipſi petras fudiſſe rivos olei. Hæ omnes dicendi rationes indicant, butyrum liquentem fuiſſe. Adde inſuper locum hunc Proverbiorum 30. 33. *Qui autem fortiter premit ubera, ad eliciendum lac, exprimit butyrum &c.*

Ipse vero stabat juxta eos sub arbore.] Hæc loquendi ratio *ſtare juxta aliquem*, paſſim illi ſervire ſignificat; atque in hunc ſenſum Chaldaica verſio, aliique plures intelligunt.

℣. 9. Cumque comedissent.] Vere ne illi comederunt? Paraphraſtes Jonathan, nonnulli Rabbini in Thalmud, Theodoretus quæſt. 69. S. Thomas 1. parte quæſt. 51. art. 2. & 3. ad 5. aliique Interpretes contendunt ipſos nequaquam comediſſe, ſed viſos fuiſſe comedere. Angelus Raphael, qui comitatus eſt adoleſcentem Tobiam peregrè proficiſcentem, ait ſe non manducaſſe, quamquam manducare viſus fuiſſet Job. 12. 19. Reveta videtur minimè fieri potuiſſe, ut corpora ex aere compacta, & quibus extima tantum humani corporis ſpecies erat, & quæ Angeli aſſumpſerant, ut ſe videndos præberent Abraham, & Lot, proprie manducarent, ac digererent.

Alii verò cum Vatablo arbitrantur, tres Angelos, cum vera, & organice elaborata corpora induiſſent, potuiſſe vera manducare; non autem in propriam ſubſtantiam corporales eſcas, quas comederant, convertiſſe; ſed eas per tranſpirationem ſe diſſipaſſe; atque omnia, quæ in hæc ementita corpora ingeſta ſunt, evanuiſſe, ſimul ac Angeli ab oculis hominum ſe ſe eripuerunt; quod videre eſt apud Cornelium a Lapide, & Menochium. S. Juſtinus in Dialogo cum Tryphone non inficiatur, Angelos comedere potuiſſe; at non invictum adeo profert argumentum. Ait enim, in cœlis quoque Angelos manducare cibum, de quo dicitur; *Panem Angelorum manducavit homo*. At Filius Dei, qui illorum primus erat, qui Abrahamo apparuerunt,

A haud comedit; aut ſi ex tribus illis unumquemque manducaſſe aſſeramus, vox illa *comedere* in ſenſu figurato erit intelligenda; veluti cum ignis dicitur comedere, atque ea omnia ad comburendum apta abſumere, quibus hæſeris.

Tertullianus l. 3. contra Marcionem capite nono non veretur fateri, Angelos in naturali carne apparuiſſe, atque ipſos verè manducaſſe. Sanctus Auguſtinus ſermone 362. de reſurr. c. 11. p. 1423. nov. edit. aſſerit Angelos comedere potuiſſe; & diſcrimen, quod intercedere ait inter hominem, atque Angelum comedentem, illud eſſe, quod eſca mortales indigent, non ita vero Angeli, æque ac corpora, quæ revixerunt; quæ nihilominus vere manducare queunt, veluti Jeſus Chriſtus poſt reſurrectionem man-
B ducavit: atque libro 13. de Civitate Dei c. 22. ait, non credendum eſſe in ſpeciem tantummodo Angelos, qui hominibus apparuerunt, manducaſſe; realiter quippe manducabant. Et cum Raphael ait Tobiæ: *Videbar quidem vobiſcum manducare, & bibere; ſed ego cibo inviſibili, & potu, qui ab hominibus videri non poteſt, utor*; hoc non ſatis eſt, ut inde arguamus, revera non manducaſſe. Verum illi, qui ipſum comedentem intuebantur, credebant, ipſum eſcis indigere, dum ille ſimpliciter veſcebatur, quia veſci volebat. Priſci, qui Angelos corporeos credebant, non eadem irretiti erant difficultate, ut Angelos manducaſſe crederent, qua nos ſumus, qui illos ſpiritus credimus.

Dixerunt ad eum: Ubi est Sara.] Septua-
C ginta habent, *Dixitque ad eum, ubi eſt Sara?* Et verſiculo ſequenti unus dumtaxat Angelus locutus fuiſſe videtur. Moyſes in narratione hac univerſa promiſcue perſonis ſingularem, ac multitudinis numerum tribuit; vel arcani alicujus myſterii cauſa, aut quia Angelis uno agentibus animo, tribus aliquando tribuitur, quod unus fecerit. Angeli hic ſe ſe prodere incipiunt Abrahamo, ipſius uxoris nomen prodentes, atque illi filium polliciti.

℣. 10. Revertens veniam ad te tempore isto, vita comite.] Angelus humano modo loquitur. Eliſeus 4. Regum 4. 16. hoſpiti ſuæ filium pollicitus, iiſdem vocibus utitur, quas hic legimus. Confer Geneſ. c. 17. ver. 21. In hanc ſententiam quoque explicari poſſunt ea verba: Intra anni ſpatium Sara, ſi
D Deus illius vitam tuebitur, filium pariet; vel juxta Onckelos, Grotium, aliosque: Revertar hoc tempore, & vos viventes inveniam, & Sara habebit filium; vel denique: Revertens veniam ad te tempore iſto, & Filio Saræ vita erit, & ſalus. Septuaginta [4] *Vitæ* vocem, quæ eſt in Hebraico, minime expreſſerunt; dicunt enim ſolum: *Revertens veniam tempore ipſo, eadem anni vice*. Ex textu hebraico [5] ad litteram: *Revertar ad te ſecundum tempus vitæ*; perinde ac ſi diceret: Ni grave aliquid mihi contigerit præter ordinem, atque conſilium, ut mors &c. Hæc enim exceptio a veterum religione proficiſcebatur in fide præſtanda. Non apparet au-
E tem ex hiſtoria Angelos anno ſequenti reverſos fuiſſe ad Abraham; ſed illum efficaciter inviſerunt fide præſtita, atque Iſaac nativitate.

Sara risit post ostium tabernaculi.] Hebraicus textus diligentius rem narrat: *Sara ſtans ad oſtium tabernaculi audivit illum, atque oſtium hoc erat poſt Angelum, qui loquebatur*. Textus non ait hic Saram riſiſſe, quemadmodum nec Chaldaica lectio, nec Septuaginta. Hi notant, Saram fuiſſe poſt angelum, ſed Chaldaici, & Hebraici textus conſtructio oſtendit oſtium fuiſſe poſt angelum.

℣. 11. Erant autem ambo senes, provectæque ætatis, et desierant Saræ fieri muliebria.] Moyſes aperit cauſam riſus Saræ. Illi promittebatur filius naſciturus, at illa ſe naturaliter ſterilem eſſe ſciebat, Geneſ. 11. 30. & provecta ætate,

1 70. Ἐγκρυφίας 2 Heb. ספל Sympulum. 3 Job. 20. 17.
4 Κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον εἰς ὥρας.
5 כעת חיה

uti quoque Abraham, atque præterea ex certis indiciis agnoſcebat, ſe juxta naturæ ordinem filios gignere nequaquam poſſe [1]. Quibus argumentis ſibi perſuaſerat Sara, fieri nequaquam poſſe, ut ex ea filius, qui promittebatur, naſceretur. At hæ conſiderationes minimum fidem Abraham imminuerunt; atque ideo Sanctus Paulus Rom. 4. 19. Patriarchæ hujus meritum extollit, dicens, ipſum nihil hæſiſſe, ut crederet, Saram filium parituram, quamquam centum annos natus capularis ſenex eſſet, atque corpus ſuum emortuum, atque in Sara gignendi virtutem extinctam agnoſceret.

Ultra annos quinquaginta mulierum fœcunditas non viget, ut ii aſſerunt, qui naturæ leges ſcrutantur: Saræ autem nonaginta erant anni. Plinius lib. 7. c. 14. & 15. ait: *Mulier poſt quinquageſimum annum non gignit: majorque pars quadrageſimo profluvium genitale ſiſtit*. Sed homines generare valent uſque ad octogeſimum annum. *Poſt annum quinquageſimum omnium mulierum fœcunditas conquieſcit*, Solinus inquit; *Nam in annum octogeſimum viri generant*; & liquet poſt Iſaac nativitatem, Abraham plures ortos fuiſſe filios ex Cethura. Sanctus Auguſtinus quoque l. 16. de Civit. cap. 8. & quæſt. 35. in Geneſ. tradit id, quod ait Sanctus Paulus de corpore Abraham, quod *Emortuum corpus* appellat, intelligendum eſſe reſpectu Saræ, e qua filios Abraham habere non poterat, quod ſterilis erat.

℣. 12. QUÆ RISIT OCCULTE.] Sanctus Ambroſius lib. 1. de Abraham cap. 5. credit, Saræ riſum myſticum fuiſſe, quippe qui gaudium referret, quo Iſaac nativitas erat excipienda. Sed Sanctus Auguſtinus lib. 16. de Civit. cap. 31. & quæſt. 36. in Geneſ. non dubitat hunc dubietatis fuiſſe riſum, ac diffidentiæ; atque diſcrimen oſtendit inter riſum Saræ, atque Abraham, quoniam riſus Abraham admirationis erat, & gaudii. Sara hac in re non ſe optime geſſit, eamque angelus arguit, & ipſa mendacio ſe ſe excuſare contendit. Si illa hoſpites hos ſimplices homines arbitrabatur, naturale prorſus erat illorum promiſſiones irridere: at non erat, cur mendacio ſe ſe excuſaret, quod riſerat: ſin autem illius meritum intelligebat, qui filium ipſi pollicebatur Dei nomine, perperam profecto egit ridens; riſumque mendacio obtegens oleum camino addidit.

POSTQUAM CONSENUI, UT DOMINUS MEUS VETULUS EST VOLUPTATI OPERAM DABO.] Sanctus Petrus Apoſtolus Epiſt. 1. cap. 3. 6. commendat Saræ modeſtiam, atque erga Abraham, quem Dominum [2] appellat, obſervantiam. Onkelos ita hunc verſiculum vertit: *Poſtquam conſenui, ego repueraſcam, & Dominus meus vetulus eſt*. Aquila [3]: *Poſtquam effracta ſum ſenio, voluptati operam dedi &c.* Septuaginta [4]: *Hoc non mihi contigit haſtenus*; ſcilicet, filios numquam peperi: aut juxta alios quoſdam: *Ego matrimonio uſa non ſum, & vir meus ſenex eſt*, num ratione ulla ſperare poſſum, futurum ut utar? Symmachus [5]: *Poſtquam conſenui, repueraſcam*.

℣. 14. NUMQUID DEO QUIDQUAM EST DIFFICILE.] Hebraicus textus [6] varie transfertur: *Aliquid ne Deo mirabile eſt*: aut *ſtupore dignum*? Eſtne quidquam mirum adeo, quod fieri nequeat? Paraphraſtes Onkelos: *Aliquidne occultum eſt Domino*? Nonne ſcit ille, te riſiſſe? vel potius latet ipſum, quid futurum ſit? num fallere ille poteſt, aliquid incertum promittens, & quod fieri nequeat? Aliqui vertunt: Num aliquid eſt, quod obeſſe valeat executioni voluntatis Dei?

℣. 18. ET BENEDICENDÆ SINT.] Vide Geneſim 12. 3.

℣. 19. ..... ET FACIANT JUDICIUM, ET JUSTITIAM.] Hæc verba, *Facere judicium, & juſtitiam*, ſignificare poſſunt: *Omnia juſtitiæ officia in Deum, & proximum exercere*. Ezech. 33. 16. 19. Aliquando *Juſtitia* ſignificat rigorem, ac juſtitiæ ſeveritatem; & *Judicium* indulgentiam notat, & clementiam; Jerem. 10. 24. & 30. 11. Denique cum ſermo eſt de judice, qui facit juſtitiam, ac judicium, illius oſtenditur æquitas, rectitudo, atque ad jus dicendum attentio 2. Reg. 8. 59. & 3. Reg. 10. 9.

℣. 20. CLAMOR SODOMORUM, ET GOMORRHÆ MULTIPLICATUS EST.] Biblia duarum modo urbium nomina exprimit, quæ magis præſtabant inter quinque, quorum excidium ſtatutum erat.

Verti poſſet *fama*, *ſtrepitus* (criminum) *Sodomorum* &c. Sed *Clamor* melius ob oculos ponit exceſſum iniquitatum damnatarum urbium; atque inſolentiam, qua illæ patrabantur. Vide Iſaiam v. 7. Ovidius eamdem rem notat, quæ hic in Biblia fertur, Metam. 1. Fab. 6. v. 21.

Contigerat noſtras infamia temporis aures,
Quam cupiens falſam ſummo delabor Olympo,
Et Deus humana luſtro ſub imagine terras.
Longa mora eſt, quantum noxæ ſit ubique repertum
Enumerare: minor fuit ipſa infamia vero.

Clamor hic, ait Auguſtinus locution. de Geneſ. lib. 1. art. 59. notat in ſcripturis peccatoris audaciam, qui nec timore cohibetur, nec verecundia. Homerus quoque loquitur de inſolentia, ac injuſtitia clamante: Illorum injuriæ, & violentiæ uſque in cœlum ferreum aſcenderunt.

℣. 21. DESCENDAM, ET VIDEBO.] Ego ipſe Sodomam ibo, ut videam, quid fit. Cum de judicio agitur, aut damnatione, cautio nulla poteſt umquam eſſe ſatis.

UTRUM CLAMOREM, QUI VENIT AD ME, OPERE COMPLEVERINT.] Hebraicus textus [7] ita quoque verti poteſt: *Utrum egerint ſecundum clamorem urbis iſtius, & utrum illorum crimina completa ſint*. Aliter: utrum crimina patrarint, quæ poſtrema ſupplicia, & commune excidium promereantur. Alii quoque vertunt, *Utrum fecerint omnia*, vel *omnino* [8]. Hanc vero in ſententiam Septuaginta, ac Vulgata intellexiſſe videntur; Videbo, an ea omnia patrarint, quæ paſſim jactantur.

Chaldaica verſio aliud intelligit; *Num ceſſare fecerint*. Utrum pœnitentiam egerint, atque ea ſceleſta, quæ clamabant, reliquerint. Grotius noviſſimam hanc explicationem ſequitur, atque oſtendit, verbum Calah paſſim, ſe ſe abſtinere, ſignificare. Ludovicus de Dieu ita intelligit: Sciam, an id conſilii cœperint, ut in ſceleribus ſuis perſeverent. *Utrum ſit conſummatum conſilium*, &c. Vide 1. Reg. 20. 33. & Iſai. 10. 22. Denique ita quoque explicari poteſt; *Videbo, an illorum actiones clament adeo, ut dicitur*; quod ſi ita eſt, (deſtruam abſque miſericordia) *Conſummationem faciam*.

℣. 22. CONVERTERUNTQUE SE INDE, ET ABIERUNT SODOMAM.] Abraham illos minime comitatus eſt, ſed manſit cum illo ex tribus angelis, qui haſtenus fuerat collocutus. *Abraham vero adhuc ſtabat coram Domino*. Critici Hebræi apud Druſium aſſerunt,

1 Plin. l. 7. c. 15. *Quibuſdam non fluit menſtruum, & illæ non gignunt; quando hoc eſt generandi hominis materia*. Vide Ariſt. l. 7. Hiſt. Anim. c. 2.

2 Veteres quoque Græci marito domini nomen tribuebant; ex. gr. *Arpatis, & ejus Dominus*, id eſt, *Arpatis, & ejus maritus*. Scholiaſt. Ariſtoph. in Equitib. act. 2. ſc. 4.

3 Aquila, Μετὰ τὸ κατατριβῆναί με, Ἐγένετό μοι τρυφή.

4 70. Οὔπω μέν μοι γέγονεν ἕως τοῦ νῦν, ὁ δὲ κύριός μου πρεσβύτης. Vide Philonem l. 2. alleg. leg. p. 101. Οὔπω μοι γέγονε τὸ εὐδαιμονεῖν, ἕως τοῦ νῦν, ὁ γὰρ κύριός μου πρεσβύτερός ἐστι.

5 Sym. μετὰ τὸ παλαιωθῆναί με, ἐγένετό μοι ἀκμή. Heb. אחרי בלתי היתה לי עדנה.

6 היפלא מיהוה דבר. 7 הכצעקתה הבאה אלי עשו כלה. Sym. συντέλειαν ἐποίησαν. 70. συντελοῦνται.

8 כל, Omnia.

ferunt, quod olim legebatur; *At Dominus erat adhuc coram Abraham*. Quare paullo poſt dicitur, Abraham Domino appropinquaſſe (℣. 23.); *Et appropinquans ait*. At hanc correctionem Judæi tantum ſequuntur, & nos probe percipimus Abraham remanſiſſe cum hoc tertio angelo honoris gratia, dum alii duo Sodomam verſus procederent: & ſimulac tertius hic angelus illi conſilium, quod inierat, detexit Sodomæ evertendæ, Abraham appropinquavit, ut precibus ſuis eum flectere conaretur. Chaldaica verſio, & Rabbini Maimonides, & Manah, quos Grotius ſequitur, explicant hæc verba, *Abraham ſtabat coram Domino*: perinde ac Abraham Dominum rogaſſet. In Scriptura *Stare* aliquando *rogare* ſignificat; ſed non reor, hoc iſtic ſignificari.

℣. 25. QVI JVDICAS OMNEM TERRAM, NEQVAQVAM FACIES JVDICIVM HOC.] Hebraice hoc tertiæ perſonæ tribuitur: *Judex omnis terræ nequaquam faciet judicium hoc*; vel, *Judex univerſæ terræ non faciet juſtitiam?* Juſtum cum impio omnes ſimul mulctabit.

℣. 27. QUIA SEMEL COEPI, LOQUAR &c.] Hoc modo quoque Hebraicus textus [1] verti poteſt: *Quandoquidem alloqui volui Dominum meum*; vel, Quandoquidem loqui auſus ſum. Malvenda transfert: Quandoquidem imprudens, ac demens fui, ut tecum loquerer. Septuaginta [2]; quandoquidem tecum locuturus ſum, quandoquidem id inii conſilium, ut tecum loquerer &c. In editione Complutenſi [3] ita vertunt, ut Vulgata; Cœpi loqui ad Dominum, & ſum cinis, &c.

℣. 28. QVID SI MINVS QVINQVAGINTA JVSTIS, QVINQVE FVERINT? DELEBIS PROPTER QVADRAGINTA QVINQVE.] Idem eſt ſenſus, ſed non eadem conſtructio textus Hebraici: *Si numero quinquaginta deerunt quinque, delebis univerſam urbem propter hos quinque, qui numero quinquaginta deerunt?* Hæc omnis gradatio Abraham eo ſpectabat præcipue, ut Loth nepotem ſuum incolumen redderet; quem propter modeſtiam nominare non audet; verum credit, Loth, quem juſtum putat, a Deo liberatum iri, ſi unus ille liberandus eſſet, atque ſi alii quidam cum ipſo viri juſti fuerint, quinque urbes univerſas eorum habita ratione ex excidio eſſe eripiendas.

Abraham argumentum principio huic, quod fallere nequit, innititur; nimirum Deum numquam in juſtum animadvertere propter impium. Verum tamen eſt calamitatibus publicis, ac temporalibus viros pios ſæpius æque obrui, ac impios: veritas quippe nos edocet, tribulationes, & humiliationes magis prodeſſe electis, ac juſtis, quam res ſecundas, ac elationem: ſed hæ veritates minus agnoſcebantur, dum lex naturæ, aut lex ſcripta vigerent: mala enim temporalia, veluti vera mala cenſebantur; atque puſilli ſcandalum paſſi fuiſſent, ſi inſontem una cum ſontibus ſupplicio affectum vidiſſent, cum Deus palam, & publice in impios deſæviret. Abraham loquitur juxta has communes ideas, quamquam illius firmior fides, & ſublimiores ſenſus proponerent illi mala, quibus juſtos probari Deus ſinit, veluti E inſtrumenta, quibus ipſe utitur, ut juſtorum virtutem confirmet, atque illorum meritum augeat.

Viri Sancti, atque cœleſti lumine afflati non ceſſant rogare Deum, ut ab ipſo, alioque publicas, & particulares, præſentes, & futuras calamitates avertat; quamquam illis ea, quam modo expoſui- A mus, veritas innoteſcat; atque Redemptor ea, quam nos docuit, prece vult poſci a Deo, *ne nos inducat in tentationem*, videlicet ut nos ab occaſionibus illius lædendi, quibus poſſemus obiici, ſemoveat; atque ab iis tentationibus, cum adſunt, incolumes præſtet.

Hiſtoria hæc receptionis trium angelorum, & nativitatis Iſaac, mendaciis irretita in ea fabula celatur, quam Ovidius de Jove, Mercurio, atque Neptuno refert [4]. Cum tria hæc numina quondam inter homines iter facerent, ut, quemadmodum hi viverent, intelligerent, ſero venerunt prope tugurium quoddam ſenem Hyriæum; qui ſimulac eos vidit, ut ſecum ingrederentur, invitavit, atque hoſpitibus ſuis pro viribus convivium apparavit. Illi po- B ſtea ab eo popoſcerunt, quid vellet, ut beneficia illius paria facerent; illiſque reſpondit, ſe filii habendi deſiderio teneri, quin uxorem ducere cogeretur; priori enim conjugi ſuæ, antequam obiret, voverat, ſe nullam aliam eſſe ducturum. Dii confeſtim petitioni ſubſcripſere, atque illi filium dedere in corio bovis, quem ipſe illis immolaverat, & in quod illi lotium emiſerant, Hyriæo præcipientes, ut illud injecta arena obrueret, & poſt novem menſes detegeret. Hinc autem Orion extitit.

Nomine Hyriæi facile Abraham intelligitur, qui venit de urbe Ur. Tres angeli, quos Abraham recepit, & tres Dei, quos Hyriæus recepit, facile ad invicem referri ſentiuntur. Voces Hebraicæ [5], quibus utuntur angeli, ut Abraham polliceantur filium, C legi queunt, quin nihilum immutentur, & hanc ſententiam referent: Filius erit in Tauro tui holocauſti. Palæphatus refert, quod Dii *projecerunt ſemen in Taurum*; atque in Scripturæ locutionibus, *Dare ſemen*, ſignificat dare poſteritatem.

Priſcis maximæ erat curæ hoſpitalitatem exercere; credebant [6] quippe Deos hominum ſpeciem induentes iter facere in terris, velut pauperes, & advenas, ut actiones hominum injuſtas, ac violentas intuerentur. Timebant autem, ne ſi advenam aliquem repellerent, numen aliquod ea afficeretur injuria [7]. Hoſpitalitas vero tamquam res ſacra colebatur, & menſa, cui hoſpites accubabant, particularem inde percipiebat ſanctitatem. Hoſpitalitatis jura ſancta erant, eaque violare ſummum nefas. Apud veteres Ro- D manos, ut eſt apud Gellium lib. 5. cap. 13. primum occupabant locum pupilli, fidei, tutelæque cujuſquam crediti. Secundum Clientes, qui ſe ſe itidem in fidem, patrociniumque illius dederant; tertium vero hoſpites; poſtea cognati, ac affines. Sed Maſſurius Sabinus teſtatur, veteres ponere conſueviſſe hoſpites cum clientibus. Frequentes angelorum apparitiones Patriarchis locum plane dederunt Poetis dicendi, quod Numina habent in terris quamplurimos exploratores, qui hominum actiones ſcrutentur [8].

℣. 23. SI INVENTI FUERINT IBI DECEM?] Abraham non audet rogare ulterius, ne importunus videatur. Credit autem procul dubio, futurum ut decem ſaltem inveniantur juſti. Sed illi nimium bona erat de ipſis opinio. Unus Loth cum familia ſua inventus eſt. Cum Dominus decrevit excidium Hieruſalem, per Jeremiam Urbis illius incolis dixit futurum eſſe ut parceret civitati, ſi unus dumtaxat juſtus inveniretur Jerem. 5. 1. *Quærite in plateis ejus, an inveniatis virum facientem judicium, & propitius ero ei*.

1 הנה נא הואלתי. 2 Ἐπειδὴ ἤρξάμην λαλῆσαι. 3 Νῦν ἠρξάμην.
4 Ovid. Faſt. l. 5. Vide & Palæphat. c. 5. & Eraſtoth. c. 93. & Clericum in Biblioth. univerſali.
5 לשרה משרון 6 Homer. Odyſſ. P. 7 Homer. Odyſſ. Z. Vide & Platon. in Sophiſta.
8 Heſiod. lib. 1. Oper. & dies.

CAPUT XIX.

Angeli perveniunt Sodomam, eoſque domi ſuæ Lotb recipit. Vis incolarum Sodomæ. Lotb ſe recipit Segor, & illius uxor in ſtatuam ſalis convertitur. Deſtructio Sodomorum, & Gomorrhæ, aliarumque impiarum urbium. Inceſtus Lotb cum ſuis duabus filiis.

1 VEneruntque duo Angeli Sodomam veſpere, ſedente Lot in foribus civitatis;
Qui cum vidiſſet eos, ſurrexit, & ivit obviam eis; adoravitque pronus in
terram, 2 Et dixit obſecro, domini, declinate in domum pueri veſtri, &
manete ibi: lavate pedes veſtros, & mane proficiſcemini in viam veſtram. Qui dixe-
runt; Minime, ſed in platea manebimus. 3 Compulit illos oppido, ut diverterent
ad eum: ingreſſiſque domum illius fecit convivium, & coxit azyma, & comederunt.
4 Prius autem quam irent cubitum, viri civitatis vallaverunt domum illius a puero uſ-
que ad ſenem, omnis populus ſimul. 5 Vocaveruntque Lot, & dixerunt ei: Ubi ſunt
viri, qui introierunt ad te nocte? educ illos huc, ut cognoſcamus eos. 6 Egreſſus
ad eos Lot, poſt tergum occludens oſtium, ait: 7 Nolite, quæſo, fratres mei, no-
lite malum hoc facere. 8 Habeo duas filias, quæ necdum cognoverunt virum: edu-
cam eas ad vos, & abutimini eis, ſicut vobis placuerit, dummodo viris iſtis nihil ma-
li faciatis, quia ingreſſi ſunt ſub umbra culminis mei. 9 At illi dixerunt: Recede il-
luc. Et rurſus: Ingreſſus es, inquiunt, ut advena, numquid ut judices? te ergo ip-
ſum magis, quam hos affligemus. Vimque faciebant Lot vehementiſſime: jamque pro-
pe erat, ut effringerent fores. 10 Et ecce miſerunt manum viri, & introduxerunt ad
ſe Lot, clauſeruntque oſtium. 11 Et eos, qui foris erant, percuſſerunt cæcitate a mi-
nimo uſque ad maximum, ita ut oſtium invenire non poſſent. 12 Dixerunt autem ad
Lot: Habes hic quempiam tuorum? generum, aut filios, aut filias, omnes, qui tui
ſunt, educ de urbe hac: 13 Delebimus enim locum iſtum, eo quod increverit clamor
eorum coram Domino, qui miſit nos, ut perdamus illos. 14 Egreſſus itaque Lot lo-
cutus eſt ad generos ſuos, qui accepturi erant filias ejus, & dixit: Surgite, & egre-
dimini de loco iſto: quia delebit Dominus civitatem hanc. Et viſus eſt eis quaſi lu-
dens loqui. 15 Cumque eſſet mane, cogebant eum Angeli dicentes: Surge, tolle uxo-
rem tuam, & duas filias, quas habes: ne & tu pariter pereas in ſcelere civitatis.
16 Diſſimulante illo, apprehenderunt manum ejus, & manum uxoris, ac duarum filia-
rum ejus, eo quod parceret Dominus illi. 17 Eduxeruntque eum, & poſuerunt extra
civitatem: ibique locuti ſunt ad eum, dicentes: Salva animam tuam: noli reſpicere poſt
tergum, nec ſtes in omni circa regione; ſed in monte ſalvum te fac, ne & tu ſimul pe-
reas. 18 Dixitque Lot ad eos; Quæſo, Domine mi, 19 Quia invenit ſervus tuus
gratiam coram te, & magnificaſti miſericordiam tuam, quam feciſti mecum, ut ſalvares
animam meam, nec poſſum in monte ſalvari, ne forte apprehendat me malum, & mo-
riar. 20 Eſt civitas hæc juxta, ad quam poſſum fugere, parva, & ſalvabor in ea;
numquid non modica eſt, & vivet anima mea? 21 Dixitque ad eum: Ecce etiam in
hoc ſuſcepi preces tuas, ut non ſubvertam urbem, pro qua locutus es. 22 Feſtina,
& ſalvare ibi, quia non potero facere quidquam, donec ingrediaris illuc. Idcirco vo-
catum eſt nomen urbis illius Segor. 23 Sol egreſſus eſt ſuper terram, & Lot ingreſ-
ſus eſt Segor. 24 Igitur Dominus pluit ſuper Sodomam, & Gomorrham ſulphur, &
ignem a Domino de cœlo; 25 Et ſubvertit civitates has, & omnem circa regionem,
univerſos habitatores urbium, & cuncta terræ virentia. 26 Reſpicienſque uxor ejus
poſt ſe, verſa eſt in ſtatuam ſalis. 27 Abraham autem conſurgens mane, ubi ſteterat
prius cum Domino. 28 Intuitus eſt Sodomam, & Gomorrham, & univerſam terram
regionis illius: viditque aſcendentem favillam de terra quaſi fornacis fumum. 29 Cum
enim ſubverteret Deus civitates regionis illius, recordatus Abrahæ, liberavit Lot de
ſubverſione urbium, in quibus habitaverat. 30 Aſcenditque Lot de Segor, & manſit
in monte, duæ quoque filiæ ejus cum eo (timuerat enim manere in Segor) & manſit

in ſpelunca ipſe, & duæ filiæ ejus cum eo. 31 Dixitque major ad minorem: Pater no-
ſter ſenex eſt, & nullus virorum remanſit in terra, qui poſſit ingredi ad nos juxta mo-
rem univerſæ terræ. 32 Veni, inebriemus eum vino, dormiamuſque cum eo, ut ſer-
vare poſſimus ex patre noſtro ſemen. 33 Dederunt itaque patri ſuo bibere vinum no-
cte illa: Et ingreſſa eſt major, dormivitque cum patre: at ille non ſenſit, nec quan-
do accubuit filia, nec quando ſurrexit. 34 Altera quoque die dixit major ad mino-
rem: Ecce dormivi heri cum patre meo, demus ei bibere vinum etiam hac nocte, &
dormies cum eo, ut ſalvemus ſemen de patre noſtro. 35 Dederunt etiam & illa nocte
patri ſuo bibere vinum, ingreſſaque minor filia, dormivit cum eo: & ne tunc quidem
ſenſit, quando concubuerit, vel quando illa ſurrexerit. 36 Conceperunt ergo duæ
filiæ Lot de patre ſuo. 37 Peperitque major filium, & vocavit nomen ejus Mo-
ab: ipſe eſt pater Moabitarum uſque in præſentem diem. 38 Minor quoque pepe-
rit filium, & vocavit nomen ejus Ammon, id eſt, filius populi mei; ipſe eſt pater
Ammonitarum uſque hodie.

℣. 1. VENERUNTQUE DUO ANGELI.] Tertius Angelus cum retro ſimul cum Abraham permanſiſſet, non apparuit amplius, poſtquam receſſit ab eo; atque duo tantum Angeli in hac hiſtoria Loth perſpiciuntur. A

SEDENTE LOTH IN FORIBUS.] Ex hoc loco inferunt Judæi, Loth unum fuiſſe ex magiſtratibus, & judicibus Sodomorum, qui conveniebant juxta regionis conſuetudinem prope urbis januam. Sed id, quod cives Sodomæ dicunt Loth verſiculo 9. diruit hanc opinionem. *Ingreſſus es ut advena, numquid ut judices?* Loth autem adſtitit in foribus civitatis, vel fortuito, vel eo conſilio, ut erga advenam aliquem hoſpitalitatis munere fungeretur; non enim tunc temporis diverſoria erant in urbibus, neque in viis, B quemadmodum neque hodie in Oriente inveniuntur,[1] niſi forte adſit Hoſpitium aliquod, vel publica domus, ubi gratuito iter facientes excipiantur.

℣. 2. MINIME, SED IN PLATEA MANEBIMUS.] Locus cœtuum, & conventiculorum paſſim erat prope portam urbis, ut ex pluribus Scripturæ locis innoteſcit, 2. Par. 29. 4. & 32. 6. & 2. Eſd. 8. 16. Ibi autem ſe noctem tranſigere velle ſimulatunt Angeli; quæ ſimulatio mendacium exiſtimari nequaquam debet: hoc enim urbanitatis officium eſt, quo apud Loth ſeſe excuſare contendunt. Hoc enim Dei erat conſilium Divinos hoſpites aliquandiu in platea immorari, dum interim eos Loth invitaret ad declinandum domum ſuam; ut habitatores Sodomorum aſpicerent illos; & illis inſultandi nacti occaſionem C ſua fœdiſſima ſcelera proderent.

℣. 3. FECIT CONVIVIUM, ET COXIT AZYMA.] Septuaginta [2], & Hebraicus textus [3] ad litteram habent, *Fecit ipſis compotationem, & Mazoth*. Sed vox, quæ compotationem ſignificat, fere *convivium* transfertur; ut apud latinos *Compotatio*, & Græcos *Sympoſion*. Hebraica vox *Mazoth*, quæ vertitur *Azyma*, ſignificat panes celeriter confectos, aut placentas ſine fermento. Græci *Maza* vocant Maſſæ genus qua antiquitus utebantur, ut videre eſt apud Athenæum, Ariſtophanem, atque Henrici Stephani theſaurum ad hanc vocem *Maza*. Hæc erat ex farina plerumque hordeacea, & aliquando triticea, quæ ſubigebatur cum aqua, aut lacte, aut oleo, cum melle mero dulci, aut ſapa; quæ maſſa, aut im- D mixtio non cocta comedebatur. Pauperes vulgo hac eſca utebantur pro pane: & divites quoque aliquando ea veſcebantur: ſed ſapidius magis condiebatur cum melle, vel aliis gratis liquoribus, atque ex mera triticea farina conficiebatur.

Patet autem cibum hunc communem fuiſſe inter Hebræos, ut colligitur ex Levit. 23. 14 Ruth. 14. 11. Joſue 5. 2. 1. Reg. 17. 17. &c. Farina cum oleo ſubacta (Levit. 2. 1. & 6. 15. & alibi) quæ vino, & ſale aſpergebatur, ac in Sacrificiis pro gratiarum actione uſurpabatur, & maſſa, quam Principes Iſrael in lancibus obtulerunt Num. 7. 13. & ſequentibus, erant plane id, quod Græci vocabant *Maza*. Hebraice eodem nomine appellantur panes, qui manducari debebant ſeptem dies ſolemnitatis Paſchatis, Exod. 7. 8. 15. & placentæ, & panes, qui ſemper aderant in ciſtula apud Altare holocauſtorum in tabernaculo. Hebræi maſſam hanc, aut hanc farinæ immixtionem paſſim coquebant. Sed Græci vulgo eam comedebant, quin coqueretur. Sed ut redeamus ad Loth, Moyſes ait, ipſum Angelis præparaſſe compotationem, & panem recentem, aut azymum: ſcilicet illos excepiſſe convivio pro regionis modulo, illiſque optimam cœnam apparaſſe.

℣. 4. OMNIS POPULUS SIMUL.] Hebraice כל חעם מקצה: *Omnis populus ab extremitate*, videlicet ab extremitatibus omnibus, & omnibus partibus urbis convenerunt: vel potius ex omnibus generibus, qualitatibus, & conditionibus a primo uſque ad poſtremum. Moyſes dicens civitatem omnem, juvenes, & ſenes, a primo uſque ad noviſſimum conveniſſe ante domum Loth, oſtendit, harum urbium corruptionem extremam fuiſſe, atque univerſalem.

℣. 5. UT COGNOSCAMUS EOS.] Peſſimum ſuum conſilium hac ſimulata voce ſignificant. Aliqui, Vatabus inquit, contendunt, illos ſimulaſſe, velle ſimpliciter noſſe, cujates eſſent illi advenæ, quos Loth in Urbem receperat.

℣. 8. HABEO DUAS FILIAS, QUÆ NECDUM COGNOVERUNT VIRUM; EDUCAM EAS AD VOS; ABUTIMINI EIS.] En miram plane propoſitionem! Si Loth erat juſtus, quemadmodum dubitare eſt nefas; quomodo poterat filias ſuas proſtituere, maxime ſi ſponſæ fuiſſent, aut nuptæ? Eratne illi jus, ut illarum honoris jacturam faceret, etiam ſi viro in conjugium traditæ non fuiſſent? Licetne malum patrare, ut aliud malum effugias?

Aliqui Patres cum Divo Ambroſio l. 1. de Abraham c. 6. & 16. hoc a Loth recte factum commendant; & S. Joannes Chryſoſtomus homil. 43. in Geneſim arbitratur, actione hac majorem laudem promeruiſſe, quam hoſpitalitatis officia erga Angelos exercendo: *Quanta, inquit, juſti virtus! Omnem hoſpitalitatis virtutem ſuperavit*. Nonnulli etiam noſtrorum Theologorum cum Soto lib. 4. de Juſt. q. 7. c.

3. Loth

1 Belion. Obſerv. lib. 1. cap. 59. alii paſſim.
2 70. Ἐποίησεν αὐτοῖς πότον, καὶ ἀζύμους ἔπεψεν.
3 ויעש משתה ומצות אפה.

3. Loth recte egiſſe probare adnituntur: eo nequem innixi principio, ſcilicet, quod liceat minus malum ſuadere homini, qui pejus ſe patraturum decrevit: exempli gratia, ſuadere latroni, ut tantum viro alicui ſubripiat, quem etiam enecare velit. Sed licet non laboraret hoc fundamentum, ad rem noſtram referri poſſet? Licet ne ſuadere, ut Petrus levius malum admittat, ne pejus malum patretur in Paulum? Vide Leſſ. l. 2. de Juſtitia c. 13. dubit. 3. n. 19. Idem principium reſpectu ejuſdem viri tantum uſurpari poteſt, non cum de diverſis agitur perſonis, veluti hic de Angelis, & filiis Loth. Loth contra Charitatis ordinem peccavit, quæ poſcebat, ut honori filiarum hoſpitum ſuorum defenſionem poſthaberet. Satis quippe erat avertere Sodomitas a crimine, quod patrare cupiebant, quin aliud illis ſuggereret, ad quod animum non adverterant.

Cajetanus alia inſtitit via, ut Lot tueretur; credit, optimo huic viro nullam fuiſſe cupiditatem tradendi filias ſuas impudicitiæ Sodomitarum, ſed ut illis ob oculos poneret, quo dolore afficeretur ex ipſorum vi in hoſpites ſuos, hoc illis propoſuiſſe, quod nequaquam eſſe accepturos noverat, ut ipſi ſe ſe colligerent, atque a pravo conſilio abſtinerent. Ita quoque David loquebatur ad Jonathan 1. Reg. 20. 8. *Si eſt iniquitas aliqua in me, tu me interfice*; & Juda ad Iacob Geneſ. 42. 37. *Duos filios meos interfice, ſi non reduxero illum* (Beniaminum) *tibi*.

Eſtius animadvertit, ſi hæc eſſet ſimplex mali minoris permiſſio, ut majus evitaretur, excuſari poſſe actionem Lot; quandoquidem in lege videmus, Deum paſſum fuiſſe, exempli gratia divortium, impediendi cauſa, ne viri uxores ſuas interimerent: ſed quemadmodum Lot non ſolum permittebat malum, ſed quodammodo cooperabatur, dicens, *educam eas ad vos, abutimini eis*, aſſeri poteſt illum tunc perperam egiſſe; quamquam perturbatio, qua irretitus erat, atque optima voluntas, qua rapiebatur, ut acerrime ſacra hoſpitalitatis jura, atque hoſpitum ſuorum honorem tueretur, admodum peccati magnitudinem imminuunt; ut notat Sanctus Auguſtinus Quæſt. 42. & 44. in Geneſ. & lib. contra Mendac. c. 9. Lot hac in re veluti in reliquo etiam vitæ curſu imbecillitatem, atque anceps conſilium ſuum prodidit. Philo illi tribuit epitheta [1], hominis nullius firmitudinis, atque conſilii. Abraham ingenio prorſus erat alio, firmus, conſtans, intrepidus, qui certum conſilium inibat, illique ſemper hærebat. Magna erat Lot bonitas, ait Grotius; ſed parva fides; Abraham verò bonus erat, liberalis, beneficus, & fide plenus.

QUIA [2] INGRESSI SUNT SUB UMBRA CULMINIS MEI.] Hoſpitalitatis leges me cogunt, ut illos tuear; vel: Illi ingreſſi ſunt domum meam, ut ibi tutò commorarentur.

℣. 9. RECEDE ILLUC.] Hebraice גש הלאה *longius procede*; hinc abi. Illi volebant removere Lot a janua, ut illam infringerent, ac impetu facto domum invaderent.

℣. 11. PERCUSSERUNT CÆCITATE:] Hebraice בסנורים, & apud Septuaginta Ἀορασίᾳ numero multitudinis: *Illi percuſſi ſunt obſcuritatibus*, aut *cæcitatibus*. Septuaginta lectio a S. Auguſtino tranſlata eſt, *avidentia*, ſcilicet impotentia ad videndum. Hæc autem non fuit realis, & abſoluta cæcitas, quæ illis viſum ademerit, ne amplius quamlibet rem poſſent intueri, ut notat S. Auguſtinus q. 43. in Geneſim; ac plerique Interpretes noſtri. Deus illos ad tempus A dumtaxat cæcitate percuſſit, ne viderent oſtium domus Lot. Namque ſi omnino viſu caruiſſent, quæſiſſent, non fores juſti, ſed ducem, qui illorum greſſus edoceret. *Quia ſi cæcitas fuiſſet, qua fit, ut nihil poſſit videri, non oſtium, quo ingrederentur, ſed ducem itineris, a quo inde abducerentur, inquirerent*, ait S Auguſtinus l. 22. c. 19. de Civit.

Aliqui, ut Menochius, Tirinus &c. volunt id quod iſtic dicitur: *ita ut oſtium invenire non poſſent*, intelligendum eſſe non ſolum de oſtio domus Lot, ſed etiam de oſtio domus propriæ, quod invenire non poterant. Innituntur autem loco libri Sapientiæ 19. 16. *Percuſſi ſunt cæcitate, ſicut illi in foribus juſti, cum ſubitaneis cooperti tenebris unuſquiſque tranſitum oſtii ſui quærebat*. Sed poſtrema loci hujus B verba intelligenda ſunt de Ægyptiis, qui inter tenebras, quibus ſepti erant, non poterant invenire propriæ domus fores. Hebraice legitur [3]: *contriverunt, ut oſtium quærerent*; Septuaginta: *Diſſoluti ſunt*. Et Sanctus Chryſoſtomus hanc explicationem ſecutus ait, eorum nervos diſſolutos eſſe, atque ipſos ſine viribus, ſine motu, tanquam Paralyticos remanſiſſe.

℣. 14. EGRESSUS ITAQUE LOT, LOCUTUS EST AD GENEROS SUOS, QUI ACCEPTURI ERANT FILIAS EJUS.] Hebraice [4] ſimpliciter habetur: *locutus eſt ad generos ſuos, accipientes filias ſuas*. Quod intelligi poteſt in ſenſu Vulgatæ, aut Septuaginta [5], qui vertunt: *Generos ſuos, qui duxerant filias illius*, qui vel conjuges acceperant, vel earum ſponſalia inierant. Poſterior hic ſenſus pluribus melioris notæ C Interpretibus arridet. Veteres Hebræi, Philiſthæi, populi Chanaan, & Meſopotamiæ plerumque magnum temporis ſpatium interponebant ſponſalia inter, & nuptias. Sponſa permanebat adhuc diu apud parentes ſuos, in ſua cognatione, & patri ſubdita, antequam domum viri migraret. Hoc patet Philiſthæos conſueviſſe ex illius, quam Samſon conjugem duxit, exemplo; in Meſopotamia vero ex uxoribus, quas accepit Iacob.

Hodie quoque, ut legitur apud Leonem Mutinenſem 4. parte capite 3. Iudæi ſex menſes, aut annum, aut binos quandoque ponunt inter ſponſalia, & connubium. Puellæ vero, quas aliquis conjuges ſibi futuras deſpondit, ſi labem aliquam honoris ſui patiuntur, in eas veluti in adulteras animadvertitur D. Vide Matth. 1. 19. Ita æque poteſt hic aſſeri, *qui illarum conjugium, vel ſponſalia inierant*. Sanctus Hieronymus in ſuis quæſtionibus Hebraicis ait, quoſdam cenſere, plures fuiſſe filias Lot, ex quibus duæ nuptæ non erant, cum reliquæ duæ jam nupſiſſent. Hæ permanſerunt Sodomis, atque cum viris ſuis excidio abſumptæ fuerunt; illæ vero una cum patre ſuo ex incendio fuerunt abreptæ. Huic ſententiæ favent Rabbini quidam; ſed Scripturæ congruere minime videtur.

℣. 16. DISSIMULANTE EO.] Hebraice ויתמהמה *Differente eo*. Lot ſe ſe parabat, ſed lente, atque ægre ad diſcedendum. Aquila [6]: *differebat diſcedere*; vel ſe ad diſcedendum parabat; alius Interpres Græcus, *repugnabat*. Septuaginta [7], *Turbati ſunt* in re E inopinata. Non admodum placuit Lot ſe ſe parare, ut Sodomis abiret. Nox jam proceſſerat, cum ei Angeli aperuerunt, quid futurum erat, ac ſummo diluculo erat diſcedendum.

℣. 17. NOLI RESPICERE POST TERGUM.] Vide inferius verſiculum 26.

IN MONTE SALVUM TE FAC.] Plerique Interpretum noſtrorum Montes, quo ſe recepit Lot, ſtatuunt trans Engaddi; & parvam urbem Segor in Occidentali plaga Aſphaltitis, ad quinque leucas a Ieri-

1 *Philo apud Grot.* Ἀβέβαιος & ὑπαμφίβολος *Vide Philon de migrat. Abrah. p. 410. 411.*
2 כי על כן *Quia propterea*, ſeu potius *Quandoquidem*.
3 וילאו למצא הפתח 70. Παρελύθησαν.
4 לקחי
5 Εἰλήφεισαν.
6 *Aq.* Ἐμέλλησε. *Alius*, ἐστασίαζε *repugnabat*
7 Ἐταράχθησαν. *Turbati ſunt.*

Iericho in Meridiem. Sed certum eſt urbem Segor fuiſſe inter montes Moab, & Aſphaltitem in orientali plaga hujus maris. Nuſpiam enim in Scriptura Segor inveniṫur inter urbes Iuda, verum inter urbes Moabitarum Iſaje 15. 5. & Ieremiæ 48. 34. Patet ex Geneſi 13. 10. Segor ad orientem magis ſpectaſſe præ quinque urbibus Pentapolis. Ioſephus de bello Iud. l. 4. c. 27. ait Aſphaltitem lacum late patere uſque ad Segor urbem Arabiæ. Hæc urbs igitur erat ad hujus lacus orientem Meridionalem. Euſebius, & Sanctus Hieronymus de locis Heb. ſtatuunt Segor trans Aſphaltitem: & nonnulli recentiores, inter quos Pater Anſelmus, & Pater Goujon idem ſentiunt. Denique Geographus Stephanus collocat *Zoara*, quæ eadem eſt ac Segor, in Arabia; atque ideo in Meridionali Aſphaltitis littore. Ea autem, quæ hactenus dicta ſunt, confirmantur, quod Lot, illiuſque filiæ in terra Moab commorati ſunt, quæ ad orientem, ac Meridiem eſt Lacus Aſphaltitis. Vide Ioannis Clerici Comment. in Geneſim; & Tabulam Geographicam in tomum ſecundum Editionis novæ S. Hieronym. & Cellarii Tabul. Terræ Sanctæ.

Sanctus Hieronymus in quæſt. Hebraic. ait, Urbem Segor frequentibus terræmotibus agitatam ob id *Bale* nuncupatam fuiſſe, nimirum *deglutitam*, atque inde *Saliſſam*. Theodoretus quæſt. 70. in Geneſ. aſſerit, Segor precibus Lot ſervatam fuiſſe, uſque dum ibi eſt immoratus, ſed a terra abſorptam fuiſſe ſimulac ille diſceſſit. Procopius hujus auctor eſt ſententiæ; quæ Diodori nomine in Græcorum catena invenitur: & revera quemadmodum hi auctores animadvertunt, filiæ Lot arbitrari nequaquam potuiſſent, nullos amplius eſſe homines in terris, niſi cognoviſſent Segor abſorptam fuiſſe, atque periiſſe incolas illius. Tamen nihil eſt in ſcripturis, quod huic ſententiæ de excidio Segor ſuffragetur. Nomen *Bala*, quod abſorptam ſignificat, æque ad probandum iſtud conducit.

℣. 18. QUÆSO DOMINE MI:] Chaldaica, & Syriaca verſiones habent numero Multitudinis, *Domini mei*; Arabica, *Duo nuncii Dei*. Vox Hebraica אדני legi poteſt *Adoni* numero ſingulari, & Adonai numero plurali, quomodo hodie legitur in Hebraicis bibliis interpunctis. Sanctus Iuſtinus Martyr in dialogo cum Tryphone credit hanc eſſe ſecundam Sanctiſſimæ Trinitatis perſonam, quæ relicto Abraham pervenit Sodomam, quo prius duo Angeli acceſſerant.

℣. 20. EST CIVITAS HÆC JUXTA, AD QUAM POSSUM FUGERE: NUMQUID NON MODICA EST? ET VIVET ANIMA MEA.] Hebraice nullum eſt interrogationis punctum, veluti etiam apud Septuaginta in pluribus Græcis exemplaribus: *Te quæſo, en hanc civitatem prope, parva eſt*. Vox Hebraica מצער *Mizhar*, vel *Mezhar*, quæ ſignificat parvam, alluſionem continet ad Zoar, aut Segor, quod eſt nomen urbi Bale inditum, poſtquam hoc accidit.

℣. 21. ECCE ETIAM IN HOC SUSCEPI PRECES TUAS] Hebraice [1]: *Ego accepi*, aut (*ego elevavi*) *faciem tuam*. Locutio hæc ſæpius uſurpatur in Scriptura, ut ſignificetur, concedere id, quod petitur; quemadmodum e contra *faciem demittere vel confundere*, ſignificat denegare. Septuaginta vertunt [2]: *Ego admiratus ſum faciem tuam*. Symmachus [3]: *Tui rationem habui faciem tuam videns*. Sanctus Auguſtinus l. 16. de Civit. c. 29. legebat: *Miſeratus ſum faciem tuam*.

℣. 24. IGITUR DOMINUS PLUIT SUPER SODOMAM, ET GOMORRHAM SULPHUR, ET IGNEM A DOMINO DE CÆLO.] Priſci Patres Ignatius ep. ad Antioc. Irenæus l. 3. c. 16. Iuſtinus dialogo cum Tryphone, Tertullianus, S. Cyprianus, S. Athanaſius, S. Ambroſius, & Sanctus Auguſtinus deduxerunt ex his verbis, *Pluit Dominus .... a Domino*, argumentum, quo probarent duarum Perſonarum in divinis diſtinctionem, Patris, & Filii; atque aſſererent Filii divinitatem, ac Patri æqualitatem; atque hæc verba *Pluit Dominus a Domino* intellexerunt perinde ac legeretur *Pater a Filio*. Pater pluit per filium; vel Pater, & Filius pluviam immiſerunt. Concilium Sirmienſe coactum in Photinum, eos anathemate perculit, qui dicerent locum hunc, *Pluit Dominus a Domino*, non intelligendum eſſe de Patre, & Filio, ſed tantum de Patre: *Non de Patre, & filio; ſed Patrem a ſe ipſo pluiſſe &c.*

Judæi, ut hanc adimant probationem, quam ex hoc loco eruimus, ut fides noſtra ſtatuatur, contendunt, hunc dicendi modum eſſe ſancti ſermonis elegantiam, qua dicitur, Dominus pluit per Dominum, loco dicendi, *Dominus pluit per ſe ipſum*. Vatablus, Toſtatus, Cajetanus, Oleaſter, aliique huic videntur adhærere ſententiæ, & Grotius ita explicat: *Dominus*, videlicet Angelus, qui Domini perſonam referebat, *pluit a Domino*; ſcilicet per potentiam, quam a Deo acceperat: *pluit de cœlo*, hoc eſt de aere. Locutiones textus hebraici indicant hic aliquid divinum eſſe atque inauditum, & pluviam hanc non tantum miraculoſam eſſe, atque ab aliis pluviis diverſam propter illius copiam, atque originem.

PLUIT SUPER SODOMAM, ET GOMORRHAM.] Nos ex aliis Scripturæ locis Deut. 29. 23. Oſeæ 11. 8. Sap. 10. 6. didicimus non Sodomam, & Gomorrham dumtaxat, ſed etiam Adamam, & Seboim igne de cœlo abſumptas fuiſſe; atque hujus hiſtoriæ decurſus ℣. 21. innuit Segor quoque eidem ſupplicio tradendam fuiſſe, niſi illam preces Lot ſervaſſent. Strabo l. 16. tres & decem urbes deletas fuiſſe teſtatur, atque temporibus quoque ſuis extitiſſe adhuc reliquias, atque veſtigia incendii adeo terribilis in rupibus incenſis, atque igne abſumptis, quarum nonnullæ pice manabant; atque in cinereo ſolo, & incenſo; ubi videbantur aquæ peſſimo odore infectæ, & dirutarum ædium ſemeſa cæmenta. Addit, quod tunc oſtendebatur circuitus urbis illius regionis principis, qui erat ſtadiorum ſexaginta. Ezechiel loquitur de Sodoma, filiiſque illius; ex quo conjicitur aliquot pagos fuiſſe, vel rura, quæ illius fuerint, cum eadem ſimili excidio deleta. Stephanus Geographus in voce *Zoar* decem urbes memorat, quarum caput erat Sodoma, quas Aſphaltis abſorbuit. Sed Moyſes de quinque loquitur tantum, atque ac auctor libri Sapientiæ 10. 6: *Deſcendente igne in Pentapolim*.

Jam animadvertimus verum urbium Pentapolis ſitum alium longius fuiſſe ab eo, qui paſſim in Tabulis Geographicis reperitur. Sampſon in carta Geographica novæ editionis Sancti Hieronymi, diſſertationem ſedaturum recepit probandi cauſa, quatuor urbes, quæ vulgo in aquis Aſphaltitis collocantur, fuiſſe in maris hujus litoribus; neque eas aquarum ingluvie abſorptas fuiſſe, ut plerique Scriptores Eccleſiaſtici aſſerunt. Profecto fateri opus eſt, Scripturam aliquando loqui de urbibus Sodomorum, Gomorrhæ, Seboim, & Adamæ, perinde ac etiam poſt Moyſem ſubſiſterent; vel quod illis aliæ cognomines conditæ fuerunt in oris Aſphaltitis, vel quod veteres inſtauratæ fuerunt, atque ſuper iis locatæ fundamentis, quæ ex urbium conflagratione ſupereſſe potuerint. Vide Diſſertationem noſtram de Geographia ante librum Joſue.

Moyſes deſcribens ſitum urbium Pentapolis Geneſis 13. 10. 12. animadvertit eas fuiſſe in planitie Jordanis, in loco admodum fertili propter aquas, quæ fluebant, atque ſequenti capite 14. 3. 8. 10. ait quinque fœderatos Reges aciem inſtruxiſſe in convalle ſylveſtri, *quæ nunc*, inquit ille, *eſt mare ſalis*; atque Reges quatuor Sodomæ, Gomorrhæ, Seboim, atque Adamæ in eamdem vallem proceſſiſſe, ut quinque Regibus inferrent ſigna. Unde arguere licet, quatuor urbes, quas

1 נשאתי פניך *Aq.* ἦρα τὸ πρόσωπόν σου.
2 Ἐθαύμασα σε τὸ πρόσωπον.
3 Ὀφθῆ ἐδυσωπήθην τὸ πρόσωπόν σου.

quas modo memoravimus, minime ſitas ibi fuiſſe, ubi nunc eſt Aſphaltis, ſed prope hoc mare. Idem Moyſes capite 10. 19. udnotans fines terræ Chanaan, ait, eam latu patere a Sidone ad Gazam uſque, ac a Gaza uſque ad Lezam, atque Sodomam, Gomorrham, Seboim, & Adamam complecti. Credibile porro videtur ipſum regionis illius fines circumſcribere, prout ævo illius aderant. Denique Moyſes in Deuteronomio 32. 32. loquitur de vineis Sodomorum, & Gomorrhæ, videlicet de vineis agrorum harum urbium, quæ peſſimos fructus ferebant; ut animadvertunt auctores veteres, & recentiores.

Prophetæ Iſaias, Ieremias, & Sophonias loquuntur de Sodoma, & Gomorrha, veluti urbibus, quæ numquam reſtauratæ fuerint. *Et erit Babylon*, (Iſaias ait cap. 13. 19. 20.) *illa glorioſa in regnis, inclyta ſuperbia Chaldæorum, ſicut ſubvertit Dominus Sodomam, & Gomorrham; non habitabitur uſque in finem, & non fundabitur uſque ad generationem, & generationem.* Ita pariter Ieremias loquens de Idumææ everſione cap. 49. 17. 18. *Et erit*, inquit, *Idumæa deſerta: omnis, qui tranſibit per eam, ſtupebit, & ſibilabit ſuper omnes plagas ejus; Sicut ſubverſa eſt Sodoma, & Gomorrha, & vicinæ ejus, ait Dominus, non habitabit ibi vir &c.* Sophonias quoque cap. 2. 8. iiſdem ferme verbis utitur deſolationem Moabitarum, & Ammonitarum vaticinatus.

At Ezechiel cap. 16. 46. 47. 53. 55. Samariæ, & Sodomæ, filiarumque ipſarum inſtaurationem vaticinatur: docet, Sodomam, & filias illius, quemadmodum illa nuncupat, deletas fuiſſe, atque illarum incolas in captivitatem deductos eodem tempore, quo Samariam, & plane a Salmanaſſar juxta Iſaiæ prophetiam capitibus 14. & 15. Ait quoque, Ieruſalem nequiorem factam fuiſſe duabus ſororibus ipſius Samaria, & Sodoma, atque Deum, quemadmodum duas has urbes delevit, ita Hieruſalem fore deleturum, atque addit: *Et convertam reſtituens eas converſione Sodomorum cum filiabus ſuis, & converſione Samariæ, & filiarum ejus, & convertam reverſionem tuam in medio earum . . .; Et ſoror tua Sodoma, & filiæ ejus revertentur ad antiquitatem ſuam, & tu, & filiæ tuæ revertemini ad antiquitatem veſtram.*

Quandonam Prophetia hæc adimpleta fuerit, ignoramus. Strabonis ævo, ut ipſe ait lib. 16. Sodoma jacebat adhuc ſuis obruta ruinis. Stephanus Geographus, qui ait Sodomam, aliaſque proximas urbes ab Aſphaltite abſorptas fuiſſe, alibi de urbe Sodomorum loquitur, perinde ac prope Engaddi aſſurgeret. Denique Euſebius, & Sanctus Hieronymus in locis Hebraicis collocant Sodomam, & Gomorrham in ora Aſphaltitis; ſed an ipſorum ævo habitarentur, non dicunt. Percipitur ex veteribus Diœceſium Orientis Notitiis apud Labbeum tom. 1. Appar. Epiſcopatus Sodomorum, & Segor ſubditos fuiſſe Metropolitano Petræ, urbis Arabiæ Petrææ principis. Itineratores teſtantur, cum aquæ maris demiſſiores ſunt, harum urbium ruinas in Aſphaltite lacu perſpici. Ex iis omnibus, quæ dicta ſunt, aſſeri poteſt, quatuor fuiſſe urbes igne de cœlo abſumptas, atque Aſphaltite abſorptas; ſed deinde in maris litore quatuor alias extructas fuiſſe e regione veterum, earumque cognomines; atque omnes ita conciliantur loci, qui oppoſiti videbantur.

PLUIT SULPHUR, ET IGNEM.] Scilicet, exhalationes ſulphureas accenſas. Solinus cap. 37. & Tacitus lib. 5. hiſt. aiunt, urbes has cœleſti igne abſumptas fuiſſe; & Ioſephus lib. 1. cap. 11. teſtatur Deum jaculatum fuiſſe in illas fulmen, aut ſuæ juſtitiæ, & ultionis inſtrumenta. Moyſes in Deuteronomio 29. 23. ait, Deum deleviſſe has urbes ſulphure, & ardore ſalis, videlicet nitro, atque bituminae accenſo. Strabo l. 16. refert, regionis illius populos teſtatos eſſe, cum terræ tractum pluribus terræ motibus agitatum fuiſſe, & partim fuiſſe abſumptum igne, qui egreſſus fuerat e tellure plena materiæ bitumineæ, & ad ignem concipien-

A dum perquam aptæ; uti apparet, inquit ille, ut aquis, quæ ibi ſunt, atque ex rupibus igne exeſis.

Aſſeri poteſt has omnes cauſas conſaliſſe ad Sodomæ, & Gomorrhæ incendium; pluviam ignis, & ſulphoris, quæ ex aere decidit; fulmina, & ignem de cœlo; motus terræ, & ſolum ipſum, quod natura idoneum erat ad concipiendum ignem, quandoquidem valde erat bitumineum. Ephemerides Floridæ referunt prope arcem, quam Laudonnerius Legatus rei maritimæ Præfecti Coligny ædificaverat, eam fulminum cecidiſſe vim, ut ſupra quinquaginta pratorum jugera, quæ aquæ irrigabant, abſumpta fuerint, atque triduo ignem deſæviſſe. Videtur in Italia, atque alibi paſſim, terra ſuperpoſita combuſtibiles res abſumere. Strabo lib. 15. deſcribit naturam naphtæ Babylonicæ, quæ propius ad naturam bituminis accedebat, quo Sodomorum ager

B refertus eſt. Erat corpus bitumineum, quod, ſi flamma admoveretur, facile concipiebat ignem, qui aqua communi extingui non poterat. Ait Alexandrum periculum facere voluiſſe in puero, cui hoc bitumine inuncto, cum in balneo eſſet, admota lampade, naphta ignem concepit, quo puer abſumptus fuiſſet, niſi magnam aquæ vim ſuperne injeciſſent, ut flammas extinguerent. Plinius ait, a Medea combuſtam fuiſſe mulierem, cui, propter zelotypiam, dono miſerat coronam hac naphta perunctam, quæ confeſtim conflagravit ſimulac ad aras acceſſit ſacris operatura.

Hæc omnia oſtendere debent modum, quo Deus Sodomam, & Gomorrham abſumpſit, fulminibus, & igne cœleſti, qui in terram bitumineam decidens urbes illas flammis delevit, & arboribus accenſis, & quidquid

C igni obſiſtere non poterat, magnam ſoli partem combuſſit, quæ hac materia combuſtibili abundabat: ita ut poſtero die Abraham e convalle Mambre videre potuerit *aſcendentem favillam de terra, quaſi fornacis fumum*, v. 27. 28. Ager hic olim lætus adeo, & fertilis igne abſumptus in valles plurimas hiavit, utque paſſim terra demiſſior, quam antea fuerat, reperta eſt. Aquæ Iordanis cum ex alveo emerſiſſent, & diffluentes terras has obrexiſſent, inde iis qualitatibus affectæ fuerunt, quæ in aquis maris mortui inveniuntur; Quod mare Græcis *Aſphaltites* lacus eſt, aut *Bituminous*; Hebræis vero, *mare ſalis*.

Theodoretus quæſt. 69. in Geneſim, & Strabo l. 16. loquuntur de terræ motibus, deque his terræ demiſſionibus, quas Scriptura præterit; quamquam intelligatur plane, hos effectus fuiſſe, qui naturaliter incendium,

D de quo ſermo eſt, ſunt conſecuti. Quod de lacu Aſphaltite narratur, quæ hactenus dicta ſunt, confirmat; aquæ pondus, & craſſitudo, ubi viventia corpora, eaque graviora ægre ſubmerguntur, ubi urinatores ima petere non valent, illius ſubniger color, illius odor lethalis piſcibus, qui ſimolac lacum ingreſſi ſunt, moriuntur, litorum ſterilitas ex terræ nitro orta, ex aere pinguiori, atque ex fumis ſulphureis, qui inde ſemper exhalant, maxima aquarum amaritudo, peſſimæ fructuum qualitates, qui circum litora excreſcunt, de quibus mira admodum hiſtorici[a] narrant; hæc omnia probant, aquas illas acerrimo bitumini immixtas eſſe, atque illo maris ima referta eſſe; ita ut poſt tot annos numquam hi peſſimi effectus imminuantur, quod

E illorum fons minime exhauſtus ſit.

℣. 26. RESPICIENS UXOR EJUS POST SE VERSA EST IN STATUAM SALIS.] Hebraicus textus habet מֵאַחֲרָיו: *Illa reſpexit poſt eum*, ſcilicet, poſt angelum, qui eam deducebat, vel poſt virum ſuum. Loth cum filiis ſuis præcedebat, uxor illius ſubſequebatur, illa conſtitit, & reſpexit Sodomam. Tremellius arbitratur, Loth illam ſubſequutum fuiſſe, & uxorem illius ſe ſe vertentem, ut urbem videret, verſam fuiſſe in ſtatuam ſalis. Vidimus ſuperius ℣. 17. quod Deus illi præceperat, ne poſt tergum reſpicerent.

Non deſunt, qui credant, Deum præcipientem Loth, uxorique illius, ne poſt tergum reſpicerent, hoc unum intellexiſſe, nimirum quod celeriter ſe ſe in

tutum

---

a Vide Joſephum l. 5. de Bello Jud. c. 5. Tacit. l. 5. Hiſt. Hegeſipp. l. 4. Solin. c. 48.

tutum reciperent, quin conſiſterent, retro poſt tergum aſpicerent, cunctarentur, Ita quoque in Evangelio Lucæ 9. 62. Redemptor ait: *Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei*; Videlicet: Quicumque fieri vult Jeſu Chriſti diſcipulus, quamvis aliam curam, & negotium debet ſemovere, neque amplius propter levitatem, vel inconſtantiam e ſuſcepto munere detorqueri; &, ut verbo complectar, ſe ſe debet Deo tradere, quin amplius ab eo recedat. Ita enim angelus dicit Loth, uxorique illius ℣. 17. *Salva animam tuam, noli reſpicere poſt tergum, nec ſtes in omni circa regione*: Id omne nihil præterea ſignificare poteſt, quam, agedum, ne momenti quidem jacturam facias, confeſtim in tuto fac ſis &c.

Joſephus, & Cajetanus credunt, mulierem hanc pluties poſt tergum reſpexiſſe, atque Patres animadvertunt, eam, quemadmodum Sodomorum charitate afficiebatur, inani miſeratione tactam, retro obſervaſſe hujus urbis excidium. Apparet etiam in illius actione vitioſa curioſitas, fidei defectus, quæ illam adegerunt, ut retroſpiceret oculis ſuis aſpectatura, an illarum urbium ſupplicium illud eſſet, quod angeli prædixerant. Auctor libri Sapientiæ 10. 7. eam vocat *animam incredulam*. Salvator in Evangelio Lucæ 17. 3. & Matthæi 24. 17. locutus de poſtremo adventu ſuo, qui ex improviſo homines opprimet, cum minus arbitrabuntur: *in illa hora*, ait, *qui fuerit in tecto, & vaſa ejus in domo, ne deſcendat tollere illa, & qui in agro ſimiliter non redeat retro*, atque concludit, *Mementote uxoris Loth*; perinde ac ſi diceret, ne imitemini illius tarditatem, & cunctationem in fuga, ne reſpiciatis poſt tergum, ne quæratis, quod reliquiſtis. Videtur etiam alludere ad ſupplicium uxoris Loth, cum ait: *nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro aptus eſt regno Dei*.

Igitur credimus duo eſſe intelligenda in hoc præcepto; noli reſpicere poſt tergum. Primum: ne remoreris; alterum vero, ne caput torqueas, ut poſt tergum reſpicias. Pœna, qua mulier hæc male mulctata fuit ſimulac poſt tergum reſpexit, oſtendit, illi præceptum poſitivum, & litterale fuiſſe traditum, ne retro ſe verteret: & ſi Domini locutiones figuratæ ſunt, ac Parabolicæ, eas tamen Moyſis in ſenſu proprio, ac litterali decet explicare, quandoquidem figura, & allegoria rem illam ſubſiſtere ſupponunt, quæ allegoriæ eſt fundamentum.

Fabula Orphei, atque Eurydicis ad imitationem hiſtoriæ Loth, uxoriſque ipſius eſt adinventa. Orpheus a Plutone facultatem obtinet deducendi ex inferno Eurydicem conjugem ſua ea conditione, ne poſt tergum reſpiciat. In via cupiditate, atque amore victus ſe ſu vertit, ut uxorem videat, ſed illico ab oculis illius Eurydices evaneſcit, atque ad inferos revertitur. Nonnulli Rabbini nomen uxoris Loth prodere auſi ſunt, de quibus vide Henricum Bauman Differt. in hunc locum. Rabbinus Jacob-Baal Turim eam nuncupat *Arith*, vel *Erith*; Zenorenna appellat *Aroth*, vel *Iruth*. Pirkus Eliezer vocat *Adith*, atque alii *Litam* nominant; qua re nihil incertius.

VERSA EST IN STATUAM SALIS.] Hebraice ad litteram ותהי נציב מלה; *Illa fuit ſtatua ſalis*; ita quoque dictum eſt Geneſ. 16. 12. Iſmael *erit onager*, ſcilicet, ferox velut Onager; & 1. Regum 25. 37. Cor Nabal *factum eſt quaſi lapis*, quia obdurabitur, & inſenſibile fiet: atque apud Ovidium Metam. l. 5. Ariadna ſedens ſuper lapidem, ita erat lapis, ut ipſe lapis.

Quamque lapis ſedes, tam lapis ipſa fui.

Atque lib. 13. Metam. cum ſermo eſſet de Hecuba.

--- duroque ſimillima ſaxo
Torpet.

Videtur hæc mulier, cum lente incedere adſectaſſet, neque angelos, & virum ſuum eſſet ſubſecuta, pervenire non potuiſſe Segor una cum ipſis, & audito in via tonitruum, atque flammarum de Cœlo in improbas urbes immiſſarum ſtrepitu, caput ſuum vertiſſe, & confeſtim immutata fuiſſe in ſtatuam ſalis Metallici, ac ſolidi, cujuſmodi videtur in nonnullis Poloniæ montibus, Hungariæ, Cataluniæ, & Moſcoviæ. Veteres aliqui, veluti Sedulius, & Claudius Victor lib. 3. in Geneſim a. aliique paſſim contendunt ipſam ſervaſſe mulieris formam, atque continentis miraculi vi numquam de illius craſſitudine aliquid periiſſe; quamquam in dies curioſitatis ergo ſegmentum aliquod inde abraderetur. Sanctus Irenæus, & auctor Poematis Sodomorum, quod Tertulliano tribuitur, hæc omnia retulere, quippe quæ illorum ævo communiter credebantur. S. Irenæi verba lib. 4. cap. 51. hæc ſunt: *Uxor remanſit in Sodomis, jam non caro corruptibilis, ſed ſtatua ſalis ſemper manens, & per naturalia ea, quæ ſunt conſuetudinis hominis oſtendens*: Poeta vero aliquid addit præterea, quod fidem excedere videatur.

Dicitur adhuc etenim dura ſtatione ſub Æthra,
Nec pluviis dilapſa ſitu, nec diruta ventis,
Quin etiam, ſi quis mutilaverit advena formam,
Protinus ex ſe ſe ſuggeſtu vulnera complet.
Dicitur & vivens alio ſub corpore ſexus
Munificos ſolito diſpungere ſanguine menſes.

Joſephus lib. 1. Antiq. cap. 12. teſtatur ſe vidiſſe hanc ſtatuam, quæ adhuc ævo illius oſtendebatur; Auctor Sapientiæ 10. 7. ait, illam ſubſiſtere velut monumentum illius animæ incredulæ: *Incredibilis animæ memoria ſtans figmentum ſalis*. Targum Hieroſolymitanum, & Jonathan aſſerunt ipſam ad reſurrectionem uſque permanſuram. Adrichomius, & nonnulli recentiorum itinerantium, ut notat Quareſmius in illuſtratione Terræ Sanctæ aſſerunt, eam noſtris quoque temporibus videri. Beniaminus ait, ipſam ſubſiſtere duabus paraſangis a Sodoma. (Paraſanga quandoque triginta conſtat ſtadiis, aliquando quadraginta, vel ſexaginta.) Alii vero, inter quos Henricus Maundrelus Anglus in itinere Hieroſolym. &c. partem adhuc eſſe reliquam aiunt, quæ illius ſtatuæ creditur: alii denique, ex quibus Pater Jacobus Guion in itinere Terræ Sanctæ, aſſerunt locum ſimpliciter oſtendi, ubi illa fuerat.

Nihilominus adverſus hanc teſtium frequentiam, & vetuſtiſſimam traditionem, aliqui in dubium vocant, utrum uxor Loth in ſtatuam ſalis converſa muliebrem formam ſervarit, necne; atque utrum ſub hac forma adhuc perſeveret; Septuaginta, qui Hebraicam vocem נציב *Nezib* tranſtulerunt στήλην Columnam, profecto minime crediderunt, mulierem hanc poſt metamorphoſim priſtinam formam ſervaſſe. Quoad illud autem, quod auctor Poematis Sodomorum, & Sanctus Irenæus referunt, mulierem hanc in ſtatu etiam pati ea incommoda, quæ muliebrem ſexum decent, id vero poetice dictum eſt ad ornatum, vel quodammodo ex vulgaribus traditionibus erutum, quæ non niſi prævio ſedulo examine ſunt excipiendæ. Verum pro hujus rei certitudine a Scriptura, & Traditione diſcedere nequaquam licet, ſed operam navare fas eſt, ut quomodo hæc facta fuerit immutatio explicetur, dummodo illud fiat, quin veritas miraculi obtrectetur.

Hebraica vox מלח *Melah* non ſignificat dumtaxat ſal ex aqua maris confectum, & ſal foſſile, quibus utimur, ut eſcæ condiantur, verum etiam alia ſalis genera ſignificat, ac materias acres, atque ad flammas concipiendas idoneas, veluti nitrum, bitumen, ſulphur, quo ſolum Pentapolis maxime abundabat, quemadmodum ſuperius dictum eſt Geneſ. 14. 10. In hoc ſenſu mare mortuum *mare ſalis* ab Hebræis appellabatur, quod idem apud Græcos ſignificat *lacus Aſphaltites*, aut lacus bituminis. Et revera ſalſedo, vel potius amaritudo aquarum hujus maris, propter quam mare ſalis appellatur, non ea eſt qualitas, quam acceperit ex ſale foſſili, quod in imis aquis ſubſederit, quemadmodum creditur accidiſſe aquis oceani, aliorumque marium; ſed oritur ex nitro, & bitumine, quæ ſe ſe immiſcuerunt aquis Jordanis

Digitized by Google

danis, quæ in ſolum Pentapolis dilapſæ intermotiuntur. In Deuteronomio 29. 23. nomen ſalis tribuitur ſulphuri, & bitumini ibi, ubi Deus ſe Iſraelitarum infidelitatem mulctaturum minatur iis ſuppliciis, quibus Sodomam delevit; *Sulphure, & ſalis ardore comburens, ita ut ultra non ſeratur, nec virens quippiam germinet in exemplum ſubverſionis Sodomæ, & Gomorrhæ* &c. Hæc verba, *ardor ſalis*, aut *ſal ignis*, aut ſal ardens, ut legitur Hebraice, intelligi nequeunt de ſale vulgari, quod ignem non concipit, ſed de ſale nitri, & bituminis, quæ flammas concipiunt, & quæ merito ſalibus accenſentur propter eorum acredinem, & qualitatem ardentem, atque adſtringentem.

Moyſes in Ægypto adoleverat; ille alloquebatur Iſraelitas, qui recens ex ea regione deceſſerant, aſſuetos locutionibus Ægyptiorum. Viderant ipſi cadavera opobalſamo illinita, quæ in ædibus aſſervabantur in thecis ſuis, ordinatim diſtributa, & in ſepulchris collocata, quæ demortui viri, qui intus claudebatur, imaginem referrent. Aroma, quo præcipue utebantur, ut corpora condirentur, erat nitrum, aut aſphaltes, aut bitumen; pauperes vero nitro tantum illinebantur, quemadmodum adnotabimus in caput 50. Geneſis. Aſphaltes validum eſt adſtringens, humorem corporum exſiccat, ipſa obdurat, ac rigentia efficit, velut ſtatuas. Hæc corpora in hunc modum illita, & ſale, nitro, aut aſphalte condita ſtatuæ ſalitæ appellari poterant, aut ſtatuæ ſalis juxta loquendi rationem propriam linguæ Hebræorum, quæ cum adjectivorum nominum copia careat, neceſſario abſtractis vocibus utitur pro concretis, ut rerum innuat qualitatem.

Auctores Græci [1], qui loquuntur de his corporibus Ægyptiorum aromatibus perunctis, paſſim *corpora ſalita* nuncupant. Herodotus, exempli gratia, & Diodorus Siculus ſæpius hac loquendi ratione utuntur. Moyſes ipſe appellare potuit corpus uxoris Loth corpus ſalitum, aut corpus aromatibus conditum, quoniam cum ſuffocatum fuiſſet ignea pluvia, nitro, & ſulphure incenſis, in eum ſtatum redacta fuit, quemadmodum videbantur Ægyptiorum corpora aromatibus illita, quæ rigeſcebant, areſcebant, nigreſcabant, atque materia ſalita, & adſtringenti condita incorruptionem induebant. Hæc facile idea eſt, quam habere poterant Iſraelitæ, cum Moyſem de ſalita ſtatua, aut ſtatua ſalis loquentem audirent. Philo Carpathius apud Delrio Adagial. ſacr. credit mulierem hanc ſulphureo igne tactam fuiſſe, qui illius oſſa incendit, atque deinde immutatam eſſe in ſtatuam ſalis. Hanc quoque ſententiam fuiſſe Abenezræ opinantur. Juxta hanc ideam dici poſſet mulierem fumo ſuffocatam, & flamma, in terram cecidiſſe, ubi nitro penetrata lapideſcere potuit metamorphoſi quadam, quæ non admodum mira eſt ibi gentium. Vide Mercerium in hunc locum, & item Diſſertationem Henrici Baumani in Theſauro Theologico Philologico p. 194. 195. In muſæo aliquo corpora oſtenduntur, quæ lapidis naturam induerunt in nitroſis Arabiæ ſabulis, nullo aromatum adminiculo.

Abbas Rouſſeau [2], qui iter fecit per Arabiam, teſtatur virtutem lapideſcendi ibi miram admodum eſſe, atque repetiri paſſim pepones, angues, boletos, ligna, magnoſque truncos lapideſcentes, quod in earum ſolitudinum ſolo diutius relicti fuerint; atque hic author ſe ſuiſmet oculis hujuſmodi res ſpectaſſe teſtatur. Credo, nitroſum ſpiritum, quo terra illa ſcatet, admodum huic immutationi conferre. Sodomorum Regio Arabiæ finitima eſt, atque hoc ſale, cui hi affectus tribuuntur, maxime abundat. Credimus nihilominus verum extitiſſe miraculum in immutatione hujus mulieris in ſtatuam ſalis, atque A in modo, quo immutata eſt; Moyſes loquitur de repentina, atque extraordinaria converſione; nec innuit, ipſam lente, ac naturaliter lapideſcere potuiſſe; veruntamen Deus in ſuis mirabilibus cauſarum naturalium vi utitur, atque earum rerum diſpoſitione, in quibus mirabilia operatur.

Nonnulli Interpretes [3], ut Moyſis textum explicarent, ad figuratam locutionem confugerunt, cujus aliquot extant in Scripturis exempla. Sal, inquiunt, eſt ſymbolum incorruptionis, & durationis. Scriptura fœdus æternum vocat *pactum ſalis* Numer. 18. 19. Ita in hoc loco Moyſis intelligi poteſt per hæc verba, *ſtatua ſalis*, ſtatua, vel monumentum ſempiternum, quod temporis diuturnitate nequeat abſumi. Contendunt porro, auctorem libri B Sapientiæ iſtud innuere voluiſſe cap. 10. 7. *Incredibilis animæ memoria ſtans figmentum ſalis*; ubi videtur ſtatua ſalis eſſe monumentum animæ incredibilis. Sed locus hic non minus vulgatæ favet ſententiæ, quam his auctoribus, atque ipſorum explicandi ratio nihil hic naturale præſefert. Sal hic conſideratur, non ſolum prout ſymbolum durationis; verum etiam ut durationis ejuſdem cauſa, aut ſtatuæ materia.

Auctor de mirabilibus Scripturæ inter Sancti Auguſtini opera lib. 1. cap. 11. arbitratur in humanis corporibus principia ſalis ineſſe, aut ſalis corpuſcula ſanguini inſperſa, & viſceribus, & Deum in ſal convertiſſe uxorem Loth metamorphoſi partis ad totum. *Potens rerum gubernator, dum totum in partem* C *vertere vult, quod in modica parte latebat, per totum infundit*. Bartholinus de morbis biblicis art. 3. huic favere videtur ſententiæ, atque in eamdem rem profert Mercurialem lib. 6. var. Lect. cap. 16. qui agnoſcit in corpore humano particulas ſalis, de quibus iſtic auctor loquitur, qui ſæpius Auguſtini nomine nuncupatur. Sed hæc ſatis ſuperque reor de ratione, qua miraculoſa immutatio fieri potuerit.

Quoad illos, qui teſtantur ſe hanc ſtatuam vidiſſe, & mirabilia tot proferunt, quis eſt, qui fateri auſit, humanam formam illi fuiſſe, qui illius altitudinem, ſtaturamque deſcribat, & alia, quæ profecto animadverti potuiſſent, ſi hanc formam ſervaſſet? Adeone illud detegere hodie eſſet difficile; neque viator ullus inveniretur, qui aliquam ſtatuæ D partem ſubriperet; quandoquidem veteres ajunt nonnulli, fragmenta, quæ inde evellebantur, ſubinde ſubſtitui, quin ſtatua umquam imminueretur? Num Joſephus rem miram adeo prætariiſſet? monumentum huic ſimile hominum cognitionem fugeret, qui hodie maximo rerum antiquarum ſtudio feruntur, ut ea maximis cum ſumptibus longinquius inquirant? Fieri potuit, Joſephum, atque illos, qui ſe hanc ſtatuam conſpexiſſe dictitant, lapidem aliquem vidiſſe, qui ſtatua uxoris Loth diceretur; verum quis eam revera ipſam fuiſſe conſtanter fatebitur?

Si adhuc exstat, undenam ea varietas oritur illorum, qui de ipſa loquuntur? Hi ad Meridiem ſtatuunt, illi ad occaſum Aſphaltitis: hi hac ab eo lacu diſtantia; illi alia. Anſelmus Monachus eam ſtatuit E in medio eodem mari, atque ait, ipſam quandoque ab aquis obtegi omnino, aliquando vero uſque ad pectus, & genua emergere. Maundrellus ait, ipſam procul oſtendi ſuper promontorium exiguum ad Occidentem Aſphaltitis, ubi adhuc reliqua pars eſt, ut exiſtimatur. Nicolaus Lovanius Monachus Sancti Michaelis in itinere, quod peregit anno 1531. dicit eminus rupem oſtendi, quæ dicebatur fuiſſe uxoris Loth. Cajetanus, & Pererius credunt, Loth jam ingreſſum fuiſſe Segor, cum in lapidem uxor illius eſt converſa; alii contendunt hanc ipſam ſubiiſſe pœnas in Segor eadem; alii denique id accidiſſe arbitrantur in via, quæ a Sodomis Segor ducit. Nonnulli aſſerunt hujus mulieris

1 Strabo l. 16. p. 519. Vide & Herodot. l. 2. c. 86. Diodor. l. 2. c. 5.
2 Secrets de l'Abbe Rouſſeau.
3 Vide Jo. Clerici Comment. in Geneſ. Bodin. l. 5. de Repub. Var. ſeu Tigur.

Digitized by Google

lieris ſtatuam in lapidem converſæ integram adhuc ſubſiſtere, cui nihil tot ſæculorum obfuerit longitudo: Lutherus putat ipſam, cum urbe Segor periiſſe, ſimulac inde Loth fuerit egreſſus. Alii cenient, partem tantummodo exiſtere; alii locum dumtaxat, ubi olim fuerat, oſtendi; alii denique ſe nihil potuiſſe percipere fatentur. At quem ſequi fas eſt?

Credimus autem illarum regionum incolas viatorum abuti credulitate, atque ipſis plurimas infarcire fabulas, quas etiam doctiores viri inconſulto arripuerunt. Oſtendebatur adhuc primis a reparata ſalute ſæculis, exempli gratia, quercus Abraham, de qua ſuperius locuti ſumus; terebintus, ſub qua Iacob fodit Teraphim Labani; turris viduæ e Sarepta; domus Centurionis Cæſareæ, domus Cleophæ in Emmaus, ita quoque illa Marthæ, & Magdalenæ in Bethania; lapis angularis, de quo loquitur pſalmus 117. 22. Cœnaculum Apoſtolorum in Hieruſalem, & ſexcenta hujuſmodi monumenta, quibus detinentur viatores in Palæſtina. Sanctus Hieronymus, qui teſtatur ævo ſuo pleraque hæc adhuc oſtendi conſueviſſe, ne meminit quidem ſtatuæ Loth, quamquam Sanctus Paulus, cujus itinera ab ipſo deſcribuntur, Segor, & finitimas regiones peragraverit.

Brochardus viator celeberrimus, qui omnia in Terra Sancta perveſtigavit in Deſcript. Terræ Sanctæ p. 1. cap. 8. §. 34. fatetur, ſe, poſtquam totis viribus adniſus eſt, ut ſtatuam hanc detegeret, voti compotem fieri in hac re non potuiſſe; cum eorum locorum incolæ illi dixerint, locum, ubi ipſa videbatur, præruptum admodum eſſe, atque ita ſerpentibus, ac virulentis infeſtum belluis, ut illuc nemo poſſet accedere. Sed huic auctori fucus factus fuit hac in re, quemadmodum etiam in eo, quod ait de urbe Segor, quam inter Engaddi, atque Aſphaltitem ſtatuit; quamquam in alia hujus maris plaga ipſa fuerit, ad Orientem, aut Meridiem; quemadmodum invictis rationibus probatum eſt. Doubdam, qui ſcribebat Pariſiis anno 1666. ait, oſtendi magnam ſalis petram, quæ uxor Loth aſſeritur fuiſſe: ſed addit, ægre a quoquam id exiſtimatum iri, quod diutius adeo ſubſtiterit; & Nicolaus Chriſtophorus Radzivil Polonus Princeps, qui luſtravit, atque ſedulo partes illas ſcrutatus eſt, refert, quod cum Ducem ſuum, qui ex Arabia erat, alioſque, penes quos præcipua erat illius regionis cognitio, rogaſſet, num adeſſet ſtatua uxoris Loth: omnes uno ore abnuerunt aliquid ſimile inveniri. Chriſtophorus Fuſer Nobilis Alemannus, qui iter ſuum Palæſtinæ edidit anno 1621. quique Aſphaltitem lacum adſpexit, ne verbum quidem facit de hoc uxoris Loth monumento. Thevenot, Bellonius, & melioris notæ Viatores nihil inquiunt, ſed tantum quæ ex aliis perceperint, referunt; quo maxime probatur, hanc ſtatuam, aut columnam, in quam uxor Loth immutata fuit, non amplius ſubſiſtere; aut ſaltem locum, ubi eſt, ignorari. Ad hæc eos omnes, qui in Geographicis Tabulis uxorem Loth notaverunt in Occidentali Aſphaltitis plaga, atque inibi Segor ſtatuerunt, palam in errorem liquet inductos fuiſſe. Oſtendimus Segor ultra quindecim leucas abfuiſſe; ita illis quoque, qui illic eam ſtatuam ſe vidiſſe teſtantur, nulla eſt fides habenda. Si monumentum hoc exiſtit adhuc, inquirendum eſt inter Sodomam, & Segor, ad Orientem, aut Meridiem Aſphaltitis; non autem apud Engaddi, neque ad illius maris occidentem.

℣. 27. Abraham consurgens mane, ubi steterat prius cum Domino.] Abraham ſciendi cupidus, quid de nepote ſuo, atque urbibus Pentapolis fuiſſet factum, eo ſummo mane proceſſit, ubi heſterna die cum angelo Domini fuerat collocutus, atque unde conſpicere poterat agrum, ubi ſitæ erant urbes nefariæ.

℣. 29. Recordatus est Abrahæ.] Liberatio Loth meritis Abraham potius, quam Loth eſt referenda. *Quod exacit*, ait Origines in Geneſim hom. 5. *ex Sodomis, magis ad honorem Abrahæ, quam ad meritum pertinet Loth*; & quamquam Abraham nepotis ſui nomen non protulit, cum pro juſtis deprecatus eſt, ne Sodomorum excidio obruerentur; illius tamen hærebat animo; atque Deus illius animum magis, quam verba reſpexit.

℣. 30. Ascendit Loth de Segor.] Apparet plane in actionibus Loth imbecillitas, nullum conſilium, ac inæqualitas. Egreſſus Loth e Sodomis petit, ut ſibi liceat immorari Segor. At aſſecutus Segor, nullam fidem adhibens promiſſionibus Angeli in montem ſe recipit, ubi incaleſcit vino, atque inceſtu polluitur.

Mansit in spelunca.] Hæc omnis regio circa Aſphaltitem, tam ad Orientem, quam ad Occidentem, atque meridiem frequens eſt ſpecubus, qui in rupes recedunt, ubi viri plures commodius diverſari queunt, cujus rei argumenta inferius proferentur. Strabo l. 16. p. 514. de illis loquitur antra, quæ ſunt in monte Libano, aut circa Damaſcum. Nonnullæ ex his ſpeluncis quatuor hominum millia capere valent; quo ſimulac hoſtes ingruunt, incolæ confugiunt. Speluncæ Idumæorum, regionis Moab, & Juda, nec vaſtitate, nec frequentia illis decedunt. Vide Joſue 10. 16. 17. & ſeq. & 1. Reg. 22. 1. & 24. 41. &c.

℣. 31. Nullus virorum remansit in terra.] Num ignorabant, quod in Segor, unde paucis horis ante egreſſæ fuerant, homines erant? An ſibi religioni vertendum arbitrabantur, ſi extraneis nuberent, quæ jam cum incolis Sodomorum ſponſalia iniiſſent?

℣. 32. Inebriemus eum vino.] E Sodomis egreſſæ eſcas, & vinum attulerant; atque ſecum ob iter commeatus geſtabant, quæ temporum illorum erat conſuetudo.

Patres, qui ad examen vocarunt inceſtum Loth cum filiis ſuis; an actio illa crimini fuerit obnoxia, in diverſas abiere ſententias. Alii conati ſunt excuſare Loth, atque filias ipſius: alii vero contenderunt utroſque ſimul ſontes fuiſſe. Sanctus Irenæus l. 4. c. 51. Loth filias excuſat ab ipſarum ſimplicitate, atque ipſum Loth ab ignorantia; & præcipue quod non nefaria cupiditate abreptus hoc egerit. Animadvertit Dei providentiam eas illuc deduxiſſe, atque permiſiſſe, ut Loth filiæ ex patre conciperent, ut adumbraretur fœcunditas, qua Jeſus Chriſtus Synagogam, atque Eccleſiam donavit. Sanctus Joannes Chryſoſtomus hom. 44. in Geneſ. Loth, & illius filiarum partes tuetur. Credit ille divinæ ſapientiæ conſilio factum, ut vir hic juſtus adeo mero incaluerit, ut quidquid tunc temporis egerit, penitus ignoraverit, atque ideo crimine caruerit, quod non niſi cum rei cognitione, & voluntate patratur. Quoad vero illius ebrietatem, ipſum etiam excuſat, illius ebrietatem ex dolore, ac triſtitia ipſius obortam potius, quam ex intemperantia. Denique animadvertit, Scripturam ipſam videri ſuſcepiſſe cauſam filiarum Loth, illarum intentionis rectitudinem detegendo. Credebant quippe univerſos homines igne abſumptos fuiſſe; & veritæ, ne hominum genus interiret, patre ſuo pocula miniſtrarunt, ut ipſi horrorem adimerent facinoris, quod illæ maxime neceſſarium cenſebant. Quis igitur juſtum hunc audeat corripere, aut filias ejus? Nonne de ſana mente dejecti plane foret, eos coarguere velle, quos Scriptura non damnat, quorum immo egregiam admodum texit apologiam? Audiamus potius Apoſtolum dicentem; quos Deus juſtificat, quis condemnare contendet?

Theodoretus Quæſt. 70. in Geneſ. ut aſſolet S. Chryſoſtomum ſequitur. Aſſerit ignorantiam Loth ſatis ipſum excuſare quo minus inceſti ſit reus; quandoquidem Scriptura notat, illum neque ante, neque poſt facinus illud umquam cognoviſſe. Illius ebrietas tamen non ſatis excuſari poteſt; ſed ſibi immodice pocula exhaurienda præberi credebat, quoniam filias ſuas illud tantum quærere arbitrabatur,

quo ipſius animi mœrorem averterent. Demum hæ filiæ, non protſus nocuæ ſunt; neque enim libidini ſuæ ſatisfieri cupiebant; ſed conſulebant, ne hominum genus interiret. Sciebant quippe, ait ille, non Sodomam tantum, & Gomorrham flammis abſumptas fuiſſe, ſed Segor quoque tellure abſorptam. Super poſtremo facto hoc vide ſuperius caput 14. 2.

Sanctus Ambroſius l. 1. de Abraham c. 6. iiſdem præter propter rationibus utitur, Loth, ejuſque filias excuſaturus. Origenes hom. 5. in Geneſ. media in hac quæſtione inſiſtit via: neque enim omnino Loth excuſat, neque omnino redarguit. Patetur illius ebrietatem fuiſſe malum: & niſi ſe ſe vino ingurgitaſſet adeo, ut agnitionem amitteret, numquam fuiſſe futurum, ut a filiis ſuis deciperetur. Veruntamen neque inceſti reum damnari poſſe arbitratur, quia quacumque cognitione caruit, neque criminis particeps voluntas fuit. Quoad vero filias Loth, quamquam omnino illas excuſare minime velit, iis tamen earum cauſam inniti poſſe rationibus arbitratur.

Virgines hæ aliquid de poſtremo Terrarum per ignem excidio intellexerant: ſed quemadmodum imperfecte ſolum hanc veritatem perceperant, crediderunt incenſa Pentapoli omnes homines periiſſe, ac mundum redactum fuiſſe ad ſtatum illum, in quo poſt diluvium verſabatur; atque operam navandam eſſe, ut rurſus incolis repleretur: & quamquam abhorrerent ab inceſtu patrando, atque patre fallendo in re magni adeo momenti, nihilominus crediderunt, ſe gravius delinquere, ſi humanum genus penitus finerent interire; atque bonum, quod futurum ſperabant ex ipſarum facinore, longius excedere arbitrabantur quidquid illæ admiſiſſent. Ingrediuntur ergo ad Patrem ſuum, ſed ſemel tantum quæque ingreſſa eſt: denique his verbis notatu dignis claudit: *Ubi hic libidinis culpa, ubi inceſti crimen arguitur? quomodo dabitur in vitio, quod non iteratur in facto? vereor proloqui, quod ſentio, vereor, inquam, ne caſtior fuerit harum inceſtus, quam pudicitia multarum.*

Auctor idem libro quarto contra Celſum excuſat Loth, rationem deducens ex principiis, quæ fatentur Philoſophi; ſcilicet naturam boni, & mali a voluntate pendere, atque actiones omnes per ſe ipſas, minimum aſſentiente voluntate, eſſe indifferentes; & quemadmodum Loth noluit, quod fecit; illius facinus aſſerit, minime eſſe damnandum. Ad filias vero excuſandas ſuperius allatis utitur argumentis.

Priſci Patres ſedulam navabant operam Patriarcharum Veteris Teſtamenti actiones probaturi, ut Manichæorum blaſphemias reprimerent, qui Patriarchis infeſti erant adeo, ut Vetus Teſtamentum, veluti improbi opus conſilii ab omnibus cenſeri vellent. Sanctus Auguſtinus libro 22. contra Fauſtum cap. 42. 43. 44. & 45. omnes collegit rationes quas attulimus, ut Loth cauſam ageret; ſed putat haud eſſe excuſandum, quod immodice ſe vino proluerit ob eam cauſam, quod filiis ſuis morem gereret illas ſolaturus, atque dolorem ex matris jactura levaturus; niſi illius filiæ aliquid vino immiſcuerint, quo præter intentionem inebriaretur, quamquam ipſe modice biberet. Rejicit etiam illorum rationem, qui inceſtum Loth juſtificare contendebant, quoniam Loth eſt figura legis antiquæ, atque illius filiæ figuræ ſunt Judæorum. Hæ actiones, ait ille, quæ figuras referunt in Scripturis, ſunt Prophetiæ, cum in ea tantum narratione ſacrorum librorum conſiderantur: verum crimina ſunt, cum in eorum vita, qui illa admiſere, perpenduntur. *Illud factum cum in ſacra ſcriptura narratur, Prophetia eſt: cum vero in illorum vita, qui hec commiſerunt, conſideratur, flagitium eſt.*

His autem verbis demum claudit: Nos hic hominum flagitia non tuemur, verum ſanctas Scripturas defendimus: neque id probandum ſuſcipimus perinde, ac Deus aut præceperit, aut probarit; & illi, quibus libri ſancti qualitatem Juſtorum tribuunt, peccare nequaquam potuiſſent. Igitur quoniam actionem hanc Juſtam minime appellat; nonne inſipientis eſt, temeritatis Scripturas arguere, perinde ac approbarent iſtic, quod alibi paſſim redarguunt palam? Actiones has Scriptura narrat, non commendat; refert illa; at illarum cauſa non eſt; eaſque nobis profert, non ut illas imitemur, verum ut ab illis abhorreamus.

Grotius obſervat, filias Loth, quæ Sodomis lnutritæ fuerant, ac in terra Chanaan, atque ex Chaldæorum regione originem duxerant, forte non habuiſſe eam inceſtus ideam, quam nos habemus: hæc quippe flagitia in Oriente erant vulgara. Magi matrem ipſam ducebant aliquando uxorem; atque apud Arabes iſtud fieri licebat. Catullus Epig.

Nam magus ex matre, & gnato naſcatur oportet.

Ita illæ in ſcelus hoc pertrahere patrem liberius potuerunt, peſſimo illorum populorum exemplo.

ꝟ. 37. Moab.] Significat genitum de Patre; Hieronymus in Iſai. 15. 1. ita & Druſius. Ad Litteram: *Aquas Patris*. Aquæ ſæpius generationem ſignificant. Ammon notat Filium populi mei. Hæc duo nomina non ad juſtam hebraicæ linguæ analogiam ſunt efformata.

Commentitiæ Poetarum fabulæ aliquot notas ſervarunt hiſtoriæ illius, quæ hoc capite recenſetur. Ovidius Metamorphoſeon l. 8. fabulam refert Philemonis, & Baucidis, qui domi ſuæ exceperunt hoſpitio Jovem, & Mercurium ſub hominum mortalium imagine. Numina hæc adiere mille domos diverſoriam petentes, & requiem; ſed ubique hoſpitium illis fuit denegatum. Denique Philemon, & Baucis illos exceperunt, & agnovere Deos in eo, quod ipſorum pocula per ſe vino præſtantiſſimo replerentur. Dii illos admonuere de proximo Urbis excidio; atque cum illis præcepiſſent, ut in excelſum montem ſe cum ipſis reciperent, vix illuc aſſecuti ſunt, cum merſam viderunt urbem, & manſi ipſorum ſtare domum, cum lacus urbis locum occupaſſet.

...... Flexere oculos, & merſa Palude
Cetera proſpiciunt, tantum ſua tecta manere.

Merito quoque videri poteſt Niobe in lapideam immutata ſtatuam inde deducta fuiſſe, quod diximus de uxore Loth in ſtatuam ſalis converſa. Ovidius l. 6. (& Homerus Iliad. Ω; quem hic Ovidius ſequitur,) ait ipſam Thebis translatam fuiſſe in patriam, ubi in vertice montis Sypili in lapidem immutata, lacrymas fundens viſitur.

In patriam rapta eſt, ubi fixa cacumine montis
Liquitur, & lacrymis etiam nunc marmora manant.

Pauſanias in Atticis ſe montis Sypili adiiſſe cacumen narrat, ut videret Nioben; ſed cominus nullam uſpiam vidiſſe mulieris, nec lacrymarum formam, quamquam rupes eminus plorantis mulieris imaginem referat. Palephatus credit fabulam Metamorphoſeos Niobis in marmor converſæ, inde ortam, quod Niobe ſibi e marmore ſtatuam elaborandam curavit, quam ſuper filiorum ſuorum tumulum ſtatueret, atque ipſe idem ſtatuam hanc ſe ſpectaſſe teſtatur. Urbs Sypili caput erat Mæoniæ, ut refert Plinius l. 5. c. 29. eaque motu terræ abſorpta fuit, atque in eo loco, ubi Urbs ſteterat, ſalitæ ſtagnum extitit; quæ circumſtantiæ propius fabulam hanc ad hiſtoriam uxoris Loth referri teſtantur.

CA-

CAPUT XX.

Abraham in Geraris peregrinanti Abimelech tulit Saram, ut ſibi uxorem adſciſceret. At mulctatus a Deo illam reddit Abraham, quem illius conjugem agnovit.

1. PRofectus inde Abraham in terram auſtralem habitavit inter Cades, & Sur: & Anno ab
peregrinatus eſt in Geraris. 2 Dixitque de Sara uxore ſua: Soror mea eſt; Orbe condito 2107.
Miſit ergo Abimelech rex Geraræ, & tulit eam. 3 Venit autem Deus ad
Abimelech per ſomnium nocte, & ait illi: En morieris propter mulierem, quam tuli-
ſti: habet enim virum. 4 Abimelech verò non tetigerat eam, & ait: Domine, num
gentem ignorantem, & juſtam interficies? 5 Nonne ipſe dixit mihi, Soror mea eſt:
& ipſa ait, Frater meus eſt? in ſimplicitate cordis mei, & munditia manuum mearum
feci hoc. 6 Dixitque ad eum Deus: Et ego ſcio, quod ſimplici corde feceris: & ideo
cuſtodivi te, ne peccares in me, & non dimiſi, ut tangeres eam. 7 Nunc ergo red-
de viro ſuo uxorem, quia propheta eſt: & orabit pro te, & vives: ſi autem nolueris
reddere, ſcito, quod morte morieris tu, & omnia, quæ tua ſunt. 8 Statimque de
nocte conſurgens Abimelech, vocavit omnes ſervos ſuos; & locutus eſt univerſa verba
hæc in auribus eorum, timueruntque omnes viri valde. 9 Vocavit autem Abimelech
etiam Abraham, & dixit ei: Quid feciſti nobis? quid peccavimus in te, quia induxi-
ſti ſuper me, & ſuper regnum meum peccatum grande? quæ non debuiſti facere, feci-
ſti nobis. 10 Rurſumque expoſtulans, ait: Quid vidiſti, ut hoc faceres? 11 Reſ-
pondit Abraham: Cogitavi mecum, dicens: Forſitan non eſt timor Dei in loco iſto: &
interficient me propter uxorem meam: 12 Alias autem & vere ſoror mea eſt, filia patris mei,
& non filia matris meæ, & duxi eam in uxorem. 13 Poſtquam autem eduxit me Deus de domo
patris mei, dixi ad eam; Hanc miſericordiam facies mecum; In omni loco, ad quem in-
grediemur, dices, quod frater tuus ſim. 14 Tulit igitur Abimelech oves, & boves,
& ſervos, & ancillas, & dedit Abraham: reddiditque illi Saram uxorem ſuam, 15 Et
ait: Terra coram vobis eſt, ubicumque tibi placuerit, habita. 16 Saræ autem dixit:
Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes,
qui tecum ſunt, & quocumque perrexeris: mementoque te deprehenſam. 17 Oran-
te autem Abraham, ſanavit Deus Abimelech & uxorem, ancillaſque ejus, & pepere-
runt. 18 Concluſerat enim Dominus omnem vulvam domus Abimelech propter Sa-
ram uxorem Abrahæ.

℣. 1. HABITAVIT IN TERRA CADES, ET SUR, ET PEREGRINATUS EST IN GERARIS.] Chaldaicè vertitur: *habitavit inter Rekam, & Agara, & immoratus eſt in Geraris*, &c. Syriace; *inter Recem, & Gedar*; Arabice: *inter Racim, & Algiafar*. Eadem quoque videtur diverſitas cap. 14. 14. Urbs Geraræ ſita erat inter deſerta Sur ad Occidentem, & Cades ad Orientem. Hæc itaque Urbs erat in Arabia Petræa, ac tunc Philiſthæorum Regi parebat. In libris Scripturæ, qui Moyſis tempora ſubſecuti ſunt, in quinque Philiſtæorum Satrapiis comprehenſa minime apparet. Gerara videtur ad Arabes ſpectaſſe regnante Aſa in Juda; quoniam cum Princeps hic *Zaram* Regem Arabum, ſeu Æthiopum deviciſſet, civitates omnes per circuitum Geraræ eſt depopulatus. 2. Paralip. 14. 14.

Forte Gerara eadem eſt ac Gerra, quam Strabo lib. 16. montem Caſium verſus ſtatuit ad ducenta ſtadia, videlicet quinque circiter & viginti paſſuum millia a mari Erythræo. Aſſerit ille maximum eam fuiſſe emporium, atque terra cum Arabibus negotiari con- A ſueviſſe, mari vero Babylonem uſque, & Tapſachum ultra Euphratem naves dimiſiſſe. Euſebius, & Sanctus Hieronymus dicunt Geraram quinque & viginti millibus paſſuum ab Eleutheropoli abeſſe, aut trans Daromam; quod ſententiæ noſtræ arridet, quæ propius mari rubro Geraram ſtatuit, quam Geographicæ tabulæ, quæ hactenus extiterunt. Quæritur quare Abraham incolatum ſuum immutarit? alii aſſerunt ob ſegetum, & paſcuorum defectum; alii vero ob aeris improbitatem, quam Sodomorum incendium fœdarat. Sed ſcriptura hoc præterit.

℣. 2. DIXITQUE DE SARA UXORE SUA: SOROR MEA EST.] Septuaginta iſtic hanc gloſſam adiiciunt. *Quoniam eam uxorem ſuam dicere verebatur, ne urbis incolæ propter illam ipſi mortem conſciſcerent.*

B MISIT ABIMELECH, & TULIT EAM.] Maximam profecto *Sara* fuiſſe decet pulchritudinem, quandoquidem nonageſimum annum agens, & Iſaac ventre ferens allicere potuit oculos Regis Geraræ, qui tulit eam. Vide Auguſtinum q. 48. in Geneſ. Aliqui ex Rabbinis arbitrantur illius ſpeciem præter naturam, & miraculo ipſi traditam; alii vero [1] ani-

1 Terr. hic.

madvertunt, quod tunc vulgo ad centum & triginta annos vita perducebatur; atque ita ætas nonaginta annorum tunc temporis erat, perinde ac modo eſt ætas annorum quadraginta quinque, vel quinquaginta; in qua conſpiciuntur adhuc mulieres quædam forma præſtantes, atque decoræ.

Abimelech. Nomen hoc erat omnibus Regibus Geraræ commune, veluti nomen Pharaonis Regibus Ægyptiis; quod minimum oberat, quin ſingulis aliud eſſet nomen peculiare. Nomen Abimelech ſignificat, meus Pater eſt Rex. Colligitur ex hoc capite Regulum hunc agnoviſſe Deum, timuiſſe eumdem, amaſſe juſtitiam, atque a flagitiis abhorruiſſe [1]; igitur dum adhuc Abraham degeret, Dei oblivio, atque ſcelera non univerſam Terram Chanaan fœdarant.

℣. 4. Domine num gentem ignorantem, et justam interficies?] Auctor Vulgaræ in hac verſione ſequutus eſt Septuaginta. Hebraice habetur ſimpliciter: *Interficies populum, qui juſtus eſt?*

℣. 6. Ideo cvstodivi te, ne peccares in me] Deus aliqua affecerat calamitate Abimelech, ne Saram tangeret; atque idem principis hujus uxores afflixerat, ut concipere nequirent, aut parere, ut habetur ℣. 17. & 18. quandoquidem vox Hebraica ילד Jalad, utrumque ſignificat. Hi morbi naturales habiti ſunt, donec Abimelech illud prodidit, quod Deus ipſi adhoc obruto ſomno oſtendit. Nullum opus eſt, ut dicatur Sara pluribus menſibus apud Abimelech fuiſſe immorata.

℣. 7. Redde viro svo vxorem, qvia Propheta est.] Scilicet homo ſacer, ac mihi inſerviendo dicatus vir, cui arcana mea prodidi, & cui peculiariter favi. Nominis Prophetæ ſignificatio latius patet apud Hebræos. Fortaſſe nomine hoc נביא *Nabi*, quo hic utitur Moyſes, non utebantur Hebræi, ut ſuos Prophetas denotarent, niſi poſt Samuelem [2]: illudque nunc Moyſes uſurpat, prout nomen, quod Philiſthæi noverant, atque Ægyptii, qui ita appellabant Sacerdotes ſuos, & quos magis participes munerum Dei arbitrabantur, ut notat Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum. Ea vero, quæ ſequuntur, huic favent ſententiæ, *& orabit pro te, & vives*. Ipſe pro tua valetudine Deum deprecabitur; pro ſalute tua apud Deum aderit interceſſor; illius enim preces maxime pollent, atque tibi, quid abs te Deus velit, oſtendet.

℣. 9. Induxisti super me, et super regnum meum peccatum grande.] Tu me objeciſti, ut grave crimen admitterem, cujus ſupplicium Regnum meum poſſit evertere. Hactenus Abimelech nihil perperam egerat, quod ipſum Deus aſſerit ℣. 6. *Ego ſcio, quod ſimplici corde feceris*. Adulterium maximum ſemper flagitium habitum eſt, atque etiam ſub naturæ lege, cujus rei argumenta afferrentur capite 28. *peccatum grande*, ut grande ſupplicium intelligatur. In Scripturis paſſim *Peccatum* pro ſupplicio peccati uſurpatur; atque ideo ita verti poteſt: *Cogitaſti inducere ſuper me, & ſuper regnum meum grande infortunium, magnam a Deo punitionem*.

℣. 12. Alias autem et vere soror mea est, filia patris mei, et non filia matris meæ.] Attigimus jam hunc locum ℣. 13. c. 12. Chriſtiani Interpretes vulgo putant, *Saram* eamdem eſſe, ac *Jeſcham* filiam Aram fratris Abraham, atque ideo neptem fuiſſe, ex fratre Abraham, atque ex filio neptem Thare. Hæc conjugia inter patruum, & neptem permiſſa erant antu legem Moyſis, neque vetita poſt legem eamdem, ut oſtendit Sanctus Hieronymus in qu. heb. Abraham ait, Saram ſuam ſororem eſſe, quoniam filia erat ejuſdem patris, ac ille, non autem matris ejuſdem; quod dicitur filia fuiſſe Aram fratris Abraham, qui uterque filii erant Thare, ſed ex aliis matribus geniti; ita Sara ſoror erat Abraham, ſed

A matris alterius; videlicet ipſa orta erat ex Abrahæ fratre, qui aliam ab ea, quam ille habuit, matrem agnoverat.

Hæc explicatio, quamquam ardua videatur admodum, patribus arridet, & pluribus Interpretibus. Vide Hieronymum adverſus Helvid. Auguſtinum contra Mendac. art. 23. & lib. 22. contra Fauſtum c. 35. & Paraphraſ. Uzielis. Adnotari poteſt, quod Homerus Odyſſ. H. 54. apud Joannem Clericum in Comment. in hunc locum, aſſerit Aretam Alcinoi Regis uxorem, ſororem illius fuiſſe, quamquam liquet neptem fuiſſe dumtaxat. Saides Batricidas, qui ſeptingenteſimo ab hinc anno degebat, ac Arabice Annales exaravit, ubi maxima veterum Orientalium traditionum copia extat, ait, Thare primum uxo-
B rem duxiſſe Jonam, ex qua ortus eſt Abraham, atque deinde conjugem ſibi junxiſſe Tehevitam, quæ fuit mater Saræ. Ita Abraham, & Sara frater erant, & ſoror, non tamen ex eadem geniti matre.

Quod hic aſſerit Abraham, Saram ſuam ſororem fuiſſe, Interpretibus nonnullis, puta Janſenio, Bonfrerio, aliiſque præbet occaſionem dicendi tunc inter fratres, ac ſorores conjugia minime licuiſſe: ſi enim licuiſſent, cur Abraham, ne Sara uxor illius nequaquam crederetur, ſororem ſuam eſſe dixiſſet? Sanctus Clemens Alexandrinus Stromat. lib. 2. oppoſitum inferunt: quippe arbitratur conjugia inter fratres, & ſorores licuiſſe ſub lege naturæ, dummodo ex alia matre orti fuiſſent.

Plerique Hebræorum docent, atque illorum ſen-
C tentia probabilior videtur, Saram filiam fuiſſe Thare, æque ac ejuſdem filius erat Abraham, & locum hunc juxta litteralem ſenſum eſſe intelligendum. Abraham hic ait, *vere ſoror mea eſt*, ut oſtenderet ſine ulla ambage, & æquivoco, ipſam ſibi revera ſororem eſſe; atque par eſt, ut potius credamus Abrahæ, qui illud neſcire non poterat, ut Sanctus Auguſtinus animadvertit, neque mendacii redargui poteſt, quam longinquas, remotaſque ſolutiones inquiramus. Nulla ſatis valida ratio probat Jeſcham eamdem eſſe, ac Saram; & liquet antiquitus apud omnes populos inter fratres, & ſorores licuiſſe conjugia. Ægyptii profecto, Phœnices, Perſæ, Athenienſes connubia hæc permittebant. Ethnicorum numina invicem fratres, & ſorores erant conjugii fœ-
D dere adſtricta. Ovid. Metam. 9. v. 498.

---- Dii nempe ſuas habuere ſorores,
Ut Saturnus Opim junctam ſibi ſanguine duxit,
Oceanus Thetim, Junonem Rector Olympi.

Philo de ſpecialibus legibus notat, Solonem Athenienſium Legiſlatorem nuptias permiſiſſe inter fratres, ſororeſque patris ejuſdem; non ita vero ejuſdem matris. Et Cimon celeberrimus Athenienſium dux ſororem ſuam, cui nomen Elpinicen, uxorem duxerat: *non magis amore*, ſcribit illius vitæ auctor, *quam patrio more ductus: nam Athenienſibus licet eodem Patre natas uxores ducere*. Illud tamen recena rogatis regibus derogatum fuit. Lycurgus Lacædemonum Legiſlator e contra inter uterinos filios nuptias admiſerat, & ejuſdem patris filiorum vetave-
E rat. Regnante Cambyſe Perſæ ſorores ſuas ſibi conjuges adſciſcere occœperunt, ſi fides eſt Herodoro l. 3. cap. 31. Achilles Tatios animadvertit, antiquitus eamdem fuiſſe Phœnicibus conſuetudinem, ac Athenienſibus quoad nuptias. Liquet ex Juſtino l. 18. Didonem neptem, ac uxorem fuiſſe Sichæi, quem Pygmalion interemit. Olympias ſoror erat, & conjux Alexandri Epiri Regis, ut ex eodem patet lib. 38. atque ex 31. Laodices conjux erat, & ſoror Mithridatis Magni. Artemiſia quoque nupſerat fratri ſuo Mauſolo Cariæ Regi.

℣. 13. Postquam eduxit me Deus de domo patris mei.] Hebraice habetur התעו אתי אלהים *Poſtquam Dii errare me fecerunt de domo patris mei*,

A non-

[1] Vide Ambroſ. de Abrah. l. 1. c. 7.
[2] Vide 1. Reg. 9. 9.

A nonnullis per hæc verba, *Dii*, intelliguntur Principes Chaldæi idololatræ, qui expuliſſe dicuntur Abraham de regione ſua; ab aliis *Angeli* intelliguntur, qui Abraham iter facientem comitati ſunt, poſtquam egreſſus fuerat de domo patris ſui. Vox *Elohim* ſignificat Principes, Magiſtratus, Angelos, atque ipſum Deum; quem poſtremum ſenſum Vulgata, & Septuaginta amplexi ſunt. Chaldaica verſio ita habet: *Cum homines errarent, adeo ut opera manuum ſuarum venerarentur; Deus me ſuo timori conjunxit* (*hoc eſt ipſi ſibi*.)

℣. 14. TULIT ABIMELECH OVES, ET BOVES, ET SERVOS, ET ANCILLAS, ET DEDIT ABRAHÆ.] Septuaginta adjiciunt dediſſe quoque mille dracmas, aut mille ſiclos; & revera ℣. 16. patet, Abimelech hac pecunia donatum dimiſiſſe; verum iſtic nihil tale in textu reperitur, neque in verſionibus, quæ illum ſecutæ ſunt.

B ℣. 16. MILLE ARGENTEOS.] Cenſetur hic loqui de ſiclis. Porro ſicli mille, re ad calculos revocata, octingenta Romana ſcutata conſtituunt.

HOC ERIT IN VELAMEN OCULORUM AD OMNES, QUI TECUM SUNT: ET QUOCUMQUE PERREXERIS, MEMENTOQUE TE DEPREHENSAM.] Textus Hebraicus [1] magis conciſus eſt, pluresque ſenſus poteſt admittere: exempli gratia: Hi mille argentei, *erunt tibi in velamen*, ut te obtegas *coram omnibus, qui tecum ſunt*, & ad omnes alios; *& cautior ſis*. Septuaginta [2] ita explicant: *Argentum hoc erit tibi in honorem vultus tui*, ut habeas velamen pretioſum, aut velamen honorificum, quemadmodum honeſtæ gerunt

C mulieres, *& pro omnibus illis, qui tecum ſunt, & dic ſemper veritatem*. Onkelos hanc paraphraſim habet; *Hoc erit tibi velamen honoris; quoad illud autem quod dixiſti mihi, cautior ſis, ne amplius in ſimilem decidas errorem*.

A Hic quoque Hebraico textui ſenſus tribui poteſt: fratri tuo dedi mille ſiclos, *ut tibi, ancillisque tuis compares velamen*, ne deinceps nubilis virgo exiſtimeris: & *quoad alios cautior ſis, & ſincerior*; neque alias hujuſmodi pericula ſubeas, te ſororem viri tui ſimulans. Liquet in ea regione nuptas mulieres velamine obductas prodire conſueviſſe; atque velamen illud nota erat ipſarum obedientiæ viris ſuis, juxta S. Paulum 1. Cor. 11. 5. 6. 10. & hic Apoſtolus non ſiuit, mulieres umquam illud velamen deponere, quod nuptiarum die accipiunt.

Aliqui ita explicant: *Argentum, quod dedi fratri tuo, erit velut nuptiarum tuarum velamen*. Veluti ſi tibi velamen largiter, ut iterum nuptias celebrares cum Abraham; ego hoc tibi largior velamen: ego

B quodammodo tuus ſum paranymphus. *Gentes tuæ, atque extranei agnoſcant* te non ſororem tantum, verum & uxorem eſſe Abraham: *Ita Abimelech reprehendit Saram*. Aliter [3]; *Hoc uteris, ut velamen tibi compares, quo oculos tegas ante omnes, qui tecum ſunt, atque adverſus alios quoſcumque, & ſis plane juſtificata*. Neque enim amplius ullum erit de tua conditione dubium; omnes intelligent te eſſe uxorem Abraham.

℣. 17. ET PEPERERUNT.] Aliqui Hebraicam vocem ילדו transferunt, *Concipere inceperunt*; ſed præſtat dicere, quod pepererint; incommodum enim, quominus filios in lucem ederent, ſenſibilius erat ſane, & quod facilius detegi poſſet, quam concipiendi impedimentum. Hoc enim non ita facile dignoſci

C potuiſſet breviori temporis intervallo, quo Sara domi Abimelech eſt immorata. Onkelos אתרוחו vertit *Reſpirarunt*, convaluerunt, morbo levatæ ſunt.

---

1 הנה הוא לך כסות עינים לכל אשר אתך ואת כל ונכחת.
2 Εἰς τιμὴν τοῦ προσώπου σου, καὶ πάσαις ταῖς μετὰ σοῦ. Καὶ πάντα ἀλήθευσον.
3 Flaccius Clav. S. p. 1. pag. 1238. Pfeifferus dub. vexar. Cent. 1. Hi contendunt נכח non ſignificare *reprehendere, coarguere*, ſed *diſcutere, illuſtrare*. Vide Iſai. 1. 18. Job 23. 7. 4. Reg. 15. 3. Proverb. 24. 27.

CAPUT XXI.

Ortus Iſaac, Agar Fuga, & Iſmael. Fœdus inter Abimelech, & Abraham.

℣. 1 VIſitavit autem Dominus Saram, ſicut promiſerat: & implevit, quæ locutus
eſt. 2 Concepitque, & peperit filium in ſenectute ſua, tempore, quo prædixerat ei Deus. 3 Vocavitque Abraham nomen filii ſui, quem genuit ei
Sara, Iſaac: 4 Et circumcidit eum octavo die, ſicut præceperat ei Deus, 5 Cum
centum eſſet annorum: hac quippe ætate patris natus eſt Iſaac. 6 Dixitque Sara:
Riſum fecit mihi Deus: & quicumque audierit, corridebit mihi. 7 Rurſumque ait:
Quis auditurus crederet Abraham, quod Sara lactaret filium, quem peperit ei jam ſeni?
8 Crevit igitur puer, & ablactatus eſt, fecitque Abraham grande convivium in
die ablactationis ejus. 9 Cumque vidiſſet Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum
Iſaac filio ſuo, dixit ad Abraham: 10 Ejice ancillam hanc, & filium ejus: non enim
erit hæres filius ancillæ cum filio meo Iſaac. 11 Dure accepit hoc Abraham pro filio
ſuo. 12 Cui dixit Deus: Non tibi videatur aſperum ſuper puero, & ſuper ancilla
tua: omnia, quæ dixerit tibi Sara, audi vocem ejus: quia in Iſaac vocabitur tibi ſemen.
13 Sed & filium ancillæ faciam in gentem magnam, quia ſemen tuum eſt. 14
Surrexit itaque Abraham mane, & tollens panem, & utrem aquæ, impoſuit ſcapulæ
ejus, tradiditque puerum, & dimiſit eam. Quæ cum abiiſſet, errabat in ſolitudine Berſabee.
15 Cumque conſumpta eſſet aqua in utre, abjecit puerum ſubter unam arborem, quæ ibi erat.
16 Et abiit, ſeditque e regione procul quantum poteſt arcus jacere, dixit enim: Non videbo morientem puerum: & ſedens contra, levavit vocem

ſuam, & flevit. 17 Exaudivit autem Deus vocem pueri ; vocavitque Angelus Dei
Agar de cœlo, dicens : Quid agis, Agar, noli timere : exaudivit enim Deus vocem
pueri de loco, in quo eſt. 18 Surge, tolle puerum, & tene manum illius : quia in
gentem magnam faciam eum. 19 Aperuitque oculos ejus Deus : quæ videns puteum
aquæ, abiit, & implevit utrem, deditque puero bibere. 20 Et fuit cum eo : qui
crevit, & moratus eſt in ſolitudine, factuſque eſt juvenis ſagittarius. 21 Habitavit-
que in deſerto Pharan, & accepit illi mater ſua uxorem de terra Ægypti. 22 Eodem
tempore dixit Abimelech, & Phicol princeps exercitus ejus, ad Abraham : Deus te-
cum eſt in univerſis, quæ agis. 23 Jura ergo per Deum, ne noceas mihi, & poſteris
meis, ſtirpique meæ : ſed juxta miſericordiam, quam feci tibi, facies mihi, & terræ,
in qua verſatus es advena. 24 Dixitque Abraham : Ego jurabo. 25 Et increpavit
Abimelech propter puteum aquæ, quem vi abſtulerant ſervi ejus. 26 Reſponditque
Abimelech : Neſcivi, quis fecerit hanc rem : ſed & tu non indicaſti mihi, & ego non
audivi præter hodie. 27 Tulit itaque Abraham oves, & boves, & dedit Abime-
lech : percuſſeruntque ambo fœdus. 28 Et ſtatuit Abraham ſeptem agnas gregis ſeor-
ſum. 29 Cui dixit Abimelech : Quid ſibi volunt ſeptem agnæ iſtæ, quas ſtare feci-
ſti ſeorſum? 30 At ille : Septem, inquit, agnas accipies de manu mea, ut ſint mi-
hi in teſtimonium, quoniam ego fodi puteum iſtum. 31 Idcirco vocatus eſt locus ille
Berſabee : quia ibi uterque juravit. 32 Et inierunt fœdus pro puteo juramenti. 33
Surrexit autem Abimelech, & Phicol princeps exercitus ejus, reverſique ſunt in
terram Palæſtinorum. Abraham vero plantavit nemus in Berſabee, & invocavit
ibi nomen Domini Dei æterni, 34 Et fuit colonus terræ Palæſtinorum diebus
multis.

℣. 1. VISITAVIT AUTEM DOMINUS SARAM, SICUT PROMISERAT.] Cornelius a Lapide aſſerit Deum poſt annum elapſum miſiſſe ad Saram eumdem angelum, qui anno præcedenti, fore ut Iſaac naſceretur, prædixerat. Alii credunt verba hæc *viſitavit, & concepit*, ſignificare duntaxat virtutem Dei; qui effecit, ut Sara conciperet Iſaac. Chaldaica verſio transfert : Dominus recordatus eſt Saræ. *Viſitavit* ſignificare poteſt, tum corpoream præſentiam, tum etiam promiſſionum effectus, & recordationem.

℣. 2. PEPERIT FILIUM IN SENECTUTE SUA.] Hebraicus textus לזקניו reſpicit ſenectutem Abraham. Illa peperit Abrahæ filium, ut illius ſenectutem conſolaretur. Sanctus Hieronymus ad Abraham refert ℣. 7. ubi eadem ratio dicendi invenitur : *Peperit ei jam ſeni*. Verum Septuaginta hic vertunt, quin ad alterutrum referant : *Εἰς τὸ γῆρας. Peperit propter ſenectutem*; & ℣. 7. ad Saram referunt; *Peperi filium in ſenectute mea*.

℣. 6. RISUM FECIT MIHI DOMINUS.] Mihi dedit filium, qui riſum nomine præſeferret. Melon apud Euſebium lib. 9. præp. appellat Iſaac *Γελῶτα*, *riſum*. *Corridebit mihi*; vel juxta Vatablum *corridebit de me* יצחק לי. Vox Iſaac futurum videtur ſpectare, uti quoque Iacob, Iſrael, Iuda. Sæpius autem futurum pro participio Hebraice uſurpatur, uti & Arabice, quemadmodum obſervat Jacobus Cappellus.

℣. 7. QUIS AUDITURUM CREDERET ABRAHAM, QUOD SARA LACTARET FILIUM &c.] Hebraice, *Quis dixiſſet Abraham; Sara lactabit filios*. Quis perſuadere potuiſſet Abraham, futurum ut illi filios pareret Sara? pluralis numerus poſitus eſt pro ſingulari. Fabula narratur apud Rabbinos horum verborum occaſione, *lactaret filios*. Contendunt, Saram in ea ſolemnitate, quæ facta fuit, cum filium Iſaac ablactaret, accolarum ſuorum pluribus filiis lactem dediſſe, qui minime ſibi poterant perſuadere, illam eſſe matrem Iſaac, & filium hunc ſuppoſitium, vel adoptatum ſimpliciter arbitrabantur. Alius ſenſus Hebraico textui poteſt tribui : *Quis dixit Abraham : Sara lactabit filios?* videlicet, opus eſt ipſum fuiſſe Deum, qui talia pollicitus ſit. Chaldaice : *Ille, qui pollicitus eſt Abrahæ, fore ut Sara lactaret filios, & qui perfecte adeo promiſſiones ſuas adimplevit, ipſe procul dubio fidelis eſt, & verax*.

℣. 8. CREVIT IGITUR PUER, ET ABLACTATUS EST.] Sanctus Hieronymus in Hebraicis quæſtionibus ait, ſe inveniſſe duplicem ſententiam de ætate, qua filii ablactari conſueverunt. Aſſerunt alii hoc poſt quintum a nativitate annum; alii vero poſt duodecimum conſueviſſe. Sanctus Hieronymus pro quinque annorum ætate ſtat. Tunc longius ætas producebatur, quam hodie fiat, atque longior erat infantia. Macchabæorum ævo tribus annis communiter pueri lactabantur : *Lac triennio dedi* 2. Macch. 8. 27. mater inquit filio ſuo. In libro ſecundo Paralipomenon 36. 16. nihil aſſignatur pro adoleſcentulorum Sacerdotum, ac Levitarum eſca uſque ad trium annorum ætatem, ex quo facile colligi poſſet, nonniſi hac ætate ablactari ſolitos fuiſſe. Anna mater Samuel noluit prius ad Templum accedere, quam filius ipſius eſſet ablactatus 1. Reg. 1. 23. & 2. 11. Tunc illum deduxit; & Scriptura animadvertit Samuelem tunc ea fuiſſe ætate, qua aliquo Tabernaculi miniſterio fungeretur. *Puer autem erat miniſter in conſpectu Domini ante faciem Heli*. Igitur tres ſaltem, aut quatuor illi erant anni.

Rabbini volunt, matres biennio ſaltem lactare, & Alcoranum [1] iubet matres, quæ per ſe filios ſuos lactant, ad duos juſtos annos hoc efficere. Bellonius tamen obſervat. lib. 3. cap. 11. aſſerit, ipſas ad annum dumtaxat, vel menſes decem lactare, quo temporis intervallo infans, matris unius lac ſugit, ac deinceps illi quodvis eſcarum genus præberi; ſed cibus primum a nutrice dentibus conteritur, quæ illum ex ore ſuo extrahit, ut alumno ſuo tradat. Hæc eadem erat veterum Græcorum conſuetudo. Vide Ariſtophanem Equit. act. 2. ſcen. 2.

℣. 9. CUM VIDISSET SARA FILIUM AGAR ÆGYPTIÆ

1 Azoar. 2. apud Selden. uxor. Hebr. l. 3. c. 10.

ſTIÆ LUDENTEM CUM ISAAC FILIO SUO.] Hebraicus textus ſimpliciter ait, quod Filius Ægyptiæ ludebat, vel irridebat: ſed quod hoc cum Iſaac faceret, non innuit. At ex iis quæ ſequuntur, illud plane colligitur; & Sanctus Hieronymus notat hanc additionem *cum Iſaac filio ſuo*, in vulgatis ævi ſui Bibliis reperiri, quamquam in Hebraico textu minime reperiretur. Vox מצחק *Meſacheek*, quam Vulgata vertit *Ludentem*, ſignificare poteſt, cum ſimplicem ſolatii ludum, rum jocos contumelioſos, tum etiam convicia. Videtur in ſecundo libro Regum 2. 14. verbum *Ludere* uſurpari, ut ſignificet, ſolatii cauſa confligere; *Surgant pueri, & ludant*, dicunt Abner, & Joab; atque Sanctus Paulus Gal. 4. 29. aperte aſſerit, quod Iſmael perſequebatur Iſaac.

Hebræi credunt, Iſmaelem pietatem Iſaac irriſiſſe, quia colere nolebat Idola, quæ Iſmael fecerat ludens; & aliqui explicant vocem *ludere* de idololatria in eo Exodi loco 32. 6. *Sedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere*. Grotius arbitratur hic poſſe verti: *irriſioni exponentem*. Vatablus vertit, illudentem Iſaac. Septuaginta Παίζοντα, *videntem, ludentem*. Sanctus Hieronymus credit, quod Iſmael fortaſſis ludens primogeniti jura jactaret. At fateri opus eſt ipſum ſimplicem ludum prætergreſſum fuiſſe, ut Sara coacta adniteretur, ut *Agar, & Iſmael* expellerentur. Clarius ait in ea ſolemnitate, quæ habita fuit, dum Iſaac ablactaretur, atque omnes gratulaturi inviſebant Abraham, Iſmaelem irriſiſſe; quod cum Sara fuiſſet intuita, cum Abraham conqueſta eſt.

Iſmaelis invidia in Iſaac, illius ſimultas, ac timor bonorum amittendorum, de quibus gloriatus fuerat, veluti primogenitus Abraham, diutius celari non potuerunt, præcipue in adoleſcente natura ſua audaci, violento, & qui impetu ferebatur, quemadmodum Scriptura Iſmaelem delineat. Nonnulli reatus intelligunt verba, perinde ac ſignificarent Iſmaelem iniiſſe conſilium interficiendi Iſaac; & Sanctus Auguſtinus ait, Saram veritam fuiſſe, ne funeſtum aliquid filio ſuo ex Iſmaele contingeret; quare illud conſilium amplexa eſt, quod violentum adeo videtur.

℣. 11. DURE ACCEPIT HOC ABRAHAM.] Hebraice ירע ad litteram, *Ille iuvenis hoc malum*, ex hoc dolore affectus eſt; & equidem, ſi rem in ſpeciem tantummodo perpendes, violentum aliquid in Sara videbitur; ipſam nihilominus probavit Deus, quare inferre licet, recte illam egiſſe.

℣. 12. IN ISAAC VOCABITUR TIBI SEMEN.] Veri tui ſucceſſores naſcentur ex Iſaac, hic hæres eſt promiſſionum, & fœderis quod tecum percuſſi. Iſmael, atque Cethuræ filii gloriari poterant ortos eſſe ex Abraham; ſed non participes eſſe bonorum eorum, quæ vere illius poſteritati adhæſerunt. Apoſtolus ſcribens ad Romanos 9. 7. 8. & Galatas 4. 23. admonuit Saram præſignaſſe Eccleſiam, Agar vero Synagogam; Iſmaelem Judæos, ex Iſaac fideles.

℣. 14. TOLLENS PANEM, ET UTREM AQUÆ, IMPOSUIT SCAPULÆ EJUS; TRADIDITQUE PUERUM, ET DIMISIT EAM.] Aliqui apud S. Thomam in 4. diſt. 33. credunt Abraham feciſſe divortium cum Agar ex mandato Dei, quod magnum referebat myſterium divortii, quod Jeſus Chriſtus facturus erat cum Synagoga. Textus Hebraicus videtur innuere ſuper humeros Agar impoſitum fuiſſe Filium ipſius, & commeatum. Ætas verumtamen Iſmaelis obſtat, ne in hunc ſenſum intelligamus. Non obſtitit tamen, quin Septuaginta in Romana ſaltem & Pariſienſi editione aperte docuerint, Iſmaelem ſcapulæ Agar impoſitum. Theodoretus quæſt. 71. Sanctus Hieronymus in quæſt. Hebraic. & Sanctus Auguſtinus quæſt. 53. in Geneſ. de hac loquuntur ratione legendi Septuaginta. Sed reliquæ editiones græcæ horum Interpretum habent, quemadmodum Vulgata, filium ſuum illi traditum fuiſſe. Illius ætas erat annorum circiter duodeviginti.

Oportet inſolentiam Agar, filiique ipſius graviorem fuiſſe, quandoquidem Abraham, qui alioquin illos amore ſummo proſequebatur, ſevere adeo cum ipſis agit. Solos enim dimittit, & cum eo commeatu, quem humeris ſuis Agar geſtare poſſet, in regionem, quæ univerſa fere deſerta erat, cum periculum eſſet, ne viarum errore fallerentur, & ſiti, ac laſſitudine interirent. Sed aſſeri poteſt, fidem Abraham hac in re magis apparere, quam juſtam illius ſeveritatem; in iis omnibus, quæ fecit, vocem Domini ſecutus eſt, qui illi imperavit, ut Saram audiret in iis omnibus, quæ de ancilla, filioque illius ejiciendis loqueretur. Inerat huic actioni abditus ſenſus, & myſticus, qui ſolum detectus eſt in reprobatione Judæorum, & electione Gentilium. Cajetanus cenſet nomine panis, & aquæ Scripturam hic intelligere quodvis eſcarum genus; atque Abraham dediſſe Agar ea omnia, quæ vulgo tunc temporis illis dari conſueverant, qui iter ingrediebantur; quod admodum eſt veriſimile.

QUÆ CUM ABIISSET ERRABAT IN SOLITUDINE BERSABEE.] Huic ſolitudini nomen Berſabee inditum fuit poſt fugam Agar. Moyſes frequentius locis nomina tribuit, quibus temporibus ipſius loci nuncupabantur. Fortaſſis etiam Berſabee nomen per librarium aliquem huc irrepſit; aut hiſtoria, quæ inferius verſiculo 31. refertur, extra locum ſuum poſita eſt. Probabile eſt, Agar in Ægyptum patriam ſuam regredi voluiſſe; ſed errore viarum decepta iter Arabiam verſus tetendit.

℣. 15. ABJECIT PUERUM SUBTER UNAM ARBORUM, QUÆ IBI ERAT.] Hebraica [1]: *ſub unam haſchichim*. Quod Septuaginta, & Joſephus de abiete intellexerunt. Sed aliorum Interpretum plerique de arbore generatim intelligunt, de rubetis aliquibus, vel arbuſtis. Verbum hoc *abjecit*, innuere videtur, quod filium ſuum geſtaret. Vide ſuperius v. 14.

℣. 16. ET ABIIT, SEDITQUE E REGIONE PROCUL, QUANTUM POTEST ARCUS JACERE.] Grotius, aliique hebraicum textum מנגד ita vertunt; *ſeditque procul a filio ſuo, quantum illius eſt arcus*; vel: *quantum diſtant jaculatores a ſcopo, in quem conticiunt*; Ita Junius, Piſcator, Malvenda.

ET SEDENS CONTRA LEVAVIT VOCEM SUAM, ET FLEVIT.] Textus hebraicus verti poſſet: *Et ſedens procul inde* [2], *levavit vocem ſuam, & flevit*. Septuaginta vertunt: *Agar ſedit e regione* [3], *& filius levans vocem ſuam flevit*. Verſiculus, qui ſequitur, huic favet explicationi; *Exaudivit autem Deus vocem pueri &c.*

℣. 18. TOLLE PUERUM, ET TENE MANUM ILLIUS.] Hebraice [4]: *Tolle puerum, & tene manus tuas ſuper illum*; videlicet, Accipe filium tuum & ne deſpondeas animis propter adverſam fortunam præſentem. Joſephus l. 1. Antiq. c. 14. Ita intelligit: illius educationis curam gere, quia tua felicitas ex illius ſalute pendet.

℣. 19. APERUIT OCULOS EJUS DEUS; QUÆ VIDENS PUTEUM AQUÆ, ABIIT.] Deus oſtendit illi puteum, quem prius non adſpexerat. Diodorus Siculus l. 19. Bibliothecæ notat, Arabes ſabulo obtegere puteorum ora, quos eruerunt in deſerto, ad quos cognoſcendos notas appingunt, quas ipſi ſoli noverint. Garamantes apud Solinum c. 42. in deſertis Africæ, & populi Meſopotamiæ apud Quintum Curtium l. 10. eadem cura puteos, quos invenere, celant;

---

1 תחת אחד השיחים.
2 מנגד.
3 70. Ἀπέναντι.
4 החזיקי את ידך בו.

lant ; itaque mirum adeo non eſt, ſi Agar puteum hunc, cui propior erat, cognoſcere non potuerit.

℣. 20. ET FUIT CUM EO.] Deus illius curam ſuſcepit, illique favit. Ita explicant Chaldaica verſio, Septuaginta, & Interpretes.

FACTUSQUE EST JUVENIS SAGITTARIUS.] In Hebraico textu abeſt vox illa *Juvenis*. Judæi credunt locum hunc innuere, quod fuerit magnus fur. Hic erat illius horoſcopus latrociniis ſibi victum comparare, ac vim aliis inferre. Geneſ. 16. 12.

℣. 21. HABITAVITQUE IN DESERTO PHARAN, ET ACCEPIT ILLI MATER SUA UXOREM DE TERRA ÆGYPTI.] Deſertum Pharan eſt in Arabia Petræa, ubi Ptolomæus urbem hujus nominis ſtatuit. Inveniuntur apud auctorem eumdem Montes Pharan, & populi Pharanitæ ad mare Rubrum, atque in finibus Ægypti. Septuaginta hic habent: *Commoratus eſt in deſerto ; & accepit illi mater ſua uxorem de Pharan Ægypti*. At urbem Pharan in Ægypto non novimus, ſed tantum urbem Pharamiam [1] ad mare Mediterraneum, & propius Nilum, qua magis Syriam verſus fluit. Sed nomine Pharan Scriptura intelligit ſemper regionem Arabiæ Petrææ. Septuaginta fortaſſe ad eam deſerti Pharan reſpexerunt partem, quæ Ægypto propior eſt, aut ipſorum textus hic corruptus fuit. Et equidem Ægypti nomen non extat in pleriſque ipſorum editionibus, qui hac in re omnino Vulgatæ ſunt ſimiles.

℣. 22. EODEM TEMPORE DIXIT ABIMELECH, ET PHICOL PRINCEPS EXERCITUS EJUS AD ABRAHAM.] Septuaginta legunt hic Abimelech, & Ochozath ductor ſponſæ [2], & Phicol. Sanctus Hieronymus obſervabat ævo ſuo diverſitatem hanc exemplarium Septuaginta. Ipſi iſtic inſeruerunt Ochozath, quem cum Abimelech, & Phicol una invenerant capite 26. 26. quæ additio & verſiculo 32. inferius videtur. Abimelech plane idem eſt Rex Geraræ, de quo ſermo fuit capite 20. & Phicol princeps erat exercitus ejus, aut dux cohortis illius, aut militum. Ea, quæ ſequuntur, innuere videntur, contentionem aliquam obortam fuiſſe inter Abrahæ ſervos, & Abimelech propter paſcua, & aquas ; quare Abimelech operæ pretium ſe facturum arbitratus eſt, ſi fœdus cum Abraham iniret, cujus potentiam, ac divitias verebatur. Vide ℣. 25. verebatur enim, ut Abraham omni vi repetat, quidquid injuria ipſi ab illius gente ſubreptum fuerat.

℣. 23. JURA ERGO PER DEUM, NE NOCEAS MIHI, ET POSTERIS MEIS, STIRPIQUE MEÆ.] Septuaginta: *nec mihi, nec filio meo, nec meo nomini*. Textus Samaritanus: *nec mihi, nec filiis meis, nec meis Principibus*. Hebraicus textus ad litteram [3]: *Et illico jura mihi in nomine Dei, te nec mihi mentiturum, nec filio meo, neque nepoti*; videlicet interpoſita juramenti fide in ſinceritate, ac veritate pollicere, te minime pejeraturum, ac me amicum tibi, & fœdere conjunctum habiturum, me, & filium meum, & nepotem meum ; vel aliter: ſpondo te numquam in me, aut filios meos arma illaturum. *Vox mentiri*, ſæpius rebellare, a fide deficiſcere, arma inferre in Scripturis ſignificat. Vide Pſalmos 17. 46. & 65. 3. Vatablus: jura, te numquam decepturum me eſſe, atque erga me bona acturum fide: *Dolo malo non ages mecum*.

Interpretum noſtrorum aliqui hinc arguunt, fœdus, quod hic Abraham cum Abimelech percuſſit, ad tertiam uſque generationem, non ulterius ſe ſe extendere debuiſſe ; atque ideo officere non potuiſſe juri, quod Iſraelitæ poſt exitum de Ægypto ſibi erant vindicaturi ſuper regionibus Philiſthinorum, & A præcipue ſuper Geraris. Alii opinantur, Philiſthæos priores promiſſionibus ſuis defuiſſe, atque fœderis fregiſſe leges, bellum Iſraelitis inferentes ; atque ideo ab Iſraelitis merito hoſtes habitos fuiſſe. Præterea aſſerunt, Philiſthæos quoque ea damnatos fuiſſe ſententia, quæ populos omnes, qui terram Chanaan incolebant, omnino delendos eſſe addicebat ; & quamquam ex maledicti populi ſemine non erant, nihilominus omnibus ſuppliciis obnoxios fuiſſe. Denique Abraham quoad ſe promiſſi fidem præſtitit : ſed minores ſuos obligare non poterat adverſus mandata, quæ illis Deus præcipere poterat, de quibus certior factus non erat, & quibus illius præcedens fœdus cum Abimelech minimum poterat officere.

B JUXTA MISERICORDIAM, QUAM FECI TIBI.] Septuaginta plerumque *Juſtitiam* vertunt hebraicam vocem [4] *Chefed*, quam Vulgata hic, & alibi *Miſericordiam* transfert. Bonitas autem, & miſericordia, quam Abimelech jactat, in ea facultate conſiſtit, quam dedit Abraham morandi Geraris, puteos fodiendi, & illuc in pabula greges agendi.

℣. 25. PROPTER PUTEUM AQUÆ.] Septuaginta habent numero multitudinis puteos [5]. Videntur ſane plures fuiſſe ; quandoquidem capite 26. 15. 18. de pluribus puteis ſermo inſtituitur. Neque autem levis erant momenti in illis regionibus putei, ubi perquam raro inveniuntur aquæ, vel cum labore plurimo, humum effodiendo ; ſed putei veluti bona ſtabilia maximo in pretio habebantur ; atque fundi dominis cedebant. C

℣. 27. TULIT OVES, ET BOVES.] Hæc animalia erant, aut pignora promiſſionis Abraham ; aut victimæ, quæ offerendæ erant, ut ratum fœdus fieret, & quæ in ſacrificium parabat Abraham, quæque tradebat Abimelech, cui illa immolandi honorem deferri volebat.

℣. 28. STATUIT SEPTEM AGNAS GREGIS SEORSUM.] Animalia, de quibus ſuperius dictum eſt, erant hoſtiæ pro fœdere, aut pro ſacrificio ; hæc vero munus ſunt, vel etiam pretium pro puteis, quos Abraham in Abimelech agro effodiendos curaverat. Illi jure, ac merito ad eum ſpectabant, qui eruendis operam adhibuerat : ſed ut contentiones qualſcumque præveniret, quidquid Abimelech jure, vel injuria D ſibi poterat vindicare, pretio comparavit Abraham ; & ex ſequentibus patet, omnes illius præcautiones non inanes fuiſſe. Vide Geneſ. 26. 15. Dat ſeptem agnas *in teſtimonium*, veluti contractus monumentum, quem ipſe cum hoc Principe inierat, juxta heroicorum temporum conſuetudinem, ubi cum ſcribendi ratio magis ignoraretur, monumento ſenſibili utebantur, ut memorabilium rerum memoriam tuerentur, fœderum, atque contractuum.

℣. 31. BERSABEE.] באר שבע. Vox hæc ſignificat puteos juramenti, ut Vulgata, Septuaginta, & plerique Interpretes explicant ; aut puteos ſeptem, quia eos Abraham ſeptem agnis emerat. Vide Hieronymum in quæſt. Hebraic. Capite 26. ℣. 33. Berſabee nomen ex alio fonte deducitur, atque *putei* E *abundantiæ* appellantur.

℣. 33. PLANTAVIT NEMUS.] Vox textus Hebraici אשל *Aſchal* ſignificat aliquando locum arboribus conſitum, pomarium, nemus. Septuaginta tranſtulerunt agrum cultum Ἄρουραν. Onkelos, Syriaca verſio, ac Arabica: Plantavit pomarium ſpecioſis arboribus conſitum, qui præſtantes fructus edebant. Aquila, & Symmachos de truncorum nemore [6] intellexerunt, quibus adhæſit Vulgata. Quod autem hic legitur: *Et invocavit nomen Domini*, oſtendit Patriarcham nemus hoc plantaſſe, ut Altare ibi ædificaret,

---

1 Guillel. Tyr. apud. Baudrand.
2 Νυμφαγωγοῦ.
3 אם תשקר לי ולניני ולנכדי.
4 חסר Δικαιοσύνη. 5 באר 70. Φρέατα.
6 Δενδρῶν φυτείαν,

ret, atque ibi ſolemnes religionis actus exerceret. Non liquet, Abraham tempore templa alicubi gentium extrui conſueviſſe, ſed altaria tantum, quæ aut in montibus, aut lucis conſtituebantur.

Quoad Religionis monumenta nihil vetuſtius, apud auctores, vel profanos, vel ſacros invenitur, quam hæc Altaria, hi Luci, Diis dicati. Abraham erexit altare in nemore Mambre; plantavit nemus Berſabee, atque ibi extruxit altare. Iſaac aliud ædificavit prope Sichem, & profecto ſub eadem quercu, aut in ſaltu eodem, ubi Joſue 24. 26. aram ſtatuit paullo antequam e vivis decederet. Nemus hoc memoratur etiam in libro Judicum c. 9. 6. Lege Moyſis cavetur, ne quis erigat altaria & plantet nemora dicata, etiam vero Deo apud altare Domini. Deut. 16. 21. Moyſes præcipit, ut ſuccidantur Luci, & Chananæorum altaria ſubvertantur ibid. 7. 5. & 12. 3. de templis autem ne verbum quidem. Deincept autem cæpere templa ædificari, apud quæ paſſim arbores conſerebantur. S. Clemens Alexandrinus Pedag. l. 3. c. 2. hoc ipſum aſſerit de Templis Ægypti; & Plinius l. 12. c. 1. loquitur de vetuſta veneratione, qua priſci nemora proſequebantur, modo conſideratione digno: *Hæc fuere numinum Templa, priſcoque ritu ſimplicia rura etiam nunc Deo præcellentem arborem dicant; nec magis auro fulgentia, neque ebore ſimulacra, quam Lucos, & iis ſilentia ipſa adoramus. Arborum genera numinibus ſuis dicata perpetuo ſervantur, ut Jovi Eſculus, Apollini Laurus &c.*

Perſæ nonniſi ſero Templa ædificarunt; atque Xerſe imperante nulla plane erant; quoniam hic Princeps, cum in Græciam veniſſet, omnia templa [1] incendit, injurium eſſe numini dicens, in Templis illud claudere velle. Ælianus Variar. hiſt. l. 2. c. 21. loquitur de Platano, quam hic princeps armillis circumdederat, & ex qua plurimos dites ornatus ſuſpenderat. Mahometani in Perſide [2] eas colunt arbores, quæ plura ſæcula videntur vixiſſe; ſub quorum tegmine effundunt preces ſuas; iiſque clavos infigunt, e quibus veſtium ſuarum fragmenta ſuſpendunt, aut alias res; atque arbitrantur, manes, aut Sanctorum umbras, qui olim ſub his arboribus quievere, illis apparere, qui ibi dormiunt; atque optimam largiri valetudinem iis, qui vota conceperint. Ovidius Metam. l. 8. ℣. 749. magnam quercum Cereri dicatam deſcribit.

Stabat in his ingens annoſo robore Quercus:
Una nemus, vittæ mediam, memoreſque tabellæ,
Sertaque cingebant, voti argumenta potentis &c.

Apud veteres Gallos arbores adorabantur, & Maximus Tyrius Diſſ. 38. teſtatur proceram quercum A fuiſſe Jovem Celticum. Pharamundo regnante Sicambris nulla adhuc erant Templa, & priuſquam ritu ſuo ſacrificia offerrent, ſub quercubus libationes peragebant, vittis obvelabant arborem, ſub qua erat ſacrificandum, atque lampades accenſas ſuſpendebant. Credebant Ethnici, Lucos eſſe ſylveſtrium Deorum ſedes, Nympharum, Faunorum, atque Heroum. Virgilius Æneidos 6.

Nulli certa ſedes, lucis habitamus opacis.

Videri poteſt apud Lucanum magnifica deſcriptio Lucorum Gallorum. Oſtendemus alibi apud Hebræos, qui Phœnicum populorum ſuperſtitiones imitari volebant, adorari conſueviſſe nemora Idolis dicata, atque Idola extitiſſe, quibus idem erat nomen, ac nemoribus, ubi colebantur. In libro Ju- B dicum 6. 25. Deus præcipit Gedeoni, ut amoliatur altare, atque nemus Baal diruat. Iſraelitæ, poſtquam promiſſam terram ingreſſi ſunt, plurima horum nemorum ſervaverunt, quæ illis lapſus, & ſcandali fuerunt occaſio. Nihil aliud, præterquam Idololatriæ periculum conſuetudinem hanc interdixit, quæ per ſe ipſa admodum eſt innocua; atque ſi Abraham arboribus uſus eſt, nec ſanctius umquam, nec religioſius fieri potuit. Vox Ἄλσος, qua utuntur Græci ſignificandi gratia ſacrarum nemus, deduci poteſt ex Hebraica voce אשל *Aſchal*, ut *eſculus* quoque, quercus ſpecies Jovi ſacra.

INVOCAVIT IBI NOMEN DEI ÆTERNI.] Hebraice [3] Appellavit locum nomine Domini Dei ſæculi, aut æternitatis. In illis ignorantiæ temporibus, quam- C quam Dei cognitio non erat adhuc penitus ex hominum deleta corde; nihilominus quiſque ideam ſibi peculiarem animo proponebat, & illi nomen tribuebat ſuo cultui conformem. Abraham ſuum Deum appellat Deum æternum, nomen, quo ab aliis Diis ſecernebatur populorum, qui adorabant, vel aſtra, vel homines, aut alias creaturas, quæ initium habuerant, & quarum origo conſtabat. Septuaginta transferunt: *Invocavit in hoc loco nomen Domini*, dicens, *Deum æternum*. Perinde ac hæ voces *Deus æternus* eſſent nomen Altaris, quod erexit. Re autem vera ex pluribus Scripturæ locis patet, in occaſionibus ſimilibus imponi conſueviſſe aris, quæ extruebantur, nomen, quod paucis naturam, & occaſionem oſtenderet. Ita quoque Iacob, & Laban D lapidum cumulo, quem erexerunt in monte Galaad, nomen dederunt *Tumulum teſtis*, vel *acervum teſtimonii* Geneſ. 31. 47. & Moyſes appellavit altare quod erexerat, cum retuliſſet victoriam de Amalech, *Dominus exaltatio mea* Exod. 17. 15. Et Gedeon aram, ubi Sacrificium Domino obtulerat, vocavit hoc nomine, *Pax Domini*, Jud. 6. 24.

---

1 Cic. de legibus l. 2. c. 10.
2 Chardin Voyage de Perſe t. 3. p. 34. 35. 36. 148.
3 Ἐκάλεσεν ἐκεῖ τὸ ὄνομα κυρίου θεὸς, αἰώνιος.

CA-

CAPUT XXII.

Abraham pergit ad Montem Moriah immolaturus Iſaac. Deus inſtaurat ſuas promiſſiones ad Abraham. Recenſio poſterorum Nachor.

1 QUæ poſtquam geſta ſunt, tentavit Deus Abraham, & dixit ad eum: Abra-
ham, Abraham. At ille reſpondit: Adſum. 2 Ait illi: Tolle filium tuum
primogenitum, quem diligis Iſaac, & vade in terram viſionis; atque ibi of-
feres eum in holocauſtum ſuper unum montium, quem monſtravero tibi. 3 Igitur A-
braham de nocte conſurgens, ſtravit aſinum ſuum, ducens ſecum duos juvenes, & Iſaac
filium ſuum: Cumque concidiſſet ligna in holocauſtum, abiit ad locum, quem præ-
ceperat ei Deus. 4 Die autem tertio, elevatis oculis, vidit locum procul. 5 Dixit-
que ad pueros ſuos: Expectate hic cum aſino: ego, & puer illuc uſque properantes,
poſtquam adoraverimus, revertemur ad vos. 6 Tulit quoque ligna holocauſti, & im-
poſuit ſuper Iſaac filium ſuum: ipſe vero portabat in manibus ignem, & gladium.
Cumque duo pergerent ſimul, 7 Dixit Iſaac Patri ſuo: Pater mi. At ille reſpon-
dit: Quid vis, fili? Ecce, inquit, ignis, & ligna: ubi eſt victima holocauſti?
8 Dixit autem Abraham: Deus providebit ſibi victimam holocauſti, fili mi. Perge-
bant ergo pariter: 9 Et venerunt ad locum, quem oſtenderat ei Deus, in quo ædi-
ficavit altare, & deſuper ligna compoſuit: cumque alligaſſet Iſaac filium ſuum, po-
ſuit eum in altare ſuper ſtruem lignorum. 10 Extenditque manum, & arripuit gla-
dium, ut immolaret filium ſuum. 11 Et ecce angelus Domini de cœlo clamavit, di-
cens, Abraham, Abraham. Qui reſpondit: Adſum. 12 Dixitque ei: Non exten-
das manum tuam ſuper puerum, neque facias illi quidquam: nunc cognovi, quod ti-
mes Deum, & non pepercisti unigenito filio tuo propter me. 13 Levavit Abra-
ham oculos ſuos, viditque poſt tergum arietem inter vepres hærentem cornibus,
quem aſſumens obtulit holocauſtum pro filio. 14 Appellavitque nomen loci illius,
Dominus videt. Unde uſque hodie dicitur: In monte Dominus videbit. 15 Voca-
vit autem angelus Domini Abraham ſecundo de cœlo dicens: 16 Per memetipſum ju-
ravi, dicit Dominus: quia feciſti hanc rem: & non peperciſti filio tuo unigenito pro-
pter me: 17 Benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli, & velut
arenam, quæ eſt in littore maris: poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum ſuorum.
18 Et benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ, quia obediſti voci meæ.
19 Reverſus eſt Abraham ad pueros ſuos, abieruntque Berſabee ſimul, & habitavit
ibi. 20 His ita geſtis, nunciatum eſt Abrahæ, quod Melcha quoque genuiſſet fi-
lios Nachor fratri ſuo. 21 Hus primogenitum, & Bux fratrem ejus, & Camuel
patrem Syrorum. 22 Et Caſed, & Azau, Pheldas quoque, & Jedlaph, 23 Ac
Bathuel, de quo nata eſt Rebecca. Octo iſtos genuit Melcha Nachor fratri Abra-
hæ. 24 Concubina vero illius, nomine Roma, peperit Tabee, & Gaham, & Ta-
has, & Maacha.

℣. 1. TENTAVIT DEUS ABRAHAM.] Hebraicam vocem *Niſſach* [1] Symmachus vertit *glorificavit Abraham*; dedit illi occaſionem oſtendendi fidei conſtantiam, quod illi maximam gloriam comparavit. En aſperrimam omnium tentationum, quas adhuc ipſe Abraham expertus ſit. Deus tentat illum, non autem ut magnitudinem fidei illius cognoſceret, ſed ut hominibus præberet in Abraham abſolutiſſimum exemplar perfectionis, obedientiæ, firmioris ſpei, & fidei vividioris.

℣. 2. TOLLE FILIUM TUUM UNIGENITUM, QUEM DILIGIS ISAAC.] Hebraicus textus [2] magis adhuc affectum ciet: *Tolle, quæſo, filium tuum, filium unigenitum tuum, quem diligis, tolle Iſaac.* Hæc omnia verba veluti gradatim cor Abraham pervadebant, atque profundum effodiebant vulnus, quo obedientiæ, & fidei Abraham meritum augeretur. Patri imperare, ut filium ſuum immolet, filium ſuum unigenitum, & quem unice diligit! Imperare Abraham, ut immolet Iſaac, cujus miraculoſam nativitatem tot promiſſiones præceſſerant, toties inſtauratæ; promiſſiones, quæ adeo ipſum Iſaac ſpectabant, ac illius poſteritatem, ut alii cedere minime poſſent; Iſaac,

1 נסה Ἐδόξασε. 70. Ἐπείραζε.
2 קח נא את בנך את יחידך אשר אהבת את יצחק.

Iſaac, qui futurus erat populorum benedictio, & po- A tentiſſimæ nationis pater! Adeſt procul dubio in hoc præcepto quidquid ſapientis viri ſpiritum poſſet percellere, & patris cor inflammare. Mahometani contendunt Iſmaelem, non Iſaac a Deo petitum fuiſſe ad ſacrificium. At ipſi omnem hiſtoriam ſacram invertunt, vel ignorantia ſua, vel malitia.

Septuaginta [1] vertunt; *Filium tuum, dilectum filium, illum cui blandiris Iſaac*. Illi prætererunt qualitatem filii Unigeniti, atque pro ea *dilectum filium* ſtatuerunt, quæ dicendi ratio ipſis eſt frequens. Vide Jeremiam 6. 26. Amos 8. 10. Zachariam 12. 10. Proverbiorum librum 4. 3 Grotius animadvertit apud Hebræos, & Græcos *dilectum filium*, pro *unigenito* frequentius uſurpari; atque in eo ſenſu Salomon unicus filius appellatur 1. Par. 29. 1.

Mirum adeo mandatum procul dubio perculit Abraham; ille in animo ſuo conflictum expertus eſt rationis, & patrii amoris, cum illinc fidei pugnaret auctoritas, hinc tenerrima filii reclamaret charitas; ſed pro ea ſapientia, qua maxime pollebat, rationum vi, atque evidentiæ ceſſit, quæ illi perſuaſerunt, ipſum Deum loquutum fuiſſe: atque tunc ceſſit, cum amplius dubitare non potuit de ſuprema Domini ſui voluntate. Quis crediſſet, Deum victimas humanas poſcere? Sed cum Deus loquitur, nulli quæſtioni locum eſſe decet, ait Sanctus Auguſtinus lib. 16. de Civitate cap. 32. ſed obedire opus eſt. *Nunquam ſane crederet Abraham, quod victimis Deus delectaretur humanis; quamvis divino intonante* C *præcepto obediendum eſt, non diſputandum*. Deus tentare poteſt, Paſchalius ait [2], ſed in errorem inducere non poteſt. Tentare eſt occaſiones procurare, quæ neceſſitatem minime imponant: inducere in errorem eſt hominem ponere in neceſſitate concludendi, aut falſitatem ſequendi &c. Hac in re tentatus fuit Abraham, & ea parte ſacrificii filii ſui, quod fieri jubebat Deus, & crudele, atque inhumanum videbatur; & ex parte promiſſionum, quas illi fecerat Deus pro Iſaac, quæ morte illius videbantur evaneſcere. In iis omnibus tamen nulla fuit concludendi neceſſitas. Deus poterat ad vitam revocare Iſaac, vel pro reali ſacrificio poterat illi ſufficere D voluntas patris, & filii; atque ita difficultates omnes evitabantur.

VADE IN TERRAM VISIONIS.] Sanctus Hieronymus Symmachi [3] verſionem ſecutus eſt, qui Hebraico textui conformis videtur; vertit ad litteram, *in terram Moriah* [4]. Septuaginta [5]: *In terram elevatam*. Aquila [6]: *In terram illuſtratam*, vel *delectam*. Onkelos, & Jonathan [7]: *In terram cultus religioſi*. Syriace: *In terram Amorrhæorum*; Arabice, *In regionem adorationis*. Communior, ac probabilior opinio credit, Deum imperaſſe Abraham, ut iter ingrederetur, atque aliquorſum procederet uſque ad locum, quem ipſi indicaſſet; atque locum, quem ille indicavit, montem fuiſſe, qui, poſtquam hoc evenit, Moriah nomen accepit, ubi Templum Hieruſalem ædificatum eſt, uti in Paralipomenon libro ſecundo cap. 3. 1. oſtendemus. Diodorus Tarſenſis, & Genebrardus E feſtantur montem Moriah pluribus collibus compoſitum fuiſſe, ex quibus unus erat Sion, cujus cacumen in duo capita dividebatur, ſuper quorum altero David arx conſtructa erat, ſuper altero vero Templum Salomonis, atque pars urbis; alius collis Moriah extra Hieruſalem uſque protendebatur; atque hic eſt mons Cranii, aut Calvarii, quo Iſaac ductus fuit ab Abraham, ut immolaretur, & ubi Jeſus Chriſtus

A verus promiſſionum filius, & benedictionis omnium Nationum in ara crucis vere fuit immolatus. Sed omne id mera inventio eſt, quam excogitarunt, ut dubias admodum ſententias conciliarent, & locos, qui perperam explicabantur, quod minime intelligebantur.

Samaritani contendunt ſuper montem Garizim Abraham ſe recepiſſe, ut filium ſuum Iſaac immolaret. Ipſi hic legunt *Moro*, aut *Morah*, pro *Moriah*; & liquet *Moro* fuiſſe prope Sichem, & Garizim. Vide Gen. 12. 6. & Deut. 11. 30. At communior Judæorum, & Chriſtianorum opinio *Moriah* nomen eſſe ait montis, ubi Templum Hieruſalem ædificatum eſt.

Hebræi ulterius aſſerunt in eodem monte, Adam, B Cain, & Abel ſacrificia litaſſe ante diluvium, & ibidem Noe ſacrificaſſe, poſtquam de Arca egreſſus eſt. Ipſi apud Rabbinum Salomonem deducunt vocem Moriah a verbo ירה *Jaru*, *docere*; quoniam Iſaiæ 2. 3. ſcriptum eſt: *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Hieruſalem*. Ethymologia, quæ eam vocem deducit a *Mor*, quod ſignificat Myrrham, aut *Morah* amaritudinem, minus adhuc probabilis videtur.

QUEM MONSTRAVERO TIBI.] Hebraicus textus, & Septuaginta habent: *Super montem, quem dicam tibi*. Abraham de domo ſua egreditur, quin ſciat, quo eundum ſit. Aliqui docent, Deum monſtraſſe huic Patriarchæ montem, quo accedere debebat, lucentis columnæ radiis. Alii credunt potiori jure, C alterius diei itineris ſui nocte admonitum fuiſſe a Deo. Vide ℣. 4. Deus poſcit, ut Abraham filium ſuum ipſi offerat *in holocauſtum*. Reor autem hoc tunc temporis unicum ſacrificii genus extitiſſe.

℣. 3. ABRAHAM DE NOCTE CONSURGENS, STRAVIT ASINUM SUUM.] Abraham ſummo ſurrexit mane, atque ipſe aſinum ſuum ſtravit. Hebraice ויחבש Septuaginta Ἐπέσαξε, *Superinduxit*, Monſterus *ligavit*. Veteres Poetæ ſemper Heroas ſuos repræſentant, qui ſummo conſurgunt diluculo, atque ipſi per ſe, vel per filios ſuos id peragunt, quod nos plerumque a ſervis fieri jubemus. Filii regum Priami, Neſtoris, & Alcinoi ipſi mulos, aut equos curribus D jungunt.

ABIIT AD LOCUM, QUEM PRÆCEPERAT EI DEUS.] Sara ſciebatne imperium Dei, atque conſilium Abraham de immolatione Iſaac? Scripturæ ſilentium aliquot patrum, veluti Joſephi lib. 1. Antiq. cap. 13. Sancti Chryſoſtomi hom. 47. in Geneſim, Auctoris operis imperfecti in Matthæum, ac plurimorum interpretum ſententiæ videtur favere, qui contendunt, Saram id poſt reditum Abraham dumtaxat intellexiſſe. Verum alii, inter quos Auguſtinus ſer. 73. de tempore, Gregorius Nyſſenus, Procopius, Pererius, Tirinus arbitrantur, Abraham prius de hac re certiorem feciſſe Saram, cujus noverat virtutem, ac fidem; & quam minime celare debebat rem tanti momenti, quæ admodum ad ipſam pertinebat; & ſane ſilentium Abraham parere potuiſſet in Saræ ſpiritu ſuſpiciones, & inquietudines, quibus omnis ſapientia, omneſque rationes Abraham mederi omnino E haud potuiſſent, ſi Deus paſſus fuiſſet, ut Abraham perficeret, quod faciendum ſuſceperat. Videtur debuiſſe Abraham omnes has ſuſpiciones occupare, oſtendens Saræ, minime dubio locum eſſe, quo minus Deus eſſet, qui ſacrificium Iſaac depoſceret.

℣. 4. DIE AUTEM TERTIO ELEVATIS OCULIS VIDIT LOCUM PROCUL.] A Berſabee, ubi tunc moraba-

1 Τὸν υἱόν σου τὸν, ὃν ἀγαπητὸν ὃν ἠγάπησας, τὸν Ἰσαάκ. Aq. Τὸν μονογενῆ. Sym. τὸν μόνον.
2 Penſées de Paſchal. art. 27.
3 Εἰς γῆν ὀπτασίας, deducens Moriah a verbo ראה *videre*.
4 אל ארץ מוריה.
5 Εἰς γῆν ὑψηλήν.
6 Aquil. Τὴν καταφανῆ.
7 לארעא פולחנא; perinde ac deducerent Moriah ex Hebraico ירא *timere*.

tabatur Abraham uſque ad Hieruſalem, prope quam erat mons Moriah, viginti circiter leucæ intercedebant. Abraham eminus tertia itineris die hunc montem vidit, ſi fides eſt Joſepho, Sancto Hieronymo, & pleriſque Interpretum, qui cenſent, triduum inſumendum fuiſſe, ut eo uſque perveniret; & poſt ſecundam diem itineris Deum per viſionem oſtendiſſe Abraham ſigna, ex quibus agnoſcere deberet locum ad ſacrificium electum; atque poſtera die cum procul montem, quem per ſomnium viderat, cognoviſſet, illuc profectum fuiſſe eum Iſaac.

℣. 5. DIXITQUE AD PUEROS SUOS: EXPECTATE HIC ... POSTQUAM ADORAVERIMUS, REVERTEMUR AD VOS.] Patres, ac Interpretes adlaborant, ut hic Abraham de mendacio juſtificent. Aliqui cum Origene homil. 8. in Geneſ. Lyrano, aliiſque hunc Patriarcham prophetico afflatum ſpiritu locutum eſſe, atque fidei magnitudinem dubio locum non reliquiſſe, quin Deus illi redderet Iſaac, illum poſt abſolutum ſacrificium in vitam revocans, vel illius voluntatis contentus, quin ſacrificii conſummationem expoſceret. Sanctus Paulus hac in re fidem; ac meritum Abraham commendavit Heb. 1. 17. 18. 19. *Fide obtulit Abraham Iſaac ... arbitrans, quia & a mortuis ſuſcitare potens eſt Deus*. Alii volunt, hunc Patriarcham de ſe ipſo numero plurali eſſe locutum, dicentem: *Revertemur*, loco dicendi *revertar*.

Nec deſunt, qui credant in hac propoſitione mentalis reſtrictionis ſpeciem adeſſe, aut implicitam conditionem; perinde ac ſi diceret; *Revertemur, ſi Deo placuerit, & vivi erimus*. Omnes id genus promiſſiones habent ſemper has conditiones, quæ ſubintelliguntur; nec Abraham aliter poterat loqui ad illos, quibus conſilium Dei non erat, ut id detegeretur, ad quod faciendum properabat. Videri poteſt Sanctus Auguſtinus lib. 16. de Civitate Dei cap. 32. Merito Melchior Canus reprobatur, qui in Locis Theologicis l. 2. cap. 4. auſus eſt Abraham mendacii coarguere, perinde ac famulos ſuos allocutus eſſet contra id, quod ſentiret, exiſtimans proficiſci re vera ad immolandum Iſaac, quamquam prophetizaverit, quin nihilominus illud ſciret, cum dicebat: *Revertemur ad vos*. Sanctus Ambroſius, quem ille in ſuam trahere conatur ſententiam, ait ſimpliciter lib. 1. de Abraham capite 8. Abraham captioſe fuiſſe locutum; ſed ipſum fuiſſe mentitum non aſſerit.

℣. 6. TULIT QUOQUE LIGNA HOLOCAUSTI, ET IMPOSUIT SUPER ISAAC &c.] Ad radices, atque in conſpectum montis Moriah Abraham impoſuit ſuper filium ſuum Iſaac ligna, quibus holocauſtum erat abſumendum. Omnis vita Iſaac eſt veluti allegoria, & continens figura vitæ Salvatoris; ſed hic ſimiles adeo, & ſenſibiles circumſtantiæ in ſacrificio Iſaac, atque in Jeſu Chriſti morte ſuper Calvarium agnoſcuntur, ut ferme fieri nequaquam poſſit, ut ex eo hæc minime intelligatur. Iſaac lignis onuſtus, quibus comburi debet, Jeſus crucem bajulans; aſcendunt ille montem Moriah, iſte Calvarium; alter ut a proprio parente immoletur, alter ut ex inimicis mortem patiatur, Æterni Patris ſuæ juſtitiæ ſatisfacturus. Iſaac liberatur, & agnus, qui inter ſentes hærebat, pro eo mactatur; Jeſus Chriſtus mortem ſubit, ut nobis vitam largiatur; ipſe agnus eſt, qui immolatus pro Iſaac; tertia die reviviſcit, & ad patrem ſuum redit, quemadmodum Iſaac vitæ plenus in Abraham ædes revertitur. Videtur Sanctus Paulus ob oculos admirabilem hanc habuiſſe ſimilitudinem, cum aſſerit, Abraham minime dubitaſſe, quin Deus ſuſcitaturus eſſet Iſaac, atque eum veluti parabolam, vel Reſurrectionis figuram intellexiſſe. *Unde eum & in parabolam accepit*. Heb. 11. 19.

IPSE VERO PORTABAT IN MANIBUS IGNEM, ET GLADIUM.] Ad litteram, quod hic ſcriptura vulgata מאכלת *gladium* vertit, *cultrum* verti poteſt; culter enim jugulandis victimis proprius eſt. Hebræi indiſcriminatim, gladii, & cultri nomina uſurpant [1]; & culter idem, quo utebantur in Menſa, eſcis ſecandis inſerviebat, animalibus necandis, & alii cuilibet rei cædendæ; & cultrum hunc ſemper baltheo ſuſpenſum deferebant. Veteribus Græcis ſimilis erat culter, ut animadvertit Caſaubonus in Athen. l. 4. c. 13., aut pugio, qui de baltheo prope gladii vaginam pendebat. Hoc ex Homero patet Iliad. Γ.

Eamdem Hebræorum fuiſſe conſuetudinem arbitror; vox *tahar*, quæ novaculam, aut cultrum ſignificat, ſignificat quoque gladii vaginam, ac transferri poteſt: *Educam gladium de vagina*; vel, *de loco, ubi prope ſuum culterum eſt*; *Pone gladium tuum in vaginam*, aut, *prope cultrum ſuum* &c. Vide 1. Reg. 17. 51. & 2. Regum 8. Quæ locutio ex eo oriri poteſt, quod gladius ponebatur prope cultrum, & fortaſſis in vagina eadem ut veteribus Gallis erat in more [ut notat Poſſidonius apud Caſaubonum loco citato] qui cultrum ſuum, aut ſicam in eadem condebant vagina cum gladio, ſed in theca diverſa. Arabes vulgo e latere deferunt bipedalem acinacem ſex uncias latum, qui vices gerit gladii, cultri, & ſecuris: præterea gladiolum, aut ſicam de baltheo ſuſpendunt. Vide Eugenium Rogerium l. 2. c. 2. p. 239. Itineris Telluris Sanctæ.

℣. 7. UBI EST VICTIMA HOLOCAUSTI?] Hebraica vox שה *Seh*, quæ *victima* transfertur ſignificat indiſcriminatim ovem, agnum, vel etiam arietem, Exod. 12. 3. Sanctus Ambroſius de Abraham l. 1. c. 8. legit, *Ovis in holocauſtum*, uti quoque Septuaginta [2].

℣. 9. CUMQUE ALLIGASSET ISAAC.] Creditur vulgo, Iſaaco tunc temporis fuiſſe annos quinque, & viginti; & aliqui veteres Hebræi apud Genebrardum illi triginta, vel ſeptem & triginta tribuunt; itaque ſi voluiſſet, de patris ſui manibus elabi potuiſſet; ſed ſe vinciri paſſus eſt, ut involuntarios motus impediret, quos ipſo invito natura edere potuiſſet, ſe percuti ſentiens; neque ſecus agi ſecum voluit, ab aliis humanis victimis, quæ antiquitus vinciebantur, uti animadvertit Servius in illum Virgilii verſum Æneid. 2.

Eripui fateor lethe me, & vincula rupi.

Et Ovidius loquens de ſacrificiis, quæ in Triviæ honorem fiebant, ait l. 3. de Ponto Eleg. 2.

Protinus immitem Triviæ ducuntur ad Aram
Evincti geminas ad ſua terga manus.

Auctor operis imperfecti in Matth. Hom. 1. hæc tribuit verba Iſaac, perinde ac eſſent ex Scriptura; *Pater mi, liga mihi manus, & pedes, ne quando inſurgam in impugnationem*. Hic autem ſingularis fuit effectus Providentiæ, quod Iſaac a patre ſuo vinctus fuerit, ut propius Jeſum Chriſtum [1] referret, qui cruci confixus manere debebat uſque ad Sacrificii ſui conſummationem, quamquam illius mors plane libera fuit, & voluntaria.

Authores nonnulli, veluti Marshamus Canon. Chronol. & Joannes Clericus in hunc locum, credidere, Abraham minime præter ordinem perturbatum fuiſſe, cum filium ſuum immolare vellet, atque Phænicum exemplo, & Chananæorum admodum horrorem naturalem fuiſſe imminutum, quæ ex adeo inhumana actione affici debuiſſet. Philo libro de Abraham fatetur, Abraham hujus conſuetudinis offerendi homines in ſacrificium, minime authorem fuiſſe; hoc etenim in Barbarorum more poſitum erat. Patet Moabitas in Moloch honorem filios ſuos quandoque combuſſiſſe, quos Judæi frequenter nimium imitati ſunt, uti colligitur ex Regum hiſtoria l. 4. c. 17. 17. Pſeudo-Sanchoniaton apud Euſebium Præp. lib. 4. c. 16. refert, Phænices in periculis imminentibus, ac publicis calamitati-

1 *Hebr.* מאכלת הצר . חרב 70. Μάχαιρα, *Gladius*, *Culter*.
2 Τὸ πρόβατον εἰς ὁλοκάρπωσιν.
3 Ambroſ. l. 1. de Abraham c. 8.

mitatibus, immolaſſe Diis illum ea propriis filiis, quem magis diligerent; atque addit, Deum Saturnum, aut *Ilum* huic conſuetudini initium dediſſe, immolando filium ſuum *Jehud*, quem ex *Anobret* Nympha ſuſceperat. Porphyrius quoque hanc Phœnicum crudelitatem notat, qui illam coloniis ſuis in Africam detulerunt, ubi conſuetudo jugulandi homines in ſacrificium diutius invaluit.

Sed horum Auctorum ſententia, qui contendunt, Abraham ob oculos habuiſſe Phœnicum exempla in eo ſacrificio, quod de Iſaac peracturus erat, non ſolum perperam innititur Sacræ hiſtoriæ, verum ipſi Abraham nimis eſt contumelioſa.

I. Niſi negat Philo, conſuetudinem mactandi filios in terra Chanaan forſitan invaluiſſe, nec fatetur quidem; & contendit, Abraham ad immolandum Iſaac perrexiſſe, non ut alios populos imitaretur, nec ut conſuetudinem aliquam ſequeretur. Præterea oſtendit nullam fuiſſe Abraham ex illis rationibus, quibus alii populi ad eam crudelitatem adigebantur; neque enim timor, neque oſtentatio, nec laudum acquirendarum cupiditas ad hoc ſacrificium impellere poterant, quod non niſi expreſſo Dei imperio ſuſceperat. Abraham juſtiſſimam conceperat divinitatis ideam; nec arbitrari poterat, eam feritatem in Idolorum cultoribus probari poſſe; atque ita, quamquam eam invaluiſſe conſuetudinem agnoviſſet, ab ea minime abhorrere non potuiſſet. Tantum abeſt, ut ob eam rationem Chananæos aſſet imitaturus, quinimmo contrarium plane effectum in ipſius animo peperiſſet, quo eam magis averſaretur.

II. Non liquet ante Abraham, aliquem hoc iniiſſe conſilii, ut propriorum filiorum Deo ſacrificium offerret. Non enim naturaliter quis crudelia admodum patrabit facinora, niſi urgentibus plane, atque extraordinariis rationibus adigatur. Qui prior hanc conſuetudinem inveniſ, aliqua neceſſitate coactus eſſe debuit, aut officio aliquo, ex quo diſſolvi minime potuerit; & neſcio, an barbari adeo inveniri poſſent patres, qui ſe ſe magno belli periculo velint exolvere, filios ſuos immolando: aut dementes adeo, qui ſibi perſuadeant Deo acceptam fore ſimilem hoſtiam. Hoc nihilominus dicendum eſt, ſi eam tueri volumus hiſtoriam, qua narrat Sanchoniaton, *Ilum* graviſſimi belli periculo adactum immolaſſe filium ſuum *Jeahud*. Veriſimilius tamen eſt, Abraham exemplo credidiſſe Phœnices, ſe acceptum Deo ſacrificium oblaturos, in ipſius honorem filios mactando, veluti rem, quam præ ceteris ipſi diligerent.

Obſervata fuit olim ſenſibilis relatio inter hiſtoriam Abraham, Saræ, & Iſaac, & eam, quam de Ilo ſuo Phœnices jactant: quare crediderunt nonnulli hanc unam, eamdemque hiſtoriam eſſe aliter enarratam. Ad hæc accedit, quod Græcorum Saturnus temporibus Abraham longe poſterior eſt, & poſt Ævum quoque Moyſis; atque ideò Saturni exemplum minime potuit perſuadere Abraham, nec illi honorem adimere, quo afficiendus eſſet filium ſuum immolans; multoque minus Saturnus eſſe potuit author Sacrificiorum humanorum, de quibus creditur ipſa Moyſes locutus eſſe Deuteronomii capite 18. 10. Nos autem Jovis nativitatem ad tempora Judicum referimus. Denique arbitramur, hunc, quem proferunt Sanchoniatonem nuſpiam extitiſſe, hiſtoriamque illius Porphyrii eſſe adinventum, ad hoc præcipue inſtitutum, ut Sanctarum Scripturarum Judæorum authoritas infirmaretur: quod eruditi plures viri ante nos obſervarunt.

℣. 12. NON EXTENDAS MANUM TUAM SUPER PUERUM.] Patres nonnulli, Macarius videlicet Orat. de Exalt. Sanctæ Crucis, & Ambroſius de Abraham, crediderе, Jeſum Chriſtum alluſiſſe ſacrificio Iſaac, qui figura erat realis immolationis illius, cum ait Joannis 8. 56. *Abraham pater veſter exultavit, ut videret diem meum, vidit, & gaviſus eſt*. Nos vero aliam ſententiam propoſuimus de hac re cap. 27. 17.

NUNC COGNOVI, QUOD TIMES DEUM.] Deus juxta hominum morem loquitur; ait ſe cordis Abrahami diſpoſitiones agnoſcere, quoniam illius periculum fecerat; & nunc ſcire, quod ille Deum amat, quoniam illum in ea ſtatuit occaſione, qua cunctis hominibus amorem ſuum probaret; ita Patres paſſim videntur explicare: *Vires enim dilectionis homines latent, niſi divino experimento etiam eidem innoteſcant*. S. Auguſtinus quæſt. 57. & 58. in Geneſ. Vide etiam de Geneſi ad litteram c. 9. & l. 16. de civit. c. 3. Ambroſium, Hilarium, atque alios. Scriptura Iſaac appellat *puerum*, quamquam quinque, & viginti annorum illi ætas eſſet, juxta linguæ ſanctæ conſuetudinem, quæ filios, quacumque ætate ſunt, pueros vocat, cum illos fratribus majoribus natu comparat. Vide Hieronymum in Tradit. Hebr.

NON PEPERCISTI UNIGENITO FILIO TUO PROPTER ME.] Hebraicus textus [1] ad litteram habet; *Tu minime ſubtraxiſti Unigenitum filium tuum*. Voces autem *Propter me* non adſunt in textu Hebraico, neque verſiculo 16. Chaldaice: *Tu non obſtitiſti, quin unigenitum filium tuum ſumerem*; tu illum mihi non denegaſti. Grotius arbitratur in hebraico textu olim has voces adfuiſſe, *propter me*; quoniam in Vulgata inveniuntur, apud Septuaginta, in Samaritana verſione, atque in Syriaca; *Non pepercisti unigenito filio tuo propter me*, ut mihi obtemperares.

℣. 13. VIDIT POST TERGUM ARIETEM.] Hæc verſio conformis eſt textui Hebraico, Onkelos, & Symmacho; ſed textus Samaritanus, Jonathan, & Septuaginta non habent *poſt tergum*, ſed ſimpliciter, *vidit arietem*. Hæc omnis varietas, quæ non adeo magni eſt momenti, ea una tantum littera provenit, quæ aliter legitur in Textu, quem Sanctus Hieronymus ſecutus eſt, ac in eo, quibus Septuaginta adhæſerunt. Vulgata legit אחר *Achor*, *poſt tergum*; & Septuaginta אחד, *Achad*, *unum*.

INTER VEPRES HÆRENTEM CORNIBUS.] Septuaginta, & Theodotion verrunt [2], *qui ex arbuſto ſabec cornibus pendebat*. Symmachus [3]: *Aries cornibus illaqueatus in retia*: perinde ac innuere vellet arietem hunc forte retibus venatoris alicujus captum; vel arietem ſylveſtrem fuiſſe, aut capreolum, qui forte in venatorum retia ceciderat. Xenophon teſtatur fuiſſe olim ſylveſtres oves in Oriente. Aquila vertit [4], *In condenſa*, vel *implexa*, quod juxta Sancti Hieronymi ideam ſignificare poteſt condenſa, & inter ſe impleхa virgulta.

Septuaginta, Philo, Theodotion, Sanctus Eucherius, & Diodorus in Catenis Græcis accepere *Sabec* pro arbuſti alicujus proprio nomine. Hebræi, quos eędem Catenæ proferunt, eam vocem transferunt, remiſſionem, veniam. Sed Bochartus invictis rationibus probavit, *Sabec* ſignificare ramos, ſpinas, vepreſque implexas; quam ſententiam notæ melioris Interpretes ſecuti ſunt.

Jonathan filius Uzielis, cui adhærent plerique Rabbinorum, ſerio jactitavit, hunc arietem creatum fuiſſe ipſo mundi primordio, atque ad Abraham ſacrificium deſtinatum. Hebræi contendunt etiam, ſacrificium hoc fuiſſe peractum Kalendis menſis Tizri, qua die celebrant Tubarum ſolemnitatem, quæ in hujus facti memoriam ex Arietis cornibus effici debent. Turcæ credunt decima die menſis poſtremi Iſmaelis ſacrificium contigiſſe, in cujus memoriam maxima edunt lætitiæ ſigna; at hæc omnia æque probantur,

1 לא חשכת את בנך את יחידך ממני

2 Κατεχόμενος ἐν φυτῷ σαβέκ. *Euſeb. Emiſ.* Τὸ κατεχόμενον τῶν κεράτων, ὁ Σύρος, ὁ Ἑβραῖος κρεμάμενος φησι. *Syr. & Heb.* ſuſpenſus cornibus. *Hieronym. quæſt. Heb.* Ridiculam rem in hoc loco Euſebius Emiſenus eſt locutus: Sabech, inquiens, dicitur hircus, qui rectis cornibus, & ad carpendas arboris frondes ſublimis attollitur,

3 Sym. ἐν δικτύῳ.

4 Ἐν συχνῷ, vel ſυχνώσει, *quod ſignificat condenſa, & inter ſe implexa virgulta. Hier. qu. Hebr.*

bantur, ne illud, quod de Alcorano jactitant, quod A in Arietis pelle deſcriptum dicunt, quem pro Iſmaele immolavit Abraham: quoniam ipſi hunc, non Iſaac immolandum fuiſſe arbitrantur.

Aries hic a grege ſuo plane aberraverat, atque cornibus in vepres hæſerat, quin inde ſe ſe poſſet exolvere. Deus providentia ſua has circumſtantias diſpoſuit, ut in hac re figura agnoſceretur eorum, quæ in Dominica paſſione contigerunt; ubi ille qui immolandus erat liberatus eſt; atque e contra, ille, qui erat innocens, eſt immolatus. Aries inter ſpinas referebat Jeſum Chriſtum ſpinis coronatum, & de Cruce ſuſpenſum. Ita Auguſtinus l. 3 contra Maxim. c. 26. Ambroſ. l. 1. de Abraham c. 8. & alii paſſim.

Quæritur, quomodo potuerit Abraham in ſacrificium offerre Arietem, qui ipſius minime erat? B Reſpondetur 1. Deum tranſtuliſſe in hunc Patriarcham dominium, & proprietatem hujus Arietis; atque hoc nomine procul dubio præ cæteris potiori jure, ac merito res poſſideri, quandoquidem Deus omnium creaturarum abſolutus eſt Dominus. 2. Abraham uſus eſt re inventa, cujus dominus ignorabatur, hac intentione reddendi pretium domino rei illius, quam ſibi vindicarat, atque ſolvendi, quidquid ſummum jus ab eo poſtulaſſet. Nec credimus vaticinari, has diſpoſitiones in homine adeo juſto, qui erat Abraham, credentes.

ỹ. 14. APPELLAVITQUE NOMEN LOCI ILLIUS, DOMINUS VIDET: UNDE USQUE HODIE DICITUR; IN MONTE DOMINUS VIDEBIT.] Septuaginta vertunt [1]: *Appellavit hunc locum Dominus vidit; ut dicatur etiam hodie: Dominus apparuit in monte.* C Hebraicus textus [2] verti poterat: *Abraham appellavit hunc locum; Dominus videbitur; quare dicitur etiam hodie: Mons, ubi Dominus videbitur.* Sanctus Hieronymus ait, hanc proverbii ſpeciem fuiſſe apud Hebræos, cum in aliquo verſarentur diſcrimine; Dominus providebit in monte; perinde ac diceretur: Cum nos clamamus tantis obruti calamitatibus, ac Abraham in monte; Deus præſto erit, ut inde nos eripiat. Poteſt etiam hic ſenſus tribui toti verſiculo: *Appellavit hunc montem, Deus providebit, quare dicitur uſque hodie: In monte, Dominus providebit.* Illi hoc nomen tribuit propter ea, quæ ipſe filio ſuo reſpondit. Quærenti enim ubinam eſſe victima; *Deus providebit*, reſpondit ipſe ỹ. 8. D

ỹ. 16. PER MEMETIPSUM JURAVI.] Sanctus Paulus in Epiſtola ad Hebræos 6. 13. 16. loci hujus commentarium affert his verbis: *Abrahæ promittens Deus, quoniam neminem habuit, per quem juraret, majorem ſe, juravit per ſemetipſum ..... Homines enim per majorem ſui jurant; & omnis controverſiæ eorum finis ad confirmationem, eſt juramentum. In quo abundantius volens Deus oſtendere pollicitationis hæredibus immobilitatem conſilii ſui interpoſuit juramentum: ut per duas res immobiles, quibus impoſſibile eſt mentiri Deum, fortiſſimum ſolatium habeamus &c.*

ỹ. 17. MULTIPLICABO SEMEN TUUM SICUT STELLAS CÆLI, ET VELUTI ARENAM, QUÆ EST IN LITTORE MARIS.] Patres animadvertunt, Deum hic E promittere Abraham duplicem poſteritatem; aut potius in illius poſteritate duplex perſonarum genus diſtinguere: alii quippe ſunt ſpirituales filii, ſucceſſores fidei Abraham, comparati cœli ſyderibus: alii vero illius poſteritas ſecundum carnem, arenæ maris comparata. Sed hæc explicatio ſpiritum magis ſpectat, quam litteram; quoniam ſimilitudo ſtellarum cœli non ſemper in bonam partem accipitur. Vide Nahum. 3. 6.

POSSIDEBIT SEMEN TUUM PORTAS INIMICORUM SUORUM.] Septuaginta vertunt; *Semen tuum poſſidebit urbes inimicorum ſuorum.* Hic eſt verus hujus loci ſenſus. Aliqui explicant de viribus inimicorum ſuorum; aliquando enim in ſcriptura; portæ ſignificant vires; exempli gratia Matthæi 16. 18. *Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam (Eccleſiam).* Poſſidere portas inimicorum ſuorum, poteſt etiam ſignificare: regere, judicare, dominari inimicis ſuis; quoniam antiquitus jus dicebatur in portis civitatis. Litteralis harum adimpletio prophetiarum perſpicitur, poſtquam Hebræi devicerunt Chananæorum regiones, Moabitarum, atque Ammonitarum; ſed perfectius abſoluta videtur, poſtquam Eccleſia ſtatuta eſt, cum omnes terrarum regiones ſubditæ fuerunt Evangelio; cum principes religioni huic maxime infeſti, & populi, qui magis adverſari videbantur, demum illi nomina ſua dederunt.

ỹ. 18. BENEDICENTUR IN SEMINE TUO OMNES GENTES TERRÆ.] Verus hujus loci ſenſus eſt, quod omnes terrarum populi benedicentur in Jeſu Chriſto, & per Ieſum Chriſtum, ut docet Apoſtolus ad Galatas 3. 6. Poteſt etiam ſignificare, temporales benedictiones poſterorum Abraham, qui ſunt figuræ benedictionum æternarum, & ſpiritualium Chriſtianorum, admirationi futuras aliis populis, & unumquemque viciſſim optaturum eſſe felicitatem filiorum Abraham; adeout dicetur, eſtote benedicti, eſtote felices, ut poſteritas Abraham. Geneſ. 12. 2. Et in ſenſu ſpirituali, omnes nationes terrarum maximæ felicitatis habituras loco, poſſe per Chriſtum Ieſum participes fieri benedictionum Abraham.

ỹ. 20. NUNTIATUM EST ABRAHÆ, QUOD MELCHA QUOQUE GENUISSET FILIOS NACHOR FRATRI SUO.] Nachor erat frater Abrahæ, & Melcha neptis illius; Melcha, & Sara erant Sorores, ſi communi ſententiæ adhæreamus, quæ Ieſcham filiam Aran, eamdem credit, ac Saram. Moyſes hic refert genealogiam Nachor, ut lucem afferat iis, quæ ſequuntur, ſpectantibus ad Iſaac conjugium cum Rebecca filia Bathuelis, qui erat filius Nachor, & Melchæ.

ỹ. 21. HUS PRIMOGENITUM.] Incolis iſte replevit regionem Hus in Arabia deſerta, quæ in libro Iob Hus appellatur, uti oſtendemus in Præfatione ad hunc librum.

BUZ FRATREM EJUS.] Grotius credit arcem Buſam in Meſopotamia notatam ab Ammiano Marcellino nomen ſumpſiſſe a Buz. *Elihu Buſites* amicus Iob erat ex minoribus Buz, aut ex ea regione originem traxerat, quam Buz frequentem fecerat. Hebræi apud S. Hieronymum quæſt. Hebr. in Geneſ. credunt hunc *Elihu* eumdem eſſe, ac Balaam, notum adeo in Moyſe; Num. 22. 5.

Camuel patrem Syrorum.] Hebraice habetur; *Camuel patrem Aram.* Liquet nationem Syrorum originem duxiſſe ab Aram uno ex filiis Sem. Aram filius Camuel cum originem duceret ex regione Aramæorum accipere potuit cognomen Aramæi, aut Syri; ſed præſtat dicere, Camuel patrem fuiſſe [3] Cameletarum populorum Aſſyriæ ad Euphratis Occidentem. Invenitur quoque in ſecunda Cappadocia *Camuliana* urbs Epiſcopalis ſub Patriarcha Conſtantinopolitano. Cappadoces apud Authures veteres Syri nominantur. Vide Geneſ. 10. 22.

ỹ. 22. ET CASED.] Hebræi Chaldæos vocant *Caſdim*: ſed probabile prorſus non eſt, Caſed filium Nachor patrem eſſe omnium Chaldæorum: ſub nomine *Caſdim* comprehenduntur plures populi tam citra, quam ultra Euphratem, quibus immixti fuerunt, & confuſi filii Caſed. Veri *Caſdim*, aut Chaldæi incolebant citra Babylonem, ad ſinum Perſicum, & in finibus Arabiæ, unde Babylonem, & Borſippum advenere celebres Philoſophi Chaldæi [4].

AZAU.] Eſt in Cappadocia Urbs, cui nomen *Aza* in finibus Armeniæ minoris, quæ ad

Boream

1 ἐκάλεσεν Ἀβραὰμ τὸ ὄνομα τοῦ τόπου ἐκείνου, Κύριος εἶδεν, ἵνα εἴπωσι σήμερον, ἐν τῷ ὄρει Κύριος ὤφθη.
2 ויקרא אברהם שם המקום ההוא יהוה יראה אשר יאמר היום בהר יהוה יראה
3 Strabo lib. 16. p. 710. 4 Strabo lib. 16. & 17.

Boream habet Trebiſundam, & ad Meridiem Neo- A cæſaream; ibi eſt etiam *Azara*. Plin. l. 5. c. 26.

ŷ. 24. ROMA PEPERIT TABEE.] Invenitur in Arabia Petræa, parte Syriæ, Urbs *Tabee* nuncupata. *Roma*; ab Septuaginta *Reman* appellatur; eſt in Meſopotamia hujus nominis civitas.

MAACHA.] Sunt in Arabia Felici populi appellati *Maccæ* ab Arriano, & urbs *Maca* verſus regionem *Ormus*.

CAPUT XXIII.

Mors Saræ; Abraham emit ſpeluncam, ut illam ſepeliat.

Anno M. 2145.

1 VIxit autem Sara centum viginti ſeptem annis. 2 Et mortua eſt in civitate
Arbee, quæ eſt Hebron, in terra Chanaan: venitque Abraham, ut plange-
ret, & fleret eam. 3 Cumque ſurrexiſſet ab officio funeris, locutus eſt ad
filios Heth, dicens: 4 Advena ſum, & peregrinus apud vos: date mihi jus ſepulchri
vobiſcum, ut ſepeliam mortuum meum. 5 Reſponderunt filii Heth, dicentes. 6 Au-
di nos, Domine, princeps Dei es apud nos: in electis ſepulchris noſtris ſepeli mor-
tuum tuum: nulluſque te prohibere poterit, quin in monumento ejus ſepelias mor-
tuum tuum. 7 Surrexit Abraham, & adoravit populum terræ, filios videlicet Heth:
8 Dixitque ad eos: Si placet animæ veſtræ, ut ſepeliam mortuum meum, audite me,
& intercedite pro me apud Ephron filium Seor: 9 Ut det mihi ſpeluncam duplicem,
quam habet in extrema parte agri ſui: pecunia digna tradat eam mihi coram vobis in
poſſeſſionem ſepulchri. 10 Habitabat autem Ephron in medio filiorum Heth. Reſpon-
ditque Ephron ad Abraham cunctis audientibus, qui ingrediebantur portam civitatis
illius, dicens: 11 Nequaquam ita fiet, Domine mi, ſed tu magis auſculta, quod lo-
quor: Agrum trado tibi, & ſpeluncam, quæ in eo eſt, præſentibus filiis populi mei,
ſepeli mortuum tuum. 12 Adoravit Abraham coram populo terræ, 13 Et locutus
eſt ad Ephron circumſtante plebe: Quæſo, ut audias me: Dabo pecuniam pro agro:
ſuſcipe eam, & ſic ſepeliam mortuum meum in agro. 14 Reſponditque Ephron:
15 Domine mi, audi me: Terra, quam poſtulas, quadringentos ſiclos argenti valet:
iſtud eſt pretium inter me, & te: ſed quantum eſt hoc? ſepeli mortuum tuum. 16
Quod cum audiſſet Abraham, appendit pecuniam, quam Ephron poſtulaverat audien-
tibus filiis Heth, quadringentos ſiclos argenti probatæ monetæ publicæ. 17 Confir-
matuſque eſt ager quondam Ephronis, in quo erat ſpelunca duplex reſpiciens Mambre,
tam ipſe, quam ſpelunca, & omnes arbores ejus in cunctis terminis ejus per circuitum,
18 Abrahæ in poſſeſſionem, videntibus filiis Heth; & cunctis, qui intrabant portam
civitatis illius. 19 Atque ita ſepelivit Abraham Saram uxorem ſuam in ſpelunca
agri duplici, quæ reſpiciebat Mambre, hæc eſt Hebron in terra Chanaan. 20 Et
confirmatus eſt ager, & antrum, quod erat in eo, Abrahæ in poſſeſſionem monu-
menti a filiis Heth.

ŷ. 1. VIXIT SARA CENTUM VIGINTI SEPTEM A ANNIS, ET MORTUA EST &c.] Sara unica eſt mulier, cujus ætatem Scriptura referat; mortem, & ſepulturam. Si hoc decus eſt, illud debebatur maxime illius merito, & gradui, quem tenet in ordine, atque executione conſiliorum Providentiæ: ipſa pulcherrima eſt Chriſtianæ Eccleſiæ figura, ut animadverrit Sanctus Paulus Epiſtola ad Galatas 4. 22. 23. Idem Apoſtolus ad Hebræos ſcribens 11. 11. commendat Saræ fidem, quæ expectavit effectus promiſſionum Dei uſque ad nonaginta annorum ætatem, ſciens illum, qui ipſi pollicitus fuerat filium, cum ſit fidelis, & fallere nequeat, deeſſe non poſſe, quin promiſſi fidem præſtet. Rabbini ineptias profecto jaciunt, cum aſſerunt, Saram terrore perculſam obi- B iſſe, cum dæmon illam feciſſet certiorem, quod Abraham filium ſuum Iſaac immolaturus pergebat.

ŷ. 2 MORTUA EST IN CIVITATE ARBEE, QUÆ EST HEBRON.] Septuaginta vertunt, *In urbe Arbec, in valle*. Sanctus Hieronymus in quæſt. Hebraicis coarguit merito hanc verſionem, quæ minimum adhæret textui Hebraico; quoniam etſi Hebraica vox ארבע *Harbog*, aut *Arbec* pronuntiari poteſt *Arbee* pronuntiando *Hain* æque ac G, ut Septuaginta in nonnullis nominibus proferunt, exempli gratia in *Segor*, & *Gaza*, liquet has voces *in valle*, non extiſtere in textu. Idem Sanctus Hieronymus videtur credere urbi huic inditum fuiſſe nomen Arbee, quod ſignificat quatuor, quod hi celebres quatuor Patriarchæ ibi tumulati ſunt; Adam, Abraham, Iſaac, & Jacob; vel, ut aliis placet, propter quatuor Gigantes, qui ibi immorati ſunt, vel propter quatuor celebres mulieres, quæ ibi ſepultæ fuerunt, videlicet, *Eva*, *Sara*, *Rebecca*, & *Liah*. Sed omnia hæc traditionum Rabbinicarum generi accenſemus.

Creditur hæc urbs ſumpſiſſe nomen *Arbee* a Chananæo, qui illam condidit, ut Joſue innuit 14. 15.

Illi plane nomen Hebron inditum fuit ſolummodo, poſtquam hæc in diviſione terrarum filio Caleb ceſſit, cui nomen erat Hebron; & hæc verba, *Ipſa eſt Hebron in terra Chanaan*, huc acceſſiſſe videntur poſt Moyſem. Auctor verſionis Syriacæ transfert incivitate Gigantum; ſed Gloſſa eſt ex eo deſumpta, quod in Joſue dicitur; quatuor Gigantes ex ſtirpe Enak urbem hanc poſſediſſe.

VENIT ABRAHAM UT PLANGERET EAM.] Ex hoc loco infertur, Saram obiiſſe, dum Abraham abeſſet, qui tunc Berſabee immorabatur. Vide cap. 22. 19. & 24. 63. 64. A Berſabee ad Hebron octo circiter Gallicæ leucæ interſunt. Aliqui explicant hæc verba, *Sara mortua* eſt ad Hebron, perinde ac illa e vivis exceſſiſſet prope Hebron, videlicet in convalle Mambre, ubi credunt, tunc Abraham incoluiſſe; & hæc verba, *Venit, ut plangeret eam*, ſignificare ſolum, quod Abraham ſe ſe præparabat, ut Saræ funus lacrymis proſequeretur. Sed longe probabilius eſt ipſam dies clauſiſſe, dum Abraham procul eſſet, qui, ut ex ſequentibus patet, habebat tunc tabernacula ſua Berſabee. Moyſes adnotans illam ad Hebron deceſſiſſe probat, quod hactenus dictum eſt, quemadmodum confirmatur ex iis, quæ ſubdit, nimirum, quod Abraham venit, ut plangeret.

Latet, an ipſa aromatibus condita fuerit, & quamdiu de ea luctus duraverit. Luctus plerumque erat ſeptem dierum, ut habetur Eccliſ. 22. 13. & ſi Abraham ad portam Hebron venit emptoris tumulum completo luctu, ut ex ℣. 3. colligitur, dicere oportet, Saram opobalſamis fuiſſe delibutam, ut paſſim in iis regionibus fieri conſueverat; quia alioquin tamdiu a corruptione corpus illius ſervati minime potuiſſet.

℣. 4. CUMQUE SURREXISSET AB OFFICIO FUNERIS.] Abraham prope corpus Saræ aliquot diebus humi cubavit juxta conſuetudinem, cui poſtquam parentaſſet, ſurrexit, & venit ad conventum incolarum Hebron, quos Scriptura *filios Heth* nuncupat, quoniam illi erant Hethæi. Popoſcit ab eo, ut ſibi liceret emere *jus ſepulchri*, ut Saram tumularet; aut juxta Hebraicum textum *tumuli poſſeſſionem*. Syriaca verſio habet; *jus poſſidendi in hæreditatem ſepulchrum*; quæ gratia illi denegari poterat, veluti extraneo. Vulgo non vendebantur majorum ſepulchra, quod impietatis vitium reputatum fuiſſet; ita Abraham ſepulchrum ſibi comparare ſtudet, ubi nemo adhuc obrutus fuerit. Ephron poterat fundum ſuum alienare, atque operam ſuam venundare.

Abraham ſepulchrum emens oſtendebat, ut Sanctus Irenæus l. 5. cap. 32. animadvertit, ſe nolle gratuito ſepulchrum accipere ex hominum parte in ea tellure, cujus poſſeſſionem Deus pollicitus illi fuerat: hujus emptio ſepulchri, atque terræ, ubi poſitum erat, ſpecies erat quædam maturatæ poſſeſſionis, & qua ſignificabatur, futurum ut Abrahæ poſteri vere, ac ipſa re toti illi regioni dominarentur. Sanctus Hieronymus in quæſtionibus Hebraicis venditionem tumuli reprobat, quem Ephron ceſſit Abrahæ. Ait enim illis, qui ſepulchra vendunt, atque inde pecuniam exigunt, plurimum de ipſorum merito decedere: quandoquidem Ephron, qui coactus quodammodo fuit ab Abraham, ut reciperet aliquid pro tumulo, avaritiæ ſecreto redarguitur ex ipſa ratione hujus nominis in hoc loco ſcribendi: deeſt quippe littera huic nomini in textu Hebraico: futiles omnino rationes.

At non hic unus ex Patribus coarguit Ephron. Interpretes aliquot ægre adlaborant, ut Abraham ipſum ſimoniæ crimine abſolvant in hac tumuli emptione. Adiri poteſt ſuper hunc locum Pererius. Joſephus de Bello lib. 5. cap. 7. teſtatur ævo ſuo adhuc extitiſſa monumenta Saræ, Patriarcharum, & ipſorum conjugum, in urbe Hebron. Hæc ſepulchra ex pulcherrimo elaborata erant marmore, & affabre perfecta, ſed recens iſtud erat opus; vetuſta quippe monumenta inſtaurata fuerunt, quibus Architecturæ ornamenta acceſſere.

℣. 4. UT SEPELIAM MORTUUM MEUM.] Hebraicus textus addit: *A facie mea*; vel ut tollam ab oculis meis, hoc doloris argumentum, ut mortuum ſepeliam, qui domi meæ ante oculos meos eſt.

℣. 6. AUDI NOS DOMINE: PRINCEPS DEI ES APUD NOS.] Abraham cum ſe ſe obtulit ante fores Hebron, ſtatim ante univerſum populum conſtitit, atque ex illis petiit, ut per eos ſibi liceret poſſidere tumulum; deinde eos rogavit, ut apud Ephron intercederent, qui agrum ſuum ipſi venderet, ubi excavata aderant monumenta. Ephron, quem Abraham ex habitu oris non noverat, cum adeſſet in cœtu, re intellecta reſpondit, ſe illi cedere libenter, & gratuito, & agrum, & tumulos. Eo autem quibus officiis certatum eſſe hoc capite innuitur.

PRINCEPS DEI ES APUD NOS.] Te nos, veluti magnum principem inter nos colimus, non autem veluti advenam deſpicimus. Scriptura ſæpius Dei nomen addit rei, cujus magnitudinem evehere ſtudet. Aliæ etiam linguæ epithetum *Divini*, illis rebus adjiciunt, quæ ſummopere magnæ ſunt, pulchræ, aut bonæ. Apud nonnullos interpretum noſtrorum, hæc verba, *Princeps Dei*, de Principe pio, ac Numini accepto, & de homine, quem populi tamquam Prophetam venerabantur, intelliguntur. Vulgata vetus [1] legebat, quemadmodum & Septuaginta: *Rex a Deo tu es nobis*. Rex es a Deo conſtitutus inter nos [2].

℣. 7. SURREXIT ABRAHAM, ET ADORAVIT.] Abraham ſedens Hethæorum reſponſionem audivit, atque reſponſum illorum daturos comitati, ſurrexit, & ſe proſtravit, ut illis ageret gratias.

℣. 8. INTERCEDITE PRO ME APUD EPHRON. ℣. 9. UT DET MIHI SPELUNCAM DUPLICEM.] Sanctus Hieronymus ſequitur iſtic Septuaginta. Hebraice; את מערת המכפלה; *Speluncam Macphelæ*: atque inferius ℣. 17. שדה אשר כמכפלה, *Ager, qui eſt Macphelæ, qui erat Ephron, ceſſit Abraham*. Vox *Macphela* ſignificat *duplicem*; ex quo conjectum eſt, ſepulchrum, quod Abraham emere volebat, nomen hoc præſeferre, vel quia ibi adeſſe potuerint ſpeluncæ duæ, aut duo cellæ, vel ſimpliciter thecæ duæ, atque duo monumenta, quibus corpora inferrentur; ſed videtur potius *Macphela* fuiſſe nomen agri.

PECUNIA DIGNA TRADAT EAM.] Hebraice ad litteram [3]; *Tradat eam pleno argento*, hoc eſt, pro eo pretio, quanti valet. Chaldaice [4], *Argento perfecto*: Emam tanti, quanti valet.

℣. 10. HABITABAT AUTEM EPHRON IN MEDIO FILIORUM HETH.] Verti poteſt Hebraicus textus; *Sedebat Ephron in medio filiorum Heth*; quem alloquebatur Abraham.

CUNCTIS AUDIENTIBUS, QUI INGREDIEBANTUR PORTAM CIVITATIS.] Videlicet coram magiſtratibus, & ſenioribus, qui ſubſellia habebant in porta, vel etiam ante oppidanos, & advenas, qui tunc cœtui adeſſe poterant. Septuaginta in poſtremum hunc ſenſum intellexiſſe videntur [5].

℣. 11. NEQUAQUAM ITA FIAT DOMINE MI.] Hebraice habetur ſimpliciter, *Non Domine mi*. Septuaginta [6]; *Mane apud me, Domine, & audi me*: perinde ac diceret, quod apud eum ſederet, & audiret propoſitionem, quam illi facturus erat; vel eſto ex parte mea, mihi faveas, me audias.

℣. 13.

1 Hieronym. quæſt. Hebr.
2 Βασιλεὺς παρὰ Θεοῦ εἶ.
3 בכסף מלא.
4 Chald. בכספא שלים 70. ἀργυρίου ἀξίου.
5 Καὶ τῶν εἰσπορευομένων εἰς τὴν πόλιν πάντων. Ita & verſic. 18. & paſſim.
6 Παρ' ἐμοὶ γενοῦ, Κύριε, καὶ ἄκουσόν μου.

A ℣. 13. QUÆSO, UT AUDIAS &c.] Hebraice אם שתה לו, *Si tu es*; (ille Ephron, cujus eſt ager) *quæſo, ne me undino*. Samaritanus quoque textus [1] verti poteſt: *Si mihi faves, quæſo audi me*; vel *ſi tibi lubet* gratificari mihi, *audi me*. Septoaginta [2]: *Quandoquidem tu hic es prope me, audi me*. Hoc modo etiam ſuppleri poſſet. *Si cedere mihi vis agrum ſuum, audi propoſitionem, quam facio tibi*. Onkelos, *Si tu hoc mihi concedis, permitte mihi* &c. Nonnulli apud Vatablum; Si tu reneris argentum meum, ego non accipiam agrum tuum. Gratuito illum accipere noluit, ne minores Ephron deinceps agrum poſſent repetere, & ne tomuli alicui ſubjacerent injuriæ.

℣. 15. DOMINE MI AUDI ME &c.] Hic verſiculus admodum varius eſt apud Septuaginta: *Non, Domine mi, quoniam intellexi (agrum hunc valere) quadringentis didrachmis argenti; ſed quanam eſt hæc ſumma inter te,* B *& me?* Ipſi legerunt in textu voces aliquot; ſecus ac hodie legimus, ac legebat Sanctus Hieronymus ex Hebraico. Legerunt enim לא *non*, pro לו *illi*, quod eſt in fine ℣. 14. & שמעתי *Intellexi*, pro שמעני *Audi me*. Sed Vulgatæ ſenſus melior eſt, quam Septuaginta.

QUADRINGENTIS SICLIS.] Septuaginta frequentius transferunt Hebraicam vocem שקל *Sekel*, *Didrachma*. Drachma Attica conſtabat tribus ſolidis cum dimidio, ita duæ drachmæ, aut didrachma ſeptem ſolidos reddent; & cum drachma Hebraica æquivaleat duabus drachmis Atticis; Siclus quatuordecim tantum ſolidis conſtaret. Juxta ſupputationem, quam ſecuti ſumus, ſiclus argenti valet duobus, & triginta ſo- C lidis, & quinque denariis: ita ſicli quadringenti conficiunt centum & quadraginta octo libras, ſex ſolidos, & denarios octo. Siclus erat pondus magis commune, & aptius, & credi poteſt in commerciis parvis argenti virgulis uſos fuiſſe, quæ aliquot unciis, vel ſæpius unica uncia ad negotiationis facilitatem conſtarent.

℣. 16. APPENDIT PECUNIAM.] Vox Pecunia, quæ hic legitur, innuit uſum argenti excuſſi, & formis obſignati; ſed Hebraice habetur, *appendit argentum*, quod ſolum metalli pondus ſignificat. Vox *Sekel* certum modo pondus indicat. Vide noſtram Diſſertationem de nummis ad hujus voluminis frontem.

PROBATÆ MONETÆ PUBLICÆ.] Hebraice כסף עבר לסחר. *Argenti, quod appenditur apud mercatores*. Septuaginta [3]: *Argenti a mercatoribus probati*, D optimæ perfectionis, & æquiſſimi ponderis. Non credimus tunc temporis ubivis gentium excuſſi argenti, obſignatique uſum invaluiſſe.

℣. 17. CONFIRMATUS EST AGER QUONDAM EPHRONIS.] Vetus tranſigendi ratio hic innoteſcit. Contractus, & conventio ſiebant coram populo, ac ſenioribus, pretium tradebatur, atque conſerebatur emptori poſſeſſio. Ante Moyſem nulla ſuperſunt ſcripturæ veſtigia.

Oritur hic difficultas ſuper emptione, quam fecit Abraham, agri in terra Chanaan, quod adverſari videtur iis, quæ Sanctus Stephanus aſſerit Actorum 7. 5. Οὐδὲ βῆμα ποδός, Deum non dediſſe pedem terræ huic Patriarchæ in hæreditatem in regionibus Chananæorum. Reſpondetur, Abraham re vera non poſſediſſe terræ pedem, veluti bonum, & patrimonium, quod ipſi hæreditatis jure contigerit; ſed hoc minimum obeſt, quin velut advena aliquid emere, & poſſidere potuerit.

Alia etiam difficultas occurrit, videlicet, quod S. Stephanus Act. 7. 16. appellat *Hemor filium Sichem* eum, qui hic appellatur *Ephron filius Seor*; quod vel inde oriri potuit, quod his viris plura eſſent nomina, quod non mirum, ac novum eſt in Biblia; vel quod locus hic Actorum corruptus eſt, ut animadvertunt Eugubinus, Maſius, Toſtatus, atque amanuenſes confuderunt emptionem, quam fecit Iacob prope Hemor filium Sichem, relatam cap. 33. cum ea, quæ hic narratur: inſeruerunt illi in Acta nomen Abraham in ea periodo, ubi ſubintelligendum erat nomen Iacob, quod antea exprimitur.

Melchior Canus de locis Theologicis l. 2. cap. 18. Sancto Stephano memoriam hic defuiſſe contendit, & Sanctum Lucam, qui illius ſermonem exſcribit, noluiſſe errorem hunc corrigere, ne inviolabili fidei officeret, qua velut Hiſtoricus narrare debebat quidquid S. Stephanus dixerat. Pro hac ſententia afferuntur venerabilis Beda, Rabanus Maurus, Emanuel Sa, & P. Salianus. Sed optandum eſſet, ne quis ad hujus generis ſolutiones confugeret, niſi ultima cogeretur neceſſitate. Quia ſi fatemur Sanctum Lucam; aut alios auctores ſemel id narrare, quod falſum ipſi cognoverint, quin illud adverterent; quis aſſerere poterit, ipſos nobis haudquaquam imponere, tunc præcipue cum ea referunt, quæ ex aliis perceperunt, ut facit Sanctus Lucas in Evangelio cap. 1. 23. Quomodo noverimus eos, ex quibus Sanctus Lucas didicit ea, quæ narrat, memoria nequaquam excidiſſe, & Sanctum Lucam minime vana referre, ſi illi ea fuerit religio, qua ab iis corrigendis arceretur, aliorum ſermones enarrans? Videri poſſunt hujus difficultatis aliæ ſolutiones in Actis. Vide quoque infra c. 33. v. 19.

1 אם אתה לו.
2 Ἐπειδὴ πρὸς ἐμοῦ εἶ.
3 Ἀργυρίου δοκίμου ἐμπόροις.

CAPUT XXIV.

Iter Eliezeri procuratoris Abraham in Meſopotamiam: Ille poſcit, & obtinet Rebeccam in uxorem Iſaac. Reditus illius.

℣. 1. ERat autem Abraham ſenex, dierumque multorum: & Dominus in cunctis benedixerat ei. 2 Dixitque ad ſervum ſeniorem domus ſuæ, qui præerat omnibus, quæ habebat: Pone manum tuam ſubter femur meum, 3 Ut adjurem te per Dominum Deum cœli, & terræ, ut non accipias uxorem filio meo de filiabus Chananæorum, inter quos habito: 4 Sed ad terram, & cognationem meam proficiſcaris, & inde accipias uxorem filio meo Iſaac. 5 Reſpondit ſervus: Si noluerit mulier venire mecum in terram hanc, numquid reducere debeo filium tuum ad locum, de quo tu egreſſus es? 6 Dixitque Abraham: Cave, ne quando reducas filium meum illuc. 7 Dominus cœli, & terræ, qui tulit me de domo patris mei, & de terra

nativitatis meæ, qui locutus eſt mihi, & juravit mihi, dicens : Semini tuo dabo ter-
ram hanc ; ipſe mittet angelum ſuum coram te, & accipies inde uxorem filio meo . 8
Sin autem mulier noluerit ſequi te, non teneberis juramento : filium meum tantum ne
reducas illuc. 9 Poſuit ergo ſervus manum ſub femore Abraham domini ſui, & jura-
vit illi ſuper ſermone hoc. 10 Tulitque decem camelos de grege domini ſui , & ab-
iit, ex omnibus bonis ejus portans ſecum, profectuſque perrexit in Meſopotamiam ad
urbem Nachor. 11 Cumque camelos feciſſet accumbere extra oppidum juxta puteum
aquæ veſpere, eo tempore, quo ſolent mulieres egredi ad hauriendam aquam , dixit :
12 Domine Deus domini mei Abraham, occurre , obſecro, mihi hodie, & fac miſeri-
cordiam cum domino meo Abraham. 13 Ecce ego ſto prope fontem aquæ , & filiæ
habitatorum hujus civitatis egredientur ad hauriendam aquam. 14 Igitur puella , cui
ego dixero : Inclina hydriam tuam, ut bibam ; & illa reſponderit : Bibe, quin & ca-
melis tuis dabo potum : ipſa eſt, quam præparaſti ſervo tuo Iſaac : & per hoc intelli-
gam, quod feceris miſericordiam cum domino meo Abraham. 15 Necdum intra ſe
verba compleverat, & ecce Rebecca egrediebatur , filia Bathuel , filii Melchæ uxoris
Nachor fratris Abraham, habens hydriam in ſcapula ſua. 16 Puella decora nimis ,
virgoque pulcherrima, & incognita viro : deſcenderat autem ad fontem, & impleverat
hydriam , ac revertebatur. 17 Occurritque ei ſervus, & ait : Pauxillum aquæ mihi
ad bibendum præbe de hydria tua. 18 Quæ reſpondit : Bibe , domine mi : celeri-
terque depoſuit hydriam ſuper ulnam ſuam, & dedit ei potum. 19 Cumque ille bi-
biſſet, adjecit : Quin & camelis tuis hauriam aquam , donec cuncti bibant. 20 Ef-
fundenſque hydriam in canalibus, recurrit ad puteum, ut hauriret aquam : & hauſtam
omnibus camelis dedit. 21 Ipſe autem contemplabatur eam tacitus , ſcire volens, u-
trum proſperum iter ſuum feciſſet Dominus , an non . 22 Poſtquam autem biberunt
cameli, protulit vir inaures aureas, appendentes ſiclos duos, & armillas totidem pon-
do ſiclorum decem. 23 Dixitque ad eam : Cujus es filia ? indica mihi ; eſt in domo
patris tui locus ad manendum ? 24 Quæ reſpondit ; filia ſum Bathuelis , filii Mel-
chæ, quem peperit ipſi Nachor. 25 Et addidit, dicens ; Palearum quoque , & fœ-
ni plurimum eſt apud nos, & locus ſpatioſus ad manendum. 26 Inclinavit ſe homo ,
& adoravit Dominum, 27 Dicens : Benedictus Dominus Deus domini mei Abraham,
qui non abſtulit miſericordiam, & veritatem ſuam a domino meo , & recto itinere me
perduxit in domum fratris domini mei. 28 Cucurrit itaque puella , & nunciavit in
domum matris ſuæ omnia, quæ audierat. 29 Habebat autem Rebecca fratrem nomine
Laban, qui feſtinus egreſſus eſt ad hominem, ubi erat fons. 30 Cumque vidiſſet in-
aures, & armillas in manibus ſororis ſuæ, & audiſſet cuncta verba referentis : Hæc lo-
cutus eſt mihi homo : venit ad virum, qui ſtabat juxta camelos , & prope fontem a-
quæ : 31 Dixitque ad eum : Ingredere, benedicte Domini : cur foris ſtas ? præpa-
ravi domum, & locum camelis tuis. 32 Et introduxit eum in hoſpitium : ac deſtra-
vit camelos, deditque paleas, & fœnum, & aquam ad lavandos pedes ejus , & viro-
rum, qui venerant cum eo. 33 Et appoſitus eſt in conſpectu ejus panis . Qui ait ;
Non comedam, donec loquar ſermones meos. Reſpondit ei : Loquere. 34 At ille :
Servus, inquit, Abraham ſum : 35 Et Dominus benedixit domino meo valde , ma-
gnificatuſque eſt : & dedit ei oves, & boves, argentum, & aurum, ſervos , & ancil-
las, camelos, & aſinos. 36 Et peperit Sara uxor domini mei filium domino meo in
ſenectute ſua, deditque illi omnia, quæ habuerat. 37 Et adjuravit me dominus me-
us, dicens : Non accipies uxorem filio meo de filiabus Chananæorum, in quorum ter-
ra habito : 38 Sed ad domum patris mei perges, & de cognatione mea accipies uxo-
rem filio meo. 39 Ego vero reſpondi domino meo ; Quid ſi noluerit venire mecum
mulier? 40 Dominus, ait, in cujus conſpectu ambulo, mittet angelum ſuum tecum ,
& diriget viam tuam : accipieſque uxorem filio meo de cognatione mea , & de domo
patris mei. 41 Innocens eris a maledictione mea, cum veneris ad propinquos meos ,
& non dederint tibi. 42 Veni ergo hodie ad fontem aquæ , & dixi : Domine Deus
domini mei Abraham , ſi direxiſti viam meam, in qua nunc ambulo, 43 Ecce ſto ju-
xta fontem aquæ, & virgo, quæ egredietur ad hauriendam aquam, audierit a me: Da
mihi pauxillum aquæ ad bibendum ex hydria tua: 44 Et dixerit mihi : Et tu bibe ,
& camelis tuis hauriam, ipſa eſt mulier, quam præparavit Dominus filio domini mei .
45 Dumque hæc tacitus mecum volverem , apparuit Rebecca veniens cum hydria ,
quam portabat in ſcapula : deſcenditque ad fontem, & hauſit aquam. Et ajo ad eam :

Da mihi paululum bibere. 46 Quæ feſtinans depoſuit hydriam de humero, & dixit
mihi: Et tu bibe, & camelis tuis tribuam potum. Bibi, & adaquavi camelos. 47
Interrogavique eam, & dixi: Cujus es filia? Quæ reſpondit: Filia Bathuelis ſum, fi-
lii Nachor, quem peperit ei Melcha. Suſpendi itaque inaures ad ornandam faciem ejus,
& armillas poſui in manibus ejus: 48 Pronuſque adoravi Dominum, benedicens Do-
mino Deo domini mei Abraham, qui perduxit me recto itinere, ut ſumerem filiam fra-
tris domini mei filio ejus. 49 Quamobrem ſi facitis miſericordiam, & veritatem cum
Domino meo, indicate mihi; ſin autem aliud placet, & hoc dicite mihi, ut vadam ad
dexteram, ſive ad ſiniſtram. 50 Reſponderuntque Laban, & Bathuel; a Domino e-
greſſus eſt ſermo, non poſſumus extra placitum ejus quidquam aliud loqui tecum. 51
En Rebecca coram te eſt, tolle eam, & proficiſcere, & ſit uxor filii domini tui, ſicut
locutus eſt Dominus. 52 Quod cum audiſſet puer Abraham, procidens adoravit in
terram Dominum. 53 Prolatiſque vaſis argenteis, & aureis, ac veſtibus, dedit ea
Rebeccæ, pro munere, fratribus quoque ejus, & matri dona obtulit. 54 Inito con-
vivio, veſcentes pariter, & bibentes manſerunt ibi. Surgens autem mane, locutus eſt
puer; Dimitte me, ut vadam ad dominum meum. 55 Reſponderuntque fratres ejus,
& mater: Maneat puella ſaltem decem dies apud nos, & poſtea proficiſcetur. 56 No-
lite, ait, me retinere, quia Dominus direxit viam meam; dimittite me, ut pergam ad
dominum meum. 57 Et dixerunt: Vocemus puellam, & quæramus ipſius volunta-
tem. 58 Cumque vocata veniſſet, ſciſcitati ſunt: Vis ire cum homine iſto? Quæ
ait: Vadam. 59 Dimiſerunt ergo eam, & nutricem illius Deboram, ſervumque A-
braham, & comites ejus, 60 Imprecantes proſpera ſorori ſuæ, atque dicentes: So-
ror noſtra es, creſcas in mille millia, & poſſideat ſemen tuum portas inimicorum ſuo-
rum. 61 Igitur Rebecca, & puellæ illius aſcenſis camelis, ſecutæ ſunt virum, qui fe-
ſtinus revertebatur ad dominum ſuum. 62 Eo autem tempore deambulabat Iſaac per
viam, quæ ducit ad puteum, cujus nomen eſt viventis, & videntis: habitabat enim
in terra auſtrali: 63 Et egreſſus fuerat ad meditandum in agro, inclinata jam die:
cumque elevaſſet oculos, vidit camelos venientes procul. 64 Rebecca quoque, con-
ſpecto Iſaac, deſcendit de camelo, 65 Et ait ad puerum; Quis eſt ille homo, qui
venit per agrum in occurſum nobis? Dixitque ei: Ipſe eſt Dominus meus. At il-
la tollens cito pallium ſuum, operuit ſe, 66 Servus autem cuncta, quæ geſſerat,
narravit domino ſuo Iſaac, 67 Qui introduxit eam in tabernaculum Saræ matris
ſuæ, & accepit eam uxorem: & in tantum dilexit eam, ut dolorem, qui ex morte
matris ejus acciderat, temperaret.

℣. 1. Erat autem Abraham senex ... (2) Dixitque ad servum seniorem domus suæ.] Abraham tunc erant centum, & quadraginta anni, Iſaac vero filio ipſius quadraginta. Senior hic ſervus plane eſt Eliezer, qui tanti erat apud Abraham, ut illum ſibi heredem conſtitueret, ſi Deus ipſi filios minime conceſſiſſet. Ex iis, quæ ſequuntur, ſatis patet fiduciam, atque æſtimationem, quam ſapiens hic Patriarcha pro illo fovebat, optime locatas fuiſſe. Eliezer hac in re ſe admodum probavit prudentem, ſapientem, ac pium. Nonnulli Interpretes hanc vocem *Seniorem*, vel ut eſt Hebraice, *Senem*, זקן *Seken*, perinde intelligunt ac ſignificaret, non ipſius ætatem, ſed ipſius munus Procuratoris, aut Oeconomi Abraham. Onkelos vertit סבא *Saba*, *Procuratorem*.

℣. 2. Pone manum tuam subter femur meum, (3) ut adjurem te per Dominum] [1] Variæ admodum extitere ſententiæ ſuper hac conſuetudine obligandi eum, qui juramentum præſtat, ad manum ponendam ſubter femur illius, cui ſacramento ſe obſtringit: quem ritum videmus etiam cap. 47. 29. Geneſis. Aliqui Patres, ut Auguſtinus quæſt. 62. in Geneſ. & de Civit. l. 16. cap. 33. & alibi; Hieronymus l. 1. contra Jovinianum, & Epiſtola ad. A Princip. in nov. edition. 32. Ambroſius l. 1. de Abraham cap. 9. Bonfrerius &c. & nonnulli recentiores Interpretes aſſerunt, ipſum myſticum eſſe tum, ac ſignificativum; neque conſiderandum eſſe velut ſimplicem conſuetudinem Judæorum, aliorumque populorum in caſibus conſuetis; quandoquidem in Scriptura univerſa bis tantum adhibitus fuerit in occaſionibus conſideratione dignis, atque a duobus eximiis Patriarchis, Abraham, & Jacob, qui ſignificare hac actione volebant adventum Meſſiæ, qui ex illorum progenie naſciturus erat, in cujus nomen jusjurandum exigebant. Uterque Chaldæus, & Judæi apud Hieronymum in quæſtionibus Hebraicis, necnon & Theodoretus quæſt. 74. in Geneſ. credunt, quod Abraham juſſerit ſervum ſuum jurare per circ- B cumciſionem, quæ tunc temporis erat veræ religionis character.

Joſephus l. 1. Antiquit. cap. 24. aſſerit, temporibus quoque ſuis, cum illum, qui juramentum exigebat, tum illum, qui peragebat, eodem tempore ponere conſueviſſe manum ſuper femur alterius. Sed hoc tantum in more fuiſſe, cum reciproca eſſet obligatio, quæ in hac occaſione minime reperitur. Lyranus, Tirinus, & Menochius aſſerunt, Judæos adhuc eam jurisjurandi rationem præſtandi aſſervare: & Vatablus adjicit apud aliquos etiam Orientis populos

1 שים נא ידך תחת ירכי 70. Θὲς τὴν χεῖρά σε ὑπὸ τὸν μηρόν μυ. Pone manum tuam ſuper femur meum. οὐκ ὁ Σύρος, καὶ τὸν ἀγῶνα, μὴ ὅτι ἔχει, ἀλλ' εἰς τὸ παλλαγόνιον ἐργασία. Ἑβραῖος, ἐπὶ τὴν ὀσφύν. Hebraice, *ſuper latus aut ſuper lumbos*. Diodorus in Catena Græca. Vide recentem Hexaplorum editionem.

Digitized by Google

pulos vigere. Abenezra credit hunc eſſe ritum ſymbolicum, qui ſubmiſſionem, ac obedientiam indicat erga illum, cui hoc officium præſtatur; & equidem qui manum ſuam ſub femore ſedentis ponit, ſe ipſum in conditionem non agendi ſtatuit, & quodammodo ſe obſtringit, ne illa utatur manu, niſi quantum ſedens ipſi permiſerit. Ita quoque ſubditi Domino obedientiam pollicentes manus junctas ponunt inter Domini manus.

Grotius aliter ſentit. Cum ſuper femur gladius ferretur, ut conſtat ex Exodo 32. 27. Jud. 3. 16., Pſ. 44. 3. &c. Cantic. 3. 8. conjicit ponentem manum ſuam ſubter femur alicujus, tacite confiteri, ſe, ſi promiſſis non ſteterit, merito perimendum eſſe gladio, quem ille gerit, cui obſtringitur. Clericus novam adhuc conjecturam proponit: ponere manum ſuam ſub femore alterius eſt actus, qui ſervi deſignabat officium, qui Dominum ſuum ſuper equum collocat, vel ſuper camelum extollit. Hoc ritu ſe adſtringebat Eliezer Domini juſſa fore diligenter executurum. Liquet, ſtapedum uſum non adeo vetuſtum eſſe: nec in lingua Græca, neque in Latina proprium adeſt nomen, quo ſignificetur. Præcipuum recentium equitum ſtudium erat antiquitus equis inſilire, & celeriter, ac facile deſilire dextrorſum, vel ſiniſtrorſum, ut eſt apud Vegetium l. 1. Virgilius l. 12. Æneid. rationem hanc veterem equo inſiliendi explicat.

Infrænant alii currus, ac corpora ſaltu
Subjiciunt in equos.

Xenophon in libro, cui nomen Hipparchicus, aut Equitatus Magiſter p. 336. & 338. ait, equites edocendos eſſe, ut in equos ipſi riſe diſcant ſcandere, atque alios norint ponere. Prius præceptum reſpicit juvenes, qui ad id viribus pollent, & corporis agilitate: *majores autem natu ſic Perſarum more aſſuefaciendi, ut alii alios viciſſim in equos imponant.* Patet ex libro Eſther 6. 8. (vide & 3. Regum 1. 33.) munus alios in equum imponendi ſervile, ac abjectum fuiſſe, quod Mardochæo Aman præſtare invitus coactus fuit, & hodie quoque tenere ſtapedem actus eſt ſervientis. Apud Græcos, genua amplecti erat actus ſupplicantis; atque apud Hebræos ad pedes procumbebant, eoſque amplectebantur: ſed fatendum eſt, nuſpiam alibi, neque in fœderibus, neque in juramentis inveniri morem hunc ponendi manum ſub femore alterius.

ỳ. 3. Ut non accipias uxorem filio meo de filiabus Chananæorum.] Timor Abraham, ut filius ejus cum filiabus Chananæorum conjugium iniret, inde oriebatur, quod hos populos Deus maledictione percuſſerat, atque ideo ab illis juſti omnes abhorrebant. Ipſi enim damnati fuerant, ut vel funditus delerentur, vel ex ſuis finibus pellerentur; ideoque in Dei conſilium agere viſus eſſet, ſi illorum connubia expetiiſſet; quoniam progenies Iſaac benedictionibus erat cumulanda, atque regioni Chanaam erat aliquando dominatura. Præterea inter Chananæos generalis erat corruptio, & ſi permiſiſſes Abraham, ut Iſaac cum iis fœdera iniret, poſteritatem ſuam profecto objeciſſet periculo propemodum inevitabili in eorum flagitia proruendi; ſed Abraham, qui gravo nihil numinis voluntate haud explorata aggrediebatur, procul dubio in re tanti momenti Deum ipſum conſuluit.

ỳ. 4. Sed ad terram, et cognationem meam proficiscaris, et inde accipies uxorem filio meo Isaac.] Abraham mittit primum domus ſuæ miniſtrum in Haran Meſopotamiæ, quam ſuam patriam vocat, quod ipſius conſanguinei ibi ſedem ſuam conſtituerant, & ipſe quoque aliquandiu fuerat commoratus cum Thare parente ſuo. Urbs *Haran* appellatur ỳ. 10. *Urbs Nachor*, quia hic Patriarcha frater Abraham ibi tunc incolebat, atque illic re- A manſerat, cum inde Abraham egrederetur. Familia Nachor veri numinis agnitionem aſſervarat, & aliquot veræ Religionis officia, quamquam ſuperſtitionibus immixta, uti videbimus cap. 31. 19.

ỳ. 5. Si noluerit mulier venire mecum ... numquid reducere debeo filium tuum ad locum, de quo tu egressus es?] Ex hoc loco, & aliis aliquot Scripturæ, veluti Joſue 9. 18. & 3. Reg. 2. 8. innoteſcit, quænam eſſet apud Veteres juriſjurandi religio, neque enim mordicus adhærebant verbis, quibus illud conceptum fuerat, quin illorum mentem interpretarentur, qui hoc juramentum poſtulabant.

ỳ. 7. Ipse mittet angelum suum,] Videtur hic palam vetuſtiſſima Hebræorum traditio de Angeliſ B Cuſtodibus.

ỳ. 10. Ex omnibus bonis ejus portans secum.] Hebraice; *Omnia bona domini ſui erant in manu ipſius.* Rabbinus Salomon ridicule profecto aſſerit, Eliezerum retuliſſe ſecum inventarium, ſeu repertorium bonorum omnium domini ſui. Hæc munera ex iis omnibus electa, quæ magis opulenta, ac pretioſa erant domi Abraham, erant pro dote uxoris Iſaac, juxta illorum temporum, earumque regionum conſuetudinem, ubi ſponſus conjugi ſuæ dotem afferebat, ut liquet ex Scriptura, & profanorum authorum teſtimonio. Nonnulli apud Vatablum ita Hebraicum textum transferunt; *Quoniam habebat ipſe facultatem diſponendi de bonis omnibus domini ſui;* perinde ac vellet Moyſes rationem reddare, pro- C pter quam ſervus hic decem camelos tulit.

ỳ. 11. Cumque camelos fecisset accumbere.] Hebraicus textus ad litteram [1]: Camelos in genu procumbere fecit. Re quidem vera in genua procumbentia hæc quieſcunt animalia; atque ita conſiſtunt, donec & onerantur, & exonerantur. Inſtituuntur ſtatim a nativitate, ut in hac corporis poſitura ſe ſe aptent, ipſos per aliquot dies onuſtos adeo tenendo, ne aſſurgere poſſint.

Tempore, quo solent mulieres progredi ad hauriendam aquam.] Hebraicus textus ad litteram ita poteſt transferri: *ſub illud tempus, quo haurientes egrediuntur.* Hæc erat puellarum conſuetudo una ex urbe procedere ad hauriendam aquam ex fonte, aut ex ciſternis communibus. Septem filiæ D Jetro Exodi 2. 16. veniunt ad aquam hauriendam potum daturæ gregibus patris ſui; & filiæ Ramatha egrediebantur ad aquam educendam, cum Saul ex illis quæſivit, ubinam eſſet Samuel 1. Regum 9. 11. Et Homerus Odyſſ. K ait, tribus ex gente ſua occurriſſe ante portam urbis Lamæ adoleſcentulam, quæ aquam eductura egrediebatur; & Odyſſ. H exhibet Minervam puellæ ſpeciem præſeferentem, ad hauriendam aquam procedentem.

ỳ. 12. Occurre mihi hodie;] *Adeſto mihi*, vel potius. *Veni mihi obviam.* Hebraice הקרה *Fac me offendere*, fac, ut felicem occurſum habeam. Septuaginta [2]: *Concede mihi iter felix*; vel itineri meo fe- E licem exitum tribue.

ỳ. 14. Igitur puella, cui ego dixero.] Videtur ſervus hic Abraham tentare Deum, & miraculum expoſcere, poſtulans, ut ipſi oſtendat mulierem, quam præparavit uxorem Iſaac; atque iſtud per certa ſigna, quæ ipſe Deo videtur deſcribere. Sed Patres Sanctus Chryſoſtomus homil. 48. in Geneſim, & Theodoretus quæſt. 74. atque Interpretes Eliezeri actionem excuſant, atque veluti effectum illius fidei conſiderant, & conſtantis fiduciæ in Deum, ac velut peculiarem Spiritus Sancti inſpirationem, qui ipſum hanc precem docuit. Geſtæ res illius, quæ ſequuntur, & felix ſuæ petitionis exitus clarius edocent, illam a Deo probatam fuiſſe. Si licet umquam a Deo miracula petere, & inſuetas opes; hoc profecto fas eſt, cum ſimiles ſe ſe offe-

tunt

1 ויברך הגמלים. 70. ἐκοίμισε, Accumbere fecit. Alius ἐγονάτισε, in genu procumbere fecit.
2 Εὐόδωσον ἐναντίον μου σήμερον.

runt occaſiones illis, in quibus aderat Eliezer.

Urgens neceſſitas, maxima negotii res, juramenti religio, quo ipſe fuerat obſtrictus, promiſſiones Dei pro Abraham, & Iſaac, quæ præceſſerant, gloria, & honor Dei ejuſdem, quem ſibi ob oculos proponere debebat in hujus connubii cultu, difficultas, in qua Legatus hic verſabatur agnoſcendi mulieris dotes, quam Domino ſuo expoſceret conjugem, omnes hæ rationes ſimul additæ illius actionem probare poſſunt, ſed minime in exemplum ſunt proponendæ, quod facile adeo liceat imitari.

Leguntur in Scripturis ſimiles preces, quas Deus felici eventu probavit; exempli gratia, illæ Gedeonis Jud. 6. 36. & Jonathæ 1. Regum 14. 9. quamquam illas ſibi tamquam exemplar conſtituere audeat nemo. Sapientia, & religio Eliezeri apparet in ſignis, quæ ipſe poſtulat ad eam agnoſcendam, quæ Iſaac uxor futura ſit; cupit enim adoleſcentulam comem, de aliis benemereri ſtudentem, honeſtatis amantem, & preces aliorum beneficiis ſuis occupantem. Theodoretus quæſt. 74.

INCLINA HYDRIAM TUAM.] Hebraice: *Inclina cadum tuum*. כד, *Cad*, vel *Cadus* non eſt apud Hebræos peculiaris menſura. Vox hæc generaliter ſignificat urnam, aut lagenam, ubi aqua, aut vinum ponatur. *Cadus* Atticus capiebat tres urnas, vel Romanam lagenam unam cum dimidia. Sed de hoc agendi non locus iſtic.

℣. 15. NECDUM INTRA SE VERBA COMPLEVERAT.] Septuaginta, & Vulgata addunt *intra ſe*, quod in Hebraico textu non extat; ſed cum textus ait, *Necdum verba compleverat*: de interiori, ac ſecreto ſermone explicandus eſt.

℣. 18. SUPER ULNAM.] Hebraice, *ſuper manum*; Septuaginta, *ſuper brachium*.

℣. 21. CONTEMPLABATUR EAM TACITUS.] Septuaginta: *Contemplabatur eam, & tacebat, ut recognoſceret*. Hebraice תאיש משתאה לה: *Hic homo obſtupuit, & contemplabatur eam tacitus*.

℣. 22. PROTULIT VIR INAURES.] Hebraica vox נזם *Neſem*, quam Septuaginta [1], & Vulgata verterunt *Inaures*, ſignificat etiam aliquando narium ornamenta, vel frontis. Symmachus vertit Ἐπιῤῥίνιον, quod ſignificat ornatum, qui ſuper nares ponitus. Author Vulgatæ noverat quidem hanc vocis *Neſem* ſignificationem; quandoquidem verſiculo 47. tranſtulit: *Suſpendi itaque inaures ad ornandam faciem ejus*; ſed cum Sancto Hieronymo proprium non ſuppeteret vocabulum, ut ornatum hunc ſignificaret, *inaures* reliquit, veluti communem vocem, quæ uſurpari poteſt ad ſignificandum quodvis ornamenti genus, vel frontis, vel aurium, vel narium.

Animadvertit ille in caput 16. Ezechielis, ævo illius mulieres in Palæſtina geſtare conſueviſſe quoſdam ornatus, qui a fronte pendebant in nares, & illos vere *Neſem* fuiſſe arbitratur. Patet quidem ex diverſis locis, ubi vox hæc reperitur, tum aurium, tum narium ornatum ſignificare, ſed poſtremum hunc frequentius. Vide pro hoc Geneſim 24. 47. Proverb. 11. 22. Iſaiæ 3. 21. Ezechielis 16. 11. pro illo vero Geneſ. 35. 4. Exod. 32. 2. 3. Apud Scenitas Arabes communes erant ornatus, ut patet ex Job 42. 11. & Judicum cap. 8. 24. Perſidis mulieres hodie quoque geſtant gemmarum apte diſpoſitarum ſtemma, quod inter utrumque pendet ſupercilium; atque unionum orbem, qui ſub aures ſubnectitur, atque ſubter mentum circumdatur. Vide Chardinum in Perſidis itinere t. 2. p. 13.

Ezechiel optime hæc ornatuum diverſa genera diſtinguit capite 16. 12. *Et dedi inaurem ſuper os tuum, & circulos auribus tuis*. Et Salomon Proverb. 11. 12. alludit huic conſuetudini, cum ait, mulierem pulchram, & fatuam eſſe veluti aureum circulum *in naribus ſuis*. Videntur etiam in Canticis Can-

A ticorum ornatus, quibus mulieres genas ſuas decorabant; Cant. 1. verſiculo 9. qui juxta Hebraicum textum vertitur; *Genæ tuæ pulchræ ſunt, ut ipſarum ornatus, & collum tuum, ut illius monilia*. Ita in Scripturis agnoſcere fas eſt tria, aut quatuor penſilia ornamenta, quibus mulieres faciem exornabant; Penſiles narium ornatus, frontis, aurium, & genarum ornamenta, quæ faciem totam circumdabant.

Mos hic erat prope in univerſo Oriente communis; & hodie quoque conſpicitur. Viatores, (quos inter Joannes Cotovicus in itinere Hieroſolymitano cap. 14. &c.) teſtantur, adoleſcentulas in Syria geſtare vittam in fronte, aut amentum ſericum, ex quo plures aureæ, atque argenteæ monetæ dependent. Grotius ait, idem videri in Indiis: & in

B Muſæis aliquot, veluti in eo Sanctæ Genevephæ Pariſiis, adſunt Indicarum mulierum imagines, e quarum fronte gemmæ pendent. Arabes quoque, & Perſæ fœminæ annulos ab alterutra narium geſtant, ut refert Chardinus in itinere Perſidis tom. 3. pag. 91. & Strabo lib. 17. narrat plures Æthiopum mulieres ſibi labia terebraſſe, atque per ea annulum æneum traduxiſſe. In Syria mulieres cum Turcæ, tum Chriſtianæ naſium terebrant ſiliabus orbiculum, atque annulum æneum trajiciunt.

Thevenot in Orientis itineribus ſuis l. 2. cap. 11. ait, in Perſide, & Oriente toto fœminas ſibi nares perforare acu, ut parvulum ex auro, vel argento annulum traducant. Tavernerius in Perſidis itinere l. 4. cap. 18. aſſerit, Arabes mulieres ſibi naſium

C diſcrimen terebrare, atque annulum trajicere. Ex iis annulis aliqui lati ſunt, æque ac manus palma, ita ut per illos cibum in os ingerant comedentes. In Perſide omnes aulici regis nares habent perforatas, & ex illis annulus dependet aureus cum unione aut lapide pretioſo. Apulejus Metamorph. libro ultimo loquitur de ornatu, qui decorabat frontem Deæ Dianæ, & ſpeculi inſtar fulgebat. De inauribus autem, abs re prorſus eſt aſſerere illarum conſuetudinem, cum in his regionibus communis ſit cunctis mulieribus, quandoque & viris.

INAURES APPENDENTES SICLOS DUOS.] Quarum ſingulæ ſiclum appendebant. Hebraice, *pondere unius Bekah*. Sed בקע Bekach eſt dimidium ſicli, ut teſtatur Sanctus Hieronymus in quæſtion. Hebraicis,

D ea quo conjicere liceret, ipſum tranſtuliſſe, *Hemiſiclos duos*, pro *ſiclos duos*. Chaldaica lectio, & Septuaginta *pondere unius drachmæ*, quod cum Hebraica convenit, quia ſiclus pondus erat duarum drachmarum.

ARMILLAS PONDO SICLORUM DECEM.] Hebraice; *Armillas decem (pondo) auri*; ſubintelligitur *ſiclis*, quod erat uſitatius pondus. Siclus aureus erat ejuſdem ponderis, ac argenteus, ſed libris tribus & viginti, cum ſolidis tribus, ac denariis ſex æſtimabatur.

℣. 25. PALEARUM, ET FOENI PLURIMUM.] Septuaginta [2]; *Paleæ, & proviſionis plurimum pro animalibus*. Prius vocabulum תבן *Theben*, ſignificat plane paleas, alterum vero מספוא *Miſpho*, ſigni-

E ficat fœnum. Vide Deuteronom. 11. 15. Geſtabatur vulgo in ſaccis palea, & fœnum in itinere pro animalibus; ſed hæc palea erat pedibus animalium triturata. Vide Geneſim 42. 27. & Judicum 19. 18. In Hiſpania, ubi prata non adſunt, equi aluntur paleis tritura diminutis. In Oriente perpauca adſunt paſcua. Sponius in itiner. Aſiæ teſtatur, ibi non demeti aliud fœnum, quam quod ſeritur in agris; ſed animalia nutriuntur paleis, & hordeo.

℣. 26. INCLINAVIT SE HOMO.] Chaldaica, & Syriaca verſiones habent; *flexit genua*, Junius, & Tremellius; *inclinavit caput*. Verſiculo 48. hujus capitis Hebraica vox יקד Iikkod uſurpatur velut ſynonyma ישתחוה *Iſchachaveh*, *Adoravit*. Herodotus lib. 1. c. 134.

1 70. Ἐνώτια, Inaures.

2 Ἄχυρα καὶ χορτάσματα πολλά.

t. 134. & Strabo l. 15. animadvertunt inter Perſas facile cognoſci cujus conditionis ſint, qui occurrunt ex diverſa ſalutandi ratione. Si pares ſunt; amplectuntur invicem, & oſculantur; ſin alter altero minor eſt, oſculantur ſimpliciter; ſin autem conditione ſunt admodum diſſita, inferior uſque ad terram procumbit.

℣. 27. Benedictus Dominus .... qui non abſtulit miſericordiam, et veritatem ſuam a Domino meo.] Nomine *miſericordiæ* intelligitur Dei bonitas, quæ nos ſuis cumulat muneribus, atque promiſſionibus; nomine autem *veritatis*, fidelitas intelligitur, qua promiſſi fidem præſtat. Frequentiſſime hoc in ſenſu reperiuntur in libro pſalmorum. Theodoretus [1] pro *juſtitia*, quæ hic legitur apud Septuaginta, legit *fœdus*. Superius jam admonuimus, hos Interpretes fere ſemper transferre *juſtitiam* vocem illam, quam Vulgata aliique interpretes vertunt *Miſericordiam*. Hi iidem interpretes in editione Complutenſi legunt in ſecunda perſona: *Qui non abſtuliſti juſtitiam, & veritatem a ſervo tuo*. Tirinus hic explicat *miſericordiam, & veritatem* per *verum beneficium*: Benedictus Dominus, qui veram, & ſolidam tribuere voluit voluptatem; & verum beneficium Domino meo. Fagius ejuſdem eſt ſententiæ, ſcilicet quod *facere miſericordiam, & veritatem* hic ſimpliciter ſignificet, verum præſtare beneficium. Vide etiam ℣. 49. & capite 47. ℣. 29.

℣. 28. Cucurrit puella, et nuntiavit omnia in domum matris ſuæ.] In oriente toto, hodie etiam, mulieres ſedes habent prorſus ab hominibus ſejunctas, quo nemo advena poſſit accedere.

℣. 29. Habebat Rebecca fratrem nomine Laban.] Non liquet ſatis ex hoc capite, utrum Bathuel Rebeccæ pater adhuc in vivis degeret. Præteritur in omni hoc negotio, in quo illius potior debuiſſet eſſe pars; ad Laban enim veluti patrem familias oratio convertitur. Joſephus l. 1. antiq. c. 14. aſſerit Bathuelem Rebeccæ patrem antea jam obiiſſe, & Laban veluti tutorem fuiſſe. Videtur tamen Scriptura palam hic ℣. 50. nomen Bathuelis cum nomine Laban conjungens, qui uterque concedunt Rebeccam Eliezero, de eodem Bathuele loqui, cujus antea mentionem fecit, veluti Rebeccæ patris: ſed hæc ratio, quamquam veriſimilis videatur, adverſatur nihilominus narrationi, quæ ſequitur, ubi Bathuel, & Laban repræſentantur tantummodo veluti Rebeccæ fratres: exempli gratia verſiculo 55. legitur, quod fratres, & mater Rebeccæ reſponderunt Eliezero, quod puella maneret ſaltem decem dies apud illos; & verſiculo 60. fratres Rebeccæ precati ſunt proſpera ſorori ſuæ, quin de Patre ne verbum quidem proferatur; ſed non agnoſcuntur alii Rebeccæ fratres, niſi Bathuel, & Laban.

℣. 32. Introduxit eum in hoſpitium ...... et dedit aquam ad lavandos pedes ejus.] Legebatur olim in Vulgata, & Camelis lotos pedes fuiſſe. Gloſſa ordinaria, Toſtatus Eugubinus, Cajetanus, Lippomanus, Emanuel Sa, Editio Roberti Stephani &c. ita legerunt; ſed hoc caſtigatum fuit in melioribus Latinarum Bibliarum editionibus. Pro hac voce *hoſpitium* Hebraice habetur *in domum*. ויבא האיש הביתה.

℣. 33. Non comedam donec loquar ſermones meos.] Heroicis temporibus hoſpites ſere non dicebant, qui eſſent, nec unde venirent, niſi poſt cœnam; & ſæpius tres, quatuor, aut decem dies præteribant, antequam exquirerentur. Vide Odyſſ. A, & Γ, & Δ, & paſſim: ſed Eliezer declarat hic, ſe minime comeſturum, niſi reſponſio-

A nem accepiſſet de ea re, quæ itineris ſui cauſa fuerat.

℣. 36. Dedit illi omnia quæ habuerat.] Hæredem ſuum ex aſſe ſcripſit. Legimus capite 25. 6. contuliſſe Abraham viventem adhuc munera filiis, quos ex aliis uxoribus exceperat; ſed voluit, quod Iſaac ex hæreditate poſſideret, quidquid ille poſt mortem ſuam liquiſſet. Alios filios a ſucceſſione excludit juxta leges, ac illorum temporum mores, qui nullum jus tribuebant filiis, qui ex ſecundariis uxoribus orti fuiſſent, quo in parentum bona ſuccederent ſine matris familias conſenſu.

℣. 41. Innocens eris a maledictione mea.] Hebraice *a juramento meo*. Non teneberis adhuc juramento, quod exegi abs te. Vide ℣. 8.

℣. 44. Septuaginta addunt ad hujus verſiculi calcem ea quæ ſequuntur: *Atque hinc agnoſcam, quod*
B *feceris miſericordiam Domino meo Abraham*.

℣. 49. Ut vadam ad dexteram, ſive ſiniſtram.] Hæc verba adagialem loquendi continent rationem huic æquipollentem; ut aliud conſilium ineam, & alio quæſiturus me vertam. Lyranus, & Grotius explicant tamen, perinde ac ſi diceret; niſi mihi concedere vultis Rebeccam, quæſo ne me celetis, ut vadam ad dexteram ad filios Iſmael, aut ad ſiniſtram ad filios Loth. Vide caput 13. 9. Poterat quoque ire ad alios Nachor filios, qui erant in Meſopotamia. Sed prima explicatio ſimplicior eſt, magiſque naturalis; Abraham enim non illi integrum reliquerat, ut Iſaac uxorem quæreret apud Iſmaelitas, neque apud filios Loth; ſuppoſito, quoque quod ipſis nubiles eſſent filiæ; quoniam Am-
C mon, & Moab ſub idem fere tempus orti ſunt, ac Iſaac.

℣. 51. En Rebecca coram te eſt.] Laban, & Bathuel illius fratres juxta pleroſque interpretes, vel Bathuel illius pater, & Laban frater illius hic loquuntur, ut placet D. Chryſoſtomo hom. 48. in Geneſ. Vide ℣. 29. *En Rebecca eſt coram te*. Nos tibi eam concedimus; ipſa tibi eſt; vel potius Domino tuo Iſaac [2].

℣. 53. Prolatis vaſis .... dedit ea Rebeccæ pro munere.] Nomine *vaſorum* generaliter intelliguntur ſupellectiles, gemmæ, aliaque munera, quæ Eliezer obtulit Rebeccæ. Hæc munera erant pro dote Rebeccæ ſecundum regionis conſuetudinem; vel arrhæ quædam erant, & futuri conjugii pignora.

D ℣. 54. Inito convivio veſcentes pariter &c.] Hebraice habetur: *Manducaverunt, & biberunt ipſe, & qui venerant cum eo, & tranſegerunt noctem*. Author Vulgatæ jure hanc vocem appoſuit, *pariter*; quoniam textus ad litteram ſignificare videretur, Eliezer, & qui venerant cum, illo ſolum iniiſſe convivium, quod longius a quacumque veri ſpecie abſforet.

℣. 55. Maneat puella ſaltem decem dies apud nos.] Hebraicus textus ad litteram: *Maneat aliquot dies, vel decem*. Septuaginta vertunt Ἡμέρας ὡσεὶ δέκα: *circiter dies*. Onkelos: Aliquandiu, vel decem menſes. Jonathan filius Uzielis, *annum, aut decem menſes*. Concedebantur menſes decem, aut annus filiis, quæ in connubium erant deſponſæ, ante ipſarum nuptias, ut
E ſe ſe præpararent, ſi fides eſt Rabbinis apud Seldenum de jure naturæ, & Gentium l. 5. c. 5. Textus Samaritanus habet menſem unum pro decem. Sed hæc palam vel menda eſt, vel librarii correctio.

Reperitur aliquando in Scriptura nomen dierum, quod abſolute uſurpatur, ut annus ſignificetur, veluti Levitico 25. 29. & Amos 4. 4. & apud profanos quoque Scriptores *dies* ſæpius annum indicant; verum iſtic non credimus, *dies* ſignificare annum, nec *decem*, decem menſes. Qui enim probabile videri queat decem menſes, aut dilationis annum peti ex eo, qui craſtina die reverti deſiderat? Quibus

1 Διαθήκην, pro Δικαιοσύνην.

2 Gen. 13. 9. *Terra coram te eſt*. Gen. 20. 15. *Terra coram vobis eſt*. Cant. 8. 10. *Ex quo facta ſum coram eo quaſi pacem reperiens*. Et 8. 12. *Vinea mea coram me eſt*. Eccli. 39. 24. *Opera univerſæ carnis coram eo*.

bus autem argumentis inniti poteſt hæc allata veterum Hebræorum conſuetudo tribuendi menſes decem aut annum puellis, ut ſe ad conjugium diſponant? Longius veriſimile eſt, dies ſignificare hebdomadam, & *decem*, decem dies; perinde ac ſi diceretur, maneat nobiſcum octo dies, vel dies decem. Nuptiarum tempus fere ſemper erat hebdomada, uti videbimus Geneſ. 29. Jud. 14. Prior, & vetuſtiſſima dierum diviſio fuit in hebdomadas; & videtur hic numerus decem major eſſe ex duobus numeris, qui Eliezero proponuntur.

℣. 57. QUÆRAMUS ILLIUS VOLUNTATEM.] Hebraice ad literam: *Interrogemus os illius*. Nec Rebecca, nec aliæ domus mulieres convivio intererant; ſeorſim comedebant in cubiculis ſuis juxta Orientalium conſuetudinem. In atrium ipſa accerſitur, & ex ea quæritur, numquid vellet quamprimum abire; non autem, utrum vellet Iſaac nubere, nec ne; huic enim conjugio antea aſſenſum præbuerat.

℣. 59. NUTRICEM ILLIUS.] Septuaginta vertunt [1]: *Omnia bona illius*. Vox Hebraica ſenſum hunc gignere poteſt legendo patum aliter ab eo, quod eſt in textu pro מֵנִקְתָּה *Menikthah Nutricem*, מקנתה *Miknathah bona*. Rebeccæ nutrix *Debora* appellabatur Geneſ. 35. 8. & præter hanc nutricem aliæ puellæ ipſi traditæ ſunt, quæ illi inſervirent.

℣. 60. PORTAS INIMICORUM.] Plerique portas intelligunt urbes; vide caput 22. 17. Ita explicant Septuaginta, Chaldaica verſio, & Arabica; ſed Syriaca intelligit de regionibus, aut de terris; explicari etiam poſſet de domibus. Atque in hoc ſenſu Mela lib. 1. explicat, quod ait Homerus de centum portis Thebarum, ſcilicet, de centum ædibus totidem Principum: *Thebæ, ut Homero dictum eſt, centum portas, ſive, ut alii aiunt, centum aulas habent, totidem olim Principum domos*. Rebeccæ fratres vota concipiunt, ut illius poſteritas hoſtibus ſuis uſquequaque præſtet, atque de ipſis ſumat ultionem.

℣. 62. EO AUTEM TEMPORE DEAMBULABAT ISAAC PER VIAM, QUÆ DUCIT AD PUTEUM, CUJUS NOMEN EST VIVENTIS, ET VIDENTIS.] Hebraicus textus ſimplicius habet, ויצחק בא מבוא באר לחי ראי; *Iſaac procedebat ad puteum, cui nomen Lachai-roi*; videlicet, puteum prope quem Agar viſum viderat, quod refertur capite 16. 13., ubi illa ait, ſe vidiſſe apud illum videntem ſe; Puteus hic videntis non longe aberat a Berſabee. Iſaac, dum abfuit Eliezer huc profecto egerat armenta; & tunc Berſabee pervenerat, cum ad illum Eliezer Rebeccam deduxit. Septuaginta [2]: *Iſaac ambulabat in Deſerto prope puteum viſionis, & immorabatur in Regione ad Meridiem*. Samaritana Verſio habet בא pro בא מבוא: *Iſaac ibat in Deſertum Beer-la-chai-roi*; ſcilicet in Deſertum viventis, ac videntis.

℣. 63. EGRESSUS FUERAT AD MEDITANDUM.] Chaldaica lectio, quam magna Interpretum copia amplectuntur, credit ipſum egreſſum fuiſſe de tabernaculo ſuo, ut meditaretur, atque oraret attentius in agro. Septuaginta [3]: *Egreſſus fuerat, ut meditaretur*, ut ſe exerceret, ut contemplaretur, ut ſe recrearet. Verum apud Septuaginta vox illa ſerius aliquid innuit, atque in bonam partem explicatur de piis internis, externiſque precibus. Aquila vertit, Ὁμιλῆσαι, *Egreſſus fuerat, ut familiariter ſe recrearet*; Symmachus Λαλῆσαι, *ut loqueretur*. Abenezra: *Egreſſus fuerat inter ſepes*, in agrum; יצא לשוח בשדה, at videtur legiſſe שיק pro שות. Hebraicus textus, qui in noſtris Bibliis extat, explicationem hanc pati nequit; verum Vulgatæ eſt conformis.

℣. 65. TOLLENS CITO PALLIUM OPERUIT SE.] Hebraica vox צָעִיף *Zaiph* a Septuaginta vertitur Θέριστρον *Theriſtron*, hoc eſt ad literam, pallium contra ſolem, quo æſtate utebantur. Sanctus Hieronymus in cap. 3. Iſai. & in Quæſt. Heb. ait, hoc lacernæ fuiſſe ſpeciem, qua in Arabia mulieres utebantur, atque caput, corpuſque totum obnubebant. In Oriente mulieres nunquam prodeunt, niſi hoc pallii genere obductæ. Mulieres Arabes ad hanc quoque diem, ut refert Thevenot Itin. l. 1. c. 32. p. 2. pallio faciem obtegunt, quod oculos tantum non tegit. Tertullianus l. de velandis Virg. c. 11. & 17. teſtatur aliàs illis alterutrum modo oculorum detectum fuiſſe, cum alter minimum poſſet intueri: *Judicabunt vos Arabiæ feminæ Ethnicæ, quæ non caput, ſed faciem quoque ita tegunt, ut uno oculo liberato, contentæ ſint dimidiam frui lucem, quam totam faciem proſtituere*. Mahometes in Alcorano Azoar. 34. non patitur, mulieres non niſi obvelatas prodire. Velum hoc ante oculos aperitur, ut notat Bellonius l. 2. c. 35. obſervat; verum hiatus ille equinis ſetis ita obtexitur, ut videre poſſint, nec videantur. Penelopes apud Homerum Odyſſ. Σ. nonniſi pallio obducta prodibat.

℣. 67. IN TANTUM DILEXIT EAM, UT DOLOREM, QUI EX MORTE MATRIS EJUS ACCIDERAT, TEMPERARET.] Hebraice: *Ipſe eam dilexit, & dolorem ob matris ſuæ mortem temperavit*. Triennium circiter a Saræ obitu abierat. Rebecca, quam Abraham Iſaac filio ſuo tradit uxorem, denotat Gentilitatem, quam Dei filius elegit, ut Eccleſiam ſuam conſtitueret. Iſaac non ipſe Rebeccam quæſiturus perrexit: quemadmodum Chriſtus Ieſus non prædicavit Gentilibus; ſed eo famulos ſuos, & Apoſtolos miſit; atque illuc eos legavit omnibus bonis ſuis refertos, ſua doctrina inſtitutos, imbutos ſuo ſpiritu, atque ſua inſtructos authoritate.

---

1 70. Τὰ ὑπάρχοντα αὐτῆς. Aq. τὴν τιθηνοῦσαν αὐτήν. Sym. τὴν τροφὸν αὐτῆς.
2 Ἰσαὰκ δὲ ἐπορεύετο διὰ τῆς ἐρήμου κατὰ τὸ φρέαρ τῆς ὁράσεως.
3 70. Ἐξῆλθεν ἀδολεσχῆσαι.

CA-

CAPUT XXV.

Abraham uxorem accipit Cethuram; numerus liberorum, qui ex hoc matrimonio nati ſunt. Iſmaelis poſteritas; ejuſdem mors. Ortus Jacobi & Eſau. Hic jus primogenituræ vendit Jacobo.

1 ABraham vero aliam duxit uxorem nomine Cethuram: 2 Quæ peperit ei Zam-
ran, & Jeſcan, & Madan, & Madian, & Jesboc. & Sue. 3 Jeſcan quo-
que genuit Saba, & Dadan. Filii Dadan fuerunt, Aſſurim, & Latuſim,
& Loomim. 4 At vero ex Madian ortus eſt Epha, & Opher, & Henoch, & A-
bida, & Eldaa; omnes hi filii Cethuræ: 5 Deditque Abraham cuncta, quę poſſe-
derat, Iſaac: 6 Filiis autem concubinarum largitus eſt munera, & ſeparavit eos ab
Iſaac filio ſuo, dum adhuc ipſe viveret, ad plagam orientalem. 7 Fuerunt autem
dies vitæ Abrahæ, centum ſeptuaginra quinque anni. 8 Et deficiens mortuus eſt
in ſenectute bona, provectæque ætatis, & plenus dierum; congregatuſque eſt ad po-
pulum ſuum, 9 Et ſepelierunt eum Iſaac, & Iſmael filii ſui in ſpelunca duplici, quæ
ſita eſt in agro Ephron filii Seor Hethæi, e regione Mambre, 10 Quem emerat a
filiis Heth: ibi ſepultus eſt ipſe, & Sara uxor ejus, 11 Et poſt obitum illius bene-
dixit Deus Iſaac filio ejus, qui habitabat juxta puteum nomine Viventis, & viden-
tis. 12 Hæ ſunt generationes Iſmael filii Abrahæ, quem peperit ei Agar Ægyptia,
famula Saræ: 13 Et hæc nomina filiorum ejus in vocabulis, & generationibus ſuis.
Primogenitus Iſmaelis Nabaioth, deinde Cedar, & Adbeel, & Mabſam, 14 Maſma
quoque, & Duma, & Maſſa, 15 Hadar, & Thema, & Ietur, & Naphis, & Ced-
ma. 16 Iſti ſunt filii Iſmaelis; & hæc nomina per caſtella, & oppida eorum, duodecim
principes tribuum ſuarum. 17 Et facti ſunt anni vitæ Iſmaelis centum triginta ſeptem,
deficienſque mortuus eſt, & appoſitus ad populum ſuum. 18 Habitavit autem ab He-
vila uſque Sur, quæ reſpicit Ægyptum introeuntibus Aſſyrios; coram cunctis fratri-
bus ſuis obiit. 19 Hæ quoque ſunt generationes Iſaac filii Abraham: Abraham ge-
nuit Iſaac: 20 Qui cum quadraginta eſſet annorum, duxit uxorem Rebeccam filiam Ba-
thuelis Syri de Meſopotamia, ſororem Laban. 21 Deprecatuſque eſt Iſaac Dominum
pro uxore ſua, eo quod eſſet ſterilis, qui exaudivit eum, & dedit conceptum Rebec-
cæ. 22 Sed collidebantur in utero ejus parvuli; quæ ait; Si ſic mihi futurum erat,
quid neceſſe fuit concipere? Perrexitque ut conſuleret Dominum, 23 Qui reſpon-
dens, ait; Duæ gentes ſunt in utero tuo, & duo populi ex ventre tuo dividen-
tur, populuſque populum ſuperabit, & major ſerviet minori. 24 Jam tempus parien-
di advenerat, & ecce gemini in utero ejus reperti ſunt. 25 Qui prior egreſſus eſt,
rufus erat, & totus in morem pellis hiſpidus: vocatumque eſt nomen ejus Eſau, Pro-
tinus alter egrediens, plantam fratris tenebat manu; & idcirco appellavit eum Jacob.
26 Sexagenarius erat Iſaac, quando nati ſunt ei parvuli, 27 Quibus adultis, factus
eſt Eſau vir gnarus venandi, & homo agricola: Jacob autem vir ſimplex habitabat in
tabernaculis. 28 Iſaac amabat Eſau, eo quod de venationibus illius veſceretur; &
Rebecca diligebat Jacob. 29 Coxit autem Jacob pulmentum, ad quem cum veniſſet
Eſau de agro laſſus, 30 Ait: Da mihi de coctione hac rufa, quia oppido laſſus ſum.
Quam ob cauſam vocatum eſt nomen ejus Edom. 31 Cui dixit Jacob: Vende mihi
primogenita tua. 32 Ille reſpondit: En morior, quid mihi proderunt primogenita?
33 Ait Jacob: Jura ergo mihi. Juravit ei Eſau, & vendidit primogenita. 34 Et ſic
accepto pane, & lentis edulio, comedit, & bibit, & abiit, parvipendens quod pri-
mogenita vendidiſſet.

℣. 1. ABRAHAM VERO ALIAM DUXIT UXOREM NOMINE CETHURAM.] Unde eſſet Cethura, plane neſcitur. Paraphraſtes Chaldæi, & Rabbini eamdem eſſe exiſtimant, atque Agar, quam denuo Abraham A accepit, ut ipſi ajunt, poſt Saræ mortem. Sed Scriptura has duas fœminas aperte diſtinguit. Alii volunt eam fuiſſe Chananæam. Novum omnino videbatur, Abraham centum, & quadraginta annos natum uxorem duxiſſe, eamque Chananæam; Abraham, in-

inquam, qui veritus adeo fuerat ne Iſaac hujuſmodi contraheret matrimonia. Si ante acta vivendi ratio hunc Patriarcham ab omni incontinentiæ ſuſpicione non liberaret [1], exiſtimari fortaſſe poſſet; illum aliquid humani paſſum eſſe, cum Cethuram duxit. At ſuſpicio hæc de viro tanto jure haberi non poteſt; quod ſi tertiam fœminam ducit, id procul dubio facit [2] procreandorum liberorum cauſa, qui deſervire poſſent ad veræ religionis augmentum, & implementum promiſſorum Dei, qui tam amplam poſterorum multitudinem ipſi ſpoponderat.

Aliqua ſuboritur difficultas ſuper Abrahæ ætate; neque ſatis intelligitur, quomodo tam magnum filiorum numerum ille ſuſcipere potuerit poſt centum, & quadraginta ætatis annos, uſque ad mortem ſuam, quæ triginta, & quinque poſt annis contigit. Sed reſpondet D. Auguſtinus [3] divino fortaſſe miraculo factum eſſe, ut munus fœcunditatis in ipſo ad illam uſque ætatem porſeveraret; aut Moyſem conjugium Abrahæ cum Cethura hic extra locum ſuum retuliſſe & longa antea illud accidiſſe. Poſſet verti hebraicus textus per pluſquam perfectum: *Abraham duxerat aliam fœminam*. Senſus hic confirmari ea eo poteſt, quod Cethura appellatur Abrahæ concubina 1. Paralip. [4] & hic paulo inferius ſermo eſt de concubinis Abrahæ, plurali numero, quaſi Abraham eodem tempore cum Agar, & Cethura vixerit, aut potius quaſi Cethuram duxerit; poſtquam dimiſit Agar, eamque eodem loco habuerit, quo Agar vivente Sara.

℣. 2. QUÆ PEPERIT EI ZAMRAM.] Joſephus Antiq. lib. 1. c. 15. quem ſequitur S. Hieronymus in quæſt. hebr. exiſtimat Cethuræ filios habitaſſe in Arabia Felici, quæ jacet ad mare rubrum, & in regione Troglodytica. *Occupaverunt Troglodyticam regionem, & Arabiæ Felicis; quidquid ad mare rubrum pertinet*. Apud antiquos Geographos invenire licet aliqua eorum nominum veſtigia; exempli cauſa regio Zadram in Arabia Felici a Stephano [5], & Urbs Zabram ad mare rubrum ſita a Ptolomæo nominantur. Sed potior filiorum Cethuræ pars Arabiam deſertam incoluit; & liberi Zamram; qui fuit Cethuræ filius, putantur ii eſſe, quos Jerem. c. 25. v. 25. ſub nomine *Regum Zambri* deſignat. Plinius l. 6. c. 28. Arabiam deſertam verſus ponit *Zamarenos*; quos eſſe veros Zamram poſteros exiſtimo. Joſephus Antiq. lib. 13. cap. 23. urbem Zaram numerat inter illas, quas Macchabæi Moabitis abſtulerunt.

JESCAN.] Bochartus Phal. l. 2. c. 15. multum inſudavit, ut oſtenderet Jectan, ſeu Kahtan [6] Arabum patrem eſſe; id probat teſtimonio Arabum quorundam auctorum, Joſephi ſcilicet Benabdillatif, Muhameti filii Jacob Siraitæ, & Arabicæ paraphraſeos, quæ habet Kahtan pro Iectan; ſed vult hunc eſſe Iectam filium Heberi, non autem Iectan filium Cethuræ, de quo loquuntur allati auctores. Nos contra putamus id totum intelligendum eſſe de hoc ultimo Jecſan, & de hoc loquutum fuiſſe primum inter citatos ſcriptores; alterum autem auctorem deceptum eſſe, dum id explicavit de Jectan filio Heberi. Moyſes aperte declarat, ubi vixerit uterque horum duorum Jectan. Heberi filius incoluit regiones, quæ ſunt intra montem Meſa, & montem Sephar ad Orientem Gen. c. 10. ℣. 30. quod Arabiæ Felici convenire non poteſt. Alter Jectan, ſeu Jecſan habitavit ad Orientem terræ Chanaan, & Berſabee, ubi morabatur Abraham; quod hic v. 6. innuitur. Sed ſententiam hanc noſtram nullo meliori modo probare poſſumus, quam ſi oſtendamus ſupereſſe in Arabia Petræa, & deſerta veſtigia quædam nominum filiorum Cethuræ. Et ut incipiamus a Jecſan, qui conſpicuæ Tribus caput fuit, nos putamus illum in Arabia Deſerta ſedem habuiſſe, ibique nomen ſuum Catanæis reliquiſſe.

MADAN, ET MADIAN.] Eam Arabiæ Petrææ partem incoluerunt, ut veroſimile eſt, quæ ſita prope regionem Moabitarum jacet ad Orientem maris mortui. Idem ſentit etiam D. Hieronymus in locis Hebr. Affirmat ipſe regionem hanc appellari etiam Madianitidem, ejuſque populos Madianæos, quorum urbs præcipua poſita prope urbem Ar, ſeu Areopolin ad Arnnon, ejus ætate diruta erat. Ptolomæus in hac parte collocat Madianitas.

Hæc regio Madian plurimum differt ab alia Provincia ejuſdem nominis, ſita ad plagam Orientalem maris rubri, quam probabile eſt incoluiſſe aliquem ex poſteris Chus; ſiquidem Sephora Moyſis uxor in eadem regione nata appellata fuit Cuſitis Num. 12. 1. In hanc provinciam Madian ſeceſſit Moyſes, ut Pharaonis iram fugeret, Exod. 2. 15.

JESBOC.] Torrens Jaboc, qui e montibus Galaad oritur, & in mare Tiberiadis influit; nomen fortaſſe accepit a Ieſboc filio Abrahæ. Jacet ille ad orientem terræ Chanaan Madianitarum regioni valde vicinus.

SUE [7].] Saccæni Batanææ proximi ſunt, ad extremam partem Arabiæ deſertæ, qua vergit ad Syriam. Adrichomius notat in hac regione urbem nomine *Suchbam* Jordani valde proximam. In tabulis Ptolomæi invenitur urbs Soaca in regione Darres terræ Madian contigua. Ex Sue poſteris erat Baldad Suhites unus ex amicis Jobi; Job 11. 11. Plinius l. 6. c. 28. in hac parte *Sucllenos* ſtatuit.

℣. 3. SABA.] Plures ſunt in Scriptura hoc nomine *Saba* appellati. Nos credimus eos, de quibus hic mentio fit, Nabathenis, & Syriæ eſſe propinquos, populoſque hujus nominis primos, qui a parte Arabiæ Felicis ſeſe offerunt. Exiſtimat valde probabiliter Bochartus eos, qui greges Job deprædati ſunt, fuiſſe poſteros hujus Sabæ, qui non longe proinde diſtare debebant a terra Hus.

DADAM.] Iſaias 21. 13. & Jeremias 25. 13. mentionem faciunt de urbe quadam Idumææ nomine *Dedan*, & de populis hujus urbis Dedanim dictis. Ezechiel etiam 25. 13. & 27. 15. verba facit de mercatoribus *Dedan*, qui negotiabantur cum Tyriis. Bochartus vult Prophetam loqui de Dedan filio Rhegma; ejuſque poſteros locat ad fretum Perſicum. Vide quæ dicta ſunt de hoc *Dedan* filio Rhegma Gen. 10. 7. Neque minori jure poteſt id explicari de Dedan filio Iecſan. Loquitur Plinius de urbe *Badanatha*, in Arabia deſerta.

ASSURIM, ET LATHUSIM, ET LOOMIM.] Onkelos vertit: Filii Dedan morati ſunt in agris, in tentoriis, in inſulis. Et Ionathan: *Ipſi fuerunt mercatores, negotiatores, & capita populorum*. D. Hieronymus in quæſt. Hebr. aſſerit nonnullos vertiſſe *Aſſurim* Mercatores, *Lathuſim* fabros ferrarios, *Loomim* autem Principes plurium Tribuum; aliosque voluiſſe Syros originem ſuam duxiſſe ab *Aſſurim*. Hic v. 18. invenimus Aſſyrios, *Aſſurim*, ſitos Euphratem verſus, qui alii eſſe videntur a poſteris Aſſur filii Sem. Gen. 10. 22. *Loomim* iidem fortaſſe ſunt, ac *Omani* a Plinio recenſiti, quorum regio a Petra uſque ad Characem producebatur. Petra erat Caput Arabiæ Petrææ, & Charax jacet ad Euphratem.

[1] Aug. *Abſit ut incontinentiam ſuſpicemur, præſertim in illa jam ætate, & in illa fidei Sanctitate*: lib. 16. de Civ. c. 34. Vide & Origen. Hom. 11. in Geneſ.

[2] Vide Auguſt. quæſt. 70. in Geneſ.

[3] Lib. 3. contra Julian. *Quamvis tamen dici poſſet munus fœcunditatis conceſſum a Deo, in eo perſeveraſſe* &c.

[4] 1. Paralip. 1. 32. פלגש.

[5] *Zadrame regio Cynædocolpitarum, gens eſt Felicis Arabiæ.*

[6] יקטן Kachtan.

[7] שוח *Sue*, vel *Suach*.

℣. 4. Epha.] Epha ſimul cum Madian legimus Iſajæ *60. 6.* quod argumento eſt eorum regiones proximas inter ſe fuiſſe. Bochartus notat Ptolomæum mentionem facere de moure, & regione quadam nomine *Hippos* in Madianitide, quod ab Epha oriri facile poſſet.

Opher.] D. Hieronymus in quæſt. Heb. affert Alexandrum Polyſthorem, & Cleodemum, qui affirmant Opher, ſeu Apher Lybiam invaſiſſe, ejuſque potitum illi nomen Africæ indidiſſe; addit etiam eum in hoc bello ab Hercule ſocio ſuo fuiſſe adjutum. Nihil dubii eſt, quin in hac hiſtoria aliquid veri reperiatur. Iter Herculis in Africam ab omnibus antiquis adeo celebratum non ſinit nobis ſuſpicari id carere omni fundamento; ſed affirmari tamen poteſt iter hoc tantopere celebratum longo poſt Abrahæ mortem tempore fuiſſe ſuſceptum, cum jam valde aucta eſſet Apher poſteritas.

Probabile eſt, regionem, quam Opher habitavit, antequam in Africam mearet, eſſe aut Inſulam Urphe in mari rubro, quam Eupolemus apud Euſebium lib. 9. Præpar. credidit eſſe Ophir, quo claſſis Salomonis appellebat, aut urbem Orpha in Diarbech; aut Oropum Syriæ urbem e Stephano relatam; fortaſſe etiam *Oropi*, quæ ſedes fuit epiſcopalis ſub Metropolita Anazarbi; aut tandem *Orsba* in Aſſyria.

℣. 5. Dedit Abraham Isaac cuncta, quæ possederat. (6) Filiis autem concubinarum largitus est munera.] Abraham filiis ſuis reliquit quæcumque habebat, res mobiles, greges, ſervos, argentum, agros, & præſertim jus, quod propter divina promiſſa acquiſierat in univerſam terram Chanaan. Liberis autem, quos ſuſceperat ex Agar, & Cethura, nonnulla e ſua ſupellectile elargitus eſt, prout melius convenire judicavit.

Hæ duæ feminæ concubinæ appellantur, ideſt uxores ſecundi ordinis; ſubdebantur illæ matrifamilias, & primæ conjugi tanquam Dominæ ſuæ. Cum hujuſmodi fœminis contrahebantur conjugia, ut aſſerunt Judæi, ſine ſcripto, ſine dote, ſine ullis ſolemnitatibus. Liberi, qui ex his matrimoniis naſcebantur, patri ſuccedere non poterant, niſi matre, ſeu domina familiæ conſentiente. Hinc factum eſt, ut Lia, & Rachele Jacobi uxoribus conſentientibus filii ancillarum in eandem hæreditatis partem venirent cum filiis Matrumfamilias. Apud Hebræos liberi matris conditionem ſequuntur. Qui oriuntur e concubinis patri non ſuccedunt. Vide apud Ariſtophanem in Avibus pag. 616. edit. Genev. an. 1607., ejuſque Scholiaſtas legem Solonis filios naturales a paterna ſucceſſione excludentis, ſi adſint liberi legitimi; ubi etiam intelligitur potuiſſe patres uſque ad mille Drachmas filiis naturalibus veluti munus quoddam relinquere.

Separavit eos ab Isaac .... dum adhuc ipse viveret ad plagam Orientalem.] Hoc per anticipationem eſt dictum. Abraham miſit liberos ſuos e Cethura, & Agar natos in Arabiam deſertam, quæ jacet ad partem Orientalem Berſabee; ubi ultimos vitæ ſuæ annos tranſegit. D. Hieronymus, Joſephum ſequutus, vult eos poſſediſſe Troglodytidem: quod intelligi poteſt de quibuſdam Arabibus, qui vitam ducebant in cavernis ad Orientem maris rubri; aut etiam de Troglodytis, qui partem adverſam ejuſdem maris habitabant. Quidquid de hoc ſit, cum regio hæc ad orientem Palæſtinæ non jaceat, ſi quis contendat poſteros Abrahæ ibi ſedem habuiſſe, contingere profecto id non potuit, niſi poſt hujus Patriarchæ mortem: tunc enim eo colonias mittere potuerunt, quemadmodum in Arabiam Felicem, ubi extant aliqua eorum nominum veſtigia.

℣. 8. Deficiens mortuus est in senectute bona, provectæque ætatis, et plenus dierum.] Hebraicus textus habet: *Expiravit, & mortuus eſt &c.* quod denotat tranquillam mortem, ortam ex ſola virium diſſolutione, non autem ex longo, vehementique morbo qui præceſſerit. Textus addit *Satur dierum* [a]. Hebraicus autem omittit verbum, dierum; ſed habetur in textu Samaritano, & apud Septuaginta; Scriptura vero illud frequenter exprimit; quemadmodum Gen. 35. 29. & 1. Paral. 23. 1. Nonnulli ponunt *bonorum*, loco *dierum*: mortuus eſt plenus bonorum.

Congregatusque est ad populum suum.] Ad aliam vitam migravit conſociandus patribus ſuis; aut ſimplicius: congregatus eſt ad illos, mortuus eſt ſicut illi, ſequutus eſt illos ad mortem, & ad ſepulchrum. Ex hoc loco deſumitur argumentum ad probandam animorum immortalitatem. D. Auguſtinus q. 168. in Gen., Toſtatus, & alii per illa verba *populum ſuum* intellexerunt Angelos; alii autem antiquos juſtos, qui ante Abraham vixerunt.

Hic nos ſilentio omnino præterire non poſſumus tanti Patriarchæ laudes: neque aliunde, quam e ſacra Scriptura, & SS. Patribus hauriemus, quæ ad laudem illius faciunt. Maximis gratiæ donis præventus, fide, & divina quadam vi munitus, patriam reliquit, & externam regionem petiit, ubi & ſibi, & uxoris ſuæ pudori extreme imminere pericula ſtatim cognovit. Sed in tanto periculo, ex diſcrimine crevit mirum in modum ejus animus, & fides. Æque fortis, & pius, & minime lucri cupidus exercitum quatuor Regum victorum diſſipat, nepotem ſuum captivum liberat, fœderatorum ſpolia recuperat, Sacerdoti Altiſſimi decimam offert, quæ jure belli acquiſierat; unaque gloria contentus, & voluptate, quam ex juſte factis perceperat, nihil ſumere voluit ex rebus eorum, quos ſibi devinxeret, ne ipſorum quidem precibus expectatis.

Etſi vitæ ratio ab Abrahamo inſtituta, ſi vel extrinſecus eam intueamur, virum vere juſtum, fortem, & conſtantem nobis exhibeat, non tamen quod exterius apparebat, eum maxima laude efficiebat dignum. Ejus fides, ejuſque conſtantia, alacritas illa, atque obedientia, qua Dei juſſa exequebatur, id totum erat, quod ejus virtutem illuſtrabat, ejuſque facinora ſummopere commendabat. Deus amplam poſterorum multitudinem illi ſpondet, filiumque promittit, qui omnium nationum benedictionem referre debeat; & licet hæc impleri nequaquam poſſe viderentur, Abraham tamen ſine ulla dubitatione divinis promiſſis fidem præſtat, eaque certiſſime ſperat futura, quæ Dominus ſpoponderat. Illius fidem Deus remuneratur, eique filium concedit; ſed ut ejus virtutem denuo periclitetur. Filium ab ipſo petit, filium inquam, quem pater unice amabat, in quo ſpes ſuas omnes collocaverat. Jubet ſcilicet ſibi Iſaacum immolari. Obtemperat Abraham, ſeque ad prolem ſuam offerendam parat; fore certiſſime ſperans, ut quemadmodum Dei miraculo filium ſuſceperat, ſic divina virtute idem ſibi e mortuis revocatus reſtitueretur.

In Abrahami vita totam comprehenſam habemus natu-

a Lucretius optime expreſſit, quid hic indicat Scriptura per *Satur dierum*, in hoc verſu lib. 5.

Cur non ut plenus vitæ conviva recedis.

Et inferius.

Et nec opinanti mors ad caput aſtitit, ante
Quam ſatur ac plenus poſſis diſcedere rerum.

Et Stat. Sylv. l. 2.

-- Dubio quem non in turbine rerum
Deprendet ſuprema dies; ſed abire paratum,
Et plenum vita.

Digitized by Google

naturalis legis, ſcriptæ, & Evangelicæ perfectionem. Virtutes omnes in ſe expreſſit, quarum ideam Philoſophia, & naturalis ratio vix efformare potuerunt, ut viri Sapientis vitam, & mores nobis exhiberent; & quod Abraham re ipſa complevit, nunquam votis ſuis concipere Philoſophi potuerunt. *Magnus plane vir*, inquit D. Ambroſius l. 1. de Abraham c. 2. *quem votis ſuis Philoſophia non potuit æquare; denique minus eſt, quod illa finxit, quam quod ille geſſit.* Cum Deus legem Moyſi dedit, in qua naturalia præcepta propoſuit, totam Abrahami vitam expreſſiſſe videtur, ut innuit D. Ambroſius ibidem c. 1. Sanctus hic Patriarcha licet nulli ſubditus legi, eſſentialia tamen legis præcepta implevit; ejus fides fuit ad juſtitiam imputata; & ab hoc vere fidelium, & filiorum promiſſionis parente, non ſolum veri Abrahæ liberi ſecundum ſpiritum profecti ſunt, ſed habuerunt etiam in ipſo præclariſſimum exemplar, quod ſibi ſumerent imitandum. Tandem finem ejus laudibus imponamus Eccleſiaſtici verba c. 44. v. 20. uſurpantes. *Non eſt inventus ſimilis illi in gloria, qui conſervavit legem Excelſi, & fuit in teſtamento cum illo. In carne ejus ſtare fecit teſtamentum, & in tentatione inventus eſt fidelis; ideo jurejurando dedit illi gloriam in gente ſua; creſcere illum quaſi terræ cumulum, & ut ſtellas exaltare nomen ejus, & hæreditare illos a mari uſque ad mare.*

Alibi jam diximus profanos quoque auctores non ſine laude de Abraham loqui; volunt etiam ipſum e Chaldæa in Ægyptum, & Phœniciam Aſtrologiæ, & Matheſeos cognitionem intuliſſe. Nonnulli ex auctoribus [1] Judæis, & Hæreticis contendunt ipſum quoſdam libros compoſuiſſe tanto viro plane indignos. Librum, exempli gratia, ipſi tribuunt, cui titulus *Jetzira*, ſeu de creatione, quem volunt Abrahamum exaraſſe adverſus Chaldæos Philoſophos, unus ne exiſteret tantum Deus, an plura darentur numina, contrariis ſententiis acriter diſputantes. Parce Motinus lib. 2. exercit. in Sacr. Script. exerc. 9. c. 8. aniles, ac pueriles fabulas, quibus hic liber abundat, patefecit. Nonnulli etiam ex Rabbinis, ut Abraham Zaccut, opus hoc Abrahamo indignum eſſe libenter concedunt. Antiqua quædam hæreticorum ſecta Sethianorum nomine nota (Vide Epiphanium in Panario) Librum Abrahamo adſcribit appellatum *Apocalypſis*; Origenes in Lucam hom. 35. de alio Abraham apocrypho libro loquitur, ubi duo angeli alter juſtitiæ, iniquitatis alter de Abraham ſalute, aut damnatione altercantur. Tandem in ſynopſi, quæ Divo Athanaſio tribuitur, extat nomen apocryphi cujuſdam libri, cui titulus, *Aſſumptio Abrahæ*.

Diſputatum eſt alibi, an Abraham, antequam exiret de Ur Chaldæorum, idolis immolaverit. Suidas vult ipſum linguam, & characteres Hebraicos inveniſſe. Iſidorus Hiſpalenſis characterum Syrorum, & Chaldæorum auctorem eumdem facit. Qui ignem tamquam numen colunt, quorum nonnulli adhuc in Oriente reperiuntur, putant, Abraham eumdem eſſe, ac Zoroaſtrum magnum eorum prophetam. Eidem adſcribunt tres, aut quatuor libros, in quibus ſingula eorum religionis capita leguntur. Gemara mentionem facit de quodam libro ab ipſo compoſito, in quo agitur de Idololatria. Ipſi etiam tribuuntur nonnulli Pſalmi, & aliquæ preces. Refertur etiam quoddam Abrahæ teſtamentum. Sed nimis longum, ac inutile eſt hos libros recenſere, quos tamquam apocryphos, & cognoſcunt omnes, & reſpuunt.

℣. 13. PRIMOGENITUS ISMAELIS NABAJOTH.] Nabathæos originem ducere a Nabajoth omnes Interpretes conſentiunt. Eorum Metropolis erat Petra; appellata quoque Nabathæa a Strabone; habitabant in Arabia Petræa, fineſque ſuos producebant Orientem verſus Arabiæ deſertæ. Scriptura, & antiqui Geographi de Nabathæis ſæpe verba faciunt. Eorum urbes nullis cingebantur muris; maximæ eorum divitiæ armenta erant. Divus Hieronymus in quæſtionib. Hebraicis affirmat, omnem regionem ab Euphrate uſque ad mare rubrum dictam fuiſſe Nabathæam, nomenque habuiſſe a Nabajoth.

CEDAR.] Pater fuit Cedarenorum, de quibus loquitur Plinius, hi ſedem habuerunt Nabathæis proximam. Sæpe accipitur Cedar pro univerſa Arabia deſerta. Poſteri Sedar ſunt e Saracenorum numero. In Meridionali Arabiæ Deſertæ plaga morantur, & ad Septemtrionem Arabiæ Petrææ, & Arabiæ Felicis. Nonnulli etiam ex his ad mare rubrum habitabant.

MABSAM.] Euſebius mentionem facit de quodam oppido, nomine *Mabſara* in Gabalene, Petram verſus.

℣. 14. MASMA QUOQUE, ET DUMA, ET MASSA.] Tria hæc verba juxta litteralem ſignificationem *audire*, *ſilere*, & *ſuſtinere* important. Aliquo modo idem ſonant, ac duo verba [2] *abſtine*, *ſuſtine*, in quibus Stoici Sapientis officium conſiſtere putabant; Hebræi tribus hiſce verbis tamquam proverbio utuntur, eumque ſenſum iis accommodant, quem ſuperius declaravimus: videlicet, *audire*, *ſilere*, & *ſuſtinere*.

DUMAH.] Apud Stephanum invenimus urbem *Dumatha*, & apud Ptolomæum ejuſdem nominis urbem in Arabia Deſerta. Iſaias cap. 21. adverſus Dumah vaticinatur. Plinius l. 6. cap. 28. verba facit de *Domada* ſita non longe ab Agra in Arabia Petræa.

MASSA.] Ptolomæus commemorat urbem nomine *Meſada* in Arabia Deſerta. Probabiliter eadem eſt, ac quæ *Meſa* nominatur in Notitia. Ptolomæus loquitur etiam de Meſanæis ejuſdem regionis incolis. Tandem adeſt ſinus Meſanites in eadem Arabiæ parte.

℣. 15. HADAR.] Textus Samaritanus habet hic *Hadad*, quemadmodum etiam Vulgata 1. Paralipom. 1. 30. Verſio item Arabica habet *Hadad*. Septuaginta vero *Choddam*, ſeu *Choldal*. In Palmyrene habetur urbs *Adada*, quæ æque diſtat ad Occidentem a Palmyra, ac ab Euphrate ad Orientem. Plinius collocat urbem quamdam *Aera* dictam in Arabia Deſerta.

THEMA.] Valde differt a *Theman*, ſeu Themanitis in Idumæa, de quibus loquuntur & Jeremias 49. 7. 20. & Amos 1. 11. 12. Urbs Theman nomen mutuata eſt a Theman filio Eſau; ſed regio *Thema*, de qua hic ſermo eſt, jacet in Arabia Deſerta. Job 6. 19. & Themæ, & Sabæ mentionem facit. Ptolomæus vero urbem *Temma*, ſeu *Thamma* in Arabia Deſerta ad Chaldæorum montes locat. Tandem Plinius lib. 6. cap. 28. meminit Thumaræ eadem in regione poſitæ. Notitia autem Imperii Orientalis meminit Thamatæ.

JETHUR.] Probabile eſt Ituræam a Jethur fuiſſe nuncupatam. Regio eſt anguſtis circumſcripta finibus trans Jordanem, quæ Arabiam Deſertam ad Orientem habet, & Jordanem ad Occidentem. Ituræi a profanis Scriptoribus celebrantur. Hujus terræ potita eſt dimidia pars Tribus Manaſſe.

NAPHIS.] Legitur etiam nomen hoc 1. Paralipomenon cap. 5. ℣. 19. ubi legimus *Nochi*, Nodab, & Ituræos auxilium præſtitiſſe Agarenis adverſus Iſraelitas, ex quo colligitur Naphin, & Nodab ſedem habuiſſe Ituræis proximam circa Damaſcum.

CEDMA.] Veriſimile eſt poſteros Cedmæ terram Cedemoth habitaſſe, de qua ſermo eſt Deuteronom. 2. 26.

℣. 16. ISTI SUNT FILII ISMAELIS, ET HÆC NOMINA PER CASTELLA, ET OPPIDA EORUM.] Textus He-

[1] Author Cozri, Gemara, Cod. Sanhedrim c. 7. R. Moſ. bar. Nachman &c.
[2] Ανέχου καὶ ἀπέχου.

Hebraicus [1] verti poteſt, *in eorum oppidis, & urbibus*. Urbes Arabum, de quibus loquimur, non ejuſdem generis ſunt, ac ceterorum populorum; quia plures domus fiæ e lapidibus, lateribus, ſeu lignis compactæ conſtituunt. Maxima eorum pars tentoriis utuntur, quæ figunt certo in loco, ubi plures non degunt, quam qui nativa ſoli ubertate una cum gregibus ſuis ali poſſint. Hoc enim apud eos pro lege eſt, quod Diodorus teſtatur l. 19. ut neque terram colant, aut plantent, aut ſerant, aut domos ædificent. Jeremias 49. 31. eos hunc in modum deſcribit: *Gens quieta, & habitans confidenter, non oſtia, non vectes ei, ſoli habitant*. Hinc, ſi quando in Scriptura legimus quaſdam hujus gentis urbes funditus everſas, populumque interfectum, quin ne unus quidem ſupereſſet: ac deinde paulo poſt iterum idem populus in medium prodeat, quem jam ad internecionem uſque cæſum putabamus, mirari non debemus. Hujus enim generis urbes rurſus ædificare facillimum eſt, ſicuti difficillimum prohibere, ne maxima hominum pars ſaluti ſuæ fuga conſulat.

Quod ad Caſtella attinet, nonnulla extabant in Arabia, editis in locis, & acceſſu inviis. Turres erant ad excubias præcipue agendas, eoque confugiendum, cum bellum immineret. Dicere tamen non poſſumus nullas in Arabia Petræa, nec in Arabia Deſerta fuiſſe urbes; paucæ tamen aderant.

Verbum Hebraicum *Tiroth*, quod hic vertitus *Caſtella*, Syriace ſignificat Ovile, & ſtabulum, quo oves clauduntur. Hoc in loco poteſt idem ſignificare.

Duodecim Principes Tribuum suarum.] Tota Arabum ab Iſmaele originem ducentium natio in duodecim Tribus diviſa fuit, quarum unaquæque Principem ſuum, ſeu Caput Tribus habebat, a prophanis Scriptoribus Phylarchum appellatum. Vide ſupra cap. 17. verſic. 20. Divus Hieronymus in quæſtion. Hebraicis ſcribit, Arabes ejus ævo varias Arabiæ partes appellaſſe nomine a Tribubus, quæ illas incolebant, mutuato; & adhuc hodie his populis eadem eſt regiminis ratio, ut narrat Thevenot l. 2. cap. 32. p. 5. Unaquæque Tribus ſuo capiti ſubeſt, Arabice *Scheich-Elkebir* dicto, hique ſubditus habent alios *Scheich*, qui familiis præſunt.

℣. 18. Habitavit ab Hevilah usque Sur, quæ respicit Ægyptum introeuntibus Assyrios.] Iſmaelis poſteri univerſam regionem occuparunt, quæ extenditur ab Oriente ad Occidentem ab Hevilah ad Euphratem, ubi Tigri conjungitur, ſupra Chaldæam proprie dictam uſque ad deſertum *Sur*, quod jacet ad Orientem Ægypti, atque porrigitur ad Iſthmum, qui mare rubrum a Mediterraneo disjungit.

Introeuntibus Assyrios.] Verba hæc referri poſſunt, aut ad *Ægyptum*, aut ad *Sur*, aut ad *Hevilah*. Deſertum Sur jacet in via, quam ex Ægypto in Aſſyriam abeuntes inibant. Arabiam Petræam, & regionem Hevilah prætereundo. Plinius l. 6. cap. 28. de Petra urbe Arabiæ principe diſſerens, quam a mari Mediterraneo, æque ac a Sinu Perſico diſtare vult, ait Petram locum eſſe, quo conveniunt a Gaza pergentes Phorat urbem ad Paſitigrim poſitam, & qui a Palmyra in Syriam contendunt. Ibi enim hæ duæ viæ concurrunt. Quæ hactenus diximus, conveniunt optime cum iis, quæ a Moyſe traduntur. Moyſis enim ætate iter erat ab Ægypto per deſertum Sur Petram petentibus, & a Petra per terram Hevilah ad Euphratem, tandem in Aſſyrios ad Tigrim. Exploratum non habeo, utrum *Aſſurim* hoc loco ſignificet potius *Aſſurim* Ceturæ poſteros, an Aſſyrios, qui ab Aſſur filio Sem deſcendunt.

Coram cunctis fratribus suis obiit.] Videlicet, inquit Divus Hieronymus in quæſt. Hebraicis, obiit medius inter cunctos liberos ſuos. Revera difficile admodum eſt Iſaac, omneſque Ceturæ filios Iſmaeli morienti adfuiſſe. Septuaginta, & Chaldæus vertunt: *Habitavit e regione fratrum ſuorum*. Iſmaelis filii ad Septemtrionem, & Occidentem habebant Iſaac poſteros, liberoſque Ceturæ ad Orientem. Relationem videtur locus hic habere ad ea, quæ leguntur cap. 16. 12. *Tabernacula figet e regione univerſorum fratrum ſuorum*. Videri poſſunt, quæ ad eum locum adnotavimus. Poteſt etiam ita verti Hebraicus textus [2]: (*ejus ſors*) *cecidit coram fratribus ſuis*: Ejus hæreditas fuit illorum regioni contermina. Aut aliter: (*ejus ſors*) *contigit illi ante omnes fratres ſuos*. Habuit ſedem firmam, & ſtabilem ante Iſaac, & Ceturæ filios. Tandem verti poteſt: *Mortuus eſt ante omnes fratres ſuos*. Erat primogenitus Abraham.

℣. 21. Deprecatus est pro uxore sua.] Hebraice ad litteram [3]: *Precatus eſt ad latus uxoris ſuæ*; coram illa, quaſi Iſaac, & Rebecca preces ſimul fudiſſent. Menochius, & Oleaſter vertunt: *Precatus eſt contra Rebeccæ ſterilitatem*. Deum oravit, ut fœcundam redderet Rebeccam. Eumdem ſenſum reddit Vulgata, & illum explicat magis proprie.

℣. 22. Collidebantur in utero ejus parvuli.] Septuaginta [4]: *Saliebant*. Aquila: *confringebantur*. Symmachus [5] *mutabant*, ſeu juxta alios, *luctabantur ſimul*. Chaldæus: *ſe premebant*. Syriaca verſio: *ſibi vim inferebant*. Videtur poſſe etiam intelligi Hebraicus textus ad litteram [6], veluti de duobus Athletis, qui ſe valide premunt inter luctandum.

Si sic futurum erat, quid necesse fuit concipere.] Septuaginta [7]: *Si id mihi contingere debebat, quid ille opus erat?* Cur optabam matrem fieri, ſi hæc pati debebam? Hebraicus [8] textus: *Si ita eſt, quo opus erat?* ſeu; *ſi ita eſt, quare ſum ego? Si tantum debebam perpeti dolorem, quid me juvat vivere, aut matrem eſſe*.

Perrexitque, ut consuleret Dominum.] Paraphraſtes Jonathan, & Hieroſolymitanus, quos maxima pars Rabbinorum ſequitur, volunt Rebeccam ad Semi ſcholam perrexiſſe, id eſt ad locum, quo hic Patriarcha homines pietatis, & religionis exercendæ cauſa in unum convenientes recipiebat. Alii exiſtimant Rebeccam adiiſſe Melchiſedechum, quem plurimi Judæorum eumdem faciunt cum Sem. Abenezra vult eam Abraham patruum ſuum adiiſſe, ut quid futurum eſſet de partu ſuo intelligeret, huncque Patriarcham ipſi vaticinatum, quid de ejus filiis eſſet eventurum. Maimonides, & alii nonnulli ipſam Heberum conſuluiſſe affirmant.

Petrus Comeſtor hiſtoriæ Scholaſticæ auctor narrat Rebeccam montem Moria aſcendiſſe, ibique immolaſſe victimas ſuper altare, quod Abraham Iſaac oblaturus extruxerat; cumque ſupra victimarum pelles, & folia lauri, & Agni Caſti recubuiſſet, Deum eidem inter dormiendum revelaſſe, quæ proxime leguntur. Theodoretus quæſt. 76. in Geneſim, Procopius, Diodorus, & plurimi recentiores ſectiores putant, Rebeccam non longius perrexiſſe, quam ad aram ab Abraham conſtructam in ſylva ejus tabernaculo proxima, ibique Deum conſuluiſſe, qui illi aut per ſomnium, aut per angelum patefecit, quid de duobus naſcituris ab ea filiis futurum eſſet.

℣. 23.

1 בחצריהם ובטירותם.
2 על פני כל אחיו נפל.
3 לנכח אשתו.
4 70, Ἐσκίρτων.
5 Sym. Διεπάλαιον, vel juxta alios, Διεπάλαισαν.
6 ויתרצצו de רוץ. *Currere*, ſeu potius a רצץ *allidere*.
7 70. Εἰ οὕτω μοι μέλλει, ἵνα τί μοι τοῦτο.
8 אם כן למה זה אנכי.

℣. 23. POPULUS POPULUM SUPERABIT, & MAJOR SERVIET MINORI.] Vaticinium hoc jam ſatis per ſe clarum eſt, impletumque fuit ſub regnis David, Salomonis [1], & Macchabæorum [2]. Siquidem Idumæi, qui principio & viribus, & numero Iſraelitis præſtabant, quique ante illos Reges habuerant, & ab Eſau, duorum fratrum primogenito originem ducebant, Idumæi, inquam, ſubditi facti ſunt minori, id eſt Iſraelitis. Notant Patres hanc ſubjectionem validioris fratris debiliori, primogeniti minori, vaticinium fuiſſe, quod reſpiciebat etiam ſynagogam Judæorum, & Jeſu Chriſti Eccleſiam, reprobos, & electos.

Judæi propter religionis, quam profitebantur, præſtantiam habiti ſunt, ut populus electus, primogenitus, dilectus, & Dei hæres; chriſtiana vero Eccleſia coaluit ex Gentibus Deo antea inviſis, qui cum initio nullum jus haberent ad Domini hæreditatem, tandem filii, & hæredes, ipſis etiam primogenitis excluſis, evaſerunt. Eccleſia ſub ortu ſuo infirma, vexata, coacta latebras, & receſſus quoſcumque quærere, quamdiu perſecutionum furor efferbuit, quemadmodum Jacob in Meſopotamiam fugit, ſynagogam majorem natu, Genteſque adeo viribus, & armis pollentes ſuperat. Idem electis contingit, qui ſunt exiguus grex, qui ignoti latent, ac ſæpe peſſimorum hominum, & reproborum injuriis petuntur, quibus tamen longe antecellunt, quoniam improbi, vel inviti, eorum, quos inſectantur, gloriæ inſerviunt, & felicitati. Hanc nobis ideam ante oculos ponit Divus Paulus, cum nobis exhibet Jacob, & Eſau; alterum quidem ut prædeſtinatorum, alterum autem ut reproborum exemplar. Vide Rom. 9. 11. 12. 13.

℣. 25. QUI PRIOR EGRESSUS EST, RUFUS ERAT, ET TOTUS IN MODUM PELLIS HISPIDUS: VOCATUMQUE EST NOMEN EJUS ESAU.] Hebraicus textus [3] habet: *Qui primus egreſſus eſt, totus rufus erat, ſicut pallium pilis coopertum*; aut, ſicut hiſpida veſtis, vel, ſicut veſtis villoſa. Hujuſmodi pelliceæ veſtes valde in uſu erant iis temporibus; neque unica tantum vice de iis ſermo eſt in Scriptura. Vulgata ſequuta eſt Septuaginta vertens: *Eſau pilis veſtitus erat, ſicut pellis*. Verſionem hanc comprobat id, quod legimus c. 27. v. 16. Rebeccam videlicet, ut pilos, quibus Eſau erat coopertus, imitaretur, nonnullas circum Jacobi collum, & manus pelles poſuiſſe.

Animadvertit Grotius poſt Ariſtotelem, & Phyſiognomiſtas corpus, quod pilis abundat, hominem fortem, & robuſtum deſignare. *Eſau* [4] juxta plurimorum Interpretum ſententiam, *perfectum* ſignificat; quoniam, inquiunt, natus eſt pilis coopertus, ſicut ætatis perfectæ vir. Alii [5] nomen hoc derivant ab Arabico *geſcha*, & *geſcheya*, quod cilicium notat. Quod ad nomen *Sehir* ſpectat, ad Geneſ. 14. 4. jam diximus Eſau illo non tanquam nomine proprio fuiſſe vocitatum; neque inde montes Sehir denominationem ſortitos. Eſau nunquam appellatus fuit Edom niſi poſt lentium eventum hoc in capite relatum. Proprium ejus nomen erat Eſau. *Jacob* deſcendit a radice, quæ ſupplantare ſignificat. Philo de migratione Abrah. pag. 419. hanc vocem reddit luctatorem, Athletam, qui adverſarium pedibus arreptum ad terram proſternit.

℣. 27 FACTUS EST ESAU VIR GNARUS VENANDI, ET HOMO AGRICOLA.] Eſau illud vitæ inſtitutum ſequutus eſt, ad quod natura pronum ſe ſentiebat; venationem itaque, & agriculturam exercuit. Interpretes hebraico textui adhærentes contendunt voces textus, quæ in vulgata *homo agricola* [6] redduntur, revera agricolam non ſignificare, ſed hominem agreſtem, & ſylvarum, ac ſolitudinis amatorem. Scriptura aliis plerumque utitur verbis, ut agricolam innuat.

JACOB AUTEM VIR SIMPLEX, HABITABAT IN TABERNACULIS.] Epithetum *ſimplex* in aliis linguis non idem ſonat, ac in noſtra Gallica. Hebraicum verbum *Tam* [7] ſignificat hominem perfectum, juſtum, maturum, vitæ irreprehenſibilis, & integræ. Apud latinos ſimplex aliquando ſignificat hominem apertum, liberum, ſincerum, qui quod ſentit libere profert. Horat. l. 1. Sat. 3.

.... At eſt truculentior, atque
Plus æquo liber; ſimplex, fortiſque habeatur.

Septuaginta [8] verterunt: *Jacob erat homo non fictus, qui ſub tentoriis habitabat*. Symmachus [9]: *hic erat vir inculpatus*, irreprehenſibilis. Onkelos: *hic erat vir integerrimus, qui domus doctrinæ miniſter erat*; videlicet, qui ſcholas frequentabat, quæ juxta Rabbinos ſub tabernaculis Melchiſedechi, & Heberi habebantur, ubi veri Dei cultus tradebatur. Sed quorſum hæc? Moyſes quietam, & pacatam Jacobi naturam in paterna domo degentis, & domeſtica curantis negotia, opponit fervido, & inconſtanti Eſau ingenio, ſtrepitus venationis, & laborioſa exercitia diligentis.

℣. 28. ISAAC AMABAT ESAU, EO QUOD DE VENATIONE ILLIUS VESCERETUR.] Erraſſet profecto non parum Iſaac, ſi hac una de cauſa Eſau Jacobo prætuliſſet. Probabile eſt Iſaacum cognoviſſe, aut certe exiſtimaſſe alias in Eſau eſſe dotes laude, & amore dignas, veluti obedientiam, & charitatem erga ſe, quarum rerum patri dederat experimenta, dum ad ipſum deferebat quæcumque inter venandum caperet. Fortaſſe etiam Iſaac externis tantum quibuſdam benevolentiæ ſignis Eſau Jacobo præferebat, paterno interim, ac vero amore erga hos duos filios æque integro permanente. Certe Jacobum minime ab Iſaaco fuiſſe dilectum nullibi legimus in Scriptura.

℣. 30. DA MIHI DE COCTIONE HAC RUFA, QUIA OPPIDO LASSUS SUM.] Hebraicus textus id explicat magis proprie [10]: *Fac ut edam* (ad litteram, *deglutiam*) *nunc de coctione hac rufa rufa, quoniam laſſus ſum*. Repetitio hæc *rufa rufa* denotat aut rem valde rufam, aut Eſau aviditatem. Ægyptiæ lentes ab Antiquis celebrantur. Vide Athenæum lib. 4. c. 14 15. D. Auguſtinus in Pſal. 46. ait lentes has in maxime diſſitas regiones fuiſſe identidem aſportatas; ceteris enim omnibus præcellebant.

℣. 31. VENDE MIHI PRIMOGENITA TUA.] Jus primogenituræ in hoc ſtabat, ut teſtantur Interpretes I. Primogenitus auctoritatem, & dominium quoddam in fratres ſuos exercebat: *Dominum tuum illum conſtitui*, c. 27. v. 37. II. in duplicem hæreditatis portionem ſuccedebat. Vid. Deuter. 21. 17. & 1. Paral. 5. 5. III. Peculiarem benedictionem a patre referebat, quæ benedictiones effectum ſuum ſortiri credebantur: *Benedictio patris*, ait Eccl. 3. 12. *firmat domos filiorum: Maledictio autem matris eradicat fundamenta*. Quicumque ſapit, inquit Plato apud Euſeb. l. 12. præp. e. 36. preces, (ſeu vota) parentum plurimi facit, cum ſæpe contingat illas effectu ſuo non fruſtrari. IV. Ante legem Sacerdotalis dignitas, ut nonnulli aſſerunt, primogeniti perſonam ſequebatur. Vide quæ diximus de hoc jure Exod, 19. 22.

1 2. Reg. 13. 14. & 3. Reg. 11. 15. & 14. 9.
2 Vide Joſeph 13. c. 17. Antiq.
3 ארמני כלו כאדרת שער
4 A verbo עשה ... *Fecit*.
5 Jo. Clericus in Geneſ. hic.
6 איש שדה 70. Ἄγροικος.
7 תם *Aq.* ἁπλοῦς, *ſimplex*.
8 70. Ἄπλαστος. *Non fictus*. 9 *Sym.* Ἄμωμος. *Inculpatus*
10 הלעיטני נא מן האדום האדום הזה *Sym.* ἀπὸ τοῦ Ἐδὼμ

19. 22. Inter receniſta primogenitorum jura nullum certius fuit, quam duplex hæreditatis portio. Ceteræ prærogativæ, quibus fruebantur, non tam e certo quodam, ſtabilique jure deſcendebant, quam ex naturali quadam propenſione, qua ceteri primogenitos colunt, iiſque honorem deferunt. Hinc factum eſt, ut ſi quando fratres victimas oblaturi ſimul conveniſſent, in honoris ac reverentiæ ſignum a primogenitis ſacrificium offerri paterentur. Ceterum ſi id unum excipias, nulla primogenitorum ratio habebatur, & quilibet paterfamilias Sacerdotis munere fungebatur in ſacrificiis, quæ offerebat. Cain, & Abel ſeorſim quilibet ſuum ſacrificium obtulit. Cum Ruben a jure primogenituræ excidiſſet, Jacob ipſi ſubſtituit Joſephum, qui duplicem portionem obtinuit. *Primogenita reputata ſunt Joſeph* 1. Paral. 5. 2. Sed adeo non erat Iſraelitis perſuaſum Sacerdotium primogeniti perſonæ adhærere, aut illi, quem primogenitus ſubſtitueret, aut a Patris voluntate jus hoc pendere, quaſi ſucceſſionem reſpiceret, ut de Moyſe, & Aarone conqueſti valde fuerint, dictitantes illos ſibi Imperii, & Sacerdotii honorem adrogare; nec ante ab hac præpoſtera opinione dimoveri potuerunt, quam Deus miraculo oſtenderit voluiſſe ſe in ſola Aaronis familia Sacerdotium permanere, excluſis ceteris familiis a Levi originem ducentibus, ſeque Moyſem populi ſui ducem conſtituiſſe, nulla habita Rubeni ratione, qui primogenitus erat. Num. 16. 2. 3. Vide Comm. in hunc locum.

Si hac in re certa extitiſſet lex, aut diuturna conſuetudo, vim legis habens, nunquam ad hæc extrema deventum eſſet. Dathan, & Abiron Rubeni nepotes ſeditionem in Moyſem excitarunt, nuſpiam tamen apparet eos ad Sacerdotium adſpiraſſe. De hoc uno tantum conquerebantur, quod Moyſes totam auctoritatem in populi regimine ſibi vindicaret. Core 250. Levitarum agmine ſociatus in partem Sacerdotalis muneris venire volebat, quod ſibi Aaronis filios uſurpaſſe querebatur. Sanctus Eucherius apud Lippomanum de juribus primogenituræ verba faciens peculiarem affert ſententiam. Ait enim primogenita hoc in loco ſignificare veſtes feſtivas, & cæremoniales, quibus utebantur primogeniti in ſacrificiis, quæ ut primogeniti offerebant. De hujuſmodi veſtibus ſermo etiam eſt in cap. 27. 15. ſi fides eſt habenda Judæis, a quibus hæ tam egregiæ obſervationes emanant. Sed quæritur hic, an jus primogenituræ alienari poſſit? peccaverit ne Jacob, dum illud emit, Eſau dum vendidit? ſimoniam ne Jacob, & Eſau admiſerint? tandem fuerit ne valida hujus juris emptio?

I. Certum eſt primogenitos a jure ſuo excidere poſſe. Ruben Jacobi filius hoc jure fuit ſpoliatus: tranſtulitque Jacob in Judam quidem auctoritatem, in Ioſeph autem duplicem portionem, atque in Levi ſacerdocium: quas omnes prærogativas jure primogenituræ ad Ruben ſpectaſſe aſſeritur.

II. Illud etiam certiſſimum eſt Eſau ſe ingentis criminis reum feciſſe, dum jus primogenituræ vendidit. Vide Tenam in Heb. 12. diſt. 3. ſect. 4. Scriptura Rom. 9. & Malach. 1. 2. Eſau profanum appellat, quippe qui rem ſacram vendiderit, ac profanaverit. Nonnulli Interpretes contendunt eum veræ Simoniæ crimen admiſiſſe ſui Sacerdotii pretium accipiendo. Sed licet Eſau ejus tantum culpæ eſſet redarguendus, quod primogenituræ prærogativas, quæ ut res ſacræ habebantur ab omnibus, tam parvi fecerit, ac pro vili lentis pugillo eas tradiderit, eſſet tamen adhuc dignus, qui profanus appellaretur, quique reproborum figura & typus diceretur. Præterea primum, & potiſſimum primogeniti Iſaac privilegium illud erat, ceteris ſane omnibus anteponendum, quod pater Meſſiæ futurus eſſet; quod certe ſine magno crimine aut negligi, aut ſperni nullo modo poterat.

III. Iacob his rationibus excuſari poteſt. Ius primogenituræ, ut dicitur, jure divino ad ipſum ſpectabat. Rebecca ei narraverat, quæ ſibi Deus ante ejus ortum revelaverat. Eſau injuſtus, ac violentus poſſeſſor erat; poterat proinde Iacob nihil intentatum relinquere (quod tamen a recta ratione non eſſet alienum) ut jus ſuum violenter uſurpatum, ac retentum ſibi vindicaret, & a fratris vexationibus ſe redimeret: Eſau Iacobo jus quodcumque habere poterat, ſponte ceſſit; nullam igitur Jacob intulit fratri injuriam; *volenti non fit injuria*. Neque vero quanquam fame, & labore feſſus eſſet Eſau, cujus rei occaſione Iacob eum ad jus primogenituræ vendendum illexit, in eam neceſſitatem compulſus fuerat, ut illud venderet: alia ratione licite poterat famem ſuam explere. Tandem nullibi Scriptura Iacobi factum condemnat.

IV. Sed aliis rationibus hæc poſſunt opponi. Cum Iacob pravam animi Eſau diſpoſitionem agnoſceret, tantum abeſt, ut recte poſſet Eſau ad factum hoc allicere, quin imo æqua ratio poſtulabat, ut illum a malo propoſito dimoveret, etiamſi ipſe prior primogenituræ jus obtuliſſet.
Propterea licet factum Iacobi excuſari ſummo jure poſſet, probari tamen minime poteſt, ſi legis charitatis ratio habeatur. Si jus primogenituræ ex gratuita Dei diſpenſatione ad Iacobum ſpectabat, non erat profecto neceſſe ab Eſau illud emere. Sin autem ad Eſau revera pertinebat, nec poterat, nec debebat Iacob illud emere, nec potuit hujus emptionis jure illud ſibi retinere.

V. Tandem venditio ab Eſau facta nulla fuit: aut enim jus hoc alienari poterat, aut non poterat: ſi nequibat e natura ſua alienari, nec potuit Eſau illud vendere: ſin alienari poterat, nequibat ſaltem Eſau id facere ſine patris conſenſu. Iam vero tantum abeſt, ut Iſaac emptionem hanc probaverit, quin imo, ut clare patet legentibus, quæ in textu ſequuntur, ſemper Eſau ut filium ſuum primogenitum habuit, atque hanc venditionem perinde ac ſi facta non fuiſſet, nullius roboris cenſuit. Et ſane nulla alia de cauſa videtur Moyſes eam hic retuliſſe, quam ut oſtenderet varia duorum fratrum ingenia, & unde illis nomina fuerint impoſita. Eſau *Edom*, & *Rufus* fuit appellatus, ob lentes, quas emit; & Iacob qui callide ſemper ſe geſſit, fratremque ſupplantavit, nomini ſuo reſpondit, ei indito, quod oriturus fratrem calcaneo teneret. Dicendum eſt igitur Iacob legitime poſſediſſe jus primogeniti ſuper Eſau non vi hujus emptionis, ſed quia Deus auctoritate ſua prærogativam hanc jam ante ejus ortum ipſi conceſſerat.

℣. 32. EN MORIOR QVID MIHI PRODERVNT PRIMOGENITA.] Verba hæc ab Eſau prolata maximam aviditatem, vehementemque animi impetum denotant: hominem nobis exhibent, qui ſe vincere, & cupiditates ſuas ſuperare non poteſt; quaſi in domo Iſaaci nullus, quo mortem a ſe arcere poſſet, præter has lentes eſſet cibus.

℣. 33. IVRA ERGO MIHI.] Hebraicus textus [s] addit; *ſicut hodie*. Septuaginta: *jura mihi hodie*.

℣. 34. ABIIT PARVI PENDENS, QVOD PRIMOGENITA VENDIDISSET.] Exiſtimavit venditionem hanc ſine effectu futuram, neque ſibi fore difficile, jus ſuum contra Iacob vi etiam retinere. Targum crimen hac valde exaggerat: *Abiit, & ſprevit primogenita, partemque ſuam in futuro ſeculo, & negavit reſurrectionem*.

s השבעה לי כיום ὄμοσόν μοι σήμερον

CAPUT

CAPUT XXVI.

Iter Eſau in Geraram. Raptus Rebeccæ. Iſaaco reſtituitur. Reditus Iſaaci Berſabeam, Fœdus inter Iſaac, & Abimelech. Matrimonium Eſau.

Anno M. 2087.

1. ORta autem fame ſuper terram poſt eam ſterilitatem, quæ acciderat in diebus
Abraham, abiit Iſaac ad Abimelech regem Palæſtinorum in Gerara. 2 Ap-
paruitque ei Dominus, & ait: Ne deſcendas in Ægyptum, ſed quieſce in
terra, quam dixero tibi. 3 Et peregrinare in ea, eroque tecum, & benedicam tibi; tibi
enim, & ſemini tuo dabo univerſas regiones has: complens juramentum, quod ſpopon-
di Abraham patri tuo. 4 Er multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli: daboque po-
ſteris tuis univerſas regiones has: & BENEDICENTUR in ſemine tuo omnes gentes
terræ. 5 Eò quod obedierit Abraham voci meæ, & cuſtodierit præcepta, & manda-
ta mea, & cæremonias, legeſque ſervaverit. 6 Manſit itaque Iſaac in Geraris. 7
Qui cum interrogaretur a viris loci illius ſuper uxore ſua, reſpondit: Soror mea eſt;
timuerat enim confiteri, quod ſibi eſſet ſociata conjugio, reputans ne forte interfice-
rent eum propter illius pulchritudinem. 8 Cumque permanſiſſent dies plurimi, & ibi-
dem moraretur, proſpiciens Abimelech rex Palæſtinorum per feneſtram, vidit eum jo-
cantem cum Rebecca uxore ſua. 9 Et accerſito eo, ait: Perſpicuum eſt, quod uxor
tua ſit: cur mentitus es eam ſororem tuam eſſe? Reſpondit: Timui, ne morerer pro-
pter eam. 10 Dixitque Abimelech: Quare impoſuiſti nobis? potuit coire quiſpiam
de populo cum uxore tua, & induxeras ſuper nos grande peccatum. Præcepitque om-
ni populo, dicens: 11 Qui tetigerit hominis hujus uxorem, morte morietur. 12
Sevit autem Iſaac in terra illa, & invenit in ipſo anno centuplum: Benedixitque ei Do-
minus. 13 Et locupletatus eſt homo, & ibat proficiens, atque ſuccreſcens, donec
magnus vehementer effectus eſt. 14 Habuit quoque poſſeſſiones ovium, & armento-
rum, & familiæ plurimum. Ob hoc invidentes ei Palæſtini 15 Omnes puteos, quos
foderant ſervi patris illius Abraham, illo tempore obſtruxerunt, implentes humo, 16
In tantum, ut ipſe Abimelech diceret ad Iſaac: Recede a nobis, quoniam potentior
nobis factus es valde. 17 Et ille diſcedens, ut veniret ad torrentem Geraræ, habita-
retque ibi, 18 Rurſum fodit alios puteos, quos foderant ſervi patris ſui Abraham,
& quos, illo mortuo, olim obſtruxerant Philiſthiim: appellavitque eos eiſdem nomini-
bus, quibus ante pater vocaverat. 19 Foderuntque in Torrente, & repererunt aquam
vivam. 20 Sed & ibi jurgium fuit paſtorum Geraræ adverſus paſtores Iſaac, dicen-
tium: Noſtra eſt aqua: quam ob rem nomen putei, ex eo quod acciderat, vocavit Ca-
lumniam. 21 Foderunt autem & alium: & pro illo quoque rixati ſunt, appellavitque
eum, Inimicitias. 22 Profectus inde fodit alium puteum, pro quo non contenderunt:
itaque vocavit nomen ejus, Latitudo, dicens: Nunc dilatavit nos Dominus, & fecit
creſcere ſuper terram. 23 Aſcendit autem Iſaac ex illo loco in Berſabee, 24 Ubi
apparuit ei Dominus in ipſa nocte, dicens; Ego ſum Deus Abraham patris tui, noli
timere, quia ego tecum ſum: benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum propter ſer-
vum meum Abraham. 25 Itaque ædificavit ibi altare: & invocato nomine Domini,
extendit tabernaculum: præcepitque ſervis ſuis, ut foderent puteum. 26 Ad quem
locum cum veniſſent de Geraris Abimelech, & Ochozath amicus illius, & Phicol dux
militum, 27 Locutus eſt eis Iſaac: Quid veniſtis ad me, hominem quem odiſtis, &
expuliſtis a vobis? 28 Quid reſponderunt: Vidimus tecum eſſe Dominum, & idcirco
nos diximus: Sit juramentum inter nos, & ineamus fœdus, 29 Ut non facias nobis
quidquam mali, ſicut & nos nihil tuorum attigimus, nec fecimus quod te læderet: ſed cum
pace dimiſimus auctum benedictione Domini, 30 Fecit ergo eis convivium: & poſt cibum,
& potum, 31 Surgentes mane, juraverunt ſibi mutuo: dimiſitque eos Iſaac pacifice in
locum ſuum. 32 Ecce autem venerunt in ipſo die ſervi Iſaac, annuntiantes ei de pu-
teo, quem foderant, atque dicentes. Invenimus aquam. 33 Unde appellavit eum,
Abundantiam: & nomen urbi impoſitum eſt Berſabee, uſque in præſentem diem. 34
Eſau vero quadragenarius duxit uxores duas, Judith filiam Beeri Hethæi, & Baſemath
filiam Elon ejuſdem loci: 35 Quæ ambæ offenderant animum Iſaac, & Rebeccæ.

Anno M. 2087.

℣. 1. ORTA FAME SUPER TERRAM, POST STERILITATEM &c.] Textus Hebraicus, Onkelos, Septuaginta, & aliæ verſiones habent : *Orta eſt fames in hac regione, præter famem, quæ acciderat &c.* Si Moyſes loquitur de fame, qua coactus fuit Abraham in Ægyptum confugere Gen. 12., accidit illa an. mundi 2084. centum, & tribus annis ante hanc ; ſin autem loquitur de itinere, quod Abraham fecit in Geraram Gen. 20. an. m. 2107. hoc evenit 80. an. poſt Abrahæ iter. At Scriptura non aſſerit, ut Geraram pergeret, illum fame fuiſſe coactum.

ABIIT ISAAC AD ABIMELECH.] Cum longum tempus interceſſerit inter Abrahami, & Iſaaci iter in Geraram, probabile eſt Abimelech, & Phicol, qui hoc in capite nominantur, filios eſſe eorum, qui ſub eodem nomine recenſentur c. 21. Intelligi facile non poteſt, quomodo Rebecca Iſaaci uxor, jamque Jacobi, & Eſau mater, ſoror Iſaaci credi potuerit. Nihilominus ordo Chronologicus non ſinit in aliud tempus iter hoc conferre. Toto hoc in capite Abraham jam mortuus ſupponitur ; qui tamen obiit 15. annos poſt duorum fratrum geminorum ortum, cum ipſe 175. Iſaac autem 85. annos numeraret.

℣. 3. NE DESCENDAS IN ÆGYPTUM.] Ex hoc loco colligitur Iſaacum ſibi propoſuiſſe in Ægyptum pergere, & ea de re Deum conſuluiſſe.

℣. 4. *Benedicentur in ſemine tuo omnes Gentes terræ* (5) *eo quod obedierit Abraham voci meæ.*] D. Auguſtinus lib. 16. de Civit. c. 36. [1] notat Abrahami fidem magis apud Deum meritoriam, magiſque efficacem fuiſſe Iſaaci fide, quoniam intuitu obedientiæ Abrahami Deus Iſaaco benedixit.

ET CUSTODIERIT PRÆCEPTA, ET MANDATA MEA, ET CÆREMONIAS, LEGESQUE SERVAVERIT.] Septuaginta ([2]): *Cuſtodivit præcepta mea, mandata mea, meas cæremonias, & meas leges.* Verti poſſet Hebraicus textus [3] : *Obſervavit obſervantias meas, mea præcepta, mea ſtatuta, meas leges.* Nonnulli ex Rabbinis aſſerunt Abrahamum univerſa ſexcenta, & tredecim præcepta legis impleſſe. Alii limitant haſce obſervantias ad ſolum ſabbathum, & Circumciſionem ; ſed quod attinet ad Sabbathi obſervantiam, jam alibi eam refutavimus. Nos putamus Scripturam allatis verbis velle ſignificare Abrahamum omnibus D juſtitiæ, charitatis, & religionis officiis ſatisfeciſſe, Deique voluntati perfecte obtemperaſſe.

℣. 7. RESPONDIT : SOROR MEA EST.] Videri poſſunt, quæ Gen. 12. 13. dicta ſunt de ſimili Abrahami facto. Divus Auguſtinus l. 22. contra Fauſtum cap. 33. & 46. Iſaacum a mendacii nota vindicare conatur, eo pacto, quo vindicavit Abrahamum. Sororis nomen magis æquivoce uſurpatum eſt ab Iſaaco, dum Rebeccam ſororem ſuam eſſe dixit, quam ab Abrahamo Saram ſororem appellante ; etenim Rebecca erat tantum Iſaaci conſobrina. Illam igitur ſororem ſuam vocans, non ſolum eam eſſe ſibi uxorem celabat, quod quidem ſine ullo crimine fieri poterat ; ſed etiam æquivoco decipiebat Abimelechum, ipſi narrans Rebeccam ſororem ſuam eſſe, E verbo hoc ſecus accepto, ac ab Abimelecho illud intelligebatur, quod ſane a bona fide eſſe videtur alienum.

℣. 8. VIDIT EUM IOCANTEM.] Edoctus Princeps hic ex iis, quæ acciderant patri ſuo Abimelech propter Saram Abrahami uxorem, curioſius, & attentius inſpiciebat, quænam eſſet Iſaaci cum Sara conſuetudo : cito proinde cognovit eos ſimul familiarius vivere, quam fratrem, & ſororem deceat. Nonnulli [4] id intelligunt de ea familiaritate, quam ſolus maritus cum uxore ſua habere poteſt. Hæc verba *iocari*, ſeu *ludere*, vel *ridere* aliquid innuunt, quod pudor non ſinit recenſere.

℣. 10. INDUXERAS SUPER NOS GRANDE PECCATUM.] Videlicet, *curaſti, ut in grande peccatum caderemus*; vel ; *curaſti, ut ſuper nos grande ſupplicium caderet.* Crimen ponitur ſæpe pro pœna. Hebraicum verbum *Aſcham* [5] a Septuaginta hic accipitur pro peccato ignorantiæ [6] ; Alibi autem ſimpliciter ſumitur pro peccato.

B ℣. 11. QUI TETIGERIT HOMINIS HUIUS UXOREM &c.] Hebraicus textus : *qui tetigerit hunc hominem, vel ejus uxorem, morte morietur.* Adulteri morte vulgo plectebantur apud Philiſthæos, Chananæos, & Hebræos etiam ante legem. Vide Geneſim 38. 24.

℣. 12. INVENIT IN IPSO ANNO CENTUPLUM.] Nullum proprium agrum poſſidebat Iſaac in regione Geraræ; potuit tamen ad tempus agros conducere ex iis, quos ejus terræ habitatores non colebant. Verba Hebraica [7] hoc in loco triplicem admittunt ſignificationem, juxta triplicem lectionem. Primo : *Collegit centum (menſuras) hordei*, *Searim* hordeum ſignificat. Ita habent Septuaginta [8], & verſio Syriaca. Secundo : Collegit centuplum, ſeu centupli pretium, *centuplum æſtimatum* ; ita Aquila [9] apud C Divum Hieronymum in ſuis quæſtion. Hebraicis. Tertio ; Tandem collegit centum amplius, quam ſperaverat ; ita vertit Chaldæus [10]. Doctores Iudæi communiter docent decimæ offerendæ legem Iſaac primum induxiſſe. Probant id ex hoc loco, qui certe illis minime favet. Fatentur & ipſi Abrahamum decimam ſolviſſe Melchiſedecho, ſed ex pura pietatis cauſa, quin aliquam aut ſibi, aut poſteris ſuis legem imponere vellet.

Aliquando contingit, ſine ullo etiam miraculo, ut terra centuplum ferat. Ægypti, Bæticæ, & Siciliæ agri tantundem fere ſemper reddunt. Plinius l. 18. cap. 10. affirmat quoſdam Africæ campos e modio centenos quinquagenos modios reddere. Miram profecto hanc efficere multiplicationem ſola potuit, quæ tunc graſſabatur, ſterilitas. Verum quoniam hoc non accidit, niſi anno poſt caritatem, Scriptura id miraculo minime adſcribit. Centuplum poteſt in genere ubertatem inſolitam denotare.

℣. 14. HABUIT FAMILIÆ PLURIMUM.] Verti poteſt : *Famulitium plurimum* ; plurimos ſervos, & operarios. Verba Hebraica [11] aliquando pro ruſticis laboribus ſumuntur ; eoque in ſenſu a Septuaginta fuerunt accepta [12]. Plurimos homines operarios ; aut, plurimos terræ proventus, grana, fructus, vinum &c.

℣. 16. RECEDE A NOBIS, QUONIAM POTENTIOR NOBIS &c.] Abimelech neminem ſe potentiorem patitur ſibi eſſe vicinum. Eodem prætextu uſus eſt Pharao ad Iſraelitas in Ægypto opprimendos. Athenienſes eos cives, qui plurimum aut divitiis, aut potentia eminebant, in exilium mittebant ; hoc appellabatur Oſtraciſmus.

℣. 17. AD TORRENTEM GERARÆ.] Hebraicus textus [13] : *in torrente*. Septuaginta [14] vertunt : *in valle Geraræ*. Hanc verſionem plurimi Interpretes ſequun-

1 Vide Geneſ. 12. 3.
2 Τὰ προστάγματά μου, καὶ τὰς ἐντολάς μου καὶ τὰ δικαιώματα, καὶ τὰ νόμιμά μου.
3 וישמר משמרתי מצותי חקותי ותורותי.
4 Rab. Salomon, Lyran. Cajet. apud Druſium. Παῖζε צחק.
5 אשם *Aq. Sym.* Πλημμέλημα. 6 Ἄγνοιαν. Πλημμέλεια. Ἁμαρτία.
7 מאה שערים.
8 Ἑκατοστεύουσαν κριθήν.
9 Aq. Ἑκατὸν ἐστιμημένα.
10 Vide Seldenum de Synedriis l. 1. c. 2.
11 עבדה רבה.
12 Γεωργία πολλή. 13 בנחל גרר. 14 Ἐν φάραγγι.

ſequuntur. Aderat forte in hac valle torrens, dum imbres deciderent. Verum cum Iſaac ibi puteos fodi juſſiſſet, argumento eſt raro ibi aquas reperiri potuiſſe.

℣. 19. FODERUNT IN TORRENTE; ET REPERERUNT AQUAM VIVAM.] Melius fortaſſe verti poterat: *Foderunt in valle*. Aquæ vivæ dicuntur aquarum ſcaturigines, quæ numquam deficiunt, quæque in Iſaia 23. 16. appellantur *aquæ fideles*, & perennes, ut opponantur aquis pluviis, & ciſternarum, quæ æſtivo tempore exſiccantur, ac 4. Regum 19. 24. & Iſai. 37. 25. *aquæ alienæ* nominantur. Verſio Arabica, & Samaritana habent: *aquam dulcem*. Regio Geraræ ſale referta erat; & Strabo l. 16. narrat, domus urbis Gerræ fuiſſe e lapidibus ſalis ædificatas; Plinius autem l. 6. cap. 28. aſſerit hujus oppidi turres fuiſſe ex ſalis quadratis molibus conſtructas. Si Gerra eadem eſt, ac Gerara, maximam puteorum partem ſalſedine oportet laboraſſe: & aquæ dulcis puteus erat plurimi faciendus. Origenis ætate [1] putei ſtructuræ ingentis, plurimumque ab hodierna diſſimilis Aſcalone oſtendebantur, qui a Patriarchis fuiſſe conſtructi vulgo credebantur. Sed nullibi legimus Patriarchas fuiſſe umquam Aſcalone commoratos.

℣. 20. VOCAVIT CALUMNIAM.] Verbum textus עשק *Eſcheck*, ſeu *Eſech* duplici pacto ſumi poteſt. Si legatur *Eſech*, ſignificat querelam, contentionem, litem; & hoc in ſenſu accipitur a Chaldæo, & ab iis qui Hebraicum textum ſequuntur a Maſſoretis punctatum; verum ſi legatur *Eſcheck*, ſignificat calumniam, juxta Divum Hieronymum; injuſtitiam vero juxta Septuaginta [2], qui alibi ſæpe verbum hoc vertunt calumniam [3].

℣. 24. BENEDICAM TIBI.] Nonnulla exemplaria Septuaginta Interpretum [4] habent: *Benedixi tibi*; & loco verborum *ſervum meum Abraham*, legunt *patrem tuum Abraham*.

℣. 25. PRÆCEPIT, UT FODERENT PUTEUM.] Septuaginta addunt: *Et ſervi Iſaac foderunt puteum in valle Geraræ*.

℣. 26. ABIMELECH, ET OCHOZAT AMICUS ILLIUS, ET PHICOL DUX MILITUM.] Volunt nonnulli nomen *Ochozat* ſignificare ſenſu appellativo agmen, quod Abimelechum ſtipabat. Chaldæus ita vertit: *Abimelech ſtipatus amicis, & Phicol*. D. Hieronymus in quæſt. Hebr. hanc nomen Ochozat explicandi rationem norat, atque eam minime improbare videtur, æque ac plures alii Interpretes. Septuaginta [5] Ochozat munus attribuunt paranymphi, cujus erat ſponſam in ſponſi domum deducere. Primus inter ſponſi amicos hoc munere fungebatur. Arabica verſio legit: *Qui cum illo accumbebat*. Interpres Origenis: *ejus gener*.

℣. 29. NOS NIHIL TUORUM ATTIGIMUS.] Hebraicus textus: *Nos te non tetigimus*. Septuaginta [6]: *Nos te non ſumus execrati*, abominati. Nos quo tempore nobiſcum eras, & in terra noſtra, te nec ſprevimus, nec rejecimus. Reſpondent Iſaaco eos redarguenti verſic. 27. *Vos me odiſtis, & expuliſtis* &c. Permiſerant tamen paſtoribus ſuis, ut eum læderent, & impune illis eſſe paſſi erant.

℣. 31. SURGENTES MANE &c.] Poſtridie mane fœdus jurejurando inierunt. Nulla emphaſis eſt in hiſce verbis; uſurpantur enim ad ſignificandas res qualibet vulgares, quibuſque cura peculiaris non impenditur. Apud Homerum Heroes ſemper ſurgunt ſummo mane.

℣. 32. INVENIMUS AQUAM.] Septuaginta, Divus Chryſoſtomus, Divus Ambroſius legunt cum negatione: *nos non invenimus aquam*. Verum nec textus Hebraicus, nec Symmachus, nec Aquila, nec Editio Complutenſis Septuaginta habent hanc negationem, eamque verborum contextus non patitur: Quæ ſiquidem ratio hunc puteum appellandi *abundantiam*, ſi in eo aqua non fuit inventa? Verum quidem eſt Septuaginta verbum Hebraicum *Schibah* [7] non reddere *abundantiam*, ſed *jusjurandum*; hæc propterea ratio contra illos non militat. Verbum textus triplicem poteſt admittere ſignificationem, juxta triplicem modum, quo legi poteſt: poteſt ſignificare *ſeptem*, aut *jusjurandum*, aut *abundantiam*; poſteriori hoc in ſenſu ab Aquila, Symmacho, & D. Hieronymo ſumptum eſt.

℣. 33. NOMEN URBI IMPOSITUM EST BERSABEE.] Seu potius nomen hoc puteo impoſitum fuit, ac mox urbi poſtea conditæ.

℣. 34. FILIAM ELON EJUSDEM LOCI.] Hebraicus textus, & ceteræ verſiones: *Filiam Elon Hethæi*.

℣. 35. QUÆ AMBÆ OFFENDERANT &c.] Hebraicus textus [8]: *Fuerunt cauſa triſtitiæ*. Septuaginta [9]: *Ipſæ litigabant cum Iſaac* &c. Onkelos [10]: *Rebelles erant, & non audientes verba Iſaac*. Paraphraſtes Jonathan, & Hieroſolymitanus aiunt, eas, cum idola colerent, ſalutaribus Iſaaci, & Rebeccæ monitis morem gerere noluiſſe.

---

1 Lib. 4. contra Celſum.
2 Ἀδικία.
3 Συκοφαντία. Eccle. 4. 1. Prov. 14. 31. Pſal. 71. 4.
4 Εὐλόγηκα σε.
5 Νυμφαγωγός.
6 ἐβδελυξάμεθά σε.
7 שבעה Schibah.
8 מרת רוח. Sym. εἰς ἀντεστᾶσαι. Hebr. παροργίζουσαι. Euſeb. in Caten. MSS.
9 ἦσαν ἐρίζουσαι.
10 מסרבן ומרגזן.

C A-

CAPUT XXVII.

Dum Eſau venatur, Jacob benedictionem Iſaaci ſurripuit. Reditus Eſau; ejus minæ adverſus Jacob, qui in Meſopotamiam ſecedit.

v. 1. SEnuit autem Iſaac, & caligaverunt oculi ejus, & videre non poterat: vocavit-
que Eſau filium ſuum majorem, & dixit ei: Fili mi? Qui reſpondit: Ad-
ſum. 2 Cui pater; Vides, inquit, quod ſenuerim, & ignorem diem mor-
tis meæ. 3 Sume arma tua, pharetram, & arcum, & egredere foras: cumque vena-
tu aliquid apprehenderis, 4 Fac mihi inde pulmentum ſicut velle me noſti, & affer,
ut comedam: & benedicat tibi anima mea, antequam moriar. 5 Quod cum audiſſet
Rebecca, & ille abiiſſet in agrum, ut juſſionem patris impleret, 6 Dixit filio ſuo Ja-
cob: Audivi patrem tuum loquentem cum Eſau fratre tuo, & dicentem ei, 7 Affer
mihi de venatione tua, & fac cibos, ut comedam, & benedicam tibi coram Domino,
antequam moriar. 8 Nunc ergo, fili mi, acquieſce conſiliis meis: 9 Et pergens ad
gregem, affer mihi duos hædos optimos, ut faciam ex eis eſcas patri tuo, quibus li-
benter veſcitur: 10 Quas cum intuleris, & comederit, benedicat tibi, priuſquam
moriatur. 11 Cui ille reſpondit; Noſti, quod Eſau frater meus homo piloſus ſit, &
ego lenis: 12 Si attrectaverit me pater meus, & ſenſerit, timeo, ne putet, me ſibi
voluiſſe illudere, & inducam ſuper me maledictionem pro benedictione. 13 Ad quem
mater; In me ſit, ait, iſta maledictio, fili mi: tantum audi vocem meam, & pergens
affer, quæ dixi. 14 Abiit, & attulit, deditque matri. Paravit illa cibos, ſicut velle
noverat patrem illius. 15 Et veſtibus Eſau valde bonis, quas apud ſe habebat domi,
induit eum: 16 Pelliculaſque hœdorum circumdedit manibus, & colli nuda prote-
xit. 17 Deditque pulmentum, & panes, quos coxerat, tradidit. 18 Quibus illatis,
dixit: Pater mi: At ille reſpondit: Audio: Quis es tu, fili mi? 19 Dixitque Ja-
cob: Ego ſum primogenitus tuus Eſau: feci ſicut præcepiſti mihi: ſurge, ſede, &
comede de venatione mea, ut benedicat mihi anima tua. 20 Rurſumque Iſaac ad fi-
lium ſuum: Quomodo, inquit, tam citò invenire potuiſti, fili mi? Qui reſpondit:
Voluntas Dei fuit, ut cito occurreret mihi, quod volebam. 21 Dixitque Iſaac: Ac-
cede huc, ut tangam te, fili mi, & probem, utrum tu ſis filius meus Eſau, an non.
22 Acceſſit ille ad patrem, & palpato eo dixit Iſaac: Vox quidem, vox Jacob eſt:
ſed manus, manus ſunt Eſau. 23 Et non cognovit eum, quia piloſæ manus ſimilitu-
dinem majoris expreſſerant. Benedicens ergo illi, 24 Ait: Tu es filius meus Eſau?
Reſpondit; Ego ſum. 25 At ille: Affer mihi, inquit, cibos de venatione tua, fili
mi, ut benedicat tibi anima mea. Quos cum oblatos comediſſet, obtulit ei etiam vi-
num, quo hauſto, 26 Dixit ad eum: Accede ad me, & da mihi oſculum, fili mi.
27 Acceſſit, & oſculatus eſt eum. Statimque ut ſenſit veſtimentorum illius fragrantiam,
benedicens illi, ait: Ecce odor filii mei ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.
28 Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti, & vi-
ni. 29 Et ſerviant tibi populi, & adorent te tribus: eſto dominus fratrum tuorum,
& incurventur ante te filii matris tuæ: qui maledixerit tibi, ſit ille maledictus, & qui
benedixerit tibi, benedictionibus repleatur. 30 Vix Iſaac ſermonem impleverat, & e-
greſſo Jacob foras, venit Eſau, 31 Coctoſque de venatione cibos intulit patri, di-
cens; Surge, pater mi, & comede de venatione filii tui: ut benedicat mihi anima
tua. 32 Dixitque illi Iſaac: Quis enim es tu? Qui reſpondit: Ego ſum filius tuus
primogenitus Eſau. 33 Expavit Iſaac ſtupore vehementi: & ultra quam credi poteſt,
admirans ait: Quis igitur ille eſt, qui dudum captam venationem attulit mihi, & co-
medi ex omnibus, priuſquam tu venires? benedixique ei, & erit benedictus. 34
Auditis Eſau ſermonibus patris, irrugiit clamore magno: & conſternatus, ait: Bene-
dic etiam & mihi, pater mi. 35 Qui ait: Venit germanus tuus fraudulenter, & ac-
cepit benedictionem tuam. 36 At ille ſubjunxit: Juſte vocatum eſt nomen ejus Jacob;
ſupplantavit enim me en altera vice; primogenita mea ante tulit, & nunc ſecundo ſur-

ripuit

ripuit benedictionem meam. Rurſumque ad patrem : Numquid non reſervaſti, ait, &
mihi benedictionem? 37 Reſpondit Iſaac ; Dominum tuum illum conſtitui, & omnes
fratres ejus ſervituti illius ſubjugavi : frumento, & vino ſtabilivi eum, & tibi poſt
hæc, fili mi, ultra quid faciam? 38 Cui Eſau : Num unam, inquit, tantum benedi-
ctionem habes, pater? mihi quoque, obſecro, ut benedicas. Cumque ejulatu magno
fleret, 39 Motus Iſaac dixit ad eum : In pinguedine terræ, & in rore cœli deſuper
40 Erit benedictio tua. Vives in gladio, & fratri tuo ſervies : tempuſque veniet, cum
excutias, & ſolvas jugum ejus de cervicibus tuis. 41 Oderat ergo ſemper Eſau Jacob
pro benedictione, qua benedixerat ei pater : dixitque in corde ſuo : Venient dies luctus
patris mei, & occidam Jacob fratrem meum, 42 Nuntiata ſunt hæc Rebeccæ : quæ mit-
tens, & vocans Jacob filium ſuum, dixit ad eum : Ecce Eſau frater tuus minatur, ut
occidat te. 43 Nunc ergo, fili mi, audi vocem meam, & conſurgens fuge ad Laban
fratrem meum in Haran : 44 Habitabiſque cum eo dies paucos, donec requieſcat furor
fratris tui, 45 Et ceſſet indignatio ejus, obliviſcaturque eorum, quæ feciſti in eum ;
poſtea mittam, & adducam te inde huc ; cur utroque orbabor filio in uno die? 46
Dixitque Rebecca ad Iſaac : Tædet me vitæ meæ propter filias Heth ; ſi acceperit Jacob
uxorem de ſtirpe hujus terræ, nolo vivere.

℣. 1. SENUIT AUTEM ISAAC, ET CALIGAVERUNT OCULI EJUS.] Iſaac tum annos centum, & triginta ſeptem, Jacob autem ſeptuaginta ſeptem agebant. Cum Iſaac in morbum incidiſſet, credidit ſibi mortem imminere ; ac interna quadam vi ſenſit ſe impelli ad benedicendum filio ſuo primogenito, eique vaticinandum, quæ ipſi erant eventura. Dei providentia effectum eſt, ut vel vi morbi, aut ætatis vitio cæcutiret ; ipſum tunc omnino fuiſſe captum lumine oſtendit eventus. Credi tamen poteſt Deum illi reddidiſſe viſum per quadraginta, & tres illos annos, quibus poſt hunc morbum vixit.

℣. 3. SUME ARMA TUA, PHARETRAM, ET ARCUM.] Hebraicus textus [1] : *Sume, quæſo, arma tua, tuum theli, & tuum arcum.* Theli juxta plures Interpretes pharetram ſignificat : ſed Syriaca verſio, Onkelos, Vatablus, & nonnulli alii legunt : *Sume tua arma, & tuum gladium, & tuum arcum.* Verbum *Saiph* [2] a Chaldæo uſurpatum, loco Hebraici *theli*, apud Arabes denotat enſis ſpeciem, cujus acies eracta eſt. Venatores æque indigebant gladio, aut cultro, ac ſagittis, & arcu ; cumque Iſaacus Eſau mandet, ut arma ſua capiat ; putandum eſt, eum intellexiſſe arma uſitata, quæ erant gladius, & arcus. Pharetra inter arma minime recenſetur. Rabbini [3] Abenezra, & David, qui loco pharetræ ponunt gladium, huic verſioni non adverſantur ; *theli* deſcendit ab Hebraica radice *talah*, quæ ſuſpendere ſignificat ; gladius ſuſpenſus manebat æque ac pharetra.

℣. 4. PULMENTUM.] Hebraicum verbum מטעמים *Mathamim* ſignificat embamma, optimi ſaporis cibum. Nonnulli vertunt : *cibos ſapidos* ; alii *cuppedias.* Septuaginta [4] ſimpliciter cibos, alimenta. *Pulmenti* ſignificatio magis late patet ; nam pro quocumque eſculento accipitur.

[UT COMEDAM, ET BENEDICAT TIBI ANIMA MEA.] Videlicet, ut tibi benedictionem impertiar ex animo. Ita Vatablus, & Menochius. Ridiculum eſt locum hunc cum quibuſdam Interpretibus ita explicare, ut embamma, quod Iſaac poſtulavit, cauſa fuerit, cur Eſau benediceret, aut medium, quo ejus animus excitaretur ad benedictionem ſuam ipſi impertiendam ; eo ferme pacto ; quo Eliſæus 4. Reg. 3. 15. petiit Pſaltem ad ſe adduci, qui ad prophetiæ ſpiritum recipiendum ipſum diſponeret. Hoc in loco particula *ut* [5] non eſt caſualis, ſed denotat tantum, quod debebat poſt comeſtionem fieri ; *ego comedam, & deinde tibi benedicam.* Vide Glaſſium tr. 7. l. 3. de conjunctione c. 29.

Si Iſaac eandem benedictionem volebat Eſau impertiri, quam Iacobo fuerat inconſulto elargitus ; & ſi volebat Jacobum Eſau ſubiicere, quo in ſenſu acceperat promiſſa Dei, qui dixerat, *major ſerviet minori?* Munſterus, & Clarius conjiciunt Rebeccam viro ſuo non narraſſe, quæ Deus ipſi de duobus filiis ſuis patefecerat. Verum hoc eſt captu difficile & veroſimilius eſt Iſaacum ſibi in animo propoſuiſſe in benedicendis filiis ſuis Spiritus Sancti impulſum ſequi, nihilque proferre, niſi quod Deus ipſi ſuggereret. Propterea dici nequit eam Iſaaco fuiſſe mentem, ut Iacobum Eſau ſubiiceret ; ſed ut eas tantum Eſau benedictiones tribueret, quas ipſi Deus inſpirare vellet.

℣. 7. CORAM DOMINO.] Ideſt, Dei auxilio, & favore ; coram ipſo, & ejus auctoritate ; ejus nomine ; ſeu, vere, & ſincere, ac veluti coram Deo : aut tandem : opto ut Dominus tibi omne benedictionum genus impertiatur.

℣. 12. TIMEO NE PUTET ME SIBI VOLUISSE ILLUDERE.] Hebraica ad litteram : *Et ero ante ejus oculos velut qui alium in errorem inducit.* Vulgata ſenſum hunc optime aſſequuta eſt, ſicut & Septuaginta [6] : *ego ero velut homo, qui ſpernit.* Aquila [7] : *velut irriſor.* Symmachus [8] : *veluti ſi voluerim illudere,* & inſultare aliquo modo ejus ætati, & cæcitati. Nihil acerbius a filio contingere potuiſſet Iſaaco in eo, quo verſabatur, ſtatu, quam ſi ſe ſpretum, & irriſum cognoviſſet ; & ampliſſimus procuIdubio erat Iacobo metuendi locus, ne in Patris iram, & maledictionem incideret, ſi fraus detegeretur. Rebeccam Dei afflatu id egiſſe probat eventus ; quodque res audacia, & periculo plena recte ſuc-

1 שא נא כליך תליך וקשתך 70. τὸ σκεῦος, σου, τήν τε φαρέτραν καὶ τὸ τόξον.
2 Vide Druſium, & Fullerum תלי Theli, Chald. סיף Saiph.
3 Apud Druſium.
4 Ἐδέσματα.
5 בעבור.
6 70. Ὡς καταφρονῶν, כמתעתע.
7 Aquila. Ὡς κατεμωκώμενος.
8 Sym. Καταπαίζων.

ſucceſſerit, acceptum referri dabet fidai, quam maxime tar hæc præſtitit promiſsis a Deo pro filio minora ſibi factis. Huia fidai firmiter innixa [1] Iaaobo reſpondit: *In me ſit iſta malediſtio, fili mi*: id eſt, in aaput meum recidat, me afficiat iſta maledictio, ſi aam retuleris. Sed pro certo habeo Deum id non permiſſurum, nec fore unquam, ut divina promiſſa effectu ſuo aareant. Onkelos ipſam ſic loquentem inducit. Ego Deo ravelante cognovi te ooq maledictionem, ſad banedictionem tantum relaturum.

℣. 15. ET VESTIBUS ESAU VALDE BONIS, QUAS APUD SE HABEBAT DOMI, INDUIT EUM.] Hebraicus taxtus: *Induit Jacob filium ſuum minorem veſtibus optabilibus, aut valde pulchris filii ſui primogeniti Eſau, quas apud ſe habebat*. Nonnulli Intarpretes poſt Rabbinos [2] cauſent has veſtes, da quibus Scriptura loquitur, adeo bonas, pratioſas, & tam bene olentes, veſtes uno varbo haſce feſtivas, eas fuiſſe, quibus Eſau utebatur in ſacrificiis, quæ ut Sacerdos, & primogenitus familiæ Iſaac offerabat. Per illa verba, *quas apud ſe habebat domi*, potaſt intalligi, quod eas haberet in arca. Domus in Scriptura aliquando ponitur pro arca. Pſalmiſta pſalm. 44. 10. loquitur da domibus, ſeu arcis eburnais, in quibus vaſtes eum rebus odoris aondebantur. Euripides quoque mentionem facit de quibuſdam arcis cedrinis, in modum domus conſtructis, ubi veſtes prerioſæ ſarvabantur. Heſiodus [3] Pandoræ dolium vocat domum inaegram, ſeu non fractam.

℣. 9. EGO SUM PRIMOGENITUS TUUS ESAU &c.] In eo, quod egit Jacob, plura mandacii ganera videntur ineſſe. Decipit Iſaac tribus modis: verbis, factis, & vaſtibus; ſe ejus primogenitum, & Eſau aſſe dicit; cibos communes apponit, pro vanatione ejus juſſa ait ſe feciſſe, & a venatione redire; tandam tangendas offert pelles hædinas, quibus ſoom collum, & manus operuarat, ut pilos, quibus Eſau corpus aret obtactum, imiraratur.

Si Jacob hac in re ſerio agebat, ſi animus illi fuit falliendi Iſaacum, non poteſt a menducio excuſari: & idao neceſſe non eſt excuſationes undequaque aumulara, ut ipſum ab hac nota eximamus, quippa haud ægra fatendum eſt Sanctorum vitam non fuiſſe ſemper ab omni plane arrore immunem. Sin autem per jocum id fecit, & per ironiem, & figuram loquutus aſt, difficile captu eſt, quomodo earere peccato potuarit hujuſmodi jocus, & riſus, quo Jacob patrem decepit in re tanti momenti, & eo jure fratrem fraudavit, quod ad eum partinebat. Taudem ſi quod geritur inter Iacob, & Iſaac, in ſenſu naturali, & litterali ſumatur, nequit Iacob mea ſententia a mendacio aximi, ac proinde neque a peccato; quoniam mendacium ſemper eſt peccatum.

Revara ipſamet Iacob id, quod ipſi Rebecca imperavit, freude plenum eſſe cognovit, & quod Iſaac ſibi imponi, ac illudi voluiſſe foret crediturus. Nequa Iſaac diverſis loquitur, dum filio ſuo Eſau dicit veniſſe Jacobum fraudulenrar, & retuliſſe benedictionem, quæ ad primogenitum ſpectabat. *Venit germanus tuus fraudulenter, & accepit benedictionem tuam*.

Nonnulli Patres, pluresque docti Intarpretes, ac Theologi fatentur Iacob mentitum fuiſſe; ſed quidam ax iis a veritate longa aberrant, dum ajunt factum hoc non aſſe peccatum, atqua hoc numerandum eſſe inter illa mandacia, quæ laudari merentur, cum proferuntur, ſcilicat vel ad fugiendum grande malum, val ad conſequendum maximum bonum; aut atiam eſſe ex fraudibus illis, quibus erga infantes, & ægrotos uti licitum credunt; aut tandem ax numero ſtratagematum, quæ tempore belli adhibentur. Pro hac ſantentia eitatur Origenes l. 6. Stro-

A mat. apud Hieronymum l. 1. Apolog. adverſus Ruffinum, Divus Chryſoſtomus hom. 12. & 13. in Geneſ. (aumdem vide l. 1. de Sacerdotio.) Caſſianus Coll. 17. aap. 17. & ſeq. & cap. 21. & ſeq. & D. Hieronymus in Epiſtol. ad Galat. apud Auguſt. ep. ad Hiaron.

Ex noſtratibus Theologis nonnulli, inter quos Bial in 3. ſentent. diſt. 38. & Petrus da Alliaco in 3. ſent. quæſt. 12. Iacobum omnino e peccato excuſant aſſarentes eum in ra haa Dei impulſum fuiſſe ſequutum. Alii, intar quos Lyranus, Toſtatus, Lippomanus, & Cajetanus, lave peccatum in ejus mendacio agnoſcunt: adducunt in medium tectam ajus voluntatem; obedientiam, quam matri ſuæ præſtabat; Dei promiſſa, quæ præ oculis habebat; B jus primogeniti, quod ipſi debebatur, tum quia divina oracula illud ipſi promiſarant, tum quia jus hoc jam emerat: addunt etiam, quod licet aliena n veſtirete loqueretur, ſo primogenitum Iſaaci dicens, alio tamen in ſenſu vara loqueratur, intuitu ſcilicat juris, quod acquiſierat, ut Eſau natu major haberetur: volunt Iacobi ſagacitatem, & artificium haud eſſe improbandum, quo quærebat jus ſuum, quod aliter non potarat vindicare: ajunt nullam hac in re ineſſe freudem, quoniam namini injuria infertur; & quamvis Iſaac factum Iacobi fraudulantum vocet, non taman propterea revocaverit benedictionem, ſed potius confirmaverit.

Quod eutem artinet ad vanationem, ex qua Iacob dicit ſa cibum pareſſa, reſpondent, quod ſi ſolum C præcipua Iſaaci mans inſpiciatur, Iacobum adverſus Patris voluntatem minime agiſſe, neque illum decepiſſe. Mens ſiquidem Iſaaco erat juſculum aomedere, antequam primogenito ſuo benedicaret. Iacob patri cibum affert ſumma ſuavitate conditum; quod autem apposira eſca eſſet ex venatione, vel aliud aibi genus; quod ipſe appellaretur Iacob, vel Eſau, id omne accedebat ſolummodo præcipuæ Iſaaci voluntati, cujus aonſilium erat eum coram Domino benedicandi, qui coram Deo primogeniti jura poſſideret: cetara omnia ad primam, & præcipuam hanc voluntatem refarebantur. Iam varo primogeniti jura, ſic Deo volente, ad Iacobum certiſſime pertinebant.

Divus Auguſtinus l. aontra mendac. cap. 10. aliam iniit viam, ut Iacobum a mandacio, & a pecD cato ramoveret. Vult Iaaobi factum fuiſſe myſterium; quodque ſi illa mendaaii, & criminis redarguatur, figuræ etiam, parabolæ, & mataphoræ omnes forena improbandæ; nequa umquam figuræ ſine mendacio poſſent in ſermonibus adhiberi. Mendacii damnabitur & Ioſephus, qui fretres ſuos ſe non agnoſcere finxit, eoſque veluti exploratores excepit; & David, qui ſe ſtulrum, & furioſum eſſe ſimulavit; id omne, inquir Divus Auguſtinus, neque fictio, neque mendacium dici debet; ſed hujuſmodi ectiones raſpiciendæ ſunt, veluti prophetiæ quædam ſenſum myſticum abdentes, cui potius attendendum eſt, quam iis, quæ exterius agnntur.

Hinc Iacobi facinus, ſi ſecundum aauſam proxiE mam ſolummodo ſpectetur videbitur mendacium; id anim illi tantum fuit propoſitum, ut ſe filium primogenitum eſſe patri perſuaderet. Verum ſi illud ſecundum id, quod ſignificandum erat, inſpiciamus, neque frans eſt, neqne mendecium, quoniam mirifice exprimit, quod erat per illud innuendum. Pelles, quibus ſe contexit Iecob, Ieſum Chriſtum, qui peccata noſtra ſibi impoſuir, ad vivum repræſentant. Cum Iacob ſe primogenitum, & Eſau dixit, id erat Gentium in Iudæorum locum vocationis clariſſima figura. En D. Auguſtini ſententiam.

Hæ tamen rationes ſatis non ſuna, ut Iacobus axolvatur

1 Theodoret. quæſt. 78.
2 Hieronym. in quæſtionibus Hebraicis.
3 Heſiod. Oper. & dies.

ratur [1] a mendacio; atque ipſemet Divus Auguſtinus ex, quæ e ſuo principio deduci poſſent, optime refellit in libro 22. contra Fauſtum cap. 83. Et revera ſi Iacob myſterium hoc noverat, & ſi Deus illud ipſi patefecerat, æque ac modum, quo uti debebat ad illud exequendum, opus erit aſſerere Deum impuliſſe Jacobum, ut ſe eſſe Eſau ſimularet, & ut dolo patrem deciperet; atque id non erit Deum mendacii ſtatuere auctorem? Indigebatne Deus Jacobi fraude, ut myſterium ſuum impleret, quod ſane non in Iacobi mendacio, ſed in prælatione minoris primogenito poſitum erat? num myſterium hoc perfici non poterat, niſi deciperetur Iſaac? Factum Iacobi, ſi vel rem ex ſe conſideremus, vel relatione habita ad præcipuam ipſius cauſam, ac intentionem, mendacium erat, fatente ipſomet D. Auguſtino.

Ut ergo Jacobum ab omni criminis nota eximeremus, neceſſe eſſet oſtendere, longe aliam ei mentem fuiſſe ab ea, quam modo recenſuimus, quam que neque Divus Auguſtinus probare auderet; imo etiam aperte improbat. Hic adde, quod myſterium ſub hiſtorico, & litterali ſenſu latens, neque mendacium, neque crimen prohibet, quod in re ipſa poteſt adeſſe; exempli gratia, inceſtus Thamar, fornicatio Sampſonis cum Dalila, Pharaonis perſecutio adverſus Iſraelitas res ſunt figuram, & myſterium complectentes; myſterium tamen, quod continent, crimen non adimit.

Concludamus ergo oportet cum Eſtio in hunc locum, quod, ut Jacobus expediatur a culpa, ſatis haud eſt, ſi oſtendatur myſterium in ejus actione delitеſcere, ſed opus eſt, demonſtretur juxta ſenſum hiſtoricum, & litteralem nullum ineſſe mendacium, ad quod probandum inſudarunt Theodoretus quæſt. 81. in Geneſ. Divus Gregorius Magnus l. 1. hom. 6. in Ezech. (Vide eumdem in Iob l. 18. cap. 3. nov. edit.) Divus Iſidorus, Venerabilis Beda, Abbas Rupertus, Divus Thomas 2. 2. quæſt. 50. art. 3. in reſp. ad tertium argumentum. Melchior Canus l. 2. de locis Theologicis cap. 4. & plures alii eruditi Interpretes, qui contendunt vere Jacobum potuiſſe dicere ſe Iſaaci primogenitum, quoniam jus primogenituræ acquiſierat, & ei certiſſime debebatur. Bonfrerius cum Deum aliquando peccata permittere, iiſque etiam uti ad providentiæ ſuæ myſteria exequenda dixiſſet; atque facto huic levem ſaltem ineſſe culpam, ut ex antiquis Patribus plures, pluresque Interpretes affirmant; addit, quod ſi Iacobum, & Rebeccam velimus ab omni culpa excuſare, ſatius eſt ut dicamus eos exiſtimaſſe mendacium hoc licuiſſe, neque indecorum eſſe fateri illos hac in re ignorantia invincibili laboraſſe, quoniam poſt eos tot magni nominis viri in illorum actione, neque mendacium, neque peccatum ineſſe credidere.

At nos huic rei egregium malumus Divi Auguſtini accommodare principium, ut l. 3. de Doctrina Chriſt. cap. 23. ait, quod ſi quando inſignium virorum peccatum aliquod in Scriptura legimus, licet in illo futurarum rerum figura aliqua deliteſcat, non tamen exemplis hiſce ad litteram ſumptis uti debemus, ut noſmetipſos cum tam magnis viris comparantes in ſuperbiam elati ceteris juſtitia, & morum integritate nos antecellere exiſtimemus. Deus enim voluit eorum peccata in ſacris libris referre, ut nos ſemper in timore contineret, juxta terribilem Apoſtoli ſententiam 1. Cor. 10. 12. *Qui ſtat, videat, ne cadat*. Divus Auguſtinus paulo ante ait, quod cum in veteris Teſtamenti libris viri, qui in iis laudantur, aliquid egiſſe leguntur, quod divinis novæ Legis adverſetur præceptis, id accipiendum eſt, ut futurorum figura, non autem ut exemplum, quod imitemur. *Figuram ad intelligentiam referat, factum*

A *vero ipſum ad mores non transferat*. Tandem poteſt huic rei accommodari, quod idem Divus Auguſtinus ſcribit in libris contra Fauſtum, verba faciens de inceſtu Loth cum ſuis filiabus, quod quidem nos in c. 19. 31. retulimus.

ỹ. 23. ET NON COGNOVIT EUM.] Deus qua erat erga Jacobum bonitate permiſit, ut Iſaac vel invitus illi benediceret. Iſaac quodam Spiritus Sancti impulſu, cui repugnare nequaquam potuerit, ad rem hanc permotus videtur, ut obſervat Theodoretus quæſt. 80. in Geneſ. Etenim cum Patriarcha ſe erraſſe tunc cognoviſſet, cum Eſau a venatione rediens patri ſe ſe obtulit, non ſolum non oſtendit ſe ulla in Iacob ardere iracundia, non ſolum conceſſam benedictionem minime revocavit, ſed Dei voluntaB tem agnovit, & veneratus eſt, qui ipſius linguam, quantumlibet præcaviſſet, moderatus erat, ut benedictionem Iacobo elargiretur. Quinimo Auguſtinus Torniellus vult non potuiſſe Iſaacum intra ſe ambigere, an iſte, qui ipſum alloquebatur, Iacob eſſet, quoniam ejus vocem intelligebat; ſed eum ſe divina quadam vi compulſum ſentiret ad benedicendum illi, qui ſe ipſi offerebat, quique ſe filium primogenitum dicebat, noluiſſe Deo reſiſtere, myſterium hoc, quod ignorabat, tunc ſolum libenter percepturum, cum Deus illud ipſi pateſacere placuiſſet. Cum a venatione rediiſſet Eſau, tunc Iacob quid actum fuerat, aperte cognovit, tantumque abeſt, ut tributæ Iacobo benedictionis ipſum pœniteret, quin potius Jacobum primogenitum loco ſemC per habuerit, pro certo exiſtimans nullam fuiſſe Eſau irrogatam injuriam, Deumque ipſum jus, quod ad Eſau ſpectare videbatur, in Iacobum tranſtuliſſe.

ỹ. 27. UT SENSIT VESTIMENTORUM EJUS FRAGRANTIAM.] Apud antiquos veſtes odoriferæ valde in uſu erant, ut colligitur ex Homero, & Plinio [2] pluribus in locis. Veſtes in arcis, ſeu armariis una cum fructibus, ſeu herbis odoriferis recondebantur.

ECCE ODOR FILII MEI, SICUT ODOR AGRI PLENI.] Benedictiones, quas Parentes filiis ſuis tribuebant, haberi quodammodo poterant veluti eorum teſtamenta, & ultimæ voluntates. Sæpe in iis pronuntiandis occaſionem ſumebant ea iis, quæ eorum ſenD ſibus objiciebantur, atque ſæpe alludebant ad eorum nomen, quibus benedictionem impertiebantur. Noe, exempli cauſa, Gen. 9. 27. ad nomen Japhet, & Iacob Geneſ. 49. 8. ad nomen Judæ eleganter alludunt in filiis ſuis benedicendis. Iſaac ſuavi captus odore veſtium Eſau, quibus Rebecca Iacobum induerat, inde precari cœpit: *Ecce odor filii mei, ſicut odor agri pleni* &c. Sub hac agri idea proſequitur illi precari, quæ poterant ejus hæreditatem pinguem reddere, ac locupletem: videlicet fertile ſolum, cœli rore irrigatum, quod uberem frugum omnium copiam producit. *Sicut agri pleni*. Vox *pleni* in hodierno textu Hebraico non legitur, ſicut neque apud Onkelos, neque in verſionibus Syriaca, & Arabica, quæ habet; *Sicut viridarii*; neque in E quibuſdam bibliis Latinis: habetur tamen in textu Samaritano, in Septuaginta [3], atque in Syriaca veteri verſione. Amanuenſium incuria excidit forte in textu Hebraico; quandoquidem Divi Hieronymi ætate nondum fuiſſe verbum hoc e Bibliis Hebraicis expunctum probabile videtur; legitur enim in ejus verſione, neque uſpiam animadvertit vocem hanc ab Hebraico textu abeſſe. Qui varias antiquorum Interpretum Græcorum lectiones adnotarunt, neminem in hoc loco differre deprehenderunt.

Ager plenus agrum ſignificat ſegetum copia divitem, aut floribus, & herbis plenum, ita ut agro inculto opponatur, ac ſterili, in quo nulla fruges matureſcit; quorum quamplurimi cernuntur in Arabia,

1 Bonfrer. in hunc loc. 2 Plin. l. 21. c. 7. & 19. & l. 12. c. 3.
3 70. ἀγροῦ πλήρους. Heb. שדה.

qui ſicca, & ardenti arena tantummodo teguntur. *Cui benedixit Dominus* [1]. Verba hæc denotant ſolum fœcundum, & cultum, ut diſtinguatur ab agro inculto, cui Deus nullo modo benedicit, ideſt, qui neque pluvia, neque rore irrigatur, quique nihil omnino producit: ſicuti montes Gelboe, de quibus 2. Reg. 1. 21. dictum eſt; *Nec ros, nec pluvia deſcendant ſuper vos.*

Philoſophi naturales notant agros fertiles ſuavem odorem exhalare, præſertim cum poſt longam ſiccitatem pluvia immaduerint. *Cum a ſiccitate continua*, inquit Plinius l. 17. c. 5. *immaduerit imbre, tunc emittit illum ſuum halitum divinum ex ſole conceptum, cui comparari ſuavitas nulla poſſit.* Et Cicero de Oratore cap. 25. de odoribus verba faciens hæc habet: *Magis laudatur, quod terram, quam quod crocum olere videatur.* Et Divus Auguſtinus de morib. Manic. l. 11. cap. 16. inquit: *Perfuſa imbri terra ſiccior, nares miro odore permulcet, melinſque olet tale lutum, quam ſi exciperetur pluvia purior.* Vide etiam Tzetzem Chiliad. 8. v. 990.

℣. 28. DET TIBI DEUS DE RORE COELI, ET DE PINGUEDINE TERRÆ, ABUNDANTIAM FRUMENTI, ET VINI.] Hebraicus textus hæc habet: *Det tibi Dominus de rore cœli, & de pinguedine terræ, & abundantiam frumenti, & vini.* Nec apud Septuaginta, nec in Vulgata adeſt ante verbum *abundantiam* conjunctio. Chaldaica verſio per hæc verba *de pinguedine terræ* intelligit *bona terræ*, excellentiores fructus, aut etiam ſolum fertile: *bonum terræ*. Nonnulla antiqua exemplaria Latina addunt & *olei*, quod non legitur in textu Hebraico. Duobus tantum anni temporibus imbres decidere ſolent in Palæſtina; videlicet circa menſem Septembrem, cum frumenta ſeri incipiunt, & hæc pluvia in Scriptura plerumque appellatur [1] *Temporaneus imber*; ac circa menſem Aprilem, ut hordea matureſcant, & hæc verni temporis pluvia vocatur *imber ſerotinus* [2]. Ita Interpretes. Verum ſi loca omnia, in quibus duo hæc vocabula referuntur, exacte comparentur, mihi ſane videtur *imber ſerotinus* ſignificare pluviam, quæ cadebat ad finem anni civilis, circa menſem Septembrem, poſt fructuum collectionem: pluvia hæc a Scriptura appellatur *ſerotinus imber* Exod. 9. 33. Rurſum vero pluvia *temporaneus imber* vocata cadebat ſub initium veris, ante hordei meſſem, & feni collectionem, quæ fere ſemper poſt feſtos dies Paſchatis fiebat. Conſule Amos 7. 1. Videri etiam poſſunt, quæ a nobis notantur in Deut. 11. 14.

In Palæſtina, viciniſque regionibus, in quibus raro pluebat, ut modo diximus, plantæ fervente æſtate nocturno rore [3] nutriebantur. Hujus copioſi in Palæſtina roris argumentum eſt ros ille, qui in vellum Gedeonis cecidit, ut habetur Judic. 6. 38. quo expreſſo concha oppleta eſt. Chuſai 2. Reg. 17. 12. exercitum in hoſtem impetum facientem rori comparat in terram delabenti, quod ſane uberrimi roris ideam exhibet. Hic erat veluti exigua quædam pluvia, qui ſummo quotidie mane decidebat, *ſicut nubes roris in die meſſis* &c. inquit Iſaias 18. 4. & Sponſus Cant. 5. 4. ait ſe capillos rore madefactos habere: *caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium.* Vide quæ adnotavimus in lib. Jud. 6. 37.

ABUNDANTIAM FRUMENTI, ET VINI.] Verbum Hebraicum תירוש *Tiroſch* verti melius poſſet *muſtum*, vinum dulce, vinum quod coquebatur, quodque toto anno dulcedinem ſervabat. Antiqui hujuſ-
A modi vina plurimi faciebant: Vide Plin. l. 14. c. 19. ac.

℣. 29. SERVIANT TIBI POPULI, ET ADORENT TE TRIBUS.] Chaldaica verſio: *populi tibi ſerviant, & regna tibi ſubjiciantur.* Septuaginta: Nationes tibi ſerviant, & adorent te Principes. Voces Hebraicæ עמים *Ammim*, & לאמים *Leummim* æque plerumque redduntur *populi*. Alterum innuere poteſt Eſau poſteros, Idumæos; alterum autem Agar, Cethuræ, & Labani poſteros. Poſſunt etiam ita duo hæc membra accipi, ut alterum explicet alterum, & unum tantum ſenſum ſimul efficiant, qui repetitur etiam in duobus membris, quæ ſequuntur.

ESTO DOMINUS FRATRUM TUORUM, ET INCURVENTUR ANTE TE FILII MATRIS TUÆ.] Sive tan-
B dem *Ammim*, & *Leummim* populos extraneos notant, qui, futurum erat, ut Iacobi poſteris ſubjicerentur: *& fratres tui, & filii matris tuæ*, innuunt poſteritatem Eſau, Agar, & Cethuræ, quæ pariter iiſdem ſubjici debebat. Explicatio hæc omnium optima videtur. Septuaginta vertunt: Eſto dominus fratris tui, & incurventur ante te filii patris tui.

℣. 33. EXPAVIT ISAAC STUPORE VEHEMENTI.] Quidam Hebraicum textum [4] vertunt: *Commotus eſt tremore vehementi.* Septuaginta [5] ajunt eum ingentem extaſim fuiſſe paſſum; adeo obſtupuiſſe, ut extra ſe quodammodo raperetur. Divus Auguſtinus quæſt. 80. putat illum in hac mentis alienatione myſterium cognoviſſe, quod in benedictione Jacobo
C tributa fuerat impletum; cumque Dei voluntatem intellexerit, promiſſa non auſum fuiſſe revocare. Ex Rabbinis nonnulli volunt ipſum inferos apertos vidiſſe, tamque habuiſſe Iacobi jura eo delabendi timore perculſum.

QUIS IGITUR ILLE EST?] Hebraicus textus ad litteram [6]: quis, (&) ubi eſt ille qui captam venationem attulit mihi? *Quis ubi ille*, quis eſt ille, & ubi eſt ille?

BENEDIXIQUE EI, ET ERIT BENEDICTUS.] Iſaac non conqueritur, inquiunt D. Auguſtinus lib. 16. de Civit. cap. 37. & Theodoretus quæſt. 80. quod fuerit deceptus; ſed myſterii quod tunc illi Deus aperuerat, altitudinem admiratur: tantumque abeſt, ut ulla adverſus Jacob, qui eum fefellerat, ardeat ira-
D cundia, quin potius conceſſas ſemel benedictiones denuo confirmat. Deum fuiſſe cognovit, qui ipſi verba ſuggeſſerat, eaque omnia diſpoſuerat, quæ tantam attulere Jacobo utilitatem.

℣. 34. IRRUGIIT CLAMORE MAGNO.] Hebraicus textus: *irrugiit clamore magno, & valde amaro*. Quod ſequitur, *& conſternatus*, non legitur neque in hebraico textu, neque apud Septuaginta. Eſau plorans, & clamans veniam non meruit, nihilque eum juvit pœnitentia, *licet lacrymis conjuncta*, juxta D. Pauli ſententiam Hebr. 12. 17. quoniam doluit potius de eo quod Jacob ſibi præeſſet, quam de crimine, quo ſe primogenituræ jus venundans obſtrinxerat.

℣. 35. VENIT GERMANUS TUUS FRAUDULENTER.] Hebraicus textus [7]: *Venit in aſtutia*, vel *in ſagaci-*
E *tate*. Chaldaica verſio: *in ſapientia*, ſeu, in dexteritate [8]. *Dolus*, & *ſapientia* in bonam, & malam partem in Scriptura accipiuntur. D. Chryſoſtomus in lib. de Sacerdot. verſ. fin. pluribus probat Jacobi ſagacitatem hac in re fuiſſe commendatione dignam. Non idem tamen omnes ſentiunt, ut jam oſtendimus v. 19. Aquila [9] vertit: venit inſidias mihi parans; Symmachus [10]: mihi impoſuit.

℣. 37.

1 יורה Jaſe.
2 מלקוש. Malcuſch.
3 Plin. l. 18. 21. *In Bactris, Africa, Cyrene ... Siccitas coercet herbas, fruges nocturno tactas rore nutriens.*
4 ויחרד יצחק חרדה גדלה.
5 Ἐξέστη ἔκστασιν μεγάλην.
6 מי אפוא הוא. Τίς οὖν ὁ θηρεύσας.
7 במרמה in aſtutia.
8 בחכמתא in ſapientia.
9 Aquil. Ἐνέδρας.
10 Sym. ἐν ἐπιθέσει.

℣. 37. FRUMENTO, ET VINO STABILIVI EUM.] A Ad litteram: *ego eum ſubſtinui*, nutrivi, ac ſuſtentavi, *vino, & frumento*; ipſi prædium dedi, quod frumentum, & vinum ad eum alendum affatim ſuppeditabit.

℣. 39. IN PINGUEDINE TERRÆ, ET IN RORE CÆLI DESUPER, ERIT BENEDICTIO TUA.] Hebraicus textus, Onkelos, verſiones Syriaca, Arabica, & Septuaginta habent: *Habitatio tua erit in regione fertili, & rore cæli irrigata*. Philo quoque in lib. de congreſſu quær. eruditionis gratia p. 449. hunc textum de benedictione, ſed allegorica, intelligit.

Verum quomodo id poteſt de Idumæa intelligi, quam ſterilem admodum ac aridam fuiſſe regionem novimus? Nonnulli, ut Caſtilionæus, & Clericus, hebraicum textum [1] in oppoſitam omnino ſententiam B transferunt: *A rore cæli, & a pinguedine terræ aberit habitatio tua*. Habitatio tua neque fœcunda erit, neque rore irrigabitur. Certum eſt propoſitionem hebraicam *min* ſignificare aliquando *ab*, ſeu *ex*, idque magis proprie, quam *in*. Occurrunt phraſes in textu hebraico, quæ huic interpretationi maxime ſuffragantur: ex. gr. Pſal. 108. 24. ubi Vulgata legit: *Caro mea immutata eſt propter oleum*; hebraicus textus habet, ut hic; *immutata eſt a pinguedine* [2]; id eſt, *ob defectum olei*, Caro mea ob defectum olei macie contabuit.

℣. 40. VIVES IN GLADIO.] Verti poteſt Hebraicus textus על חרבך; *vives ex gladio* [3]. Hoc Iſaaci vaticinium propenſionem innuit, qua Idumæi, æque ac ceteri Arabes ad latrocinia ferri debebant: notat C etiam eorum pro libertate ſtudium; ſive eorum crudelitatem, ac violentiam; aut tandem neceſſitatem, qua futurum erat ut ſe armis tuerentur. Præſertim vero martialia illorum ſignificat ingenia. Plurima hiſtoriæ nobis ſuppeditant argumenta ad hanc Idumæorum propenſionem comprobandam. Joſephus l. 4. de bello Judaico c. 15. affirmat hoſce populos adeo ad bellum pronos eſſe, ut vix rogati ſtatim arma ſumant, eaque alacritate in pugnam ruunt, qua ceteri homines ad ſpectacula conveniunt.

Arabes quoque, & Mahumetani hunc ad bella impetum retinuere, ut obſervat Chriſtophorus Richetius de moribus Turcarum, & Arabum. Nemo eſt inter illos, qui ad arma natus eſſe non videatur. Cum militum delectus habetur, qui domi remanent, ſibi D magnam inferri injuriam putant, militiam maximum omnium honorem exiſtimantes. Nunquam aut ſpectaculi alicujus videndi, aut religionis exercendæ cauſa ſimul conveniunt, quod preces pro iis non fundant, qui ſub armis degunt. Eos præclariſſima mortu occumbere credunt, qui inter pugnandum, & inter arma cadunt.

FRATRI TUO SERVIES; TEMPUSQUE VENIET, CUM EXCUTIAS, ET SOLVAS JUGUM EJUS DE CERVICIBUS TUIS.] Eſau nunquam ipſe Iacobo ſubjectus extitit; verum ejus poſteri Regibus Iuda paruerunt a Davide [4] uſque ad regnum Ioram filii Ioſaphat. *In diebus ejus receſſit Edom, ne eſſet ſub Juda, & conſtituit ſibi regem* 4. Reg. 8. 20. Jugum denuo ſubierunt Hircano Pontifice ex Aſſamonæorum familia rempublicam adminiſtrante; ut teſtatur Ioſephus lib. 13. E antiq. c. 17. Hebraicus textus verti poteſt [5]: *Veniet tempus, cum dominaberis, & confringes jugum, quo onerabaris*. Aliter: *Cum ploraveris, & pœnitentiam egeris, excuties jugum*. Alio tandem modo; *Veniet tempus, quo depones, & confringes jugum &c.*

Vox hebraica *Tarid* a tribus diverſis radicibus deſcendere poteſt [6], quarum prima deponere ſignificat, altera dominari, tertia tandem conqueri. Paraphraſtes Onkelos ita interpretatur: Cum filii Iacob divinæ legi rebelles fient, tu illis dominaberis, & eorum jugum tunc excuties. Abeunt in diverſa Interpretes, ut oſtendant vaticinium hoc impletum fuiſſe hoc in ſenſu acceptum: *Erit tempus cum tu dominaberis, & confringes jugum*. Hebræi id explicant de chriſtianorum, quos Idumæos appellant, in Iudæos dominatu. Alii de Herodis, ejuſque liberorum in Iudæos id intelligunt imperio. Antipatrum Herodis magni parentem Idumæum fuiſſe liquet; ſed Peterius notat in textu non dici Idumæos Judæis dominaturos, ſed ſimpliciter, eos *dominaturos*: quod evenit, cum Idumæi a Ioram Rege Iudæ deſciverunt, ſe aſſeruerunt in libertatem, ac ſibi Regem creaverunt 4. Reg. 8. 20. Sed cur id non interpretabimur de Principibus, de Capitibus, de Regibus, quos ii longo ante tempore habuerunt; etiam antequam Hebræi Reges haberent? Vide inferius cap. 36. 10. 11. 12. & ſeq.

En quo Iſaaci benedictiones Eſau tributæ procedunt. Ratas habent, quas antea Jacob retulerat: & Apoſtolus Heb. 12. 17. eas, ſi cum Iacobi benedictionibus comparentur, adeo parvi facit, ut non dubitanter aſſerat Eſau mereri patris benedictionem minime potuiſſe; fuiſſe repulſum; neque impetrare, quibuslibet obteſtaretur lacrymis, valuiſſe ut quam fratri ſuo elargitus fuerat benedictionem revocaret.

C FRATER TUUS MINATUR, UT OCCIDAT TE.] Hebraicus textus ad litteram [7]: *Injuriæ quam ei intuliſti, dolorem ſolatur, quod te occiſurum ſperat*. Onkelos, & Jonathan; Tibi inſidias ſtruit, ut te interficiat. Rab. Salomon: Adeo frater tuus dolet, (moleſte fert) quod te fratrem habeat, ut quærat tibi necem inferre.

HABITABIS CUM EO DIES PAUCOS.] Hebraicus textus [8]: *dies unos*. Septuaginta [9]: *dies nonnullos*. Poteſt etiam ſimpliciter accipi, ut in Vulgata, pro tempore indefinito, aut pro nonnullis annis, aut pro uno anno. Degit in Meſopotamia Jacob diutius, quam ab initio conſtituerat, ibi commorari contracto conjugio, ac quam Labano ſuocero ſuo ſpoponderat, opera coactus.

D ℣. 45. CUR UTROQUE ORBABOR FILIO UNO DIE.] Hebraicus textus: *cur amittam ambos filios meos eodem die*. Rebecca Eſau ut hominem perditum intuebatur, quoniam cum uxores Chananæas ille duxiſſet, feroque, ac agreſti eſſet ingenio, eam ſæpiſſime graviter offendebat. Eo inſuper timore Rebecca percellebatur, ne ſi Eſau Jacobum interficeret, ac proinde a parentibus ſuis longius abire coactus eſſet, ambobus filiis ſuis uno tempore orbaretur. Illud tandem vereri debebat, ne ſi Eſau Jacobum aggrederetur, hic vim a ſe propulſans fratri mortem inferret; aut etiam ne duo fratres ſe invicem conficerent; aut ne tandem ad ejus, qui caderet, necem ulciſcendam ſuperſtitis fratris vita expoſceretur; atque ita Rebecca uno die revera utrumque filium amiſiſſet.

E ℣. 46. TÆDET ME VITÆ MEÆ [10] PROPTER FILIAS HETH.] Rebecca veram ſuæ ſollicitudinis cauſam Iſaaco celat, atque rationem, cur Jacobum in Meſopotamia uxorem ducere exoptet. Fieri poteſt, ut Iſaac non noſſet, quæ Rebeccam inter, & Jacobum interceſſerant, & Eſau minas ignoraret.

1 משמני הארץ יהיה מושבך ומטל השמים
2 משמן
3 על *Aliquando ſignificat ex; vide Glaſſium & Geneſ. 16. 5. & 41. 15. & Ezech. 4. 15.*
4 2. Reg. 8. 14.
5 והיה כאשר תריד ופרקת עלו מעל צוארך 70. ἔσαι δὲ ἡνίκα ἐὰν καθέλῃς. *Erit cum depoſueris jugum, &c.* Alius ἔσαι δὲ ἐὰν καμφθῇς. *Erit autem ſi flectaris*. Alius; Ἐ ἔσαι καθὼς καταβιβάσῃς. *Et eris cum deprimeris*.
6 *Deponere* ירד. *Dominari* רדה. *Conqueri* רוד
7 אחיך מתנחם לך להרגך. 70. ἀπειλεῖ σοι; *Tibi minatur*. Alius, δολοῦται κατὰ σοῦ; *In te machinatur*.
8 ימים אחדים
9 70. Ἡμέρας τινὰς
10 קצתי. 70. προσώχθικα. *Infenſa ſum*. Aq. ἐσίχαινα. *Tædio affecta ſum*. Sym. ὀνεκαίσα. *Vexata ſum*.

CAPUT XXVIII.

Iter Jacobi in Meſopotamiam. Eſau uxorem accipit Mabeleth filiam Iſmaelis: Jacob in Bethel myſticam ſcalam videt. Lapidem erigit in monumentum.

1 VOcavit itaque Iſaac Jacob, & benedixit eum, præcepitque ei dicens; No-
li accipere conjugem de genere Chanaan; 2 Sed vade, & proficiſcere
in Meſopotamiam Syriæ, ad domum Bathuel patris matris tuæ, & acci-
pe tibi inde uxorem de filiabus Laban avunculi tui, 3 Deus autem omnipotens
benedicat tibi, & creſcere te faciat, atque multiplicet; ut ſis in turbas populo-
rum. 4 Et det tibi benedictiones Abrahæ, & ſemini tuo poſt te; & poſſideas
terram peregrinationis tuæ: quam pollicitus eſt avo tuo. 5 Cumque dimiſiſſet eum
Iſaac, profectus venit in Meſopotamiam Syriæ ad Laban filium Bathuel Syri, fra-
trem Rebeccæ matris ſuæ. 6 Videns autem Eſau, quod benedixiſſet pater ſuus Jacob,
& miſiſſet eum in Meſopotamiam Syriæ, ut inde uxorem duceret, & quod poſt bene-
dictionem præcepiſſet ei, dicens: Non accipies uxorem de filiabus Chanaan: 7 Quod-
que obediens Jacob parentibus ſuis iſſet in Syriam; 8 Probans quoque quod non
libenter aſpiceret filias Chanaan pater ſuus; 9 Ivit ad Iſmaelem, & duxit uxorem,
abſque iis, quas prius habebat, Maheleth filiam Iſmael filii Abraham ſororem Na-
bajoth. 10 Igitur egreſſus Jacob de Berſabee, pergebat Haran. 11 Cumque veniſ-
ſet ad quemdam locum, & vellet in eo requieſcere poſt ſolis occubitum, tulit de la-
pidibus, qui jacebant, & ſupponens capiti ſuo, dormivit in eodem loco. 12 Vi-
ditque in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cœlum; an-
gelos quoque Dei aſcendentes, & deſcendentes per eam. 13 Et Dominum innixum
ſcalæ dicentem ſibi; Ego ſum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Iſaac: Ter-
ram, in qua dormis, tibi dabo, & ſemini tuo. 14 Eritque ſemen tuum quaſi pulvis
terræ: dilataberis ad Occidentem, & Orientem, & Septentrionem, &
Meridiem: & benedicentur in te, & in ſemine tuo cunctæ tribus terræ. 15 Et ero
cuſtos tuus quocumque perrexeris, & reducam te in terram hanc; nec dimittam, niſi
complevero univerſa, quæ dixi. 16 Cumque evigilaſſet Jacob de ſomno, ait: Vere
Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam. 17 Paveníque, Quam terribilis eſt, in-
quit, locus iſte! non eſt hic aliud niſi domus Dei, & porta cœli. 18 Surgens ergo
Jacob mane, tulit lapidem, quem ſuppoſuerat capiti ſuo, & erexit in titulum, fundens
oleum deſuper. 19 Appellavitque nomen urbis Bethel, quæ prius Luza vocabatur.
20 Vovit etiam votum, dicens: Si fuerit Deus mecum, & cuſtodierit me in via, per
quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad
induendum; 21 Reverſuſque fuero proſpere ad domum patris mei; erit
mihi Dominus in Deum. 22 Et lapis iſte, quem ercxi in titulum,
vocabitur domus Dei; cunctorumque, quæ dederis mihi, decimas offeram
tibi,

℣. 2. VADE, PROFICISCERE IN MESOPOTAMIAM SYRIÆ.] Hebraicus textus [1]: *Surge, proficiſcere ad Padan Aram*. Septuaginta: *Surge, & fuge in Meſopotamiam*. Revera Jacobi iter fugæ ſimilis eſt, unde Oſeæ 12. 12. habetur: *Fugit Jacob in regionem Syriæ*; & Auctor libri Sapientiæ cap. 10. 10. inquit: *Profugum iræ fratris juſtum deduxit per vias rectas*. Divus Auguſtinus in quæſt. 83. in Geneſ. ex hiſce verbis: *Fuge, ſecede* &c. infert Iſaaco pravum Eſau A animum innotuiſſe, ſed Hebraicus textus huic opinioni minime favet.

PADAN ARAM [2].] Meſopotamiam univerſam non ſignificat, ſed eam ſolummodo partem, quæ ulturam patitur, & in planitiem extenditur. *Padan Aram* eadem eſt ac *Sede Aram* [3]; planities Aram; quo pacto appellatur hæc regio Oſeæ 9. 13. Strabo l. 16. Meſopotamiam in duas dividit partes; altera, quæ magis ad Septentrionem vergit, fertilis eſt, & paſcuis abundat: altera autem, quæ Meridiem, & Ba-

1 קום לך פדנה. 70. ἀναστὰς ἀπόδραθι.
2 פדן ארם Padan-Aram.
3 שדה ארם Sadeh Aram.

& Babylonem verſus extenditur, ſterilis eſt, & deſerta, eamque ſoli habitant quidam Arabes Scænitæ, qui eo ab Arabia Deſerta migrarunt. Ex deſcriptione, quam nobis tradit Xenophon l. 1. itineris ab exercitu Cyri junioris confecti colligitur Meſopotamiæ partem Meridionalem admodum ſterilem fuiſſe; ſed ea pars, quæ vergit ad Septemtrionem, & ſita eſt e regione Tapſachæ, & ad Chaboram amnem, quem citatus auctor vocat Araxem, eſt optime culta, & maxime fertilis.

ỷ. 4. Benedictiones Abrahæ.] Textus Samaritanus, & nonnulla exemplaria Septuaginta habent: *Benedictiones Abrahæ*: *benedictiones patris mei*. Alii, *patris tui*. *Quam pollicitus eſt avo tuo*. Hebræus: *quas elargitus eſt Abrahæ*. Quemadmodum Iſaac excluſo Iſmaele habitus fuit ſolus hæres promiſſorum, quæ facta fuerant Abrahæ; ita Iacob excluſo Eſau declaratur ab Iſaaco ſolus ſucceſſor benedictionum, quæ ejus familiæ promiſſæ fuerant. In hanc ſententiam loquitur Aug. de Civit. lib. 16. c. 38.

ỷ. 5. *Ad Laban filium Bathuel Syri, fratrem Rebeccæ matris ſuæ.*] Textus Samaritanus, Onkelos, Verſio Syrieca, Arabica, Septuaginta legunt: *Fratrem Rebeccæ, matris Jacobi, & Eſau*. A Scriptura Bathoel appellatur Aramæus, ſeu Syrus, non quod ab Aram filio Sem deſcenderit; ſed quod in ea degebat regione, quam poſteri Aram occupaverant.

ỷ. 9. Ivit ad Iſmaelem, et duxit uxorem .. .... Maheleth filiam Iſmael ... Sororem Nabajoth..] Iſmael quatuordecim ante annis mortuus fuerat. Iſmael itaque hic ponitur pro Iſmaelitis, aut pro familia Iſmael, & præſertim pro Nabajoth, apud quem probabiliter morabatur ejus ſoror Maheleth. Regio, quam primum incoluit Eſau, erat admodum proxima regioni, quam habitabat Nabajoth, quod ſuaſit Straboni l. 16. p. 501. Idumæos originem ducere e Nabathæis; & fortaſſe qui Iſmaelitarum regioni proximi hæſere, erant Maheleth poſteri, qui cum Circumciſionem retinuerint, etiam citato authori dedere aſſerendi, quod modo retulimus. Matrimonium hoc Eſau ideo celebravit, ut in ſuorum parentum gratiam rediret, quod ſane hic denotat Scriptura. Maheleth appellatur Baſemath, Geneſ. 36. 3.

ỷ. 11. Cum veniſſet ad quendam locum.] Ex Hebræis nonnulli apud Lyranum, Cajetanum & Lippomanum contendunt locum hunc eſſe montem Moriah, quo recta ivit Iacob, ut proſperum itineris ſui exitum a Deo precaretur, apud Altare, quod Abraham ibi extexerat. Quæ inferius v. 22. leguntur; *locus hic vocabitur domus Dei*; opinioni huic occaſionem præbuit; & D. Auguſtinus quæſt. 83. in Geneſ. verba hæc accepit, ut vaticinium templi eodem in loco ædificandi. Sed nos putemus locum, ubi Iacob ea nocte moratus eſt, eſſe prope urbem Luza, vocatam in ſequentibus Bethel, quæ ſignificat, *Domus Dei*, ut mox adnotabimus.

Tulit de lapidibus.] Aut potius, ex lapidibus, qui aderant, unum elegit, quem capiti ſuo ſupponeret; quem deinde erexit in monumentum, ut ibi habitæ viſionis memoria ſervaretur. Unum tantum ſumpſit, ut ex ſequentibus liquet; licet Rabbini eum tres ſumpſiſſe lapides, quos poſtero mane ſimul juncti in unum coaluiſſe inveneri fuerint, fabulentur.

ỷ. 12. Vidit in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram.] Deus Jacobum iter ſuſcipientem viſione hac confirmare voluit, atque ſolari. Scala quam ipſi oſtendit, ſignificabat juxta Theodoreti ſententiam quæſt. 83. in Geneſ. & Cyrilli Alex. lib. 10. in Gen., divinam providentiam, quæ ad omnes res humanas extenditur; Angeli, qui Dei juſſa facturi deſcendebant, quique aſcendebant rationem de iis reddituri, quæ ipſis exequenda commiſſa fuerant, denotant abſolutum Dei dominium in res omnes creatas, quarum, quæ magis eminent, ipſi ad nutum obtemperare glorioſum putant. Fortaſſe etiam Deus ſignificare Jacobo volebat futurum, ut ſpeciali eum ſemper cura tueretur & in Meſopotamiam proficiſcentem, & ibi commorantem, & ad patrios lares redeuntem.

Plures ſcalam hanc denotare putant verbi Incarnationem, quod homines Deo reconcilians terram quodammodo cœlo junxit. Per hanc ſcalam in mundum deſcendit Chriſtus Jeſus, cujus ſane ſcalæ varii gradus ſignificant Patriarchas, qui ſibi invicem ſuccedentes ſeriem non interruptam conficiunt ſanctorum virorum, qui veram Religionem profeſſi ſunt. Ad hanc viſionem referri poſſunt, quæ dicit Chriſtus Jeſus in Evangelio Io. 1. 51. *Videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei aſcendentes, & deſcendentes ſupra filium hominis*; & quod idem Salvator dicit Io. 14. 6. *Ego ſum via, veritas, & vita; nemo venit ad Patrem, niſi per me.*

Ebionitæ, S. Epiphanio lib. 3. contra hæreſes hæreſ. 30. teſte, librum excuderent, cui titulus: *Scala Jacobi*, ubi Patriarcham hunc introducunt narrantem ſomnium de mirabili hac ſcala, quæ ei dormienti apparuerat. Liber hic amplius non extat. Stretonicus e Sixto Senenſi Bibliot. l. c. citatus loquitur etiam de inſcriptione, quam nonnulli contendunt Iacobum ſuperpoſuiſſe lapidi, quem in Bethel erexerat in monumentum.

ỷ. 13. Et Dominum innixum Scalæ.] Hebreicus textus: *Et ecce Jehovah, qui ſtabat ſuper illam*, aut, *juxta illam*. Deus, ſi Alkaſar audiamus, imis ſcalæ gradibus averſus innitebatur, quoniam Iacobum alloquitur, quod non potuiſſet, ſi in ſumma ſcala, & in cœlo extitiſſet. Sed cur non potuit Deus a Iacobo per ſomnium æque e ſummo cœlo ac ex imis ſcalæ gradibus audiri? Chaldaica verſio habet: *Gloria Dei erat ſuper illam*. Arabica: Angelus Domini apparuit apud illum. Grotius putat Angelum ordinis ſuperioris fuiſſe, qui Deum ipſum repræſentabat; quod eſt admodum probabile.

Terram in qua dormis tibi dabo, et semini tuo.] Tibi dabo terram Chanaan, in qua dormis, & ex qua mox egredieris; & quod tibi ſpondeo, in tuis poſteris implebitur, qui illam vere poſſidebunt. Septuaginta addunt: *ne timeas*.

ỷ. 14. Benedicentur in te, et ſemine tuo cunctæ Tribus terræ.] Tua, poſterorumque tuorum felicitas, non te ſolum, neque illos tantum afficiet: ſed in cunctos terræ populos diffundetur Meſſiæ adventu, qui benedictus eſt, & omnium Nationum benedictio. Ita locum hunc interpretantur Patres poſt D. Paulum Galat. 3. 16. qui peculiari obſervatione notat in Scripturæ Abrahamo dictum eſſe *in ſemine tuo*, non autem *in ſeminibus*; perinde ac vellet innuere unum eſſe promiſſionum hæredem; atque proinde vaticinium de Chriſto proprie fuiſſe prolatum, non autem de omnibus Abrahami, aut Iacobi Abrahæ ſucceſſoris, cujus intuitu Deus hic promiſſa ſua confirmat, poſteris. Textus verba in ſenſu litterali accepta ſic etiam poſſumus interpretari: Adeo ingens, ac felix erit proſperitas tua, ut homines nihil aliud deſideraturi ſint, quam ut ſimili fortuna frui poſſint. Cum alii aliis fauſta invicem ominari volent, hæc dicent: Dominus te bonis cumulet, ſicut cumulavit Iacobum; tuam poſteritatem, tuum genus, ut Iacobi ſtirpem, augeat.

ỷ. 16. Vere Dominus eſt in loco iſto, et ego neſcieram.] Putabat Iacob Deum non poſſe ſe eo in loco manifeſtare, ubi ejus nomen non colebatur. Miratur vehementer Deum ſibi apparuiſſe in media regione Chenaan, ex qua ejus pater eum egredi juſſerat, ne forte ad peſſima incolarum exempla incitaretur; exclamat proinde: Dominus ergo hic & cognoſcitur, & colitur, & ego neſciebam? Fieri etiam poteſt, ut Iacob expergefactus ſe forte in loco Deo dicato recubuiſſe putaverit, ſummque admirationem hic oſtendit dicens: *Quam terribilis eſt locus iſte! Vere non eſt hic aliud, niſi domus Dei, & porta cœli.*

Tom I. Q 3 Senſum

Senſum hunc unte oculos habuiſſe videtur paraphraſtes Chaldæus, dum locum iſtum ita interpretaretur: *Non eſt hic locus vulgaris, ſed locus eſt Deo carus, & cæli porta vicinus. Domus Dei, & porta cæli* fortaſſe ut ſynonyma uſurpantur. Apud Hebræos, Chaldęos, & Arabes idem ſonat Domus Principis, & porta Principis. Dici etiam poteſt verbis hiſce *porta cæli* alludi quodammodo ad id, quod Deus Iacobo oſtenderat: vidit iſte Cœlum apertum; ex quo factum eſt, ut locus, ubi erat, ab ipſo *Portæ cæli* diceretor.

℣. 18. TULIT LAPIDEM .... ET EREXIT IN TITULUM.] Vox hebraica *Matzebah* מַצֵּבָה, quæ reddita eſt *titulum*, alibi [1] pro ſtatua & aliquando etiam pro altari accipitur. Nonnulli Interpretes vertunt, ſtatuam, terminum, monumentum. Non ideo Iacob monumentum hoc erexit, ut illud ſuperſtitioſe coleret, ac veluti Idolum veneraretur; ſed ut divinorum promiſſorum, votorumque, quæ ipſe Deo fecerat, memoriam perennaret, utque hubitæ eo in loco viſionis ſemper ipſe recordaretur. Nihil antiquius tum apud Scriptores Sacros, cum profanos invenitur, quam mox iſte monumenta erigendi ad poſterorum memoriæ commendanda, quæ heroicis temporibus memoria digna contigerant. Nonnulla de eo in cap. 21. 33. jam delibavimus. De hujuſmodi monumentis, ab antiquis heroibus, Hercule puta, Baccho, Iaſone, poſitis ſæpe verba facit [2] Strabo. Eos magnus Alexander in Indica expeditione voluit imitari. Seſoſtris celebris Ægypti Rex toto in Oriente columnas reliquerat, quæ victorias ab ipſo relatas teſtarentur.

FUNDENS OLEUM DESUPER.] Ungendi lapides, & Idola morem apud Veteres viguiſſe notiſſimum eſt. Alexander Achillis ſepulchrum oleo oblevit, & corona impoſita decoravit. De lapidibus, qui ungebantur, ſic loquitur Arnobius li. 1. *Si quando conſpexeram lubricatum lapidem, & ex olivi unguine ſordidatum, tanquam ineſſet vis præſens adulabar, affabar.* Minutius pariter de hujuſmodi lapidibus oleo oblitis coronaque exornatis ait: *In lapides impingere effigiatos ſane, & unctos, & Coronatos.* D. Clemente Alexandrino teſte Stromat. l. 7. Antiqui lapides omnes unctos venerabantur. Hinc fortaſſe mos deſcendit ungendi altaria, muros, & columnas Eccleſiarum, quæ Deo dicantur. Theodoretus q. 81. in Gen. refert plures ſuæ ætatis pias fœminas martyrum ſepulchra, & Sacrorum locorum limina ungere conſueviſſe. Sedes e lapide confectas, in quibus Reges jus dicturi ante ſuas ædes ſedebant, unctas fuiſſe apud Homerum Odyſſ. Γ legimus. Iacob ejus ætatis, ejuſque regionis morem ſequutus commeatum ſecum ferebat; inde oleum, quod ſuper lapidem fudit, potuit depromſiſſe.

℣. 19. APPELLAVIT NOMEN URBIS BETHEL.] Locum, ubi erat, Jacob appellavit Bethel; idemque nomen urbi poſt ejus reditum a *Padan Aran*, ſeu Meſopotamia conditæ inditum fuit. Hinc Bætylis adeo ab antiquis celebratis nomen effluxit. Sanchoniaton ab Euſebio lib. 1. Præpar. cap. 10. deum Cœlum eorum auctorem facit, eoſque vivos eſſe, & animatos lapides affirmat. Ex his nonnulli circa montem Libanum per longum tempus conſpecti ſunt. Aſclepiades, de quo loquitur Damaſcius in Urbe Iſidori apud Phoc. cod. 242. notat quoſdam ex his fuiſſe apud Heliopolim in Syria repertos; & idem Damaſcius aliquos ſe vidiſſe teſtatur, qui per aera movebantur. Cum ii editis in locis ſiti eſſent, & e longe tantum conſpici poſſent, acies oculorum in eos aliquandiu intenta ita præſtringebatur, ut moveri viderentur. Oracula etiam iis tribuebantur, & numen aliquod, ſeu alicuis genius iis ineſſe putabatur. Nonnulli ex his Bætylis Saturno, Soli, aliiſque diis ſacri erant; aitque Heſychius lapidem, quem Saturnus pro filio ſuo Jove devoravit, *Bætylon* fuiſſe a poetis appellatum.

Vetuſtiſſima cotius antiquitatis Idola ex his Bætylis propagata ſunt. Antequam ſculptura maxime floreret, Antiqui, ut teſtatur D. Clem. Alexand. Stromat. lib. 1. columnas erexerunt, quas ut Deorum monumenta, ſeu ſimulacra coluere. Idem refert Pauſanias lib. 7. *Apud Græcos univerſos ſeculis vetuſtioribus rudes lapides pro ſimulacris divinos honores habuerunt.*

Lacedæmones Caſtoris, & Pollucis idola venerabantur, quæ nihil aliud erant, quam duæ columnæ, ſeu duæ trabes binis item trabibus contignatæ. Ea appellabatur *Donakia Δοκανα*; perinde ac ſi ex trabibus *Trabea*, ſeu potius *Trabica* dicerentur. In urbe Bœotiæ Hyetto Herculis templum extabat, in quo rudis, & impolitus lapis tantum aderat. Theſpiis etiam conſpiciebatur antiquus Cupido e rudi lapide confectus. Orchomeni, in antiquo Charitum templo, nonniſi rudes lapides colebantur. Argivæ Junonis, Delphici Apollinis, & Bacchi Thebani Idola ex ſolis lapidibus conſtabant in columnæ modum elaboratis. Simulacrum Dei Elagabali, quod deſcribit Herodianus in Macrino, & Cypriæ Veneris idolum, quod in quodam Caracallæ numiſmate cernitur, erant ex lapidibus metæ, ſeu pyramidis modo exurgentibus. *Continuus orbis latiore initio tenuem in ambitum metæ modo exurgens.* Ita Tacitus hiſt. l. 2 Vide Spencerum li. 2. c. 7. de Ægyptiorum altaribus, & Clementem Alexandrinum Strom. l. 1. Arabes uſque ad Mahometi ætatem impolitum venerabantur lapidem e Meccæ exemplo ſumptum, quod ab Abrahamo fuiſſe ædificatum contendebant. Singulæ Arabum tribus unum ex his lapidibus habebant, quem ſemper ferebant ſecum, & ſub tabernaculo, ſeu in campo collocabant edito in loco, eoque preces facturi reſpiciebant. Vide Chardinum in Perſico itinere t. 2. pag. 431.

APPELLAVIT NOMEN URBIS BETHEL, QUÆ PRIUS LUZA VOCABATUR.] Chaldaica verſio, & Aquila hebraico textui eum ſenſum tribuunt, qui etiam in Vulgata exprimitur. Sed Septuaginta vertunt: *Appellavit locum hunc, Domum Dei, cum prius urbs iſta vocaretur Lammaus.* Quædam exemplaria legunt, *Ulammaus*, alia, *Valam*. Vox Hebraica *Ulam* [3] nomen proprium poteſt eſſe, vel etiam ſignificare *prius*, *ſed*, *certe*, *nam*, *tamen*. Quod autem *Ulam* non ſit pars nominis urbis *Luza*, ex eo colligi poſſe videtur, quod Geneſ. 35. 6. ſimpliciter Luza appelletur. Vide etiam Iudic. 1. 23. 26. & Ioſue 18. 13. Si *Ulam* volumus ſignificare *prius*, reperiemus in textu vocem hanc *prius* repeti eodem in membro ſine ulla neceſſitate. *Appellavit locum hunc Bethel, prius nomen ejus erat alias Luza.* Alii vertunt: *Appellavit locum hunc Bethel, ſeu Domum Dei, ſed (ſeu nam) prius nomen ejus erat Luza.*

Probabile eſt deſertum, in quo noctem Iacob tranſegit, dictum fuiſſe *Luza*, vel quod amygdalis abundaret; Hebraice enim Luza ſignificat amygdalam, ſeu amygdalum; vel quod locus hic jaceret prope vicum nomine *Luza*, qui nomen deinde mutaverit, cum Iſraelitæ regionem Chanaan ingreſſi ſunt; ex eo autem, quod ibi Iacobo acciderat, factum eſt, ut vicus hic ab ipſis vocaretur Bethel, & jam inde a Moyſis ætate locus hic nomine Bethel erat Iſraelitis notus. Hic autem dicitur Iacobum locum hunc Bethel appellaſſe, quod occaſionem Hebræis imponendi hujuſmodi nomen præbuerit.

Urbs aliquando pertinere dicitur ad domum Beniamin, ut Ioſue 18. 22. & 2. Eſdr. 11. 31. aliquando vero ad Ephraim ſpectare, Ioſue 18. 13. & Iud. 1. 22. Reges Samariæ in ea, veluti in urbe eorum ſubjecta imperio vitulos aureos collocarunt.

Pere-

1 Vide Exod. 23. 2. & 4. & Deuter. 16. 22.
2 Strab. lib. 3. p. 119.
3 ויאלם לוז שם העיר
70. Οὐλαμλοὺζ ἦν ὄνομα τῇ πόλει τὸ πρότερον Aq. καὶ πρότερον ὄνομα τῇ πόλει

Pererius, & Delrius ad has tollendas diſcrepantias neceſſe eſſe duxerunt, duas urbes Bethel ſtatuere; ſed, ut mihi videtur, loca hæc conciliari facile poſſunt, ſi dicamus Bethel in finibus Beniamin, & Ephraim ſitam modo uni, modo alteri ex his duabus Tribubus adſcribi. Vide Bonfrerium in hunc locum.

℣. 20. VOVIT VOTUM, DICENS: SI FUERIT DOMINUS MECUM.... (21) ERIT MIHI DOMINUS IN DEUM.] Videtur Iacob non alia conditione, quam propriæ utilitatis, velle ſibi accipere Dominum in Deum ſuum. Ergone Deum relinquere illi animus erat, ni patrocinium ei præberet, quod maxime optabat? Huic quæſtioni reſpondetur, Iacobum non ſimpliciter vovere ſe Dominum in Deum habiturum: antea quoque eum colebat ut Deum; atque hac religione ita homines adſtringuntur, ut voti materia eſſe minime poſſit. Ejus votum non eſt ſub ea conditione conceptum Deo patris ſui interrum cultum exhibendi, ſi Deus ipſi faveret, & patrocinaretur. Internus hic, & abſolutus cultus Deo ſine ulla conditione, aut reſtrictione debetur. Sed externus certi cujuſdam modi, certis in locis, certiſque circumſtantiis cultûs Deo promitti poteſt voto aut abſoluto, aut conditionato; quod hic facit Iacob. Deo promittit ſe altare erecturum eo in loco, in quo viſionem habuerat, vocaturum locum hunc Bethel, ſeu Domum Dei, in memoriam eorum, quæ ibi evenerant; & tandem ſe decimas bonorum omnium Deo daturum, ſi Deus faveret voluntati ſuæ, proſperumque iter ipſi concederet. Id ſi non obtineret Iacob, damnari voti nolebat.

Non docet Scriptura, quomodo Iacob votum offerendi Deo decimas bonorum omnium ſolverit; ipſene dederit; an, ut putat Oleaſter, voluerit ſimpliciter obligare poſteros ſuos ad decimas bonorum dandas iis, quibus offerri Deus juberet, ut in lege Dominus juſſit. Nonnulli dicunt Iacobum decimas Melchiſedecho obtuliſſe; ſed improbabile admodum eſt Melchiſedechum tunc temporis adhuc in vivis fuiſſe; cum centum, & quinquaginta duobus ante annis Abrahamo. Iacobi avo benedictionem fuiſſet elargitus. Quidam, inter quos Cajetanus, volunt, Iacobum ſuper altare, quod extruxerat, decimas combuſſiſſe. Nihil certi hac in re afferri poteſt.

CAPUT XXIX.

Jacob pervenit in Haram. Ut Rachelem Labani filiam obtineret, eidem Labano operam ſuam per ſeptem annos promittit. Nocte, qua erat nuptias celebraturus, ipſi ſupponitur Lia loco Rachelis. Septem adhuc annis ſervit, ut habeat Rachelem. Ortus Rubeni, Simeon, & Levi filiorum Liæ.

℣. 1. PRofectus ergo Jacob venit in terram Orientalem. 2 Et vidit puteum in agro,
tres quoque greges ovium accubantes juxta eum: nam ex illo adaquabantur
pecora, & os ejus grandi lapide claudebatur. 3 Moriſque erat, ut cunctis
ovibus congregatis devolverent lapidem, & refectis gregibus rurſum ſuper os putei ponerent.
4 Dixitque ad paſtores: Fratres, unde eſtis? Qui reſponderunt: de Haran.
5 Quos interrogans: Numquid, ait, noſtis Laban filium Nachor? Dixerunt: Novimus.
6 Sanuſne eſt? inquit. Valet, inquiunt; & ecce Rachel filia ejus venit cum
grege ſuo. 7 Dixitque Jacob: Adhuc multum diei ſupereſt, nec eſt tempus, ut reducantur ad caulas greges; date ante potum ovibus, & ſic eas ad paſtum reducite.
8 Qui reſponderunt: Non poſſumus, donec omnia pecora congregentur, & amoveamus lapidem de ore putei, ut adaquemus greges. 9 Adhuc loquebantur, & ecce Rachel veniebat cum ovibus gregis ſui; nam gregem ipſa paſcebat. 10 Quam cum vidiſſet Jacob, & ſciret conſobrinam ſuam, oveſque Laban avunculi ſui, amovit lapidem,
quo puteus claudebatur. 11 Et adaquato grege, oſculatus eſt eam, & elevata voce
flevit, 12 Et indicavit ei, quod frater eſſet patris ſui, & filius Rebeccæ: at illa feſtinans nuntiavit patri ſuo. 13 Qui cum audiſſet veniſſe Jacob filium ſororis ſuæ, occurrit obviam ei; complexuſque eum, & in oſcula ruens, duxit in domum ſuam. Auditis autem cauſis itineris, 14 Reſpondit: Os meum es, & caro mea. Et poſtquam
impleti ſunt dies menſis unius, 15 Dixit ei: Num quia frater meus es, gratis ſervies mihi? dic, quid mercedis accipias. 16 Habebat vero duas filias, nomen majoris Lia: minor vero appellabatur Rachel. 17 Sed Lia lippis erat oculis: Rachel decora facie, & venuſto aſpectu. 18 Quam diligens Jacob, ait: Serviam tibi pro Rachel filia tua minore ſeptem annis. 19 Reſpondit Laban: Melius eſt, ut tibi eam
dem, quam alteri viro, mane apud me. 20 Servivit ergo Jacob pro Rachel ſeptem
annis, & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine. 21 Dixitque ad Laban:
Da mihi uxorem meam; quia jam tempus impletum eſt, ut ingrediar ad illam. 22
Qui vocatis multis amicorum turbis ad convivium, fecit nuptias. 23 Et veſpere Lia
filiam ſuam introduxit ad eum, 24 Dans ancillam filiæ, Zelpham nomine. Ad quam
cum ex more Jacob fuiſſet ingreſſus, facto mane vidit Liam: 25 Et dixit ad ſocerum

ſuum

ſuum : Quid eſt, quod facere voluiſti ? nonne pro Rachel ſervivi tibi ? quare impoſuiſti mihi ? 26 Reſpondit Laban ; Non eſt in loco noſtro conſuetudinis, ut minores ante tradamus ad nuptias. 27 Imple hebdomadam dierum hujus copulæ : & hanc quoque dabo tibi pro opere, quo ſerviturus es mihi ſeptem annis aliis. 28 Acquievit placito, & hebdomada tranſacta, Rachel duxit uxorem : 29 Cui pater ſervam Balaam tradiderat. 30 Tandemque potitus optatis nuptiis, amorem ſequentis priori prætulit, ſerviens apud eum ſeptem annis aliis. 31 Videns autem Dominus, quod deſpiceret Liam, aperuit vulvam ejus, ſorore ſterili permanente. 32 Quæ conceptum genuit filium, vocavitque nomen ejus Ruben, dicens : Vidit Dominus humilitatem meam, nunc amabit me vir meus. 33 Rurſumque concepit, & peperit filium, & ait : Quoniam audivit me Dominus haberi contemptui, dedit etiam iſtum mihi, vocavitque nomen ejus Simeon. 34 Concepitque tertio ; & genuit alium filium ; dixitque : Nunc quoque copulabitur mihi maritus meus, eo quod pepererim ei tres filios, & idcirco appellavit nomen ejus, Levi. 35 Quarto concepit, & peperit filium, & ait : Modo confitebor Domino : & ob hoc vocavit eum, Judam ; ceſſavitque parere.

℣. 1. PROFECTUS ERGO JACOB VENIT IN TERRAM ORIENTALEM.] Textus Hebraicus [1] : *In regione filiorum Orientis*. Meſopotamiam, & regiones trans Euphratem vocari in Scriptura *Kedem*, Orientem, liquet. Ex univerſa hac hiſtoria videtur Iacob e paterna domo diſceſſiſſe rebus omnibus ſpoliatus, cumque nec camelos, nec ſervos, nec pecuniam, nec gemmas habuiſſe. Timor, quem de Eſau conceperat, ipſum, ut omnes rumperet moras, impulit ; & fugæ fratri occultandæ cupiditas impedimento fuit, ne quidquam ſumeret præter tenuem commeatum, quem ſecum ipſe ferebat. Gen. 28. 18.

Rabbini volunt ipſum e paterna domo multâ ſtipatum turba fuiſſe egreſſum, multiſque divitiis onuſtum ; & Eſau re cognita in ejus occurſum miſiſſe Eliphaz primogenitum ſuum, qui quæcumque Jacob habebat, abduxerit. Sed Iacob ipſe Gen. 32. 10. teſtatur ſe in ſolo baculo ſuo Iordanem tranſiiſſe. Septuaginta, aut eorum Interpretes hic addunt : *Perveniit in regionem Orientis, Laban verſus filium Bathuelis Syri, fratrem Rebeccæ, quæ erat mater Jacobi, & Eſau*.

℣. 3. MORIS ERAT, UT CUNCTIS OVIBUS CONGREGATIS DEVOLVERENT LAPIDEM.] Hebraicus textus : *Congregabantur illuc omnes oves, & tunc ab ore fontis tollebatur lapis*. In hac Meſopotamiæ parte haud facile aqua inveniebatur ; nec puteus iſte, niſi cunctis gregibus eo congregatis aperiebatur. Lapis ciſternæ, ſeu putei crepidinem operiens, ponderis eſſe debebat haud ingentis, & ad eum tollendum paſtorum omnium opera non erat præſtolanda ; cum Iacob ſolus illum amoviſſet.

℣. 4 FRATRES UNDE ESTIS ?] Vix Jacob in Meſopotamiam pervenit, & ſtatim Chaldaice loquitur, atque hujuſmodi linguam intelligit. Forte Chananæorum, & Chaldæorum linguæ erant admodum affines ; aut certe Iacob Chaldaicam linguam domi didicerat una cum lingua Hebraica, quæ tunc apud Chananæos vulgo uſurpabatur. Ex iis, quæ Geneſ. 31. 48. referuntur, clare patet linguam Chaldaicam, aut Syriacam omnino eamdem non eſſe cum Hebraica : ſed nomina Hebraica, quæ Lia filiis ſuis impoſuit, hasce duas linguas fuiſſe maxime inter ſe ſimiles evincunt ; & fortaſſe etiam Abrahami ævo eædem omnino erant. Varias ſubire vices pedetentim cœperunt, atque deinde adeo immutatæ ſunt, ut Ezechiæ ætate Hebræi neque Syriacam, neque Chaldaicam linguam intellexerint. Vide 4. Reg. 18. 26. & Ierem. 6. 15. Baruc. 4. 15.

A ℣. 5. LABAN FILIUM NACHOR.] Laban erat nepos Nachor, & Bathuelis filius ; ſed nomen Nachor Haran incolis erat magis notum, quam nomen Bathuelis.

℣. 6. SANUSNE EST ?] Hebraicus textus : *Pacemne habet ?* ſeu, *Eſtne in pace ?* Pacis nomine quodcumque felicitatis genus Scriptura comprehendit. *Pax vobis* erat formula, qua quis ſalvere jubebatur.

℣. 9. ECCE RACHEL ... NAM GREGEM IPSA PASCEBAT.] Textus Hebraicus [2] Maſoretharum verti poteſt : *Ecce Rachel cum grege patris ſui, ipſe enim paſtor erat*. Alia vero exemplaria habent היא *ipſa*, quoniam ipſa ducebat oves. Septuaginta [3] : *Quoniam ipſa erat cuſtos* (hujus gregis.)

B ℣. 10. CONSOBRINAM SUAM.] Quod in Hebraico dicitur, filia *Labani fratris Rebeccæ matris ſuæ*, D. Hieronymus plerumque vertit *conſobrinam*.

℣. 11. OSCULATUS EST EAM, ET ELEVATA VOCE FLEVIT.] Iacob non ante conſobrinam ſuam oſculatus eſt, quam illi narraſſet, quis ipſe eſſet ; aut eodem tempore, quo dixit ſe eſſe Rebeccæ filium, eam eſt amplexatus. Illius regionis mos erat, ut homines ſe invicem oſculo ſalutarent [4]. Vide quæ de hac re dicta ſunt Gen. 24. 26. Nonnulli putant Iacobum illacrymaſſe, quod ſe nudum, inopemque videret : neque haberet quidquam, quo animi ſui liberalitatem exercere poſſet, ſuæque conſobrinæ munera elargiri.

℣. 12. QVOD FRATER ESSET PATRIS SVI, ET FILIVS REBECCÆ.] Iacob nepos erat Bathuelis patris C Labani, & Rebeccæ. Fratris nomen apud Hebræos tam late patet, quam *conſanguineus* apud Latinos, *parent* apud Gallos.

℣. 14. RESPONDIT : OS MEVM ES, ET CARO MEA.] Hic loquendi modus arctiſſimum conjunctionis vinculum denotat. Hæc eadem Adam Evæ dixit, ſimul ac illam vidit, Gen. 2. 23. Hiſce verbis Laban patrocinium, auxilium, ſuamque amicitiam Iacobo pollicebatur.

POSTQVAM IMPLETI SVNT DIES MENSIS VNIVS.] Ex quo Iacob ad Labanum pervenerat, unus erat evolutus menſis, neque interea ſuum Rachelem uxorem ducendi deſiderium patefecerat. Laban, ait Ioſephus, greges ſuos paſcendos illi tradidit, eumque D ſe remuneraturum promiſit ; ſed Iacob pro impenſa opera nihil aliud petiit, niſi Rachelem.

℣. 17. LIA LIPPIS ERAT OCVLIS.] Septuaginta [5] legunt : *Habebat oculos infirmos* Onkelos, & Arabica verſio illam pulchros habuiſſe oculos ajunt. Aqui-

1 ארצה בני קדם.
2 כי רעה הוא. Quia ipſe erat paſtor.
3 Αὐτὴ ἦν ἡ βόσκ.
4 Strab. l. 15. ex Herodoto.
5 ועיני לאה רכות. 70. Infirmi. Ἀσθενεῖς. Aq. Sym. ἁπαλοὶ, Teneri.

Aquila, & Symmachus: *oculos molles*. Vox Hebraica *Raccoth*, ſignificat molles, delicatos, infirmos, quod in bonam, & malam partem accipi poteſt. Quidam docent Scripturam has duas ſorores invicem opponere, ut clare pateat quidquid in illis laude dignum erat, & admiratione; Lia oculorum pulchritudine præſtabat, ſed Rachel ſororem venuſtate vincebat: *Erat enim decora facie, & venuſto aſpectu*; vel juxta Hebraicum textum: *Pulchra forma, & pulchra aſpectu*. Veriſimile etiam eſt Rachelis venuſtatem lippis Liæ oculis opponi.

Patres [1], & Interpretes hac Liæ, & Rachelis hiſtoria volunt grande reprobationis Synagogæ, & electionis Eccleſiæ Gentium myſterium deſignari. Lia Rachele prior nupſit loco veræ ſponſæ viro ſuppoſita: verum ejus ſponſus primas illi numquam detulit. Iacob tandem, quam ſemper vehementiſſime amaverat, ac ſuorum laborum veluti præmium reputabat, Rachelem uxorem ducit; atque propter maximum, quo illam proſequebatur, amorem prioris ſponſæ quodammodo oblitus eſt. Iacob Ieſum Chriſtum repræſentat, Rachel Eccleſiam, Lia Synagogam. Quæ tribus hiſce nominibus Scriptura tribuit, rei optime conveniunt, quam nobis repræſentant.

℣. 18. Serviam tibi pro Rachel septem annis.] Mos olim erat, ut viri ſibi uxores emerent, utque illis dotem darent. Sichem Geneſ. 34. 12. petens ſibi uxorem concedi Dinam Iacobi filiam hæc ait: *Augete dotem, & munera poſtulate, & libenter tribuam, quod petieritis*. Abraham, ut habetur Geneſ. 24. 53. cujuſcumque generis muneribus Eliezer onerat, cum ipſum ad petendam Rebeccam pro Iſaaco uxorem mittit. David 1. Regum 18. 25. & 2. Reg. 3. 14. Michol Saulis filiam centum præputiis Philiſthinorum ſibi acquirit. Oſeas propheta 3. 2. quindecim argenteis ſiclis, & coro hordei cum dimidio ſibi mercatur uxorem. Rabbini apud Seldenum uxor. Hebr. l. 2. c. 9. docent virum ne momento quidem temporis cum ſponſa habitare non poſſe, niſi eidem dotem dederit. Nullum ſiquidem ſine dote connubium.

Licet autem iis in regionibus viri uxores ſuas emerent, ſeu dotarent, parentes tamen nupturæ filiæ munera quædam elargiebantur, & ſponſæ dotem ſibi habebant. Laban ſingulas tantum ſingulis filiabus ſuis ancillas tradit, earumque dotem in propriam vertit utilitatem, ſibique retinet. Qua de re conqueruntur illæ c. 31. 15. *Nonne quaſi alienas reputavit nos, & vendidit, comeditque pretium noſtrum?*

At non ſolum apud Hebræos mos hic emendi fœminas, quas vellent uxores accipere, ſeu illis dotem dare, vigebat; ſed etiam apud antiquos Græcos [2], Ægyptios, Indos, atque Germanos, ut teſtatur Tacit. de moribus German. Apud Romanos quoddam matrimonii genus in uſu erat, quod vocabatur per *coemptionem*, quoniam uxorem ſibi coemebant. Tartari, ut refert Paulus Venetus l. 1. c. 57. & etiam Turcæ, ut notat Bellonius l. 3. obſervat. cap. 17. hodie quoque uxores emere ſolent. Hi filias ſuas iis concedunt, qui majus pretium exhibent; quodque ex venditione percipiunt, totum ſibi retinent.

Herodotus l. 1. cap. 196. ſingularis cujuſdam meminit Babyloniorum moris, qui agendi rationi a Labano erga Iacobum inſtitutæ lucem aliquam poteſt afferre. Quotannis puellas viro maturas unum in locum convenire jubent; ſingularum deinde præco auctionem inſtituit, ſed prius pulcherrimarum. Quæ ceteris venuſtate præſtant, plurimi veneunt, atque illis addicuntur, qui licitando alios ſuperant. Argento vero, quod inde conficitur, in matrimonium collocantur minus pulchræ, illiſque traduntur, qui minimo contenti pretio eas uxores accipiunt. Ita omnes nuptui dantur.

℣. 20. Videbantur illi pauci dies.] Id valde mirum eſſet, ſi Iacob nonniſi poſt ſeptem annos duxiſſet Rachelem: neque facile credi poterit ei, qui perdite amat, breve videri ſeptem annorum ſpatium, dum nuptiis ejus, quam deperit, inhiat. Breves tamen videri poterunt ſeptem anni ſervitutis cuipiam promiſſæ, ſi initio hujus ſeptennii optatis nuptiis potiri ei datum ſit.

℣. 21. Da mihi uxorem meam, quia tempus impletum est.] Ex quo Laban Rachelem Iacobo promiſerat, atque tum hic, tum illa mutuam ſponſi, & ſponſæ fidem ſibi dederant, jam matrimonium Iacobi cum Rachele initum erat, atque ſubſiſtebat: ſed interim Rachel a Iacobo ſejuncta vixit uſque ad nuptiarum celebrationem.

Plurimi credunt, atque ſenſus hic legentibus textum ſtatim ſe ſe offert, Iacobum nonniſi poſt ſeptem præſtitæ ſervitutis annos uxorem ſuam a Labano petiiſſe. Sed nobis magis arridet Uſſerii, Junii, Tremellii, & quorumdam aliorum ſententia, qui putant id eveniſſe ſtatim poſt nuptiarum contractum, & antequam ſeptem anni complerentur. Volunt verba hæc *tempus impletum eſt* ſignificare: ea jam ætate ſum, ut familiam meam ſtabilire debeam, & cum mea uxore vivere. Iacob tum ſexaginta, & ſeptem annos natus erat.

℣. 22. Vocatis multis amicorum turbis.] Textus Hebraicus, Chaldaica verſio, & Septuaginta habent: *eum invitaſſe univerſum terræ illius populum*.

℣. 23. Vespere Liam filiam suam introduxit ad eum.] Hic neque Lia, neque Laban a maxima criminis nota eximi non poſſunt. Lia adulterium patrat; Laban vero Liæ illud perſuadet: fidem fallit, neque contractus cum Iacobo initi conditiones implet; ipſum magna cum fraude decipit: Liam ſubeundæ ignominiæ periculo objicit, ſi forte Iacob ſe fuiſſe deceptum cognoſcens eam uxorem accipere noluiſſet. Ideo autem Iacob Liam non agnovit, quod eum in cubiculum, nonniſi poſtquam Lia eo ingreſſa fuerat, adduxerint. Morem hunc ſervatum etiam legimus cum Tobia, qui uxorem duxit, pariter ac Iacob, in terra Chaldæorum. Etenim Tob. 7. 19. hæc habentur; *& introduxit illuc Saram*. Deinde cap. 8. v. 1. dicitur: *poſtquam cœnaverunt, introduxerunt juvenem ad eam*. Conſuetudo hæc vigebat etiam apud Romanos. Catullus; *Jam licet venias, marite, uxor in thalamo tibi eſt*. Apud Græcos vir prior locum ingrediebatur, ubi thorus genialis erat; dein ſponſa velo cooperta illuc adducebatur. Vide Theocritum ad Helenæ Epithalamium.

℣. 24. Ad quam cum ex more Jacob fuisset ingressus.] Verba hæc, *ex more*, non extant nec in Hebraico textu, nec in aliis verſionibus, neque hic neceſſaria ſunt.

℣. 25. Quare imposuisti mihi?] Jacob ita deceptus eſt, ut ipſe patrem ſuum Iſaacum deceperat. Conjugium Liæ loco Rachelis poſitæ, & prius viro junctæ, licet minus amaretur, haud minus myſterium continet, quam Jacobi factum, qui benedictionem Iſaaco ſurripit, & Eſau ſupplantat. Error Jacobi circa Liam, pro Rachele ſuppoſitam, eundem eximere poterat a Liæ matrimonio, ſi etiam poſt ea quæ contigerant, illam uxorem accipere noluiſſet. Error hic eſſentialis erat, neque ullam habent contractus obligandi vim, niſi cum ſponte, & ſcienter fiant. Jacob nullum cum Lia adulterium admittit, quia invincibili ignorantia in hoc laborabat. Conſenſus autem, quo Jacob ſuum cum Lia matrimonium ratum habuit, validum omnino illud reddidit: atque

1 Juſtin. dialog. cum Tryphone, Hieron. ep. ad Ageruchiam.
2 Theocr. Idyll. 18. Homer. Iliad. Π. Strabo l. 15. Tacit. de moribus German.

atque hujus conſenſus vi factum eſt, ut ſubſiſteret matrimonium.

℣. 26. NON EST IN LOCO NOSTRO CONSVETVDINIS, VT MINORES ANTE TRADANTVR AD NVPTIAS.] Falſa prorſus eſt hujuſmodi excuſatio [1]: Etenim quomodo unquam nuptiæ fieri potuerunt velut pro Rachele, & ad eas propinqui omnes, ac vicini invitari, niſi juniores in matrimonium ante majores collocare permiſſum fuiſſet? deinde potuit ne populi mos vim legis habere, & Labanum in hac agendi ratione cum Jacobo inſtituta excuſare?

℣. 27. IMPLE HEBDOMADAM DIERVM HUJUS COPULÆ.] Hebraicus textus ſimpliciter habet: Imple hebdomadam hujus; ideſt, imple hebdomadam cum Lia, ſeu, hebdomadam nuptiarum cum illa. Nonnulli exiſtimant Jacobum operam ſuam Labano præſtare debuiſſe per ſeptem adhuc annorum ſpatium, antequam Rachelem duceret, præter ſeptem annos, quibus jam illi inſervierat. Joſephus, ac nonnulli interpretes ita ſentiunt; ſed plerique volunt, [2] & quidem potiori jure, Labanum id ſolum petiiſſe a Iacobo, ut ſeptem dies nuptiarum cum Lia impleret, quibus tranſactis ipſi Rachelem conceſſiſſet, novuſque iterum nuptias inſtituiſſet; ea tamen conditione, ut poſt matrimonium ſeptem adhuc annis pro Rachele obtinenda deſerviret. Verſus, qui proxime ſequitur, ſenſui huic favet: *& hebdomada tranſacta Rachel duxit uxorem*. Nimis durum eſt hebdomadam hanc intelligere de annorum hebdomada; nihilque eſt magis naturale, quam verba hæc explicare de hebdomada dierum, cum tamdiu ſolemnitates nuptiarum perdurarent, ut colligitur ex hiſtoria Samſonis Iud. 14. 12. 15. 17. Hoc in ſenſu a Syriaco Interprete exponitur: *Comple hujus nuptias*: Confirmatur etiam optime eadem ſententia ex verſ. 30. *Tandem potitus optatis nuptiis, amorem ſequentis priori prætulit, ſerviens apud eum ſeptem annis aliis*.

℣. 31. VIDENS DOMINUS QVOD DESPICERET LIAM.] Hebraicus textus, Chaldaica verſio, & Septuaginta id magis etiam exaggerant: *Videns, quod Liam odio haberet*. Hæc tamen non ita ſtricte ſunt accipienda. Verbis hiſce denotat Scriptura quod Iacob minus leniter minuſque vivide Liam diligeret; ſeu etiam, quod eam minori in pretio, ac honore haberet. In Deuteronomio 21. 15. præcipit Deus, ut ſi habuerit homo duas uxores, unam dilectam, & alteram *odioſam*, ſeu minus dilectam, nequeat primogenitum jure ſucceſſionis privare, etiamſi ille fuerit *odioſæ filius*. Rachel eſt uxor dilecta; & Lia minus dilecta, *odioſa* Atque hoc in ſenſu Chriſtus Ieſus Matt. 10. 37. & Luc. 14. 26. Diſcipulis ſuis jubet, ut patres, & matres ſuas odio habeant, aitque eos non poſſe duobus dominis ſervire, quia alterum odio habeant, alterum autem diligant Matt. 6. 24. ideſt, eos non poſſe utrumque pari amore complecti, parique ſtudio in utrumque ferri.

℣. 32. RUBEN [3].] Filius viſionis: Vidit Dominus humilitatem meam.

℣. 33. SIMEON [4].] Audivit me Dominus.

℣. 34. NUNC QVOQVE COPULABITUR MIHI MARITUS MEUS .....] Septuaginta [5]: *Nunc maritus meus mecum erit*. Vatablus, *adhærebit mihi*. Me unice amabit.

LEVI.] Vinculum, & pignus viri mei mecum.

℣. 35. IUDA [6].] Confeſſio, laus. Ego laudo Dominum &c; aut etiam *Juda* poteſt ſignificare *laudabilem*.

Videre licet apud Euſebium [7] antiquos Auctores gentiles adnotaſſe menſem quo quilibet ex Iacobi filiis natus eſt; quod quidem niſi ex Iudæorum traditione ſcire potuerunt: nihil enim hac de re Moyſes ſcripſit.

---

1 Menoch.
2 Chryſoſt. hom. 56. in Geneſ. Hieronym. Tradit. Hebr. Vide Seldenum de jure Nat. & Gent. l. 5. c. 5.
3 *Vidit filium*, ראה בן
4 *Audivit*. שמע
5 *Adhærere*. לוה
6 *Laudo*. ידה הודה
7 Demetr. apud Euſeb. Præp. l. 9. c. 21.

CAPUT XXX.

Ortus Dan, & Nephtali, filiorum Bala ancillæ Rachelis; & Gad, & Aſer filiorum Zelphæ ancillæ Liæ. Ruben mandragoras affert Liæ. Rachel eas emit. Ortus Iſſachar, & Dinæ ex Lia. Rachel tandem parit Ioſephum. Iacob in Palæſtinam reditum meditatur. Paciſcitur cum Labano.

1. CErnens autem Rachel quod infœcunda eſſet, invidit ſorori ſuæ, & ait marito
ſuo: Da mihi liberos, alioquin moriar. 2 Cui iratus reſpondit Jacob: Num
pro Deo ego ſum, qui privavit te fructu ventris tui? 3 At illa: Habeo,
inquit, famulam Balam: ingredere ad illam, ut pariat ſuper genua mea, & habeam ex
illa filios. 4 Deditque illi Balam in conjugium: quæ, 5 Ingreſſo ad ſe viro, conce-
pit, & peperit filium. 6 Dixitque Rachel: Judicavit mihi Dominus, & exaudivit vo-
cem meam, dans mihi filium, & idcirco appellavit nomen ejus, Dan. 7 Rurſumque
Bala concipiens peperit alterum. 8 Pro quo ait Rachel; Comparavit me Dominus cum
ſorore mea, & invalui: vocavitque eum, Nephtali. 9 Sentiens Lia quod parere deſi-
iſſet, Zelpham ancillam ſuam marito tradidit. 10 Qua poſt conceptum edente filium,
11 Dixit: Feliciter; & idcirco vocavit nomen ejus, Gad. 12 Peperit quoque Zelpha
alterum. 13 Dixitque Lia: Hoc pro beatitudine mea: Beatam quippe me dicent mu-
lieres: propterea appellavit eum, Aſer. 14 Egreſſus autem Ruben tempore meſſis tri-

ticeæ

ticeæ in agrum, reperit mandragoras; quas matri Liæ detulit. Dixitque Rachel: Da mi-
hi partem de mandragoris filii tui. 15 Illa reſpondit; Parumne tibi videtur, quod
præripueris maritum mihi, niſi etiam mandragoras filii mei tuleris: Ait Rachel: Dor-
miat tecum hac nocte pro mandragoris filii tui. 16 Redeuntique ad veſperam Jacob de
agro, egreſſa eſt in occurſum ejus Lia, & ad me, inquit, intrabis; quia mercede con-
duxi te pro mandragoris filii mei. Dormivitque cum ea nocte illa. 17 Et exaudivit
Deus preces ejus; concepitque, & peperit filium quintum. 18 Et ait: Dedit Deus
mercedem mihi, quia dedi ancillam meam viro meo, appellavitque nomen ejus, Iſſachar.
19 Rurſum Lia concipiens, peperit ſextum filium, 20 Et ait; Dotavit me Deus dote
bona; etiam hac vice mecum erit maritus meus, eo quod genuerim ei ſex filios, & id-
circo appellavit nomen ejus, Zabulon. 21 Poſt quam peperit filiam nomine Dinam,
22 Recordatus quoque Dominus Rachelis, exaudivit eam, & aperuit vulvam ejus,
23 Quæ concepit, & peperit filium, dicens: Abſtulit Deus opprobrium meum. 24
Et vocavit nomen ejus, Joſeph, dicens: Addat mihi Dominus filium alterum. 25 Na-
to autem Joſeph, dixit Jacob ſocero ſuo: Dimitte me, ut revertar in patriam, & ad
terram meam. 26 Da mihi uxores, & liberos meos, pro quibus ſervivi tibi, ut abeam;
tu vero noſti ſervitutem, qua ſervivi tibi. 27 Ait illi Laban; Inveniam gratiam in conſ-
pectu tuo: experimento didici, quia benedixerit mihi Deus propter te. 28 Conſtitue
mercedem tuam, quam dem tibi. 29 At ille reſpondit: Tu noſti, quomodo ſervierim
tibi, & quanta in manibus meis fuerit poſſeſſio tua. 30 Modicum habuiſti, antequam
venirem ad te, & nunc dives effectus es: benedixitque tibi Dominus ad introitum me-
um. Juſtum eſt igitur, ut aliquando provideam etiam domui meæ. 31 Dixitque Laban
Quid tibi dabo? At ille ait: Nihil volo: ſed ſi feceris, quod poſtulo, iterum paſcam,
& cuſtodiam pecora tua. 32 Gyra omnes greges tuos, & ſepara cunctas oves varias,
& ſparſo vellere: & quodcumque furvum, & maculoſum, variumque fuerit, tam in o-
vibus, quam in capris, erit merces mea. 33 Reſpondebitque mihi cras juſtitia mea,
quando placiti tempus advenerit coram te: & omnia, quæ non fuerint varia, & macu-
loſa, & furva, tam in ovibus quam in capris, furti me arguent. 34 Dixitque Laban:
Gratum habeo, quod petis. 35 Et ſeparavit in die illa, capras, & oves, & hircos,
& arietes varios, atque maculoſos; cunctum autem gregem unicolorem, ideſt, albi, &
nigri velleris, tradidit in manu filiorum ſuorum. 36 Et poſuit ſpatium itineris trium
dierum inter ſe, & generum, qui paſcebat reliquos greges ejus. 37 Tollens ergo Ja-
cob virgas populeas virides, & amygdalinas, & ex platanis, ex parte decorticavit eas;
detractiſque corticibus, in his, quæ ſpoliata fuerant, candor apparuit; illa vero, quæ
integra fuerant, virida permanſerunt: atque in hunc modum color effectus eſt varius.
38 Poſuitque eas in canalibus, ubi effundebatur aqua: ut cum veniſſent greges ad bi-
bendum, ante oculos haberent virgas, & in aſpectu earum conciperent. 39 Factumque
eſt, ut in ipſo calore coitus, oves intuerentur virgas, & parerent maculoſa, & varia,
& diverſo colore reſperſa. 40 Diviſitque gregem Jacob, & poſuit virgas in canalibus
ante oculos arietum: erant autem alba, & nigra quæque, Laban: cætera vero, Jacob,
ſeparatis inter ſe gregibus. 41 Igitur quando primo tempore aſcendebantur oves, po-
nebat Jacob virgas in canalibus aquarum ante oculos arietum, & ovium, ut in earum
contemplatione conciperent: 42 Quando vero ſerotina admiſſura erat, & conceptus ex-
tremus, non ponebat eas. Factaque ſunt ea, quæ erant ſerotina, Laban: & quæ primi
temporis, Jacob. 43 Ditatuſque eſt homo ultra modum, & habuit greges multos, an-
cillas, & ſervos, camelos, & aſinos.

ℽ. 1. CERNENS RACHEL QUOD INFÆCUNDA ESSET, INVIDIT SORORI SUÆ.] Vitari omnino non poteſt zelotypia, ubi pluralitas adeſt uxorum; præcipue vero ubi duæ ſorores unum, eundemque virum habent. Rachelis zelotypia adverſus Liam non id reſpiciebat, ut ſororem boni, quo fruebatur, poſſeſſione privaret; nec id optabat Rachel, ut Lia, æque ac ipſa, nullum filium haberet. Rachel filios & ipſa ſuſcipere tantummodo deſiderabat. Id optare illa poterat, quin ea flagraret zelotypia, quæ nobis aliorum felicitatem contemplantibus dolorem ingerit. Iſtud autem deſiderium poterat etiam eſſe bonum, æque ac A illud, quo viri ſanctitate præſtantes ad virtutes, quas in aliis admirantur, æmulandas feruntur. Nos omnino Rachelem excuſare non conamur; fatemur ultro potuiſſe illam hac in re peccare; facile tamen poteſt excuſari, prolataque ab ea verba in bonam partem accipi queunt. D. Ioannes Chryſoſtomus Homil. 1. in Geneſ. eam culpæ non mediocris arguit; alii ab omni crimine ipſam liberare nituntur.

DA MIHI LIBEROS, ALIOQUIN MORIAR.] Verba hæc, ſi ad litteram ſumantur, denotant quendam animi minime patientis impetum, & deſperationem veluti quandam fœmina virtute prædita, & ſapienti indignam. D. Chryſoſtomus ait nimia, qua flagrabat,

bat, zelotypia erupiſſe Rachelem in verba rationi minus [1] conſona, quæ intelligens Iacob indignationem continere non potuerit, eamque acriter reprehenderit. Ut horum verborum vis imminuatur, Rachel dicitur precari Iacobum, ut precibus ſuis a Deo, quam Iſaacum Rebeccæ obtinuiſſe noverat, ei quoque ipſe impetraret fœcunditatem; ac inſuper Iacobo oſtendere, ſe veluti truncum [2] quemdam mortuum ac ſterilem futuram, ſi liberis carere perſeveret. *Quaſi mortua reputor ego*. Ita Junius, & Tremellius.

℣. 2. NUM PRO DEO EGO SUM?] Nunquid Deus ego ſum, ut miracula a me petas? Arabicus interpres vertit: Numquid ego Deo major ſum, ut a me quæras, quod ipſe ſibi negavit? Onkelos: Nonne a Deo prolem oportet petere, non autem a me?

℣. 3. HABEO FAMULAM BALAM: INGREDERE AD ILLAM, UT PARIAT SUPER GENUA.] Joſephus antiq. l. 1. c. 18. vult Balam, & Zelpham non fuiſſe ancillas, licet Racheli, & Liæ ſubditas. Grotius putat verbum אמה *Amath* non ſemper ancillam, ideſt ſervam innuere, ſed aliquando puellam, quæ honoris gratia principibus fœminis miniſtrat. [3]

PARIAT SUPER GENUA MEA.] Eadem loquendi ratio habetur etiam c. 50. v. 22. ubi Moyſes ſcribit filios Machir natos fuiſſe ſuper genua Joſephi, ideſt ſuper ejus genua fuiſſe poſitos, poſtquam nati ſunt: & Job 3. 12. *Quare natus ſum, quare genibus exceptus ſum?* Et Pſalmiſta 21. 11. *In te projectus ſum ex utero*. Morem hunc antiquitus etiam viguiſſe colligitur ex Homero Odyſſ. T. v. 400. Euryclea Ulyſſis nutrix infantem hunc ſuper genua poſuit Autolychi ejus avi, ipſumque precatur, ut nomen puero imponat. Amyntor autem Phœnicis pater magna in filium ſuum ardens iracundia: Utinam [*], inquit Iliad. 9. unquam ſuper genua mea filium poſſis collocare: & apud Terentium Adelph. act. 4. ſcen. 2. Socrates Echino ait:

Qui in ſui gremio poſiturum puerum dicebas patris.

Quidam Interpretes Rachelis verba ita explicant: Ut ipſa mihi liberos pariat, quos adoptare poſſim, & veluti ex me orti eſſent habere. Rachel Jacobi reſponſo viro ſapienti, ac forti vere digno edocta, magis æqua, magiſque rationi conſentanea reſpondet, inquit D. Chryſoſtomus, atque oſtendit ſe ideo ita eſſe loquutam, quod filios deſideraret, qui promiſſorum, quæ Deus tam ſæpe Abrahamo, Iſaaco, & Jacobo ipſi fecerat, in partem venire poſſent; atque ut oſtenderet vota ſua privatam utilitatem minime reſpicere, Jacobum rogat, ut ſicut aliàs Deus Saræ filios dederat ex Agar, ita ex Balæ concubitu ipſi prolem concedere velit.

Chaldaicus interpres vertit: *Ego ero nutrix, ex illa filios ſuſcipiam*. Syriacus: *Ipſa pariet, atque ego ita conſolabor*. Arabs: *Ipſa pariet in gremio meo, atque ita domus mea ſtabilietur*. Expreſſa hic eſt vis verbi hebraici אבנה Ibbaneh, deſcendens a radice *Banah, ædificare*, unde oritur nomen *Ben*, filius: quoniam filii ſunt domuum fundamenta. D. Auguſtinus l. 22. contra Fauſt. c. 48. & 49. Jacobum adverſus Manichæos defendit, qui Patriarcham hunc accuſabant, quod ſimul quatuor habuerit uxores, quem propterea magni criminis redarguebant. Oſtendit pluribus Jacobum in hoc nec contra naturam, nec contra conſuetudinem feciſſe, neque in legem peccaſſe. Conſuetudo enim id probabat; Lex autem

A non prohibebat. Cum autem Jacob quatuor uxores non ad voluptatem duxerit, aut libidinem, ſed tantum ut ex iis liberos ſuſciperet, in juſtitiæ, ſeu naturæ leges minime deliquit. Quin imo neque ab initio fuit ei animus Liam ſibi deſpondere; nec niſi Liæ, & Rachelis precibus ad earum ancillas accipiendas compulſus fuit.

℣. 6. DAN Hebraice ſignificat *judicare*. Deus me defendendam ſuſcepit, ac pro me judicavit.

℣. 8. COMPARAVIT ME DEUS CUM SORORE MEA, ET INVALUI.] Vox Hebraica *Petal* quid ſignificet, haud ſatis eſt exploratum. Ex recentioribus Interpretibus plerique [4] vertunt: *Ego luctavi cum ſorore mea lucta Dei, (ſeu in valde rudi pugna) & victrix evaſi*. Si varia loca, ubi verbum hoc extat, confe-

B rantur, ſignificare vox hujuſmodi videtur, callide ſe gerere, variaſque artes adhibere. Plerumque accipitur in malam partem; ex gr. Pſal. 17. 27. ubi Vulgata vertit: *cum perverſo perverteris*, Hebraicus textus habet [5]: *Luctabis cum deceptoribus, artificiis utere cum illo, qui recte non ambulant*.

Rachel vult hic innuere, quod ſoror ſua ipſam voluerit callide ſupplantari, dum ſe in thalamum nuptialem, ubi Jacob dormire debebat, paſſa eſt loco ſororis introduci; ſed quod ipſa ei vicem rependerit, cum ancillam ſuam Balam Jacobo tradidiſſet.

Septuaginta [6] vertunt: *Dominus me adjuvit, & ego me collegi* aut juxta alias interpretationes; *Pugnavi luctatorum more adverſus ſororem meam, & victo-*

C *riam retuli*. Aquila vertit [7]: Dominus me convertit, & converſa ſum; quo non ſatis recta hujus loci conficitur ſententia. D. Hieronymus in nonnullis Latinis exemplaribus extare notat; *habitare me fecit Deus habitatione cum ſorore mea, & invalui*. Hic idem ſenſus Aquilæ verſioni poteſt accommodari. Onkelos vertit: Dominus excepit preces meas ſtatim ac eas ad illum direxi. Optavi habere filium, quemadmodum habebat ſoror mea, & Deus illum mihi conceſſit. Arabs: Obtinui miſericordiam a Deo cum ſorore mea, ſeu contra ſororem meam.

℣. 11. *Dixit: Feliciter, & idcirco vocavit nomen ejus Gad*.] Locus hic magnis obnoxius eſt difficultatibus. Hebræus textus verti poteſt [8]: *Dixit: in Gad, ſeu cum Gad, ſeu propter Gad, ſeu Gad venit:*

D ſeu *mihi venit agmen, exercitus, miles*; ſeu tandem: *mihi accidit res proſpera*. Nonnulli putant *Gad* Martem, aut Jovem, vel aliquod aliud Numen ſignificare, & Liam hic ita ſe explicare, ac ſi diceret: Jovis, Martis, Gad auxilio alium adhuc filium habeo. Nonnulli verba textus retinent: *Dixit: Bagad; atque illi nomen Gad impoſuit*. Ex tam variis interpretationibus colligi poteſt, quam obſcurus ſit loci hujus ſenſus.

Septuaginta [9]: *bene ceſſit mihi: & ipſum vocavit Gad*. Maſorethæ vocem *Bagad* quadam animadverſione notarunt, qua non eſſe recte ſcriptam innuerent; & potius ſignificare, *Gad venit* [10], ſeu *in Gad*; atque priori in ſenſu OnKelos illam accepit [11]. Jacob cum morti proximus proſpera Gad vaticinaretur Geneſ.

E 49. 19. a nomine Gad alluſionem deducit ad *Gedud*, quo turma militum, aut latronum agmen ſignificatur; quod ſuadere poſſet genuinum hujus loci ſenſum hunc eſſe: *Lia dixit: Ecce ego mater ſum manus liberorum*. En exiguus exercitus. Symmachus hoc in loco noſtræ interpretationi favet. [12]

Poteſt etiam Gad ita accipi, ut falſum numen

notet

---


1 Ἀλόγων ἠράσατο ῥήματα,
2 Varab. Munſter. &c.   3 Exod. 2. 5.
4 נפתולי אלהים נפתלתי עם אחתי גם יכלתי   5 תתפתל
6 Συναντελάβετο; vel ſecundum alia exemplaria: Συνελάβετο μοῦ ὁ Θεὸς, καὶ συνεστράφην τῇ ἀδελφῇ μου, καὶ ἠδυνήθην. Vox συστραφῆ uſurpatur, ut innuantur militum agmina, quæ colliguntur, ut hoſtem aggrediantur, vel ut illi adverſentur. Vox στρέφω pariter accipitur in neutra ſignificatione, ut deſignetur *callide, verſute agere*.
7 Συναναστρέψεν με ὁ Θεὸς, καὶ συνανεστράφην.   8 ותאמר לאה בגד ותקרא את שמו גד
9 Εὐτύχηκα, καὶ ἐπεκάλεσε τὸ ὄνομα αὐτοῦ Γάδ.
10 בגד בא גד *Ba-gad venit Gad. Maſſor in marg.*   11 אתה גד
12 *Sym. apud Collin*: Ἦλθεν Γάδ, πειρατήριον. *Venit Gad, prædatorum manus.*

Digitized by Google



Dudaim ſeu Mauz Arabum ...

Digitized by Google



Mandragora cum suis floribus et fructu
delineata ex planta in Viridario Regio Parisiensi extante
a. Malum Mandragorę
b. Malum dimidium sectum
c. Mandragorę semen

NAPOLI
Digitized by Google

notet . Iſajas 65. 11. locum minime relinquit dubirandi, quin aliquendo hoc in ſenſu ſumatur . Ita Judæos increpat : *Vee qui dereliquiſtis Dominum , qui oblisi eſtis montem ſanctum ejus , qui paratis Gadi menſam , & impletis Meni libamen* . Quodnam vero ſit Numen illud , quod ab Iſeja appellatur Gad , hic quæritur . Arabes *Gad* vncant Jovis planetam , & quidquid bonum eſt , & bonum parit . Aſtrologi eos , qui ſob hujus planetæ aſpectu oriuntur , proſpera fortuna uſuros opinentur . Rebb. Moyſes Kimchi , & Abrabanel præcipui ſunt apud Grotium hujus ſententin aſſertores . Potior quoquo antiquorum , & recentiorum interpretum pars voce *Gad* felicitatem intellexere . Neque aliter ſunt illam Sepruegintra interpretati [1], quos ſequuta eſt Vulgata vertens *feliciter*. Duo Chaldæi Paraphraſtes , & Syrus *Gad* in eandem ſenſentiam reddideru .

Verum alii eſtimarunt Gad poſſe exercitum in ucie inſtructum ſignificare . Hebraica vox *Gad* a *Gedud*, *Turma* , cœli militia , poteſt oriri . Sceiptura ſæpiſſime ſydura , & aſtra nobis exhibet veluti exercitum quendam , cujus Rex Sol eſt , Luna autem Rugina . Nihil eſt apud Prophetas frequentius , quam vesba hæc *militia celi* , ut denotent aſtsa , quæ Gentes adorabant ; & *Regina celi* , ut Lunam innuant ; & *Deus Sabaoth* , Deus exercituam , ideſt cœli , & ſyderum , quæ ab Idololatris popnlis univorſo in Oriente colebantur . Id videtur Aquile reſpexiſſe [2] eum vertit , *venis accinctus* ; ideſt *precinctus* , ſou *acies in precinctu* . Venit mihi exercitus in acie inſtructus .

En quas nos afferimus conjecturas in Iſajæ locum , ex quo ſolo germena Gad ſignificatio heberi poteſt . Cum *Gad* , & *Meni* ſimul nominentur , veloti duo Gentium numina , puto *Gad* ſignificasu Solem , & *Meni* Lunam ; vel *Gad* , & *Meni* unum , idemque eſſe Numen : ſcilicet Lunam , ſeu Solem .

Pnphetæ ruxtus utrumque ſenſum æquu poteſt admittere : *Qui paratis Gadi menſam , & impletis Meni libamen* . Altesum ux his duobus membris uddi potuit ed primum explicandum : perindu ac ſi diceret Propheta : *Vos paratis menſam , & offertis libamina Gadi , ſeu Meni* . Nihil eſt hujuſmodi dicendi modis uſitatius præſertim apud Prophetas , qui eodem in verſiculo idum diverſimode dicunt , atquu quod in primo membro dixerant , repetunt in ſecundo . Præcipuum Purſerum , Armenorum , & Cappadocum numen teſte Strebone l. 9. p. 357. & l. 15. p. 485. eret *Amanus* ; ideſt הָמָן *Hammani* ſeu *Meni* , quoniam utrumque nomen idem ſignificat ; ſeu *Orimania* [3] cui adjectus fuit Oromaxus , ſeu Oromagdes . Deos eotem , qui a toto Oriente colebantuv , fuiſſe Solem , & Lunam aliunde ſcimus . Vidu Briſſonium li. 2. du Regio Purſarum principatu . Deus eret beneficus Oromagdes , maleficus autem Arimanus , quem non niſi ed avurtenda , quæ poterat immittere , mala precabantur . Oromagdes ab *Aram Gad* , Gad Syrorum poteſt oriri . Hic eret ſecundæ fortunæ Deus , Zotoaſter , Chaldæorum Theologiæ auctor , Oromagum , & Arimanum eſſe docebat veluti duo principia , bonum elterum , alterum malum . Ilteique ſucriſicia afferebantur , alteri ad bonum obtinendum , alteri eutem ad avertendum malum . Veteres Genethlieci aſſerunt , ux duodecim ſignis , quæ hominum ortui præſunt , Solem denotare bonum genium [4], Lunam vero propitiam fortunam [5]; quæ opinio eſt Hermetis Ægyptii doctrinæ conformis .

Macrobius l. 1. Saturnal. cap. 19. air , Ægyptios putate Deos hominum Nativitati præſides quatuor eſſe ; videlicet bonum Genium , bonam Fortunam , Amorum , & Neceſſitetem . Duo priores Solem , & Lunam deſignant ; quod utiem effirmat quidam verue Aſtrologus nondum editus , cujus fragmenta nonnulla affert Seldenus de Diis Syris ſynte m. 1. c. 1. *Sortes ſortunæ , & Genii Solem , & lunam innuunt* . Lia ergo filio ſuo in lucem prodeuntu diceru potuit , *in Gad* , ſuu *Gad venit* , ſeu *veniat Gad* , invocans Gad , vel Solem , qui ut Deus propitius , & felicie portendens natæ proli habebatur . Ex his omnibus , quæ hactonus diximus , inferri poſſu videtur , Liam u patriæ ſuperſtitionibus non fuiſſu omnino immunem , & quasdam adhuc in familia Jacobi extitiſſe Idololatriæ reliquias , quas omnino aboleru non potuit , niſi poſtquam in terrem Chanaan rediit . Id etiam comprobant Theraphim , quos Rachel patri furata eſt , & Dii elieni , quos Jacob Palæſtinam ingreſſus [6] ad ſe afferri juſſit , ut eorum uſum aboleret , eorumque cultum deſtrueret .

℣. 14 Reperit Mandragoras .] Vox Hebraica דּוּדָאִים Dudaim , qun hic vertitur *Mandragoras* , eodem modo ab omnibus expoſitoribus non accipitur . Auctoritas Septuaginta [7] , Chaldaicn verſionis [8] , & plurium eruditorum Interpretum , qui capoſuerunt *Mandragoras* , recentiores Interpretes prohibere non poruit , ne elias quærerent hujus vocis ſignificationes . Rebbini etiam nunnulli negant vurbum hoc ſignificaru Mandragoras : illud vurtunt violas , lilia , aur Leucanthemum , aut philtra ; Iunius , flores odoriferos ; Codurcus , *subera* .

Qui ſtant pro Mandregoris , ajunt Mandragorem poma ferru viſu pulchre , & olfactu ſuevia . Putarunt antiqui plantam hanc amoris exciteudi vim habere ; eaquu ad philtra componenda utebantur . Pomum Mandragoræ vocarunt pomum amoris , atque Venus appellate fuit *Mandragoritis* . Hujuſmodi melum fuit etiem dictum *Circejum* , quoniam illud ſemoſa Circes medicamentis , & venenis ſuis immiſcuiſſe putabatur [9] . Socrates apud Xenophontem in convivio sit Mandragoram triſtitiam , & dolorem expelleru . Julianus Imperator in epiſtole ad Calixenem teſtatur ſu juſculum Mandragoræ bibere , ut ſe ad amotem provocaret . Ariſtotelus l. 2. de Generat. animal. hauc plantam fœminis fœcunditetem communicesse affirmat . Plure elia efferri poſſent loca , qun uvincunt vuteres exiſtimaſſe Mandregoram fuiſſe apprime idoneam , ut Rachel filiou procurarue , quod illa erdentet expetebat . Scripeure Cant. 7. 13. de ſuavi *Dudaim* odoru loquitur . Eamdem qualitarem Mandragoræ tribuit Dioſcorides l. 4. cap. 16. Vox Hebreics *Dud* amorem , vel ubera ſignificat . Effectus Mandragoræ adſcripti , & ejus pomorum forma duplici huic ſignificarioni optime reſpondent , & hæc ſunt , quæ pro Mandragoris afferri queunt . His addi poteſt Divi Auguſtini teſtimonium l. 22. contre Faoſtum cap. 56. qui illas curioſu inſpexit , ſibiquu perſuaſit Rachelem Mendragoras uaoptaſſe uarum pulchritudine , raritete , & ſusvi odore illectam .

Sud opinioni huic adverſatur recentiorum medicorum euctorites , qui putant Mandragoram ſuapte natura frigidam eſſe , ac proinde iis qualitaribus minime præditam , quas Veteres illi adſeribunt . Addunt inſuper , Mandragoram non maturuſceru , Meſſis triticeæ tempore , ſed tantum Autumno . Tendem ex tribus Mandragoratum generibus , quæ nobis innoreſcunt , nullum eſt , quod eas habeat qualiteses , qoibus donatus eſſe debet fructus u Scriptura *Dudaim* nomine deſignatus . Primum Mandragoræ genus , quæ fœmina dicitur , folia habet lactucn ſimilia ; fortem , gravemque ſpirat odorem ; & mala fert , quæ cornis palli-

1 Ευτύχεσαι vel juxtu eliu exempleria , Ευτύχεις vel , ἐν τύχῃ edit. Rom.
2 Vide Hieron. Quæſt. Hebr. Ἦλθεν ἡ ζῶσα Coiliu. ἦλθεν εὐζωνία . *Venit proſperitas* .
3 Plutarc. de Iſide & Oſiride . Vide Laert. in proemio .
4 Ἀγαθοδαίμονα . 5 Ἀγαθὴ τύχη .
6 Genes. 35. 24.
7 70. Μῆλα μανδραγορῶν .
8 Chald. יַברוּחִין
9 Dioſcorid. lib. 4. c. 76.

pallidis, & nlentibus aſſimilantur. Hæc convenire minime poſſunt iis fructibus, qui a Scriptura *Dudaim* dicuntur; ſunt enim viſu pulchri, & ſuaviter redolent. Altera Mandragoræ ſpecies producit poma iis, quæ fœmina fert, duplo majora; ea bene olent, & croci colorem imitantur. Sed hujus plantæ valde dubius eſt uſus. Ælius eam propter narcoticam, qua prædita eſt, virtutem, veneficam putat. Eadem, ut quorumdam opinio fert, rationem iis adimit, qui illam degluriunt, languorem cum vertigine producens, & tumorem in vultu, cui adjungitur ſopor adeo gravis, ut niſi præſens auxilium adſit, convulſione deficiant.

Tertium tandem extat Mandragoræ genus, quæ vocatur *Moſis Morion*, ſeu ſtulta, a Græco *Moria, ſtultitia*, qua uti adeo eſt periculoſum, ut ſi quis unam tantum drachmam ex ea comederit, ſive ſolam ſumat, ſive alteri rei immixtam, tres, aut quatuor horas extra mentem, & extra ſenſus raptus permaneat, ſopore adeo gravi obrutus, ut dolorem prorſus ei adimat, ſi cauterio inurendus ſit; vel aliquod illi membrum amputandum; atque in hunc uſum a Medicis adhibetur. Qui pro Mandragoris pugnant, haud ſane velle cenſentur, Rachelem plantam adeo periculoſam, & ſaluti infeſtam deſiderare potuiſſe. Nos hic novas aliquot conjecturas ſuper Dudaim afferemus, & oſtendere conabimur hunc locum intelligi facile poſſe de malis citreis, aut aureis; omnes enim hi fructus eadem ſpecie comprehenduntur.

Loca omnia, in quibus occurrit verbum *Dudaim*, conferentes adnotamus, illud ſignificare fructum quemdam, qui naſcitur in Meſopotamia [1], & in Judæa, qui flaveſcente meſſe matureſcit, qui ſuaviter olet, qui diu durat, [2] quique quædam mali ſpecies eſſe debet, quoniam in quibuſdam locis [3] inter ſe collatis cum malis punicis ponitur. Probabile eſt Dudaim aliquam ſimilitudinem habere cum calatho [4], aut cum olla [5], quæ eodem nomine in Scriptura appellantur; & cum uberibus, quæ pariter vocantur Dudaim. Amor, ſeu dilectus in Canticis paſſim Dod nominatur, quod argumento eſt fructum Dudaim appellatum excellentis eſſe ſaporis. En notas, quas de Dudaim exhibet Scriptura, & ex quibus fructus hujus ſpecies nobis poſſit innoteſcere: nullus autem fructus occurrit, cui melius hæc omnia, quam malo citreo poſſint convenire.

Adeo vero frequens eſt hæc arbor in Aſſyria, in Media, & Meſopotamia, ut Aſſyria, Meda, & Perſica malus nominetur; & de ea Plinius l. 12. 13. ait, quod *niſi apud Medos, & in Perſide naſci noluit*. At deinde in plures regiones tranſlata in Ægyptu, in Græcia, in Italia, ac alibi valde communis evaſit. Brochardus in Terræ Sanctæ deſcript. p. 281. affirmat maximam malorum copiam in Judæa reperiri, quorum plurima ſacchαro condiri, ac juſculis, & cupediis frequenter ſolent immiſceri.

Mali citreæ, non ſecus ac Medicæ, qualibet anni tempeſtate poma ferunt; & dum alii fructus jam maturi decidunt, alii interim matureſcunt, & florentibus aliis, alii ſubnaſcuntur. *Arbor omnibus horis pomifera eſt, aliis cadentibus, aliis vero ſubnaſcentibus*. Ita Plinius l. 12. 3. Vide etiam Theophraſtum apud Athenæum l. 3. cap. 7. De his arboribus loquitur Brochardus, dum arbores quaſdam floribus ſimul, ac fructibus onuſtas in Judæa videri teſtatur. *Ut ſæpe videas unam arborem ſimul flores, & fructus maturos geſtare*. Ad hanc mali citrei proprietatem reſpicere mihi videtur ſponſa, dum Cant. 7. 13. ſponſum ita alloquitur: *Dudaim dederunt odorem. In portis noſtris omnia poma; nova, & vetera,* A *dilecte mi, ſervavi tibi*: ideſt, ſervavi tibi mala citrea jam matura, jamque collecta, & quæ adhuc in arbore pendent. Sponſa in hoc Cantici loco elegantem inſtituit alluſionem inter *Dudai*, ubera mea, & *Dudaim*, mala medica, ſeu citrea. *Ego tibi dabo mea Dudaim, ubera. Dudaim dederunt odorem ſuum*. Mala Medica, & citrea uberibus ſunt admodum ſimilia; & probabile eſt græcum verbum *Titthos uber* ab Hebraico Dod, ſeu Dud, vel Tuth oriri.

Quod vero ad Dudaim odorem, e ſignis unum a Scriptura ad hunc fructum diſtinguendum exhibitis attinet, malum citreum ſuavius forte ceteris fructibus olere cum antiqui, tum recentiores, ac ipſa quoque experientia nos edocet. Mali medicæ, & citreæ folia, flos, fructus, & cortex jucundum exhalant o- B dorem. Major erat penes veteres hujus arboris æſtimatio, & major quoque, quam apud nos, uſus. Plinius l. 23. cap. 4. & lib. 13. 1. laudat citri oleum, & ſuffimen; & antequam thuris adolendi conſuetudo inoleret, citri, ac cedri fumum in ſacrificiis obtinuiſſe teſtatur: *Quis primus invenerit (unguenta) non traditur. Iliacis temporibus non erant, nec thure ſupplicabatur: Cedri tantum, & citri ſuorum fruticum in ſacris fumo convolutum nidorem verius, quam odorem noverant*. Et l. 12. cap. 53. & l. 12. cap. 3. refert: *Parthorum proceres (malum Aſſyriam) incoquere oſculentis commendandi halitus gratia*; & Virgilius Geogic. l. 2. v. 126. ait, Medos gravi, & olenti animæ, ſenibuſque anhelis citri flore medicari conſueviſſe.

C *---- Animas, & olentia Medi*
Ora fovent illo, & ſenibus medicantur anhelis.

Veteres citreum malum non edebant, nec niſi ob ſuavem odorem quærebatur: *Pomum ipſum aliàs non manditur: odore præcellit*, ut ait Plinius l. 12. c. 3. Vide etiam Theophraſtum apud Athenæum l. 3. dipnoſoph. Eadem poma una cum veſtibus in arcis condebant, ut eorum odor in veſtes tranſiret, ac tineæ arcerentur. *Odore præcellit foliorum quoque, qui tranſit in veſtes una conditus, arcetque animalia*. Veroſimile eſt Homerum per *eimata thyoden* ſignificare voluiſſe veſtes cum pomis citreis conditas; Nævius eas *veſtes citroſas* vocat. Antiquis, ut alibi adnotavimus, maxima odore imbutarum veſtium erat cura. Exiſtimabant inſuper malum citreum adverſus corruptum D aerem, & adverſus venena remedium eſſe præſentiſſimum.

Quæ hactenus diximus commentarii loco haberi poſſunt: ut ea explicentur ſponſæ ad ſponſum verba Cantic. 7. 13. *Dudaim dederunt odorem; nova & vetera, dilecte mi, ſervavi tibi*.

Moyſes etiam, dum ait Ruben meſſis tempore *Dudaim* inveniſſe, aliam nobis aperit viam, qua eadem dignoſcere poſſimus. In Palæſtina, Syria, Ægypto, & Meſopotamia exeunte circiter Aprili, ac ineunte Majo frumentum ſecabatur. Hac vero tempeſtate nec Mandragoræ, nec poma vulgaria in ea regione adhuc matureſcunt. Admodum igitur probabile eſt Ruben mala vel aurea, vel citrea meſſis tempore matura reperiiſſe, eaque ad matrem ſuam attuliſſe. Ubi E in Canticis ſponſa de Dudaim loquitur, hæc inquit: *Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum, mane ſurgamus ad vineas, videamus, ſi floruit vinea, ſi flores fructus parturiunt, ſi floruerunt mala punica . . . Dudaim dederunt odorem* &c. Vernum igitur tempus erat, atque tunc temporis nonniſi mala aurea, aut citrea matura eſſe, ac odorem ſuum diffundere potuiſſe novimus.

Scriptura Cant. 7. 13. innuit Dudaim poma eſſe odorifera; eaque conjungit cum malis punicis, quod aliquam cum iis ſimilitudinem gerant. Si verbum

Du-

1 Geneſ. 30. 14. Cant. 7. 13.
2 Cantic. ibid.
3 Cantic. 6. coll. cum 7. 13.
4 Jerem. 24. 2.
5 1. Reg. 2. 14. & Job. 41. 11.

Dudaim mala citrea non ſignificat, nullam nobis innoteſcit linguam Hebraicam habere vocem, quæ hujuſmodi fructum Hebræis minime ignotum poſſit denotare.

Calathus, & lebes e Iudæis appellantur Dudaim; atque ea de cauſa, ut probabile eſt, hoc nomine donantur, quod aliqua inter illos, & cognominem fructum intercedat ſimilitudo. Citri flos in modum calathi ſurgit, rubicundus eſt, & in parte extrema aliquantulum capillatus.

Verbum Hebraicum *Dod*, quod amorem, vel dilectum ſignificat, nobis innuit Dudaim fructum ſuavem fuiſſe, ac viſu pulchrum, quod malis citreis mire convenit. Revera Onkelos, Hebræi, Joſephus, & Interpretes Syriaci, ac Arabes locum Moyſis Lev. 23. 40. ubi ſermo eſt de *fructu arboris pulcherrimæ*, qui ad templum die ſolemnitatis Tabernaculorum ferebatur, de malo citreo interpretantur. Probabile admodum eſt veteres Hebræos legiſſe פרי עץ הדד fructum arboris *Haddad*, loco פרי עץ הדר fructus arboris *Haddar*, magnifici. Pluribus in lingua Hebræa locum dedit erroribus, quæ intervenit inter litteras Reſch, & Daleth, ſimilitudo.

Etſi autem magna intercedat diſſimilitudo inter Hebræam vocem *Dudaim*, & nomina, quæ Græci, & Latini malis aureis, & citreis impoſuerunt, non ideo tamen colligere hinc debemus fructus hos a Dudaim differre. Veroſimile valde eſt hoſce populos peculiare mali citrei nomen ignoraſſe, aut communi tantum, & generico nomine fructus hujuſmodi fuiſſe ab illis appellatos. Quærit Athenæus dipnoſoph. l. 3. cap. 5. an hunc fructum cognoverint antiqui Græci. Jubam Mauritaniæ Regem de iis verba feciſſe, ac in Lybia, Heſperidum mala vocitari dixiſſe teſtatur. Oſtendit etiam Theophraſtum fructum hunc pomi Medi, & Perſici nomine deſcripſiſſe. Theophraſtus eodem loco refert antiquos Græcos fructum hujuſmodi mandere ſolitos non fuiſſe; unde notat Athenæus eos parentum ſuorum ætate edere mala citrea incœpiſſe, cum prius ea velut pretioſum quidpiam inter veſtes in ciſtis deponere conſuevaſſent.

Narrat Plutarchus ævo ſuo ſenes meminiſſe, quo tempore mos citrea mala mandendi ortum habuerit. Antiphanes apud Athenæum refert ea Athenis in uſu non fuiſſe, niſi paucis ante annis, ſemine a Perſarum Rege ea miſſo. Alii primòs in Græciam citros ex Africa deveniſſe putant, eaſque e ſemine pomorum aureorum horti Heſperidum, quorum adeo frequens apud veteres mentio, ortas eſſe. Aurea poma, & ut nos dicimus, aurantia, ex aureo, quem præſeferunt, colore nomen acceperunt. Primi omnium Latini fructum hunc *pomum citrium* videntur appellaſſe, quod etiam Pamphilus in ſuis Gloſſis affirmat. Nomen hoc deduci facile poteſt ab Hebræo קטר *Kitter*, quod ſuffire, ſuavem, & gratum odorem ſpargere ſignificet. Aſſerit Macrobius l. 3. cap. 19. Saturnal. Homerum nomine *Thyon* Θυίε, unde *Thyodes*, mala citrea intellexiſſe; & Philoxenus in ſuis Gloſſis fructum hunc appellat Θυῖα *Thyim*, quod idem ferme ſignificat, ac malum citreum juxta Hebræos; ideſt, fructum odorum. Ex his omnibus liquet Græcos, & Romanos nonniſi ſerius citrum agnoviſſe, neque umquam verum ejus nomen e populis, unde primum venerat, inditum, compertum habuiſſe.

Dicet fortaſſe aliquis mala citrea adeo in Meſopotamia vulgaria fuiſſe, ut tanta ea obtinendi flagraſſe Rachelem cupiditate probabile non ſit. Reſponderi poteſt primo, magno ſemper habitos fuiſſe in pretio, ut paulo ante oſtenſum eſt, hoſce fructus, licet illa in regione non admodum rari eſſent. Secundo, illa poma, quæ Ruben invenit, eximiæ fuiſſe pulchritudinis, ac proinde Rachelem eorum deſiderio facile moveri potuiſſe. Tertio, cupiditatis vim, ac magnitudinem ex optatæ rei pretio, & raritate non ſemper penſandam eſſe. Sæpe quid accidit, quo ad id vehementer optandum impellimur,

A quod alioquin nullum ſui amorem nobis poſſet ingerere. Quarto tandem, eadem etiam illos urgeri difficultate, qui *Dudaim* mandragoras, lilia, aut leucanthemum eſſe contendunt. Nihil horum rarum eſt, nec pluris faciendum, quam mala aurea, & citrea; noſque affirmare audemus, Dudaim qualitates, quas Scriptura notat, minus illis, quam citreis malis, convenire.

℣. 15. PARUMNE TIBI VIDETUR, QUOD PRÆRIPUERIS MARITUM MIHI?] Quæritur hic Lia, perinde ac ſi Rachel Iacobo nubens magnam ipſi intuliſſet injuriam: tu mihi, inquit illa, præripuiſti virum, cui ante te nupſeram: quaſi Rachel idem ipſi potiori jure objicere non poſſet.

℣. 16. AD ME, INQUIT, INTRABIS.] *Quid opus erat*, ait Divus Auguſtinus l. 22. contra Fauſtum B cap. 49. *ut eum altera conduceret, niſi quia ordo alterius erat, ut ad eam maritus intraret?* Iacob ingenti licet amore Rachelem proſequeretur, eam tamen iræ habebat, ut Liæ nulla juſtæ Zelotypiæ materies præberetur. Iacobi prudentia, & æquitas domeſticas, quæ inter duas ſorores oriri poſſent, diſcordias prævenire curabat. Id diligenter cavendum erat in familiis, ubi plures uxores eſſent. Illius regionis mos poſtulabat, ut ita Iacob ſe gereret, etiamſi ad hoc faciendum nulla alia ratione impelleretur. Conſuetudo hæc vim legis obtinebat, & Reges ipſi Perſarum legi huic obtemperabant, quod comprobatur exemplo Smerdi, qui Perſarum imperium invaſerat. Videri poſſunt Commentaria, quæ C ſcripſimus in c. 22. 10. Exodi, & Herod. l. 3. c. 79.

℣. 18. APPELLAVIT NOMEN EJUS ISSACHAR.] Nomen hoc ſignificat, *vir mercedis*, ſeu merces viri, ſeu mariti. Ex duobus verſiculis, qui præcedunt, colligendum eſſe videretur Liam hic alludere ad emptionem, quam de viro ſuo fecerat, filii ſui mandragoras Racheli concedens: ſed cum ipſa hujus nominis cauſam afferat, dicens; *Dedit mihi Deus mercedem, quia dedi ancillam meam viro meo*, cenſendum eſt Iſſachar fuiſſe conceptum ante hunc mandragorarum eventum; hujuſmodi vero hiſtoriolam extra locum ſuum hic referri.

℣. 20. ZABULON.] Hoc eſt *habitaculum*. Alias nominum Hebræorum Auctor ſignificationes longe petitas, & ſibi invicem repugnantes huic voci tribuit, D verbi gratia: *habitaculum fortitudinis*; vel, *curſus noctis*. Apparet in textu alluſionem fieri inter זבד *Zabad*, quod dotare, & זבל *Zabal*, quod habitare ſignificat. Sed alluſio hæc tota in verborum ſono, non autem in eorum ſignificatione conſiſtit. Lia inquit: *Dotavit me Deus dote bona.* זבדני זבד טוב *Zebadeni zebed tob*. Concludit inde virum ſuum ſecum manſurum, יזבלני אישי *Izbeleni iſchi*. Filio ſuo ſexto loco genito nomen imponit Zabulon a Zabal deductum. Vox *zabad* in hoc uno Scripturæ loco reperitur, atque propterea non plane noſcitur, quid revera ſignificet.

℣. 21. DINA.] Deſcendit e radice *dun*, *judicare*. Unde etiam oritur nomen *Dan*, Deus pro me judicavit. Dinam Iobo viro utique ſancto nupſiſſe E Iudæi contendunt.

℣. 23. ABSTULIT DEUS OPPROBRIUM MEUM.] Sterilitas fœminis erat ignominioſa, ſicut ex pluribus Scripturæ locis aperte colligitur, ac præcipue ex 1. Reg. 1. 6 Luc. 1. 25. Textus Hebraicus ad litteram: אסף Aſaph. *Dominus collegit opprobrium meum*, ſeu, *opprobrium meum ſuſtulit*, veluti rem, quæ colligitur, & complicatur, ut ferri poſſit.

℣. 24. ET VOCAVIT NOMEN EJUS IOSEPH, DICENS: ADDAT MIHI DOMINUS FILIUM ALTERUM.] Rachel filio ſuo Ioſephi nomen imponens alludere videtur ad vocem *aſaph*, qua in præcedenti verſiculo eſt uſa, ut denotaret *Deum ejus opprobrium abſtuliſſe*; & ad verbum יסף Iaſaph, quod redditur *augere*, ſeu *addere*; ut ſe numeroſæ familiæ obtinendæ ſpem concepiſſe oſtenderet. Deum precatur, ut familiam ſuam augeat, & ſicut hunc concesſerat, ſibi alios filios donet.

℣. 25. Nato Ioseph, dixit Iacob socero suo: dimitte me &c.] Anno ætatis Iacobi patris ſui nonageſimo primo, & quatuordecim annis, poſtquam Iacob in Meſopotamiam venerat, natus eſt Ioſephus. Cum tempus omne fluxiſſet, quo ille Labano pro Rachele, & Lia operam ſuam ſpoponderat, ab eodem Labano petit, ut ſe in terram Chanaan ad patrem ſuum Iſaac redire pateretur.

℣. 27. Experimento didici, quia benedixerit mihi Deus propter te.] Textus Hebraicus [1] plerumque ſignificat: e divinationibus, & auguriis didici. Septuaginta [2] hoc in ſenſu illud acceperunt: ſed alia phraſi, id explicant, ac Vulgata: *Si inveni gratiam coram te, auguratus eſſem, quoniam Dominus benedixit mihi poſt adventum tuum*; id eſt, Si inveni gratiam coram te (mane apud me, aut dic mihi: quam mercedem a me poſtulas) quoniam facile augurari poſſum, Dominum benedixiſſe mihi poſt adventum tuum. Divus Auguſtinus legebat: *Si inveni gratiam ante te, auguratus eſſem: benedixit enim me Deus in introitu tuo*. Id eſt, juxta hujus Patris ſententiam; ſi inveni gratiam coram te, liceat mihi augurari, quod Dominus benedixit mihi poſt adventum tuum; ſeu: ſi inveni gratiam ante te, mane quæſo in domo mea, ut felix mihi ſit omen. Verum Vulgata melius fuiſſe ſenſum aſſequuta videtur; & Hebraicum Nachaſch accipitur aliquando pro *experiri*, ſicut Gen. 44. 15. & 3. Reg. 20. 33. Abenezra Labanum de proſperitatis cauſa, quam in tota domo ſua conſpiciebat, Teraphim ſuos conſuluiſſe putat.

℣. 28. Constitue mercedem tuam.] Præſcribe mihi נקבה; Septuaginta: διάστειλον, conſtitue: Aquila, ἐπονόμασον, nomina, dic: Symmachus: ὅρισον, ſtatue: tibi dabo quidquid poſtulaveris. Æquiſſima proponit Laban, dum in Iacobi ipſius arbitrium confert, quibus velit conditionibus ei denuo inſervire. Alia tamen animi ſenſa eum præſeferre videbimus, aliam rationem paulo poſt inire, cum ea utilitatis ratio ceſſaverit, quæ illum modo permovit, ut tam largus promiſſor eſſet.

℣. 29. Tu nosti quanta in manibus meis fuerit possessio tua.] Tu noſti, quantopere auxerim exiguam illam facultatem, quam mihi tradidiſti. Hebr. Noſti quemadmodum *acquiſitiones tuæ*, ſeu *poſſeſſiones tuæ*, ſeu *pecudes tuæ in manibus meis auctæ ſint*. Vox מקנה *Mikeneh* triplicem hunc ſenſum pati poteſt. Poſteriorem ſenſum ſequuntur Septuaginta, qui habent Κτήνη σου, Chaldæus, & plures recentiores: Tu noſti quantopere grex tuus auctus ſit me cuſtode.

℣. 30. Benedixit tibi Dominus ad introitum meum.] Taxeus Hebraicus ad literam לרגלי; Saptuaginta ἐπὶ τῷ ποδί μου, *ad pedem meum*: ideſt, quocumque me tranſtuli utilitatis tuæ gratia; vel: ad adventum meum. Verſiones Chaldaica, Syriaca, & Arabica: Deus benedixit tibi propter me. Alii; auxilio meo, meo labore, mea opera.

℣. 31. At ille ait: Nihil volo.] Hoc eſt: nihil a te gratis peto. Ita Eſtius. Nihil aliud volo, niſi quod mox tibi dicam; ſeu juxta Divum Chryſoſtomum; nullum ſtipendium a te quæro, nec tibi volo inſervire, ut mercenarius homo; ſed audi quæ tibi propono,

℣. 32. Gyra omnes greges tuos, et separa cunctas oves varias, et sparso vellere, et quodcumque furvum, et maculosum, variumque fuerit, tam in ovibus, quam in capris, A erit merces mea.] Verſiculus hic, & qui proxime ſequuntur, adeo obſcuri ſunt, ut nulla Interpretum diligentia ſatis adhuc illuſtrari potuerint. Septuaginta non fuiſſe ſatis Hebraicum ſenſum aſſequuti videntur, & Divus Hieronymus fatetur ſe neminem adhuc inveniſſe, qui hunc Septuaginta locum ipſi noverit explicare. En tibi Chaldaica verſio: Viſitabo hodie omnes greges tuos: *ſepara omnes agnos maculoſos, & varios; omnes agni nigri, & quodcumque maculoſum, & varium fuerit in capris, erit merces mea*. Eodem modo id explicat Interpres Syrus, niſi quod ubi Chaldæus reddit *varium*, Syrus vertit *non habens cornua, & varium*. Septuaginta [3]: *Educ cuncta pecora tua, & ſepara inde omne pecus fulvum in agnis, & omne ſubalbum, & maculoſum in capris,* B *erit merces mea*.

Hebraicus textus ita poteſt verti ſecundum Bochartum, qui germanam Hebraicorum verborum ſignificationem diligentiſſime inquiſivit, quæ ſane verba locum hunc, unde ſequentium explicatio pendet, adeo obſcurum reddiderunt. *Omnes pecudes* (id eſt & oves, & capræ) *punctis reſperſa, & maculoſa, & omne pecus nigrum in agnis, & maculoſum, & punctis reſperſum in capris, erit merces mea*. Iacob ex gregibus Labani eas tantum oves ſibi dari petit, quarum lana minimi ducebatur, eaſque capras, quarum pili vili habebantur: ea enim in regione capræ tondebantur. Ovium lana, & pili caprarum, quæ varii ſunt coloris, minimi æſtimantur: quoniam tingi nequeunt, nec lana omnino nigra: ſed pili nigri C caprarum pluris fiebant; quod inſervirent ad conficienda tabernacula, quæ plerumque nigra erant, ſicut affirmant & Sponſa Cant. 1. 4. & Auctores prophani, quos alibi citavimus. Iacob hic capras albas non excipit, nec nigras Labano relinquit, ſed v. 35. Laban capras albas, & arietes nigros una cum aliis pecudibus ejus coloris, quem popoſcerat Iacob, filiis ejus tradit.

Vox Hebraica [4] *Nakid*, quam Divus Hieronymus vertit, *oves varias*, propriæ ſignificat *punctatam*; hoc eſt, oves albas, ſed exiguis quibuſdam maculis diſtinctas. *Talu* [5] autem, quod Vulgata reddit *ſparſo vellere*, juxta Bochartum ſignificat oves, quarum lana eſt rubea, ſed albis maculis diſtincta; ſeu juxta alios, quarum lana alba eſt, magnis tamen, ſeu D nigris, ſeu rubeis maculis infecta. En igitur quidquid Iacob hoc in capite dicit. Sex adhuc annis operam meam tibi ſpondeo, ſi mihi dabis oves, & capras omnes verſicolores, quæ in gregibus tuis naſcentur; hiſque addes oves nigras, & capras albas; id eſt, quidquid viliſſimum eſt. Et ne forte credas eam mihi mentem eſſe, ut te decipere velim, aut arte aliqua efficere, ut ingens hujuſmodi ovium, & caprarum numerus naſcatur, ſi unicolores admittam iis, quæ variæ ſunt, & maculoſæ, tu idem una cum filiis tuis ſepara omnes pecudes, quarum fœtus pro me naſcituros facile ſperas, eaſque tibi habe juxta hujus conventionis articulos; mihi vero eas concede pecudes, quas putas fœtus ſuos tibi facile enixuras. Poſtquam vero & agni, & hædi nati erunt, E tum eos, prout conventum fuerit, inter nos partiemur. Laban propoſitioni, quæ ſibi adeo utilis videbatur, libenter annuit, & id v. 35. hujus capitis ad effectum perductum legitur.

℣. 33. Respondebit mihi cras justitia mea, quando placiti tempus advenerit;] id eſt, innocentia mea pro me reſpondebit, pro me teſtimonium feret. Alludit ad morem, qui in judiciis ſervari

---

1 נחשתי ויברכני יהוה בגללך.

2 Εἰ εὗρον χάριν ἐναντίον σου, οἰωνισάμην ἄν, εὐλόγησε γάρ με ὁ Θεὸς ἐπὶ τῇ σῇ εἰσόδῳ.

3 Παρελθέτω πάντα τὰ πρόβατά σου, καὶ διαχώρισον ἐκεῖθεν πᾶν πρόβατον φαιὸν ἐν τοῖς ἀρνάσι, καὶ πᾶν διάλευκον, καὶ ῥαντὸν ἐν ταῖς αἰξί, ἔσται μοι μισθός. Legerunt העביר pro אעבר. quod nos legimus hodie היום. Septuaginta: ῥαντὸν καὶ διάλευκον, maculoſos, & ſubalbos. Symmachus: λευκόποδας, albis pedibus. Alius, λαιόποδας. Lævis, ſiniſtris pedibus.

4 נקד. 70. φαιόν. Fuſcum. Alii: ποικίλον. Variegatum. 5 טלוא Aq. Sym. Theodot. ῥαντόν. Nigris maculis. Ezech. 16. 16. Theodot. ἐμβλήματα. Alius, Joſu: 9. 5. ἐπιβλήματα ἔχοντα.

ſervari ſolet, ubi pro purgatione, aut condemnatione partium teſtes audiuntur. Septuaginta vertunt [1]: *Juſtitia mea me audiet crat, quoniam merces mea eſt coram te*; ideſt, innocentia mea pro me teſtis erit; tibique oſtendet quænam debeat eſſe merces mea. Auctor Vulgatæ innuere voluit futurum, ut Iacob integritatem ſuam Labano patefaciat, cum deinde animalia juxta pacta ſimul convenient diviſuri.

Cum Iacob ait futurum, ut innocentie, ſeu juſtitia ſua pro ſe teſtimonium ferat, non ideo pro præteritis ſibi timet; ſed prævertere ſludet ſuſpicionem, quæ in Labani animo impoſterum naſci poſſet. Ita Iacob illum alloquitur: Rem tibi propono, ex qua certiſſime colligere poteris te minime fuiſſe deceptum. Hebraicus hujus loci textus [2] plures ſenſus admittere poteſt. *Innocentia mea pro me teſtimonium reddet cras* (ſeu paulo poſt, impoſterum,) *cum apparebit ante te ſuper mercedem meam*; id eſt, cum ante te veniet, ut eam audias teſtimonium ferentem de eo, quod mihi pro mercede debitum eſt. Aliter: *Innocentia mea teſtimonium pro me feret, cum veneris* (examinaturus) *mercedem meam coram te*. Cum viſitabis animalia, quæ ad me ſpectabunt.

ET OMNIA, QUÆ NON FUERINT VARIA, ET MACULOSA, & FURVA ...... FURTI ME ARGUENT.] Hebraica verba magis clara, & diſtincta ſunt; quodcumque maculoſum non erit, aut furvum in hædis, aut nigrum in arietibus, id totum quaſi furtum cenſdeta. Septuaginta ſenſum hunc ad verbum ſequuti ſunt. Nos hebraicum verbum טלוא *Talu* vertimus, ſubalbum; Septuaginta vero [illegible] fuſcum. Verbum hoc ſignificat ad litteram, maculis albis, ſimul & nigris, ſeu fuſcis, ſeu fulvis diſtinctum eſſe. *Bochartus*.

℣. 35. ET SEPARAVIT IN DIE ILLA CAPRAS, & OVES, & HIRCOS, & ARIETES, VARIOS, ATQUE MACULOSOS: CUNCTUM AUTEM GREGEM UNICOLOREM, ID EST, ALBI, & NIGRI VELLERIS, TRADIDIT IN MANU FILIORUM SUORUM.] Ex hoc textu colligendum videtur Labanum juxta inita v. 32. pacta filiis ſuis capras, & oves unicolores tradidiſſe; maculoſas vero, & verſicolores Iacobo reliquiſſe, quod certe repugnat & iis, quæ ſupra v. 32. diximus, & ipſi etiam hebraico textui. Ita enim habet ad litteram [3]: *Eo die ſeparavit hircos maculoſos, & verſicolores, & omnes capras maculoſas, & verſicolores, & quodcumque erat album, aut nigrum in gregibus hædorum, tradidit ea in manu filiorum ſuorum*. Iuxta textum hunc Laban tradidiſſet filiis ſuis pecora omnia tum ea, quæ unius, tum quæ diverſi coloris erant, quod pactis omnino refragatur.

Nonnulli non de Labani, ſed de Iacobi filiis id interpretantur. Opinioni huic hebraicus textus non adverſatur, qui æque bene verti poteſt, *filiorum ejus*, videlicet Iacobi, & *filiorum ſuorum*, ſcilicet Labani. Rei hujus cognitio tota pendet a nominativo verbi *ſeparavit*, qui in textu omnino non exprimitur. Iacob erat Labani gener; & filii de quo textus erant Iacobi liberi, ac Labani nepotes. Conqueritur Laban paulo inferius c. 31. 28. de Iacobo, quod clam confugiens ſibi non permiſerit, ut filios ſuos, ac filias complecti poſſet. Veruntamen ex iis, quæ ſequuntur, dicendum videtur locum hunc eſſe de Labano explicandum; præterquamquod Iacobi filii non ea adhuc ætate erant, ut greges paſcere poſſent. Major natu quatuordecim ad ſummum annos agebat. Inſuper facta conventio æqua frangebatur, ſi Iacobo greges omnes tum unicolores, tum variis coloribus diſtincti traderentur cuſtodiendi.

Aliis Interpretibus viſum eſt, ante verbum *unicolorem* addendam eſſe particulam negativam; alioquio contradictionem hoc in loco ſubeſſe ajunt, putantes Iacobum agnos, ſeu hædos maculoſos tantum obtinere debuiſſe. Sed Iacobum non ſolum agnos, & hædos maculoſos, ſed hædos etiam albos, & agnus nigros poſtulaſſe ad verſ. 32. ex Bocharti ſententia diximus. En igitur quo pacto verſiculum hunc verti poſſe cenſemus, aliquid ſupplendo: *Separavit hircos*, ſeu potius arietes, *maculoſos, & verſicolores, & capras maculoſas & varias, eaſque omnes, quæ albæ erant, omneſque agnos nigros, & tradidit in manu filiorum ſuorum*. Moyſes addit hic *capras albas*, quarum nec v. 32. nec 33. meminerat. Verſiculo 35. verbum hebraicum *Tejaſchem*, quod plerumque ſignificat hircos, reddendum eſt *arietes*, ni Moyſem eadem ſuperflue repetiiſſe velimus: *hircos maculoſos, & varios, capraſque maculoſas, & varias*; quaſi hirci, & capræ ſpecie differrent.

Aliter etiam verſiculus hic 35. poteſt explicari: *Laban ſeparavit omnes arietes maculoſos, & varios, & capras maculoſas, & varias. Quodcumque maculis albis diſtinctum erat, & quodcumque erat omnino nigrum in agnis*. Senſus hic omnium maxime ſimplex fortaſſis eſt; meliuſque convenit cum verſiculo præcedenti. Jacob petit I. quodcumque maculoſum erit, & varium tam in ovibus, quam in capris. II. agnos omnes, qui omnino albi non erunt; & illos ſcilicet qui plane nigri, & illos qui albis maculis erunt diſtincti. Quod autem Bochartus dicit Iacobum capras albas ſibi reſervare, id ſuſpicione non caret; nullus enim adeſt textus, ex quo clare id colligi poſſit.

℣. 36. POSUIT SPATIUM ITINERIS TRIUM DIERUM INTER SE, ET GENERUM, QUI PASCEBAT RELIQUOS GREGES EJUS.] Jacob viginti quinque circiter leucas diſtabat a filiis Laban, habebatque ſolum oves albas, & capras unicolores ſibi traditas a Labano, exiſtimante fore ut agnos, & hædos ejuſdem coloris ederent, quod ſane juxta naturæ ordinem evenire debebat; verum Jacob Labani conſilium arte ſua eluſit.

℣. 37. TOLLENS ERGO JACOB VIRGAS POPULEAS VIRIDES, ET AMYGDALINAS, ET EX PLATANIS, EX PARTE DECORTICAVIT EAS &c.] Interpretes non conveniunt in natura arborum exponenda, de quibus hic Scriptura [4] loquitur. Nonnulli primam vocem ſignificare putant, virgas ex nuce; alii ex corylo; alii tandem generice exponunt virgas albas. Syrus, *virgas humidas* (probabiliter intelligit virides) *ex amygdalo*. Arabs, *humidas virgas populeas, & ex nuce*. Septuaginta edit. Complut. [5] *virgas virides ex ſtorace, ex nuce, & ex platano*; Arias Montanus, *virgas virides populeas, ex corylo, & ex caſtanea*. Sed Vulgatæ adhærendum eſt, ubi explicat *ex platanis*. Verſioni huic favent Septuaginta, verſiones Chaldaica, Syriaca, & Arabica. In ea regione nullæ caſtaneæ naſcuntur; at platani maxime florent, ut teſtatur Bellonius Obſervat. l. 2.

Quod etiam ſequitur, aliter in hebraico textu legitur: *ex parte eas decorticavit*. Textus ad litteram: *Eas primo cortice ſpoliavit, qui albus eſt* in populis; ſecundum vero corticem reliquit, qui ubi per aliquod tempus ſine primo cortice permanſit, fulvum colorem ſtatim induit; ita ut ex varia colorum albi, & fulvi, ſeu nigri commixtione magnopere oves percellerentur. Vatablus alio in ſenſu id videtur intelligere: *Incidit in illis inciſuras albas denudationem candoris*. Revera ita locus hic explicandus, ſi adhibitas a Jacobo virgas, nigrum, vel fulvum, vel viridem colorem habuiſſe velimus.

℣. 38. POSUITQUE EAS IN CANALIBUS, UBI EFFUNDEBATUR AQUA.] Jacob tribus modis [6] Labani ſpes callide eluſit. Primum deſcriptum legimus in hoc

1 Καὶ ἐπακούσεταί με ἡ δικαιοσύνη μου.... ὅτι ἐστὶν ὁ μισθός μου ἐνώπιόν σου.
2 כי תבוא על שכרי לפניך
3 ויסר ביום ההוא את התישים העקדים והטלאת כל אשר לבן בו וכל חום בכשבים ויתן ביד בניו
4 מקל לבנה לח ולוז וערמון
5 Ῥάβδον στυρακίνην χλωρὰν, καὶ καρυΐνην, καὶ πλατάνου
6 Munſterus, Fagius, Bochartus,

in hoc verſiculo, ubi Iacob virgas variis diſtinctas coloribus ob ovium, cum venere maxime ferverent, oculos ponit, ut ea varietate vehementer affectæ ederent fœtus diverſis coloribus imbutos. Alter modus in eo conſiſtit, quod ubi vidit Iacob rem hanc ſibi ex ſententia ſuccedere, ob ovium, & caprarum oculos ſtatuit arietes, & hircos, qui maculoſi, & varii recens nati erant. Tertius tandem in eo ſitus eſt, quod inter oves, & capras Labani optimas quaſque, & validiſſimas elegit, ut illarum oculis obiiceret virgas decorticatas, agnoſque, & hircos, quos primo artificii genere ſuſceperat; atque hoc v. 41. & 42. refertur. Hebr. יצג, & Chald. רעין ſignificant illum *virgas in canalibus defixiſſe*; videlicet eas in terra defixiſſe ſecus canales, ſeu alveos, vel etiam ſecus rivulum, quo pecudes potum ducebantur.

℣. 40. Diviſitque gregem Jacob, et poſuit virgas in canalibus ante oculos arietum.] Textus hic nullam patitur difficultatem, ſi ſemel admittamus, quod paulo ante diximus, oves videlicet maculoſas, & varias Iacobo, unicolores autem Labano cedere debuiſſe. Sed hebraicus textus alium nobis exhibet ſenſum; ita enim verti poteſt ad litteram: *& Jacob diviſit gregem ſuum, & pecudes ſuas ſtatuit contra maculoſas, & contra agnos nigros, qui erant inter pecudes Labani; & poſuit gregem ſuum ſeorſim, & non ſtatuit illum contra pecudes Labani.*

Ut hujus valde obſcuri loci ſenſus intelligatur, notare juvat I. Moyſem hic non referre primum Jacobi experimentum; ſed ſupponere, quod ubi Jacob vidit rem ſibi e voto ſuccedere, pro decorticatis virgis, quas primum adhibuerat, ante pecudes poſuerit agnos nigros, & maculoſus, & verſicolores hædos, quos jam natos habebat. II. Memoria retinendum eſt Iacobum omnes oves albas, omneſque Labani capras unicolores habuiſſe. Iacob igitur Labani pecudes a ſuis ſejunxit, ac diligenter cavit, ne ob oculos ovium, & caprarum, dum ad venerem accenſæ erant, aliud quidpiam ubiiceret, niſi arietes, & hædos verſicolores, aut etiam agnos omnino nigros; nimirum ut Labani oves, & capræ eæ ſaltem, quæ juniores erant, tales ederent fœtus, qui ſibi cedere deberent.

Tandem poteſt etiam locus hic ita magis ſimpliciter explicari: ubi Iacob artem ſuam ſibi prodeſſe, cognovit, agnos, & hædos jam natos a reliquis Labani pecoribus ſepoſuit, fortaſſe ut Labani querelas præverteret, qui dicere potuiſſet Iacobum hircos, & arietes ſuos verſicolores ovibus albis, & capris verſicoloribus admiſiſſe, ut agnos, atque hædos varios parerent, ac maculoſos. Iacobum autem in defigendis decorticatis virgis in canalibus, quo greges adaquatum agebantur, perrexiſſe e ſequenti verſiculo liquet.

℣. 41. Quando primo tempore aſcendebantur oves, ponerat Jacob virgas &c. (42) Quando vero ſerotina admiſſura erat, non ponebat eas.] D. Hieronymus in quæſt. hebr. in Geneſ. cenſuit oves, & capras Labani bis in anno fœtus emiſiſſe, atque id in Meſopotamia non minus, quam in Italia frequenter evenire conſueviſſe: *Bis gravidæ pecudes*. Idem ſenſit D. Auguſtinus quæſt. 95. in Geneſ. atque id comprobare conatus eſt ipſius Iacobi verbis conquerentis ſe decies a Labano fuiſſe deceptum; ſcilicet bis in ſingulis annis, quoniam poſt conventionem, de qua verba fecimus, ſex tantum annis Labano inſervivit. Primo anno ſemel tantum conditiones mutavit; anno autem poſtremo Iacob ante autumnum fugam arripiens ſe ſecunda vice ab illo decipi non permiſit.

Verumtamen licet mirum non ſit, quod oves duos agnos ſimul edant, vel bis in anno concipiant; nullo tamen argumento evinci poteſt id Meſopotamiæ ovibus frequenter accidiſſe; cumque Jacob ſe decem vicibus deceptum fuiſſe conqueritur, hoc de indefinito numero intelligi facile poteſt. Hoc tamen poſito, quod oves bis in anno fœtus emitterent, quæritur hic, melioreſne fuerint agni, qui autumnali, & hyberno, an qui verno tempore naſcebantur? Sunt qui ſtent pro primis. Plinius lib. 8. cap. 47. *Multi hybernos agnos præferunt vernis, quoniam magis interſit ante ſolſtitium, quam ante brumam firmos eſſe.* Et Columella lib. 8. cap. 3. *Melior eſt agnus Autumnalis Verno, ſicut ait veriſſime Celſus. Quia magis ad rem pertinet, ut ante æſtivum, quam hybernum ſolſtitium convaleſcat: ſoluſque ex omnibus animalibus bruma commode naſcitur.* Verum Divus Hieronymus, Verſiones Chaldaica, Syriaca, & Arabica ita textum intellexere, ut ſignificaret Jacobum non tunc virgas ovium oculis objeciſſe, cum circa Autumnum fœtum mittere debebant; malebat enim, ut agni eo tempore nati Labano eſſent. Mihi tamen videtur Vulgata facile conciliari poſſe cum eorum ſententia, qui agnos autumnales, & hybernos vernis præferunt, ſi dicamus Jacobum virgas poſuiſſe *primo tempore*, ut agnos autumnales haberet: autumnali vero tempore eas non poſuiſſe, quia vernos agnos parvipendebat. *Quando ſerotina admiſſura erat, non ponebat eas*: atque ita: *Facta ſunt, quæ erant ſerotina Laban*: id eſt; agni autumnali tempore concepti, & verno nati Labano cedebant.

Exiſtimat Bochartus verba הקשרים, & מקשרות, quæ Vulgata de vernis agnis intelligit, ita eſſe accipienda, ut agnos firmos, & validos ſignificent; verbumque העטיף *Haatif*, quod Vulgata reddit *ſerotina*, agnos imbecillos, & ſenio confectos denotare. Pluribus enim eruditus hic Auctor oſtendit, verbum עטף *ataph* ſignificare imbecillum eſſe, deficere. Hinc Moyſes hoc in loco nihil aliud dicet, niſi quod Iacob greges ſuos ita diviſit, ut Laban quidem haberet agnos ex infirmioribus ortos ovibus, ipſe autem ex melioribus natos. Septuaginta vertunt: *Jacob ponebat virgas, cum oves ad Venerem accenſæ erant, & concipiebant: Ubi autem* (42.) *fœtus ſuos emiſerant, non amplius eas ponebat.*

Duplex hic agitatur quæſtio. Prima eſt, utrum modus, quo ditatus eſt Jacob, ſecundum naturam fuerit, potueritque id ſine miraculo fieri? Altera, licueritne Jacobo opes ſibi quærere Labani damno, an vero ille hoc artificii genere juſtitiæ jura læſerit?

Patres Græci exiſtimaſſe videntur, miraculo factum eſſe, ut Labani oves, & capræ, ex parte decorticatas virgas intuentes conciperent fœtus maculoſos, & varios. Divus Chryſoſtomus homil. 57. in Geneſ. id ſupra naturæ leges fuiſſe contendit. Eadem ferme habet Theodoretus quæſt. 89. in Geneſ. Verum Latini Patres rationes, & exempla plura congeſſere, quo in hujuſmodi facto nihil ſupra naturam accidiſſe demonſtrarent.

Divus Hieronymus in quæſtionibus Hebraicis in Geneſ. notat mulieres, & generatim ſequioris ſexus animalia ſuis fœtibus imprimere rerum notas, quæ conceptus initio earum imaginationem vehementer affecere. Adeo multa experimenta, & exempla in hanc rem afferri poſſunt, ut nemo ſanæ mentis de hoc dubitare queat. Fœtus in utero matris deliteſcens eaſdem recipit impreſſiones, quibus mater percellitur, factæque impreſſionis notas ſecum ex utero defert modo majores, modo minores, prout magis, vel minus vehemens illa fuerit. Divus Auguſtinus quæſt. 9. in Geneſ. & l. 18. cap. 5. de Civit. Dei, Divus Iſidorus Hiſpalenſis l. 12. Orig. cap. 2. & alii ſententiam hanc rationibus confirmarunt; atque certiſſime pronunciari poteſt cetera omnia animalia eamdem proportione ſervata vim hac in re habere, qua mulieres donatæ ſunt. Oppianus de Venat. l. 1. ſcribit ad gignendos equos verſicolores variis pingendum eſſe coloribus equum admiſſarium, qui jumentis oſtenditur paulo ante quam ſimul coeant, ut ea varietate altæ phantaſiæ impreſſa talem concipiant pullum, qualem in voluptatis æſtu viderunt. Idem accidit in columbis, ante quorum oculos pannum coccineum ſtatuitur, aut alii columbi verſicolores, ut iis coloribus affectæ matres ova producant ſimilem fœtum continentia: quod certe magis

in

Digitized by Google

in avibus ; quam in animalibus viviparis mirum eſt.

Animadvertit Ariſtoteles Problem. ſect. 10. ideo majorem inter ejuſdem ſpeciei animantia ſimilitudinem conſpici, quam inter homines, in quibus ſigna, lineamenta, color, affectus, ingenia tandem adeo varia ſunt, quod parentum animus pluribus iiſque variis afficiatur impreſſionibus, quam animantium, quorum immobilis phantaſia eſt, & ad unam tantummodo ſpeciem determinata. Eadem ferme Plinius habet lib. 7. cap. 12. *Ideo plures in homine, quam in ceteris omnibus animalibus differentiæ, quoniam velocitas cogitationum, animique celeritas, & ingenii varietas multiformes notas imprimit; cum ceteris animalibus immobiles ſint animi, & ſimiles omnibus, ſingulisque in ſuo cuique genere.* His addi poteſt, quod animalia magis fera, quæ ferme nullum habent cum hominibus, aut cum ceteris animalibus commercium, numquam colorem mutant; quæque in obſcuris cavernis, aut in ſylvis frequentius habitant, cineraceis, vel nigris pellibus veſtiuntur. Quæ vero in montibus nive coopertis degunt, alba aliquando fiunt, ut accidit in perdicibus, leporibus, & urſis, qui in Alpibus album colorem induunt.

Merulas, quæ aliquando albæ inveniuntur, admodum probabile eſt fuiſſe nivis tempore conceptas. Plinio teſte lib. 10. cap. 30. *Merulæ circa Cyllenen Arcadiæ, nec uſquam alibi, candidæ naſcuntur.* Mons hic altiſſimus eſt, & nivem diutiſſime ſervat. Merula ex avibus eſt, quæ ante reliquas nidum conſtruant. Fallitur tamen Plinius, dum ait, merulas nuſquam alibi candidas naſci. Vidi etenim ego in Vogeſi montibus merulam omnino albam, cum tres aliæ eodem in nido natæ prorſus nigræ eſſent: quod ideo potuit accidiſſe, quia ovum, ex quo merula candida orta eſt, tunc fortaſſe conceptum fuit, cum terra nive cooperta erat; quod diebus ſequentibus non acciderit. Hæc nivis altero die decidentis, ac altero ſolutæ varietas inibi frequens eſt ſub verni temporis initium, cum merulæ nidificare incipiunt. Animalia domeſtica diverſis frequenter coloribus diſcrepant; Equi, boves, canes, gallinæ, colombi pilos, & plumas mutant; quoniam plurima, & varia objecta ſolent frequentius intueri; rurſum vero animalia, quæ longius ab hominibus, & Urbibus remota ſunt, colorem firmius retinent. Ex his igitur colligere licet, nullum in eo, quod ob gregem ſuum Jacob egit, adfuiſſe miraculum.

Quod ad ſecundam attinet quæſtionem, licueritne Iacobo hujuſmodi artificii genus uſurpare, ſibique pro impenſa in alendis Labani gregibus opera mercedem ſumere; ab omni culpæ nota poſſumus illum hiſce rationibus excuſare. Nam nullo modo poterat Iacob jus ſuum obtinere adverſus Labanum, a quo tot injuriis affectus fuerat, dum Liam ducere, ſeptemque annorum ſpatio Labano pro ipſa inſervire fuit coactus: poterat proinde ipſe ſibi jus reddere, ut ſe a vexatione, quam injuſte a ſocero patiebatur, redimeret; laborumque ſuorum mercedem conſequeretur, dotemque uxorum, quibus nihil omnino dederat pater. Addi poteſt, quod vi initæ cum Labano conventionis, habebat Iacob omnes agnos nigros, & maculoſos, omneſque hædos pariter maculoſos, & albos; neque Iacob expreſſerat, quo pacto efficere poſſet, ut tales fœtus naſcerentur; quapropter Iacobo, cui Laban greges ſuos tradiderat, non eſt vitio vertenda hujuſmodi induſtria, cum cuilibet modis iis, qui ſecundum naturam ſunt, ſuaque ſolertia utilitatem ſuam quærere liceat. Univerſa Oeconomiæ ratio huic innititur principio.

His tamen rationibus reſpondetur. Primo, privatum hominem quacumque tandem injuria laceſſitum non poſſe ſibi jus dicere, neque quidquam ſibi ſumere ex ejus bonis, a quo ſe damnum paſſum eſſe conqueritur. Secundo, Jacobum, ſi proprie loqui velimus, non fuiſſe a Labano vexationibus oppreſſum. Cum enim Labano juxta inita pacta quatuordecim annis ille inſerviſſet, poterat ab ipſo recedere. Tertio, Labanum ſummo jure nihil debuiſſe Jacobo; nihil enim aliud ei ſpoponderat pro impenſa per quatuordecim annos opera, niſi filias ſuas, quas jam ipſi conceſſerat; quin imo nec titulo ſucceſſionis quidquam ei debebatur, cum ad eam non poſſet Jacob pervenire, niſi poſt Labani mortem, ſi illud etiam concedatur filias quoque potuiſſe Patri ſuccedere, cum maſculi filii aderant, quod tamen certum non eſt. Quarto tandem, licet conditiones, quibus Iacob iterum Labano operam ſuam ſpondebat, id ſimpliciter ferrent, ut agni, & hædi verſicolores ipſi Iacobo cederent, nec fuerit expreſſum, un poſſet ille aliquo artificii genere uti; eam tamen credendum eſt Labano fuiſſe mentem, ut Iacob ea tantum pecora ſibi ſumeret, quæ juxta uſitatum naturæ curſum, & ordinem recenſitis coloribus imbuta naſcerentur. In contractibus, in quibus bona fide dominari præcipue debet, mens, & voluntas contrahentium maxime eſt attendenda; alioquin nulla omnino eſſet in hominum commerciis fides. Verum omnium optima ratio, quibus Iacob excuſari a peccato poteſt, ea eſt, quod id ipſo Deo revelante cognoverat, ac inſpirante peregerat, ut damnum, & injuriam, quam a Labani aſperitate patiebatur, compenſaret.

CAPUT XXXI.

Fuga Jacobi inſcio Labano. Hic illum inſequitur, eumque in montibus Galaad aſſequitur, Fœdus inter Jacobum, & Labanum, cujus rei monumentum erigunt.

v. 1. POſtquam autem audivit verba filiorum Laban dicentium; Tulit Jacob omnia,
quæ fuerunt patris noſtri, & de illius facultate ditatus, factus eſt inclytus.
2 Animadvertit quoque faciem Laban, quod non eſſet erga ſe ſicut heri, &
nudiuſtertius. 3 Maxime dicente ſibi Domino; Revertere in terram patrum tuorum,
& ad generationem tuam, eroque tecum. 4 Miſit, & vocavit Rachel, & Liam in a-
grum, ubi paſcebat greges. 5 Dixitque eis; Video faciem patris veſtri, quod non
ſit erga me ſicut heri, & nudiuſtertius: Deus autem patris mei fuit mecum. 6 Et ip-
ſæ noſtis, quod totis viribus meis ſervierim patri veſtro. 7 Sed & pater veſter cir-
cumvenit me, & mutavit mercedem meam decem vicibus; & tamen non dimiſit eum

Deus,

Deus, ut noceret mihi. 8 Si quando dixit : Variæ erunt mercedes tuæ : pariebant
omnes oves varios fœtus : quando vero e contrario ait : Alba quæque accipies pro
mercede : omnes greges alba pepererunt. 9 Tulitque Deus ſubſtantiam patris veſtri,
& dedit mihi. 10 Poſtquam enim conceptus ovium tempus advenerat, levavi oculos
meos, & vidi in ſomnis aſcendentes mares ſuper fœminas, varios, & maculoſos, &
diverſorum colorum. 11 Dixitque angelus Dei ad me in ſomnis ; Jacob ? Et ego re-
ſpondi : Adſum. 12 Qui ait : Leva oculos tuos, & vide univerſos maſculos aſcen-
dentes ſuper fœminas, varios, maculoſos, atque reſperſos. Vidi enim omnia, quæ fe-
cit tibi Laban. 13 Ego ſum Deus Bethel, ubi unxiſti lapidem, & votum voviſti mi-
hi. Nunc ergo ſurge, & egredere de terra hac, reverteus in terram nativitatis tuæ.
14 Reſponderuntque Rachel, & Lia : Numquid habemus reſidui quidquam in faculta-
tibus, & hæreditate domus patris noſtri? 15 Nonne quaſi alienas reputavit nos, &
vendidit, comeditque pretium noſtrum? 16 Sed Deus tulit oves patris noſtri, & eas
tradidit nobis, ac filiis noſtris : unde omnia, quæ præcepit tibi Deus, fac. 17 Sur-
rexit itaque Jacob, & impoſitis liberis, ac conjugibus ſuis ſuper camelos, abiit. 18
Tulitque omnem ſubſtantiam ſuam, & greges, & quidquid in Meſopotamia acquiſie-
rat, pergens ad Iſaac patrem ſuum in terram Chanaan. 19 Eo tempore ierat Laban
ad tondendas oves, & Rachel furata eſt idola patris ſui. 20 Noluitque Jacob confite-
ri ſocero ſuo, quod fugeret. 21 Cumque abiiſſet tam ipſe, quam omnia, quæ juris
ſui erant, & amne tranſmiſſo pergeret contra montem Galaad, 22 Nuntiatum eſt La-
ban die tertio, quod fugeret Jacob, 23 Qui, aſſumptis fratribus ſuis, perſecutus eſt
eum diebus ſeptem, & comprehendit eum in montem Galaad. 24 Viditque in ſomnis
dicentem ſibi Dominum : Cave, ne quidquam aſpere loquaris contra Jacob. 25 Jam-
que Jacob extenderat in monte tabernaculum : cumque ille conſecutus fuiſſet eum cum
fratribus ſuis, in eodem monte Galaad fixit tentorium. 26 Et dixit ad Jacob ; Qua-
re ita egiſti ; ut clam me abigeres filias meas quaſi captivas gladio? 27 Cur ignoran-
te me fugere voluiſti, nec indicare mihi, ut proſequerer te cum gaudio, & canticis,
& tympanis, & citharis? 28 Non es paſſus, ut oſcularer filios meos, & filias : ſtul-
te operatus es : & nunc quidem, 29 Valet manus mea reddere tibi malum : ſed De-
us patris tui heri dixit mihi : Cave, ne loquaris contra Jacob quidquam durius. 30
Eſto, ad tuos ire cupiebas, & deſiderio erat tibi domus patris tui ; cur furatus es
deos meos? 31 Reſpondit Jacob : Quod inſcio te profectus ſum, timui, ne violenter
auferres filias tuas. 32 Quod autem furti me arguis : apud quemcumque inveneris
deos tuos, necetur coram fratribus noſtris : ſcrutare, quidquid tuorum apud me in-
veneris, aufer : hæc dicens, ignorabat, quod Rachel furara eſſet idola. 33 Ingreſſus
itaque Laban tabernaculum Jacob, & Liæ, & utriuſque famulæ, non invenit. Cum-
que intraſſet tentorium Rachelis. 34 Illa feſtinans abſcondit idola ſubter ſtramenta ca-
meli, & ſedit deſuper : ſcrutantique omne tentorium, & nihil invenienti, 35 Ait :
Ne iraſcatur dominus meus, quod coram te aſſurgere nequeo : quia juxta conſuetudi-
nem fœminarum nunc accidit mihi : ſic deluſa ſolicitudo quærentis eſt. 36 Tumenſ-
que Jacob, cum jurgio ait : Quam ob culpam meam, & ob quod peccatum meum ſic
exarſiſti poſt me? 37 Et ſcrutatus es omnem ſupellectilem meam ? Quid inveniſti de
cuncta ſubſtantia domus tuæ ? pone hic coram fratribus meis, & fratribus tuis, & ju-
dicent inter me, & te. 38 Idcirco viginti annis fui tecum ? oves tuæ, & capræ ſte-
riles non fuerunt, arietes gregis tui non comedi. 39 Nec captum a beſtia oſtendi
tibi, ego damnum omne reddebam ; quidquid furtim peribat, a me exigebas; 40
Die, noctuque æſtu urebar, & gelu, fugiebatque ſomnus ab oculis meis. 41 Sicque
per viginti annos in domo tua ſervivi tibi, quatuordecim pro filiabus, & ſex pro gre-
gibus tuis ; immutaſti quoque mercedem meam decem vicibus. 42 Niſi Deus patris
mei Abraham, & timor Iſaac affuiſſet mihi, forſitan modo nudum me dimiſiſſes ; affli-
ctionem meam, & laborem manuum mearum reſpexit Deus, & arguit te heri. 43 Re-
ſpondit ei Laban : Filiæ meæ, & filii, & greges tui, & omnia, quæ cernis, mea ſunt:
quid poſſum facere filiis, & nepotibus meis ? 44 Veni ergo, & ineamus fœdus, ut
ſit in teſtimonium inter me, & te. 45 Tulit itaque Jacob lapidem, & erexit illum in
titulum; 46 Dixitque fratribus ſuis ; Afferte lapides. Qui congregantes fecerunt tu-
mulum, comederuntque ſuper eum : 47 Quem vocavit Laban Tumulum teſtis: & Ja-
cob, Acervum teſtimonii, uterque juxta proprietatem linguæ ſuæ. 48 Dixitque La-

ban,

ban : Tumulus iſte erit teſtis inter me & te hodie, & idcirco appellatum eſt nomen e-
jus Galaad, ideſt, Tumulus teſtis. 49 Intueatur, & judicet Dominus inter nos,
quando receſſerimus a nobis, 50 Si afflixeris filias meas, & ſi introduxeris alias uxo-
res ſuper eas : nullus ſermonis noſtri teſtis eſt abſque Deo, qui præſens reſpicit. 51
Dixitque rurſus ad Jacob : En tumulus hic, & lapis, quem erexi inter me, & te,
52 Teſtis erit : tumulus, inquam, iſte, & lapis ſint in teſtimonium, ſi aut ego tran-
ſiero illum pergens ad te, aut tu præterieris, malum mihi cogitans. 53 Deus Abra-
ham, & Deus Nachor, judicet inter nos, Deus patris eorum. Juravit ergo Jacob per
timorem patris ſui Iſaac : 54 Immolatiſque victimis in monte, vocavit fratres ſuos,
ut ederent panem. Qui cum comediſſent, manſerunt ibi. 55 Laban vero de nocte
conſurgens, oſculatus eſt filios, & filias ſuas, & benedixit illis: reverſuſque eſt in lo-
cum ſuum.

℣. 1. POSTQUAM AUTEM AUDIVIT VERBA FILIORUM LABAN &c.] Scriptura tres hic affert cauſas, quibus impulſus Jacob Meſopotamiam reliquit. Primo, querelas filiorum Laban. Secundo, moroſum, & aſperum ipſius Labani ingenium. Tertio tandem, Dei juſſa, qui ipſi dormienti per angelum imperaverat, ut in patriam rediret.

DE ILLIUS FACULTATE DITATUS, FACTUS EST INCLYTUS.] Hebraicus textus [1] ad litteram: *omnem hanc gloriam de patris noſtri bonis acquiſivit*. Vox Hebraica *Kabod* gloriam ſignificat, divitias, pondus; a pleriſque Interpretibus vertitur *divitiæ*. Et Septuaginta, qui eam hic reddunt *gloriam*, idem verbum uſurparunt v. 16. illudque tamquam ſynonymum divitiis addiderunt [2] : quod ſane evincit, hic quoque eodem in ſenſu ab illis uſurpari. In Scriptura gloria ſæpe pro opibus, & divitiis ponitur : atque duo hæc gloria, & divitiæ fere ſemper copulatæ occurrunt. *Gloria, & divitiæ in domo juſti*. Pſalmo 111. 3.

℣. 2. HERI, ET NUDIUSTERTIUS.] Ad litteram: *heri, & ante heri*. Latini dicunt : *hodie, atque heri*. Catull.

℣. 7. MUTAVIT MERCEDEM MEAM DECEM VICIBUS.] Ubi vidit Laban agnos, qui Iacobo cedere debebant, omnium optimos eſſe, ceteroſque numero etiam ſuperare, voluit illos ſibi accipere, & promiſſorum ſuorum implementum in aliud tempus conferre. Vide Joſephum Antiq. lib. 1. cap. 18. Divus Hieronymus in quæſtionibus Hebraicis ait Labanum C initi pacti conditiones qualibet vice mutaſſe; unde cum greges bis ſingulis annis dividerantur, affirmat Iacobum fuiſſe decem vicibus a Labano deceptum, numerum hunc ad litteram intelligens.

Septuaginta [3] vertunt : *Decepit me, & mutavit mercedem meam decem agnorum*, ideſt, juxta Divum Auguſtinum, mercedem quinque annorum, ea facta ſuppoſitione, quod oves bis in ſingulos annos conceperint. Agnos ponunt, ut denotent annos, quo in ſenſu Virgilius Eclog. 1. ariſtas ponit pro anno. Nonnulli contendunt apud Septuaginta legendum eſſe *Δέκα μνῶν*, *decem minarum*, non *Δέκα ἀμνῶν decem agnorum*, atque ita Jacobum hic conqueri ſe decem minarum auri damnum eſſe a Labano paſſum. Hebraica vox מונים *monim* poteſt quidem radicem D eſſe vocis *mina*, quæ apud Græcos nummus quidam olim erat; hoc tamen in loco voce hac argentum ſignificari non credimus.

Aquila vertit, *Δέκα ἀριθμούς*, Symmachus, *Δεκάκις ἀριθμῷ*, Syrus, *Δεκάκις*. Antiquos hoſce Interpretes ſequuntur recentiores, Vatablus, Druſius, Grotius, & alii paſſim vertentes *decem vicibus*. Numerus hic definitus ponitur pro indefinito; quo A pacto Deus Num. 14. 22. ait Iſraelitas ipſum per decem vices tentaſſe; & Job 19. 3. affirmat ſe ab amicis ſuis fuiſſe decem vicibus, hoc eſt multoties confuſum.

Annu Mundi 2265.

ET TAMEN NON DIMISIT EUM DEUS, UT NOCERET MIHI.] Quomodo id convenire cum iis poteſt, quæ modo Iacob dixit, ſe videlicet fuiſſe decem vicibus a Labano deceptum? eo quia ſcilicet, etſi Laban iniquis in Jacobum rationibus egerit, Deus tamen amplam laborum mercedem eidem conceſſit; nec Labani malitia, ac invidia Jacobum prohibere potuit, ne magnam opum vim ſibi compararet.

℣. 8. SI QUANDO DIXIT : VARIÆ SUNT MERCEDES TUÆ, PARIEBANT OMNES OVES VARIOS FOETUS &c.] Vulgata, & Septuaginta eodem modo B verſiculum hunc explicant, eique ſenſum accommodant ſatis clarum, quique apprime convenit cum iis, quæ præcedunt, quæque ſequuntur. Sed hodiernus textus Hebræus [4], textus Samaritanus, Chaldæus, Syriacus, Arabs in ſecundo hujus verſiculi membro pro voce *alba*, legunt *varia*. Quod ſane omnem adimit oppoſitionem, quæ inter duo hujus loci membra adeſſe deberet. Etenim juxta hos textus, ac verſiones hic locus ita foret vertendus : ſi quando dixit, quodcumque maculoſum naſcetur, erit merces tua, omne pecus naſcebatur maculoſum; & ſi quando dixit, quodcumque naſcetur varium, accipies pro mercede, omne pecus naſcebatur varium: ac proinde nulla hic eſſet oppoſitio, niſi inter duas C maculoſi velleris ſpecies. Hinc arguere quis facile poſſet in Hebraicum textum vocem unam pro alia irrepſiſſe; de quo tamen nullum evidens adeſt argumentum. Certum eſt, quod duo verba נקודים, *varia*, & עקודים, *faſciata*, quæ hic velut oppoſita alterum alteri legitur, verſ. 35. cap. præced. & ℣. 10. hujus capitis tamquam ſynonyma ſimul conjunguntur.

℣. 9. TULIT DEUS SUBSTANTIAM PATRIS VESTRI, ET DEDIT MIHI.] Deus mihi ſecretum aperuit, & quoddam artificii genus inſpiravit, quo potui a gregibus patris veſtri plurimum locupletari. Vide quæ dicta ſunt ad finem capitis præcedentis.

℣. 15. NONNE QUASI ALIENAS REPUTAVIT NOS, ET VENDIDIT, COMEDITQUE PRETIUM NOSTRUM?] D Laban aliquid pro filiarum ſuarum matrimonio exigens a Iacobo, ne minimum quidem juſtitiam læſerat, aut conſuetudinem. Hujuſmodi enim mos, ut ſupra diximus, ea in regione inoleverat : ſed injuria, quam Lia, & Rachel ſu a patre accepiſſe conqueruntur, in eo ſita erat, quod ſibi arripuerat, quæ Jacob labore ſuo acquiſierat, quæque proinde ad ipſas veluti dos ſpectare debebant. Negant Patrem potuiſ-

1 ומאשר לאבינו עשה את כל הכבוד הזה. 70. ἐκ τῶν τοῦ πατρὸς ἡμῶν πεποίηκε πᾶσαν τὴν δόξαν ταύτην.
2 ℣. 16. πάντα τὸν πλοῦτον, καὶ τὴν δόξαν.
3 70. παρεκρούσατό με, καὶ ἤλλαξε τὸν μισθόν μου δέκα ἀμνῶν.
4 אם כה יאמר נקדים יהיה שכרך וילדו כל הצאן נקדים ; ואם כה יאמר עקדים יהיה שכרך וילדו כל הצאן עקדים

potuiſſe ipſarum damno locupletari, ſibique injuriam irrogari ajunt, quod Laban, qui magnam e Jacobi induſtria, & opera perceperat utilitatem, earum tamen conditionem meliorem reddere noluerit. Hebraicus textus [1] ita verti poſſet: *Nonne nos quaſi alienas reputavit, vendens nos; & vult etiam comedere pretium venditionis noſtræ?* Veluti cum ancillis, & alienis nobiſcum egit; quæ contulit Jacob, ut nos uxores haberet, ſibi retinuit, veluti Dominus, qui divendit ſervi pretium ſibi accipit.

℣. 19. RACHEL FURATA EST IDOLA PATRIS SUI.] Vox Hebraica תרפים *Theraphim*, quam Vulgata, & Septuaginta vertunt εἴδωλα *idola* [2], alibi aliis nominibus exponitur. Primo Reg. 19. 13. Septuaginta habent κενοτάφια, quod proprie ſepulchrum ſignificat, ſeu monumentum in alicujus honorem ibi erectum, ubi ejus corpus minime jacet; quaſi Theraphim figuras eſſe omnino vanas, nihilque prorſus repræſentare innueretur. Judicum 17. 5. Septuaginta retinent verbum *Theraphim*: Oſeæ 11. 4. reddunt Δήλοι oracula, ſeu vates, quod idem ferme ſonat, ac verbum Ἀποφθεγγόμενοι, quo uſi ſunt Zachariæ 10. 2. Aquila plerumque vertit Μορφώματα, figuras. Alibi, προτομαὶ, buſta. Chaldæus, *imagines*; Joſephus Antiq. lib. 1. cap. 18. *typos, exemplaria*, figuras Deorum Labani. Caſtalius, *Deos penates* domus Laban.

Nonnulli volunt hujuſmodi *Theraphim* eoſdem eſſe, ac *Seraphim*, de quibus ſæpe Scriptura. Exiſtimant repræſentari *Theraphim* poſſe quaſi quaſdam figuras hieroglyphicas, & eo modo confictas, quo Cherubim ſuper Arcam a Moyſe poſiti. Aliquando in Scriptura verbum Theraphim in bonam partem accipitur, veluti Oſeæ 3. 4. ubi illi tamquam oracula habiti fuiſſe videntur, eoque nomine vocata fuiſſe imago veritatis, quam Summus Sacerdos Deum conſulturus gerebat. Verum ex Ezechiele 21. 21. & Zacharia 10. 2. colligitur Chaldæos, & Hebræos quoſdam nomine *Theraphim* appellaſſe figuras quaſdam ſuperſtitioſas, quas de futuris rebus conſulebant; quod argumento eſt Theraphim denotare in genere figuram, quam Antiqui interrogabant, quamque habere volebant vim futura vaticinandi; atque hanc vocem modo in bonam, modo in malam partem ſumptam juxta varias fuiſſe circumſtantias. Ex Rabbinis nonnulli Theraphim deſcribentes fabuloſa multa comminiſcuntur more ſuo. Occidebatur, inquiunt, homo primogenitus, eique unguibus evellebatur caput, quod deinde unguentis delibutum, ſeu ſale conditum ſepeliebatur ſub alicujus muri fundamentis; atque ſub ejus lingua aurea lamina, falſi alicujus numinis nomine inſcripta reponebatur. Qui reſponſa petebant, cereos prius accendebant, ſe proſternebant humi, tuncque oracula ſua hujuſmodi caput reddebat. *Credat Judæus Appella*. Juven. Satyr. 14. ℣. 104.

Sunt qui credant Theraphim formam habuiſſe humanam, aut ſaltem humanæ ſimilem; quoniam Michol Davidis uxor unam ex his figuris in lecto viri ſui ſuppoſuit, ut Davidem quærentibus eumdem ipſum in lecto jacere ægrotantem perſuaderet. Ex hoc loco colligere etiam licet figuras haſce non fuiſſe ſemper aut ſacras, aut ſuperſtitioſas; Neutras enim apud ſe retinuiſſet. Probabile deinde eſt figuram, quam Michol in viri lecto ſuppoſuit, tumultuario opere fuiſſe, ex faſciis, ſeu qualibet alia re confectam, atque ad hominis decumbentis, ſtragulisque involuti formam redirer effictam. Scriptura figuram hanc Theraphim vocat, quod aliquam proportionem, ſeu ſimilitudinem habuerit cum iis ſimulacris, quæ Gentiles Theraphim nominabant. Onkelos, Syrus, Rabbini, Kimchi, Eliezer, Abenezra, Grotius, pluresque alii Interpretes opinati ſunt nomine Theraphim deſignari Taliſmanes, nempe figuras ex metallo, ſub quibuſdam Planetarum aſpectibus conflatas, & inſculptas, quibus vim miram, & effectus inuſitatos tribuebant, pro natura tamen metalli, nominis Planetarum, & figurarum, quæ in Taliſmanibus inſculptæ exhibebantur. Rabbinus Maimonides l. 3. Moreneboch refert Zabienos figuras has conflare antiquitus conſueviſſe ex auro, & argento, eoſque voluiſſe infortunia avertendi, & vaticinandi futura vim maximam illis ineſſe. Quæ ex auro erant, Soli, quæ ex argento, Lunæ ſacræ putabantur. Certum eſt apud Antiquos magicas haſce figuras animatas, quæ ſe movebant, & interrogantibus oracula reddebant, in uſu fuiſſe. Id Ægyptiis præcipue, & Arabibus ſolemne erat, qui poſſe ſe dæmonum, ſuorumque Numinum, ac aſtrorum animas in eas inſerere, & ab iis reſponſa etiam per vim extorquere gloriabantur. Triſmegiſtus in Aſclepio: *Videſne ſtatuas animatas, ſenſu, & ſpiritu plenas, & talia facientes: ſtatuas futurorum præſcias?* Marſil. Ficin. libel. de vita cœlitus producenda cap. 13. *Triſmegiſtus ait Ægyptios ex certis mundi materiis facere conſueviſſe imagines, & in eas opportune animas dæmonum inſerere ſolitos* &c. Vide & capita 16, 18. 20.

Hodie quoque in univerſo Oriente, ut teſtatur Chardinus tom. 2. cap. 10. p. 151. in uſu ſunt Taliſmanes, & Amuleta ad præſtigias, & veneficia avertenda. Ea Perſæ appellant *Teleſm*; quod nomen magnam cum Theraphim habet affinitatem. Nemo eſt in ea regione, qui aliquod ex his Amuletis non geſtet; quin etiam nonnulli iis onuſti incedunt, plura brachiis, & collo eis cum ligantes. Animalium etiam collo ea ſuſpendunt, & in avium caveis ponunt. Amuleta hæc inſcriptiones ſunt in papyro, membranis, & lapidibus, verbi gratia, Onyche, Achate, & Corniolis exaratæ, in quibus elaborandis aſtrorum aſpectum, dies, artificem &c. diligentiſſime obſervant. Probabile admodum eſt Labani Theraphim fuiſſe imagines quaſdam, quibus divina quædam vis ineſſe, non ſecus ac in Taliſmanibus, putabatur. Cum maxima Orientalium populorum pars ſe falſæ mancipaſſet Mahometi religioni, qua ſtatuarum uſus interdicitur, his Amuleta, ſeu lapidibus inſculpta, ſeu papyro inſcripta ſubſtituere. Revera tamen eadem ſemper ſuperſtitio eſt, quæ, ut ita dicam, eſt horum populorum naturæ inſita.

Quid vero in cauſa fuit, cur Rachel patris ſui Theraphim ſubriperet? Janſenius, Pererius, & quidam alii Interpretes credunt Rachelem ulciſci voluiſſe injurias, quas ſibi, & ſorori ſuæ a patre dicebat illatas; cumque nihil fortaſſe tam pretioſum in domo paterna inveniſſet, quam hæc idola, quæ ex auro, aut argento, aut alia certe pretioſa materia volunt fuiſſe conflata, ea abſtulit Rachel. Abenezra autem [3], & alii id putant eo conſilio a Rachele factum, ne Laban ipſorum fugam ea conſulendo deprehendere poſſet. Alii, quos inter Theodoretus quæſt. 90. Rabbinus Salomon, & Nazianzenus Orat. 2. de Sancto Paſch. eam abſtuliſſe idola contendunt, ut Labano idololatriæ occaſionem tolleret. Verum neceſſene propterea erat, ut ea ſecum ferret? nonne poterat idola occultare? num poterat Labanum prohibere, ne nova conderet? Plerique Patres [4] affirmant vanæ hujus ſuperſtitionis ſtudioſas fuiſſe ambas ſorores Rachelem, & Liam, eodemque tempore & Theraphim, & Deum Jacobi coluiſſe. Junctis conſiliis, inquit Nicetas apud Divum Gregorium Nazianzenum Orat. 2. de Paſcha, idola ſubduxerunt, putantes fortaſſe e domo Labani omnem ſimul felicitatem ſecum adducturas; aut certe ſperantes in his

1 הלוא נכריות נחשבנו לו כי מכרנו ויאכל גם אכל את כספנו
2 Aquil. μορφώματα. Sym. Th. [illegible].
3 Vide Seldenum de Diis Syris Syntagm. 1. c. 2.
4 Cyrillus in Gen. l. 9. Chryſoſt. hom. 57. in Gen. Quidam apud Theodoret. quæſt. 90.



THERAPHIM SIMULACRA JUXTA HEBRÆOS

a Primogeniti caput, sub cujus lingua lamina aurea, spiritus alicujus immundi nomine inscripta. *b Theraphim fasciis involutus, certaque in sede locatus, ante quem thura adolentur.*

NAPOLI

his figuris aſylum habituras, aut modum, quo Labani flecterent iram, ſi quando eas inſequeretur; atque aliquando male adhibere voluiſſet. Ita Ioſephus l. 1. Antiq. cap. 19. Ligfootus ſentit Abrahæ majores haſce imagines poſſediſſe, unde Rachel avorum ſuorum monumenta habendi curioſitate permota, eas patri ſuo ſurripuerit.

Addit loco citato Joſephus præter Theraphim, quos Rachel furata eſt, Jacobum dimidiam Labani pecudum, quas ipſe paſcebat, partem ſecum abduxiſſe. Nihil tamen in textu legitur, quod huic ſententiæ ſuffragetur; neque Laban id Jacobo exprobrat. Ceterum Rachel a furto domeſtico jure excuſari nullo modo poteſt. Hinc Jacob furem ignorans eum, qui idola ſurripuiſſet, morte dignum eſſe declarat. Vide ℣. 32.

℣. 20. NOLUIT CONFITERI, QUOD FUGERET.] Vulgata Hebraici textus [1] vim optime expreſſit, qui ad litteram ſonat: *Surripuit cor Labani, ne ipſi confiteretur, quod fugere vellet*. Cor ſurripere dictio eſt, cui opponitur cor ſuum aperire. Hinc Judæi apud D. Joannem 10. 24. ita Chriſtum alloquuntur: *Quouſque animam noſtram tollis?* (cor noſtrum ſurripis?) *Si tu es Chriſtus, dic nobis palam*.

Nonnulli textus verba ita explicant: furatus eſt cor Laban; nempe ejus divitias, ejuſque greges; ſeu ejus filias, ejuſque nepotes, quos cor ſuum vocat, ſuique amoris objectum; ſed hujuſmodi interpretationes non admodum firmæ ſunt.

℣. 21. AMNE TRANSMISSO.] Tranſivit Euphratem, & credibile eſt ad Thapſacam, qua flumen vulgo tranſmitti conſueverat. Miraculo factum eſſe, ut Jacob flumen hoc ſicco pede tranſiret, Rabbini comminiſcuntur.

CONTRA MONTEM GALAAD.] Mons iſte nomine hoc poſt Iacobi tranſitum primum donatus eſt: eoque poſtea nomine Iſraelitæ montem hunc ſemper appellarunt. Quomodo antiquitus montes Galaad vocarentur, prorſus neſcitur; probabile tamen eſt fuiſſe dictos montes Sehir, ſaltem ea ex parte, qua vergunt ad Meridiem. Jacent ad Orientem regionis illius, cujus Tribus Ruben, & Gad ſequentis temporibus potitæ ſunt, & a Septemtrione ad Meridiem, poſt montem Hermon, uſque ad montes Moab porriguntur.

℣. 22. NUNTIATUM EST LABAN DIE TERTIO, QUOD FUGERET JACOB.] Joſephus l. 1. Antiquit. cap. 18. Labanum die poſtera factum fuiſſe de Iacobi fuga certiorem affirmat. Verum in hoc Scripturæ adverſatur.

℣. 23. PERSECUTUS EST EUM DIEBUS SEPTEM.] Septem iſti itineris dies æque & de itinere, quod confecerat Iacob, & de via, quam menſus fuerat Laban, intelligi poſſunt. Joſephus, & Divus Hieronymus eos ad Jacobum referunt: maxima autem Interpretum pars ad Labanum, qui iter, quod Jacob decem diebus emenſus fuerat, diebus ſeptem confecit. Iacob enim tribus ante Labanum diebus iter arripuerat. Vide ℣. 22.

℣. 24. CAVE, NE QUIDQUAM ASPERE LOQUARIS CONTRA JACOB.] Cajetanus, aliique opinantur *loqui* poſitum hic non pro dicere, ſed pro facere, qua in ſignificatione ſæpe in Scriptura accipitur. *Cave, ne quidquam facias*. Hebræus habet מטוב עד רע: *Ne dixeris illi quidquam a bono uſque ad malum*; ne quæras illum blanditiis ad te reducere, neve tentes eum minis deterrere; aut juxta alios: *nihil ſuperbum, nihilque aſperum dicas*. Alii: nihil omnino, aut ſaltem, nihil injurium dicas.

℣. 27. PROSEQUERER TE ... IN TYMPANIS, ET CYTHARIS.] Antiquorum תף *toph*, *Tympanum*, ex ære conſtabat pelle quadam ex una tantum parte cooperto: illudque virgis, aut digitis tundebant. Ab hodierno, quod vulgo dicitur *tamburo*, differebat

A *tympano*; quo hodie utimur admodum diſſimile, inſtrumento ſcilicet, a Germania huc tranſlato, quod ex ligno confectum fides habet ex aurichalco, quæ pluma pulſantur. Plura de *tympano* in Pſalmos dicemus.

Cythara, Hebraice כנור *Kinnor*, teſte Ioſepho inſtrumentum eſt decem fidium, atque arcu pulſatur. Veterum cithara ab hodierna valde diſcrepat, & teſtudini, vel harpæ propius accedit.

℣. 29. ET NUNC QUIDEM VALET MANUS MEA REDDERE TIBI MALUM.] Quomodo de te vindictam ſumere poſſim, jam novi. Heb. יש לאל ידי ad litteram reddi poteſt: *Manus mea ad Dominum, ne tibi malum inferam*. Hic eſt fortaſſe hujus loci ſenſus: juraveram, ad Dominum manus erexeram jurans te mihi pœnas daturum: ſed Deus tuus mihi
B apparuit, atque me tibi nocere vetuit. Chaldæus, & Rabbini Hebraicum verbum *El*, quod Deum, ſeu fortem ſignificat, ita accipiunt, ac ſi textus haberet חיל *Chail*; quod vim, potentiam notat: *Eſt fortitudini manus mea ad faciendum vobiſcum malum*. Vis manus meæ habet, unde vos puniat. Targum Hieroſolymitanum: habeo vires, habeo turmas &c.

℣. 32. NECETUR CORAM FRATRIBUS NOSTRIS.] Patresfamilias olim, ut notat Grotius, jus vitæ, & necis in domeſticos ſuos habebant. Pater uxoris ſuæ, ſuorumque filiorum judex eſt, inquit Homerus. Atque juxta antiqui hujus juris regulas Jacob mortis ſententiam in eum, qui Labani Teraphim ſurripuiſſet, pronunciat. Fugæ ſuæ comites habebat tantum
C uxores ſuas, ſuoſque filios, ac ſervos. Domeſticum in re tanti momenti furtum mortem merebatur. Docent Rabbini, verba illa, *necetur*, ſeu juxta Hebraicum textum, *non vivat amplius*, imprecationem Jacobi eſſe, quæ quamprimum effectum ſuum in Rachelis morte ſortita eſt, Gen. 35. 18.

℣. 33. CUM INTRASSET TENTORIUM RACHELIS.] Ex hoc verſiculo colligitur, non viros ſolum, ac uxores ſub diverſis tentoriis habitaſſe, ſed etiam ſingulas uxores ſingula habuiſſe tabernacula. Rachel ſe conſueta fœminarum incommoda pati fingit, ſedetque ſuper ſtramenta, quibus Labani Teraphim occultabantur, ut ita prohiberet patrem, ne idola ibi perquireret. Quis umquam ſibi perſuaſiſſet fœminam immundam ſedere voluiſſe ſuper figuras, quas
D ejus pater adorabat?

℣. 39. QUIDQUID FURTO PERIBAT, A ME EXIGEBAS.] Hebraicus textus [2] legit: *Sive die, ſive nocte quodcumque peribat, mihi peribat*: ego tibi illud reddebam. Id ſine dubio Laban injuſte, & aſpere nimium exigebat: atque jure Jacob ea de re conqueritur. Etenim cum omne pecus Labano eſſet, recta poſtulabat ratio, ut damnum etiam omne, quod greges ſine Jacobi culpa patiebantur, ipſe ſentiret.

℣. 40. DIE, NOCTUQUE ÆSTU URERAR, ET GELU.] Hebraicus textus habet; *Die æſtus, noctuque gelu me comedebat*. De gelu, & æſtu æque bene dicimus, quod urant. Virgil. Georg. 1. *Boreæ penetrabile frigus adurat*. Tacitus: *Ambuſti multorum artus vi frigoris*. Lucanus: *Urebant montana nives*;
E & Verbum Hebraicum אכל *Acal*, comedere, abſumere proprie ſignificat.

℣. 42. NISI DEUS PATRIS MEI ABRAHAM, ET TIMOR ISAAC AFFUISSET MIHI.] Timor Iſaac; nempe Deus, quem Iſaac timebat, & venerabatur. Vide infra ℣. 53. Iſai. 8. 13. & Statium Thebaid. l. 3. *Primus in orbe Deos fecit timor*. Opinantur nonnulli ideo Iacobum de Abrahamo dicere abſolute, *Deus Abraham*, de Iſaaco autem ſolum dicere *timor Iſaac*, quod Abraham in juſtitiæ perſeverantia defunctus, nullis amplius erat vicibus obnoxius; ſecus ac Iſaac, qui inter vivos degens, in juſtitiæ amittendæ diſcrimine adhuc verſabatur.

℣. 43.

1 ויגנב יעקב את לב לבן 70. ἔκλεψε δὲ Ἰακὼβ Λάβαν.
2 Ἡμέρας κλέμματα καὶ χειλῶν ἐξέτινον, νυκτὸς κλαπηίη.

ỹ. 43. Omnia, quæ cernis, mea sunt. Quid possum facere filiis, et nepotibus meis?] Quæcumque ad te ſpectant, perinde teſpicio, ac ſi ad me pertinerent; nec ullum tibi damnum inferre volo: quid facere unquam poſſem filiis, ac filiabus meis? liberis videlicet tuis, quos filiæ meæ peperere. Hebræus habet: *Iſtæ filiæ ſunt filiæ meæ, iſti liberi ſunt liberi mei, hi greges mei greges ſunt, & quodcumque cernis, meum eſt: quid umquam faciam meis filiabus, quas jam video, aut earum filiis, quos pepererunt?* Septuaginta aliter textum interpretantur: *Quæcumque cernis, mea ſunt, & filiarum mearum. Quid hic ego hodie faciam, earumve filiis, quos pepererunt?*

ỹ. 47. Quem vocavit Laban tumulum testis, et Iacob acervum testimonii; uterque juxta proprietatem linguæ suæ.] Hebræus, Chaldæus, & Septuaginta oppoſitum legunt: Laban vocavit tumulum teſtimonii: יגר שהדותא *Iegar-Schahadutah*; & Jacob acervum teſtis: גל עד *Galhed*. Hinc linguam Chaldaicam, ſeu Syriacam ab Hebraica, qua utebatur Iacob, differre liquet; quamquam eædem fuerint ab origine, cumque Abraham a Chaldæa, ſeu Meſopotamia egreſſus eſt, nondum inter ſe, ut probabile eſt, admodum diſcreparent. Ea verba: *Uterque juxta proprietatem linguæ ſuæ*; addita fuerunt ab Interprete; non enim in Hebraico textu inveniuntur.

ỹ. 48. Idcirco appellatum est nomen ejus Galaad.] Hebræus, & Chaldæus habent: *Idcirco eum appellavit Galaad*, perinde ac ſi nomen hoc ei fuerit a Labano impoſitum: quod apprime convenit cum Vulgata ỹ. 47. Hebraico autem textui verſiculi ejuſdem adverſatur. Hunc locum cum Septuaginta, & Vulgata reddi mallem per verbum paſſivum: *idcirco appellatum eſt*. Plura extant exempla, in quibus verbum *appellavit*, in ſenſu paſſivo, pro *appellatum eſt*, accipitur. Conjungi poſſent verſiculi 48. & 49. atque ita ſimul explicari: *Idcirco appellatum eſt acervus hic Galaad* גלעד, *& Hammizphah* המצפה; acervus teſtis, & ſpecula, *quoniam dicitur, Dominus intuebitur*, ab hac ſpecula, veluti excubitor, *quæ inter te, & me intercedunt*.

ỹ. 49. Quando recesserimus a nobis.] Hebraicus textus [ſ]: *Cum nos alter ab altero abſconderimus*, cum alter ab alterius aſpectu nos ſubtraxerimus.

ỹ. 50. Si afflixeris filias meas, et si introduxeris uxores super eas; nullus sermonis nostri testis est absque Deo, qui præsens respicit.] Aliter etiam poteſt Hebraicus textus explicari: *Si afflixeris filias meas, ſi alias acceperis uxores præter illas; nemo eſt nobiſcum*; Videlicet, non ſtabit fœdus, ſed quaſi numquam initum corruet; vel quaſi conventio, inter duos ſine ulla ſolemnitate latenter facta, habebitur. *Et Deus, qui injuſtitiam hanc tuam reſpiciet, judicabit inter me, &*
B *te*. Quamvis fœdus hoc ſine teſtibus ineatur; ii enim, qui præſentes aderant, vel partem in hoc fœdere haberent, vel propinqui contrahentium eſſent, aut domeſtici; ac proinde in hac re teſtimonium ferre non poſſent. Licet totum id ſolum inter nos agatur, Dei tamen, qui teſtis eſt, judicium tibi eſt pertimeſcendum.

Laban ſtipulatur Iacobum novas vel uxores, vel concubinas, quoad Rachel, & Lia vixerint, non ducturum; quod ſane prudenter eo tempore cautum eſt, eaque in regione, ubi polygamia permittebatur. Hodie apud Turcas, cum fœmina dives, ſeu nobilis Muſulmano nubit, ſpondet iſte ſe ea vivente nullam aliam nec uxorem, nec pellicem accepturum. Busbequius ep. 3.

C ỹ. 53. Deus Abraham, et Deus Nachor &c.] Hinc Nachor, ejuſque patrem verum coluiſſe Deum, deduci poſſe videtur, quod tamen Scripturæ Thare, & Nachor diis ſerviſſe alienis Ioſue 24. 2. docenti repugnat. Verum Hebræus, & Chaldæus hic nomen אלהים Elohim uſurpant, quod *Deos* ſignificare poteſt, ac idolis ſæpe, viriſque etiam illuſtribus tribuitur.

ỹ. 55. Osculatus est filios suos, et filias suas.] Ideſt filias ſuas, & nepotes ſuos, vel nepotes ſuos, & Dinam neptem ſuam.

ſ כי נסתר איש מרעהו · 70. ὅτι ἀποκρυβησόμεθα.

CAPUT XXXII.

Jacob pervenit ad Mahanaim: nuntios mittit ad Eſau, qui illum de adventu ſuo certiorem faciant. Hic Jacobo obviam fit cum turmis: Jacob ad eum munera mittit. Luctatur cum Angelo, qui nomen Iſrael ei imponit.

ỹ. 1. JAcob quoque abiit itinere, quo cœperat: fueruntque ei obviam angeli Dei.
2 Quos cum vidiſſet, ait: Caſtra Dei ſunt hæc: & appellavit nomen loci illius Mahanaim, ideſt, Caſtra. 3 Miſit autem & nuntios ante ſe ad Eſau fratrem ſuum in terram Seir, in regionem Edom: 4 Præcepitque eis, dicens: Sic loquimini domino meo Eſau: Hæc dicit frater tuus Jacob: Apud Laban peregrinatus ſum, & fui uſque in præſentem diem. 5 Habeo boves, & aſinos, & oves, & ſervos, & ancillas: mittoque nunc legationem ad dominum meum, ut inveniam gratiam in conſpectu tuo. 6 Reverſique ſunt nuntii ad Jacob, dicentes: Venimus ad Eſau fratrem tuum, & ecce properat tibi in occurſum cum quadringentis viris. 7 Timuit Jacob valde: & perterritus diviſit populum, qui ſecum erat, greges quoque, & oves, & boves, & camelos, in duas turmas. 8 Dicens: Si venerit Eſau ad unam turmam, & percuſſerit eam, alia turma, quæ reliqua eſt, ſalvabitur. 9 Dixitque Jacob: Deus

patris mei Abraham, & Deus patris mei Iſaac : Domine, qui dixiſti mihi ; Reverte-
re in terram tuam, & in locum nativitatis tuæ, & benefaciam tibi: 10 Minor ſum
cunctis miſerationibus tuis, & veritate tua, quam explevisti ſervo tuo. In baculo meo
tranſivi Jordanem iſtum ; & nunc cum duabus turmis regredior. 11 Erue me de ma-
nu fratris mei Eſau, quia valde eum timeo : ne forte veniens percutiat matrem cum fi-
liis. 12 Tu locutus es, quod benefaceres mihi, & dilatares ſemen meum ſicut are-
nam maris, quæ præ multitudine numerari non poteſt. 13 Cumque dormiſſet ibi no-
cte illa, ſeparavit de his, quæ habebat, munera Eſau fratri ſuo. 14 Capras ducen-
tas, hircos viginti, oves ducentas, & arietes viginti. 15 Camelos fœtas cum pullis
ſuis triginta, vaccas quadraginta, & tauros viginti, aſinas viginti, & pullos earum de-
cem. 16 Et miſit per manus ſervorum ſuorum ſingulos ſeorſum greges, dixitque pue-
ris ſuis : Antecedite me : & ſit ſpatium inter gregem., & gregem. 17 Et præcepit
priori, dicens : Si obvium habueris fratrem meum Eſau, & interrogaverit te, Cuius
es ? aut, quò vadis ? aut, Cujus ſunt iſta, quæ ſequeris ? 18 Reſpondebis : Ser-
vi tui Jacob, munera miſit domino meo Eſau : ipſe quoque poſt nos venit. 19 Simi-
liter dedit mandata ſecundo, & tertio, & cunctis, qui ſequebantur greges, dicens :
Iiſdem verbis loquimini, cum inveneritis eum. 20 Et addetis : Ipſe quoque ſervus
tuus Jacob iter noſtrum inſequitur : dixit enim : Placabo illum muneribus, quæ præ-
cedunt, & poſtea videbo illum, forſitan propitiabitur mihi. 21 Præceſſeruntque ita-
que munera ante eum, ipſe vero manſit nocte illa in caſtris. 22 Cumque mature ſur-
rexiſſet, tulit duas uxores ſuas, & totidem famulas cum undecim filiis, & tranſivit va-
dum Jacob. 23 Traductiſque omnibus, quæ ad ſe pertinebant, 24 Manſit ſolus :
& ecce vir luctabatur cum eo uſque mane: 25 Qui cum videret, quod eum ſuperare
non poſſet, tetigit nervum femoris ejus, & ſtatim emarcuit. 26 Dixitque ad eum :
Dimitte me, jam enim aſcendit aurora. Reſpondit ; Non dimittam te, niſi benedixeris
mihi, 27 Ait ergo : Quod nomen eſt tibi ? Reſpondit : Jacob. 28 At ille, Ne-
quaquam, inquit, Jacob appellabitur nomen tuum, ſed Iſrael : quoniam ſi contra De-
um fortis fuiſti, quanto magis contra homines prævalebis? 29 Interrogavit eum Ja-
cob : Dic mihi, quo appellaris nomine ? Reſpondit : Cur quæris nomen meum ? Et
benedixit ei in eodem loco, 30 Vocavitque Jacob nomen loci illius Phanuel, dicens:
Vidi Deum facie ad faciem, & ſalva facta eſt anima mea. 31 Ortuſque eſt ei ſtatim
ſol, poſtquam tranſgreſſus eſt Phanuel : ipſe vero claudicabat pede. 32 Quam ob cau-
ſam non comedunt nervum filii Iſrael, qui emarcuit in femore Jacob, uſque in præſen-
tem diem : eo quod tetigerit nervum femoris ejus, & obſlupuerit.

℣. 1. FUERUNT EI OBVIAM ANGELI DEI.] Septuaginta ſliquid inſuper hic addunt : *Jacob vidit caſtra Dei, quæ eum circumdabant, & angeli fuerunt ei obviam*. Salomon Jarchi, & quidam alii Rabbini Iacobum vidiſſe putant duas veluti angelorum turmas, qui catervam ſuam undequaque cingebant, ipſique præſidio erant: haſque duas cœleſtis exercitus manus angelos fuiſſe regionis Chananæorum, & Chaldæorum cuſtodes, & præſides. Illi obviam Iacobo fuerunt, ut eum in Chananæorum regionem deducerent, atque ita angelis ſuccederent, qui poſt Haran uſque ad torrentem Iabok Iacobo ſe viæ comites præbuerant. Cuilibet regioni angelum præeſſe vetus eſt Hebræorum ſententia, quæ ſane nonnullis veteris, ac novi Teſtamenti locis confirmatur; exempli gratia, Dan. 12. 1. legimus Deum Archangelo Michaeli Iſraelitici populi cuſtodiam demandaſſe; & Act. 16. 9. Angelus Macedoniæ Divum Paulum, ut in eam provinciam ad evangelium annunciandum tranſeat, precatur.

Nos tamen Judæorum explicationem, quam huic loco accommodant, defendendam non ſumus. Nonnulli Interpretes, inter quos Cajetanus viſionem hanc realem fuiſſe, angeloſque Iacobo evigilanti apparuiſſe negant. Quod hic refertur, totum Iacobo dormiente peractum volunt.

A ℣. 2. APPELLAVIT NOMEN LOCI ILLIUS MAHANAIM.] Ideſt, duo caſtra, perinde ac ſi Iacob duos exercitus pugnare pro ipſo paratos vidiſſet ; vel, quaſi ex adverſa torrentis Iabok parte perſpexiſſet angelorum exercitum, *Caſtra Dei*, ſeu ingentem pugnantium copiam, magnam, & validam manum ; adeo ut ſuorum turmæ, & angelorum multitudo duos, de quibus hic ſermo, exercitus conſtituerent. Iacobi caſtra erant ad Septemtrionem hujus torrentis, angelorum autem ad Meridiem ſita. Seu tandem juxta Hebræos : Angelorum Chaldeæ, & angelorum Chanaan exercitus. In loco, ubi Iacob caſtra fixerat, condita deinde fuit urbs, quæ Tribus Gad portioni acceſſit, & nomen *Mahanaim*, ſeu duo caſtra retinuit [1].

B ℣. 3. MISIT NUNTIOS ANTE SE AD ESAU FRATREM SUUM IN TERRAM SEHIR, IN REGIONEM EDOM.] Ex hoc, aliiſque Scripturæ locis colligitur Eſau a principio ad Orientem Meridionalem terræ Chanaan, ſupra mare Mortuum, prope Nabathæos habitaſſe. Opinionem hanc alibi confirmavimus Strabonis ſuffragio, cui Brochardi in Terræ Sanctæ Deſcript. p. 263. & 265. Adrichomii, Tornielli, Bonfrerii, & aliorum quorundam auctoritas addi poteſt.

Eſau poſteri in Idumæam etiam penetraverant, quæ ad Meridiem Palæſtinæ jacet, ac ab Oriente ad Occidentem, a mare Mortuo ad mare Rubrum porrigitur.

1 20. Παρεμβολαί. מחנים.

gitur. Diutiſſime hoſce montes incoluerant, & adhuc incolebant, cum Iſraelitæ in Terram Promiſſionis pervenere: & credibile eſt Eſau ipſum poſt mortem patris ſui Iſaac hujus regionis potitum eſſe, ibique fixiſſe ſedem quoſdam ex ejus poſteris, reliquis interim antiquam terram incolentibus. Conjectura hæc uſui eſſe poterit ad enodandam difficultatem, quæ inſurgit ſuper Edom ducibus c. 36. recenſitis, qui Idumæam gubernabant longo ante tempore, quam Reges in Iſrael crearentur. Cum enim Idumæi diviſi invicem alii ab aliis eſſent, diverſos habebant Duces, quorum alii Idumææ præerant ad Meridiem terræ Chanaan, alii ad Orientem maris mortui. Fortaſſe etiam plures in variis ejuſdem regionis Urbibus ſimul imperabant. Eſau poſteri ex tribus fœminis orti, tres etiam Tribus effecerant, quarum ſingulæ ſingulos duces, ſeu reges habere volebant. Idumæi, dum Judæi Babylone captivi tenebantur, in montes Juda ſeceſſere, ubi Macchabæorum etiam ætate, quin imo poſtremis quoque Judaicis bellis adhuc morabantur.

℣. 4. SIC LOQVIMINI DOMINO MEO ESAU] Dominum ſuum officioſè, nullaque juris in primogenituram acquiſiti jactura eum vocat. *Hæc dicit frater tuus Jacob*. Audi quæ tibi dicit frater tuus Jacob. Hebræus, Chaldæus, & Septuaginta; *Servus tuus Jacob* [1]

℣. 5. HABEO BOVES, & ASINOS, & OVES.] Jacob indirecte innuere Eſau volebat, ſe non neceſſitate coactum, neque ut ab eo aliquid peteret, in patriam redire. Vel hæc dicit, ut ſe excuſet, ſi ipſe ad fratrem non pergebat urbanitatis officia præſtituetus; ingentem habeo turmam, eam ſequi debeo. Vel tandem juxta Jonathanum: E benedictione a patre relata nihil habeo niſi exiguum pecus, quod ſane nec iram, nec invidiam Domini mei meretur.

℣. 6. VENIMUS AD ESAU ..... ET ECCE PROPERAT TIBI IN OCCVRSVM CVM QVADRINGENTIS VIRIS.] Ex his omnibus intelligere licet Eſau ſecus torrentem Jabok minime habitaſſe. Quadringentos hoſce viros ſecum ducit, ut potentiam ſuam oſtendat, vel ut timorem Iacobo incutiat; atque hanc revera Eſau mentem fuiſſe Jacob exiſtimavit, & ad ſe eum venire putavit vim inferre paratum: v. 11. Vide etiam Auctorem lib. Sapient. c. 10. 12. Fortaſſe etiam vera loquebatur Eſau, dum ſe tot viros duxiſſe ait, ut Jacobo præſidio eſſet. Paraphraſtes Jonathan ſocios Eſau vocat, *Polemarchos*; quæ vox græca tribunos, duces, aut ſimpliciter milites ſignificat.

℣. 10. MINOR SUM CUNCTIS MISERATIONIBUS TUIS.] Chaldæus hebraicum ſenſum [2] optime expreſſit: *Merita mea minora ſunt cunctis Miſerationibus tuis*. Septuaginta [3]; *Omnis juſtitia, & omnis miſericordia, quas feciſti ſervo tuo, mihi ſufficiunt*. Hic non ſecus ac in pluribus aliis hujus interpretationis locis pro *miſericordia* ponunt *juſtitiam*. Iam ſatis ejus effectus ſenſi. D. Aug. legebat: *Idoneus es mihi ab omni Juſtitia, & ab omni veritate, quæ feciſti puero tuo*. Tu mihi ſufficis pro omni Juſtitia tua, & omni veritate tua. D. Cyrillus pariter legit: *Idoneus es*. Tu mihi ſufficis. Aquila [4]: *Minor ſum omnibus pro tua miſericordia, & veritate tua*. Veritas pro ſervandorum promiſſorum fide hic uſurpatur.

IN BACULO MEO TRANSIVI JORDANEM ISTUM, &

A NUNC CUM DUABUS TURMIS REGREDIOR.] Chaldæus vertit: *ſolus tranſivi Jordanem*, quod textus ſententiam egregie exprimit. Pro *cum duabus turmis* Hebræus habet; *& nunc factus ſum in duo Caſtra*. Duo caſtra, ſeu duas catervas habeo, quæ adeo magna ſunt, ut duo exercitus videantur.

℣. 11. NE FORTE VENIENS PERCUTIAT MATREM CUM FILIIS. [5] Liberos coram matre interficere, barbaram affectatamque crudelitatem notat Oſeæ 10. 19. internecionem præterea; ultimum nulla vel ætatis vel ſexus habita ratione, ne matribus quidem, aut infantibus ſervatis excidium deſignat. Vide Grotium.

℣. 15. CAMELOS FOETAS.] Hebraicus textus [6], ac verſiones omnes: *Fœminas camelorum, quæ lactabant*: Camelorum fœminæ lac habent, donec iterum

B graveſcant. Earum lac ab Antiquis, & præcipue Arabibus plurimi fiebat; & tribus aquæ partibus immixtum in potus delicias cenſebatur. Unde Plinius l. 11. 41. ait: *Cameli lac habent, donec iterum graveſcant, ſuaviſſimumque hoc exiſtimatur, ad unam menſuram tribus aquæ additis*. Divus Hieronymus l. 2. contra Jovinian. refert ævi ſui Arabes carne, & lacte camelorum ali ſolitos fuiſſe; mos hic hodie quoque apud illos viget, ſi fides Viatoribus eſt habenda.

TAVROS VIGINTI.] Hebræus, & omnes verſiones præter Syriacam, & Vulgatam decem tantum recenſent.

℣. 19. SECVNDO, ET TERTIO.] Septuaginta, *primo, ſecundo, & tertio*.

C ℣. 20. PLACABO ILLUM .... POSTEA VIDEBO ILLUM: FORSITAN PROPITIABITVR MIHI.] Hebræus ad litteram [7]: *Placabo faciem ejus muneribus, quæ illi offeram, poſtea videbo os ejus, forſitan mihi faciem levabit*. Facies ſæpe ponitur pro ira. Placabo iram ejus, poſtea ore miti me excipiet: vel, aliquam de me habebit æſtimationem; vel, vultum ejus intueri audebo, & tuto ad eum venire.

℣. 21. MANSIT NOCTE ILLA IN CASTRIS.] Hebraicus textus [8] verti poteſt; *noctem tranſegit cum caſtris ſuis*, ſeu *cum turmis ſuis*: ſed cum poſtridie ſe ab aliis prima luce ſeparaſſet, poſtquam illos torrentem Iabok tranſire juſſit, *manſit ſolus*; verſ. 24. ſeu aliter; manſit Mahanaim tota nocte, ubi duo angelorum caſtra viderat.

D ℣. 22. TRANSIVIT VADUM IABOK.] Ad vadum, quod ad Mahanaim erat. Torrens Jaboc in montibus Galaad oritur, & ad extremam partem Meridionalem lacus Geneſareth, in Iordanem influit, infra locum, unde Iordanes ab hoc lacu egreditur. Iaboc [9] a Jacobi lucta nomen accepiſſe quidam cenſent; nos a Ieſboch filio Abraham, & Cethuræ, ut alibi docuimus. Vide Gen. 25. 2.

℣. 23. TRADVCTIS OMNIBVS.] Vox, *omnibus*, in hodierno Hebraico textu non legitur; extat tamen in Samaritano, Syriaco, & apud Septuaginta; hinc & in exemplaribus Hebraicis aliàs fuiſſe conjicit Grotius.

℣. 24. MANSIT SOLVS.] Incertum eſt, manſeritne ſolus trans torrentem poſt ſuorum tranſitum; an

E vero torrente jam ſuperato, manſerit poſt eos; progredientes ſcilicet lentiori gradu proſecutus.

ET ECCE VIR LVCTABATVR CVM EO.] Aquila, Symmachus [10]: *volutabatur* in pulvere. Plures vertunt [11]: *cooperuit ſe pulvere*; veluti Athletæ, qui oleo inungebantur, & inter luctandum pulvere ſe ſe invi-

1 עבדך יעקב. 70. ὁ παῖς σου Ἰακώβ.
2 קטנתי מכל החסדים ומכל האמת אשר עשית
3 70. Ἱκανοῦταί μοι ἀπὸ πάσης δικαιοσύνης, καὶ ἀπὸ πάσης ἀληθείας ἧς ἐποίησας τῷ παιδί σου. *Alii cod.* Ἱκανοῦται. *ſufficis*. *Alii*: Ἱκανοῦσαί μοι *ſufficis mihi*. *Alius*: Ἱκανός εἰμι *ſufficiens ſum*.
4 *Aq.* Ἐσμικρύνθην ὑπὲρ πάντας ἐλέους, καὶ πᾶσαν ἀλήθειαν.
5 אם על בנים *matrem ſuper filios*. 6 גמלים מניקות. 70. Καμήλους θηλαζούσας
7 אכפרה פניו במנחה ההלכת לפני ואחרי כן אראה פניו אולי ישא פני 70. ἴσως γὰρ προσδέξεται. *Alius*, ἴσως τὸ πρόσωπον
8 לן בלילה ההוא במחנה
9 יבק & אבק *Luctare*.
10 *Heb.* ויאבק איש עמו *Aquil. & Sym.* ἐκυλίετο ἀνὴρ μετ᾽ αὐτοῦ. 70. ἐπάλαιεν ἄνθρωπος μετ᾽ αὐτοῦ
11 אבק *Sufflare, exhalare. ſpirare, &c. pulvis. Deut. 28.*

Digitized by Google

invicem aſpergebant, ut alter alterum tenere poſſet. Veteres Iuſtinus Dialog. cum Tryphone, Clemens Alex. l. 1. Pædag. Tertullianus contra Praxeam, Hilarius l. 4. & 5. de Trin. Athanaſius Orat. contra Arian. 3. in nova edit. Chryſoſtomus in cap. 7. in Acta Apoſtolorum, & Theodoretus quæſt. 92. in Geneſ. putarunt hominem, de quo hic ſermo eſt, fuiſſe Dei filium, ſecundam Sanctiſſimæ Trinitatis perſonam. A Iacobo Deus nuncupatur verſic. 30. quin imo ipſe ſe Deum nominat verſic. 28. Origenes tom. 5. in Johan. & hom. 12. in Numer. ex libro quodam Hebræorum apocrypho colligit homines illuſtres, & ſingulari quadam dote conſpicuos non communes cum ceteris habere animas, ſed ab angelis primi ordinis in eorum corpora deſcendentibus animari: Iſraelem inter angelos principem in Jacobi corpus veniſſe, atque Urielem angelorum ultimum, cum vellet ſe pro Iacobo haberi, ab Iſraele fuiſſe devictum.

Virum hunc angelum fuiſſe communis eſt opinio. Oſeas propheta eum angelum vocat 12. 3. *In fortitudine ſua directus eſt cum Angelo, & invaluit ad Angelum*. E Patribus plerique Divum Auguſtinum l. 14. de Civit. cap. 39. quæſt. 104. in Geneſ. ſecuti cum ceteras Veteris Teſtamenti apparitiones, tum hanc præcipue angelorum miniſterio fuiſſe peractas credidere; atque in hanc ſententiam potior Theologorum noſtrorum, & Interpretum pars abiit. Joſephus hoc in loco angelum hunc phantaſma, & paulo infra angelum nominat. Angelum etiam, qui Manue, & Gedeoni apparuit, phantaſma appellat. Veteres quidam, teſte Procopio in hunc locum, eum, qui contra Iacob pugnavit, dæmonem fuiſſe ſub Eſau figura arbitrati ſunt. Vide, ſi lubet, & Hieronymum in cap. 6. epiſt. ad Epheſ. pag. 400. nov. edit. Videtur ibi innuere fuiſſe Iacobum ab angelo adjutum adverſus dæmonem, quocum luctabatur. *Luctabatur cum eo homo adjuvans eum, & corroborans adverſus alium ſudore nimio dimicantem*. Hic alius, ut videtur, dæmon erat, juxta ea, quæ antea dixerat. Sed quo pacto Iacob petere ab illo benedictionem voluit? Iarchi, & alii quidam commenti ſunt eum, qui cum Iacobo luctabatur, fuiſſe angelum Eſau, ut Iacobum ad cedendum primogenituræ jus jam acquiſitum cogeret. Origenes lib. 3. Periarchon negat Jacobum cum angelo, veluti cum adverſario ſuo luctaſſe; ſed eum fuiſſe ab angelo adjutum docet in pugna, quam habuit cum dæmone aggreſſore. Divus Hieronymus lib. 3. in cap. 6. epiſt. ad Epheſ. luctam hanc explicat de ſpiritali pugna, quam ab Inferni poteſtatibus ſuſtinere debemus. Eodem in ſenſu eam Origenes accipere loco citato videtur. Abbas Rupertus in hunc locum illam intelligit de vi, quam precibus ſuis Jacob faciebat, ut angelum diutius ſiſteret, ejuſque benedictionem obtineret. Sententias haſce conciliare poſſumus, ſi dicamus luctam hanc realem quidem, & veram fuiſſe, ſpiritalem nihilominus, & myſticam poſſe appellari, eo quod preces denotaret, quibus ad Dei miſericordiam, & favorem ſibi captandum Iacob uſus eſt. Pugna hæc corporea, in qua Iacob victor evaſit, quænam fuerit ejus precum vis, quinam eventus, comprobat. Lycophron Iovem ſub Athletæ figura integra nocte cum Hercule pugnaſſe, atque hunc victoriam de illo reportaſſe narrat. Fabula eſt ex hiſtoria, quam hic legimus, ut videtur, excerpta.

℣. 25. VIDENS, QUOD EUM SUPERARE NON POSSET.] Noluit Deus angelum vim ſuam exercere, qua Iacobum ſuperaret. Cum Iacobum in femore tactum claudicare coegit, ſatis, quid poſſet, oſtendit, ſi viribus ſuis uti voluiſſet. Deus dicit ſe non

A poſſe, quæ non vult efficere. Ieſum Chriſtum in patria ſua miracula patrare non potuiſſe notat Evangelium, Marc. 6. 5. *Non poterat ibi virtutem ullam facere*, id eſt, nolebat. Ita angelus Iacobum ſuperare non poterat, quoniam nolebat.

TETIGIT NERVUM FEMORIS EJUS.] Hebr. בכף ירכו. Eum tetigit in eo femoris loco, ubi os magnum inſeritur in acetabulum oſſis ſacri. Septuaginta [1]: tetigit latitudinem femoris ejus; nempe eam femoris partem, quæ maxime carne abundat, inguen verſus, ejuſque nervos diſtendit, eos compreſſit.

STATIMQUE EMARCUIT.] Quid revera ſignificet vox Hebraica תקע theka non liquet. Septuaginta reddunt, *ἐνάρκησε*, torpore affectus eſt. Recentiores
B Interpretes fere omnes: *luxatus eſt*. Sed ſi femur luxatum habebat, a loco, in quo erat, diſcedere nequiiſſet. Sunt qui credant Iacobum brevi tantum temporis ſpatio claudum fuiſſe; alii tamdiu claudicaſſe, quoad Sichem venit, quo ſanum, & incolumen eum perveniſſe Scriptura teſtatur cap. 33. 18. Ita ſentiunt Iudæi, Toſtatus, Iunius, & alii plures: ſed Gennadius, & alii claudum permanſiſſe uſque ad mortem affirmant. Medici, inter quos Bartholinus de morb. Biblic. cap. 2. Galenus lib. 18. de uſu pa. cap. 2. Celſ. l. 8. cap. 20. docent luxatum femur difficile admodum reponi poſſe, & aliquas ſemper morbi reliquias ſupereſſe; unde ii etiam, qui a luxatura ſanati ſunt, ſemper claudicant.

C ℣. 26. ASCENDIT AURORA.] Ideſt, Incipit recedere Aurora, & ſoli locum cedere. עלה השחר. Apparitiones fere ſemper noctu fiunt, & adveniente die evaneſcunt. Scriptura tamen quarundam meminit, quæ alto jam Sole peractæ ſunt; veluti cum tres angeli Abrahamo, & Angelus Manue & Gedeoni ſe ſe conſpiciendos obtulere. Adventante die phantaſmata evaneſcere aſſerunt Pagani teſte Grotio. Jupiter apud Plautum ait: *exire ex urbe prius, quam luceſcat, volo*: & Anchiſes apud Virgilium Æneid. 5.

Jamque vale: torquet medius nox humida curſus,
Et me ſævus equis Oriens afflavit anhelis.

Angelus dimitti vult a Iacobo, quod jam jam Sol eſſet proditurus. Vix evanuit angelus, quod Sol or-
D tus eſt, verſ. 31.

NON DIMITTAM TE, NISI BENEDIXERIS MIHI.] Inter pugnandum cognovit Iacob eum, quocum luctabatur, angelum eſſe. Ejus poſcit benedictionem, eumque precatur, ut victoriam contra Eſau ſibi obtineat. Benedictionem petit cum lacrymis, inquit Oſeas 12. 4 *flevit, & rogavit eum*. Lyranus exiſtimaſſe videtur modum hunc loquendi: *niſi benedixeris mihi*, idem ferme ſignificare, ac ſi dixiſſet, *niſi te ſubdideris mihi*; ego te non dimittam, niſi te victum fatearis. Apud Iſaiam cap. 36. 16. verba illa *facite mecum benedictionem*, denotare videntur *ſubjicite vos mihi*, ſeu ſolvite mihi tributum.

℣. 28. NEQUAQUAM JACOB APPELLABITUR NOMEN TUUM, SED ISRAEL.] Nomen tamen ſuum
E Iacob adhuc retinuit, eoque fuit frequentius appellatus, quam nomine Iſrael. Poſtremum hoc ejus poſteris ſpecialim inditum fuit, Iſraelitarum, non vero Iacobitarum nomine notis. Eodem hoc nomine eum Deus rurſus vocat cap. 35. 10. *Iſrael* ſignificat Dei [2] principem, principem magnum: vel etiam, hominem, qui Deum, ſeu angelum dicit. Arabice שרה congredi, contendere. Poſterior hæc ethymologia verſiculi ſequentis textu confirmatur. Potior Veterum pars putavit Iſraelem hominem deſignare, qui Deum videt [3]. Ita nomen hoc explicarunt Philo lib. de Temulent. & lib. de pœnis, & præmiis, & ali-

1 Ἥψατο τοῦ πλάτους τοῦ μηροῦ αὐτοῦ.
2 *Dominari* שרה *Prævalere*.
3 ישר אל . איש ראה אל, *Vir videns Deum*.

& alibi, Origenes tom. 5. in Joan. & hom. 11. in Numer. Divus Baſilius in cap. 1. Iſai. Divus Gregorius Nazianzenus Orat. 12. de Theolog. Divus Chryſoſtomus hom. 58. in Geneſ. Divus Auguſtinus lib. 16. de Civit. cap. 39. Joſephus vero lib. 1. Antiq. innuere videtur hujuſmodi nomine Iacobum, eo quod cum angelo pugnaverit, fuiſſe donatum. A Divo Hieronymo *Iſchuron*, quod diminutivum Iſraelis eſſe creditur, aliquando redditur *rectiſſimus*, quod probat patrem hunc hujuſmodi nomen derivaſſe ab Hebr. ישר אל *Jaſar-el*, *rectus Dei*. Iuſtitia Iuſtus Dei: ſed in quæſtionibus Hebraicis ait, Iſrael ſignificare principem cum Deo.

QUONIAM CONTRA DEUM FORTIS FUISTI, QUANTO MAGIS CONTRA HOMINES PRÆVALEBIS?] Hebraicus textus [1] ſic reddi poteſt: *quoniam prævaluiſti contra homines, & fortior fuiſti*; ſeu quoniam contra Deum, prævaluiſti, & contra homines, & tu prævalebis. Verum faciliorem, clarioremque hujus loci ſententiam exhibet Vulgata.

℣. 29. CUR QUÆRIS NOMEN MEUM?] Nonnulla Septuaginta Interpretum exemplaria, Theodoretus, & quædam Mſſ. Latina addunt hæc verba: *quod eſt mirabile*, quæ a cap. 13. Iudic. ſumpta ſunt. Sed nullum hujus additionis veſtigium, nec in textibus, nec in antiquis verſionibus græcis apparet. Angelus nomen ſuum patefacere non vult; ſeu quod timeret, ne ipſum homines ſecuturis temporibus adorarent; ſeu potius quod Deus nomen ſuum *Jehovah* [2] nondum revelare voluerit. Iacob hujus angeli nomen ſcire optabat, ut eum, cum res poſceret, invocaret.

℣. 30. VOCAVIT IACOB NOMEN LOCI ILLIUS PHANUEL.] Hebræus: *appellavit locum illum* פניאל *Peni-el*. Sed v. ſequenti, non ſecus ac Vulgara legit, פנואל *Phanuel*. Poteſt vox hæc ſignificare, *faciem Dei*. Septuaginta εἶδος Θεοῦ *formam Dei*. Aquilas πρόσωπον ἰσχυρ, *faciem Dei fortis*. Meminit Strabo lib. 16. de quodam montis Libani promontorio, quod *Dei faciem* vocabatur; fortaſſe quia ſimilis in

A eo facta fuerat apparitio. Jacob gratias Deo agit, quod poſt viſionem adeo mirabilem ipſi vitam ſervarit. Antiqui, ut ſupra Geneſ. cap. 16. 13. innuimus, Dei, aut angelorum appar itiones mortem eas videntibus afferre putabant. *Vidi Deum facie ad faciem*, ideſt, illum non in ſomnis, ſed ſenſibili, & corporea forma imbutum vidi.

℣. 32. QUAM OB CAUSAM NON COMEDUNT NERVUM FILII ISRAEL,] Ab hujus nervi comeſtione nulla certa lege Iſraelitæ prohibebantur. Ab illo Hebræi abſtinent in rei, quæ Jacobo contigiſſe hic legitur, monumentum. Plurimi quoque id religione tantum, ac pietate quadam fuiſſe apud illos ſervarum contendunt. In Moyſis lege hac de re ne verbum quidem. Nonnulli Interpretes, inter quos Ligtfootus, B poſteriorem quartam partem integram, & Sauli a Samuele, & ab Elcana Annæ ſponſæ ſuæ comedendam fuiſſe appoſitam putant. Hodie Iudæi poſticam animalis partem comedere non ſolent; aliquando tamen nervum inguen verſus extantem detrahunt, & quod reliquum eſt, totum comedunt, Vide Leonem Mutinenſem cap. 7. n. 3.

Aſſerit Buxtorfius ſynag. Jud. c. 27. p. 471. Iudæos in Italia venas etiam adimere, & anatomicas quaſdam tabulas impreſſas habere, quo facilius venas, & nervos amputandos diſtinguere queant. Hinc fit, addit hic Auctor, ut Medici Judæi in anatomica arte excellant. Illos inſuper ait in Germania animalium, quæ ab ipſis occiduntur, poſticas partes Chriſtianis vendere conſueviſſe: eas tamen non prius vendi quam C urina fœdarint, diriſque emptores voverint, Hebræi omnes ad Chriſtianam religionem tranſeuntes uno ore teſtantur. Divus Chryſoſtomus hom. 58. in Geneſ. notat, hunc a nervo femoris abſtinendi morem inde ſolummodo ortum, ut luctæ Iacobi cum angelo memoria ſervaretur. Antiquæ legis obſervantiæ nihil aliud ferme ſunt, niſi ſigna quædam, ac rerum monumenta, quas Deus pro Patriarchis egit.

---

1 כי שרית עם אלהים ועם אנשים ותוכל. Aquil. ὅτι ἦρξας μετὰ Θεοῦ. Sym. ὅτι ἦρξω ἰσχυ πρὸς Θεόν. 70. Th. ὅτι ἐνίσχυσας μετὰ Θεοῦ.
2 Exod. 6. 3.

CAPUT XXXIII.

Duo fratres Jacob, & Eſau ſibi invicem occurrunt. Jacob fratrem tandem compellit, ut munera ſua accipiat: eumque itineris ſui ſocium officioſe recuſat. Pervenit in Socoth, & inde in Sichem.

℣. 1. ELevans autem Jacob oculos ſuos, vidit venientem Eſau, & cum eo quadrin-
gentos viros: diviſitque filios Liæ, & Rachel, ambarumque famularum. 2
Et poſuit utramque ancillam, & liberos earum, in principio: Liam vero, &
filios ejus, in ſecundo loco: Rachel autem, & Joſeph noviſſimos. 3 Et ipſe progre-
diens adoravit pronus in terram ſepties, donec appropinquaret frater ejus. 4 Currens
itaque Eſau obviam fratri ſuo, amplexatus eſt eum; ſtringenſque collum ejus, & oſcu-
lans flevit. 5 Levatiſque oculis, vidit mulieres, & parvulos earum, & ait: Quid
ſibi volunt iſti? & ſi ad te pertinent? Reſpondit: Parvuli ſunt, quos donavit mihi
Deus ſervo tuo. 6 Et appropinquantes ancillæ, & filii earum, incurvati ſunt. 7
Acceſſit quoque Lia cum pueris ſuis: & cum ſimiliter adoraſſent, extremi Joſeph, &
Rachel adoraverunt. 8 Dixitque Eſau: Quænam ſunt iſtæ turmæ, quas obviam ha-
bui? Reſpondit: Ut invenirem gratiam coram domino meo. 9 At ille ait: Habeo
plurima, frater mi, ſint tua tibi. 10 Dixitque Jacob: Noli ita, obſecro; ſed ſi in-
veni gratiam in oculis tuis, accipe munuſculum de manibus meis: ſic enim vidi faciem

tuam,

tuam, quaſi viderim vultum Dei : eſto mihi propitius. 11 Et ſuſcipe benedictionem,
quam attuli tibi, & quam donavit mihi Deus tribuens omnia. Vix, fratre compellen-
te, ſuſcipiens, 12 Ait, gradiamur ſimul, eroque ſocius itineris tui. 13 Dixitque
Jacob : Noſti, domine mi, quod parvulos habeam teneros, & oves, & boves fœtas
mecum : quas ſi plus in ambulando fecero laborare, morientur una die cuncti greges,
14 Præcedat dominus meus ante ſervum ſuum ; & ego ſequar paulatim veſtigia ejus,
ſicut videro parvulos meos poſſe, donec veniam ad dominum meum in Seir. 15 Re-
ſpondit Eſau : Oro te, ut de populo, qui mecum eſt, ſaltem ſocii remaneant viæ tuæ.
Non eſt, inquit, neceſſe : hoc uno tantum indigeo, ut inveniam gratiam in conſpectu
tuo, domine mi. 16 Reverſus eſt itaque illo die Eſau itinere, quo venerat in Seir.
17 Et Jacob venit in Socoth : ubi ædificata domo, & fixis tentoriis, appellavit no-
men loci illius Socoth, ideſt, tabernacula. 18 Tranſivitque in Salem urbem Sichimo-
rum, quæ eſt in terra Chanaan, poſtquam reverſus eſt de Meſopotamia Syriæ : & ha-
bitavit juxta oppidum. 19 Emitque partem agri, in qua fixerat tabernacula, a filiis
Hemor patris Sichem, centum agnis. 20 Et erecto ibi altari, invocavit ſuper illud
fortiſſimum Deum Iſrael.

℣. 1. DIVISITQUE FILIOS LIÆ, & RACHEL.] Hebræus ad litteram [1] : *Diviſitque æqualiter filios Liæ, & Rachel, & dum illis ambas ancillas*. Ideſt ; duas fecit turmas ; alteram quidem ex duabus ancillis, earumque filiis conflatam, hoſque juſſit primos incedere ; alteram autem ex Lia, & Rachele, earumque liberis, atque illos primam turmam pone ſequi voluit ; ita tamen, ut Rachel, ejuſque filius Ioſeph poſtremi omnium eſſent, atque agmen clauderent. Alii volunt Iacobum ex quatuor fœminis ſuis, earumque liberis quatuor ; alii tres tantum feciſſe turmas contendunt ; Hebræus tamen, & Aquila [2] aperte dicunt in duas tantum turmas illos fuiſſe diviſos. Ita etiam D. Hieronymus in quæſt. hebr. ſentit.

℣. 3. ADORAVIT PRONUS IN TERRAM SEPTIES.] Septenario hoc numero plures vices denotari indefinite poſſunt ; ſed ſatius eſt hic numerum determinatum intelligere, qui ſummam reverentiam, ac ſubjectionem juxta illius regionis conſuetudinem innuebat. Ex intervallo eum ſepties ſalvere juſſit. Dubitant nonnulli, omnia ne hæc honoris ſigna Iacob fratri ſuo ſincero animo præſtiterit ; an vero timore ex quadam animi infirmitate commotus. Et fortaſſe ſolius urbanitatis cauſa, & ex quadam licitæ adulationis ſpecie id fecit Iacob, inquit Toſtatus ; nos tamen exiſtimamus ſincere, & ex animo eum egiſſe. Vide Auguſtinum quæſt. 105. in Geneſ.

℣. 4. AMPLEXATUS EST EUM, STRINGENSQUE COLLUM EJUS, & OSCULANS FLEVIT.] Hebr. [3] *amplexatus eſt eum, conjecit ſe in collum ejus, oſculatus eſt illum, & illacrymati ſunt*. Idem legimus apud Chaldæum, & Septuaginta : *Præ lætitia lacrymas uterque effudit*.

℣. 5. QUID SIBI VOLUNT ISTI ? & SI AD TE PERTINENT ?] Textus hebraicus valde conciſus [4] eſt, & ita reddi poteſt : Quinam illi, qui tecum ſunt ? *Quid eſt hæc turma ; tua ne eſt ?* aut tandem, *quid tibi cum hac multitudine?* Quid commercii cum illa habes?

℣. 10. NOLI ITA, OBSECRO.] Hebræus juxta Septuaginta : *Si inveni gratiam coram te, accipe munera mea*, propterea [5] *vidi faciem tuam, quaſi viderem vultum Dei ; & tu eris mihi gratiſſimam facies*. Vatablus vertit : Ne recuſes quæſo munera mea ; ſi ea accipies, tam lætus te videbo, ac ſi Dei vultum intuerer ; id mihi erit pergratum. Ego vero locum hunc ita redderem : *Ne id quæſo facias* (ne recuſes munera mea) *ſi gratiam inveni in oculis tuis, munus hoc ac-*

A *cipe de manu mea ; quoniam faciem tuam vidi, quaſi viderem vultum ipſius Dei, & hoc me beneficio afficias* ; ſeu in hoc mihi indulge. Vox תרצני *Tirezeni* ſynonyma eſt, ut cenſeo, vocis יאת *jaat*, quæ ſæpe uſurpatur, ut innuat, *officium præſtare* ; etſi plerumque ſignificet *alicui obſequi*, non ſecus ac רצה *Razah*. Vide Geneſ. 34. v. 15. 22.

Chaldæus habet : Faciem tuam vidi, *quaſi vultum Principis viderem*. Syrus, & Pagninus : *Vultum Angeli*. Hæc fuerunt a Jacobo fortaſſe hyperbolice prolata, ut obſervantiam, ac reverentiam oſtenderet, quam Eſau deferebat. Sine mendacio, ac ſine ulla adulationis nota poterat Jacob dicere, videre ſe faciem fratris ſui, quaſi vultum Principis ; Eſau enim revera Princeps erat : & quaſi vultum Angeli ſibi
B propitii ; cum enim fratris iram pertimeſceret, eum ſibi placatum, ac humanitate plenum videbat. Tandem dicere poterat ſe, dum fratrem videbat, eamdem quodammodo reverentiam concipere, eodemque timore commoveri, ac ſi Deum intueretur : quoniam Eſau ei vitam adimere, ejuſque turmam facile diſperdere poterat. His adde, quod vultus divinus juxta Scripturæ phraſim ſignificare poteſt auguſtam, ac venerandam faciem.

Expreſſio hæc : *ſicut vultum Angeli*, denotat plerumque timorem, quem metuenda majeſtas ingerit. Vide 2. lib. Reg. c. 19. 27 & Eſth. 15. 16. Scriptore utitur hic verbo *Elohim*, quod, ut ſupra diximus, Deo tribuitur, Angelis, Principibus, atque iis, qui ampla, & inuſitata quadam auctoritate fru-
C untur ; ſicut cum Deus Moyſi dicit, *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis*.

ESTO MIHI PROPITIUS.] Septuaginta Edit. Complut. pro Εὐλογήσεις με, habent Εὐδοκήσεις με, *Et tu benedices mihi*. Hebræus, & Chaldæus : *tu placuiſti mihi* ; maxima cum voluptate te vidi. Septuaginta apud D. Chryſoſt. *tu mihi gratificaberis*, facies quod erit mihi gratiſſimum, quodque me ſummopere devinciet. Poteſt etiam verti [6] ; *benevoluiſti mihi* : amorem erga me oſtendere voluiſti. Nos, ut paulo ante diximus, locum hunc ita reddere malumus : *& tu in hoc mihi indulgebis*.

℣. 11. SUSCIPE BENEDICTIONEM QUAM ATTULI.] Hebr. textus [7] ad litteram : *accipe, quæſo, munus meum, quod tibi oblatum eſt, quoniam Deus gratificatus eſt*
D *mihi* (ſeu, miſericordiam mihi impertitus eſt), *& omnia mihi ſunt*. Rebus omnibus abundo, nihil mihi deeſt.

1 ויחץ את הילדים על לאה וגו׳.
2 *Aquil.* Ἐμέρισε. 70. Διεῖλε. *Alius*, ἐμέρισε.
3 ויחבקהו ויפל על צוארו וישקהו ויבכו
4 כי אלה לך
5 כי על כן. 70. Ἕνεκεν τούτου.
6 ותרצני
7 קח נא את ברכתי אשר הבאת לך כי חנני אלהים וכי יש לי כל

deeſt. Textus Samaritanus; *quoniam Dominus beneficii, me cumulavit, & hæc omnia mea ſunt*. Arabicus: *Præter hæc ſmala, plura inſuper habeo*. Munus hoc appellatur *benedictio*, quia tum ille, qui accipiebat, tum qui offerebat hujuſmodi munera, pluribus ea benedictionibus cumulabat. Superius vocantur *Mincha*; *oblatio*, *munus*.

℣. 13. BOVES FÆTAS MECUM.] Nonnulli hebraica verba הבקר עלות עלי ita reddunt: *Vaccas habeo quæ lactant*, ſeu quæ vitulos ſuos habent. Alii: *greges habeo, qui me ſequuntur*. Septuaginta: *λοχεύονται ἐπ' ἐμέ*: Alius, *Κύες*; *boves, quæ vitulos habent*. Alibi autem, nempe Iſai. 11. 11. vertunt: *Ἐν γαστρὶ ἐχούσας*, *boves gravidas*. 1. Reg. 6. 10. *πρωτοτοκούσας*, *quæ non ita pridem peperere*. Omnes hæ verſiones cum Vulgata conveniunt *boves fœtas*, boves gravides, ſeu lactantes. Poſteriori hoc in ſenſu explicant locum hunc Chaldæus, Syrus, Arabs, Vatablus, & Rabbini. Apud Latinos Auctores, *fœta*, plerumque matrem, quæ gravida eſt, ſignificat; aliquando tamen etiam illam, quæ lactat; *fœta mater*, Statius; *Fœta lupa*, Virgilius; *fœtæ vaccæ*, idem Virgil. atque hoc in ſenſu hic accipiendum eſſe vult Bochartus.

SI PLUS IN AMBULANDO FECERO LABORARE, MORIENTUR UNA DIE &c.] Hebræus [1]: *nimium urgebunt aliquando hæc animalia, & omnes interibunt*.

℣. 14. EGO SEQUAR PAULATIM VESTIGIA EJUS.] Hebr. *lento gradu incedam, prout patientur vires hujus turmæ, quam ante me incedere jubeo*. Hebraica vox *Malach*, [2] quæ ad litteram ſignificat, *opus*, explicari poteſt pro univerſis mulierum, puerorum, & pecorum, quæ Jacob ducebat, impedimentis; ſeu, pro itineris labore. Vel juxta Septuaginta: Accelerabo gradum, prout requirit tempus, quod inſumendum mihi eſt ad hoc iter, una cum pueris, & gregibus meis peragendum. Properabo, ita tamen ut turmam meam ante me pedetentim procedere permittam; diligentiam omnem adhibebo, quam ſocii mei adhiberi a me poſſe concedent.

DONEC VENIAM IN SEHIR.] Piſcator, & Abulenſis temere contendunt Iacobum hic officioſum mendacium protuliſſe, idque promiſiſſe, quod deinde exequi nolebat. D. tamen Auguſtinus q. 106. in Geneſ. & alii plures eum ſequuti ajunt eam tunc fortaſſe mentem Jacobo fuiſſe, ut Eſau viſeret; ſed plures deinde exortas difficultates illum ab hoc itinere ſuſcipiendo prohibuiſſe, eumque a propoſito dimoviſſe. Etſi fortaſſe alias, hac certe vice, Iacob in Sehir non perrexit.

℣. 15. NON EST NECESSE.] Hebræus ſimpliciter habet; *quare hoc? inveniam gratiam coram Domino meo*. Septuaginta: *cur hoc? ſufficit mihi, quod invenerim gratiam ante oculos tuos*.

℣. 17. IACOB VENIT IN SOCOTH.] Hebræus: *Venit in Socoth, ibique ædificavit domum pro ſe, & tentoria pro gregibus ſuis*. Socoth non admodum longe diſtabat a Mahanaim. Iacob eo pervenire poterat eadem die, aut certe poſtridie, quam Eſau fratrem ſuum viderat. Socoth ad Orientem Iordanis jacere, atque octo, aut decem circiter leucas diſtare a Mahanaim putamus. Per aliquod tempus ibi permanſiſſe Iacobum oportet, cum domum pro ſe ædificarit, tuguria conſtruxerit, atque tentoria pro pecudibus ſuis erexerit. Decem ibi menſibus eum fuiſſe moratum exiſtimant Iudæi. Hæc Iacobi commoratio occaſionem præbuit eo in loco conſtruendæ urbis, quæ *Socoth* fuit appellata.

℣. 18. TRANSIVIT IN SALEM URBEM SICHIMORUM.] A Socoth diſcedens Iordanem tranſivit, ac
A venit Salem. Urbem quamdam *Salem*, aliter *Salim* dictam ad Occidentalem Iordanis ripam, quinque, aut ſex leucas e Scythopoli Meridiem verſus diſſitam ex Ioan. 3. 23. novimus. Sed ægre inducor, ut credam hanc Ioannis urbem eam eſſe, de qua loquitur Moyſes; illa ſiquidem nimium diſtabat e Sichimitis, qui interiorem regionis partem Occidentem verſus habitabant. Maxima pars recentiorum Interpretum, poſt Rabbinos, locum hunc aliter vertunt, verbum *Salem* [3] accipientes tanquam adjectivum, quod ſignificat Salvum, & incolumem: *Venit Salvus, & incolumis in Urbem Sichem*. Venit, inquiunt Iudæi, prope urbem Sichem a morbo femoris omnino liberatus. Hæc urbs nomen habuit a Sichem filio Hemor, & a Ioan. 4. 5. Sichar appellatur; jacet jux-
B te Samariam, atque hodie *Neapolis*, ſeu *Naplouſa* dicitur. Demetrius apud Euſebium Præp. l. 9. c. 21. Iacobum decem annis ibi moratum fuiſſe refert.

℣. 19. EMIT PARTEM AGRI, IN QUA FIXERAT TABERNACULA A FILIIS HEMOR.] Iacob a Sichimita quodam, quem Scriptura non nominat, emit partem agri, ubi habitationem ſuam conſtituit, & tentoria ſua fixit; non enim aut in domibus, aut in Urbibus habitavit. Urbem Sichem incolebant poſteri Hemor, qui ejuſdem Urbis auctor, & Rex fuerat. Cum in qualibet familia plures eſſent fœminæ, pueri, & ſervi, atque ingens earum rerum copia, quæ ad multos greges alendos, vitamque agreſtem, ac laborioſam traducendam requiruntur, paucis familiis haud exiguus vicus conſti-
C tui poterat.

EMIT PARTEM AGRI ....., CENTUM AGNIS.] Vulgata hoc in loco Septuaginta ſecuta eſt. Vox hebraica *Keſitah* [4] in tribus tantum Scripturæ locis reperitur, videlicet hic, Ioſu. 24. 32. & Iob. 42. 11. Chaldæus, Septuaginta, Syrus, Arabs, Samaritanus, Aquila, Symmachus, Theodotion, Abenezra, & Vulgata, quos Veteres omnes ſecuti ſunt, citatum Ioſue locum reddunt, *novellas oves*, & locum Iob, *ovem novellam* [5]. Quorſum autem adeo ſtudioſe adnotatur centum agnos, quos Iacob filiis Hemor dedit, omnes fuiſſe fœminas? Et ſi textus ſignificare vult centum novellas oves, quæ unquam de cauſa vocem *Keſitah* in plurali numero non uſurpat? Cur denique ex propinquis, & amicis Iob ſinguli unam tan-
D tum ovem ſancto huic viro dono dant, quod certe munus erat, & eorum liberalitate indignum, & tanti viri indigentiæ parum accommodatum?

Hinc ex recentioribus Interpretibus plerique in Rabbinorum [6] ſententiam pedibus jere, qui docent Keſitah nummum quendam ſignificare. Eugubinus, Bochartus, aliique nonnulli putarunt Septuaginta primo reddidiſſe *centum minas*, & alias in eorum exemplaribus ſcriptum fuiſſe, Hecaton mnôn; amanuenſes vero primam mutaſſe lectionem, tranſcribentes, *Hecaton amnon*, centum agnos, pro centum minis, eo quia Abrahæ ætate nullos adhuc nummos in uſu fuiſſe forte crediderint. Hæc autem conjectura, quæ aliquem veri ſpeciem pro hoc Geneſis loco habere poteſt, omni caret probabilitate tam pro allato Io-
E ſue loco illuſtrando, ubi græce lectio eſt, *Hecaton amnadon*, *centum novellas oves*, quam pro citato Iob verſic., ubi Septuaginta legunt, *Amnada mian*, novellam ovem. His adde, quod hujuſmodi lectio nullo nec Septuaginta exemplari, nec antiqui cujuſquam Interpretis conſenſu confirmatur. Minus etiam veroſimilia nonnulli Rabbini [7] ſentiunt tanti Keſitah valere exiſtimantes, quanti obolus valet. Si id verum eſſet, Jacob agrum e filiis Hemor quinque tan-

1 ודפקום יום אחד ומתו כל הצאן 70. *ἐὰν οὖν καταδιώξω αὐτὰ μίαν, ἀποθανοῦνται πάντα τὰ κτήνη*.
2 אתנהלה לאטי לרגל המלאכה אשר לפני
3 Hieron. in quæſt. Hebr. שלם ſeu שלום ut Samaritanus legit.
4 קשיטה 70. *Ἑκατὸν ἀμνῶν*.
5 *Chald.* חורפא, 70. *ἀμνάδα*. *Vulg.* *Novellas oves*.
6 Abika, Kimchi, Levi Ben-Gerſon, Rab. Salom. Mardoc. Arius, Luther. Calvin. Jun. Diodatus, Belg. Angli, Vaſer. Sixtin. Amamas, Buxtorfius, Bieſevoord. Hottinger. Valton. Bochart. de anim. ſacr. part. 1. l. 2. c. 43. &c. Vide ſi lubet Spanhemium hiſt. Jobi c. 2. n. 6.
7 Rabbini Akiba, Salomon, David, Gerſon.

tantum ſiclis emiſſet, qui valent circiter octo francos, duos ſolidos, & unum denariolum monetæ Gallicæ: ex propinquis vero, & amicis Job viginti circiter denarios turonenſes ei dono ſinguli dediſſent, quod etiam probabile non videtur.

Arias Montanus, Druſius, Brerevoord, Vaſeros, Grorius, & plerique alii voluerunt textum hic denotare centum nummos, quibus agni figura impreſſa erat. Oligerus diſſertationem quamdam edidit an. 1691. ubi multis confirmare conatur opinionem hanc, quæ Septuaginta, Vulgatam, & Chaldæum cum iis conciliat, qui Keſitha nummum quemdam ſignificare credunt. Antiquitus nummi nomen a figura, quæ illis imprimebatur, accipiebant. Nummi, qui teſtudinem, bovem, noctuam, ſagittarium, aut agnum repræſentabant, teſtudo, bos, noctua, ſagittarius, & agnus appellabantur. Vetus proverbium eſt Βῦς ἐπὶ γλώττῃ, *bos in lingua*, quod dicitur de homine, qui argento corruptus fuit. Lyſandri ſervus, ut refert Plutarchus in Lyſandro, domini ſui proditionem detexit, dicens multas in ejus domo noctuas eſſe; innuere volens eum ab Athenienſibus nummos accepiſſe, quibus impreſſa erat noctua, Minervæ Avis. Rex Ageſilaus apud eumdem Plutarchum Apophtegm. Laconic. ſe pulſum ex Aſia fuiſſe affirmat a triginta mille ſagittariis; quoniam Rex Perſarum tantam vim nummorum, qui ſagittarium exhibebant, Oratoribus Athenienſibus, & Thebanis dederat, ut cives ſuos ad bellum Lacedæmoniis inferendum perſuaderent.

Quod autem maxime eorum opinioni favet, qui *Keſitah* nummum quemdam eſſe volunt, illud eſt, quod legitur Act. 7. 19. ubi Divus Stephanus refert, Abraham *pretio argenti* agrum a filiis Hemor emiſſe. *Tranſlati ſunt in Sichem, ac poſiti ſunt in ſepulchro, quod emit Abraham pretio argenti a filiis Hemor filii Sichem*. Contendunt nonnulli nomen Abreham in hunc locum irrepſiſſe pro Iacob, atque Divum Stephanum explicare, quid ſit *Keſitah*, dum vocem hanc reddit *pretio argenti*. Verum Divum hunc martyrem loquutum eſſe de ſepulchro, quod Abraham apud Ephron a filiis Heth emit; & de quo meminit caput 23. Geneſ. y. 8. 9. & ſeqq. atque in Actis nomen *Hemor filii Sichem* loco *Ephron filii Heth* fuiſſe poſitum eſt admodum probabilius. Pelleterius qui in diariis Trevolrianis ad an. 1704. M. Maii in hunc locum expreſſe ſcripſit, contendit verbum Hebraicum *Keſitah* deſcendere a *Keſes*[1], quod aliquando arcum ſignificat; atque monetam antiquam Aſſyriam denotare, hinc ſagittario, inde agno ſignatam; nummum hunc in Oriente in uſu fuiſſe ante Daricos, in quibus Darius ex una quidem parte ſe repræſentari, ex altera autem ſagittarium imprimi juſſit. Addit auream fuiſſe monetam hanc, eaque ætate adhibitam pro inaure, non ſecus ac inſecutis temporibus extitere, & hodie quoque extant populi, qui numiſmata aurea, & argentea geſtant in modum inauris pertuſa. Tandem vult Keſitah aureum circiter duodecim libras decem ſolidos monetæ Gallicæ valere.

Hæ autem ſunt rationes potiſſimæ, quæ ſententiam hanc confirmant. Aſſyrii ex vetuſtioribus populis ſunt, qui nummos cuſerint, ſi fides Divo Epiphanio[2], & Divo Iſidoro l. 16. Origin. cap. 24. habenda. Affirmant enim Abrahamum nummorum uſum in terram Chanaan invexiſſe. Herodoto l. 4. c. 166. placet Aſſyrias monetas typo ſignari incepiſſe ſub Dario filio Hyſtaſpis; ſed Ariſtophanis Scholiaſtes primos Daricos nummos cuſos fuiſſe vult ſub Dario vetuſtiori, qui alius eſſe non poteſt, ac Darius Medus, qui Cyrum in regno Babylonis præceſſit. Quinimo Pelleterius Darici nummi vetuſtatem ante Darii

A Hyſtaſpis filii regnum ex ipſa Scriptura[3] demonſtrari poſſe putat. Revera viros inter Iſraelitas principes, qui a Babylone cum Zorobabele Hieroſolymam rediere, pro extruendo templo ſexaginta *dragmonim*, ſeu *dracmonim* obtuliſſe 1. Eſdræ legimus.

Dracmonim nummos Daricos eſſe, ſeu minas, ſeu tandem nummos quoſdam vocatos *derac*, ſeu *dares* cenſet hic Auctor. *Monim* ſignificare monetam poteſt. Appellanturque etiam אדרכנים *adarconim* 1. Par. 29. 7. ubi principes populi pro conſtruendo templo mille *adarconim* contuliſſe dicuntur. Probat deinde idem Auctor, Perſas nummis ſuis imprimere conſueviſſe arcum ſagitta armatum, ſeu ſagittarium. Plutarchi locum, quo præcipue ejus ſen-
B tentia nititur, jam ſupra retulimus. Operoſum autem non eſt oſtendere veteres olim aurea, & argentea numiſmata ad ornatum geſtare conſueviſſe. Quamvis vero nullum afferat locum, ex quo aperte comprobetur veteres numiſmata pertuſa pro inauribus adhibuiſſe; nihilominus cum hodie etiam in Oriente Syræ mulieres hujuſmodi numiſmatibus calanticas ſuas ornent, probabile quoque eſt ſuas aures iiſdem ornare olim conſueviſſe.

Ut autem Daricos nummos ex altera parte ove ſignatos fuiſſe probet, *Sita* Chaldaice ovem ſignificare notat; adeo ut nomen *Keſitah* a *Keſes*, arcus, & *Sita*, ovis componeretur. Pelleterius tandem opinatur locum Iobi 42. 11. *Dederunt ei, unuſquiſque ovem unam, & inaurem auream unam*, ita intelligen-
C dum eſſe, ac ſi diceretur: *Dederunt ei unuſquiſque Keſitah*; nempe inaurem auream unam. Eodem modo explicat locum illum Gene. 35. c. 4. ubi dicitur Iacob convocaſſe omnes domeſticos ſuos, iiſque juſſiſſe, ut ad ſe Deos omnes alienos, quos habebant, afferrent. *Dederunt ergo ei omnes Deos alienos, quos habebant, & inaures, quæ erant in auribus eorum: at ille infodit eas ſubter terebintum*. Auctor hic vertit: *Dederunt ei deos ſuos alienos*; id eſt: *inaures ſuas*.

Verum validiora inquirenda ipſi erant argumenta, quibus probaret Iobi, & Iacobi ætate nummos typo ſignatos, ut ſagittario, & ove notatos in Aſſyria, & Chaldæa in uſu fuiſſe. Ex allato Paralip. loco neceſſario non colligitur, Davidis ætate nummos Dari-
D cos, ſeu *adarconim* paſſim fuiſſe in uſu. Horum librorum auctor procul dubio poſt Davidis regnum floruit, cum Ieremiam citet l. 2. cap. 35. verſic. 25. & de reditu a captivitate, qui contigit anno primo Cyri, loquatur l. 2. cap. ult. ỳ. 22. 23. Nummorum igitur, qui ſuo ævo recepti erant, nomina potuit uſurpare, eoſque, utpote magis notos, Davidici ævi nummis ſubſtituere. Licet autem de aureis, argenteiſque nummis Davidis ævo cuſis Paralipomenon Auctorem locutum eſſe fateremur, adhuc tamen Davidis ævum a Iobi, & Iacobi ætate admodum diſtaret. Certum denique nullo modo eſt, *Dracmonim*, ſeu *Adarconim* veros fuiſſe nummos typo ſignatos; probabilius enim eſt pondus fuiſſe quoddam, a Græcis deinde drachmam appellatum. De vera igitur vocis Ke-
E ſita ſignificatione conjecturas tantum, eaſque imbecillas nos hactenus habere fatendum eſt. Metalli forte puritatem, ſeu legitimam maſſæ monetalis concretionem ſolummodo deſignat. Linguæ Chaldaica, Syriaca, & Arabica verba quædam habent voci *Keſitah* valde affinia, quæ ab eadem proveniunt radice, quæque ſignificant puritatem, & veritatem. Hoc autem in ſenſu hic Geneſis locus intelligi poſſet: *Iacob dedit centum nummos legitimæ conflaturæ*; ſeu: *dedit centum nummos* (argenti) *veritatis*; atque hic *argentum puritatis*, ſeu *veritatis*, idem ferme eſt, ut opinor, ac *pondera perfectionis, & juſtitiæ*, & ſi-

---

1 Pſalm. 59. 5. קשת.

2 Epiphan. de Ponderibus. Argenteus nummus jam tum olim ſignatus eſt, & ab Aſſyriis cuſus. Credit debere legi Ἐκ δὲ τῶν Ἀσσυρίων τοῦτο ἐτυπώθη, non autem ἐχαράχθη, ut in editione P. Petavii legitur.

3 1. Eſdr. 2. 27. אדרכנים.

& *ſicli ſanctitatis*, de quibus tam ſæpe loquitur Scriptura. Vide Deuteron. 25. 15. & Exod. 30. 13. & 38. 24. & alibi.

Jonathan, & Targum Hieroſolymitanum pro centum Keſitah reddunt *centum margaritas*. Verbum *caſchrah* apud Chaldæos ſignificat aliquando *ornare*; atque id fulcire aliquo pacto poſſet horum Interpretum verſionem. Uniones tamen, & gemmæ in commercio numquam ita videntur admiſſæ, ut Jacobum pro agri emptione centum Keſitah ſolviſſe legimus. A Rabbinis coralium vocatur כסתא *Keſta*; quod ſane ad locum hunc explicandum conferre poteſt, dummodo certum eſſet coralium fuiſſe aliquando in emptionibus uſurpatum; & niſi alio modo Moyſes *Keſitah*, alio autem Rabbini *Keſta* ſcriberent.

Aliam ego ad locum hunc adeo difficilem, & obſcurum explicandum addam conjecturam. *Keſitah* fortaſſe erat crumena quædam certam auri, vel argenti vim continens. Sacculis pecuniam ſupputari conſuevisse notum eſt. Fixa quædam, & determinata pecuniæ ſumma hæc erat; mos autem hujuſmodi apud Orientales præcipue viguit, & hodie quoque apud Turcas, & Perſas viget. Perſica argenti *burſa* 50. Tomanos continet, ſcilicet 2500. nummos, quorum ſinguli 18. ſolidis Gallicæ monetæ reſpondent. Hujuſmodi *burſæ*, ſeu ſacculi ex corio ſunt, oblongi, & anguſti. In iis variæ nummorum ſpecies numquam commiſcentur. Minime numeratur pecunia, ſed appenditur; quod ſane commercium vehementer juvat. Vide Chardinum in Itinere Perſico tom. 2. pag. 99.

Agrum, de quo hic ſermo, non diu poſt reditum ſuum e Meſopotamia Jacob emit. Job non longe ab Euphrate degebat. Sacer Scriptor in eorum deſcribenda hiſtoria eo loquendi modo uti potuit, qui ejus regionis proprius erat, ubi vixerant. Refert Herodotus l. 3. cap. 130. 131. olim conſuevisse Perſas aurum, & argentum tam rude, quam ſignatum in urnis condere; quas frangebant, cum aliquid ex eo ſumere volebant. Idem Auctor de medico quodam nomine Democede narrat, qui cum Darium a gravi morbo liberaſſet, a ſingulis hujus principis uxoribus dono accepit phialam auro plenam, una cum theca aurea, qua ſingulæ claudebantur; cumque ex phialarum percuſſione magna ſtaterum copia excidiſſet, eos, qui Democedem ſequebatur, ſervum collegiſſe ſubdit. Scriptura ergo nomine *Keſitah* aliquod ea his vaſis, ſeu phialis, vel ſacculis fortaſſe intelligit. *Kiſta* menſuram quandam Perſarum fuiſſe docet Euſtathius in Odyſſ. B & T & קסטא *Kiſtah* Chaldaice menſuram, vas, lagenam ſignificat.

℣. 20. INVOCAVIT SUPER ILLUD FORTISSIMUM DEUM ISRAEL.] Hebraicus textus [1] verti poteſt: *Ipſo huic impoſuit nomen Dei Domini Iſrael*. Jam alibi diximus conſueviſſe veteres monumentis nomina imponere, quo poſterorum memoriæ commendarentur res, in quarum gratiam monumenta erexerant. Ea enim ætate nondum in uſu eſſe cœperant inſcriptiones.

[1] ויקרא לו אל אלהי ישראל

CAPUT XXXIV.

Dina filia Jacobi violatur a Sichem filio Hemor: Sichimitis circumciſio imponitur ad ineundum fœdus cum familia Jacobi, Simeon, & Levi Sichimitas omnes obtruncant tertio poſt circumciſionem die.

1. EGreſſa eſt autem Dina filia Liæ, ut videret mulieres regionis illius, 2 Quam
cum vidiſſet Sichem filius Hemor Hevæi, princeps terræ illius, adamavit eam:
& rapuit, & dormivit cum illa, vi opprimens virginem. 3 Et conglutinata
eſt anima ejus cum ea, triſtemque delinivit blanditiis. 4 Et pergens ad Hemor pa-
trem ſuum, Accipe, inquit, mihi puellam hanc conjugem. 5 Quod cum audiſſet Ja-
cob, abſentibus filiis, & in paſtu pecorum occupatis, ſiluit, donec redirent. 6 Egreſ-
ſo autem Hemor patre Sichem ut loqueretur ad Jacob. 7 Ecce filii ejus veniebant de
agro: auditoque quod acciderat, irati ſunt valdè, eo quod fœdam rem operatus eſſet
in Iſrael, & violata filia Jacob, rem illicitam perpetraſſet. 8 Locutus eſt itaque He-
mor ad eos: Sichem filii mei adhæſit anima filiæ veſtræ: date eam illi uxorem: 9 Et
jungamus viciſſim connubia: filias veſtras tradite nobis, & filias noſtras accipite. 10
Et habitate nobiſcum: terra in poteſtate veſtra eſt, exercete, negotiamini, & poſſidete
eam. 11 Sed & Sichem ad patrem, & ad fratres ejus ait: inveniam gratiam coram vo-
bis: & quæcumque ſtatueritis, dabo. 12 Augete dotem, & munera poſtulate, & li-
benter tribuam, quod petieritis: tantum date mihi puellam hanc uxorem. 13 Reſpon-
derunt filii Jacob Sichem, & patri ejus in dolo, ſævientes ob ſtuprum ſororis: 14 Non
poſſumus facere, quod petitis, nec dare ſororem noſtram homini incircumciſo: quod il-
licitum, & nefarium eſt apud nos. 15 Sed in hoc valebimus fœderari, ſi volueritis eſ-
ſe ſimiles noſtri, & circumcidatur in vobis omnis maſculini ſexus: 16 Tunc dabimus,
& accipiemus mutuo filias veſtras, ac noſtras: & habitabimus vobiſcum, erimuſque u-
nus populus. 17 Si autem circumcidi nolueritis, tollemus filiam noſtram, & recede-
mus. 18 Placuit oblatio eorum Hemor, & Sichem filio ejus: 19 Nec diſtulit adole-
ſcens,

ſcens, quin ſtatim quod petebatur, expleret: amabat enim puellam valde, & ipſe erat inclytus in omni domo patris ſui. 20 Ingreſſique portam urbis, locuti ſunt ad populum: 21 Viri iſti pacifici ſunt, & volunt habitare nobiſcum: negotientur in terra, & exerceant eam, quæ ſpatioſa, & lata cultoribus indiget: filias eorum accipiemus uxores, & noſtras illis dabimus. 22 Unum eſt, quo differtur tantum bonum. Si circumcidamus maſculos noſtros, ritum gentis imitantes. 23 Et ſubſtantia eorum, & pecora, & cuncta, quæ poſſident, noſtra erunt: tantum in hoc acquieſcamus, & habitantes ſimul, unum efficiamus populum. 24 Aſſenſique ſunt omnes, circumciſis cunctis maribus. 25 Et ecce die tertio, quando graviſſimus vulnerum dolor eſt: arreptis, duo filii Jacob, Simeon, & Levi fratres Dinæ, gladiis ingreſſi ſunt urbem confidenter: interfectiſque omnibus maſculis, 26 Hemor, & Sichem pariter necaverunt, tollentes Dinam de domo Sichem ſororem ſuam. 27 Quibus egreſſis, irruerunt ſuper occiſos cæteri filii Jacob: & depopulati ſunt urbem in ultionem ſtupri. 28 Oves eorum, & armenta, & aſinos, cunctaque vaſtantes, quæ in domibus, & in agris erant: 29 Parvulos quoque eorum, & uxores duxerunt captivas. 30 Quibus patratis audacter, Jacob dixit ad Simeon, & Levi: Turbaſtis me, & odioſum feciſtis me Chananæis, & Pherezæis habitatoribus terræ hujus: nos pauci ſumus, illi congregati percutient me, & delebor ego, & domus mea. 31 Reſponderunt: Numquid ut ſcorto abuti debuere ſorore noſtra?

℣. 1. EGRESSA EST AUTEM DINA ...] Quintum, aut ſextum decimum ætatis annum agebat tum Dina. In Sichem pergit, ætatis & ſexus curioſitate abrepta, ubi, teſte Joſepho lib. 1. antiquit. c. 18. feſtum quoddam celebrabatur, quo juventus omnis confluxerat: mundi muliebris, & ornatus ſupparum puellarum in Regione Chanaan videndi cupida, utpote quæ recens e Meſopotamia illuc advenerat.

℣. 2. SICHEM FILIUS HEMOR HEVÆI, PRINCEPS TERRÆ ILLIUS.] Hebraicus textus verti poſſet: *Sichem filius Hemor, Principis terræ &c.* cui explicationi favet cum id, quod præcedit, tum id quod ſequitur. Capite præcedenti verſ. 19. ſermo fit de Hemor, tamquam de Rege Urbis Sichem; in hoc vero capite ita ſe gerit Hemor, ut Princeps Sichimitarum; ejus autem filius Sichem ſolum deſcribitur, ut maxime illuſtris e ſua familia; *Erat inclytus in omni domo patris ſui* verſ. 19.

VI OPPRIMENS VIRGINEM.] Hebr. [1] *afflixit*, vel *humiliavit*, quæ vox denotat plerumque vexationem, malamque tractationem: hic tamen vim & injuriam virginali pudori irrogatam importat.

℣. 3. TRISTEMQUE DELINIVIT BLANDITIIS.] Hebraicus ad litteram [2]: *adamavit eam, & locutus eſt ad cor ejus*, h. e. ſolatus eſt eam. Septuaginta: *Amavit eam, & locutus eſt juxta cogitationem, ſeu animi inclinationem Virginis ipſius*. Chaldæus: blanda, & conſolatoria verba locutus eſt illi; ad litteram; *Conſolationes*.

℣. 7. EO QUOD FŒDAM REM OPERATUS ESSET IN ISRAEL.] Quod patrem ſuum, totamque familiam affeciſſet injuria. Iſraelis nomine non veniunt hoc loco decem Tribus, aut tota Iſraelis poſteritas, quemadmodum aliàs ſæpe in Scriptura.

℣. 12. AUGETE DOTEM, & MUNERA POSTULATE.] Supra jam vidimus ejus temporis morem, quo tempore Sponſus Sponſæ dotem dicebat; quod & apud Græcos uſurpabatur heroicis temporibus, ut ex pluribus Homeri locis colligitur Iliad. 9. & 13. de Othryoneo, & ex Ariſtotele diſcimus lib. 2. de Rep. c. 8. veteres Græci, inquit ille, ferrum afferebant; (vel ferro armati incedebant) & mulieres invicem emebant. Eundem morem retinent adhuc Turcæ, & Perſæ. *Munera poſtulate*. Patri & fratribus Sponſæ munera dabantur, ut intelligimus ex eo, quod cum fratribus Rebeccæ uſurpavit Eliezer. Gen. 24. 53.

℣. 14. NON POSSUMUS DARE SOROREM NOSTRAM HOMINI INCIRCUMCISO, QUOD ILLICITUM, ET NEFARIUM EST APUD NOS.] Hebraicus textus [3]: *opprobrium eſt*, vel *abominatio apud nos*. Septuaginta notant, a Simeone & Levi hoc reſponſum fuiſſe datum. Ex pluribus S. Scripturæ locis colligitur, opprobrii, & abominationis loco habitum fuiſſe inter poſteros Abrahæ, incircumciſum eſſe. Quod autem hic reſpondent filii Iacobi, dolus eſt, & prætextus fraude, & malitia plenus: *reſponderunt in dolo*, ut dicitur verſ. præcedenti. Neque lex, neque mos, neque ulla honeſtatis ratio cogebat tunc filios Iſrael ducere uxores e populo circumciſo, nec ad filias ſuas circumciſis collocandas. Incircumciſus erat Laban, cujus filias duxerat Iacob: Iacob vero filii nonne uxores Chananæas acceperunt? Expreſſe id affirmat Scriptura de Iuda, & Simeone; neque porro illis erat integrum, ſaltem mulieres Iſmaelitas, aut Idumæas non ducere, cum neque Abraham, neque Iſaac filias ullas ſuſcepiſſent.

℣. 17. TOLLEMUS FILIAM NOSTRAM, & RECEDEMUS.] Ex hoc verſ. & ex verſ. 26. apparet, Dinam apud Hemor manſiſſe poſt relatam injuriam uſque ad cædem Sichimitarum.

℣. 20. PORTAM URBIS.] Ibi & judicia exercebantur, & politici cœtus, & nundinæ celebrabantur. In urbium introitu erant plerumque, & hodie quoque ſunt in oriente, fora aut loca publica nundinis, & cœtibus civium deſtinata.

℣. 21. VIRI ISTI PACIFICI SUNT.] Textus Hebraicus verti poteſt [4]: *iſti nobiſcum pacifice vixerunt*. Aquila vertit [5]: *hi ſunt viri perfecti*, viri irreprehenſibiles, quibus nihil objici poteſt. Munſterus & Oleaſter, *integri*. Arabica verſio: *Socii noſtri ſunt, & amici*.

NEGOTIENTUR IN TERRA, ET EXERCEANT EAM, QUÆ SPATIOSA & LATA CULTORIBUS INDIGET.] Hebr. [6] *habitabunt in regione: eam percurrent*; ſeu *negotiabuntur in ea; vel greges ſuos in eam adducent; terra, quæ ſpatioſa eſt, eſt coram illis*. Alibi tradidimus, quæ ſit vis hujus locutionis; *terra eſt coram illis*. Regio tota pleno jure illis patet: permittendum ipſis eſt, ut quo lubet, ducant greges ſuos. Illud,

1 ויענה, 70. Ἐταπείνωσε.
2 ויאהב וידבר על לב. 70. ἠγάπησε τὴν παρθένον, καὶ ἐλάλησε κατὰ διάνοιαν τῆς παρθένου αὐτῇ.
3 חרפה לנו
4 שלמים הם. 70. Εἰρηνικοί.
5 Ἀπηρτισμένοι apud Hieron. quæſt. Hebr.
6 ישבו בארץ ויסחרו אתה והארץ הנה רחבת

Illud, *ſpatioſa manibus*, quod legitur in textu hebræo, magnam extenſionem ſignificat; qui loquendi modus reſpondet geſtui, quem quiſque naturaliter exprimit protenſis brachiis, cum rem ingentem vult ſignificare. Vide Pſalm. 103. 25. *Hoc mare magnum, & ſpatioſum manibus.*

℣. 23. SUBSTANTIA EORUM, PECORA, & CUNCTA QUÆ POSSIDENT, NOSTRA ERUNT.] Hemor Sichimitas ad jungendum fœdus cum Hebræis pertrahere conatur, utilitate propoſita: eoſque participes futuros ingentium divitiarum Jacobi affirmat, ex Hebræorum commercio, eorumque conſuetudine, Rabbini contendunt, eo ſpectaſſe conſilia Hemor, ut Iſraelitas nec opinantes adortus bonis omnibus ſpoliaret; atque hac de cauſa, ut eorum machinationes eluderent, Simeonem & Levi Sichimitis necem intuliſſe: quod minime probabile videtur. In toto Sichimitarum conſilio ſinceritas apparet: Jacob autem tam aperte filiorum facinus execratur cum hic, tum morti proximus, ut argui omnino non poſſit, eum quidquam de fide Sichimitarum ſuſpicatum, neque de filiorum injuſtitia dubitaſſe. Negari non poteſt, quin Hemor verbis excedat, eaque exponat, quæ fortaſſe pactis conventis non reſponderent: hoc tamen ad excuſationem filiorum Jacobi non ſufficit.

℣. 25. ET ECCE DIE TERTIO, QUANDO GRAVISSIMUS VULNERUM DOLOR EST.] Ita ſentiunt Medici, moleſtiſſimum eſſe dolorem vulnerum die tertio; & tunc plerumque ex inflammatione ſupervenit febris.

DUO FILII JACOB, SIMEON & LEVI.] Dinæ fratres erant uterini, violenti alioquin ingenii, qui ſuæ ſorori illatam injuriam ulciſci voluerunt. Nullo ex loco conſtat ceteros Iacobi filios huic facinori ſe immiſcuiſſe. Potuere ſcil. Simeon, & Levi domeſticos repente accire, eoſque ſocios ſibi adſciſcere. Sed poſt patratam Sichimitarum cædem a Simeone & Levi ceteri Iacobi filii in urbem irruerunt, eamque depopulati ſunt. Ita rem narrat Theodotus apud Euſebium Præpar. lib. 9. c. 22.

INTERFECTISQUE OMNIBUS MASCULIS.] Occiſione occiſi ſunt, quicumque reſiſtere auſi, quicumque ea ætate erant, ut queri poſſent, & tantam crudelitatem aliquando ulciſci. Solis fœminis, & infantibus ita pepercit.

℣. 29. PARVULOS QUOQUE EORUM, & UXORES DUXERUNT CAPTIVAS.] Hebraicus textus habet: *omnia eorum bona abſtulerunt, captivas duxerunt uxores eorum, & parvulos; quæcumque in domibus invenerunt, deprædati ſunt*. Septuaginta vertunt: Ceperunt eorum mancipia [1], & ſupellectilem, uxores eorum captivas duxerunt, & urbem totam, & domos diripuerunt. Prædam tam male partam Iacob utique rejeciſſe credendus eſt.

℣. 30. ODIOSUM ME FECISTIS.] Hebr. ad litteram: *Male olere me feciſtis.* [2]

NOS PAUCI SUMUS.] Hebr. *viri numeri*, exiguus numerus, qui facile iniri poteſt [3]. Paucis viris tunc conſtabat Jacobi familia. Neque enim alios ſervos habebat, quam quos emerat in Meſopotamia, una cum eorum uxoribus, & filiis. Leviter tantum filiorum facinus hic deteſtatur Iacob, veritus ſcilicet, ne extrema quæque auderent, ſi gravius illos increpuiſſet.

Non poteſt autem indignum Simeonis & Levi facinus perpendi aut referri, quin animus horreat meminiſſe. Continet enim inſigne perfidiæ, crudelitatis, & injuſtitiæ exemplum. Adeſt in eorum incepto temeritas, & ſanctiſſimarum, quæ ubique gentium ſunt, rerum abuſus, & impia violatio vindictæ cauſa. Ipſimet ſibi jus dicunt propria auctoritate, & veſano quodam furore acti, inconſulto patre, feruntur præcipites ad ulciſcendam injuriam, quæ ad patrem potius, quam ad ipſos pertinebat. Fraude, mala fide agunt, ut Sichimitas inducant ad accipiendas graves fœderis conditiones, quod ſanctiſſimo Religionis Hebraicæ ritu firmandum erat. Circumciſionem ipſis imponunt, ut dolore, & incommodo, quod illis ex tali re eventurum erat, eos perdendi occaſionem arriperent: Qua in re & abiectio quædam animi, ac ſævities conſpicitur fortibus viris prorſus indigna.

Ira in ulciſcenda injuria impotentes ſe gerunt, ut nullam inter vindictam, & injuriam proportionem ſervent. Si enim Sichem violaverat Dinam, nonne eo jam deſcenderat, ut quoad ejus fieri poſſet, errorem corrigeret? ſi ſummo jure agere vellent; num quid amplius poſtulare ab eo poterant, quam quod ultro ipſe obtulerat? Quid commeriti fuerant ceteri Sichimitæ, quare ab illis pœnæ expetendæ eſſent ejus criminis, cujus neque auctores fuerant, neque ſocii, cujus fortaſſe omnino erant ignari? Quo jure filii Iacob tot inſontes morti dedere poterant, quo jure eorum urbem populari, diripere opes, & armenta, uxores & filios in ſervitutem abducere, quaſi juſto bello devictos?

Defendendus fortaſſe quiſpiam ſuſceperit Simeonem, & Levi eo, quod Scriptura rei hujuſce auctorem Deum facere videatur: Et ſane videtur Iudith. 9. 8. crediſſe. Simeonem & Levi juſtitiæ zelo impulſos id egiſſe; *Servos tuis, qui zelaverunt zelum tuum*: & gladium illis fuiſſe traditum a Deo in vindictam criminis. *Domine Deus patris mei Simeon, qui dediſti illi gladium in defenſionem alienigenarum*. Præterea & illud aſſumitur ad horum fratrum defenſionem, quod, cum Iacob Ioſepho tribuit Urbem Sichem, ait, ſe illam obtinuiſſe in gladio & arcu ſuo. *Do tibi partem unam extra fratres tuos; quam tuli de manu Ammorrhæi in gladio & arcu meo*. Geneſ. 48. 22. Septuaginta vertunt: *Do tibi Sichimam præcipuam ſuper fratres tuos*; ex quo inferunt, juſtam & legitimam ejus potiundæ cauſam Iacobum reputaſſe.

Verumtamen ad illud quod habetur Iudith loco laudato reſponderi poteſt I. Iuditham conſideraſſe Iacobi actionem, quatenus laudabile aliquid continet: nullam enim incurriſſent ejus filii vituperationem, ſi in perſequenda ſororis injuria juſtitiæ terminos non exceſſiſſent. Permiſſum eſt enim licitis modis, & ſervata charitatis moderatione agere ad reparationem illatæ nobis ignominiæ. II. Supponit Iudith in Simeone, & Levi verum divinæ gloriæ zelum, ſupponit eorum incœpta fuiſſe Deo probata, quod ex felici rei geſtæ ſucceſſu infert, & ex patrocinio illis præſtito poſt talia auſa.

Præterea ſanctæ hujus mulieris auctoritas minime infallibilis eſt. Nihil facilius evenit, quam ut in judicandis hominum animis in utramlibet partem decipiamur. Quod ſi quis concludere velit, Deo minime diſplicere illas actiones, quibus felicem exitum in ſpeciem tribuit, certe dicendum eſſet, Deum probare innumeras actiones maxime improbas, & ſceleſtas. III. demum, etiamſi improbandum prorſus non eſſet Simeonis & Levi facinus in ſe ſpectatum, ſeu ratione finis, ex circumſtantiis tamen, quæ illud comitantur, horrore dignum efficitur, & vituperatione, ut nihil in eo videas præter veſanum furorem, feramque inhumanitatem, dignam profecto juſti Iacobi maledictione. Gen. 49. 6. 7.

Quod attinet ad locum, ex quo contendunt, Iacobum donaſſe Ioſepho urbem Sichem tamquam bello juſto captam reſpondemus I. vocem Hebræam שכם *Sechem* ſignificare poſſe in hoc loco *partem*, quemadmodum vertit Vulgata, & vox אחד *unum* quæ illi conjungitur, aperte indicat. II. partem hanc, quæ Ioſepho tributa eſt ultra ſortem ſuam, fuiſſe prædium, quod Iacob emerat a filiis Hemor Geneſ. 33. 19. cujus & D. Ioannes 17. 5. mentionem facit,

juxta

1 Σώματα.

2 להבאישני

3 Græci; atque Latini eumdem loquendi modum uſurpant. Horatius; *Populus numerabilis utpote parvus*. Theocritus: *Ἀριθματοὶ ἄνδρες παῦροι*. Idyll. 16.

juxta prædium, quod dedit Jacob Joſeph filio ſuo. III. Iacob ſibimet, ipſe contradiceret uno eodemque tempore & improbans Simeonis & Levi factum, & quæ Ioſepho donabat ſpolia a filiis relata, ſibi falſo attribuens tamquam fructum præclari facinoris. IV. Si præda illa legitime parta fuiſſet, Simeoni potius & Levi jure tribuenda fuerat, non autem Ioſepho; & Iacob capta urbe ſedem ibi figere, & domicilium ponere debuiſſet, cum tamen ſequenti capite videamus, Iacobum ſtatim poſt patratam cædem Bethleem verſus ſe recipere, veritum, ne a Chananæis opprimeretur.

Fatendum eſt, non ita facile explicari poſſe Scripturæ textum, ubi aſſerit Iacobus ſe tuliſſe eam partem, quam Ioſepho donaret, in gladio & arcu ſuo: attamen difficilis Scripturæ locus efficere non A debet, ut a duobus, ſeu pluribus, iiſque claris locis recedamus. Moyſis ſilentium, qui fortaſſe omiſit hiſtoriam, quæ occaſionem dedit Iacobi verbis, nocere aliis factis non debet, quæ clara ſunt, quibus & noſtra ſententia innititur. Diligentius locus iſte expendetur Geneſ. c. 48.

℣. 31. NUMQVID UT SCORTO ABUTI DEBUERE SORORE NOSTRA?] Procopius Gazenſis [s] exiſtimavit cum Hemor, tum Sichem rem habuiſſe cum Dina; ſed dicendum eſt potius, pluralem pro ſingulari numero poſitum fuiſſe. Id quod addunt verſiculo 5. Septuaginta: *audivit Jacob, Sichem filium Hemor* &c. directe Procopio adverſatur, qui commentus fuerat in textu legi tantummodo *Hemor*, Septuaginta vero addidiſſe *Sichem ejus filium*.

[s] Vide Druſium.

CAPUT XXXV.

Iter Jacob in Bethel. Ibi erigit Altare Domino. Moritur Debora Rebeccæ nutrix. Ortus Beniamini, Mors Rachelis. Numerus filiorum Jacobi. Mors Iſaaci.

1. INterea locutus eſt Deus ad Jacob: Surge, & aſcende Bethel, & habita ibi, fac-
que altare Deo, qui apparuit tibi, quando fugiebas Eſau fratrem tuum. 2 Ja-
cob vero convocata omni domo ſua, ait: Abjicite deos alienos, qui in medio ve-
ſtri ſunt & mundamini, ac mutate veſtimenta veſtra. 3 Surgite, & aſcendamus in Be-
thel, ut faciamus ibi altare Deo: qui exaudivit me in die tribulationis meæ, & ſocius
fuit itineris mei. 4 Dederunt ergo ei omnes deos alienos, quos habebant, & inaures,
quæ erant in auribus eorum: at ille infodit eas ſubter terebinthum, quæ eſt poſt urbem
Sichem. 5 Cumque profecti eſſent, terror Dei invaſit omnes per circuitum civitates,
& non ſunt auſi perſequi recedentes. 6 Venit igitur Jacob Luzam, quæ eſt in terra
Chanaan, cognomento Bethel: ipſe, & omnis populus cum eo. 7 Ædificavitque ibi
altare, & appellavit nomen loci illius, Domus Dei: ibi enim apparuit ei Deus, cum fu-
geret fratrem ſuum. 8 Eodem tempore mortua eſt Debora nutrix Rebeccæ, & ſepulta
eſt ad radices Bethel ſubter quercum: vocatumque eſt nomen loci illius, Quercus fle-
tus. 9 Apparuit autem iterum Deus Jacob, poſtquam reverſus eſt de Meſopotamia Sy-
riæ, benedixitque ei, 10 Dicens: Non vocaberis ultra Jacob, ſed Iſrael erit nomen
tuum. Et appellavit eum Iſrael. 11 Dixitque ei: Ego Deus omnipotens, creſce, &
multiplicare: gentes, & populi nationum ex te erunt, reges de lumbis tuis egredientur.
12 Terramque, quam dedi Abraham, & Iſaac, dabo tibi, & ſemini tuo poſt te. 13
Et receſſit ab eo. 14 Ille vero erexit titulum lapideum in loco quo locutus fuerat ei
Deus: libans ſuper eum libamina, & effundens oleum: 15 Vocanſque nomen loci illius
Bethel. 16 Egreſſus autem inde, venit verno tempore ad terram, quæ ducit Ephra-
tam; in qua cum parturiret Rachel, 17 Ob difficultatem partus periclitari cœpit. Di-
xitque ei obſtetrix: Noli timere, quia & hunc habebis filium. 18 Egrediente autem
anima præ dolore, & imminente jam morte, vocavit nomen filii ſui Benoni, id eſt, fi-
lius doloris mei: pater vero appellavit eum Benjamin, id eſt, filius dexteræ. 19 Mor-
tua eſt ergo Rachel, & ſepulta eſt in via, quæ ducit Ephratam, hæc eſt Bethlehem.
20 Erexitque Jacob titulum ſuper ſepulchrum ejus: Hic eſt titulus monumenti Rachel,
uſque in præſentem diem. 21 Egreſſus inde, fixit tabernaculum trans turrem gregis.
22 Cumque habitaret in illa regione, abiit Ruben, & dormivit cum Bala concubina pa-
tris ſui: quod illum minime latuit. Erant autem filii Jacob duodecim. 23 Filii Liæ:
primogenitus Ruben; & Simeon, & Levi, & Judas, & Iſſachar, & Zabulon. 24 Fi-
lii Rachel: Joſeph, & Benjamin: 25 Filii Balæ ancillæ Rachelis: Dan, & Nephtali.
26 Filii Zelphæ ancillæ Liæ: Gad, & Aſer: hi ſunt filii Jacob, qui nati ſunt ei in Me-
ſopo-

ſopotamia Syriæ. 27 Venit etiam ad Iſaac patrem ſuum in Mambre, civitatem Arbee, hæc eſt Hebron: in qua peregrinatus eſt Abraham, & Iſaac. 28 Et completi ſunt dies Iſaac centum octoginta annorum. 29 Conſumptuſque ætate mortuus eſt: & appoſitus eſt populo ſuo ſenex, & plenus dierum: & ſepelierunt eum Eſau, & Iacob filii ſui.

℣. 1. LOCUTUS EST DEUS AD JACOB.] Deus illi apparebat, inquit D. Chryſoſt. in Gen. hom. 59. ut contra Chananæos eum confirmaret, quos filiorum violentum facinus contra ipſum inſtigaverat. Eodem tempore terrorem injecit in animos Chananæorum, qui non auſi ſunt Jacobo moleſtiam creare, dum aliò ſe reciperet. Vide verſ. 5.

℣. 2. ABJICITE DEOS ALIENOS, QUI IN MEDIO VESTRI SUNT.] Textus hebræus verti poteſt [1]: *Deos alienigenæ*. Chal. *Idola populorum* Hi Dii alieni ſunt *Teraphim* Labani, quos Rachel e domo patris ſui abſtulerat, quibus & ipſa, ut videtur, ſuperſtitioſum aliquem cultum exhibebat, quemadmodum etiam Lia. Servi quoque Jacobi, qui natione Syri erant, e Meſopotamia in terram Chanaan abducti, hujuſmodi Idola B habere potuerunt, ut verſ. 4. innuere videtur.

Joſephus antiquit. lib. 1. c. 18. narrat hæc Idola a Jacobo inventa fortuito in tabernaculis, dum juſſa divina faciens illa mundaret, ut ſe ad iter in Bethel ſuſcipiendum expediret. Quare in ea ſententia fuiſſe videtur Joſephus, ut crederet inſcio Jacobo idola fuiſſe ſervata in ejus familia. Pererius aſſerit, Deos alienos, de quibus ſermo eſt in textu, fuiſſe idola ex Urbis Sichem direptione aſportata, quæ abjici juſſerat Jacob, ne peccandi occaſionem familiæ ſuæ præberent.

MUNDAMINI, AC MUTATE VESTIMENTA VESTRA.] Hujuſmodi ritus, & cæremoniæ, ex inſita hominibus divinitatis veneratione proficiſcuntur; cujus rei originem inutile ſane fuerit inveſtigare; eamdem enim cum Religione vetuſtatem refert, ac proinde cum hominibus ipſis. In tam diverſis populis non eadem ſemper eſt habita ratio externi cultus, & ſanctitatis, quæ rebus ſacris adhiberi debet; ſero tamen apud omnes abluitio corporis, & veſtimentorum munditiès habita ſunt, ut neceſſaria quædam præparatio Deum adire volentibus. Fuſius diſſeremus de Hebræorum, aliorumque populorum conſuetudine Exod. 19. 10. & Lev. 15. 13.

℣. 4. DEDERUNT ERGO EI OMNES DEOS ALIENOS, QUOS HABEBANT, ET INAURES, QUÆ ERANT IN AURIBUS EORUM.] Hebr. ad litteram [2]: *Dederunt ei omnes deos alienos, qui erant in manibus eorum, & inaures, quæ erant in auribus eorum*. Quod innuere videtur, deos hoſce alienos nihil aliud fuiſſe, D quam ſigna ſuperſtitioſa annulis, armillis, & inauribus inſculpta. Vox Hebraica [3] *Hannezamia*, quam verterunt *inaures*, ſignificat annulos, qui vel auribus, vel naſo appendebantur, vel e fronte pendebant. Vide, quæ dicta ſunt cap. 24. 22.

Annuli, de quibus hic ſermo eſt, non ſimpliciter ornatui inſerviebant, neque communis erat, & indifferens eorum uſus. Divus Auguſtinus epiſt. 73. ad Poſſidium docet, aliquas ex iis ſummis auribus ſuſpendi conſueviſſe, quibus occultam, & ſupernaturalem vim ineſſe exiſtimabant: *Execranda*, inquit, *ſuperſtitio ligaturarum, in quibus etiam inaures virorum in ſummis ex una parte auriculis ſuſpenſæ deputantur, non ad placendum hominibus, ſed ad ſerviendum Dæmonibus, adhibentur*. De iiſdem loquitur etiam A lib. 2. de Doctr. Chriſt. cap. 20. & quæſt. 111. in Geneſ. vocat eos *Phylacteria Deorum*, quaſi præſentia remedia inanium deorum, quædam ſcilicet amuleta, quæ ex ſuppoſita idolorum virtute a periculis, & morbis præſervare valebant, juxta inanem populorum perſuaſionem. Hæc ſuperſtitio a Phœnice, & Syria in Africam gradum fecerat. Ezechiel [4], & Salomon in Proverbiis [5] de hujuſmodi inauribus aliquid innuunt.

Cum ex Scriptura Exod. 35. 22. Judicum 8. 24. tum ex profanis auctoribus habemus, inaures tam viris, quam mulieribus fuiſſe communes, non ſolum apud Hebræos, verum etiam apud Arabas, & Pœnos? Plautus in Pœnul. act. 5. ſc. 2. lepide in ſervum Carthaginienſem ludens: *ut opinor*, inquit, *digitos in manibus non habet, quia incedit cum annulatis auribus*. Nonnulli ex Interpretibus noſtris credunt, annulos, & inaures, de quibus hic loquitur Jacob, digitis, & auribus Idolorum fuiſſe ſuſpenſas, non autem ſervorum Iacobi, cui ſententiæ adhærere videtur Divus Auguſtinus q. 111. Plinius porro lib. 27. c. 1. Deorum ſtatuas olim donari annulis conſueviſſe narrat.

INFODIT EA SUBTER TEREBINTHUM.] Hebraica vox *Elon*, אלון ſæpe redditur *Quercus* [6] a Septuaginta: hic autem vertunt *Terebinthum*, quemadmodum Vulgata, & Chaldæus Paraphraſtes. Aquila vero, Symmachus, & Theodotion vertunt *Quercum*. Divus Ambroſius legebat, *ſub lentiſco*. Creditur Jacob hæc Idola contriviſſe, vel etiam conflaſſe, an- C tequam ea infoderet. Cajetanus ſentit, ea fuiſſe infoſſa a Iacobo integra, cum ad ea conflanda tempus non ſuppeteret. Rabbinus Gedalias apud Grotium affirmat, eo longo poſt tempore inventa a Samaritanis fuiſſe adorata. In hiſtoria Scholaſtica legimus, Salomonem illis inventis in ædificatione Templi uſum eſſe. At hujuſmodi traditiones valde ſuſpectæ ſunt, ac neſcio, an Septuaginta eas confutare in animo habuerint, cum addunt hic, Jacobum ea idola perdidiſſe, & hodie quoque deperdita eſſe [7]. Ea in loco ignoto, inſcia familia ſua infodit.

℣. 5. TERROR DEI.] Ideſt, terror immiſſus a Deo, cujuſmodi terrores panicos antiqui appellarunt [8]; quia a Pane immitti credebantur; ſeu, *Terror Dei*, id eſt, terror inuſitatus.

℣. 6. LUZAM IN TERRA CHANAAN.] Locus, quo Jacob pervenit, erat in agro Luzæ, qui & ipſe forte Luza appellabatur. Addit vero Moyſes *in terra Chanaan*, quia hanc hiſtoriam in Arabia ſcribebat.

℣. 7. APPELLAVIT NOMEN LOCI ILLIUS, DOMUS DEI, IBI ENIM APPARUIT EI DOMINUS.] Locum hunc *Bethel* nomine donavit, quod ſignificat domum Dei. Hebr. ad litteram [9]; Appellavit hunc locum, Deum Bethel; quia ibi Deus (vel angeli, *Elohim*) ei apparuerunt. Nomen *Elohim* verbo plurali conjunctum indicare videtur, id de angelis eſſe intelligendum; etenim cum ſignificat Deum, jungitur verbo ſingulari; neque illi articulus additur.

℣. 8. DEBORA NUTRIX REBECCÆ.] Unde veniebat vetus hæc nutrix in Iacobi familiam? Rabbini

---

1. אלהי הנכר. *Elohim* conſtruitur aliquando cum ſingulari, aliquando etiam cum plurali. Itaque verti poteſt æque bene *Dii alieni*, vel *Deus alienus*; item *Deus alienigenæ*.
2. את כל אלהי הנכר אשר בידם ואת הנזמים אשר באזניהם.
3. הנזמים.
4. Ezech. 16. 12. עגילים על אזניך.
5. Proverb. 25. על נזם שמעת.
6. Δρῦς, ſeu Βάλανος.
7. Καὶ ἀπώλεσεν αὐτὰ ἕως τῆς σήμερον ἡμέρας.
8. Δειματος φόβος. Pindar. Πανικὸς φόβος. Orpheus.
9. ויקרא למקום אל בית אל כי שם נגלו אליו האלהים.

bini credunt, eam a Rebecca in Meſopotamiam ad Iacobum miſſam fuiſſe, quemadmodum inter eos convenerat Geneſ. 27. 45. ut Jacobo renunciaret, eum redire poſſe, nihilque amplius ab Eſau timendum. Cajetanus provectam ejus ætatem conſiderans dicit, Deboram poſt Rebeccæ mortem, cum de Iacobi adventu audiſſet, acceſſiſſe ad eum, ut in ejus familia eſſet. Alii denique officii, & amoris cauſas comminiſcuntur, quæ ſenem hanc nutricem impulerint, ut Iacobum viſeret. Divus Chryſoſtomus hom. 49. in Geneſ. credere videtur, Deboram in Meſopotamia remanſiſſe, cum Rebecca indè diſceſſit; cumque dominæ ſuæ videndæ deſiderio afficeretur, ſecuram eſſe Iacobum redeuntem in Chanaan; ſed morte præreptam non potuiſſe ad Rebeccam videndam pervenire.

℣. 9. APPARUIT AUTEM ITERUM DEUS JACOB.] Appsruerat ei prius Dominus in Sichimis, quo eum admoneret, ut Bethel veniret: apparuit autem ſecundo, poſtquam eo pervenerat. Neque vero in ſpiritu, aut in ſomnis ſolum illi apparuit, ſed ſenſibili ſub forma; dicitur enim verſ. 13. *& receſſit ab eo* &c. Septuaginta; apparuit illi ſecundo Luzæ.

℣. 14. LIBANS LIBAMINA, ET EFFUNDENS OLEUM.] Lavit vino, & unxit oleo ſummum lapidem, unde mos invaluit, de quo alibi, fundendi olei ſupra lapides, qui colebantur. Theophraſtus in Characteribus ſuperſtitioſis ait [1], eum adorare omnem lapidem oleo delibutum. Non videtur Iacob erexiſſe altare in Bethel, niſi dicamus eum lapide, quem ſtatuerat, uſum pro altari, ut vult Bonfrerius, qui putat etiam, eum ibi obtuliſſe decimas pecorum, quemadmodum voverat. Aliqui Interpretes credunt, hunc verſiculum ſimplicem eſſe repetitionem eorum, quæ fecerat Iacob, dum in Meſopotamiam pergeret. Alii volunt, novum ab eo ſtatutum monumentum dum rediret, aut ſaltem reſtitutum illud, quod ante poſuerat, effuſo vino, atque oleo. Divus Auguſtinus q. 116. in Gen. duas haſce ſententias æque probabiles cenſet.

℣. 16. VENIT VERNO TEMPORE AD TERRAM, QUÆ DUCIT EPHRATAM.] Hebraicus textus [2]: *diſtabant adhuc ab Ephrata ſpatium Kiberat, tum Rachel doloribus partus correpta eſt.* Nullus eſt Scripturæ locus obſcurior iſto. Tota difficultas ex voce Hebræa *Kiberat* naſcitur. Ter tantum in Scriptura occurrit: hic, & cap. 48. 7. tum 4. Regum cap. 5. verſic. 19. Divus Hieronymus bis *verno tempore* interpretatur; ſemel, *electo terræ tempore*, quod eodem recidit. Septuaginta vertunt *Chabrata*; ſed v. 16. vertunt *Hippodromum*. Capite vero 48. 7. conjungunt duas haſce voces *Hippodromum*, & *Chabrata*. Hippodromi vero nomine intelligere videntur ſpatium illud, quod equus in Hippodromo percurrebat, quod erat duorum ſtadiorum, ſeu tercentum paſſuum juxta nonnullos; juxta alios vero unius tantum ſtadii. Aquila vertit [3]: *ſecus viam terræ*, ideſt, viam Bethel, quæ ducit Ephratam.

Interpretes, qui radicem vocis Hebrææ *Kibrath* inveſtigarunt, inter ſe diſſentiunt. Alii deducunt e כרב *Carab*, unde *Carban*, cribrum, quaſi deſignari vellet tempus, quo terræ præ nimio æſtu in cribri morem hiſcit, & rimas agit: alii derivant a כבר *Cabar*, colere, exercere terram, & vertunt *jugerum*. Alii ſic interpretantur: *Circiter diætam terræ*, hoc eſt, iter, quod peragi poteſt a prandio ad cœnam; vel ex ſententia Caietani: *Sicut prandium terræ*: videlicet iter, quod ante prandium peragi poteſt [4]. In magnis Vatſonii bibliis, & in tabulis Bibliorum Latinorum Antonii Vitrè *Kibrat* continere ſtatuitur tercentenos geometricos paſſus, ſeu duo ſtadia

A Nulla tamen ex his verſionibus mihi arridet; hunc autem locum ita vertere ſatius puto. Rachel correpta fuit puerperii doloribus, dum Bethel tranſiret Ephratam, *cum adhuc diſtaret Ephrata ſulcum agri*. Fortaſſe quiſpiam putaverit, ſulci longitudinem nimium inæqualem, & vagam eſſe menſuram, & ad determinandum certi itineris ſpatium ineptam. Et ſane apud nos nihil minus conveniret, quam hujuſmodi menſura uti propter agrorum inæqualitatem, & proinde etiam ſulcorum. At non ita apud antiquos ſe res habebat; ſtatuunt enim ejus latitudinem, & longitudinem ex eo, quod par boum uno die arare conſueverat, quod conſtabat centum, & viginti pedibus in latitudinem, ducentis vero, & quadraginta in longitudinem. *Jugerum vocabatur*,
B inquit Plinius lib. 17. 3. *quod uno jugo boum in die exarari poſſet. Actus, in quo boves agerentur, cum aratur, uno impetu juſto. Hic erat 120. pedum, duplicatuſque in longitudine jugerum faciebat*. Legi poteſt Columella lib. 5. cap. 2. & D. Iſidorus in Originibus l. 15. c. 15.

Homerus Iliad. K ex longitudine ſulcorum, quos mulæ ducunt, quoſque longiores eſſe affirmat, quam qui a bobus ducuntur, ſpatium quoddam bene longum, & jugero ipſo amplius deſignat.

Neutiquam ergo novum fuit apud veteres diſtantiam locorum ex longitudine ſulcorum innuere. Ex omnibus vero Scripturæ locis, in quibus legitur nomen *Kibrath*, nullus eſt, qui recte, & proprie in ſenſu a nobis propoſito explicari queat. Suffragantur
C autem Hiſtoriæ veritas, & noſtrorum Geographorum teſtimonium; Convenit enim inter Euſebium, Hieronymum, Beniaminum, Brochardum, aliosque, Rachelis ſepulchrum poſitum eſſe prope Bethleem. Beniamin quingentos, ut plurimum, paſſus inde diſtare autumat. Afferunt Hebræi, licere ſibi die Sabbathi ſpatium duorum *Kiberath* peragere; porro *Kiberath* e millenis circiter cubitis conſtare affirmant; id quod mille ac ducentos paſſus prope conficit, ſi cubitum pede ac dimidio conſtare ponamus; ducentos autem & quadraginta paſſus continet quinis pedibus conſtantes. Id mirum in modum conſentit cum eo, quod Plinius de longitudine ſulcorum, ſive jugerum affirmat.

Confirmari etiam poteſt ſententia noſtra ex ethy-
D mologia Chaldaica, & Syriaca vocis *Kiberath*, ſeu *Chirbath*. *Karab* כרב arare ſignificat; *kerub* כרוב bovem importat; *karbah* כרבה aratrum. Pagninus vertit *milliare*; Montanus *Tractus*; Vatablus, Syriacus Paraphraſtes, & Chaldæus *jugerum*. In lib. 1. Regum 14. certum terræ ſpatium indicatur his verbis: *In media parte jugeri, quam par boum in die arare conſuevit*. Ionathan, & ejus armiger viginti viros interemerunt in eo terræ tractu, qui conficit mediam jugeri partem, quam par boum uno die arare conſuevit.

℣. 18. VOCAVIT NOMEN FILII SUI BEN-ONI, IDEST, FILIUS DOLORIS MEI.] Iſta nominis Ben-oni explicatio, ſicut & hujuſmodi cetera, quæ occurrunt in Vulgata, in textu Hebraico deſiderantur. Non
E eſt autem difficile intelligere, cur ejuſmodi nomen filio Rachelis impoſitum fuerit. Ben-oni בן אוני ſignificare poteſt *Filius mei doloris*, *laboris mei*, mei roboris, mei luctus, mei infortunii, meæ puſillitatis, vel meæ iniquitatis. *Ben-iamin* ſignificare poteſt *filius dexteræ meæ*, vel filius meridiei, quia in ea parte Terræ Chanaan natus eſt, quæ ad meridiem vergit, ſi cum Meſopotamia, atque etiam Sichem comparetur: denique deduci poteſt a Ben-iamin בן ימים *filius dierum*, vel *ſenectutis*, quemadmodum appellatur Gen. 44. 20. Samaritanus textus hic habet *Jamim* pro *Jamin*: Chaldæi vero pro *Jamim* pronunciant *Jamin*. Beniamin in Scriptura *filius Jemini*, ideſt,

1 πάντα λίθον λιπαρὸν προσκυνεῖν.
2 ויהי עוד כברת הארץ לבא אפרתה.
3 Aqu. Κατὰ ὁδὸν τῆς γῆς.
4 Eam vocem videlicet deducens a ברה *cibus*, & בי *ſitus*.

id aſt, filius daxtaræ meæ frequenter appellatur.

℣. 19. Mortua est ergo Rachel, et sepulta est in via, quæ ducit Ephratam.] Urbs Bethleem tantummodo poſt ingreſſum Habræorum in ragionam Chanaan appellata fuit Ephrata, quod nomen ab Ephrata Calebi uxora aceapit. Rachalis ſepulchrum poſitum eſt in bivio quodam, mille circiter paſſus a Bethleem diſſito. Initio nihil aliud fuit, niſi columna, quam Divus Hieronymus hic v. 20. *titulum* vocat. Septuaginta vero Στήλην *columnam*. Mos hic ponendi columnas ſuper mortuorum ſepulchra paſſim apud veteres obſervatur. Sacra Scriptura mantionem facit columnæ Abſalonis. Homerus quoque hujuſmodi columnarum meminit Iliad. Λ verſ. 371. & P verſ. 434. Proceſſu temporis monumentum arectum aſt ſupra Rachelis ſepulchrum ex duodecim partibus compoſitum, quæ exiguum fornicam ſuſtinent quatuor columnis innixum, juxta Beniaminam Tudelenſem. Fornici tamquam baſi pyramis valde elegans eſt ſuperſtructa, narranta Brochardo in Deſcript. Terræ Sanctæ.

℣. 21. Egressus inde fixit Tabernaculum trans turrem gregis.] Ex Michæa Propheta 4. 8. colligitur, fuiſſe prope Hieroſolymas locum quemdam, qui appellabatur Turris gregis. *Et tu Turris gregis nebuloſa filiæ Sion* &c. De qua Turri contendunt Hebræi intelligendum hunc locum, taſta Divo Hieronymo in quæſtionibus Hebraicis, & hoc in loco poſtea fuiſſe Templum ædificatum. Toſtatus vero, Adrichomius, & alii affirmant, Turrem gregis, juxta quam fixit Jacob Tabarnaculum, fuiſſa prope Bethleem, neque uno amplius milliario ab ea urbe abfuiſſe, Orientem verſus. Erat hie locus paſcuia apprima nobilis, ibiqua credunt, paſtoribus apparuiſſe angelos Servatoris noſtri ortum annuntiantes. Paſtores in agris Turres habebant, quo ſe recipiabant, dum gregas ſuos paſcerent, ut in iis excubias agerant, fureſque proſpicerent, quibus ea regio maxime abundabat.

℣. 22. Dormivit cum Bala concubina patris sui.] Antiqui Rabbini locum hunc ad litteram interpretabantur, ut videre aſt in libris de Benedictionibus Patriarcharum cap. 2. Nonnulli tamen ex recentioribus Hebræis apud Fagium docant, Rubenum indignatum, quod poſt Rachalis mortem Jacob genialem thorum in tabernaculo Balæ ſterni juſſiſſet, non vero Liæ, in tabernaculum furenter introiſſe, lectumqua diſjactum proſtraſſa humi. Sed temeritatis notam effugare non potaſt, qui tam claros textus ſimili ratione audet interpretari. Legi poteſt cap. 49. 4. ubi Iacob ad nefarium hoc Rubeni facinus alludit.

℣. 26. Qui nati sunt ei in Mesopotamia.] Nonnulli ex antiquis apud Auguſtinum quæſt. 117. in Geneſ. legebant: *qui facti ſunt*, ἐγένοντο, pro *qui nati ſunt*: quæ lectio difficultatem tollebat, ortam ex eo, quod Beniamin non in Meſopotamia, ſed in terra Chanaan natus fuiſſet. Contendebant anim in Meſopotamia eum fuiſſa conceptum, ſed in lucem prodiiſſe in Palæſtina; quæ quidam ſantentia minime advarſatur Chronologiæ, quam nos ſecuti ſumus. Nihilo tamen ſecius dicendum videtur cum communi Interpretum ſententia, aſſerara Moyſem, omnes Jacobi filios natos in Meſopotamia, quia revera ibi nati ſunt omnes, uno Beniamino excapto, qui tamen in majore numero moraliter continetur: quemadmodum duodecim Apoſtolos dicimus etiam poſt Judæ prævaricationem, quamquam non plures eſſent, quam undecim; atque ita eos numerare pergimus etiam poſt alectionem Matthiæ, & Pauli vocationem, quamquam exinda treſdecim numero ſint.

℣. 27. In Mambre, Civitatem Arbee, hæc est Hebron.] Mambre vallis eſt, ubi aliquamdiu

A moratus eſt Abraham, Hebroni proxima, quæ Urbe cognomen Arbea ſortita eſt a calebri quodam ajus nominis Gigante. Septuaginta vertunt [1]: *Venit in Mambre, in Urbem planiciei, hoc eſt, Hebron in terra Chanaan.*

℣. 28. Completi sunt dies Isaac, centum octoginta annorum, consumptusque ætate mortuus est.] Habr. [2] *expiravit, & mortuus eſt*. Septuaginta: *Deficiens mortuus eſt*. Iſaac Patriarcha e vita migravit duobus & quadraginta poſt annis, quam in eum morbum inciderat, cujus occaſione benedictionem ſuam Jacobo donaverat. Probabile admodum eſt, ex eo tempora illum una cum ſanitate viſum quoqua recuperaſſa. Sancti Patres communiter in Iſaaco ad vivum maxime expreſſam agnoſcunt

B Servatoris noſtri figuram. Ejus ortus plane mirificus, tamdiu expectatus, tam ſæpe promiſſus; tum ejus nomen, quod parentum riſum, & gaudium ſignificat, valda ſenſibilem exhibebant figuram Jeſu Chriſti, qui prænuntiatus, axpectatus, & daſideratus Patriarchis, & Prophetis omnibus ipſorum gaudium, conſolatio, & ſpes una fuit: ejuſdem obedientia Patri præſtita uſque ad mortem, itat in Moria, ejus ſacrificium jam jam conſummandum, ipſemet ad ſacrificium ligna bajulans, agnus, qui pro eo immolatur, hæc omnia tam aperte mentis oculis ſubjiciunt Chriſti ſacrificium, ut tardus ac ſtupidus ſit, oporteat, qui hoc non ſentiat.

Iſmaal, qui oppugnat, & mala accipit Iſaacum, ſe ab hæreditate, quam animo præceperat, exclu-

C ſum indignatus, unaque cum matre extorris ejectus, nonna indicat aperta Synagogam excluſam ab hæraditate, & raprobatam, ut locum daret filio legitimo Jeſu Chriſto, & Chriſtianis omnibus, in quos Servator noſtar jura hæreditaria tranſtulit, fratrum nomine eos donans, & gratiam adoptionis Patris ſui illis acquirens? Rebecca Iſaaci uxor tam longinqua in regione quæſita, & adducta Abrahæ hæredi; eadem in Tabernaculo Saræ collocata, cujus aonſuetudina Iſaac omnem animo dolorem deponit, quem ex matris morte perceperat, eximia refert Chriſtianam Eccleſiam quæſitam, & adductam a medio populi longinqui, ſad prædaſtinati; quæ in Synagogæ locum ſuccedit, quæque perfecta ſua converſione longe ſuperat meritum omne Eccleſiæ Judaicæ, &

D multo majore amora dignam ſa præbet Synagoga, cui ſucceſſit.

Denique morbus, & cæcitas Iſaaci, quibus laborans benedictionem ſuam Jacobo impartitur, Eſau axcluſo, Jeſum exhibant coactum quodam modo Synagogam reprobara, quam paterna charitata ad eam uſque diem proſequutus fuerat, & adhuc proſequebatur; & ejus in locum Ecclaſiam Gentium ſufficere. Hæc ſua diligentia antevenit æmulam ſuam, quæ ſuis meritis frera, & prælationem ſibi arrogans, non putabat præripi ſibi poſſe jus, quod ſibi quaſi debitum exiſtimaret. Præſumptio perdidit Synagogam, humilitaa, & diligentia Eccleſiæ peparit felicitatem. Hæc ſunt, in quibus Iſaaci vita Chriſti vitam adumbrat. Plura etiam obſarvari poſſent;

E nulla anim eſt Patriarcharum vita, quæ uberiorem nobis, & axpreſſiorem figurarum copiam ſuppediret.

℣. 29. Appositus est populo suo.] Mortuus eſt, ut patras ſui, & cum illis ſepultus eſt. Congregatus eſt eum patribus ſuis in alia vita, axpectans Redemptoris adventum, & cum ipſis poſitus eſt in ſapulchro, oppetiens Reſurrectionem. Locus requiei illorum vocatur in Scriptura Sinus Abrahæ: Ecclaſia vero in ſymbolo appellat hunc locum inferos, *deſcendit ad inferos*. Theologi autem noſtri Lymbum dicunt. Iſaaci mors hic refertur extra ordinem, & Chronologiæ rationem. Fortaſſa ſacer Scriptor

1 εἰς Μαμβρῆ, εἰς πόλιν τοῦ πεδίου, αὕτη ἐστὶ Χεβρὼν ἐν γῇ Χαναάν.
2 ויגוע יצחק וימת. Καὶ ἐκλείπων Ἰσαὰκ ἀπέθανεν.

ptor voluit eam hic referre, ne hiſtoriam Patriarchæ Joſephi interrumpere cogeretur, in quod tempus naturalites incidit.

SENEX, ET PLENUS DIERUM.] Vide A Geneſim 7. Horatius lib. 1. Satyr. 1.

Inde fit, ut raro, qui ſe vixiſſe beatum
Dicat, & exacto contentus tempore vitæ
Cedat, uti conviva ſatur.

CAPUT XXXVI.

Poſteri Eſau recenſentur.

℣. 1. HÆ ſunt autem generationes Eſau, ipſe eſt Edom. 2 Eſau accepit uxores de
filiabus Chanaan. Ada filiam Elon Hethæi, & Oolibama filiam Anæ filiæ Se-
beon Hevæi: 3 Baſemath quoque filiam Iſmael ſororem Nabajoth. 4 Pe-
perit autem Ada, Eliphaz; Baſemath genuit Rahuel: 5 Oolibama genuit Iehus, &
Jhelon, & Core, hi filii Eſau, qui nati ſunt ei in terra Chanaan. 6 Tulit autem Eſau
uxores ſuas, & filios, & filias, & omnem animam domus ſuæ, & ſubſtantiam, & pe-
cora, & cuncta, quæ habere poterat in terra Chanaan, & abiit in alteram regionem,
receſſitque a fratre ſuo Jacob. 7 Divites enim erant valde, & ſimul habitare non po-
terant: nec ſuſtinebat eos terra peregrinationis eorum præ multitudine gregum. 8
Habitavirque Eſau in monte Seir, ipſe eſt Edom. 9 Hæ autem ſunt generationes Eſau
patris Edom in monte Seir. 10 Et hæc nomina filiorum ejus: Eliphaz filius Ada uxo-
ris Eſau; Rahuel quoque filius Baſemath uxoris ejus. 11 Fueruntque Eliphaz filii:
Themam, Omar, Sepho, & Gatham, & Cenez. 12 Erat autem Thamna, concubina
Eliphaz filii Eſau: quæ peperit ei Amalech: hi ſunr filii Ada uxoris Eſau. 13 Filii
autem Rahuel: Nahath, & Zara, & Samma, & Meza: hi filii Baſemath uxoris Eſau,
14 Iſti quoque erant filii Oolibama filiæ Anæ filiæ Sebeon, uxoris Eſau, quos genuit
ei, Jebus, & Ihelon, & Core. 15 Hi duces filiorum Eſau: Filii Eliphaz primogeni-
ti Eſau; dux Themam, dux Omor, dux Sepho, dux Cenez, 16 Dux Core, dux
Gathan, dux Amalech: hi filii Eliphaz in terra Edom, & hi filii Ada. 17 Hi quo-
que filii Rahuel filii Eſau; dux Nahath, dux Zara, dux Samma, dux Meza: hi autem
duces Rahuel in terra Edom: iſti filii Baſemath uxoris Eſau. 18 Hi autem filii Ooli-
bama uxoris Eſau; dux Jehus, dux Ihelon, dux Core: hi duces Oolibama filiæ Anæ
uxoris Eſau, 19 Iſti ſunt filii Eſau, & hi duces eorum: ipſe eſt Edom. 20 Iſti ſunt
filii Seir Horræi habitatores terræ: Lothan, & Sobal, & Sebeon, & Ana, 21 Et Di-
ſon, & Eſer, & Diſan; hi duces Horræi, filii Seir, in terra Edom. 22 Facti ſunt au-
tem filii Lothan; Hori, & Heman; erat autem ſoror Lotan, Thamna. 23 Et iſti fi-
lii Sobal: Alvan, & Manahat, & Ebal, & Sepho, & Onam. 24 Et hi filii Sebeon:
Aja, & Ana. Iſte eſt Ana, qui invenit aquas calidas in ſolitudine, cum paſceret aſinas
Sebeon patris ſui. 25 Habuitque filium Diſon, & filiam Oolibama. 26 Et iſti filii
Diſon: Hamdan, & Eſeban, & Jethran, & Charan. 27 Hi quoque filii Eſer; Ba-
laan, & Zavan, & Acan. 28 Habuit autem filios Diſan; Hus, & Aram. 29 Hi
duces Horræorum: dux Lotan, dux Sobal, dux Seboon, dux Ana, 30 Dux Diſon,
dux Eſer, dux Diſan: iſti duces Horræorum, qui imperaverunt in terra Seir. 31 Re-
ges autem, qui regnaverunt in terra Edom, antequam haberent regem filii Iſrael, fue-
runt hi; 32 Bela filius Beor, nomenque urbis ejus Denaba. 33 Mortuus eſt autem
Bela, & regnavit pro eo Jobab filius Zaræ de Boſra, 34 Cumque mortuus eſſet Jo-
bab, regnavit pro eo Huſam de terra Themanorum. 35 Hoc quoque mortuo, regna-
vit pro eo Adad filius Badad, qui percuſſit Madian in regione Moab: & nomen urbis
ejus Avith. 36 Cumque mortuus eſſet Adad, regnavit pro eo Semla de Maſreca. 37
Hoc quoque mortuo, regnavit pro eo Saul de fluvio Rohoboth. 38 Cumque & hic
obiiſſet, ſucceſſit in regnum Balanan filius Achobor. 39 Iſto quoque mortuo, regna-
vit pro eo Adar, nomenque urbis ejus Phau: & appellabatur uxor ejus Meetabel,
filia Matred filiæ Mezaab. 40 Hæc ergo nomina ducum Eſau, in cognationibus, &

locis, & vocabulis ſuis: dux Thamna, dux Alva, dux Jetheth, 41 Dux Oolibama, dux Ela, dux Phinon. 42 Dux Cenez, dux Mabzar. 43 Dux Magdiel, dux Hiram: hi duces Edom habitantes in terra imperii ſui, ipſe eſt Eſau pater Idumæorum.

℣.1. HÆ SUNT GENERATIONES ESAU.] Antequam ad textum explanandum accedamus, nonnulla neceſſario prænotanda videntur. Primo. Habemus in hoc capite genealogiam non modo filiorum, ac nepotum Eſau, ſed etiam filiorum Seir Horræi, quos diligenter ſeparare, ac diſtinguere inter ſe oportet. Prima pars, quæ pertinet ad Eſau, a verſiculo primo uſque ad vigeſimum; altera pars a verſiculo vigeſimo uſque ad trigeſimum primum pertingit.

Secundo, advertendum eſt, filios, quos Eſau in terra Chanaan ſuſcepit, ſeparari a Moyſe ab iis, qui nati ſunt in terra Seir. Illi immediate filii Eſau ſunt; hi nepotes. Illi ſeptem primis hujuſce capitis verſiculis comprehenduntur; hi verſiculis duodecim ſequentibus nominantur.

Tertio, diſtinguenda exquiſite ſunt tria politiarum genera, quæ deinceps obtinuerunt apud Idumæos. Prima fuit Patrumfamilias, ſeu Patriarcharum in proprias familias. Hi appellantur *Duces*, Hebraice *Aluphim*. Eorum numerus habetur a verſ. 15. uſque ad 20. Secunda fuit Regum, qui in Idumæa regnarunt poſt Patriarchas. Hi a verſ. 15. uſque ad 30. recenſentur. Tertia denique eſt *Ducum*, ſeu Gubernatorum, qui Regibus ſucceſſerunt, quorum catalogus refertur a verſ. 40. uſque ad finem capitis.

Aliqui ex Interpretibus contendunt, iſtorum Ducum imperium fuiſſe Ariſtocraticum, Regum vero Monarchicum; quocirca Idumæos, qui initio ariſtocraticis legibus vixerant, in monarchicum dominatum incidiſſe, poſtremo vero ad ariſtocraticum imperium rediiſſe dicendum eſſet. Sed quæ fuerit ratio adminiſtrandæ reipublicæ ſub Patriarchis, ſeu Ducibus *Aluphim*, incertius eſt, quam ut quidquam explorate ſtatui poſſit. Illud tantum affirmari certo poteſt, Patriarcharum auctoritatem, ac poteſtatem in ſuas familias vix, aut ne vix quidem fuiſſe diverſam a regia in ſubditos poteſtate.

Quarto, Eſau tres habuit uxores, videlicet *Oholibamah*, *Ada*, *&* *Baſemath*. Ex *Oholibamah* ſuſcepit tres filios, Jehum, Ihelon, & Core: ex *Ada* Eliphaz: ex *Baſemath* Rahuelem. De poſteris filiorum Oholibamah nihil omnino narrat Moyſes. Eliphaz genuit Theman, Omar, Sepho, Gatham, Cenez, & Amalec.

Rahuel filios habuit Nahath, Zaram, Sammam, & Mezam. En quam anguſto numero comprehenduntur generationes omnes ab Eſau uſque ad Moyſem, quem tamen nonnulli tam ingentem jactitant. Hoc ſi attendant, adeo non putent hanc genealogiam nimis numeroſam, ut fateri potius cogantur, partem aliquam ejus fuiſſe omiſſam a Moyſe, vel eas tantum generationes ab eo fuiſſe deſcriptas, quæ propoſito ſuo ſatis eſſent. Ejus porro propoſitum erat notas facere Iſraelitis Tribus, & regionem Idumæorum, ut ne eos oppugnarent, quemadmodum Deus præceperat; & ſane dubitari non poteſt, quin Moyſes dedita opera genealogiam filiorum Oholibamah omiſerit.

Quinto, nonnulli difficultatem movent ob tam magnum numerum Regum, ac Principum, qui a Moyſe hic referuntur, & contendunt hunc catalogum fuiſſe auctum, vel ſuppletum ab aliquo alio Scriptore præter Moyſem; & ex iis verbis, *hi fuerunt Reges, qui regnaverunt in terra Edom, antequam*

A *haberent Regem filii Iſrael*, colligi aperte, hunc numerum non fuiſſe hic appoſitum, niſi poſt Saulem, aut Davidem, quo tempore Iſraelitæ Regibus ſuberant.

Sed reſponderi poteſt, primo allata verba ex verſ. 31. ſignificare poſſe, Idumæos Regibus alienigenis paruiſſe, a quibus diverſo tempore, variiſque in locis ſubjugati fuerant, antequam Iſraelitæ Reges habere cœpiſſent.

Secundo, Reges iſti Edom neutiquam erant veri Reges totius Idumæorum nationis, ſed Duces pagi, aut Urbis alicujus peculiaris, quos Moyſes Regum nomine donat. Dum autem ſcribit, hunc fuiſſe numerum Regum, *qui regnaverunt in Edom, antequam haberent regem filii Iſrael*, id perinde eſt ac ſi dice-

B ret; antequam Iſraelitæ haberent Judicem, & Ducem, & antequam ego ipſe ad regimen hujus populi aſſumerer [1], plures Duces, & Reges fuerant in Idumæa. Idumæorum Reſpublica jam erat conſtituta, & certis legibus gubernabatur, habebat urbes; & Duces Regum nomine inſignitos, antequam Iſraelitæ certas ſedes haberent, certam Reipublicæ formam, certoſque Duces, & Gubernatores.

Explicatio autem iſta de nomine Regis confirmari poteſt Sacræ Scripturæ teſtimonio, quæ hoc nomine quandoque appellat ſimplices Judices, aut Duces, & Magiſtratus; exempli gratia, Abimelechum Gedeonis filium Judic. 9. 6. & alios Judices Judic. 21. 25. & Moyſem ipſum Deuteronom. 33. 5. Jephte poteſtate plane Regia agit, bellum indicens contra

C Ephraim Judic. 12. 6. Ita & Gedeon pro imperio Regiæ poteſtatis filios Socoth, & Phanuelis morte damnat Judic. 8. 16. 9. Tandem Procopius generatim hoc in uſu fuiſſe probat, ut exteræ nationes Regium nomen ducibus ſuis tribuerent; & revera videmus, cum Joſue ingreſſus eſt Palæſtinam, ſingulas prope Urbes ſuos Reges habuiſſe.

Ita cum Moyſes ſcribit, ante ætatem ſuam nullos Reges Iſraelitis fuiſſe dominatos, illud tantummodo indicat, nullum fuiſſe Principem, qui Iſraelitas omnes ſuo imperio ſubjectos haberet; tametſi etiam ante ejus ætatem unaquæque familia ſuum Ducem haberet, primogenitum videlicet, qui ceteris fratribus imperabat; & quæque Tribus Principem ſuum, qui in univerſam Tribum imperium exercebat. Moyſes

D vero ipſe primus omnium Tribuum princeps extitit, & in univerſum Iſraeliticum populum regiam poteſtatem exercuit, Deo auſpice, & patrono, qui monarchicum in illos imperium ſibi reſervaverat.

Quod attinet ad Idumæorum Reges, quorum meminit Moyſes hoc in loco, plura occurrunt obſervanda. Primo, cum non plures quam octo numero inveniantur hi Reges, minime pertingere poſſunt uſque ad Saulis, vel Davidis tempora, qui Idumæos ſubjugavit; quod tamen requireretur, ſi iſtorum numerus in Moyſis textum fuiſſet intruſus. Secundo, minime incredibile eſt, omnes enumeratos Reges in Idumæa, ex quo e ſuis ſedibus Eſau expulit Horræos uſque ad Moyſis ætatem, regnaſſe, cum ducentorum prope annorum ſpatium effluxerit, etiamſi po-

E namus hos ſucceſſive regnaſſe, & in regione eadem: quod tamen videtur contrarium verſ. 1. & 31. hujus capitis, ubi videmus ex diverſis partibus veniſſe hos Principes in locum imperii ſui. Tertio denique, facile credi poteſt, Reges aliquam Idumææ partem tenuiſſe, cum aliis in locis Duces,

1 Abenezra, Orot. Philo de vita Moſis l. 1. *Fuit Moſes, & Rex, & Legiſlator, & Propheta, & Pontifex.*

ces, ſeu Gubernatores imperitarent.

Quæ hactenus dicta ſunt, ſatis eſſe videntur diluendis difficultatibus, quæ ad textum hujus capitis moventur. De hac re egimus etiam in Commentariis in Paralipomena cap. 1. verſ. 43. & argumenta etiam maxime probabilia contrariæ ſententiæ, ibi retulimus. Sed jam ad textus litteralem explanationem veniamus.

℣. 2. Oolibama filiam Anæ, filiæ Sebeon Hevæi.] Differentia aliqua occurrit inter nomina uxorum Eſau, quæ hoc loco recenſentur, & ea quæ habentur capite 26. & cap. 28. *Oolibama* cap. 26. 34. vocatur Judith; *Ada* appellatur Beſamath eodem in loco: quæ vero hic Baſemath dicitur in cap. 28, 9. *Mahaleth* nuncupatur. Sunt ex Interpretibus aliqui, qui in animum inducere non poſſunt tres Eſau uxores, de quibus hic ſermo eſt, eaſdem eſſe cum illis, quæ referuntur alibi: ſuam tamen ſententiam nulla alia ratione confirmant, quam ex nominum differentia, quæ ſane non nihili eſt, quando aliis argumentis roboratur; at cum ſola eſt, nullum pondus habet in Scriptura, in qua notum eſt, nihil frequentius evenire, quam ut una eademque perſona pluribus nominibus recenſeatur.

Filiam Anæ, filiæ Sebeon Hevæi.] Nomen *Ana* tam maribus, quam fœminis commune eſt: noſtrique Interpretes de genere, & ſexu Anæ in diverſa abeunt, Vulgata, & textus Hebræus [1] habens: *Anæ filiæ Sebeon*. Septuaginta vero, & nonnulli latini codices habent, *Filii Sebeon*; quæ lectio confirmatur verſ. 24. hujus capitis, ubi *Ana* inter filios Sebeon numeratur. *Hi filii Sebeon, Aja, & Ana: iſte eſt Ana* &c. Hebræus textus, & Chaldæus verti poteſt: *filiam Anæ, filiam Sebeon Hevæi*. Oolibama filia erat Anæ, neptis vero Sebeon: quo pacto tollitur contradictio verſſ. 2. & 24. ſi ponamus Anam fuiſſe verum patrem Oolibamæ, Sebeon vero ejus Avum. Uſitatum eſt in Scriptura, neptes filiarum nomine donare.

Alia difficultas movetur ex eo, quod Sebeon, qui hoc in loco cognominatur Hevæus, in cap. 26, 34. dicitur Beeri Hethæus. Sed eodem negotio conciliantur nomina Hevæi, & Hethæi, ac nomina Beeri & Sebeon. Mutatio domicilii efficere poteſt, ut dicatur Hevæus, qui Hethæus erat origine; & ſane nonne videmus eumdem Sebeon inter Horræos numerari hoc ipſo in capite, quod inter ipſos aliquamdiu fuerit commoratus?

Porro alii Interpretes contendunt ſolutiones allatas minime neceſſarias eſſe; quia difficultates, quæ objiciuntur, nullo innituntur fundamento. Sebeon, & Ana, qui habentur verſ. 24. diverſi proculdubio ſunt a *Sebeon*, & *Ana*, qui referuntur verſiculo ſecundo.

Hi ſunt Hethæi; illi Hevæi, & Horræi. Primi ſunt e familia Seir, cum qua nullum fœdus Eſau iniit umquam, imo cum ea perpetuum bellum geſſit, donec eorum regionis potitus eſt. Secundi ſunt Hevæi, & cum Eſau fœdere conjuncti, Ana verſiculi 2. eſt Mater Oolibamæ, ſeu Judith; Sebeon vero ſeu Beeri ejus pater. Ana verſ. 24. eſt filius Sebeon Horræi, & pater *Oolibamæ*, cujus feritas & elatio, quæ ipſius nomine ſignificatur [2], potuit occaſionem præbere imponendi ejuſdem nominis alteri Chananææ uxori Eſau, quod ejus animi elationem imitaretur: ita ſaltem aliqui interpretes conjectant. At *nonne* ſimplicius dici poteſt, Eſau potitum regione Seir, & Urbe Oolibama, eam Urbem Judithæ uxori ſuæ donaſſe, cujus nomen ipſa ſibi adſciverit? Cum verſ. 41. hujus cap. & 1. Paralip. 1. 52. occurrat Dux Oolibama, id probare videtur hoc fuiſſe loci alicujus nomen. Quod attinet ad cetera, quæ objiciuntur, perquam difficile eſt ea prorſus diluere.

A ℣. 4. Peperit Ada Eliphaz.] D. Hieronymus, quem magna pars Interpretum ſequitur, credit hunc Eliphaz non alium eſſe ab Eliphaz Themanite, cujus mentio fit in Job; ſed dicendum potius, hunc avum, vel abavum fuiſſe alterius Eliphaz amici Job, atque illum, qui inter Job amicos numeratur, eſſe filium Theman, nepotem vero vel abnepotem Eliphaz, filii Eſau.

℣. 5. Hi filii Esau, qui nati sunt ei in terra Chanaan.] Eſau aliquamdiu vixit inter Hethæos, ſeu Hevæos, quibuſcum amicitiæ fœdus contraxerat, & duas indidem uxores acceperat. In hac regione filios eos ſuſcepit, qui præcedenti verſiculo referuntur. Ipſi in Chananæa nati fuerant, ſed cum Eſau iiſdem uxores deſpondiſſet e regione Seir,

B poſtquam illuc redierat, ibi genuerunt filios, qui referuntur verſ. 9. 13. & ſequentibus.

℣. 6. Tulit autem Esau .... cuncta, quæ habere poterat in terra Chanaan, & abiit in alteram regionem.] Hebr. tantummodo habet: *Tulit cuncta, quæ acquiſierat in terra Chanaan, & abiit in terram (recedens) e conſpectu Jacobi fratris ſui*. Chaldæus Paraphraſtes ait, eum in aliam regionem abiiſſe. Septuaginta non addunt, quo abierit, ſed tantum e terra Chanaan eum receſſiſſe dicunt, ut Jacobo locum relinqueret. Vatablus, & alii nonnulli textum hebræum ita explicant [3]: *Abiit in terram (eamdem, ſed in locum remotiorem)* itaut Eſau e Chananitide non receſſerit, ſed tantum in locum a Jacobo diſſitum ſeceſſerit. Etiam hoc modo

C ſuppleri poteſt id, quod hebræo textui deeſſe videtur: Eſau ſeceſſit in regionem ſuam, in locum, ubi primum ſedem poſuerat, in Seir videlicet, aut in Idumæam.

Judæi contendunt, ut ſine ratione ulla, Eſau ſeceſſiſſe eo quod ſibi a Jacobo timeret. Glaſſius, & Junius vertunt hic per pluſquam perfectum: *Receſſerat Eſau in terram aliam, antequam veniret Jacob*. At quæ ſequuntur verſiculo 7. ſatis indicant, quæ fuerit vera cauſa, cur Eſau ſecederet; nimirum ingens numerus pecorum utriuſque, quibus paſcendis una eademque regio non ſufficiebat. Jacob & Eſau in gratiam ſimul jam redierant. Vixerunt una aliquamdiu poſt communis parentis Iſaaci mortem, &

D tum Eſau ultro ſeceſſit in terram Seir, ubi aliàs jam habitaverat, & neceſſitudines habebat, ut Jacobo relinqueret agros, in quibus Iſaac ſuos greges habuerat.

℣. 9. Hæ generationes Esau patris Edom in Monte Seir.] Id eſt, hi ſunt filii filiorum Eſau; hic eſt numerus nepotum ejus, qui nati ſunt ipſi in regione Seir.

℣. 12. Thamna concubina Eliphaz.] Thamna eo loco erat apud Eliphaz, quo Agar & Cethura apud Abraham; uxor erat ſecundi ordinis.

℣. 14. Filiæ Anæ, filiæ Sebeon.] Septuaginta: *Filia Ana filii Sebeon*, ut verſ. 2. quem videſis.

℣. 15. Hi duces filiorum Esau, filii Eliphaz primogeniti Esau, Dux Theman, Dux Omor &c.] Hæc eſt prima claſſis eorum, qui Idu-

E mæis imperarunt, quique inter eos nominati ſunt Principes Tribuum, ſeu *Chiliarchi*, id eſt, Principes mille virorum; nam Hebræo *Aluphim* אלופים ad unguem reſpondet Græcum nomen *Chiliarchi* Χιλίαρχοι, Auctor Vulgatæ, qui *Aluphim* vertit hoc in loco *Duces*, idem alibi vertit *mille*, ut Iſai. 60. 22. *Minimus erit in Mille*; aut Principes, ut Mich. v. 2. Erant inter Judæos Urbes aliquæ quæ regebantur a Chiliarchis. Ejuſmodi erat Bethleem; & Zacharias cap. 9. 7. de Azoto vaticinatur, aliquando futurum, ut illi urbi præſit Princeps Iſrael, *Aluph*. Hæ Urbes ipſæ aliquando hoc nomine appellantur.

Igitur *Aluphim* Idumæorum erant Duces Tribuum, qui

1 בת ענה בת צבעון החוי
2 אהלי בם significat *tentorium meum elevatum eſt*, ſeu *ſtatio tabernaculi mei*.
3 וילך אל ארץ מפני יעקב אחיו

qui reſpondebant iis, quos Hebræi Principes Tribuum appellant [1]. Hi Duces ſive Principes urbem aliquam regebant, & eam regionem, quæ ab una Tribu filiorum Eſau habitabatur: Exempli gratia, Eliphaz Patriarcha genuit Theman, qui fuit Princeps Themanitarum, id eſt filiorum ſuorum ac nepotum. Rabbini hoc diſcrimen ſtatuunt inter Principes, & Reges, quod Reges diademate utebantur, non vero Principes.

℣. 16. Hi Filii Eliphaz in terra Edom.] Princeps, ſeu Dux Core, qui refertur initio hujus verſiculi, minime habetur in verſ. 11. inter filios Eliphaz: & nihilo magis in lib. Paralipomenon.

℣. 19. Ipse est Edom.] Septuaginta [2]: *hi ſunt filii Edom*. Abenezra: *Ipſe eſt Pater Idumæorum*.

℣. 20. Filii Seir Horræi, habitatores terræ.] Septuaginta: Filii Seir, qui habitavit terram. Sed Vulgata, quæ exprimit textum Hebræum, melius ſonat. Horræi, quorum hic numerus recenſetur, primi habitarunt regionem Seir, vel Horræorum, vel denique Idumææ, quæ poſtea ab Eſau occupata fuit, & a poſteris ejus. De Horræis verba fecimus Geneſ. 14. 6.

℣. 21. Hi Duces Horræi, filii Seir, in terra Edom.] Id eſt; Hi ſunt filii Seir antiqui habitatores terræ, quæ fuit occupata ab Edom, & poſteris ejus; & hæc ſunt nomina Principum Seir, qui in ea regione imperarunt. Poſteri Seir, & Eſau poſteri videntur permixti habitaſſe eaſdem Provincias, & plures eodem tempore habuiſſe Gubernatores, at Urbium diverſarum. Conferri poteſt verſiculus iſte cum verſ. 30. & aperte intelligemus imperaſſe Principes Seir in terra Seir, & in terra Edom; ac ſi conferantur ſimul poſteri Seir, & Eſau, neceſſario ad idem tempus referendos eſſe Principes iſtos videbimus.

℣. 24. Iste est Ana, qui invenit aquas calidas in solitudine, cum pasceret Asinos Sebeon patris sui.] Vox hebræa *Jeamim* [3], quam D. Hieronymus interpretatus eſt *aquas calidas*, una ex iis eſt, quæ ſummopere torquet interpretes. Septuaginta, & alii Græci interpretes ſervarunt in ſuis verſionibus vocem *Jamin*, vel *Jamim*. Septuaginta, & Theodotion vertunt in ſingulari numero: *invenit Jamim*; Aquila vero & Symmachus legunt in plurali. Interpretes noſtri in varia ac diverſa abeunt. Aliqui contendunt Anam inveniſſe in deſerto fontem aquæ [4], dum paſceret aſinos patris ſui. Hujuſmodi inventio non minimi momenti habenda erat in regionibus deſertis, & aridis. Hebræa vox *Jam* ſignificat mare, quo nomine hebræi ſemper appellant magnam aquarum copiam.

Vulgatæ auctor videtur in ſuo exemplari legiſſe *Chammaim* חמים balnea, aquas calidas. Verum ſi Moyſes hic loquitur de inventione alicujus fontis aut lacus, de re parum nota ſui temporis Hebræis ſane loquitur, quam tamen illum ſeu lacum, ſive fontem in deſerto eſſe oporteret, in quo illi tunc erant: quorſum enim id adnotaret, *Invenit lacum, ſeu fontem in ſolitudine*, nulla interim neque nominis, neque loci fontis lacuſve mentione facta? Niſi dicamus Moyſem de ejuſmodi re locutum, quæ ex circumſtantiis obſervatione digna redderetur, quæque veluti ante oculos illorum eſſet, quibuſcum loquebatur.

Alii Hebræam vocem *Jemim* mulos interpretantur, quæ ſententia multos habet adſtipulatores. D. Hieronymus id in ſuis quæſt. hebraicis adnotavit. Refert ſiquidem, credere multos, Anam onagros ad aſinas ſuas admiſiſſe, ex quibus admirandæ celeritatis aſini progeniti fuerint, quos Iamin appellarunt. Alii, pergit idem S. Doctor, *putant, quod equarum greges ipſe fecerit primus aſcendi ab aſinis, ut mulorum inde nova contra naturam animalia naſcerentur*. In hac ſententia eſt Ionathan, quem Rabbini plerique ſequuntur; quæ tamen ſententia nullo alio innititur Scripturæ fundamento, quam quod Ana paviſſe aſinos in deſerto dicatur. Nuſpiam legimus, mulos vocatos fuiſſe *Jemmim*. Et adeo muli non fuere frequentes poſt Anam, ut Scriptura numquam de iis mentionem faciat, ſive pecora Iſraelitarum recenſeat, ſive referat prædas ex hoſtibus captas; niſi Davidis ætate, quo tempore primum occurrit eorum mentio. Rabbinus Abraham Sepharat apud Munſterum exiſtimat Iemim ſignificare Dæmones, Satyros.

Alii demum volunt, per vocem Iemim populos aliquos ſignificari; quem in ſenſum Interpretes Græci eam accepiſſe videntur. Onkelos Paraphraſtes exponit *Robuſtos*; id quod intelligi poteſt cum de hominibus robuſtis, tum de Gigantibus, tum de mulis ipſis. Textus, & verſio Samaritana legunt *Haemim* האימים *Emæos* populos, quorum meminit Moyſes Deut. 2. 10. 11. qui veluti de Enacim ſtirpe Gigantum ſimiles erant, & Horræis vicini, quorum e numero erat Ana. Videtur igitur Moyſes narrare hic, juxta id quod nobis ſuſpicandum præbet laudatus Deuter. textus, Anam, cum eſſet in ſolitudine, & paſceret Aſinos patris ſui, populos Emim offendiſſe, & cum iis manus conſeruiſſe, vel aliquod aliud memorabile facinus ex hoc mutuo occurſu ſecutum eſſe, quod ſacer ſcriptor minime explicat, ſed omnibus notum tunc temporis eſſe debebat. Vox hebræa מצא quæ vertitur *invenit*, ſignificat aliquando irruere in hoſtem, ex improviſo aggredi, inſidias deprehendere. Vide Bochartum de anim. ſacr. part. 1. lib. 11. cap. 1. Vide etiam Iudic. 1. 5. & 1. Reg. 31. 2. & 3. Reg. 13. 24. Divinare non poſſumus, quare hæc circumſtantia ſignetur, quod *Ana paſceret aſinos patris ſui*; credere tamen debemus, eam non eſſe inutilem hiſtoriæ, quæ hoc loco narratur, ſed ita conciſe, ut ad ejus explicationem plura dicere non poſſimus. Idem evenit & verſ. 35. ubi dicitur *Adad percuſſiſſe Madian in regione Moab*, nec quidquam præterea additur.

℣. 30. Isti Duces Horræorum, qui imperaverunt in terra Seir.] Hebræus habet: *Iſti fuerunt Duces Horræorum, quamdiu Duces habuerunt in terra Seir*. Hi Duces appellantur *Aluphim*, ut Duces Idumæorum. Ac ſi ordinem Moſaicæ hiſtoriæ ſequamur, Idumæi videntur Reges habere non cœpiſſe, niſi poſtquam potiti ſunt regione Horræorum. Subjicitur enim ſtatim:

℣. 31. Antequam haberent Regem filii Israel, fuerunt hi.] Superius jam notavimus, hoſce Reges fortaſſe alienigenas fuiſſe. Certum eſt enim jure hæreditario eos ſibi non ſucceſſiſſe. Examinavimus etiam difficultatem, quæ movetur ex his verbis: *Antequam haberent Regem filii Iſrael*.

℣. 32. Nomen urbis ejus Denaba.] D. Hieronymus duas hujuſce nominis urbes agnoſcit; unam de qua hic ſermo eſt, quæque ab Areopoli diſtat octo millia paſſuum, Torrentem Arnon verſus; alteram ſupra montem Phegor poſitam, octo milliaria ab Esbus diſſitam. Ptolemæus etiam ponit Urbem quamdam Denaba in Palmyrene ad 70. gradus longitudinis min. 50. & ad 33. gradus min. 56. latitudinis. Neſcio an D. Hieronymus jure duas Urbes Denaba fecerit; Euſebius certe unam tantum nominat, quam octo milliaria ab Areopoli, ſeptem vero ab Eſebon diſtaſſe, nulla repugnantia eſt.

℣. 33. Jobab ... de Bosra.] Plerique putant, Jobab hunc non alium eſſe, quam Iob inſignem illum ſanctitate virum, & patientiæ ſpeculum. Hanc tamen ſententiam expendendam reſervamus ad librum Iob. Urbs *Boſra* ab Ammiano Marcellino lib. 14. cap. 27. Boſtra dicitur, itemque a Stephano, & aliis. In aliquibus nummis Alexandri Severi, & Mammææ *Coloniam Alexandrinam* appellatam videmus: hodie noſtris Buſſeresh dicitur, ſexaginta paſſuum millia

diſtat

1 נשיאים Vid. Caput 1. cum tribus seqq. Numer.

2 Οὗτοι υἱοὶ οἱ υἱοὶ Ἐδώμ. 3 מצא את הימים. 70. ὃς εὗρε τὸν ἰαμείν.

4 Syr. Fontem. Diodor. in Catenis Græcis. ὁ Σύρος λέγει πηγὴν αὐτὸν εὑρηκέναι. ἡ γὰρ πηγὴ ἐκεῖ καλεῖται τῇ Σύρων φωνῇ

diſtat a lacu Tiberiadis, Orientem verſus. Euſebius, & D. Hieronymus diſtinguunt Boſram Arabiæ Metropolim a Bozor, ſeu Bozra in montibus Idumææ ſita. Nobis tamen perſuaſum eſt, non amplius quam unam extitiſſe Urbem Boſram, Bozor, Bezer, ſeu Boſtram trans Iordanem tribus Ruben, 25. mille paſſus ab Adraa, ſeu Edrai juxta Euſebium diſſitam. Confer Dentet. 4. 43. Ioſue 20. 2. 21. 27. 36. Iſai. 34. 6. 63. 1. & Matth. 5. 26 28. 36. & diſſertationem noſtram in Geographiam.

℣. 34. Huzam de terra Themanorum.] Septuaginta appellant *Aſom*. Urbs Theman juxta Euſebium diſtabat quinque milliarla a Petra Arabiæ Petrææ urbe præcipua. Iuxta alios Celæſyriam ſpectabat, Damaſcum verſus. In ſcriptura Theman ſignificat regionem, quæ eſt ad Meridiem Chanaanitidis. Onkelos veſtit *terram Daroma*. Syriaca verſio habet, *jerram Meridiel*. Regio Daroma ſita erat ad Meridiem Palæſtinæ.

℣. 35. Adad filius Badad.] Septuaginta, *filius Barad*. Eodem modo legunt 1. Paralipomen. 1. 43.

Nomen Urbis ejus Avith.] Septuaginta: *ejus Urbs appellatur Geeaim*, vel *Gethem*. Urbs Avith penitus ignota eſt.

℣. 36. Semla de Maſreca.] Septuaginta, *Sameda* (vel *Samaa*) de Maſecca, Hujus urbis ſitus ignoratur.

℣. 37. Saul de fluvio Rohoboth.] Septuaginta: *Rohoboth, quæ eſt prope fluvium*. Hebr. *De Rohoboth fluvii*. Et 1. Paral. cap. 1. v. 48. Vulgata vertit: De *Rohoboth, quæ juxta amnem ſita eſt*. Urbs Rohobot ad Euphratem ſita etiam hodie Arabibus dicitur *Rohobot Melic*. Iacet paulo infra Cercuſam, & oſtium fluvii Chaboras, ubi Euphratem influit.

℣. 39. Regnavit pro eo Adar.] In libris Paral. appellatur Adad. Septuaginta vocant, *Arar filium Barad*. Nonnulli hunc Adad confundunt cum eo, quo regnante David Idumæam ſibi ſubjecit, & nomen Regium ibi delevit.

Uxor ejus Mertabel filia Matred, filiæ Mezaab.] Erat hæc filia Matred, Mezaab vero neptis; vel natura filia unius adoptione alterius.

℣. 40. Hæc nomina Ducum Eſau.] Duces hi, ſeu Principes, qui Regibus Idumæis ſucceſſerunt, ſinguli ſuas Urbes adminiſtrarunt, non autem ſimul omnes in totam Idumæorum gentem imperium exercuerunt. Id innuere vult Moyſes verbis illis, quæ ſtatim ſequuntur: *In cognationibus, & locis, & vocabulis ſuis*. Iuxta loca, quæ eorum familiæ incoluerunt, quæque ſuis ex nominibus appellarunt. Per hos Duces adminiſtrata fuiſſe Idumæa videtur tunc, cum Iſraelitæ egreſſi ſunt ex Ægypto: ac de his loquitur Moyſes Exod. 15. 15. *Tunc conturbati ſunt Principes Edom*.

Dux Alva.] Septuaginta pro *Alva* legunt, *Gola*.

℣. 41. Dux Phinon,] fortaſſe *Phunon*. Num. 33. 41.

℣. 43. Dux Hiram.] Septuaginta, *Dux Zaphrim*.

Ipſe eſt Eſau pater Idumæorum.] Scriptura non notat Eſau mortem; neque ullum gravem Scriptorem habemus, qui annum ejus mortis ſtatuere audeat. Auctor Teſtamenti Patriarcharum cap. 4. ſcribit, Eſau mortuum eſſe anno quadrageſimo Patriarchæ Judæ, qui eſſe poterat annus centeſimus vigeſimus primus Eſau. *Quadrageſimo anno ætatis meæ*, inquit auctor hujus operis, *Eſau nos invaſit, ſed occiſus fuit in prælio, ſagitta arcu Jacobi emiſſa confoſſus*. Nulla fides eſt huic hiſtoriæ habenda.

Scriptura Eſau nobis exhibet, tamquam profanum, qui rem ſacram vendiderit, ſeque indignum reddiderit privilegiis, quæ ipſius ortum comitabantur, & primogeniti conditionem. *Ne quis.... prophanus ut Eſau, qui propter unam eſcam vendidit primitiva ſua*. Hebr 12. 16. Notat Moyſes eum ita leviter affectum quod jus primogenituræ vendidiſſet, ut tamquam rem nullius momenti habuerit: *Abiit parvipendens quod primogenita vendidiſſet* Gen. 25. 34. Apud Malachiam teſtatur Deus, ſe odiſſe Eſau, Jacob vero dilexiſſe: *Jacob dilexi, Eſau autem odio habui*. Malach. 1. 2. 3. Et D. Paulus Rom. 9. 13. oſtendit, Eſau eſſe figuram reproborum, ut Jacob prædeſtinatorum. Targum Hieroſolymitanum narrat, eum contempſiſſe partem ſuæ æternitatis, & reſurrectionem mortuorum negaſſe. SS. Patres illi magnopere exprobrant ſuam aviditatem. D. Chryſoſtomus helluonem vocat. Improbatur agreſtis ejus vita, & venationis ſtudium, quod tamquam æternæ ſaluti valde repugnans exiſtimatur. D. Ambroſius in Pſalm. 118. *Nullum invenimus in divinarum ſerie litterarum de venatoribus juſtum*. Auctor Comment. in Pſal. ſub nomine Hieronymi in Pſal. 90. *Eſau venator erat, quia peccator erat, & penitus non invenimus in Scripturis ſanctis, ſanctum aliquem venatorem*. Hieronymus in Mich. 5. *Quantum ego poſſum mea recolere memoria, nunquam venatorem in bonam partem legi*.

Nihilominus tamen pro certo ſtatui non poteſt de ejus damnatione. Potuit ſiquidem eſſe figura reproborum, & tamen non eſſe reprobatus; quemadmodum Salvator noſter formam ſervi, & peccatoris accepit, & tamen neque ſervus neque peccator fuit. Et facilem animi indolem agnoſcere debemus in Eſau, qui fratrem ſuum Jacobum e Meſopotamia redeuntem tam benigne exceperit, tantiſque fraterni amoris ſignis proſecutus fuerit. Paulo poſt terram Chanaan derelinquit, totiuſque regionis poſſeſſione cedit, ut ille habeat, unde paſcat greges ſuos. Poſtremo nullam umquam vim ei adhibuit, ut injurias, quas ab eo ſibi factas contendere poterat, ulciſceretur. Hoc inſtituere, atque perficere nemo diffitebitur hominis eſſe ſui compotis, iram atque indignationem cohibentis, & religionis ac pietatis ſenſum retinentis. Nonnulli volunt Regem *Erythram*, qui Erythræo ſeu rubro mari nomen dedit, cujus ſepulchrum in Inſula Tyrina ſeu Agyra bis mille ſtadiis a Caramania oſtendebatur, eſſe ipſummet Edom patrem Idumæorum. Vide Strab. lib. 16. pag. 520 & Quint. Curt. lib. 10. Plin. lib. 6. c. 28. Nomen Hebræum *Edom* ſignificat rufum, ſeu rubrum, perinde ac Græcum Erythros. Erythræ ſepulcrum medio in nemore palmis frequentibus conſito poſitum erat, præalta columna ornatum, litteris gentis ejus inſcripta.

CAPUT

CAPUT XXXVII.

Invidia filiorum Jacobi in Joſephum fratrem ſuum propter ſomnia, & propter amorem, quo præter ceteros eum Iacob proſequebatur. De morte ipſi inferenda deliberant. Eum divendunt, & is in Ægyptum abducitur.

1. HAbitavit autem Jacob in terra Chanaam, in qua pater ſuus peregrinatus eſt.
2 Et hæ ſunt generationes ejus: Joſeph cum ſedecim eſſet annorum, paſcebat
gregem cum fratribus ſuis, adhuc puer: & erat cum filiis Balæ, & Zelphæ u-
xorum patris ſui: accuſavitque fratres ſuos apud patrem crimine peſſimo. 3 Iſrael au-
tem diligebat Joſeph ſuper omnes filios ſuos, eo quod in ſenectute genuiſſet eum: fecit-
que ei tunicam polymitam. 4 Videntes autem fratres ejus, quod a patre plus cunctis
filiis amaretur, oderunt eum, nec poterant ei quidquam pacificè loqui. 5 Accidit
quoque, ut viſum ſomnium referret fratribus ſuis: quæ cauſa majoris odii ſeminarium
fuit. 6 Dixitque ad eos: Audite ſomnium meum, quod vidi. 7 Putabam nos ligare
manipulos in agro, & quaſi conſurgere manipulum meum, & ſtare, veſtroſque manipu-
los circumſtantes adorare manipulum meum. 8 Reſponderunt fratres ejus: Numquid
rex noſter eris? aut ſubjiciemur ditioni tuæ? Hæc ergo cauſa ſomniorum, atque ſermo-
num, invidiæ, & odii ſomitem miniſtravit. 9 Aliud quoque vidit ſomnium, quod
narrans fratribus, ait: Vidi per ſomnium, quaſi ſolem, & lunam, & ſtellas undecim a-
dorare me. 10 Quod cum patri ſuo, & fratribus retuliſſet, increpavit eum pater ſuus,
& dixit: Quid ſibi vult hoc ſomnium, quod vidiſti? num ego, & mater tua, & fratres
tui adorabimus te ſuper terram? 11 Invidebant ei igitur fratres ſui: pater vero rem ta-
citus conſiderabat. 12 Cumque fratres illius in paſcendis gregibus patris morarentur
in Sichem, 13 Dixit ad eum Iſrael: Fratres tui paſcunt oves in Sichimis: veni, mit-
tam te ad eos. Quo reſpondente, 14 Præſto ſum, ait ei: Vade, & vide ſi cuncta proſ-
pera ſint erga fratres tuos, & pecora: & renuntia mihi, quid agatur. Miſſus de valle
Hebron, venit in Sichem. 15 Invenitque eum vir errantem in agro, & interrogavit,
quid quæreret. 16 At ille reſpondit: Fratres meos quæro, indica mihi, ubi paſcant
greges. 17 Dixitque ei vir: Receſſerunt de loco iſto: audivi autem eos dicentes: Ea-
mus in Dothain. Perrexit ergo Joſeph poſt fratres ſuos, & invenit eos in Dothain. 18
Qui cum vidiſſent eum procul, antequam accederet ad eos, cogitaverunt illum occidere.
19 Et mutuo loquebantur: Ecce ſomniator venit: 20 Venite, occidamus eum, & mit-
tamus in ciſternam veterem; dicemuſque: fera peſſima devoravit eum: & tunc appare-
bit, quid illi proſint ſomnia ſua. 21 Audiens autem hoc Ruben, nitebatur liberare
eum de manibus eorum, & dicebat: 22 Non interficiatis animam ejus, nec effundatis
ſanguinem: ſed projicite eum in ciſternam hanc, quæ eſt in ſolitudine, manuſque ve-
ſtras ſervate innoxias: hoc autem dicebat, volens eripere eum de manibus eorum, & red-
dere patri ſuo. 23 Confeſtim igitur ut pervenit ad fratres ſuos, nudaverunt eum tuni-
ca talari, & polymita, 24 Miſeruntque eum in ciſternam veterem quæ non habebat a-
quam. 25 Et ſedentes ut comederent panem, viderunt Iſmaelitas viatores venire de
Galaad, & camelos eorum, portantes aromata, & reſinam, & ſtacten, in Ægyptum.
26 Dixit ergo Judas fratribus ſuis: Quid nobis prodeſt, ſi occiderimus fratrem noſtrum
& celaverimus ſanguinem ipſius? 27 Melius eſt, ut venumdetur Iſmaelitis, & manus
noſtræ non polluantur: frater enim, & caro noſtra eſt. Acquieverunt fratres ſermonibus
illius. 28 Et prætereuntibus Madianitis negotiatoribus, extrahentes eum de ciſterna,
vendiderunt eum Iſmaelitis, viginti argenteis: qui duxerunt eum in Ægyptum. 29 Re-
verſuſque Ruben ad ciſternam, non invenit puerum: 30 Et ſciſſis veſtibus pergens ad
fratres ſuos, ait: Puer non comparet, & ego quo ibo? 31 Tulerunt autem tunicam
ejus, & in ſanguine hædi, quem occiderant, tinxerunt: 32 Mittentes qui ferrent ad
patrem, & dicerent: Hanc invenimus; vide utrum tunica filii tui ſit, an non. 33 Quam
cum

cum agnoviſſet pater, ait: Tunica filii mei eſt, fera peſſima comedit eum, beſtia devoravit Joſeph. 34 Sciſſiſque veſtibus, indutus eſt cilicio, lugens filium ſuum multo tempore, 35 Congregatis autem cunctis liberis ejus, ut lenirent dolorem patris, noluit conſolationem accipere, ſed ait: Deſcendam ad filium meum lugens in infernum. Et illo perſeverante in fletu, 36 Madianitæ vendiderunt Joſeph in Ægypto Putiphari eunucho Pharaonis, magiſtro militum,

℣. 1. HABITAVIT IN TERRA CHANAAN.] Sedem poſuit in valle prope Hebron. Creditur hæc eſſe vallis Mambre, ubi tamdiu morati fuerant Abraham, & Iſaac.

℣. 2. HÆ SUNT GENERATIONES EJUS.] Abenezra, Vatablus, Grotius, & alii per *generationes* [1] intelligunt narrationem eorum, quæ Jacobi familiæ acciderunt. Contendunt enim vocem hebræam quandoque id ſignificare. Vid. Geneſ. 6. 9. Num. 3. 1. Proverb. 27. 1. Matth. 1. 1. Sed multo probabilius eſt, ea verba, *hæ ſunt generationes*, eſſe concluſionem eorum, quæ ſuperius expoſita ſunt. Sacer ſcriptor, expoſita genealogia Jacobi cap. 35. 22. ejuſque occaſione Eſau poſteris enumeratis cap. 36. concludit his verbis: *Hæ ſunt generationes Jacob*. Non meminit Eſau hoc in loco, quia poſterorum ejus recenſio non niſi indirecte ad ejus propoſitum pertinebat.

JOSEPH CUM SEXDECIM ESSET ANNORUM.] Hebræus, Chaldæus, & Septuaginta ſeptemdecim annorum faciunt Joſephum. Ad litteram: *erat filius decem & ſeptem annorum*. Decimum ſeptimum ætatis annum agebat, & ſextum decimum expleverat. Hic loquendi modus: *erat filius*, numero annorum conjunctus, ſemper denotat annum inchoatum, quique explendus eſt, numquam expletum. Vid. Bochartum, Glaſſium, Grotium, & 1. Reg. 13. 1. Exod. 12. 5. Hebraicum exemplar ſequuntur Interpretes omnes præter Vulgatam, quæ tamen cum illo non pugnat, quemadmodum nos explicuimus. Vide D. Auguſtinum quæſt. 122. qui Septuaginta lectionem ſequitur, C Hæc omnia Iſaaci mortem præcedunt.

ERAT CUM FILIIS BALÆ, & ZELPHÆ.] Hebræus: *Ipſe puer cum filiis* [2], Aliqui ut Junius, & Piſcator, hoc in loco per *puerum* ſervum ſignificari putant, quemadmodum ſæpe in hoc ſenſu uſurpatur in Scriptura. Joſeph habebatur veluti ſervus a filiis Balæ, Alii, ut Chaldæus, vertunt: *Joſeph nutriebatur cum filiis ancillarum*, Scriptura hanc circumſtantiam notat fortaſſe, ut intelligamus, quinam ſint hi fratres [3], de quibus ſermo eſt verſ. proximo, quique a Ioſepho accuſati ſunt apud Iacobum. Fortaſſe etiam a Iacobo miſſus fuerat Ioſephus ad paſcendos greges cum filiis ancillarum, quia eorum odium & invidia in ipſum non ita exarſerat.

ACCUSAVITQUE FRATRES SUOS CRIMINE PESSIMO.] D Hebraicus textus ſic verti poteſt [4]: *Detulit ad patrem improbos eorum ſermones*; vel *de iis apud patrem male locutus eſt*; ſeu potius, infanda eorum facinora ad patrem detulit, quibus denigrari illos, & exoſos fieri apud patrem oportebat. Eorum pravum inſtitutum coarguit. Plerique [5] id interpretantur de crimine contra naturam, & de beſtialitate: nonnulli de conviciis, quibus ipſummet Ioſephum inceſſebant, & de odio, quo in ipſum flagrabant, cujus rei Ioſeph patrem ſuum admonuerit, & cum ipſo expoſtulaverit. Verba textus originalis nullam

A ingerunt ſuſpicionem præmeditatæ accuſationis, ſed ſimplicem rei enarrationem oſtendunt fuiſſe factam a Ioſepho, quæ ſane ſine fraude fieri potuit, eo fine, ut pater remedium aliquod malo adhiberet, & fratres reos caſtigaret.

Septuaginta [6], D. Chryſoſtomus, Theodoretus, & Diodorus contrariam lectionem ſequuntur, quæ habet Ioſephum ipſum a filiis Balæ, & Zelphæ reum ignoti criminis actum apud patrem. Verum editiones Septuaginta Interpretum in Polyglottis Antuerpienſibus, & Pariſienſibus, Vulgatæ lectionem tuentur, cui Symmachus quoque, & Aquila ſuffragantur.

℣. 3. EO QUOD IN SENECTUTE GENUISSET EUM.] Hebraicus textus: *Eo quod eſſet filius ſenectutis ſuæ*. Ipſe erat delicium, & conſolatio ſenectutis ejus. B Parentes maxime diligunt ultimo loco natos filios, eoſque in primis quos ſenili ætate genuerunt. Patroclus [7] ut oſtenderet quam benevole exceptus eſſet a Peleo Achillis patre, ait ſe ita ab eo tractatum, atque ita dilectum, ut filius unicus diligi ſolet a patre quem ſenex ſuſcepit.

Verſiones Chaldæa, Arabica, Perſica, Samaritana habent: *Erat is puer ſapiens, & prudens*. Ioſephus Antiquit. lib. 2. c. 2. & Theodoretus pari modo explicant: Puer erat prudentia & ſapientia ſupra ætatem inſignis. Ac profecto ſi nulla alia ratione motus Iacob Ioſephum præ cæteris dilexiſſet, quam quod in ſenectute eum genuiſſet, & ſibi ex Rachele natus eſſet, potiori jure Benjaminum prætuliſſet, qui ætate minor erat, & ultimus Rachelis filius. Hinc D. Chryſoſtomus homil. 61. & D. Ambroſius lib. 1. de Ioſeph c. 2. alias ajunt fuiſſe cauſas quare ceteris Ioſephus præferretur, quas ab ejus prudentia, ceteriſque egregiis animi dotibus deducunt.

TUNICAM POLYMITAM.] Veſtem lineam variis coloribus intertextam. Quid vox hebræa *Paſſim* [8], quam Vulgata reddidit *Polymitam*, plane ſignificet, ignotum eſt. *Polymita*, ſi nominis etymon ſequamur [9], ſignificat telam multis liciis, & verſicoloribus textam. Septuaginta adhibent hoc in loco vocem *ποικίλον*, *variegatum*, quæ ſæpe apud Græcos poetas occurrit, & pictas veſtes ſignificat, quæ valde in uſu erant apud orientales populos. Iidem Interpretes 2. Reg. 13. 18. eamdem hebraicam vocem interpretantur *tunicam manuleatam* &c. uſque in primores manus prolixam [10]. Symmachus, *tunicam manicatam* [11]; Aquila, *tunicam talarem* [12].

Tunica veſtis erat interior, linea, qua Perſæ verſicolore utebantur. Vide Briſſon. de Reg. Perſ. lib. 1. pag. 42. 50. Regibus Perſarum tunicam purpuream gerere mos fuit, cui medium albo intextum erat, referente Q. Curtio lib. 3. c. 3. Ea, qua Thamar Davidis filia induta deſcribitur, Ioſephi tunicæ ſimilis fuit: neque alibi hujuſcemodi veſtium mentio occurrit in tota Scriptura. Orientalium tunicæ manicas protendebant ultra brachia, & in primores manus, ac prope digitos, quemadmodum narrat Strabo lib. 15. &

1 תולדות
2 והוא נער את בני בלהה 3 Ita Bonfrerius.
4 ויבא דבתם רעה.
5 Rupertus, Gloſſa, Lyran. Thom. 2. 2. quæſt. 154. art. 12. ad 4. Menoch. Janſen. Grotius.
6 Κατήνεγκαν δὲ Ἰωσὴφ ψόγον πονηρὸν πρὸς Ἰσραὴλ τὸν πατέρα αὐτῶν.
7 Homer. Iliad. IX.
8 כתנת פסים 9 Πολὺς multus, μίτος, filum.
10 Καρπωτόν. Sym. Χειριδωτόν. Alius Ἀστραγαλωτόν.
11 Χιτῶνα χειριδωτόν. 12 Χιτῶνα ἀστραγαλωτόν.

25. & alii complures. Romani tunicis ſine manicis uſi ſunt, apud quos turpe & probroſum fuit tunicas manicatas geſtare, quibus ſolæ fœminæ utebantur [1]. Hoc veſtimenti genus ad talos uſque demittebatur; ac D. Hieronymus verſ. tertium cum hujus capitis verſu tertio conjungit epithetum; *Talaris* & *Polymita*.

Syriaca verſio interpretatur, veſtem prætextam. Arabica, tunicam ſericam, quam interpretationem ſequuntur Lyranus, Arias Montanus, & quidam Hebræi apud Fagium; ſed hæc minime omnium arridet. Difficile enim eſt oſtendere, ſericas veſtes tunc temporis in uſu fuiſſe. Mihi non improbabile videtur ex Hebræo *Paſſim* ſeu *Phaſſim* Latinum nomen *Faſcia* deſcendere; quare hic locus verti poteſt: *Fecit illi Jacob veſtem faſciatam*, cujuſmodi ſunt illæ, quæ a Virgilio Æneid. 8. auctoribus Gallis tribuuntur: *Virgatis lucent ſagulis*; & Plinius lib. 8. c. 48. ſcribit *Scutulis dividere Gallia*. Diodorus vero de iisdem: Saga virgata geſtabant varii coloris in quadratum diſtincta ad modum retis.

℣. 4. ODERANT EUM.] Colligit hoc in loco Moyſes odii cauſas omnes, quo Jacobi filii fratrem ſuum Joſephum proſequebantur, nulla temporis ratione habita, aut ordinis, quo quæque res accidit.

NEC POTERANT EI QUIDQUAM PACIFICE LOQUI.] Intelligi etiam poteſt hoc modo: Dedignabantur etiam eum ſalutare. Cum dicere ſalutem alicui volebant, ea erat formula: pax ſit tecum. Textus ad litteram: *Non poterant ei loqui pro pace* [2]; ideſt, non poterant ei dicere: pax ſit tecum.

℣. 6. AUDITE SOMNIUM MEUM &c.] Ignorabat ipſemet Ioſeph, ut videtur, ſomnii ſui ſignificationem, quod minime mirum videri debet: Neque enim ſemper explicata, & certa fuit prophetis ipſis intelligentia prophetiarum, quo tempore eas pronunciabant.

℣. 9. SOLEM, ET LUNAM ADORARE ME.] Narrat Cicero lib. 1. de Divinat. cap. 23. Cyro dormienti ſolem ad pedes viſum eſſe: cumque eum ter manibus appetiviſſet, elapſum abiiſſe. Quod cum Magis narraſſet, eum 30. annos regnaturum eſſe portendi reſponderunt, quod ita contigit.

℣. 10. NUM EGO, ET MATER TUA, ET FRATRES TUI ADORABIMUS TE?] Ex tota hac narratione, qui fuerit Ioſephi candor, atque ſimplicitas colligere licet. Is enim nihil de iniquo in ſe fratrum animo ſuſpicatus, ſomnium ipſis ſuum enarrat, cujus illi ſenſum ut facile aſſequi poterant, ita acrius in ipſum exardendi occaſionem arripiebant. Jacob vero optime intellexit, quæ inde incommoda ſequi poſſent. Quocirca re expenſa, ut Joſephum de ſomniis ſui vanitate admoneret, animadvertere illum jubet, fieri neutiquam poſſe, ut a matre ſua adoraretur, quæ jam pridem vita exceſſiſſet, quod tamen fieri deberet, ſi ulla ſomnio fides, cum alia nulla præter matrem per Lunam ſignificari videretur.

Aliqui credunt hoc ſomnium Ioſepho accidiſſe, dum adhuc in vivis Rachel eſſet ejus mater, atque hoc in loco extra ordinem referri; & Iacobi reſponſum ſimplicius explicandum exiſtimant, tamquam caſtigantis Joſephum de ſua arrogantia. Tantumne tibi ſumis, ut putes fore, ut ego, & mater tua, & fratres tui coram te adoraturi procidamus? Alii per *Mater tua* Balam putant ſignificari Joſephi nutricem, aut Liam Iacobi uxorem. Divus Auguſtinus quæſt. 123. in Geneſ. oſtendit Ioſephi ſomnium ad litteram ſumptam minime fuiſſe impletum in ipſius perſona, ſed tantum in Chriſti perſona, qui adoratus in terris fuit a Patriarchis patribus ſuis, a Synagoga matre ſua, a Iudæis fratribus ſuis, a Ioſepho, ab Apoſtolis, a B. denique Virgine.

℣. 11. PATER REM TACITUS CONSIDERABAT.] Hebr. *Pater obſervabat hoc verbum*, ſeu *rem hanc*. Secum reputabat hæc ſomnia, neque dubitabat, quin prophetica eſſent. Ita Beata Virgo Luc. 11. 19. quæ de Ieſu filio ſuo audiebat, conſervabat in corde ſuo, ſperans fore, ut ea aliquando adimpleri videret.

℣. 12. CUM FRATRES ILLIUS MORARENTUR IN SICHEM.] Prope hanc Urbem Iacob agrum emerat, quæ nondum, ut videtur, in priſtinum ſtatum reſtituta fuerat, neque eo loco erat, ut negotium ipſi facere poſſet, poſt excidium, quod paſſa fuerat ob injuriam Dinæ irrogatam. Diſtabat Hebron ab urbe Sichem 30. vel 35. leucis, Geneſ. 33. 19. Ex pluribus Scripturæ locis conſtat, agi conſueviſſe pecora in paſcua longe remota a propriis ſedibus. Itinere trium dierum aberant a Charris Labani greges: Ab Odolla in Thamnas, ubi Iudæ pecora paſcebantur, decem prope leucarum ſpatium intercedebat.

℣. 17. EAMUS IN DOTHAIN.] Dothain, juxta Euſebium, duodecim mille paſſ. aberat a Sebaſta, ſeu Samaria ad Septentrionem. Verſ. 17. dicitur *Dothan* in textu Hebræo.

℣. 19. ECCE SOMNIATOR VENIT.] Hebr. *Magiſter ſomniorum* [3]; inventor ſomniorum, ſeu Rex commentitius, imaginarius.

℣. 20. VENITE, OCCIDAMUS EUM.] Qui ſupra ceteros in Ioſephum exarſit, Simeon fuiſſe creditur, iſque ad tam crudele facinus reliquos fratres incitaſſe. Sed pœnas criminis dedit cum ipſe, tum tota ejus poſteritas. Ioſephus cum Ægypto præſideret, eum in carcerem detruſit, & tamdiu detinuit, quoad fratres redierunt. Geneſ. 42. 25. Ejus tribus ceteris infirmior fuit, & deteriorem ſortem conſecuta eſt. Apocryphum Patriarcharum Teſtamentum pravi hujus conſilii auctorem Gad quoque facit.

MITTAMUS IN CISTERNAM VETEREM.] Id eſt, in ſcrobem in medio agro defoſſam ad colligendas aquas pluvias, & aquas fontium, vel torrentium, cum præ nimia copia exundabant. Hæ potandis armentis, & gregibus inſerviebant æſtivo tempore. Vide, quæ dicta ſunt de hujuſcemodi aquarum collectionibus Ierem. 18. 14. & 4. Reg. 19. 24. Hebræus habet tantum: *Mittamus in unam ciſternarum*. Nihil hic refert Scriptura de Ioſephi lacrymis, ac precibus, quarum meminit cap. 42. 21.

℣. 21. NITEBATUR LIBERARE EUM.] Hebraicus textus habet, ex eorum manibus liberatum fuiſſe Ioſephum; hoc eſt, Rubenum ſuis rationibus ac precibus effeciſſe, ne is occideretur. Non tamen abſolute eum liberavit, Rubeni conſilium, & mens ea erat, ut fratrum iram mitigaret, eorum indignationi aliquid indulgens, ut poſtea Ioſephum e ciſterna tolleret, & patri reſtitueret.

℣. 25. ISMAELITAS VIATORES.] Ideſt, *Iſmaelitas, qui tranſibant*, vel, qui iter illac faciebant. Hebræus textus [4]: *Caterva Iſmaelitarum*. Apud Hebræos Iſmaelitarum nomen tam late patet, quam Arabum nomen apud nos. Paraphraſtes Hieroſolymitanus vertit *Saracenos*: & verſ. 28. dicitur Ioſeph venditus Medianitis ejuſdem catervæ. Madian non erat filius Iſmaelis, ſed Cethuræ. Plures diverſarum regionum Arabes eſſe potuerunt in eadem caterva, quam ſatis numeroſam eſſe oportuit, ſi credimus eo tempore catervatim incedere ſolitos, ut nunc ſolent, mercatores.

VENIRE DE GALAAD.] Ex Ieremiæ cap. 8. 22. patet, aromata hujus regionis magno in pretio fuiſſe habita: *Numquid reſina non eſt in Galaad, aut Medicus non eſt ibi?* Et ex cap. 46. 11. colligitur Ægyptios ex iis medicinam feciſſe: *Aſcende in Galaad, virgo filia Ægypti: ſolio reſinam: fruſtra multiplicas medicamina*.

POR-

1 Virg. *Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ*.
2 דברו לשלום.
3 בעל החלמות.
4 הנה ארחת ישמעלים.

Portantes aromata, et resinam, et stacten.] Hebraica vox [1] *Necoth*, quæ vertitur *aromata*, tam varie redditur ab Interpretibus, ut quæ potior ſententia habenda ſit, merito addubites. Onkelos, & Jonathan, & plures alii Rabbini vertunt *ceram*. Aquila *ſtoracem*, quod eſt gummi genus odorum, ac valde in Syria commune. Hanc explicationem ſecutus eſt Divus Hieronymus cap. 43. 11. probaturque Bocharto, & aliis doctis Interpretibus. Alii vertunt *theriacam*, *balſamum*, aut *muſcum*, vel *aromata* in genere, vel paſtilli genus quoddam, quo valde utuntur Arabes, & *Nekia* appellant, quod nomen Hebraico *Necoth* valde eſt affine.

Resinam.] Hebræa vox צרי *Zeri* a Septuaginta vertitur *Reſina Ρητίνη*. Nonnulli interpretantur *balſamum*, aut *theriacam*, aut *ſtacten*, vel *maſtice*. Bochartus Septuaginta adſtipulatur, & Hebr. *Zeri* magnopere huic favet interpretationi. Hujus generis reſina Græcis, & Latinis reſinæ Syriacæ nomine nota erat. Plinius tres facit ejus ſpecies. *Arabica*, inquit, *alba eſt, acri odore difficilis coquenti: Judæa calloſior, & terebinthina quoque odoratior: Syriaca Attici mellis ſimilitudinem habet*.

Stacten.] Hæc vox guttam ſignificat ex arbore, quæ myrrham producit, ſponte defluentem. Nonnulli Hebr. לט *Lot* vertunt terebinthinam reſinam, aut caſtaneam, aut myrrheam, vel *ladanum*, aut *ledum*: quæ vox cum hebraico *Lot* quandam habet affinitatem. Reperitur autem *ladanum*, & Lybicum, & Cyprium. Eſt autem pinguis quidam, & roſcidus liquor, qui defluit ex foliis fruticis cujuſdam ex ciſthi generibus, quam *ledum* dicunt. Hunc colligunt duobus modis: vel eradentes ex ſingulis fruticibus illud pingue, quod contraxerant: vel pectentes capras, & hircos, quorum pilis adhæreſcit, dum folia eorumdem fruticum depaſcuntur. Eſt etiam arbuſcula quædam, quæ *lotus* dicitur, quæ utique maiorem habet cum Hebræo *lot*, aut *lot* affinitatem. Plura ejuſdem ſunt genera; ſed hoc in loco de Loto intelligimus. Fructum fert perquam dulcem, ſine nucleo, ex quo mollitum vinum conficitur, quod ultra decimum diem non durat; itemque acetum. Africæ populi circa Syrtes poſiti appellantur apud veteres *Lotophagi*, quod arboris ejus fructu victitare crederentur. Narrat Homerus, Ulyſſis ſocios, cum ex hoc fructu guſtaſſent, vix inde abduci potuiſſe.

℣. 28. Viginti argenteis.] Viginti ſiclis argenteis, hoc eſt Gallicæ monetæ 34. libr. juxta ſupputationem, quam ſequimur. In quibuſdam exemplaribus legitur 30. *argenteis*, qua in ſumma agnoſcunt myſterium, cum Joſephi venditio fuerit figura venditionis Servatoris noſtri. Septuaginta habent *viginti aureis*, & Ioſephus lib. 2. Antiq. cap. 3. viginti minis; ſed potior habenda eſt lectio hebraici textus, & Vulgatæ. Valde enim credibile eſt Joſephum vili venditum fuiſſe. Divus Ambroſius lib. de Ioſepho cap. 3. notat, in nonnullis exemplaribus legi Joſephum venditum fuiſſe triginta aureis, vel argenteis; in aliis vero viginti, aut vigintiquinque. Divus Auguſtinus ſerm. 81. de tempore num. 13. in appendice tom. 5. nov. edit. vel potius D. Ceſarius idem notat.

℣. 34. Indutus est cilicio.] Hebraicus textus [2], & Septuaginta: *Indutus eſt ſacco*. Lugubres veſtes ſacci nomine appellabantur, quia anguſtæ erant in modum ſacci. Cilicia etiam appellabantur, quod contextæ eſſent ex pilis hircorum Ciliciæ, (Vide Varr. de R. R. lib. 11. cap. 11.) qui producti, hirſutiſque pilis erant, & tondebantur, unde craſſæ veſtes conficiebantur obſcuro, & ſubnigro colore, quibus mendici tantum, milites, & nautæ utebantur. Virgilius Georg. 3.

Uſum in caſtrorum, & miſeris velamina nautis.

Veteres aſcetici, ſeu monachi hujuſmodi ciliciis plerumque induti erant, quæ diu, noctuque geſtabant, ut corpus affligerent, ſeque macerarent; & eadem de cauſa in luctu ſumebantur ab aliis.

℣. 35. Descendam ad filium meum lugens in infernum.] Ideſt, deſcendam cum filio meo plorans in ſepulchrum, vel in ſinum terræ. Ad litteram: *in infernum*. Non ponam modum lacrymis; donec in ſepulchrum deſcendam: dolor e morte filii mei conceptus morte me afficiet. Hebr. Scheol שאול Ἅδης ſignificat aliquando ſepulchrum [3], aut mortem; aliquando vero locum, quo animæ mortuorum migrant; exempli gratia Iſaias cap. 14. 9. Babylonicum Regem alloquens: *Infernus*, inquit, *ſubter conturbatus eſt in occurſum adventus tui: ſuſcitavit tibi gigantes* &c. Sæpe ſumitur pro loco, in quo dæmones, & damnati flammis torquentur Job 21. 13. quemadmodum ubi dives ſepultus eſſe in inferno perhibetur Lucæ 16. 22. itemque ubi Prævaricatores angelos rudentibus inferni detractos in tartarum cruciandos traditos eſſe refert Divus Petrus 2. epiſt. 2. 4. Tandem inferni nomine, ſeu inferorum intelligitur locus, ubi juſtorum animæ Salvatoris adventum opperiebantur, unde poſt ejus reſurrectionem eductæ ejus in cœlum reditum proſecutæ ſunt, atque hunc in locum ſe deſcenſurum ſperabat Jacobus poſt mortem ſuam, una cum filio ſuo Joſepho. Hunc ipſum locum denotant Theologi noſtri Lymbi nomine, quem veteres Eccleſiæ Patres *Inferni*, & Abrahæ ſinus nomine agnoverunt [4]. Vide Delrii Adagialia Sacra in 2. lib. Reg. pag. 229. ubi ex profeſſo loca illa omnia examinat, in quibus *Inferni* nomen occurrit.

℣. 36. Putiphari, eunucho Pharaonis.] Eunuchi nomen ſæpe ſumitur in ſacra Scriptura pro nomine officii, & dignitatis. Sacrorum librorum Interpretes hanc vocem uſurpatunt juxta eam ſignificationem, quam eo tempore habebat, quo tempore plerique Regum Orientalium miniſtri eo nomine vocabantur, ſeu vere eſſent eunuchi, ſive non eſſent. Hæc vox ad litteram, & juxta etymon e Græca lingua deſumptum ſignificat hominem, cum lecti, ſeu cubiculi cuſtodia commiſſa eſt; (Εὐνὴ enim lectum; ἔχω cuſtodiam ſignificat.) Quemadmodum vero eunuchi proceſſu temporis ad præcipua miniſteria, & officia evecti ſunt, inde factum eſt, ut ſummi quinque Regum miniſtri hoc nomine appellarentur. Hoc in ſenſu dicitur Putiphar fuiſſe Pharaonis eunuchus: videbimus enim infra eum habuiſſe uxorem. Quod autem Rabbini a Divo Hieronymo in quæſtionibus Hebraicis citati comminiſcuntur, ad fabulas rejicimus: videlicet Putipharem vi morbi, quem Deus illi immiſerat, factum fuiſſe eunuchum, ne Ioſepho abuti poſſet, quem emerat in eum finem.

Septuaginta hoc in loco verum eunuchum interpretati ſunt Σπάδοντι; ſed Ieremiæ 34. 19. Hebraicam vocem *Saris* interpretantur *potentem*, Magnatem. Onkelos, & Targum vertunt Principem [5]. Sæpe occurrunt inter aulicos Regum Iudæ, & Iſraelis eunuchi, ſeu miniſtri *Sariſim* סריסים dicti; qui ſi Hebræi natione fuerunt; certo certius eſt eos veros eunuchos non fuiſſe; nam Deus Levit. 22. 24. & anima-

1 נכאות. Aq. σύραξ Θυμιάματα.
2 וישם שק במתניו.
3 Paguin. Oleaſter, Cajetan. Montan, &c.
4 Iren. l. 5. c. 39. Origen. hom. 15. in Geneſ. Euſeb. l. 14. Demonſtr. Evang. c. 12. Baſil. in Pſalm. 44. Tertull. l. de Anima c. 3. Hilar. in Pſal. 53. Hieron. in c. 13. &c. Auguſt. de Civit. l. 17. c. 12. & l. 4. de Anima, & ejus orig. c. 16. &c.
5 סריס Saris.

animalia ipſa ſecari vetuerat ; ac præterea alias habent voces Hebræi ad denotandos veros eunuchos. Vide Deuteronom. 22. 1. 2. Non negamus tamen, voce *Saris* eunuchum proprie dictum aliquando ſignificari; exempli gratia apud Iſaiam 56. 3. *Non dicat eunuchus : ecce ego lignum aridum*. Hujuſmodi tamen ſignificatio omnium uſitatiſſima non videtur.

Magistro Militum.] Ideſt, *Præfecto excubiarum*, ſeu Duci exercitus. Hebraica verba ad litteram ſumpta proprie ſignificant *Principem laniorum*, ſeu carnificem. Verti poteſt [1], *Princeps morte afficientium*, vel etiam *immolantium*. Hunc in ſenſum vertit Chaldæus Paraphraſtes [2]. Apud Hebræos minime probroſum erat ſontes ultimo ſupplicio plectere, ut conſtat ex pluribus exemplis, quæ occurrent legentibus Diſſertationem de ſuppliciis veterum Hebræorum. Apud Romanos id muneris a militibus, ut plurimum peragebatur.

Ita fieri poteſt, ut Putiphar præeſſet militibus, qui latus principis cuſtodirent, quique ſontibus plectendis eſſent deſtinati. In aula Regum Babyloniorum obſervare licet miniſtros ejuſdem nominis, ejuſdemque muneris cum Putiphare; exempli gratia, Nabuzardanus, & Ariochus eumdem apud Nabuchodonoſorem locum, quem Putiphar in Ægypto, obtinebant 4. Reg. 25. 8. & Daniel. 2. 14. Communiter credunt eos fuiſſe Præfectos excubiarum, ſeu Duces exercitus. Septuaginta non ſemper conſentiunt in vertenda hebraica voce. Hic vertunt Ἀρχιμάγειρον, principem coquorum, vel ſacrificulorum. Apud Græcos enim Μάγειρος ſæpe ſignificat eum, qui victimas immolat. (Ariſtophan. in Equit. act. 1, ſcen. 2.) Capite vero 40. verſ. 3. vertunt *Principem cuſtodem captivorum* (Ἀρχιδεσμοφύλακα ex Alexandrino exemplari) & capite eodem verſ. 4. Principem carcere incluſorum, ἀρχιδεσμώτην.

Ejuſmodi officium, quod poſtremo loco recenſuimus, mirifice congruit cum eo, quod apud Danielem Ariocho tributum videmus. Officium vero magiſtri coquorum, aut immolantium eo tempore magna in exiſtimatione habebatur; victimas enim coqui immolabant, & cibos parabant, quod apud Homerum factitatum animadvertimus a Regibus, & Regum filiis. Veteres porro coquos ritibus ſacrificiorum inſtructos, & cæremoniarum ſacrarum peritos eſſe oportebat, teſte Athenæo lib. 14. cap. 22. Sero tantum Græci his miniſteriis ſervos adhibuerunt. Narrant Phænices apud Evemerum Coum, Cadmum fuiſſe coquum Regis cujuſdam Sidoniorum, eumque e Regia una cum Hermione pſaltria aufugiſſe. Olympias Alexandri mater, cum filio ſuo coquum mitteret, eum tamquam ſacrificiorum omnium, & cæremoniarum ſuæ gentis peritiſſimum illi commendavit, juſſitque, eum benigne exciperet, & quamprimum ſibi remitteret. Retineri igitur poteſt hoc in loco verſio Septuaginta, ſi coquorum principem, ſive ſacrificulorum, tam late accipiamus, ut accipi conſueviſſe adnotavimus.

Hiſtoria Patriarchæ Joſephi, cujus hic enarrationem ordimur, maxime admirandum nobis, & certiſſimum Divinæ providentiæ exemplum ſuppeditabit deinceps, & omnium, quorquot ſeu in Veteris, ſeu in Novi Teſtamenti hiſtoria occurrunt, locupletiſſimum; poſt Ieſu Chriſti hiſtoriam, cujus nihil aliud quam umbra, & figura Joſeph fuit. Joſeph patri ſuo apprime charus, ſenectutis ejus filius; adoleſcens plenus ſapientia, ac prudentia, de quo dictum eſt, cum in dies magis incrementum capturum: *Filius accreſcens Joſeph*, perfecte nobis refert Ieſum Chriſtum, filium, in quo ſibi bene complacuit æternus Pater, ab æterno genitum, ſecundum divinam naturam; natum autem in terris in tempore, ſenili mundi ætate; plenum gratia, & ſapientia, qui juxta Evangelicum dictum proficiebat ætate, & ſapientia coram Deo, & hominibus. Joſeph ſupra ceteros fratres dilectus a patre, pulcherrimus forma, ex venuſta Rachele ſuſceptus, indutus ſplendida tunica, variiſque coloribus diſtincta, denotabat Jeſum Chriſtum Principem prædeſtinatorum, & fontem omnium gratiarum, prædeſtinationis, & adoptionis Sanctorum, & Electorum omnium: qui tanto præſtat his & merito ſuo, & ubertate gratiarum, quibus repletus eſt, quanto filius unicus præſtat ſervis, Creator creaturis. Ieſum, inquam, præfigurabat ſpecioſum forma præ filiis hominum, cujus pulchritudo tota divina eſt, & interna, qui natus ex perfectiſſima omnium creaturarum, & ſupra ceteras a Deo exornata, & cumulata præſtantiſſimis dotibus, ex Beata videlicet Virgine Maria; veſtitus eſt humana natura, tamquam indumento verſicolore, ornatuſque virtutibus omnibus, & perfectionibus, quæ Deum hominem factum decebant.

1 שַׂר הַטַּבָּחִים. Princeps laniorum, ſeu morte afficientium.
2 Onkel. רַב קְטוֹלַיָּא.

CAPUT XXXVIII.

Judas duos filios ſuos ſucceſſive cum Thamar matrimonio jungit. Tertium autem filium poſt mortem priorum deſpondere eidem recuſat. Ortus Phares, & Zaram.

v.1. EOdem tempore deſcendens Judas a fratribus ſuis, divertit ad virum Odollami-
tem, nomine Hiram. 2 Viditque ibi filiam hominis Chananæi, vocabulo Sue:
& accepta uxore, ingreſſus eſt ad eam. 3 Quæ concepit, & peperit filium,
& vocavit nomen ejus Her. 4 Rurſumque concepto fœtu, natum filium vocavit Onan.
5 Tertium quoque peperit, quem appellavit Sela, quo nato, parere ultra ceſſavit. 6
Dedit autem Judas uxorem primogenito ſuo Her, nomine Thamar. 7 Fuit quoque Her
primogenitus Judæ, nequam in conſpectu Domini: & ab eo occiſus eſt. 8 Dixit ergo
Judas ad Onam filium ſuum: ingredere ad uxorem fratris tui, & ſociare illi, ut ſuſci-

tes ſe-

tes ſemen fratri tuo. 9 Ille ſciens non ſibi naſci filios, introiens ad uxorem fratris ſui,
ſemen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine naſcerentur. 10 Et idcirco percuſ-
ſit eum Dominus, eo quod rem deteſtabilem faceret. 11 Quam ob rem dixit Judas
Thamar nurui ſuæ: Eſto vidua in domo patris tui, donec creſcat Sela filius meus: ti-
mebat enim, ne & ipſe moreretur, ſicut fratres ejus. Quæ abiit, & habitavit in domo
patris ſui. 12 Evolutis autem multis diebus mortua eſt Sue uxor Judæ: qui poſt lu-
ctum conſolatione ſuſcepta, aſcendebat ad tonſores ovium ſuarum, ipſe, & Hiras opi-
lio gregis Odollamites, in Thamnas. 13 Nuntiatumque eſt Thamar, quod ſocer illius
aſcenderet in Thamnas ad tondendas oves. 14 Quæ, depoſitis viduitatis veſtibus, aſ-
ſumpſit theriſtrum: & mutato habitu, ſedit in bivio itineris, quod ducit Thamnam: eo
quod creviſſet Sela, & non eum accepiſſet maritum. 15 Quam cum vidiſſet Judas, ſu-
ſpicatus eſt eſſe meretricem: operuerat enim vultum ſuum, ne agnoſceretur. 16 In-
grediensque ad eam, ait: Dimitte me, ut coeam tecum; neſciebat enim, quod nurus
ſua eſſet. Qua reſpondente: Quid dabis mihi, ut fruaris concubitu meo? 17 Dixit:
Mittam tibi hœdum de gregibus. Rurſumque illa dicente: Patiar, quod vis, ſi dede-
ris mihi arrhabonem, donec mittas, quod polliceris. 18 Ait Judas: Quid tibi vis
pro arrhabone dari? Reſpondit: Annulum tuum, & armillam, & baculum, quem ma-
nu tenes. Ad unum igitur coitum mulier concepit. 19 Et ſurgens abiit; depoſitoque
habitu, quem ſumpſerat, induta eſt viduitatis veſtibus. 20 Miſit autem Judas hœdum
per paſtorem ſuum Odollamitem, ut reciperet pignus, quod dederat mulieri, qui cum
non inveniſſet eam, 21 Interrogavit homines loci illius: Ubi eſt mulier, quæ ſedebat
in bivio? Reſpondentibus cunctis: Non fuit in loco iſto meretrix; 22 Reverſus eſt
ad Judam, & dixit ei: Non inveni eam, ſed & homines loci illius dixerunt mihi, num-
quam ſediſſe ibi ſcortum. 23 Ait Judas: Habeat ſibi, certe mendacii arguere nos non
poteſt: ego miſi hœdum, quem promiſeram, & tu non inveniſti eam. 24 Ecce autem
poſt tres menſes nunciaverunt Judæ, dicentes: Fornicata eſt Thamar nurus tua, & vi-
detur uterus illius intumeſcere. Dixitque Judas: Producite eam, ut comburatur. 25
Quæ cum duceretur ad pœnam, miſit ad ſocerum ſuum, dicens: De viro, cujus hæc
ſunt, concepi, cognoſce, cujus ſit annulus, & armilla, & baculus. 26 Qui, agnitis
muneribus ait: Juſtior me eſt: quia non tradidi eam Sela filio meo. Attamen ultra non
cognovit eam. 27 Inſtante autem partu, apparuerunt gemini in utero: atque in ipſa
effuſione infantium, unus protulit manum, in qua obſtetrix ligavit coccinum, dicens:
28 Iſte egredietur prior. 29 Illo vero retrahente manum, egreſſus eſt alter: dixit-
que mulier: Quare diviſa eſt propter te maceria? & ob hanc cauſam vocavit nomen
ejus Phares. 30 Poſtea egreſſus eſt frater ejus, in cujus manu erat coccinum, quem
appellavit Zara.

V. 1. EODEM TEMPORE.] Si vim, ac proprietatem horum verborum attendamus, videtur dicendum, hiſtoricum illud facinus, quod hic recenſetur, ſub idem tempus accidiſſe, ad quod ſuperius refertur. Verum perquam difficile eſt ſingulas hujus hiſtoriæ circumſtantias conciliare cum exiguo illo temporis ſpatio, quod interceſſit a venditione Ioſephi uſque ad Iacobi adventum in Ægyptum. Viginti enim, ad ſummum viginti tres anni interceſſere. Interea temporis Iudas copulavit ſibi filiam Sue, ex qua tres filios ſuſcepit, quorum duo Thamari ſucceſſive copulantur. Ea cum vidua remanſiſſet, ingreditur ad Iudam, *poſt multos dies*, concipit, ac tandem parit Phares, & Zaram. Phares ducit uxorem, & ex ea liberos procreat, qui accedunt ad Iacobum in Æ- B gyptum. Quomodo autem hæc omnia fieri potuerunt ſpatio viginti duorum, aut viginti trium annorum? Divus Auguſtinus quæſt. 128. in Geneſ. quem plurimi Interpretes ſequuntur, credit Iudæ matrimonium hic recenſeri per anacephalæoſin; hoc eſt, referri hic præter ordinem, ut conjungatur cum aliis circumſtantiis, quæ illud comitatæ ſunt, quæque incidunt in tempus captivitatis Joſephi. Certum eſt, hæc verba *in illo tempore*, *in illa hora*, & ſimilia non ſemper evincere, rem, quæ narratur, eo- A dem tempore geſtam eſſe, quo res præcedens. Ita valde credibile eſt, Iudam matrimonio jam fuiſſe junctum, quo tempore Ioſeph venditus eſt Ægyptiis.

Aliqui tamen ſecus opinantur. Notant, Iudam quatuor non amplius annis fuiſſe Ioſepho majorem, qui quidem cum venditus fuit, ſexdecim tantum annos natus erat; unde vigeſimum annum Iudam agere neceſſe fuit. Vivebat adhuc cum fratribus ſuis in domo Iacobi, & una cum illis paſcebat greges patris ſui; nec apparet eum tunc temporis domum, aut greges ſeorſim a patre habuiſſe, quemadmodum habuit poſt matrimonium. Vero igitur ſimile valde eſt, illum adhuc matrimonio junctum non fuiſſe eo tempore, & ſequendum eum temporis ordinem, qui a Moyſe hoc in loco notatur.

Nihilominus ea, quæ hoc capite continentur, tali ratione digeruntur a Pererio, Ianſenio, aliiſque. Iudas annos natus viginti ducit filiam Sue Chananæi; tribus ſequentibus annis tres filios ex ea progenuit. Ex his primogenitus cum ad ſeptemdecim annorum ætatem deveniſſet, Thamar ducit, eodemque anno moritur. Onan ejus frater decem & octo annos natus Thamar viduam fratris ſui ſibi copulat; ac paulo poſt a Deo morte percutitur. Inde tres annos Thamar in viduitate degit; poſtea gravida fit, eniti-

enititurque Phares, & Zaram, altero ac vigeſimo anno poſt venditum Ioſephum; ſecundo poſt eorum ortum anno Iacobus cum ſua familia in Ægyptum migrat. Phares ibi ducit uxorem, & ex ea ſuſcipit Ezram, & Hamul, qui recenſentur in catalogo eorum, qui cum Iacobo in Ægyptum venerunt Geneſ. 46. 12. non quod ii nati eſſent ante ejus in Ægyptum adventum, ſed quod nati eſſent inter illud ſeptemdecim annorum ſpatium, quibus vixit in ea regione. Idem dicendum de decem filiis Beniamin, qui eodem loco recenſentur: neque enim credibile eſt, tunc temporis tantam prolem fuiſſe Beniamino.

℣. 2. VIDITQUE IBI FILIAM HOMINIS CHANANÆI, VOCABULO SUE, ET ACCEPTA UXORE.] Nomen Chanaan, ſeu Chananæi aliquando accipitur pro Mercatore. Auctor libri, qui inſcribitur Teſtamentum duodecim Patriarcharum, vult *Sue* eſſe nomen mulieris, quam duxit Iudas: ſed ex Hebræo textu aperte liquet, *Sue* fuiſſe nomen ſoceri Iudæ. Connubia cum filiabus Chananæis nulla lege interdicebantur Hebræis, atque ejuſmodi matrimonia Iacobi filii contrahere nulla religione impediuntur. Scriptura Sacra hoc in loco hiſtoriam nobis exhibet, quæ primo intuitu haud ita idonea videtur ad inſtruendum. At ſenſus myſticus, qui hac hiſtoria tegitur, & continetur, tam ſublimis eſt, quam vilis videtur carnalibus oculis ſenſus litteralis. Non enim ſine juſtiſſima ratione permiſit Spiritus Sanctus in Genealogia Ieſu Chriſti referri hiſtoriam Thamar, Rahab, Ruth, & Berſabeæ.

℣. 3. VOCAVIT NOMEN EJUS HER.] Verbum *vocavit* eſt maſculinum in hoc verſiculo: verſiculo vero ſequenti fœmininum; perinde ac ſi Iudas primogenito ſuo nomen indidiſſet, ejus vero uxor ſecundogenito. Modo pater, modo mater modo filiis nomina imponebant, ut jam alibi notavimus.

℣. 5. PARERE ULTRA CESSAVIT.] Hebræus textus: *erat ille in Kaſib, cum ea peperit* [1]. Iudas erat in Kaſib, loco circa Odollam, & Mambre, cum natus ei eſt primogenitus. Septuaginta: *Erat illa in Caſbi, quando peperit*. Plerique Interpretes cum veteres, tum recentiores explicatunt *Caſbi* pro loco, cujus mentio occurrit Ioſue 15. 44. & Michææ 1. 14. Idem ſentiunt Chaldæi, Septuaginta, Euſebius in l. de locis Hebraicis, Rabbini, Vatablus, & alii multi. Aquila [2], quem ſecutus eſt Divus Hieronymus in ſua verſione, & in ſuis quæſtionibus Hebraicis, accepit *Kaſib* pro nomine communi, quod ſignificat *mentiri, ceſſare*. *Et factum eſt, ut mentiretur in partu*, ideſt, quemadmodum explicat Divus Hieronymus, ceſſavit parere, ultimum filium edidit: ac fortaſſe mortua eſt in partu.

℣. 7. NEQUAM IN CONSPECTU DOMINI.] Erat hic inſigniter malus: vir nota, & publica improbitate. Non exprimit Scriptura, cujuſmodi eſſet ejus flagitium. Divus Auguſtinus l. 22. contra Fauſtum cap. 88. *Malignum, vel ſævum ante Dominum* interpretatur. Alii credunt, eum fuiſſe reum peccati contra naturam, quod exprimitur eadem ferme phraſi, ac flagitium Her. Geneſ. 13. 13. Iudæi docent, Her, ne uxoris ſuæ, quam perdite amabat, venuſtas imminueretur, execrando flagitio operam dediſſe, ne conciperet.

℣. 8. INGREDERE AD UXOREM FRATRIS TUI.] Iam & ante Moyſis legem, mos ille apud Hebræos vigebat, ut frater duceret uxorem fratris ſui, qui ſine poſteritate deceſſiſſet. Philo l. de nobilitate videtur aſſerere, id etiam apud Chananæos obtinuiſſe, cum referat, ſecundum matrimonium Thamaris celebratum fuiſſe juſſu Iudicum, & Magiſtratuum ejus regionis. Marshamus contendit hunc morem initium habuiſſe ab Ægyptiis, & ex Cod. Iuſtiniani lib. 5. tit. 5. lege 8. eam conſuetudinem ibi viguiſſe apparet, uſque ad tempora Zenonis Imperatoris (deceſſit anno 491.). *Ægyptii idcirco mortuorum fratrum conjuges matrimonio copularunt, quod poſt illorum mortem manſiſſe virgines putabantur; arbitrati ſcilicet, quod certis legum conditoribus placuit, cum corpore non convenerint, nuptias non videri eſſe contractas*. Hæc tamen lex videtur reſtringenda ad matrimonia non conſummata, ut indicant verba illa, *cum corpore non convenerint*.

℣. 9. SCIENS NON SIBI NASCI FILIOS, SEMEN FUNDEBAT IN TERRAM. [3]] Primogenitus nomen ſumebat fratris, qui ſine liberis deceſſerat; alii vero filii nomen accipiebant fratris viventis, qui eorum pater erat naturalis. Bonfretius, Menoch. Tirin. &c.

℣. 11. ESTO VIDUA IN DOMO PATRIS TUI, DONEC CRESCAT SELA FILIUS MEUS.] Hæc Iudas non promebat ſincero animo; fruſtrari Thamaris expectationem volebat; ratus eam fortaſſe alium virum accepturam, ſeque liberatum iri obligatione eam deſpondendi tertio filio ſuo. Menochius, Cornelius a lapide, Bonfrerius, & alii credunt, Thamarem propter matrimonium jam cum Her contractum ita obligatam fuiſſe familiæ Iudæ, ut alium virum ducere non poſſet ſine conſenſu ſoceri ſui, dotis reſtitutione alioquin mulctanda, quam a marito acceperat juxta receptam eorum temporum conſuetudinem. Rabbini arbitrantur, veteres illos, qui hunc morem invexerunt, credidiſſe animarum Metempſycoſim, & ex ea opinionis credulitate fluxiſſe, ut frater viduam fratris ſui ſine filiis decedentis ducere juberetur. Vide Seldenum Uxor. Hebr. lib. 1. cap. 13. ad finem, & Rabbinos, quos citat. Auctor operis imperfecti in Matthæum homil. 1. narrat, Thamar fuiſſe ex progenie *Aram*. Cum mater Her Chananæa eſſet, minime probabat ejus matrimonium cum Thamar, eique auctrix fuit, ne ad uxorem ſuam ingrederetur. Dictis fidem præſtitit ille; at a Deo morte percuſſus interiit. Onan ejus frater alia de cauſa, quæ hic refertur, prohibebat, ne Thamar genitrix effici poſſet, quem pariter morte Deus affecit; ita ut ea poſt mortem Onan virgo permanſerit. Judas filiorum ſuorum nece graviter affectus, nuruſque ſuæ opprobrio, cujus cauſam ignorabat, diu lacrymans, & preces effundens perſeveravit. Ejus miſertus Deus rem totam illi aperuit. Iudas autem religione ductus Thamarem ducere noluit, quamvis ſciret matrimonium cum duobus filiis ſuis non fuiſſe conſummatum. Unde hæc hauſerit ejuſmodi auctor, ignotum habeo.

℣. 12. HIRAS OPILIO GREGIS.] Vox Hebræa רעהו, quam Septuaginta vertunt *Paſtor*, vel *Opilio*, juxta aliam legendi rationem ſignificare poteſt *ejus amicus*. Quo in ſenſu ea accepit Divus Hieronymus in ſuis quæſtionibus Hebraicis. Sed in ſua verſione ſecutus eſt Septuaginta. Plerique Interpretes ſtant pro Maſſorethis, & Chaldæo Paraphraſte, qui legunt, *ejus amicus*.

IN THAMNAS.] Creditur hæc urbs eadem eſſe ac Thamnata, ſeu Thamna in finibus regionis Philiſthæorum. Initio pertinuit ad Tribum Juda, poſtea ad Tribum Dan. Ea ſæpe a Philiſthæis occupata fuit. Euſebius eam collocat in agro Lyddæ, ſeu Dioſpoleos.

℣. 14. ASSUMPSIT THERISTRUM.] *Theriſtrum* literaliter ſignificat veſtem æſtivam, ſeu velum, quo fœminæ contra æſtivos calores ſe muniebant. Obſervavimus jam ad caput 24. 65. hujus libri, mulieres in pu-

1 והיה בכזיב בלדתה אתו.
2 Aq. *Et vocavit nomen ejus Selom, & factum eſt, ut mentiretur in partu, poſt quam genuit eum*. Apud Hieronym. Quæſt. Hebr.
3 ושחת ארצה. 70. Ἐξέχεεν ἐπὶ τὴν γῆν. Alius, διέφθειρε: Corrumpebat in terram.

in publicum non proceſſiſſe, niſi velo aliquo coopertas. Etiam inhoneſtæ mulieres eodem modo vultum regebant, ut ex hoc loco apparet; adeoque communiter appellari videntur, mulieres velatæ, ſeu tectę. Sponſa Canticorum 1. 6. 7. ait: *ne vagari incipiam poſt gregem ſodalium tuorum*; ubi Hebræus textus habet: *ut exiſtimer velata mulier, ſequens gregem aliorum* [1]. Aquila aliquando vertit [2] *perſonata* eam vocem hebræam, quæ meretricem ſignificat.

Et Mutato habitu sedit in bivio itineris.] Depoſuit lugubres veſtes, quibus induebantur viduæ, quamdiu ſecundis nuptiis abſtinebant, ut conſtat ex Judith 10. 2. Hebr. ad litteram [3]: *Cooperuit ſe* (ita vultum celavit, ut agnoſci omnino non poſſet), *& ſedit ad apertionem oculorum, quæ eſt in via Thamnat*, i. e. in loco, ubi viatoribus oculi aperiendi ſunt, & conſiderandum, quæ ſit recta ſemita [4]. Verti etiam poteſt cum Septuaginta [5]: *Ornavit ſe prope portas Enam, quæ eſt in via Thamnas*. Syriaca quoque verſio nomen *Enam*, ſeu *Enaim* pro loco accipit. Euſebius meminit loci cujuſdam nomine Enaim, ſeu Beth-anim in Tribu Iuda. Poſtremo nonnulli vertunt: *Ornavit ſe, & ſedit ad portam duorum fontium, quæ eſt in itinere Thamnat*. Ego poſtremam hanc verſionem malim.

Porro ex Prophetis diſcimus, impudicas mulieres, quæ corpore quæſtum facerent, in viis publicis, ut plurimum, ſedere conſueviſſe. Ieremias 3. 2. *Vide ubi non proſtrata ſis; in viis ſedebas, expectans eos quaſi latro in ſolitudine &c.* Ezechiel 16. 25. *Ad omne caput viæ ædificaſti ſignum proſtitutionis tuæ*. Eadem & prophani auctores narrant. Chryſippus [6] ſcribit, eas primum extra civitatem, & faciem coopertas ſu ſe proſtituiſſe; poſtea creſcente impudentia velamenta faciei abjeciſſe, cumque in Civitate manere non auderent, quod legibus vetarentur, extra illas habitaſſe.

℣. 16. Ingrediensque ad eam ... nesciebat quod nurus sua esset.] Crimen Thamar fuit adulterium, quia deſponſata erat, & aliquo modo matrimonio juncta cum *Sela*, qui poterat ſine ulla alia promiſſione vel deſponſatione matrimonium cum illa conſummare, ſi Iudæ collibuiſſet. Præterea inceſtum commiſit, quia norat Iudam eſſe ſocerum ſuum. Oſtendit autem Iudas, quanto tunc eſſet odio ejuſmodi crimen, quoniam ſtatim ac reſcivit Thamarem gravidam eſſe, igne eam damnavit.

Nonnulli, ut Franciſcus Georgius ſect. 4. Problem. 255. & 267. Marſhamus Can. Ægypt. Sæcul 9. pag. 273. Maimonides More-neb part. 3. cap. 49. dubitarunt, an Iudas peccaverit ingrediens ad Thamar, & contenderunt, fornicationem eo tempore vetitam non fuiſſe. Ad confirmandam hujuſmodi ſententiam afferunt quorumdam ſanctorum Patrum dicta, qui videntur Iudæ facinus, & Thamaris conſilium comprobare. Afferunt etiam Rabbinorum, & Scriptorum quorumdam ethnicorum teſtimonium, qui fornicationem pro re minime in ſe mala habuerunt, utpote quæ a legibus tolerabatur, & a ſanioribus viris ea tantum de cauſa improbabatur, quod pravos in Republica effectus parere, & juventutis mores corrumpere poſſet; non quod ea naturaliter rectæ rationi, & juſtitiæ adverſaretur.

Addunt, ex modo, quo Iudas ad Thamar accedit, & ex ſcripturæ narratione deduci non poſſe, rem hujuſmodi fuiſſe culpandam: Apoſtolos Actor. 15. 29. vetantes fornicationem, iis rebus eam conjungere, quæ in ſe ſpectatæ valde ſunt indifferentes; cujuſmodi eſt abſtinentia a ſanguine, a ſuffocato, & ab immolatis idolorum: *Ut abſtineatis vos ab immo-*

Tom. I.

A *latis ſimulacrorum, & Sanguine, & ſuffocato, & fornicatione*: In novo Teſtamento Chriſtum Dominum Matth. 5. 27. aſſerere videri, Hebræos ſolum adulterium ſibi vetitum crediſiſſe: illud certum eſſe eos non putaſſe illicitas pravas cogitationes, & turpia deſideria. Vide ad Matth. v. 20.

D. Chryſoſtomus homil. 62. in Geneſ. ſcribit nemini improbandum Thamaris conſilium, neque etiam Iudæ, cum ea nihil aliud in animo habuerit, quam filiorum procreationem, cumque divina providentia ejus conſilio optatum exitum tribuerit. Chryſoſtomo ſubſcribit, ut fere ſemper, Theodoretus quæſt. 95. in Geneſ. D. Ambroſius in Luc. lib. 3. num. 18. æque favet Thamari, dum inquit: *Hæc mulier, non tam famoſa, quam juſta; non enim temporalis uſum libidi-* B *nis requiſivit, ſed ſucceſſionis gratiam concupivit*. Addit etiam; videri Scripturam S. velle Thamaris defenſionem producere, cum refert omnes hujus hiſtoriæ circumſtantias; & Iudam ipſum agnoviſſe, illam ſe juſtiorem fuiſſe. *Sed non ita*, inquit, *illam defendimus ut iſtum accuſemus: imo utrumque excuſamus; Non autem nos, ſed myſterium, quod copulæ illius fructus expreſſit*.

Sed facile eſt r. oſtendere, fornicationem, cum & divino & naturali jure vetita ſit, nullo umquam in caſu licitam eſſe. Neque auctoritas legum Civilium, neque recta intentio, neque cupiditas evitandi graviora mala, neque mores populorum, neque ordo divinæ Providentiæ, quæ ex prava cauſa bonos quandoque effectus producit, neque myſterium, quod C ejuſmodi facto tegi poteſt, neque probi effectus, qui inde ſunt conſecuti, neque ulla res alia ſatis poteſt excuſare Judam, aut Thamar, neque ullatenus efficere, quominus grave peccatum ſit fornicatio; cujus quidem turpitudo imminui poteſt ratione circumſtantiarum; non tamen penitus auferri. Et hoc eſt, quod probari indiget.

Lex æterna, quæ eſt & origo, & regula totius juſtitiæ, & rectitudinis, non patitur, inquit D. Auguſtinus lib. 22 contra Fauſt. c. 61. & 62., virum & mulierem copulari, niſi cauſa propagationis, & hoc tantummodo in matrimonio, & ordinata ſocietate, quæ ordinem non pervertat, neque pacem diſſolvat; at fornicatio huic ordini & naturali legi adverſatur. *Conſulas æterna lex illa, quæ ordinem naturalem* D *conſervari jubet, & perturbari vetat, nonniſi propagationis cauſa ſtatuit hominis concubitum fieri; & hoc nonniſi ſocialiter ordinato connubio, quod non pervertat vinculum pacis. Et ideo proſtitutio fœminarum non ad ſuſtinendam prolem, ſed ad ſatiandam libidinem propoſitarum, Divina æternaque lege damnatur*.

Secundo, hæc ſola ratiocinatio ſufficere poteſt evertendis argumentis omnibus, quæ pro Juda, & Thamar afferri poſſent. Principium enim, cui hæc innititur, certiſſimum eſt, & extra omnem dubitationem poſitum, ex quo illatio neceſſario conſequitur. D. Chryſoſtomus, Ambroſius, & Theodoretus volunt aliquo pacto excuſare, neque injuria, ejuſmodi rem, quæ ratione circumſtantiarum non eſt tam turpis, quam turpis eſſet his remotis; at non omni- E no eam defendunt, ac probant: extenuant tantummodo illud crimen, quod a Scriptura Sacra peculiaris peccati nomine non denotatur, & quam mitiſſime fieri poteſt de re tota judicant: ſed a peccati culpa excuſare non poſſunt, quin naturalis ordo pervertatur.

Tertio, myſterium hujus facinoris, & probi effectus inde ſecuti ex divina providentia minime obſtant, quominus id peccatum ſit. Nam, ut inquit D. Auguſtinus libro eodem: *In factis hominum, quæ*

V 2 *ad imi-*

1 שלמה אהיה כעטיה על עדרי חבריך.
2 Διαπεπλεγμένη, verſ. 22. vide Oſeæ 4. 14.
3 ותתעלף ותשב בפתח עינים אשר על דרך תמנתה.
4 Hieron. quæſt. Hebr.
5 Ἐκαλλωπίσατο πρὸς ταῖς πύλαις Ἐνὰν ἥ ἐστιν ἐν παρόδῳ Θαμνάς.
6 In Iſagoge bonorum, & malorum.

ad imitandum, vitandumve proponuntur, magni intereſt bonane an mala ſint. Quæ autem ad ſignificandum ſcribuntur, ſive dicuntur, nihil refert in moribus facientium, quam laudem reprehenſionemve mereantur, ſi modo habeant aliquam rei, de qua agitur, neceſſariam præfigurandi congruentiam.

Quarto, quod attinet ad Rabbinorum, & ſcriptorum ſeu Ethnicorum, ſive Chriſtianorum auctoritates, qui tam malam cauſam defendendam ſuſcipiunt, reſpondendum illis non ducimus, niſi prius planum faciant, fornicationem legi naturali non eſſe contrariam. Quod ſi civiles leges eam tolerarunt; ſi ante Moyſis legem a Patriarchis tolerata fuit, ex eo nihil aliud inferri poteſt, quam impunitatem huic crimini fuiſſe conceſſam, itaut inquiſitionem judicum, & legum ſeveritatem evitaret, non autem peccati notam, & divinam ultionem effugeret. Et Grotius ad Matth. 7. ſatis oſtendit, plures ethnicos ſolo rationis lumine ducente credidiſſe, ſimplicem fornicationem illicitam eſſe, & improbandam. Legi poteſt Philonis liber de Joſepho, in quo opponit ſanctitatem & ſeveritatem legum Judæorum licentiæ ethnicorum, quantum attinet ad impuritatem.

℣. 18. ANNULUM TUUM, ET ARMILLAM, ET BACULUM.] Prima vox hebraici textus חתם proprie ſignificat ſigillum, quod annulis plerumque adhærebat. Babylonii omnes geſtabant annulos ſignatorios, & faſcias, quibus caput cingebant, & baculos fabrefactos: quorum in vertice figura aliqua exprimebatur, verbi gratia pomum, roſa, lilium, aquila, aut quid ſimile. Vide Herodotum l. 1. cap. 95.

ARMILLAM.] Hebraicum פתיל *Petil* accipitur pro filo, funiculo, aut tænia. Nos credimus hoc in loco accipi poſſe pro faſciolis illis, aut tæniis, quibus orientales populi tempore præcingebant. Septuaginta vertunt Ὁρμίσκον: Aquila Στρεπτὸν id eſt monile, vel torquem. Alii accipiunt pro ſudario: Pagninus pro pallio, alii denique pro galero. Plerique tamen noſtræ ſententiæ ſuffragantur. Olim viri armillas geſtabant, quæ idcirco *Virilia* etiam appellatæ ſunt. Papias: *Armillæ proprie virorum ſunt ob armorum virtutem, quæ quondam virilia dicebantur.* Vide Plinium lib. 33. c. 3.

BACULUM] מטה. Symmachus Ἐγχειρίδιον, pugionem, ſeu virgam. Arabes Nabathæi, quibus conterminі habitabant tunc Hebræi, baculos peculiari quodam modo confectos ſemper geſtabant, unde inter ceteros omnes diſtinguebantur. Strabo lib. 16. pag. 530. Ex ſcriptura porro conſtat, Iſraelitas eumdem morem uſurpaſſe. Moyſes baculum ſemper geſtabat. In Tabernaculo fœderis poſita fuit Virga Aaron una cum virgis duodecim principum Tribuum, ut Dei voluntatem intelligerent circa electionem Sacerdotum. Numer. 17. 3. Temporibus Heroicis aut arma, aut baculi geſtabantur. *Per ea tempora*, inquit Juſtinus lib. 43. *Reges haſtas pro diademate habebant; quas Græci ſceptra dixere; nam & origine rerum pro Diis immortalibus veteres haſtas coluere, ob cujus religionis memoriam, adhuc Deorum ſimulacris haſtæ adhibentur.*

℣. 21. NON FUIT IN LOCO ISTO MERETRIX.] Hebr. habet: *Non fuit hic Kadeſcha* קדשה; quæ vox ex radice deſcendit, quæ ſignificat plerumque ſanctificare, & aliquando contrario ſenſu accipitur, pro corrumpere, polluere. Deuteron. 22. 9. Lex vetat, ne impuri res ſanctas attingant, & vice verſa ne puri ad res immundas accedant: utroque enim modo immunditia contrahitur; & utraque res appellatur in Sacra Scriptura קדש Cadeſch ſanctificare. Sunt etiam nonnulli docti interpretes, qui volunt, hanc vocem proprie nihil aliud ſignificare, quam *ſeparare*, quod æque convenit rebus ſanctis, quæ ab impuris ſunt ſeparatæ, quam rebus immundis, quæ ſeparentur a puris. Grotius vero in hunc locum ait, quemadmodum res communes ſunt & publicæ, tales eſſe homines vitæ improbæ.

Verum neceſſe fortaſſe non eſt tam ſubtiles explicationes comminiſci, & nihil aliud eſt vox iſta quam *ſancta*, aut *ſanctificata*, ideſt ſacra perſona, quæ voti cauſa in honorem falſæ Divinitatis ſe ſe proſtituit. Incredibile omnino eſſet, tantam in hominibus cæcitatem, mentis & morum corruptelam reperiri poſſe, ut maxime pudenda flagitia religioni inſervire crederent, niſi univerſæ hiſtoriæ id reſtarentur. Ejuſmodi crimen apud multos populos in honore habebatur, apud Ægyptios, Babylonios, Corinthios, Cyprios, & alios. Neque minor erat cæcitas mentis, & morum corruptio in tota terra Chanaan. At poſt Sodomitarum crimina nihil incredibile amplius videri debet.

℣. 23. HABEAT SIBI; CERTE MENDACII ARGUERE NOS NON POTEST.] Hebræus: *Habeat ſibi, ne nos contempui ſimus.* Nolo amplius de ea quærere, neque arrhas repetere, ne per ora hominum traducar. Agnoſcit turpitudinem flagitii a ſe patrati, & quoneo ſe populorum contemptui exponeret, ſi ea femina agnoſceretur.

℣. 24. PRODUCITE EAM, UT COMBURATUR.] Pœna conſueta mulierum adulterarum ea fuit, ut lapidibus obruerentur juxta legem Levit. 20. 10.; et Sacerdotum filiæ vivæ comburebantur, ſi in hoc crimine eſſent deprehenſæ. Levit. 21. 9. Rabbini apud Grotium, & Genebrardum, ex ſupplicio Thamaris inferunt eam fuiſſe filiam Sem, aut Melchiſedech Sacerdotis Altiſſimi. Chananæi, ut videtur, adulterii crimen igne puniebant. Philiſthæi combuſſerunt Sampſonis uxorem, quæ a primo viro receſſerat, ut alteri ſe copularet. Judic. 15. 6. Rex Babylonis comburendos mandavit Sedeciam & Achabum adulterii reos Jerem. 29. 22. 23 Nullum tamen certum ſuppetit argumentum, unde colligere liceat, hanc fuiſſe pœnam adulterii ordinariam.

Capitolinus in Macrino narrat eum *Adulterii reos vivos ſemper ſimul incendiſſe junctis corporibus.* Arabes ultimo ſupplicio adulteros afficiebant, quamquam iidem inceſtum filiorum cum matribus, & fratrum cum ſororibus tolerarent. Strabo lib. 16. Apud Ægyptios, referente Diodoro Siculo lib. 1. c. 6. vir adulter fuſtigatione coercebatur, mulieri vero naſus detruncabatur. Idem tamen Diodorus refert, Seſoſtrim fœminas quaſdam adulteras igni addixiſſe; id quod oſtendere videtur, hoc fuiſſe apud veteres Ægyptios ſupplicii genus in adulteros uſitatum. Hoc in loco notari poteſt, quid juris haberent Patres in ſuas familias, cum Judas comburi Thamarem jubeat adulterii convictam; Pater autem Thamaris, apud quem ea tunc morabatur, huic ſententiæ non adverſetur.

At numquid Thamar ita gravida combuſta fuiſſet, antequam pareret? Multi Interpretes opinantur Judam leniturum fuiſſe ſententiæ acerbitatem, re attentius perpenſa, neque executioni mandaturum fuiſſe decretum, quod ira correptus præcipitanter ediderat. Legibus Ægyptiorum, Athenienſium, & Romanorum cautum erat, ut ne qua mulier, quæ ventrem ferret, ultimo ſupplicio afficeretur, antequam fœtum enixa eſſet. Nonnulli ex Rabbinis docent, ferro tantummodo frontem inurendam fuiſſe, ut hac nota impreſſa pro impudica muliere agnoſceretur. Targum Hieroſolymitanum, & Jonathan narrant, dum judicium hoc perageretur, vocem eſſe auditam de Cœlo, qua innocens declarabatur; at hæc non creduntur, niſi probentur.

℣. 26. JUSTIOR ME EST.] Non quod ea juſta eſſet, inquit D. Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum cap. 61. ſed quod præ Juda minus eſſet illo injuſta. Hoc in ſenſu loquitur Ezechiel 16. 51. 52. cum Hieroſolymæ exprobrat, quod *Sodomam & Samariam ſanctificaverit*, videlicet quod majora ſcelera præ memoratis civitatibus patraverit. Judas occaſionem præbuerat Thamaris delicto, dedita opera moras nectens, & differens ei jungere tertium filium, quemadmodum tenebatur: ex hac injuria tota hæc res profecta eſt. En quo in ſenſu injuſtior ſit Judas quam Thamar; ex alia autem parte Thamaris delictum in ſe ſpectatum gravius fuit, quam Judæ crimen, quia ipſe eam non agnoſcebat.

AT-

ATTAMEN ULTRA NON COGNOVIT EAM.] D. Ambroſius in Lucam l. 3. n. 18. & Theodoretus quæſt. 95. credunt Thamarem poſt ſuſceptos geminos hoſce filios ex Juda, nullum amplius cum ullo viro commercium habuiſſe, viduamque ad mortem uſque permanſiſſe. Judas non videtur alios præter Phares, & Zaram filios amplius habuiſſe. *Sela* Judæ filius aliam fœminam duxit, ex qua ſuſcepit filios qui referuntur Numer. 26. 19.

Aliqui Rabbini vertunt: *Et non deſiit adhuc cognoſcere eam*. Contendunt Hebræum יסף *Jaſaph* hoc in loco eſſe *ceſſare*, ut Numer. 11. 25. Sed hujuſmodi explicatio coacta videtur, & ſermonis connexioni, ac præterea linguæ Hebraicæ genio contraria. Vide Seldenum lib. 5. cap. 9. de Jure Nat. & Gent. & lib. 7. cap. 5.

℣. 28. ISTE EGREDIETUR PRIOR.] Hebræus, & Chaldæus: *Iſte egreſſus eſt prior*. Haberi debet pro primogenito. Jam ſupra in hiſtoria Jacob, & Eſau adnotavimus apud Hebræos, cum gemini naſcerentur, eum primogeniti jura obtinuiſſe, qui prior in lucem prodiret: ſed alibi ſæpe dubitatum eſt, utrum hoc jus ad eum pertineret, qui prior naſceretur, quod is conceptus videretur poſterior, & in hoc jure attribuendo major ratio habenda eſſet conceptionis, quam nativitatis. Hujuſmodi quæſtio hodie quoque indefinita eſt, & problematice propughatur. Vid. Paulum Zachiam quæſt. Medico-legal. to. 2. lib. 9.

℣. 29 QUARE DIVISA EST PROPTER TE MACERIA.] Hebraicus textus ad litteram [1] *quare rupiſti? ruptura ſit ſuper te*. Samaritanus: *Quæ ſuit vis tua, ut ſuperares?* Plures locus iſte patitur interpretationes juxta Vulgatæ lectionem. Quare diruiſti murum ſeparationis? quare invexiſti in familiam contentionem de jure primogenituræ, fratris nativitatem antevertens? Ita Grotius. Alio modo: Ut tu ipſe dividaris, quoniam diſrumpere voluiſti involucrum, quo tegebaris, ut fratrem antevenires. Vatablus. Vel, quoniam dirupiſti ſeparationem, tu appellaberis Phares, ſeu Diviſio. Bochartus. Denique poteſt & hoc in ſenſu accipi: quoniam tu dirupiſti ſeparationem, tuo periculo erit; quidquid inde eveniet infortunii, in te recidet, de te tibi quærendum erit. Clericus.

Patres, qui myſtico ſacrarum Scripturarum ſenſui
B inveſtigando operam dederunt, agnoſcunt in hac hiſtoria ſymbolum vocationis Gentium, & reprobationis Judæorum. Phares præfigurat Judæos, ſeu Synagogam: Zara vero Gentes. Synagoga quidem prior nata erat, ac proinde potiorem in Chriſti hæreditate partem habere debere videbatur; attamen jure ſuo, & prærogativis omnibus decidit; & in ejus jura Gentes ſucceſſerunt. Ipſæ Salvatoris Eccleſiam conſtituerunt; & eum locum occuparunt, quem Judæi tenere debuiſſent. Vitta, ſeu filum coccineum denotat Chriſti ſanguinem, qui fideles juſtificat, & totius eorum meriti fons eſt, & origo. Vide Irenæum lib. 4. cap. 47. Chryſoſtomum homil. 62 in Geneſ. Auguſtinum lib. 22. contra Fauſtum cap. 84. 85. 86. Theodoretum quæſt. 96. Rupertum in Gen. lib. 8.

[1] מה פרצת עליך פרץ.

CAPUT XXXIX.

Joſeph domini ſui Putipharis gratiam demeretur. Ab hera interpellatur de ſtupro, quæ, cum ſe deſpectam videret, in eum ſollicitati thori culpam per calumniam infert, unde Joſeph carceri mancipatur.

℣. 1. IGitur Joſeph ductus eſt in Ægyptum, emitque eum Putiphar eunuchus Pharao-
nis, princeps exercitus ſui, vir Ægyptius de manu Iſmaelitarum, a quibus per-
ductus erat. 2 Fuitque Dominus cum eo, & erat vir in cunctis proſpere a-
gens: habitavitque in domo domini ſui, 3 Qui optime noverat Dominum eſſe cum eo,
& omnia, quæ gereret, ab eo dirigi in manu illius. 4 Invenitque Joſeph gratiam co-
ram domino ſuo, & miniſtrabat ei, a quo præpoſitus omnibus gubernabat creditam ſibi
domum, & univerſa, quæ ei tradita fuerant. 5 Benedixitque Dominus domui Ægy-
ptii propter Joſeph, & multiplicavit tam in ædibus quam in agris cunctam ejus ſub-
ſtantiam. 6 Nec quidquam aliud noverat, niſi panem, quo veſcebatur. Erat autem
Joſeph pulchra facie, & decorus aſpectu. 7 Poſt multos itaque dies injecit domina ſua
oculos ſuos in Joſeph, & ait: Dormi mecum. 8 Qui nequaquam acquieſcens operi
nefario, dixit ad eam: Ecce dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat, quid ha-
beat in domo ſua: 9 Nec quidquam eſt, quod non in mea ſit poteſtate, vel non tra-
diderit mihi, præter te, quæ uxor ejus es: quomodo ergo poſſum hoc malum facere,
& peccare in Deum meum? 10 Hujuſcemodi verbis per ſingulos dies, & mulier mole-
ſta erat adoleſcenti, & ille recuſabat ſtuprum. 11 Accidit autem quadam die, ut in-
traret Joſeph domum, & operis quidpiam abſque arbitris faceret: 12 Et illa appre-
henſa lacinia veſtimenti ejus, diceret: Dormi mecum. Qui relicto in manu ejus pallio
fugit, & egreſſus eſt foras. 13 Cumque vidiſſet mulier veſtem in manibus ſuis, & ſe
eſſe contemptam, 14 Vocavit ad ſe homines domus ſuæ, & ait ad eos: En introdu-
xit virum Hebræum, ut illuderet nobis: ingreſſus eſt ad me, ut coiret mecum: cum-

que ego ſuccłamaſſem, 15 Et audiſſet vocem meam, reliquit pallium, quod tenebam,
& fugit foras. 16 In argumentum ergo fidei retentum pallium oſtendit marito revertenti domum.
17 Et ait : Ingreſſus eſt ad me ſervus Hebræus, quem adduxiſti, ut il-
luderet mihi: 18 Cumque audiſſet me clamare, reliquit pallium, quod tenebam, &
fugit foras. 19 His auditis dominus, & nimium credulus verbis conjugis, iratus eſt
valde: 20 Traditque Joſeph in carcerem, ubi vincti regis cuſtodiebantur, & erat
ibi clauſus. 21 Fuit autem Dominus cum Joſeph, & miſertus eſt illius, & dedit ei
gratiam in conſpectu principis carceris. 22 Qui tradidit in manu illius univerſos vinctos, qui in cuſtodia tenebantur : & quidquid fiebat, ſub ipſo erat.
23 Nec noverat aliquid, cunctis ei creditis : Dominus enim erat cum illo, & omnia opera ejus dirigebat.

℣. 2. HABITAVIT IN DOMO DOMINI SUI.] Ex ſervis alii domeſticis miniſteriis domi deputabantur apud antiquos ; alii operi ruſtico faciundo in agris addicebantur. Ex illis fuit Ioſeph apud Putipharem.

℣. 6. NEC QUIDQUAM NOVERAT, NISI PANEM, QUO VESCEBATUR.] Hæc verba ad Joſephum referri poſſunt, quaſi Scriptura ejus fidelitatem, & moderationem laudare velit, quoniam cum univerſa domini ſui bona ſibi credita eſſent adminiſtranda, nihil ex iis uſurpabat, & ſumebat, niſi quod eſſet ad vitam tolerandam neceſſarium. Poſſunt iterum referri ad Putipharem, qui tantopere fidebat Ioſepho, ut ei ſua omnia concrederet, nec quidquam curaret, niſi ut commode viveret ; neque ullam rationem exigeret, niſi ſumptus ordinarii. Alii hoc modo explicant : Putiphar ita dives factus eſt ex optima Joſephi adminiſtratione, & ob divinam benedictionem, ut ignoraret, quid haberet : tantis opibus abundabat, ut vim earum, & copiam neſciret ; ex alia vero parte ita Ioſepho credebat, ut nullius rei curam gereret, niſi ut accumberet menſæ, & frueretur iis, quæ Ioſeph curabat. Apud Petronium occurrit quidam dicendi modus huic valde ſimilis : *neſcit, quid habeat, adeo zaplutus eſt* ; & alibi : *Non me hercules, puto decumam partem eſſe, quæ Dominum ſuum novit.*

℣. 7. POST MULTOS DIES.] Vigeſimum ſeptimum ætatis annum agebat Ioſeph eo tempore, quia triennio poſt, cum jam eſſet 30. annorum, in conſpectum Pharaonis adductus eſt. Decimus circiter annus agebatur, ex quo ſerviebat Putiphari.

℣. 9. NEC QUIDQUAM EST, QUOD NON IN MEA SIT POTESTATE, VEL NON TRADIDERIT MIHI PRÆTER TE.] Onkelos : Ipſe Dominus meus major me non eſt, non majorem habet poteſtatem domi ſuæ, quam ego ; niſi quod te unam tibi reſervavit. Verti poteſt : Nemo eſt (ex conſervis meis) ſupra me, & dominus meus ſummam mihi in omnia tribuit poteſtatem : te unam ſibi reſervavit.

PECCARE IN DEUM MEUM?] Hebræus in Deum *Elohim*. Quædam exemplaria habebant : *Dominum meum*, quæ verba explicari poterant de Putiphari ; at retinenda eſt lectio Vulgatæ.

℣. 11. ACCIDIT, UT OPERIS QUIPPIAM ABSQUE ARBITRIS FACERET.] Chaldæus vult eum introiſſe, ut rationum libros expenderet. Hebræus habet : illum ingreſſum eſſe, ut officio ſuo, atque miniſterio ſatisfaceret.

℣. 21. DEDIT EI GRATIAM IN CONSPECTU PRINCIPIS CARCERIS.] Pererius credit, hunc principem carceris ipſummet Putipharem eſſe Ioſephi Dominum, qui alibi appellatur *Princeps laniorum*, ſeu coquorum, ſive *Magiſter militum*. Hic igitur, cum proceſſu temporis agnoviſſet Ioſephi innocentiam, & ejus pœnarum ipſum miſereſceret, quoad potuit, illas imminuit aliorum, qui carcere incluſi erant, cuſtodiam Ioſepho committens. Neque tamen eripuit illum e carcere, quod uxoris pudori conſultum vellet, cujus etiam indignationem, & vindictæ cupiditatem in Ioſephum vereri fortaſſe debebat. Hæc ſententia confirmatur ex Hebræo textu, & a Septuaginta verſ. 9. & 7. capitis 40. Idem videtur fuiſſe Putiphar, qui Ioſepho filiam ſuam poſtea in matrimonium collocavit. Vide cap. 41. verſ. 45.

Auctor libri Sapientiæ 10. 13. & Pſalmiſta pſalm. 104. 18. 19. nobis deſcribunt, quemadmodum Joſeph affectus eſſet in carcere : *Humiliaverunt in compedibus pedes ejus, ferrum pertranſiit animam ejus*. Non dereliquit illum ſapientia eo tempore, ſed deſcendit cum illo in foveam, & eduxit eum e medio peccatorum, ut afferret illi ſceptrum regni, & potentiam adverſus eos, qui eum humiliaverant, & falſis criminationibus perſecuti fuerant. Hippolyti hiſtoria magnam habet cum hac ſimilitudinem ; itemque Bellerophontis, Hebri, Tanis, Myrtini, Pelei, & Clemonis, qui ſe ſe ad turpia ſollicitantes repulerunt, Phædram, Stenobæam, Damaſippen, Peribæam, Hippolyten, Demenetem. Eodem tecidit, quod de Mieno legitur apud Plutarchum.

Porro nihil eſt, quod majus argumentum exhibeat ſummæ Ioſephi virtutis, quam ratio iſta, quam adhibuit in re tanta. Cernitur hic, quanti faceret dominum ſuum, quamque gratum erga eum animum haberet, tum quantopere abhorreret a crimine, & Dei offenſa. Iam ejus fuga prudentiæ plena, patientia in accuſationibus, fortitudo in calamitatibus perferendis, confidentia in Deum, dum carceri mancipatus injuſtiſſime plectebatur, nonne eximiam ejus ſanctitatem oſtendunt ? Uxor Putipharis ſignificare poteſt Synagogam, juxta mentem Ruperti Abbatis ; amplecti ea cupit Ieſum Chriſtum, ſed carnali tantum fine ſibi propoſito. Quærit enim ab eo divitias, gloriam, & temporalium dignitatum ſplendorem ; ſed ea repellitur a Chriſto Domino, qui pallium ſuum illi relinquit, ideſt, cæremonias legales, & litteram Scripturæ.

CAPUT XL.

Pincernarum, & Piſtorum Præfecti Regis Ægypti in carcerem detruduntur : eorum ſomnia a Joſepho explicantur.

℣. 1. HIs ita geſtis, accidit, ut peccarent duo eunuchi, pincerna regis Ægypti, &
piſtor, domino ſuo. 2 Iratuſque contra eos Pharao (nam alter pincernis
præerat, alter piſtoribus) 3 Miſit eos in carcerem principis militum, in
quo erat vinctus & Joſeph. 4 At cuſtos carceris tradidit eos Joſeph, qui & miniſtra-
bat eis. Aliquantulum temporis fluxerat, & illi in cuſtodia tenebantur. 5 Videruntque
ambo ſomnium nocte una juxta interpretationem congruam ſibi : 6 Ad quos cum intro-
iſſet Joſeph mane, & vidiſſet eos triſtes, 7 Sciſcitatus eſt eos, dicens ; Cur triſtior
eſt hodie ſolito facies veſtra? 8 Qui reſponderunt : Somnium vidimus, & non eſt,
qui interpretetur nobis. Dixitque ad eos Joſeph : Numquid non Dei eſt interpretatio ?
referte mihi, quid videritis. 9 Narravit prior, præpoſitus pincernarum, ſomnium
ſuum : Videbam coram me vitem, 10 In qua erant tres propagines, creſcere paula-
tim in gemmas, & poſt flores uvas matureſcere. 11 Calicemque Pharaonis in manu
mea : tuli ergo uvas, & expreſſi in calicem, quem tenebam, & tradidi poculum Pha-
raoni. 12 Reſpondit Joſeph : Hæc eſt interpretatio ſomnii : Tres propagines, tres
adhuc dies ſunt : 13 Poſt quos recordabitur Pharao miniſterii tui, & reſtituet te in
gradum priſtinum : dabiſque ei calicem juxta officium tuum, ſicut ante facere conſue-
veras. 14 Tantum memento mei, cum bene tibi fuerit, & facias mecum miſericor-
diam ; ut ſuggeras Pharaoni, ut educat me de iſto carcere ; 15 Quia furto ſublatus
ſum de terra Hebræorum, & hic innocens in lacum miſſus ſum. 16 Videns piſtorum
magiſter, quod prudenter ſomnium diſſolviſſet, ait : Et ego vidi ſomnium, quod tria
caniſtra farinæ haberem ſuper caput meum : 17 Et in uno caniſtro, quod erat excel-
ſus, portare me putabam omnes cibos, qui fiunt arte piſtoria, aveſque comedere ex
eo, 18 Reſpondit Joſeph ; Hæc eſt interpretatio ſomnii : Tria caniſtra, tres adhuc
dies ſunt ; 19 Poſt quos auferet Pharao caput tuum, ac ſuſpendet te in cruce, & la-
cerabunt volucres carnes tuas. 20 Exinde dies tertius natalitius Pharaonis erat : qui
faciens grande convivium pueris ſuis, recordatus eſt inter epulas magiſtri pincernarum,
& piſtorum principis. 21 Reſtituitque alterum in locum ſuum, ut porrigeret ei pocu-
lum : 22 Alterum ſuſpendit in patibulo, ut conjectoris veritas probaretur. 23
Et tamen ſuccedentibus proſperis, præpoſitus pincernarum oblitus eſt interpre-
tis ſui.

℣. 1. A ACCIDIT, UT PECCARENT DUO EUNUCHI.] Rabbinus Salomon autumat, totam eorum culpam in eo fuiſſe poſitam, quod Pharao ſcrupulum in pane, & muſcam in cyatho offendiſſet. Pudet me tam inania deliramenta referre. Male ſane habet ſacrarum Scripturarum dignitas, cum tam ineptos Interpretes offendit. Abenezra eos tentatæ in Regem proditionis reos facit.

Verba : *Duo eunuchi* in textu Hebr. non habentur hoc in loco, ſed tantum v. 7.

PINCERNA [1].] Hæc vox non de ſimplici pincerna, ſed de pincernarum principe intelligenda eſt, cujuſmodi officium unum ex præcipuis fuit apud Pharaonem. Divus Hieronymus in quæſtionibus Hebraicis hanc eamdem vocem cap. 15. 2. vertit : *Procurator domus*. Notat autem pocillatoris officium apud Barbaros Reges fuiſſe in ſumma exiſtimatione. Unde ipſæ fabulæ ferunt, huic muneri peragendo fuiſſe Ganymedem a Jove deſtinatum. Nehemias apud Artaxerſem Regem pocillatoris munere fungebatur. A. M. 2287.
Apud Cambyſem Perſarum Regem filius Prexaſpis Perſæ hoc miniſterium peragebat, qui quidem Regi apprime charus, & magno in pretio habitus erat. Hoc pincernarum officium, inquit Herodotus lib. 3. cap. 34. apud Perſas magno in honore habetur. Apud Ægyptios Reges ſervus nullus ad hoc miniſterium adhibebatur, ſive pretio emptus eſſet, ſive domi natus. Diodor. lib. 1. Quicumque in aula regia miniſtrabant clariſſimorum ejus regionis ſacerdotum filii erant. De duobus igitur Regiis hiſce miniſtris non ſentiendum eſt, tamquam de viliſſimis mancipiis.

B PISTOR.] אפה *Coquus*. Aquila vertit Πέσσων *Coquus*, vel *Coctor*, quæ verſio Junio, & Tremellio probatur. Feſtus a Druſio citatus ſcribit, apud anti-

1 משקה. 70. Ἀρχιοινοχόος, καὶ ἀρχιοινοχοΐας. Aq. ὁ ποτιστὴς τοῦ βασιλέως Αἰγύπτου, καὶ ὁ πίστης.

antiquos fuiſſe eoſdem *Coquos*, atque *piſtores*. Eadem vox utrumque officium ſignificabat, aut utrumque ab iiſdem exercebatur.

℣. 4. Custos carceris tradidit eos Joseph, qui et ministrabat his.] Putiphar commiſit Ioſepho curam hanc, ut iis inſerviret in carcere. Erant enim conditione in primis honeſta, ut vidimus. Qua re oſtendit, quantum ipſi fideret; ſed nihilo major fuit proinde Joſepho libertas: unde verſ. 14. & 15. valde conqueritur de tam dura ſervitute, & injuſte ſe in carcerem detruſum dolet.

Aliquantulum temporis fluxerat.] Anni unius ſpatium elapſum jam fuiſſe, ex quo carcere incluſi detinebantur, tradunt Hebræi, & plerique ex noſtris Interpretibus, ut Pagninus, Cornelius, Ribera. In ſacra Scriptura ימים *Dies* ſæpe ponitur pro anno. Ea ſi vera eſt Interpretum ſententia, neceſſe eſt eos carceri mancipatos fuiſſe eodem tempore, quo Ioſephus ipſe in vincula conjectus eſt, quia biennio poſt Ioſephum tertium jam annum in carcere legimus peregiſſe. Præfecti vero iſti videntur domini ſui indignationem incurriſſe die ejus natali, quia anno evoluto, eodem die Pharao recordatus eſt ipſorum.

℣. 8. Somnium vidimus, et non est, qui interpretetur nobis.] Ex hac animi ſollicitudine colligere licet communem conſuetudinem Divinos, & hariolos conſulendi, & quanta eorum interpretationibus fides eſſet; unde pater hujuſce ſuperſtitionis vetuſtas, Ægyptii præ ceteris huic adhæſerunt. Manethon ab Euſebio relatus Præpar. lib. 2. c. 1. pag. 48. hujuſce artis inventionem Iſidi tribuit, qui eam filio ſuo Oro Apollini tradidit. Inter ceteras veterum ſuperſtitiones hanc quoque notat Caſaubonus in Athen. lib. 8. cap. 9. eos videlicet, qui ob præhabita ſomnia ſollicitudine angebantur, ea Soli narrare conſueviſſe, ſi nemo ipſis occurreret, a quo eorum peterent interpretationem.

Numquid non Dei est interpretatio?] Somniorum veſtrorum explicatio a Conjectore non pendet; ſed Deus ipſe ea manifeſtat, qui & mihi eorum ſignificationem aperire poterit, ſi rectum ipſi id eſſe videbitur. Refert Herodotus lib. 2. cap. 83. Ægyptiis ita fuiſſe perſuaſum, divinationem, ſeu artem futura prædicendi nulli omnino hominum convenire, ſed certis tantum Diis. Habebant oracula Herculis, Apollinis, Minervæ, Dianæ, Martis, & Jovis. Juſtinus vero lib 36. cap. 2. de Ioſepho narrat, eum cum deportatus eſſet in Ægyptum, magicas artes ibi percepiſſe, unde brevi ipſi regi perearus fuit. Addit, eum prodigiorum ſagaciſſimum interpretem fuiſſe, & ſomniorum intelligentiam primum condidiſſe, ſuamque divini, atque humani juris peritiam eximiam prodidiſſe, adeo ut etiam ſterilitatem agrorum ante multos annos præviderit; ex quo factum ne Ægyptos omnis fame periret. Poſtremo ſcribit, tanta ejus experimenta fuiſſe, ut non ab homine, ſed a Deo reſponſa dari viderentur. Tanta & apud profanos fuit Joſephi exiſtimatio.

℣. 10. In qua erant tres propagines.] D. Hieronymus in quæſtionibus Hebraicis, & Divus Auguſtinus in Locutionibus lib. 1. num. 143. legebant in ſuis exemplaribus; *In qua erant tres fundi*. Sed hujuſmodi lectio omnino rejicienda eſt. Vox Πυθμένες, qua utuntur Septuaginta, ſignificat aliquando imam vaſis partem, ſeu fundum. At Hebr. שריגים ſignificat ſarmentum, propaginem. Aquila, & Symmachus, Κληματίδες. Rami.

℣. 13. Recordabitur ministerii tui.] Hebraicus textus ad litteram: *eriget caput tuum*; id eſt, educet te ex hoc infelici loco: vel *rationes tuas iterum examinabis*. Ita Rabbinus Salomon, & Grotius. Aliter: In numerum Miniſtrorum ſuorum te reſtituet, cum tollet ſummam, id eſt, cum eos recenſebit. *Tollere ſummam*, aut *caput* ſumitur aliquando in hac ſignificatione, ut Exod. 30. 12. & Numer. 1. 49. ut ſit inire ſummam capitum. Hoc in ſenſu accepiſſe videntur Vulgata, Septuaginta, & Chaldæus.

℣. 15. Quia furto sublatus sum de terra Hebræorum.] Nomine terræ Hebræorum non poterat Ioſeph denotare terram Chanaan. Pharaonis miniſtri ſub eo nomine regionem trans Euphratem tantum intelligebant. Ipſe vero natus erat in Meſopotamia. Mercatores Iſmaelitæ, qui eum vendiderant, ut probabile videtur, eum ſervum e regione trans Euphratem adductum commenti fuerant, ne ſcilicet eorum fraus detegeretur. Et fortaſſe ipſi Joſephi fratres Mercatoribus, ut id ſimularent, auctores fuerant. Ioſeph ita credere exiſtimat eos, quibuſcum loquitur; dicit ſe ſe ſublatum fuiſſe e regione trans Euphratem, & pro ſervo venditum, quamvis liber eſſet & ingenuus; ac poſtea per ſummam injuriam detruſum in carcerem. In hac propoſitione tamquam acceſſorium tantummodo a Ioſepho ponitur, quod ſublatus ſit e terra Hebræorum. Igitur minime mentitur, dum loquitur juxta præjudicatam, quam de ſe habebant auditores, opinionem. Præcipuus finis ejus narrationis eſt oſtendere injuſte ſe & carceri traditum, & ad ſervilem conditionem redactum.

In lacum missus sum.] Hebræum בור Bor, & Græcum *Λάκκος* ſignificant ciſternam, locum ſubterraneum, foveam. Verſ. 20. cap. præcedentis ad denotandum carcerem vox סהר uſurpatur, quæ locum inſtar Lunæ rotundum, id eſt, Turrim ſignificat.

℣. 16. Tria canistra farinæ.] Voces Hebraicæ [1] diverſimode accipi poſſunt. *Tria caniſtra alba*, id eſt, ex viminibus, detracto cortice, albis confecta. Chaldæus; Tria caniſtra albo pane refecta, ſeu generatim re aliqua alba, veluti farina. Septuaginta [2]: Tria caniſtra panis hordeacei. Aquila [3]: tres cophinos pollinis. Symmachus [4]: tria caniſtra ex ramis palmarum. Cum Achilles Priamum convivio excepit, Automedon ſingulis convivis panem diſtribuit e pulchris caniſtris [5]. Verti etiam poteſt Hebræus textus per *caniſtra perforata*: vel caniſtra pane ſubcinericio referta, vel pane carbonibus torrefacto; aut placentis interpunctis, vel perforatis pluribus in locis. De hujuſmodi panibus perforatis ſermo occurrit Joſue 9. 5. & 3. Reg. 14. 3.

℣. 19. Auferet Pharao caput tuum, ac suspendet te in cruce.] Sontibus caput plerumque obtruncabatur, antequam eorum cadavera ſuſpenderentur. Vide Philonem lib. de Ioſeph. Jeremias Thren. 5. 12. narrat, Principes Iudæorum, qui in captivitatem a Chaldæis abducti fuerant, *manu ſuſpenſos fuiſſe*, quia jam fuerat illis antea caput amputatum. Philiſthæi cum Saulis cadaver inveniſſent, præciſo capite truncum corpus ſuſpenderunt in muro Bethſan 1. Reg. 31. 10. Ægyptii, atque Hebræi ſontes in crucem non conſueverant agere, niſi morte jam affectos. Ita Iudæis præſcribit Moyſes Deuter. 21. 22. quod & uſurpatum videmus pluribus in ſacræ Scripturæ locis, ut Numer. 25. 4 Ioſue 10. 26. 27. &c.

℣. 20. Exinde dies tertius natalitius Pharaonis erat.] Hujuſmodi natalitios dies virorum principum per totum Orientem celebrari mos erat. Apud

1 שלשה סלי חרי.
2 Τρία κανᾶ χονδριτῶν.
3 Τρεῖς κόφινοι γύρεως.
4 Τρία κανᾶ βαΐνα.
5 Virg. *Dant pueri manibus lymphas, Cereremque caniſtris Expediunt.*

Apud Divum Matthæum 14. 6. diem natalitium Herodis memorari videmus, quem atrum reddidit injuſta mors Divo Ioanni Baptiſtæ illata. Joſephus narrat die natalitio Regis Agrippæ per totum ejus imperium ſolemnia fuiſſe celebrata: & Auctor ſecundi libri Macchabæorum cap. 6. n. 7. juxta Græcum textum ſignificare videtur, Regem Antiochum non modo ſingulis annis, verum ſingulis quoque menſibus diem ſuum natalitium celebrare conſueviſſe. Herodotus lib. 1. cap. 13. Heraclides Cumæus apud A-
A thenæum lib. 4. cap. 10. & Plato in Alcibiade, feſta a Regibus Perſarum tali die celebrata memorant.

Per binos hoſce Pharaonis miniſtros duos latrones denotati, inter quos Chriſtus Ieſus, qui per Joſephum exprimitur, crucifixus eſt, apette liquet. Horum alter a Chriſto tedimitur, alter damnatur, quemadmodum Ioſeph Pincernæ quidem reſtitutionem in priſtinum ſtatum prædicit, Piſtori veto ultimum ſupplicium.

CAPUT XLI.

Somnia Pharaonis a Joſepho explicata. Is ad ſummam poteſtatem evehitur. Ejuſdem matrimonium cum Azeneth. Initium ſterilitatis Ægyptiacæ.

℣. 1. POſt duos annos vidit Pharao ſomnium. Putabat ſe ſtare ſuper fluvium. 2 De
quo aſcendebant ſeptem boves, pulchræ, & craſſæ nimis: & paſcebantur in
locis paluſtribus. 3 Aliæ quoque ſeptem emergebant de flumine, fœdæ, con-
fectæque macie, & paſcebantur in ipſa amnis ripa in locis virentibus, 4 Devorave-
runtque eas, quarum mira ſpecies, & habitudo corporum erat. Expergefactus Pharao,
5 Rurſum dormivit, & vidit alterum ſomnium: Septem ſpicæ pullulabant in culmo uno
plenæ, atque formoſæ. 6 Aliæ quoque totidem ſpicæ tenues, & percuſſæ uredine o-
riebantur, 7 Devorantes omnem priorum pulchritudinem. Evigilans Pharao poſt quie-
tem, 8 Et facto mane, pavore perterritus, miſit ad omnes conjectores Ægypti, cun-
ctoſque ſapientes: & accerſitis narravit ſomnium, nec erat, qui interpretaretur. 9
Tunc demum reminiſcens pincernarum magiſter, ait: Confiteor peccatum meum: 10
Iratus rex ſervis ſuis, me, & magiſtrum piſtorum retrudi juſſit in carcerem principis
militum: 11 Ubi una nocte uterque vidimus ſomnium præſagum futurorum. 12 Erat
ibi puer Hebræus, ejuſdem ducis militum famulus: cui narrantes ſomnia, 13 Audi-
vimus quidquid poſtea rei probavit eventus: ego enim redditus ſum officio meo: &
ille ſuſpenſus eſt in cruce. 14 Protinus ad regis imperium eductum de carcere Joſeph
totonderunt: ac veſte mutata obtulerunt ei. 15 Cui ille ait: Vidi ſomnia, nec eſt,
qui ediſſerat: quæ audivi te ſapientiſſime conjicere. 16 Reſpondit Joſeph: Abſque
me Deus reſpondebit proſpera Pharaoni. 17 Narravit ergo Pharao, quod viderat:
Putabam me ſtare ſuper ripam fluminis, 18 Et ſeptem boves de amne conſcendere,
pulchras nimis, & obeſis carnibus: quæ in paſtu paludis virecta carpebant. 19 Et
ecce, has ſequebantur aliæ ſeptem boves in tantum deformes, & macilentæ, ut num-
quam tales in terra Ægypti viderim: 20 Quæ, devoratis, & conſumptis prioribus,
21 Nullum ſaturitatis dedere veſtigium: ſed ſimili macie, & ſqualore torpebant. Evi-
gilans, rurſus ſopore depreſſus, 22 Vidi ſomnium: ſeptem ſpicæ pullulabant in cul-
mo uno, plenæ, atque pulcherrimæ. 23 Aliæ quoque ſeptem tenues, & percuſſæ u-
redine, oriebantur a ſtipula: 24 Quæ priorum pulchritudinem devoraverunt. Narra-
vi conjectoribus ſomnium, & nemo eſt, qui ediſſerat. 25 Reſpondit Joſeph: Somnium
regis unum eſt: quæ facturus eſt Deus, oſtendit Pharaoni. 26 Septem boves pul-
chræ, & ſeptem ſpicæ plenæ, ſeptem ubertatis anni ſunt; eamdemque vim ſomnii com-
prehendunt. 27 Septem quoque boves tenues, atque macilentæ, quæ aſcenderunt
poſt eas, & ſeptem ſpicæ tenues, & vento urente percuſſæ: ſeptem anni venturæ ſunt
famis. 28 Qui hoc ordine complebuntur; 29 Ecce ſeptem anni venient fertilitatis
magnæ in univerſa terra Ægypti: 30 Quos ſequentur ſeptem anni alii tantæ ſterilita-
tis, ut oblivioni tradatur cuncta retro abundantia; conſumptura eſt enim fames omnem
terram, 31 Et ubertatis magnitudinem perditura eſt inopiæ magnitudo. 32 Quod au-
tem vidiſti ſecundo ad eamdem rem pertinens ſomnium: firmitatis indicium eſt, eo quod
fiat ſermo Dei, & velocius impleatur. 33 Nunc ergo provideat rex virum ſapientem,
& induſtrium, & præficiat eum terræ Ægypti. 34 Qui conſtituat præpoſitos per cun-
ctas regiones: & quintam partem fructuum per ſeptem annos ſterilitatis, 35 Qui jam

nunc

nunc futuri ſunt, congreget in horrea : & omne frumentum ſub Pharaonis poteſtate
condatur ; ſerveturque in urbibus. 36 Et præparetur futuræ ſeptem annorum fami,
quæ oppreſſura eſt Ægyptum, & non conſumetur terra inopia. 37 Placuit Pharaoni
conſilium, & cunctis miniſtris ejus. 38 Locutuſque eſt ad eos ; Num invenire pote-
rimus talem virum, qui ſpiritu Dei plenus ſit? 39 Dixit ergo ad Joſeph : Quia oſten-
dit tibi Deus omnia, quæ locutus es, numquid ſapientiorem, & conſimilem tui inve-
nire potero? 40 Tu eris ſuper domum meam, & ad tui oris imperium cunctus popu-
lus obediet : uno tantum regni ſolio te præcedam. 41 Dixitque rurſus Pharao ad Jo-
ſeph : Ecce, conſtitui te ſuper univerſam terram Ægypti. 42 Tulitque annulum de
manu ſua, & dedit eum in manu ejus : veſtivitque eum ſtola byſſina, & collo torquem
auream circumpoſuit. 43 Fecitque eum aſcendere ſuper currum ſuum ſecundum, cla-
mante præcone, ut omnes coram eo genu flecterent, & præpoſitum eſſe ſcirent univer-
ſæ terræ Ægypti. 44 Dixit quoque rex ad Joſeph : Ego ſum Pharao : abſque tuo im-
perio non movebit quiſquam manum, aut pedem in omni terra Ægypti. 45 Vertitque
nomen ejus, & vocavit eum lingua Ægyptiaca, Salvatorem mundi. Deditque illi uxo-
rem Aſeneth filiam Putiphare ſacerdotis Heliopoleos. Egreſſus eſt itaque Joſeph ad ter-
ram Ægypti: 46 (Triginta autem annorum erat, quando ſtetit in conſpectu regis Pha-
raonis) & circuivit omnes regiones Ægypti. 47 Venitque fertilitas ſeptem annorum:
& in manipulos redactæ ſegetes congregatæ ſunt in horrea Ægypti. 48 Omnis etiam
frugum abundantia in ſingulis urbibus condita eſt. 49 Tantaque fuit abundantia triti-
ci, ut arenæ maris coæquaretur, & copia menſuram excederet. 50 Nati ſunt autem
Joſeph filii duo, antequam veniret fames : quos peperit ei Aſeneth filia Putiphare ſa-
cerdotis Heliopoleos. 51 Vocavitque nomen primogeniti, Manaſſes, dicens : Obli-
viſci me fecit Deus omnium laborum meorum, & domus patris mei. 52 Nomen quo-
que ſecundi appellavit Ephraim, dicens : Creſcere me fecit Deus in terra paupertatis
meæ. 53 Igitur tranſactis ſeptem ubertatis annis, qui fuerant in Ægypto: 54 Cœ-
perunt venire ſeptem anni inopiæ : quos prædixerat Joſeph : & in univerſo orbe fames
prævaluit ; in cuncta autem terra Ægypti panis erat. 55 Qua eſuriente, clamavit po-
pulus ad Pharaonem, alimenta petens, quibus ille reſpondit : ite ad Joſeph : & quid-
quid ipſe vobis dixerit, facite. 56 Creſcebat autem quotidie fames in omni terra,
aperuitque Joſeph univerſa horrea, & vendebat Ægyptiis : nam & illos oppreſſerat fa-
mes. 57 Omneſque provinciæ veniebant in Ægyptum, ut emerent eſcas, & malum
inopiæ temperarent.

A. M. 2289.

℣. 1. POST DUOS ANNOS.] Poſt duos exactos annus, a teſtitutione Pincernæ, qui erat tertius, ex quo Joſeph in carcerem detruſus fuerat.

SUPER FLUVIUM.] Super Nilum, ſeu potius ſuper oſtium ejus fluvii, qui in plures partes dividitur in inferiori Ægypto. Hebr. יאר Jeor denotat potius rivum, quam fluvium. Urbs *Tanis*, in qua ſedem habebat Rex, de quo hic ſermo eſt, poſita erat ad oſtium Taniticum, quod eſt proximum Peluſiaco, inter reliqua ſeptem oſtia maxime omnium ad Orientem vergens.

℣. 2. IN LOCIS PALUSTRIBUS.] Hebræa vox אחו Achu ſignificat herbam virentem, ſeu locum, ubi hæc naſcitur. Boves iſtæ per herbas, ſeu per prata paſcebant. Septuaginta, & Auctor Eccleſiaſtici 40. 16. videntur hanc vocem pro nomine proprio accepiſſe, aut ſaltem pro nomine peregrino, quia nulla ferme mutatione facta eadem græce reddiderunt ἄχει[1]; Editio Baſileenſis Septuaginta habet hoc in loco Ἐν τῷ ὄχθῳ, id eſt, in ripa ; at eadem hæc vox iiſdem ab Interpretibus Job 8. 11. vertitur *ἐν παπύρῳ in papyro*, quod eſt junci Ægyptiaci ſpecies.

℣. 3. ALIÆ SEPTEM EMERGEBANT IN FLUMINE.] Boves pingues, & boves confectæ macie emergebant e flumine ad denotandam Nili inundationem, ex qua tota proficiſcitur affluentia, & opulentia Ægy-
A pti. Hæ paſcebantur in pratis, illæ in fluminis ripa. Quaſi portenderetur, fore ut ſeptem prioribus annis fluvius late exundaret, agroſque ac prata rigaret ; ſeptem vero ſequentibus fore vice verſa, ut ſuis aggeribus ſe contineret, itaut ad ripas uſque ejus fluminis paſtum agenda ſint pecora, & armenta. Quod in Vulgata habetur, *in locis virentibus*, neque in textu Hebraico legitur, neque apud Septuaginta.

℣. 5. RURSUM DORMIVIT.] Quod bis eadem ſpecies dormienti objiciatur, ſomnium magni momenti, & valde firmum ſignificat, quemadmodum hoc in loco Pharaoni explicat Joſeph verſ. 32. *Quod vidiſti ſecundo ad eamdem rem pertinens ſomnium firmitatis indicium eſt*. Ita Danieli 7. 2. 3. eidem in vi-
B ſione objiciuntur quatuor venti, qui perdurante procella invicem pugnant ; & quatuor ferocia animalia, quæ e mari egrediuntur. Tacitus ſermonem faciens de quodam ſomnio, quod Ptolomæo Regi Ægypti immiſſum eſt, notat, objectam illi bis fuiſſe eamdem ſpeciem. *Eadem ſpecies terribilior jam, & inſtantior*. Ex hiſtoriis porro patet idem ſomnium iterum ac tertio una eademque nocte fuiſſe repræſentatum.

SEPTEM SPICÆ PULLULABANT IN CULMO UNO[2].] Notum eſt, eſſe quoddam frumenti genus, quod ſeptem, aut etiam octo ſpicas eodem in culmo naturaliter germinat. Ejus culmus tribus, aut quatuor vici-

1 Ἐν τῷ ἄχει. Alius, ἐν τῷ ἕλει. Alius, ἐν τῷ ὄχθει.
2 שבע שבלים עלות בקנה אחד.

vicibus major, & pinguior eſt vulgari frumento. Hoc puto illud eſſe, quod a Plinio lib. 18. cap. 10. appellatur *Ramoſum*, aut *Centigranum*. Ajunt nonnulli idem aliquando evenire, quamquam perraro, in ceteris quoque ſegetibus, & novem etiam ſpicas in eodem culmo conſpectas fuiſſe, in ſolo tamen maxime uberi enatas. Quod igitur inſolitum, & monſtroſum apparebat in ſomnio Pharaonis, non ex numero ſeptem ſpicarum ex eodem culmo enaſcentium pendebat, ſed ex earumdem ſpicarum differentia oriebatur, quod cum ex eodem culmo enaſcerentur, ſeptem poſtremæ priores ſeptem devorarent. Ea re maxime Pharaonis animum perculſum fuiſſe credibile eſt.

℣. 6. PERCUSSÆ UREDINE.] Hebr. שדפות קדים ſiccatæ ab Oriente, ſeu a *Kadim*, quæ vox a Septuaginta pleromque accipitur [1] pro vento Meridionali. Fabianus vero apud Plinium lib. 2. cap. 47. Auſtros in Ægyptum penetrare negat, & Scriptura ſacra nomine Kedem Orientem ſemper intelligit, aut regiones trans Euphratem, & Tigrim. Exod. 10. 13. 14. 21. Pſalm. 77. 26. Oſee 13. 15. Oſeas autem innuere videtur Kadim ex Arabia Deſerta flare. *Adducet urentem ventum Dominus de deſerto aſcendentem, & ſiccabit venam ejus*. Ventos ex Oriente flantes, utpote qui e regione maxime arida, & calida proficiſcebantur, exſiccandi, & urendi vim habuiſſe neceſſe eſt, tam in Ægypto, quam in Judæa. Recentiores, qui longinquas regiones perluſtrarunt, narrant, in Ægyptum poſt Aprilis initium per dies quinquaginta ſpirare ventum quemdam valde perniocioſum, qui aerem totum minutiſſimo quodam pulvere inficit. Vide Thevenot. part. 1. lib. 11. cap. 24. Pluribus vero ex Scripturæ locis, Exod. 10. 13. & 14. 21. Pſalm. 77. 26. & Ezech. 17. 10. & Jona 4. 8. colligi poſſe videtur, ventum Kadim verno præcipue tempore ſpirare conſueviſſe.

℣. 7. EVIGILANS PHARAO POST QVIETEM.] Hebr. *Evigilavit Pharao, & hoc eſt ſomnium*; vel, *evigilavit repletus totus ſomnio ſuo*. Videlicet percipiebat animo, hoc non eſſe ex eorum numero ſomniorum, quæ nihil portendunt. Sentiebat enim percelli animum ſuum longe gravius, quam fieri ſoleat, objecta ſpecie. Libro 3. Reg. 3. 15. ſimile quidpiam legitur. Dormienti Salomoni noctu apparuerat Dominus, a quo audierat ſumma bona ſibi eſſe promiſſa. Excitatus e ſomno agnovit Rex divinitus ſibi ſomnium immiſſum fuiſſe. *Evigilavit Salomon, & intellexit, quod eſſet ſomnium*.

℣. 8. AD OMNES CONJECTORES.] Nomen חרטמים *Chartumim*, quod hic habetur in exemplari, Ægyptiacum eſſe, cujus germana ſignificatio ſit ignota, paſſim perſuaſum eſt. Septuaginta vertunt ἐξηγητὰς *interpretes*. Aquila Κρυφιωτὰς *occulta pandentes*. Symmachus, cui recentiores nonnulli accedunt, Μάγους *Magos*; alius σοφοὺς *Sapientes*. Alii interpretantur Prophetas, Divinos, Genethliacos, quæ omnes interpretationes id genus hominibus recte poſſunt accommodari. Magi erant, quia virgas ſuas in ſerpentes commutarunt coram Moyſe, ut legitur Exod. 7. 2. Divinandi munus etiam ſibi arrogabant, quia ad interpretanda Regis ſomnia advocantur. Si ex Hebraica radice חרט *Celare* סתם *claudere* nomen Chartumim deducatur, poſſemus illud interpretari de iis Sacerdotibus Ægyptiis, quorum erat libros ſacros, & notas hieroglyphicas explicare. Divus Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromat. narrat, libros omnes Theologicos apud Ægyptios hoc modo fuiſſe conſcriptos; additque Diodorus lib. 3. a nemine potuiſſe illos præter quam a Sacerdotibus explicari. Vocabulum *Hierogrammateis*, quo utitur Porphyrius lib. 4. 8. de Abſtin. ad denotandum genus

A quoddam Sacerdotum Ægyptiorum, maxime accedit ad Hebræum Chartumim.

CVNCTOSQVE SAPIENTES.] Ægyptii Sacerdotes ajebant duo præcipue fuiſſe ſibi a ſuis Regibus commiſſa, & commendata; nempe Deorum cultum, & ſtudium Sapientiæ. Hinc factum ut ceterarum rerum omnium cura dimiſſa, in rerum divinarum contemplationem totam vitam traducerent: ſummam vultu gravitatem præſeferrent, quam cunctis in rebus affectantes inceſſu ipſo, ac ſupercilio oſtentabant. Non niſi raro riderent, manus veſtibus perpetuo occultarent, patrios mores arctiſſime retinerent. Noctem in ſtudiis, aut contemplandis ſyderibus collocabant, aut ſe purificandis. Interdiu in Deorum cultu occupabantur, ad quorum honorem
B quater in dies hymnos canere conſueverant; mane, meridie, poſt meridiem, ac veſpere. Quidquid illis ſupererat temporis Arithmeticis, & Geometricis ſtudiis impendebant. Hi fuerunt Sapientum Ægyptiorum mores, hæc inſtituta. Vide Chærem. apud Porphyr. de abſtinent. l. 4

℣. 9. CONFITEOR PECCATVM MEVM.] Hebræus, Septuaginta, Chaldæus, & Syrus: *Reminiſcor peccati mei*; agnoſco, quam fuerim ingratus in eum, qui mihi benefecit. Oblitus ſum uſque adhuc Joſephi, qui mihi reſtitutionem meam prædixit, dum eſſem in carcere. Vel hoc modo explicari poteſt, cum iis, quæ ſequuntur, orationem conjungendo: Recordor peccati, quod commiſi paucis abhinc annis, cum Rex in carcerem me detrudi juſſit; ibi in-
C veni puerum Hebræum, qui quid de me futurum eſſet, mihi prædixit.

℣. 12. PVER HEBRÆVS.] Trigeſimum ætatis annum agebat Joſeph, quo tempore ad Regem adductus eſt verſ. 46.

℣. 14. TOTONDERUNT, AC VESTE MUTATA OBTULERUNT.] Ægyptii teſte Herodoto l. 2. c. 36. tempore luctus capillos nutriunt. Joſeph quaſi in perpetuo luctu in carcere vixerat; nec capillos totonderat, nec barbam raſerat. Honos, qui Regi debebatur, ipſum prohibebat, ne lugubri habitu in illius conſpectum prodiret: & fortaſſe etiam in Ægypto erat lege cautum, ne quis, dum in luctu eſſet, in aulam veniret. Quamvis Joſeph apud Regem gratia multum valeret, ipſe tamen ad eum non pergit, ut
D legimus Gen. 50. 4. ut ſibi veniam impetret eundi in terram Chanaan, ibique patrem ſuum ſepeliendi. In Regum Perſarum aulam lugubri veſte indutus nemo poterat venire. *Non enim erat licitum indutum ſacco aulam Regis intrare*. Eſther 4. 2. Tonſus eſt Joſeph, quia Ægyptii omnes a juventa ſibi capillos amputabant. Herod. l. 4. c. 12. Lineis veſtibus induebantur admodum politis: hæc enim prima ipſorum cura, ut teſtatur idem Herod. l. 2. c. 37. iiſdemque veſtitus eſt etiam Joſeph ut in Regis conſpectum venire poſſet.

℣. 16. ABSQUE ME DEUS RESPONDEBIT PROSPERA PHARAONI.] Non ego, ſed Deus reſpondebit proſpera Pharaoni. Textus Samaritanus particulam negativam addit, Sine me Deus ea non patefaciet,
E quæ proſpere Regi eventura ſunt. Eandem particulam adiicit etiam [2] Aquila. Septuaginta [3]: *Sine Deo nihil proſperi Regi annunciari poterit*. Symmachus: [4] *Non ego, ſed Deus proſpera quæque Pharaoni annunciabit*.

Chaldæus: *Non ex me, ſed Deo revelante felicia quæque Regi vaticinabor*. Paraphraſtes Jonathan: *Solus ego ſomnium Regi explicare poſſum, ſed nihil Regi dicam, niſi proſperum, Deo ſic volente*. Syrus: *Putas' ne ſine Dei auxilio quidpiam Regi proſpere evenire poſſe?* Syrus apud Procop. οὐκ ἀποκριθήσομαι: *Non reſpondebimur*. Hebraicus textus [5] ita poteſt explicari:

Adeſt

1 Vulgo νότον, hic ἀνεμόφθορον, alias καύσων. Jonas 4. 8. Aq. καύσωνι.
2 Aq. Ἄνευ ἐμοῦ οὐκ ἀποκριθήσεται ὁ θεὸς εὐτυχίαν.
3 70. ἄνευ τοῦ θεοῦ οὐκ ἀποκριθήσεται τὸ σωτήριον Φαραώ.
4 Sym. Οὐκ ἐγὼ ἀλλ' ὁ θεὸς ἀποκριθήσεται τὰ εἰρήνης Φαραώ.
5 בלעדי אלהים יענה את שלום פרעה.

Adeſt, o Rex, maximus quidam ſomniorum Interpres, cujus ego inſtrumentum tantummodo ſum. Maximus hic Interpres Deus eſt, quem enixe precor, ut te incolumem ſervet, tibique præſto ſit. Ita Varablus. Hujuſmodi locus eum ſenſum, ut ſibi perſuadet Grotius, recipere poteſt, quem habet locus ille D. Matth. 10. 20. *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri.*

℣. 23. ALIÆ SEPTEM TENUES, ET PERCUSSÆ UREDINE, ORIEBANTUR.] Tria epitheta ſpicis his tribuit Hebræus [1], quorum duo tantum explicarunt Septuaginta, & Vulgata. Chaldæus: *Septem ſpicæ vacuæ, tenues, & exſiccatæ.* Alii vertunt: Septem ſpicæ exſiccatæ, tenues, & uſtæ vento meridionali. Venti meridionales maxime nocent in Ægypto; calidiſſimi enim ſunt, ſegetes, & fructus adurunt, morboſque generant. Iidem ferme ventorum Orientalium [2] effectus. Clericus: *Spicæ contuſæ* (e quibus excuſſum eſt granum) *tenues* [haud bene nutritæ,] *& aduſtæ*, quarum videlicet florem frigus, nimiuſque calor vitiavit. Primi ex tribus epithetis, quæ in hebræo habentur, ſignificatio non eſt ſatis explorata. Notat Grotius eam, quam hic tradit Joſeph, explicationem apprime convenire cum iis, quæ de ſomniis ſcripſerunt profani Auctores. Achmet cap. 239. animalia cornigera tradit tempora denotare; ſi vaccæ ſunt, temporum fertilitatem, ſin autem boves, ſeu tauri macie confecti, improbitatem notant. Nec aliter hujuſmodi ſomnia explicabant Perſæ. Bos agriculturæ ſymbolon eſt: pinguis fertilitatem, macie confectus ſterilitatem poteſt indicare. Fluvius, qui exundat, & copiam, & lætitiam ſignificat. Idem Onirocrit. cap. 176. Tacitus l. 11. Annal. circa initium ſomnium narrat, in quo corona e ſpicis inverſis caritatem, & inopiam innuebat.

Aliud ſomnium Joſephus hiſtoricus refert Archelai Judæorum Regis, in quo novem ſpicas gravidas vidit, quas boves comederunt. Eſſenus quidam Judæus novem ſpicas ſignificare dixit novem annos, boves vero fortunæ mutationem denotare. Eventus vaticinium probavit. Cavendum tamen nobis eſt, ne credamus Joſephum ſomnium Pharaoni explicaturum vanas horum vatum conjecturas fuiſſe ſequutum, quorum ſcientiæ nec Philoſophia, nec Religio, nec experientia ipſa certum aliquod præbet fundamentum; quæcumque illi dicunt, caſu effutiunt; nihilque magis humanam imbecillitatem patefacit, quam facilitas illa, qua hujuſmodi deliramentis fidem præbuerunt. Si quando Deus ſomnia immiſit, quæ aliquid ſignificarent, plerumque etiam vel ipſe per ſe, vel per vates ſuos eorum ſenſum aperuit.

℣. 28. QUI HOC ORDINE COMPLEBUNTUR.] Hebræus: *Ecce quæ Regi dicere debeo, & quæ Deus illi dormienti manifeſtavit*; ſeu juxta Chaldæum, & Septuaginta: Ecce quæ ego Regi dixi; Deus illi futura patefacit.

℣. 30. UT OBLIVIONI TRADATUR CUNCTA RETRO ABUNDANTIA.] Septem annorum fertilitas ſatis non erit ad ſeptem annorum, qui ſequentur, ſterilitatem, & indigentiam levandam. Probabile eſt ſterilitate etiam perdurante aliquid e terris fluvio proximis fuiſſe collectum: Et ſane ſi nihil omnino collectum eſſet, vix credibile eſt quintam partem fructuum, ut dicitur v. 34. ſeptem præcedentium annorum potuiſſe totius populi, & vicinarum nationum indigentiæ ſubvenire, qua per ſeptem caritatis annos ſubſecutos oppreſſi fuerunt.

CONSUMPTURA EST FAMES UNIVERSAM TERRAM.] Seu potius omnem regionem, omnem Ægyptum, proximaſque regiones. Si orbis univerſus eadem fuiſſet caritate oppreſſus, qua Ægyptus conflictabatur, nemo unus ſuperſtes eſſe potuiſſet.

℣. 34. QUINTAM PARTEM FRUCTUUM.] Joſeph id conſilii Pharaoni dat, ut quintam partem fructuum a ſubditis ſuos exigat in ſui ipſius utilitatem colligendam; paulo enim inferius grana quidem, quæ cumulata fuerant, divendita, ſubditorum autem bona coempta fuiſſe legimus. Privati, qui illius collectionis cauſas optime noverant, fruges ad uſum proprium cumulare potuerunt; ad Regis tamen horrea mox confugere inopia coacti fuerunt. Artapanus apud Euſebium Præpar. l. 9. c. 23. refert Ægyptio cuique certam ſoli portionem colendam fuiſſe a Joſepho traditam, cum ante communis eſſet cultura agrorum, qui nondum diviſi fuerant. Verum opinio hæc textui adverſari videtur, qui docet Joſephum Ægyptiorum terras emiſſe, iiſdemque illis poſt ſterilitatem reddidiſſe colendas. Vide Gen. 48. 33. 34. & ſeqq.

℣. 35. OMNE FRUMENTUM SUB PHARAONIS POTESTATE.] Ex v. 47. hujus capitis colligendum videtur ſegetes cum palea ſua fuiſſe conditas. Id enim putabatur magnopere conducere ad fruges conſervandas diutius a corruptione immunes. Adde etiam, quod palea ali poterant animalia hoc extremæ ſterilitatis tempore. Varro apud Plinium l. 18. c. 30. auctor eſt, frumentum cum palea conditum in loco aeri non pervio durare annis quinquaginta.

℣. 38. QUI SPIRITU DEI PLENUS SIT.] Hebræus habet: *qui plenus ſit ſpiritu Deorum* אלהים. Et verſ. ſeq. *Dii tibi oſtenderunt*. Pharao juxta ſenſa ſua, & ſuam Religionem loquitur. Chaldæus: *qui Deo aſſtante prophetiæ ſpiritu plenus ſit.*

℣. 40. AD ORIS TUI IMPERIUM CUNCTUS POPULUS OBEDIET.] Hebraicus textus על פיך ישק כל עמי diverſimode explicatur. Quidam vertunt: *Omnis populus tibi dabit oſculum* [3]. Id autem de ſubjectionis oſculo, quod dabatur regi, intelligitur. Hoc in ſenſu exponuntur verba illa Pſalmi: *Oſculamini filium*: quorum loco Vulgata habet: *Apprehendite diſciplinam*. Idem dicendum de oſculo, quod Samuel dedit Sauli, poſtquam eum Regem inunxit 1. Reg. 10. 1. Auctor Sapientiæ 10. 14. affirmare videtur Joſephum Ægypti ſceptrum tenuiſſe: *Donec afferret illi ſceptrum regni*; & Propheta Pſalmo 104. 21. de eo dicit: *Conſtituit ei Dominum domus ſuæ, & Principem omnis poſſeſſionis ſuæ*. Conſuetudo tamen hæc oſculandi Principes in homagii ſignum, comprobata ſatis non eſt, præſertim ſi populum univerſum ad hujuſmodi oſcula fuiſſe velimus admiſſum.

Alii locum hunc ita explicant: Cum tu loqueris, populus univerſus in ſubjectionis ſignum manum tuam oſculabitur: nullo repugnante tibi omnes obtemperabunt. Aliter: *Ad os tuum cibabitur* נשק *populus*; univerſus populus alimenta te jubente accipiet. Regionibus cunctis tu dominaberis. Ita locum hunc explicat Onkelos, quem ſequuntur Rabb. Salomon, Fagius, Tigur. & alii notæ melioris Interpretes.

Poteſt etiam ita reddi: *Populus meus univerſus regetur juſſu tuo*: te imperante arma capiet: conveniet quo jubebis: ſeu tandem; quo voles, ibit, prompteque diſcurret שקק, tibique obtemperabit æque, ac mihi. Hæ variæ interpretationes oriuntur ex æquivoco verbo hebraico Iſchak, cujus vera radix hoc in loco plane ignoratur.

℣. 42. ANNULUM.] Suum ſigillum. Vide caput 38. 18. Apud plures populos annulus ſupremæ auctoritatis ſignum erat, ut apud Agarenos, inter quos Caliſæ annulum geſtabant, ſicut alii Principes ſceptrum & coronam ferunt.

Cum Alexander Magnus detractum digito annulum Perdicæ tradidiſſet, ut narrat Quint. Curt. l. 10. c. 5., viſus eſt eum imperii ſucceſſorem deſignare. Ariſtophanes in Equit. act. 11. ſcen. 4. Demoſthenem ſic loquentem inducit: Redde mihi annulum, quoniam Præfectus meus non eris. Cum Auguſtus in morbum, ut putabat, inſanabilem incidiſſet, annu-

lum

1 צנמות דקות שדפות קדים.
2 Vansleben voyage d'Egypte p. 36. 39. 50.
3 נשק *Oſculari.*

lum ſuum Agrippæ tradidit, quem inter omnes amicos ſuos juſtitiæ amantiſſimum exiſtimabat. Narrat id Xiphilinus in Aug. Aſſuerus tulit annulum, quem ab Aman recipi juſſerat, & tradidit Mardochæo. Eſth. 8. 3. A

STOLA BYSSINA.] Hebræus: *Veſtibus Schesch*. Antequam Joſeph in Regis conſpectum veniret, veſte linea indutus eſt, qua Ægyptii uti conſueverant; poſtquam tamen ad tantum honorem pervenit, indutus eſt veſte *ſchesch*, quæ veſtis erat texta, ut opinor, e filo xylino, a lino, quod alii adhibebant, longe diverſo, & ex byſſo, qui magis rarus erat, & pluris multo fiebat. Videri poſſunt, quæ de pannis lineis, & ſericis, de quibus ſermo eſt in Scriptura, diximus in c. 25. 4. Exodi.

TORQUEM AUREAM.] Apud Ægyptios Senatus B Præſidi, ſeu Juſtitiæ capiti torques aurea dabatur. Vide, quæ a nobis dicta ſunt, Exod. 28. 30. Apud Chaldæos, qui tres præcipuas Regni dignitates obtinebant, torque donabantur. Vide Dan. 7. 16. Fortaſſe etiam Arabiæ Reges torquem geſtabant. Jud. 8. 26.

℣. 43. SUPER CURRUM SUUM SECUNDUM.] Super currum, qui ſequebatur currum Regis, cum vel in publicum prodibat, vel etiam in pugnam deſcendebat. Cum Ioſias Judæ Rex vulnus in pugna accepiſſet, translatus fuit a ſuis de curru in alterum currum, qui ſequebatur eum more Regio, 2. Paral. 35. 24. Alii explicant locum hunc de curru, quem ille aſcendebat, qui erat ſecundus a Rege, qualis Mardochæus ſub Aſſuero, & Joſeph ſub Pharaone. Pro C *ſuper currum ſecundum*, vertunt, *ſuper currum ſecundi (a Rege)*

CLAMANTE PRÆCONE UT GENU FLECTERENT.] Hebraicus textus [1] ad litteram: *Et clamaverunt ante illum Abrech*. Grotius ultimam hanc vocem quoddam lætitiæ ſignum eſſe exiſtimat, cujus vera ſignificatio exprimi non poſſit. Hinc Septuaginta, inquit, verbum hujuſmodi omiſerunt. Vertunt namque: Et præco clamavit ante illum. Sed ego exiſtimo eos vocem hanc reddidiſſe *præco*. Symmachus ipſum textus vocem retinuit. Aquila eum ſenſum accommodat voci huic, quem ei vulgata tribuit; hancque expoſitionem ſequuntur plures Interpretes, qui *Abrech* derivant a verbo hebr. *Barac*, quod aliquando genu flectere ſignificat; quapropter reddunt: *Cla-* D *mabatur ante illum, ego genu flectam; ſeu genua flectite*.

‡ Alii hujus vocis originem ducunt ab אב *pater*, & רך *tener*, explicantque: *Clamabant, hic eſt pater tener*, pater ſcilicet populi, pater amantiſſimus. Onkelos: *Clamabant: Ecce pater Regis*. Targum Hieroſolymitanum: *Clamabant ante Joſeph: Vivat Rex, qui Princeps eſt in ſapientia a teneris unguiculis*. Syriace nomen ריכא *Reicha* ſignificat *Regem*, ut teſtatur Rabb. Salomon apud Druſium; non tamen probat eandem etiam apud Ægyptios ſignificationem habuiſſe. Syrus hic vertit: *Pater, & Præfectus totius Ægypti*. Patris nomen dignitatem quandam ſæpe in Scriptura notat. E Ipſemet Joſeph Gen. c. 45. 8. ait ſe patrem Pharaonis fuiſſe a Deo conſtitutum. Hiram Rex Tyri 2. Paral. 2. 13. ad Salomonem mittit artificem Hiram dictum, quem patrem ſuum appellat. Aman quaſi Pater Artaxerſis habebatur Eſth. 16. 11. Ad verbum *Abrech* componendum vox hæc Pater ſine dubio requiritur. *Ab* enim Patrem ſignificat: Verbum autem *Rech* ſignificat tenerum, mollem, delicatum, benignum, clementem: hoc ſane Epitheton pueris ſæpe a Scriptura tribuitur. Vide Gen. 33. 13. 1. Paral. 5. & 29. 1. & Prov. 4. 3. & 2. Par. 13. 7. David ſub regni ſui initium dicebat 2. Reg. 3. 39. רך ומשוח מלך *Ego autem adhuc delicatus, ſeu juvenis rex*. Cum Joſeph vocatus eſt *pater tener Abrech*, tum ipſius ætas, tum recens dignitas poterat conſiderari.

℣. 44. EGO SUM PHARAO; ABSQUE TUO IMPERIO NON MOVEBIT QUISQUAM MANUM.] Regis tantum nomen mihi retineo, ſupremam in omnes ſubditos meos tibi impertior auctoritatem; ſeu; Juro ego per memetipſum Regem, per ſceptrum meum, eadem, qua ego, poteſtate frueris in regno meo. Nonnulli opinantur verba hæc: *Ego ſum Pharao*, initium eſſe Regiæ juſſionis, qua Joſeph ad tantum honorem evectus eſt: illa autem verba, *non movebit quiſquam manum*, denotare fore, ut nemo ſine ejus imperio arma ſumat.

℣. 45. VOCAVIT EUM LINGUA ÆGYPTIACA SALVATOREM MUNDI.] Nec in Hebræo textu, nec in ulla verſione, præterquam in Vulgata, leguntur hæc verba *lingua Ægyptiaca*. Textus habet: [2] *Vocavit eum* B *Zaphnat paneah*. Haud erat D. Hieronymo ignotum textus hebraici verba ſignificare *illum, qui res occultas patefacit*; id enim in Hebraic. quæſt. notat: ſed cum crediderit voces has Ægyptiacas eſſe, eum ſenſum illis tribuit, quem Ægyptiaca locutio requirit [3]. Ioſephus, & Philo, qui non ſecus ac D. Hieronymus voces has Ægyptiacas eſſe exiſtimarunt, vertunt: *qui res occultas revelat*; ſeu, *qui ſomnia interpretatur*.

Sed non omnes ſen in horum verborum ſenſu indigitando, ſeu in eorum Ægyptiaca ethymologia aſſignanda conveniunt; ab hebræo ea tamen plures derivare malunt. Onkelos, Jonathan, Syrus, Rabbini, ac Interpretes plures, D. Chryſoſtomus & Theodoretus hebraici textus ſenſum iis accommodant. Quoad vero eorum ſignificationem *Zaphnat Paneah* valde con- C veniunt cum iis Ægyptiis Sacerdotibus, quos Græci appellant *Hierophantas*, qui myſteria aperiunt. Euſebius Præp. lib. 10. cap. 4. meminit quorundam Sapientum inter Ægyptios, qui dicebantur *Arſepedonaptæ*, ſeu *Arpedonaptæ*, quod nomen a *Zaphnat Paneah* non admodum differt.

DEDITQUE ILLI UXOREM ASENETH FILIAM PUTIPHARE SACERDOTIS HELIOPOLEOS.] Aliter hic ſcribitur Putiphar, nempe פוטי פרע; aliter autem cap. 37. & 39. videlicet, פוטי פר. Quod tamen prohibere non potuit, quin plurimi ex Hebræis apud D. Hieronymum in quæſt. hebr. & apud Origenem in Caten. MSS. (vide novam editionem Hexapl. p. 49.) & aliqui etiam ex antiquis Interpretibus, ut Origenes, D. Hier. & Ab. Ruper. & ex recentioribus D nonnulli, ut Toſtatus, ſuſtinuerint eandem utrobique perſonam deſignari. Hebræi apud Origenem narrant Aſeneth retuliſſe Putiphari patri ſuo non Ioſephum uxoris, ſed uxorem Ioſephi pudicitiam attentaſſe. Atque ita detecto matris crimine ad Ioſephi nuptias, ut inquiunt, puella pervenit.

Maxima tamen tum Veterum, tum Recentiorum Interpretum pars contrarium omnino ſentit. Divus Chryſoſtomus hom. 63. in Geneſ. hunc alium eſſe Putipharem aperte affirmat. D. Auguſtinus Pſal. 77. 12. nihil in hac re determinate pronunciat: fatetur utramque quæſtionis partem ſuſtineri poſſe, quin Scripturarum fides, ac veritas lædatur: plura tamen congerit argumenta, quibus oſtendat Putipharem Ioſephi E herum alium eſſe ab illo Putiphare, qui Ioſephum in Ægyptum ductum coemit. Ratio prima ſumitur ex Scripturarum ſilentio, quæ profecto rem hanc adeo Ioſepho glorioſam non præteriiſſent. Secunda ex eo petitur, quod primus Putiphar Eunuchus erat, alter autem filios habebat.

Huic tamen argumento reponunt nonnulli Putipharem Aſeneth ſuſcepiſſe, antequam fieret Eunuchus, atque poſt hujuſmodi factum eum etiam fuiſſe creatum Sacerdotem Heliopolis, quoniam ad Sacerdotium Solis, qui Heliopoli colebatur, Eunuchis tantum aditus patebat. Hæc tamen reſponſa admodum infirma, atque valde incerta hujuſmodi facta ſunt. Notat etiam D. Auguſtinus improbabile videri, Sacerdotis Heliopolitani dignitatem, & Archimagiri,

1 ויקראו לפניו אברך *Aqu.* καὶ ἐβόησεν ἔμπροσθεν αὐτοῦ γονάτιζειν. Alias, γονατίζειν. 70. καὶ ἐκήρυξεν ἔμπροσθεν αὐτοῦ κήρυξ.

2 צפנת פענח *Aq.* ζαφνὰθ φανήχ. *Sym.* κεκρυμμένα ἀποκαλύψαντα. 70. ψονθομφανήχ qui res occultas cognoſcit. Alius Interpres: ὁ ἀποκαλύψας τὰ μέλλοντα. *Cui Deus latentia res manifeſtavit*.

3 In lingua Coptica, quæ ab Ægyptia orta eſt, *pſotem phane* Salvator Mundi ſignificare dicitur.

vel excubiarum præfecti, vel Pharaonis exercituum ducis, ac principis carceris officia ſimul conſiſtere potuiſſe: quæ ſane officia Putiphari Ioſephi Domino tribuuntur. Addit inſuper Heliopolim viginti millia paſſuum diſtaſſe a Memphi, ubi morabatur Pharao: credibile proinde non eſſe, ut unus, idemque & aliqua habuerit in aula regia officia, & Sacerdos Heliopolis ſimul fuerit.

His rationibus permoti plerique Interpretes affirmarunt hos duos Putiphares diverſas omnino perſonas eſſe. Verum ſi ſemel illud admittatur, quod & S. hic Doctor, & maxima Scriptorum pars tanquam certum affirmant, Urbem namque Memphim ſedem Pharaonis fuiſſe, magnis opinio hæc obnoxia eſt difficultatibus. Primo enim nullibi ſcribit Moyſes Pharaonis aulam Memphi fuiſſe, quin imo Urbem hanc ne nominat quidem. Secundo Pſalmiſta aperte ait Moyſem portenta ſua patraſſe in Ægypto, & in *Campo Taneos* Pſal. 77. 12. Admodum igitur probabile eſt Pharaonem habitaſſe urbem Taneos, quæ Hebraice vocatur *Zean*; id tamen propterea non deſtruit D. Auguſtini argumentum ex eo petitum, quod urbs Heliopolis, & ea, in qua degebat Pharao, longo inter ſe disjunctæ eſſent intervallo; etenim urbs Taneos longius diſtat ab Heliopoli, quam hæc diſtet a Memphi. Memphis ſita eſt ad plagam Occidentalem Nili ſupra Delta, Tanis autem jacet in Delta, & diſſita eſt ab Heliopoli quindecim leucas, & amplius. Quæ autem ex eo deſumitur ratio, quod & Archimagiri officium, & Sacerdotis Heliopolis munus uni, eidemque homini ſimul convenire non potuerint, ea non admodum ſolida eſt, ſi verum ſit Archimagirum fuiſſe primum inter ſacrificos, ſeu inter illos, qui victimas immolabant. Plura apud Ægyptios aderant Sacerdotum genera, ut alibi jam oſtendimus, diverſaque ſæpe munera obibant.

Heliopolis, ſeu urbs Solis, in Hebraico textu On appellatur. D. Iſidorus vult eam fuiſſe ab Iſraelitis conſtructam, dum Ægyptiaca ſervitute tenerentur. Verum opinio hæc ex hoc ipſo loco refellitur. Urbs hæc ſita erat ſupra Nili ripam, & aberat iter medii diei a Babylone Ægypti, Septentrionem verſus. Strabo l. 16. verba facit de antiquis Templis, & Obeliſcis, & Sacerdotum ædibus, quæ ætate ſua ibi viſebantur, licet Urbs jam eſſet everſa. Sacerdotes iſti Philoſophiæ, & Aſtronomiæ operam dabant, atque in Ægypto omnibus nobilitate antecellebant. Plures etiam ex iis ad regnum evecti ſunt. Putiphar Joſephi ſocer ex Sacerdotum Heliopolis numero & ipſe erat.

℣. 47. IN MANIPULOS REDACTÆ SEGETES, CONGREGATÆ SUNT IN HORREA ÆGYPTI (48.) OMNIS ETIAM FRUGUM ABUNDANTIA IN SINGULIS URBIBUS CONDITA EST.] Hebraicus textus ita ad litteram: (47.) *Et terra ſeptem fertilitatis annis fruges cumulate produxit (48.) Et congregata eſt hæc frugum copia, quam ſeptem hiſce annis terra produxit, & condita eſt in Urbibus, quæ ſita erant in meditullio agrorum, ubi ſegetum fiebat collectio.* Poteſt etiam ita reddi verſiculus 47. *Et terra ſeptem illis annis tantum reddidit, quantum optare poterant Meſſores.* Eorum votis ſatis fecit: ſeu: *Terra produxit (grana, quæ cogebantur) uberrime*: ſeu tandem; *Regio univerſa in manipulos redegit*, ſeu, *in horreis repoſuit (fructus terræ.)* Hebr. קמצים *Kamazim* ſignificare pote Meſſores, manipulos, acervos, horrea, juxta varios modos, quibus poteſt pronunciari.

℣. 51. MANASSES] Significat, *oblivisci faciens*. Joſeph præteritarum ærumnarum propter filii ſui ortum oblitus eſt.

℣. 52. EPHRAIM.] Ideſt fructus, abundantia, germen.

℣. 54. IN CUNCTA TERRA ÆGYPTI PANIS ERAT.] Syrus, & quædam antiqua exemplaria contra legunt; nihil panis erat in univerſo Ægypto. Quidam alii Expoſitores; *erat fames*; fames graſſabatur in Ægypto. Vulgatam ſequi oportet, quæ Hebraico textui adhæret.

CAPUT XLII.

Adventus fratrum Joſeph in Ægyptum. Eos Joſeph quaſi exploratores traducit, Simeonem in vinculis teneri jubet, ceteros autem ea lege dimittit, ut ad ſe Beniamin adducant.

A. M. 2207. ℣. 1. AUdiens autem Jacob quod alimenta venderentur in Ægypto, dixit filiis ſuis:
Quare negligitis. 2 Audivi, quod triticum venumdetur in Ægypto: deſcendite, & emite nobis neceſſaria, ut poſſimus vivere, & non conſumamur
inopia. 3 Deſcendentes igitur fratres Joſeph decem, ut emerent frumenta in Ægypto.
4 Beniamin domi retento a Jacob, qui dixerat fratribus ejus; Ne forte in itinere quidquam patiatur mali. 5 Ingreſſi ſunt terram Ægypti cum aliis, qui pergebant ad emendum. Erat autem fames in terra Chanaan. 6 Et Joſeph erat princeps in terra Ægypti, atque ad ejus nutum frumenta populis vendebantur. Cumque adoraſſent eum
fratres ſui. 7 Et agnoviſſet eos, quaſi ad alienos durius loquebatur, interrogans eos:
Unde veniſtis? Qui reſponderunt: De terra Chanaan, ut emamus victui neceſſaria.
8. Et tamen fratres ipſe cognoſcens, non eſt cognitus ab eis. 9. Recordatuſque ſomniorum, quæ aliquando viderat, ait ad eos: Exploratores eſtis; ut videatis infirmiora
terræ, veniſtis. 10. Qui dixerunt: Non eſt ita, domine, ſed ſervi tui venerunt, ut
emerent cibos. 11. Omnes filii unius viri ſumus, pacifici venimus, nec quidquam famuli tui machinantur mali. 12 Quibus ille reſpondit: Aliter eſt; immunita terræ hujus conſiderare veniſtis. 13 At illi; Duodecim, inquiunt, ſervi tui, fratres ſumus, filii viri unius in terra Chanaan; minimus cum patre noſtro eſt, alius non eſt ſuper. 14
Hoc eſt, ait, quod locutus ſum: Exploratores eſtis. 15 Jam nunc experimentum veſtri capiam; per ſalutem Pharaonis non egrediemini hinc, donec veniat frater veſter minimus. 16 Mittite ex vobis unum, & adducat eum; vos autem eritis in vinculis, do-

nec

nec probentur, quæ dixiſtis, utrum vera, an falſa ſint; alioquin per ſalutem Pharaonis
exploratores eſtis. 17 Tradidit ergo illos cuſtodiæ tribus diebus. 18 Die autem ter-
tio eductis de carcere, ait: Facite, quæ dixi, & vivetis: Deum enim timeo. 19 Si
pacifici eſtis, frater veſter unus ligetur in carcere; vos autem abite, & ferte frumenta,
quæ emiſtis, in domos veſtras. 20 Et fratrem veſtrum minimum ad me adducite, ut
poſſim veſtros probare ſermones, & non moriamini. Fecerunt, ut dixerat, 21 Et lo-
cuti ſunt ad invicem; Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem noſtrum, viden-
tes anguſtias animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audivimus; idcirco venit ſu-
per nos iſta tribulatio. 22 Ex quibus unus Ruben, ait; Numquid non dixi vobis:
Nolite peccare in puerum; & non audiſtis me? en ſanguis ejus exquiritur. 23 Neſcie-
bant autem quod intelligeret Joſeph, eo quod per interpretem loqueretur ad eos. 24
Avertitque ſe parumper, & flevit; & reverſus locutus eſt ad eos. 25 Tollenſque Si-
meon, & ligans, illis præſentibus, juſſit miniſtris, ut implerent eorum ſaccos tritico,
& reponerent pecunias ſingulorum in ſacculis ſuis, datis ſupra cibariis in viam; qui fe-
cerunt ita; 26 At illi portantes frumenta in aſinis ſuis, profecti ſunt. 27 Apertoque
unus ſacco, ut daret jumento pabulum in diverſorio, contemplatus pecuniam in ore ſac-
culi, 28 Dixit fratribus ſuis; Reddita eſt mihi pecunia, en habetur in ſacco. Et ob-
ſtupefacti, turbatique, mutuo dixerunt, quidnam eſt hoc quod fecit nobis Deus? 29 Ve-
neruntque ad Jacob patrem ſuum in terra Chanaan, & narraverunt ei omnia, quæ acci-
diſſent ſibi, dicentes. 30 Locutus eſt nobis Dominus terræ dure, & putavit nos explo-
ratores eſſe provinciæ. 31 Cui reſpondimus: Pacifici ſumus, nec ullas molimur inſi-
dias. 32 Duodecim fratres uno patre geniti ſumus; unus non eſt ſuper, minimus cum
patre noſtro eſt in terra Chanaan. 33 Qui ait nobis: Sic probabo, quod pacifici ſitis:
Fratrem veſtrum unum dimittite apud me, & cibaria domibus veſtris neceſſaria ſumite,
& abite, 34 Fratremque veſtrum minimum adducite ad me, ut ſciam, quod non ſitis
exploratores; & iſtum, qui tenetur in vinculis, recipere poſſitis; ac deinceps quæ vul-
tis, emendi habeatis licentiam. 35 His dictis, cum frumenta effunderent, ſinguli re-
pererunt in ore ſaccorum, ligatas pecunias; exterritiſque ſimul omnibus, 36 Dixit pa-
ter Jacob; Abſque liberis me eſſe feciſtis, Joſeph non eſt ſuper, Simeon tenetur in vin-
culis, & Benjamin auferetis; in me hæc omnia mala reciderunt. 37 Cui reſpondit Ru-
ben: Duos filios meos interfice, ſi non reduxero illum tibi; trade illum in manu mea:
& ego eum tibi reſtituam. 38 At ille: Non deſcendet, inquit, filius meus vobiſcum,
frater ejus mortuus eſt, & ipſe ſolus remanſit; ſi quid ei adverſi acciderit in terra, ad
quam pergitis, deducetis canos meos cum dolore ad inferos.

℣. 1. AUDIENS JACOB &c.] Hebræus: *Videns Jacob*, &c. Rabbini nulla ſuffulti ratione affirmant Jacobum Deo revelante cognoviſſe, quod fruges in Ægypto venderentur. *Quod alimenta venderentur.* Hebræus habet שבר, & ad litteram reddi poteſt: *quod vendebatur ruptio*, ſeu *fractura*. Ita autem vocatur triticum, quoniam antequam moletrina invenirentur, quorum molæ vel aquæ vi, vel vento verſantur, neceſſe erat in mortario, vel mola truſatili grana conterere. Poteſt etiam hoc in loco, & quidem melius, panis denotari, qui frangebatur, quique fere nunquam ſecari conſueverat, quia admodum ſiccus, & minutus fiebat. Nec veteres Græci, nec Judæi cultro utebantur ad ſecandum panem. Scriptura uſurpat frequenter phraſim hanc, frangere panem, pro *cibum præbere*. *Parvuli petierunt panem*, inquit Jeremias lament. 4. 4. *& non erat, qui frangeret eis*.

℣. 6. JOSEPH ERAT PRINCEPS.] Hebræus: *Joſeph erat* השליט *Schalit*. Verbum hoc ab eadem radice provenit, a qua vox *Sultanus* deſcendit. In ſenſu ſuo communi ſumptum aliquid amplius denotat, quam nomen Principis: ſupremam ſiquidem poteſtatem ſignificat.

CUMQUE ADORASSENT EUM FRATRES SUI.] Se ad ejus pedes abjecerunt, atque ita Joſephi vaticinium, ſeu ſomnium impletum eſt c. 37. 9. 10.

℣. 9. EXPLORATORES ESTIS.] Aquila vim hebraici verbi optime expreſſit, Ἐφοδευταί, *homines*,

A *qui Urbes, & Provincias percurrunt*. Septuaginta Κατάσκοποι. Mentitus ne eſt Ioſeph, dum fratres ſuos tanquam exploratores arguit? D. Auguſtinus quæſt. 139. in Geneſ. utpote a mendacio, & qualibet mendacii ſuſpicione alienus, nullum hic deprehendit mendacium. Putat Ioſephum ſimpliciter dicere velle, ſe acturum eum fratribus tanquam cum exploratoribus, niſi ipſi vera narraverint. Affirmative non loquitur, inquit D. Bonaventura in 3. Sent. percontatur, interrogat, ut veritatem eliciat, quod etiam aliquando uſuvenit in diſputationibus, in quibus apertiſſimi errores in medium afferuntur, ut deinde veritas aliqua vel detegatur, vel illuſtretur. D. Auguſtinus quæſt. 145. pronunciat tunc ſolum mendacii reum quempiam eſſe poſſe, cum ſerio
B agit, non autem cum per jocum ac ſine perſuadendi voluntate loquitur. D. Chryſoſtomus hom. 44. in Geneſ. Ioſephum id totum feciſſe affirmat, ut fratrum fidem, eorumque in Beniamin voluntatem periclitaretur, quod timeret, ne fratri ſuo minori accidiſſet, quod ipſe a reliquis fratribus perpeſſus fuerat. Adde inſuper Ioſephum eam obtinuiſſe dignitatem, quæ auctoritatem in fratres ſuos ipſi conferebat; debebat proinde, aut certe poterat eos quaſi non ſibi notos excipere. Agit hic veluti Ægypti Princeps, qui Iacobi filios non tenebatur cognoſcere; ſeu etiam ſe gerit tanquam Judex, qui reum interrogat ſive eum culpæ obnoxium credat, ſive etiam ejus integritatem aliunde cognoſcat. Nihilominus tamen Lyranus, Toſtatus, Delrius, Pererius, & qui-

dam alii Ioſephum leviter hic fuiſſe mentitum, leviterque erraſſe exiſtimant, quod ſane peccatum cum hujus Patriarchæ ſanctitate conſiſtere poteſt.

℣. 11. Pacifici venimus.] Hebr. כנים verti poteſt; *nos ſumus juſti*, ſeu *bonæ fidei viri*. Symmachus reddit ἁπλοῖ: *nos ſumus ſimplices*, ſeu *ſinceri*. Septuaginta εἰρηνικοί. Aquila ὀρθοί. Syrus. *nos juſti ſumus*. Id totum exploratorum naturæ, & characteri repugnat, quæ gens ſine fide eſt, ſine lege. Verbum *pacifici* accipitur aliquando pro *amicis*. Vide Geneſ. 34. 21. 3. Reg. 5. 12. Eccli. 6. 6. ſeq. 20. 10. &c.

℣. 12. Immunita terræ considerare venistis.] Hebr. ערות ad litteram: *nuditatem*, *ſpoliationem regionis*. Septuaginta: τὰ ἴχνη τῆς γῆς: *veſtigia terræ conſiderare veniſtis*. Quæ hic aguntur, atque hujus regionis aditus, & vias ſpeculari veniſtis. Aquila, & Symmachus; τὰ κρυπτὰ τῆς γῆς: *sepulta terræ detegere veniſtis*, quæ majori cura extraneis occultantur.

℣. 14. Hoc est, quod locutus sum, exploratores estis.] Ioſeph ait ſe ex fratrum verbis clarius conjicere, quod exploratores ſint; quoniam affirmant ſe duodecim fratres eſſe ex eodem patre progenitos: unum ex his apud patrem manſiſſe, duodecimum vero ſuperſtitem amplius non eſſe. Ex his nihil probari videtur eorum, quæ Ioſeph in illos jactat. Locus iſte, ut opinor, ita explicari poteſt: Non mihi ſatis ſunt, quæ dixiſtis: vos tamdiu ut exploratores habebo, quoad illa, quæ aſſeritis, reapſe a vobis comprobari videam: Duodecimum hunc fratrem aſpiciam, oportet, atque ita dictorum veſtrorum veritas confirmetur; alioquin exploratores eſtis.

℣. 15. Per salutem Pharaonis [s].] Abenezra apud Grotium, & alii apud Vatablum, & Fagium Iudæi maximum omnium apud Ægyptios jusjurandum afferunt illud eſſe, quod per ſalutem Regis fit. Interpretes pluribus adnituntur ab omni culpa liberare Ioſephum per vitam hominis jurantem. Divus Thomas 2. 2. quæſt. 89. art. 6. docet potuiſſe Ioſephum per Pharaonis ſalutem jurare, ſicut juramus per Evangelia, per Reliquias, & per Sanctos: non quidem harum earum ipſarum intuitu, ſed intuitu Dei, qui eas ſanctificat. Pharao utpote Rex, potiſſima erat in terris Dei Imago: potuit proinde per ejus vitam jurare Ioſeph, divinam conteſtans juſtitiam, cujus Princeps executor eſt, & miniſter.

Alii ſeverioris diſciplinæ Interpretes contendunt jusjurandum, quod fit per vitam Principis, quamdam Idololatriæ ſpeciem eſſe, nec poſſe licitum reddi, aut conſuetudine, aut quavis alia ratione, tum quod injuria Deo irrogatur, tum quod ceteris eſſe poteſt offenſioni. Chriſtianæ Religionis martyres induci numquam potuere, ut per Romanorum Imperatorum genium jurarent, quod idem prorſus eſt, ac jurare per eorum vitam, ſicut Joſeph jurat hic per ſalutem Pharaonis. Et ſane, ſi certum foret, quod jusjurandum per Principis vitam factum Idololatriæ ſpecies eſſet, non poſſet Joſeph non argui de crimine; verum quæ ille dicit, accipi poſſunt in ſenſu omnino ſimplici, & a quavis ſuperſtitione remoto, quaſi votum quoddam: vivat Pharao; ſeu quædam veluti propoſitio, quæ rem incertam re certa affirmat: *Sicut verum eſt Pharaonem vita plenum eſſe, ita certiſſime vos hinc non egrediemini, niſi prius fratrem veſtrum ad me adducere ſpondeatis*.

Nullo poteſt probari argumento Ægypti Reges Joſephi ætate ſibi honores divinos vindicaſſe; atque legimus in Scripturis Iſraelitas etiam magis religioſos numquam fuiſſe veritos hoc, ut aſſeritur, juramentum per vitam hominis uſurpare, quin imo in rebus etiam momenti non adeo magni illud adhibebant, jurantes per privatorum hominum vitam: ſi-

A cut Anna Samuelis mater, ſique Heli ſummo Sacerdoti dicit: *vivit anima tua, domine, ego ſum illa mulier* &c. 1. Reg. 1. 26. Sæpius Iſraelitæ hac formula utebantur, cum Regem alloquerentur. Abner, exempli gratia, Sauli dicit; *vivit anima tua, Rex, non novi hunc adoleſcentem*, ibid. 17. 55. & Abigail Davidi: *vivit Dominus, & vivit anima tua*, ibid. 25. 26. Has autem omnes loquendi formulas juramenta eſſe, atque Idololatriam continere dicemus? Joſeph fratribus dicit, fore ut inde non egrediantur, niſi Beniamin adducant: videlicet diſcedendi veniam ſe illis numquam daturum, niſi ad ſe ducturos Beniamin polliceantur.

℣. 20. Fecerunt, ut dixerat.] Quod dixerat, ſe facturos promiſerunt, ac deinde promiſſa
B præſtiterunt.

℣ 21. Merito hæc patimur.] Hebr. אבל אשמים אנחנו: *Revera nos rei ſumus*; ſeu: *vere (merito) criminis pœnas damus*. Sicut crimen aliquando ponitur pro pœna criminis, ita uſurpatur verbum reus pro voce punitus, mulctatus. Cernitur hic, quid pravæ conſcientiæ poſſit ſtimulus. Jam fluxerant anni 22. vel 23. ex quo Ioſeph a fratribus ſuis divenditus fuerat: tantum hoc intervallum criminis memoriam prorſus delere non potuerat; ſed ubi ſe ſentiunt calamitatibus obnoxios, ſtatim præteritæ culpæ reminiſcuntur.

℣. 23. Eo quod per interpretem loqueretur.] Docent Judæi Joſephum filio ſuo Manaſſe interprete fuiſſe uſum. Verum Manaſſes octo, aut
C novem annos vix tum natus erat. Probabile non videtur Joſephi fratres interprete indiguiſſe, ut ab Ægyptiis intelligerentur. Fortaſſe Joſeph interprete uti voluit, ut majeſtatis ſpeciem præſeferret, terroremque fratribus ingereret.

℣. 25. Tollens Simeon, et ligans.] Præcipuus Joſephi oppugnator, præcipuuſque ejus mortis ſuaſor, creditur fuiſſe Simeon. Ioſeph injuriam hanc ulciſci potuit; voluit, inquit Theodoretus quæſt. 103. eum punire, quod Rubeno fratrem liberare conanti aſſentiri noluerit. Idem Theodoretus, Lyranus, Toſtatus, & alii exiſtimant, Simeonem ſe ſponte obtuliſſe pro fratribus obſidem; cum eo humaniſſime actum fuiſſe Ioſephi juſſu, eidemque libertatem ſtatim ab aliorum abitu conceſſam. Id ta-
D men Scripturæ videtur repugnare. Simeon e cuſtodia nonniſi poſt fratrum ſuorum reditum emiſſus eſt. Geneſ. 43. 23.

℣. 33. Cibaria domibus vestris necessaria.] Hebr. רעבון בתיכם ad litteram: *accipite famem domuum veſtrarum*, id eſt, accipite ad veſtras familias alendas neceſſaria.

℣. 35. Repererunt in ore saccorum ligatas pecunias.] Cap. 43. verſ. 21. legimus Jacobi filios, ubi ad primum diverticulum pervenerunt, cum animalia ſua paſcere vellent, pecuniam in ore ſaccorum inveniſſe. Id illi rei familiaris Ioſephi curatori narrant. Hoc autem in verſiculo argentum reperiiſſe dicuntur, cum in paternam domum jam reverſi frumentum e ſaccis ejecere. Ad hæc loca
E concilianda ajunt nonnulli Iacobi filios admirationem coram patre inſimulaſſe, quod nummos in ſaccis reperiiſſent: quos tamen iiſdem ineſſe optime noſſent. Id effecere, ut patris objurgationes eluderent, ac ſe ſe excuſarent, ni ſtatim in Ægyptum pecuniam hanc relaturi remearint.

Credunt alii Ioſephi diſpenſatori rem, ut erat, fratres minime narraſſe; ſed ei tantummodo retuliſſe, quod in ſaccorum ore pecuniam inveniſſent, quam ab uno ex eis repertam aſſerere debuiſſent, ut notatur verſ. 27. hujus capitis. Probabile tandem eſt ex ipſis aliquos, dum in diverſorio ſaccos ſuos aperirent, argenti partem deprehendiſſe; univerſam autem ſummam tantummodo inventam, cum in paternam domum pervenerunt.

Liga-

[s] חי פרעה. 70. τὴν ὑγίειαν Φαραώ, Aq. ζῇ Φαραώ.

Ligatas pecunias.] Ligatas ſcilicet, vel in ſuis loculis, vel in ſaccis. Nonnulli Hebr. צְרוֹר כַּסְפּוֹ vertunt: *ligaturam pecuniæ*, ſeu *faſciculum pecuniæ*, quod intelligi poteſt de pluribus virgulis argenteis ſimul colligatis: melius tamen verti poteſt: *Invenit unuſquiſque crumenam ſuam plenam argento in ſacco ſuo*. Vox hebraica *Zeror* ſacculum ſignificat, ſicut colligitur ex cap. 1. 6. Aggæi: *vos mercedem veſtram miſiſtis in ſacculum pertuſum*. Videri etiam poteſt Deut. 14. 25. 2. Reg. v. 23. & 12. 10. & Iob 26. 8. Prov. 7. 20. ubi Hebr. *Zur* ſignificat aliqua re involvere, & *Zeror* ſacculum denotat.

CAPUT XLIII.

Reditus fratrum Joſeph in Ægyptum una cum Beniamin. Eis Joſeph convivium parari jubet.

℣. 1. INterim fames omnem terram vehementer premebat. 2 Conſumptiſque cibis, A. M.
quos ex Ægypto detulerant, dixit Jacob ad filios ſuos: Revertimini, & emite 2298.
nobis pauxillum eſcarum. 3 Reſpondit Juda: Denuntiavit nobis vir ille ſub
atteſtatione jurisjurandi, dicens: Non videbitis faciem meam, niſi fratrem veſtrum minimum
adduxeritis vobiſcum. 4 Si ergo vis eum mittere nobiſcum, pergemus pariter,
& ememus tibi neceſſaria; 5 Sin autem non vis, non ibimus; vir enim, ut ſæpe diximus,
denuntiavit nobis, dicens: Non videbitis faciem meam abſque fratre veſtro minimo.
6 Dixit eis Iſrael: In meam hoc feciſtis miſeriam, ut indicaretis ei, & alium
habere vos fratrem. 7 At illi reſponderunt: Interrogavit nos homo per ordinem noſtram
progeniem; ſi pater viveret; ſi haberemus fratrem, & nos reſpondimus ei conſequenter
juxta id, quod fuerat ſciſcitatus: numquid ſcire poteramus, quod dicturus
eſſet: Adducite fratrem veſtrum vobiſcum? 8 Judas quoque dixit patri ſuo: Mitte
puerum mecum, ut proficiſcamur, & poſſimus vivere; ne moriamur nos, & parvuli
noſtri, 9 Ego ſuſcipio puerum; de manu mea require illum: niſi reduxero, & reddidero
eum tibi, ero peccati reus in te omni tempore. 10 Si non interceſſiſſet dilatio,
jam vice altera veniſſemus, 11 Igitur Iſrael pater eorum dixit ad eos; Si ſic neceſſe
eſt, facite, quod vultis; ſumite de optimis terræ fructibus in vaſis veſtris, & deferte
viro munera, modicum reſinæ, & mellis, & ſtoracis, ſtactes, & terebinthi, & amygdalarum.
12 Pecuniam quoque duplicem ferte vobiſcum; & illam, quam inveniſtis in
ſacculis, reportate, ne forte errore factum ſit; 13 Sed & fratrem veſtrum tollite, &
ite ad virum. 14 Deus autem meus omnipotens faciat vobis eum placabilem; & remittat
vobiſcum fratrem veſtrum, quem tenet, & hunc Beniamin: ego autem quaſi orbatus
abſque liberis ero. 15 Tulerunt ergo viri munera, & pecuniam duplicem, & Beniamin;
deſcenderuntque in Ægyptum, & ſteterunt coram Joſeph. 16 Quos cum ille
vidiſſet, & Beniamin ſimul, præcepit diſpenſatori domus ſuæ, dicens: Introduc viros
domum, & occide victimas, & inſtrue convivium: quoniam hodie mecum ſunt comeſturi
meridie. 17 Fecit ille, quod ſibi fuerat imperatum, & introduxit viros domum.
18 Ibique exterriti, dixerunt mutuo: Propter pecuniam, quam retulimus prius in ſaccis
noſtris introducti ſumus: ut devolvat in nos calumniam, & violenter ſubjiciat ſervituti,
& nos, & aſinos noſtros. 19 Quamobrem in ipſis foribus accedentes ad diſpenſatorem
domus, 20 Locuti ſunt: Oramus, Domine, ut audiat nos: Jam ante deſcendimus,
ut emeremus eſcas. 21 Quibus emptis, cum veniſſemus ad diverſorium,
aperuimus ſaccos noſtros, & invenimus pecuniam in ore ſaccorum: quam nunc eodem
pondere reportavimus, 22 Sed & aliud attulimus argentum, ut emamus, quæ nobis
neceſſaria ſunt: non eſt in noſtra conſcientia, quis poſuerit eam in marſupiis noſtris.
23 At ille reſpondit: Pax vobiſcum, nolite timere: Deus veſter, & Deus patris veſtri
dedit vobis theſauros in ſaccis veſtris, nam pecuniam, quam dediſtis mihi, probatam
ego habeo. Eduxitque ad eos Simeon. 24 Et introductis domum, attulit aquam,
& laverunt pedes ſuos, deditque pabulum aſinis eorum. 25 Illi vero parabant munera,
donec ingrederetur Joſeph meridie: audierant enim, quod ibi comeſturi eſſent panem.
26 Igitur ingreſſus eſt Joſeph domum ſuam, obtuleruntque ei munera, tenentes
in manibus ſuis: & adoraverunt proni in terram. 27 At ille clementer reſalutatis eis,

interrogavit eos, dicens : Salvuſne eſt pater veſter ſenex, de quo dixeratis mihi? Ad-
huc vivit? 28 Qui reſponderunt : Soſpes eſt ſervus tuus pater noſter ; adhuc vivit .
Et incurvati, adoraverunt eum, 29 Attollens autem Joſeph oculos , vidit Beniamin
fratrem ſuum uterinum, & ait ; Iſte eſt frater veſter parvulus, de quo dixeratis mihi ?
Et rurſum : Deus, inquit, miſereatur tui, fili mi. 30 Feſtinavitque in domum, quia
commota fuerant viſceera ejus ſuper fratre ſuo, & erumpebant lacrymæ: & introiens cu-
biculum, flevit. 31 Rurſumque lota faeie egreſſus, continuit ſe , & ait : Ponite pa-
nes. 32 Quibus appoſitis, ſeorſum Joſeph, & ſeorſum fratribus, Ægyptiis quoque ,
qui veſcebantur ſimul, ſeorſum (illieitum eſt enim Ægyptiis comedere cum Hebræis ,
& profanum putant hujuſcemodi convivium.) 33 Sederunt coram eo , primogenitus
juxta primogenita ſua, & minimus juxta ætatem ſuam. Et mirabantur nimis. 34 Sum-
ptis partibus, quas ab eo aeeeperant: majorque pars venit Beniamin , ita ut quinque
partibus excederent. Biberuntque, & inebriati ſunt cum eo.

℣. 5. MITTE PUERUM .] Beniamin viginti quatuor circiter annorum erat . Hebræi teſte Divo Hieronymo in quæſtionibus hebraicis natu minimos ſemper pueros vocare conſueverant , nullo habito ætatis reſpectu. Salomon octodecim , & Ioſias ſexdecim annos nati, parvi pueri vocantur ; *puer parvus , puer tenellus* 3. Regum 3. 7. & 1. Paralipomen. 22. 5. & 34. 3.

℣. 11. DE OPTIMIS TERRÆ FRUCTIBUS .] Hebr. מִזִּמְרַת הָאָרֶץ ad litteram ; *de cantatione* , ſeu , *laude terræ* , ex iis rebus aliquid ſumite, quæ hac in regione maximi fiunt . Ad Ioſeph attulerunt , inquit Origenes in Caten. mſſ. (Vide nov. edit. Hexaplor.) fructus quoſdam , qui in Ægypto minime naſcebantur , reſinam, mel, thus , myrrham , terebinthum , & nuces . De aromatibus, de reſina , & myrrha jam meminit ſupra caput 37. 25. non autem de melle, de fructu terebinti , & de nucibus . Exiſtimaut nonnulli loco *mellis* vertendum *palmarum* , ex quibus mel elicitur : Scriptura Deuteron. 8. 8. inter fructus etiam mel enumerat , & Levit. 2. 11. 12. mellis primitias jubet Deo offerri . Affirmat Rabbinus Salomon Hebræum *Dabaſch* , quod mel vertitur , quaſcumque fructus dulces ſignificare.

STORACIS .] Hebræus habet נְכֹאת *necoth* . Septuaginta : *Θυμίαμα, ſuffitus* . Vulgata ſequuta eſt Aquilam , qui interpretatur *Στύρακα , ſtoracem* . Sturax ex arbore ſtillans liquor quidam craſſior eſt , & denſus inſtar opobalſami , ingratumque mittit odorem . Sæpiſſime a medicis adhibetur . Fluit e planta cotoneæ malo ſimili. Duo ſunt ſtyracis genera , quorum alterum vocatur calamitis , quoniam e Pamphylia in calamis olim tranſvectum eſt . Alterum autem genus eſt ſtyracis communis , rufi , odoris ſuavis , non ſecus ac calamitis : minori tamen habetur in pretio . Styracis grumi cauliculis adhærent oblongis, levi quadam pellicula ſunt obducti , rotundi , in acutum deſinentes, magnitudine nucis Ponticæ , cui oſſicula quædam inſunt , unde ſemen educitur .

STACTES .] Hebr. לֹט *lot* . Stactes eſt quidam , veluti adeps , qui ex myrrha frigida educitur cum aquæ modico contuſa , & torculari preſſa . Liquor hic odore eſt ſuaviſſimo , & maximi fit . Vetus , & germanus ſtactes nullibi nunc reperiri dicitur .

TEREBINTHI .] Septuaginta , & Divus Hieronymus eos ſequutus *Botnim* in textu legiſſe videntur ; vox enim hæc apud Syros , & Arabes terebinthum ſignificat . Terebinthus paſſim in Syria invenitur , ut notat Theophraſtus hiſtor. Plant. lib. 8. cap. 1. Hebraicus tamen textus , prout eum in noſtris Bibliis legimus , habet בָּטְנִים *Batnim* , quod nuces ſignificat juxta Chaldæum , ſeu Avellanas juxta Rabbinos. A Pagninus interpretatur *pineas* , pini mala . Bochartus putat hunc fructum eſſe arboris cujuſdam in Palæſtina , & Syria frequentiſſimæ , quæ *piſtacium* , ſeu *piſtacia* vocatur ; hujus arboris nuces *piſtaria* dictæ quaſi quidam racemi e parte ſurculorum extrema pendent ; pellicula extima rubea eſt , & odore grato . L. Vitellius Cenſor a Syriæ adminiſtratione rediens primus hos fructus in Italiam invexit . Hujus arboris nuces oblongæ ſunt , & ventris ſimilitudinem gerunt , cujus etiam nomine hebraice vocantur . Bethen enim ventrem ſignificat .

℣. 14. EGO AUTEM QUASI ORBATUS ABSQUE LIBERIS ERO .] Hebræus [1] ; *Quoniam ſum ſine liberis , ego ſum ſine liberis* . Quoniam neceſſe mihi eſt id conſilii capere , hoc conſilium capere neceſſe eſt . B Idem etiam Septuaginta habent . Chaldæus vero : *Ero ſine liberis , ſicut ſum ſine liberis* . Beniamin orbabor , ſicut Joſepho orbatus ſum .

℣. 16. OCCIDE VICTIMAS .] Hebræus [2] : *immola immolationem* ; occide animalia , quæ ſacrificio deſerviant . Hic loquendi modus innuere videretur animalia hæc falſis Ægypti numinibus antea fuiſſe immolata , quam eorum carnes in Ioſephi menſa apponerentur . Arbitratur Grotius nondum fuiſſe ea ætate Idololatriam in Ægyptum invectam : etenim nullum in Scriptura reperit ejus veſtigium . Verum qui , quæſo , ſunt illi conjectores , atque Magi , quibus Pharao narrat ſomnium ſuum ? Verine Dei miniſtri erant ? Unde tam prona Ægyptiorum in Augures , & divinatores voluntas ; & mutuum Hebræorum , C & Ægyptiorum odium, niſi ex Religionis diverſitate ? Moyſis ævo , qui poſt Ioſeph centum circiter annis vixit , vigebat Idololatria in Ægypto , quod colligitur tum ex cultu præſtito aureo vitulo , tum ex pluribus legis locis , ubi multa adverſus Idololatriam præcipiuntur , tum etiam ex Ezechiele cap. 20. 7 ubi Propheta dicit Iſraelitas Ægypti idola fuiſſe veneratos ; & ex Amos 5. 26. ubi imagines Idolorum in deſertum illi portaſſe dicuntur.

Non tamen propterea credimus , Ioſephum falſis diis animalia hæc immolari juſſiſſe , aut adhæſiſſe unquam Ægyptiorum ſuperſtitionibus . Verba textus nullam præſeferunt Idololatriæ ideam . Cum Hebræi animalia etiam ante legem occidebant , eorum ſanguinem Deo aliquo modo libabant : ſanguinem ſibi D Deus reſervarat , cum Noe Geneſ. 9. 4. permiſit , ut carne veſci poſſet . Poſt Legem latam itidem Deus juſſerat , ut ad oſtium tabernaculi adducerentur animalia , quæ in proprium uſum quilibet volebat occidere . Levit. 17. 5. 6. 7.

Quamvis Ægyptii hac religione imbuti non fuiſſent , ſatis eſt id Hebræis fuiſſe perſuaſum , ut Moyſes hunc loquendi modum jure poſſet uſurpare . Ceterum non Hebræi ſolum , ſed Auctores etiam profani

1 וַאֲנִי כַּאֲשֶׁר שָׁכֹלְתִּי שָׁכָלְתִּי .
2 טְבֹחַ טֶבַח , 70. Σφάξον , θύματα .

ſani hoc utuntur loquendi modo. Heraclides Cumanus apud Athenæum lib. 4. cap. 10. de animalibus verba faciens, quæ qualibet die pro Regum Perſarum menſa occidebantur, mille victimas ſingulis diebus immolatas fuiſſe dicit.

MERIDIE.] Hac hora prandere ſoliti fuiſſe videntur Ægyptii. Legimus Hebræos bis in die cibum ſumere conſueviſſe. Abraham menſam tribus angelis inſtruit circa Meridiem Geneſ. 18. 1. & Loth illos eodem die ad cœnam invitat Geneſ. 19. 3. Deus corvos mittebat, qui bis in die panem, & carnem Eliæ deferret 3. Reg. 17. 6. David poſt necem Abner illatam a Ioabo jurat ſe nullum ſumpturum cibum ante Solis occaſum 2. Reg. 3. 35. Saul Philiſthæos perſequens jubet, ne quiſquam e populo panem comedat ante veſperam. *Maledictus vir, qui comederit panem uſque ad veſperam*, & 1. Reg. 14. 24. David poſt Saulis mortem jejunat uſque ad veſperam 2. Reg. 1. 12. Cibum circa Meridiem fuiſſe ſumptum pluries in Scriptura legimus, pluries etiam circa veſperam.

Mane cibum capi non poterat ſine intemperantiæ nota. Salomon Eccl. 10. 16. 17. ait: *Væ tibi terra cujus Rex puer eſt, & cujus Principes mane comedunt. Beata terra, cujus Rex nobilis eſt, & cujus Principes veſcuntur in tempore ſuo*. Divus Petrus Act. 2. 15. iis, qui Apoſtolos, ut ebrios accuſabant, ita reſpondet; *non enim ſicut vos exiſtimatis, hi ebrii ſunt, cum ſit hora diei tertia*. Tertia hæc hora nonæ horæ matutinæ reſpondet. Iſaias 5. 2. eos increpat, qui a mane uſque ad veſperam potabant: *Qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam, & potandum uſque ad veſperam*. Perſæ etiam teſte Heraclide Cumano apud Athenæum lib. 4. cap. 10. bis in die comedebant. Cum Rex ad convivium miniſtros ſuos vocabat, id fere ſemper mane fiebat, ut veſpere cum amicis ſuis cœnare poſſent.

Licet autem Veteres Græcos quatuor, & quinque etiam vicibus in die comedere aliquando conſueviſſe legamus; qui tamen magis temperate vivebant, ſemel tantum, aut bis in die cibum ſumebant. *Sapius de die cibum ſumere tam ſoliti veterum plerique, quam nos hodie, niſi quod parcius fere prandebant: multi etiam cœna tantum, vel prandio erant contenti*. Caſaubonus in Athenæum lib. 1. cap. 10. & lib. 12. cap. 8. Cum Plato, ut habetur in epiſtolis apud Athenæum lib. 12. cap. 6. atque ibi bis ſingulis diebus convivia oppipare inſtrui cognoviſſet, ſe ſe cohibere non potuit, quin diceret homines, qui a prima ætate ita vixerint, nullam unquam prudentiæ, & ſapientiæ partem aſſequi poſſe. Duas Latini habebant refectiones, prandium, & cœnam; prima refectio privata erat, in qua quiſque ſolus comedebat eo ferme pacto, quo nos jejunii tempore facere ſolevimus. Nemo ad hanc refectionem vocabatur; ſed dumtaxat ad cœnam, quæ fiebat tret circiter horas poſt Meridiem.

Imperat extructos frangere nona toros.

℣. 18. DEVOLVAT IN NOS CALUMNIAM.] Hebraicus textus [1] ad litteram: *ut ſe devolvat ſuper nos*; ut nos conterat, proſternat, opprimat, ſicut luctator, qui ſuum proſtravit hoſtem. Chaldæus, & Samaritana verſio: *ut nobis dominetur*. Syrus: *ut nobis inſultet*. Vatablus: *ut nos in ſervitutem redigat*. Septuaginta [2]: *ut nos calumnietur, nobiſque imponat*.

℣. 23. PECUNIAM, QUAM DEDISTIS, PROBATAM EGO HABEO.] Hoc mendacium eſt. Joſephi juſſu id ille dixit: uterque propterea hujus mendacii reus eſt. Hebræus ſimpliciter habet: *Ad me pervenit argentum veſtrum*.

℣. 28. ADHUC VIVIT. ET INCURVATI SUNT.] Textus Samaritanus, & Septuaginta: *adhuc vivit*.

A *Joſeph ita reſpondit: Benedictus ſit Deus, & incurvati ſunt*.

℣. 32. ILLICITUM EST ÆGYPTIIS COMEDERE CUM HEBRÆIS.] Ægyptii teſte Herodoto lib. 2. c. 41. & Chæremone apud Porphyrium de Abſtin. lib. 4. cum extraneis fere numquam comedebant, atque ita Græcos deteſtabantur, ut nec eorum vaſibus, aut verubus, aut cultris uti, nec umquam eos deoſculari, nec eſcas ſumere vellent, quas illi cultris ſuis ſecaſſent.

Quæritur autem, cur Ægyptii ceteros populos tantopere abominarentur. Putant aliqui id eſſe eorum ſuperſtitioni adſcribendum: vel quia Hebræi, & alii populi animalia edebant, quæ ab Ægyptiis colebantur; vel etiam quia cibos, & alimenta quædam
B ſumebant, quæ Ægyptiis horrori erant: extranei propterea apud illos quaſi profani habebantur.

Ita ſentit Chaldæus, & Interpretes quamplurimi. Contendunt alii ideo Ægyptios averſatos fuiſſe Hebræos, quod hi gregum curam exercerent, quod ſane officium vile nimium, & abjectum Ægyptiis videbatur; atque horum opinio nititur verſ. 34. cap. 46. Exiſtimant alii Ægyptios in urbibus degentes ſedentariis artibus operam dediſſe; iis proinde Ægyptios paſtores odio fuiſſe, qui in agris viventes bellicoſam, & laborioſam vitam ducebant. Hanc amplectitur opinionem Cunæus de Repub. Hebr. l. 1. c. 6. Vide Cleric. hic.

℣. 33. SEDERUNT . . . . . JUXTA PRIMOGENITA SUA.] Ægyptii, Hebræi, & Græci etiam heroicis
C temporibus non recumbentes in lectis e tabulis, ſed ſedentes cibum ſumebant. Moris recumbendi ad menſam non meminit Scriptura niſi poſt reditum a captivitate. A Perſis mos hic ortum habuit. Vide Eſther. 1. 6. & 7. 8.

℣. 34. SUMPTIS PARTIBUS, QUAS AB EO ACCEPERANT.] Joſeph ſuam ſingulis partem ſeorſim dedit, juxta antiquam ad menſam miniſtrandi conſuetudinem. Vide Plutarchum in Sympoſ. l. 2. quæſt. ult. Hebraicus textus rem hanc melius exprimit: *Et tulit dona a facie ſua ad eos*, ſeu, *tulit fercula a facie ſua*. Cibos, qui in patinis erant, diviſit, atque a menſa ſua miſit ſuam ſingulis fratribus partem. Apud Homerum ipſe cœnarum magiſter cibos dividit, eoſque convivis diſtribuit.

D MAJORQUE PARS VENIT BENIAMIN, ITA UT QUINQUE PARTIBUS EXCEDERET.] In conviviis æquam omnes portionem fere ſemper habebant; unde Homerus convivia vocat *Δαῖτας ἐΐσας æqualia*, quod æqualis ſingulis portio diſtribueretur, juxta Athenæi obſervationem lib. 1. pag. 12. Qui majori erant honore digni, majorem etiam obtinebant partem, ut hic factum fuiſſe legimus, Hector Diomedem fugientem objurgat, quod tantum ei honorem Græci tribuerent, ut ipſi primum locum concederent, & majorem ciborum partem, & plena ſemper pocula. Demetrius apud Euſebium Præpar. lib. 9. 21. ait, Joſeph ad fratrem ſuum Beniamin quinque partes miſiſſe, ſibique dues retinuiſſe: interim dum unam tantum partem ceteris fratribus dabat, ſignificare vole-
E bat ſe duos Rachelis filios ſeptem Liæ liberis æquare.

BIBERUNT, ET INEBRIATI SUNT CUM EO.] Ad litteram; *biberunt, & inebriati ſunt*. Vox textus שכר accipitur aliquando minus rigide, ſignificatque bibere, quantum quiſque vult, quantum ſatis eſt ad ſitim explendam, & neceſſitati ſubveniendum. Hoc in ſenſu loquitur Sponſa Cant. 5. 1. *Sumite, amici, bibite, & inebriamini*, Id eſt: venite, comedite, hilareſcite. Et Aggæus Judæos alloquens cap. 1. 6. hæc habet: *Seminaſtis multum, & intuliſtis parum: comediſtis, & non eſtis ſatiati: bibiſtis, & non eſtis inebriati*: quaſi diceret, eam vos non collegi-

1 להתגולל עלינו.
2 Τοῦ συκοφαντῆσαι ἡμᾶς, καὶ ἐπιθέσθαι ἡμῖν.

collegiſtis frumenti, & vini copiam, quæ ad commode vivendum vobis eſt neceſſaria. Et Sapiens Proverb. 11. 24. *qui inebriat, ipſe quoque inebriabitur*, hoc eſt, qui abunde dat, ipſe quoque bonis cumulabitur: Vir liberalis magnam bonorum affluentiam recipiet.

Homerus conviviis, quæ deſcribit, hiſce verbis plerumque finem imponit. Diſceſſere ſinguli, poſtquam biberant, & comederant ad ſatietatem; ſeu i receſſerunt, poſtquam ſitim, & famem expleverant. Scriptura ſæpe ſumit verbum inebriati metaphorico in ſenſu, ut Deuteron. 32. 42. *Inebriabo ſagittas meas ſanguine eorum*; & Pſalm. 64. 11. *terra inebriabitur pluvia*; & Iſai. 49. 26. *Cibabo eos carnibus ſuis,*

A *& inebriabo eos ſanguine suo*. Ita etiam dicitur inebriati dolore Iſa. 51. 21. ſeu vanitate &c. Loca hæc omnia ſanguinis, pluviæ, & doloris copiam innuunt. Architriclinus nuptiarum Canæ hæc ſponſo dicit Ioan. 2. 10. *omnis homo primum bonum vinum ponit: & cum inebriati fuerint, tunc id, quod deterius eſt*. Credibilene eſt Chriſtum Ieſum dare voluiſſe hominibus jam ebriis tantum vini, quantum his nuptiarum convivis ſuppeditaſſe legimus? Ita etiam probabile minime eſt filios Jacob intemperanti compotationi indulſiſſe, in conſpectu Joſephi viri tam gravis, quem adhuc non agnoſcebant, ac proinde colere tantopere debebant.

CAPUT XLIV.

Joſeph ſcyphum ſuum in ſacco Beniamin poni jubet, fratres ſuos ad ſe reduci imperat, eoſque quaſi fures excipit; Judas ſe pro Beniamin in ſervitutem offert.

¶ 1. PRæcepit autem Joſeph diſpenſatori domus ſuæ, dicens: Imple ſaccos eorum
frumento, quantum poſſunt capere; & pone pecuniam ſingulorum in ſummita-
te ſacci.. 2 Scyphum autem meum argenteum, & pretium, quod dedit triti-
ci, pone in ore ſacci junioris. Factumque eſt ita. 3 Et orto mane, dimiſſi ſunt cum
aſinis ſuis. 4 Jamque urbem exierant, & proceſſerant paululum: tunc Joſeph accerſi-
to diſpenſatore domus, Surge, inquit, & perſequere viros; & apprehenſis dicito: Qua-
re reddidiſtis malum pro bono? 5 Scyphus, quem furati eſtis, ipſe eſt, in quo bibit
dominus meus, & in quo augurari ſolet: peſſimam rem feciſtis. 6 Fecit ille, ut juſſe-
rat. Et apprehenſis per ordinem locutus eſt. 7 Qui reſponderunt: Quare ſic loquitur
dominus noſter, ut ſervi ſui tantum flagitii commiſerint? 8 Pecuniam, quam inveni-
mus in ſummitate ſaccorum, reportavimus ad te de terra Chanaan: & quomodo conſe-
quens eſt, ut furati ſimus de domo domini tui aurum, vel argentum? 9 Apud quem-
cumque fuerit inventum ſervorum tuorum, quod quæris, moriatur, & nos erimus ſer-
vi domini noſtri. 10 Qui dixit eis: Fiat juxta veſtram ſententiam: apud quemcumque
fuerit inventum, ipſe ſit ſervus meus, vos autem eritis innoxii. 11 Itaque feſtinato
deponentes in terram ſaccos, aperuerunt ſinguli. 12 Quos ſcrutatus, incipiens a ma-
jore, uſque ad minimum, invenit ſcyphum in ſacco Beniamin. 13 At illi, ſciſſis veſti-
bus, oneratiſque rurſum aſinis, reverſi ſunt in oppidum. 14 Primuſque Judas cum
fratribus ingreſſus eſt ad Joſeph (necdum enim de loco abierat) omneſque ante eum pa-
riter in terram corruerunt. 15 Quibus ille ait: Cur ſic agere voluiſtis? an ignoratis,
quod non ſit ſimilis mei in augurandi ſcientia? 16 Cui Judas: Quid reſpondebimus,
inquit, domino meo? vel quid loquemur, aut juſte poterimus obtendere? Deus inve-
nit iniquitatem ſervorum tuorum: en omnes ſervi ſumus domini mei, & nos, & apud
quem inventus eſt ſcyphus. 17 Reſpondit Joſeph: Abſit a me, ut ſic agam; qui fu-
ratus eſt ſcyphum, ipſe ſit ſervus meus; vos autem abite liberi ad patrem veſtrum.
18 Accedens autem propius Judas, confidenter ait: Oro, domine mi, loquatur ſervus
tuus in auribus tuis, & ne iraſcaris famulo tuo: tu es enim poſt Pharaonem. 19 Do-
minus meus. Interrogaſti prius ſervos tuos: Habetis patrem, aut fratrem? 20 Et nos
reſpondimus tibi domino meo: Eſt nobis pater ſenex, & puer parvulus, qui in ſene-
ctute illius natus eſt, cujus uterinus frater mortuus eſt; & ipſum ſolum habet mater
ſua, pater vero tenere diligit eum. 21 Dixiſtique ſervis tuis: Adducite eum ad me,
& ponam oculos meos ſuper illum. 22 Suggeſſimus domino meo: Non poteſt puer re-
linquere patrem ſuum: ſi enim illum dimiſerit, morietur. 23 Et dixiſti ſervis tuis:
Niſi venerit frater veſter minimus vobiſcum, non videbitis amplius faciem meam. 24
Cum ergo aſcendiſſemus ad famulum tuum patrem noſtrum, narravimus ei omnia, quæ
locutus eſt dominus meus. 25 Et dixit pater noſter: Revertimini, & emite nobis pa-

tum

rum tritici. 26 Cui diximus: Ire non poſſumus: ſi frater noſter minimus deſcenderit
nobiſcum, proficiſcemur ſimul: alioquin illo abſente, non audemus videre faciem viri.
27 Ad quæ ille reſpondit: Vos ſcitis, quod duos filios genuerit mihi uxor mea. 28
Egreſſus eſt unus, & dixiſtis: Beſtia devoravit eum: & hucuſque non comparet. 29
Si tuleritis & iſtum, & aliquid ei in via contigerit, deducetis canos meos cum mœrore
ad inferos. 30 Igitur ſi intravero ad ſervum tuum patrem noſtrum, & puer defuerit
(cum anima illius ex hujus anima pendeat.) 31 Videritque eum non eſſe nobiſcum,
morietur, & deducent famuli tui canos ejus cum dolore ad inferos. 32 Ego proprie
ſervus tuus ſim, qui in meam hunc recepi fidem, & ſpopondi dicens: Niſi reduxero
eum, peccati reus ero in patrem meum omni tempore. 33 Manebo itaque ſervus tuus
pro puero in miniſterio domini mei, & puer aſcendat cum fratribus ſuis. 34 Non e-
nim poſſum redire ad patrem meum, abſente puero: ne calamitatis, quæ oppreſſura eſt
patrem meum, teſtis aſſiſtam.

v. 1. SCYPHUM.] Septuaginta, & Theodotion vertunt *Condy*, pateræ genus, quo Perſæ ad libandum utebantur. Decem acetabula continebat. Eo etiam utebantur Ægyptii, ut colligitur ex Nicomacho. Symmachus hebraicum verbum *Gebiah* [1] interpretatur ſcyphum, pateram. Diodorus in Caten. Gr. *Condy* ſimplex poculum ſignificare affirmat.

℣. 5. IN QUO AUGURARI SOLET.] Vox hebraica נחש *Nachaſch* in malam partem plerumque in Scriptura accipitur; ſicut etiam verbum Latinum *augurari*. Grotius tamen vocem hujuſmodi in bonam partem ſumi hic poſſe exiſtimat; atque probabiliter vult Joſephum ſcypho, de quo hic quæſtio eſt, uſum fuiſſe, cum ſomnia explicaturus liquores libabat, atque ſacrificia Deo offerebat. Verbum Latinum *augurari*, aliquando ſimpliciter ſignificat conjicere, ſeu divinare futura ſine ulla ſuperſtitionis, aut artis magicæ admixtione. Atque ita locus hic, *in quo augurari ſolet*, non ſignificat neceſſario vetitam, & magicam divinationem, qualis eſt ea, de qua nonnulli ex Veteribus loquuntur, quæ ſcypho fiebat aqua, ſeu alio liquore pleno, qui ab antæ parte rite fundebatur, hincque rerum futurarum auguria ſumebantur. Euſtath. in Odyſſ. Jul. Firm. de fato cap. 18. apud Pererium.

Iulius Serenus loquitur etiam de ſcypho ad divinationes comparato, quo utebantur Aſſyrii, Chaldæi, & Ægyptii: illum implebant aqua, atque argenteam laminam in eo ponebant, ſeu lapides pretioſos quibuſdam characteribus ſignatos: dæmonem deinde verbis quibuſdam advocabant, qui ſtatim inſtar ſibili ex imo aquarum reſponſa edebat. Plinius l. 30. c. 2. quarundam divinationum meminit, quæ ex aquis, & pelvibus ſumebantur. Videri poteſt Grotius in hunc locum.

D. Auguſtinus quæſt. 145. in Gen. putat nullum reperiri mendacium in iis verbis, quæ Ioſephi juſſu diſpenſator profert, quoniam ſerio non loquebatur, Terrorem fratribus ſuis incutere volebat, eorumque in Beniamin amorem, ac fidem experiri. D. Thomas 2. 2. quæſt. 195. art. 7. affirmat Ioſephum, ejuſque diſpenſatorem non ex ſua, ſed ex Ægyptiorum opinione hic loqui, qui Ioſephum augurem eſſe putabant.

Nonnulli vertunt: *hic eſt ſcyphus, pro quo diligentiſſime requiſivit*, ſeu: *pro quo auguratus eſt*; ſeu, *augures conſuluit*; ſeu tandem, *ſcyphus, quem furati eſtis ..... ipſe eſt, de quo certo auguratur*. Dominus meus eum a vobis fuiſſe ſublatum recte divinavit. Chaldæus: *Et Dominus meus eum diligenter quæſivit*. Samaritanus [2] & Arabicus; *Dominus meus vos ſcypho* A *hoc tentavit*. Maſoretharum punctationem minime ſequentes, Hebræum textum [3] ita vertere poſſumus: *Nonne hic ſcyphus eſt, quo utitur Dominus meus ad bibendum? atque illo auguratus eſt malum, quod vos feciſtis*.

℣. 10. FIAT JUXTA VESTRAM SENTENTIAM.] Ioſeph fratrum propoſitionem ſequi velle videretur; invertit tamen quæcumque illi dixerant. Eum morti adjudicarant, in cujus ſacco furtum eſſet inventum, ſeque omnes Ioſephi ſervituti ultro fore mancipatos dixerant; Ioſephi vero diſpenſator poſtquam eorum verbis conſenſerit, ſimpliciter ait furem Ioſephi ſervum futurum, ceteros vero libere abituros. Textus [4] alio poſſet explicari modo, qui hanc contrarietatis ſpeciem tolleret: *Reſpondit diſpenſator: B Profecto æquum nunc eſſet, ut juxta veſtram ſententiam vobiſcum ageretur: (ſed) qui furtum fecit, ipſe ſervus meus ſit*; nihil ultra quæro: *ceteros ego innoxios eſſe arbitror*.

℣. 15. AN IGNORATIS QUOD NON SIT SIMILIS MEI, &c.] Hebræus, Chaldæus, & Septuaginta: *Num ignorabatis virum talem, qualis ego ſum, facile divinaturum?* ſeu, virum talem, qualis ego ſum, furtum veſtrum facile deprehenſurum.

℣. 16. DEUS INVENIT INIQUITATEM SERVORUM TUORUM.] Ejus eſt recordatus: eam detexit: tempus invenit, quo eam puniret. Iniquitas accipi hic poteſt pro pœna, qua ea punitur. Exiſtimat Bonfrerius iniquitatem, de qua hic loquitur Iudas, eſſe furtum, cujus reum putabat Beniaminum. Plerique C que verba hæc de crimine, quod Ioſephum vendentes patrarant, intelligunt.

℣. 17. QUI FURATUS EST, IPSE SIT SERVUS.] Furtum ſervitute hic punitur: certane, & ſtatuta eſſet apud Ægyptios pœna hæc, plane neſcitur.

℣. 18. TU ES POST PHARAONEM DOMINUS MEUS.] Hebræus: *Tu es ſicut Pharao*. Nos te tanquam ipſum Regem colimus. Verſiculo 19. *Domine mi, interrogaſti nos* &c.

℣. 20. IPSUM SOLUM HABET MATER SUA.] Rachel longo jam ante tempore deceſſerat: ſignificare itaque volunt ſolum Beniamin e duobus filiis, quos ejus mater pepererat, in vivis eſſe; ſeu etiam matrem nutricem Beniamin eum tanquam unicum Rachelis filium reſpicere, eumque quaſi filium ſuum diligere.

D ℣. 21. PONAM OCULOS MEOS SUPER ILLUM.] Septuaginta: *Curam illius habebo*. Phraſis hæc, *ponere oculos ſuper aliquem*, denotat benigno oculo aliquem intueri. Hieremias [5]; *ponam oculos meos ſuper eos ad placandum*. Notari poteſt primo, quæ hic dicuntur, non eſſe omnino eadem cum iis, quæ referuntur c. 42. 13. & ſeqq. unde inferri poteſt Scripturam

1 גביע Σκύφον. Sym. Φιάλην. 70. Κόνδυ.
2 *In nova edit. Hexapl.* Τὸ συμπεπτωκὸς ᾗ αὐτὸς πειράζει ἐν αὐτῷ.
3 נחש ינחש בו הרעתם אשר עשיתם.
4 גם עתה כדבריכם כן הוא.
5 Jeremiæ 24. 6. & 31. & 40. 4. & Eccli. 34. 19.

pturam Sacram non omnes ſemper facti alicujus circumſtantias eodem in loco recenſere: atque proinde cum de facto agitur, ex ſolo Scripturæ ſilentio magni ponderis argumentum erui minime poſſe. Et ſi uno in loco circumſtantiæ aliquæ referantur, quæ alibi fuerant omiſſæ, modo hæc ſibi invicem non repugnent, loca illa inter ſe pugnare non eſt arguendum. Secundo ſacrum Hiſtoricum, dum aliquos in hiſtoria ſua directe loquentes inducit, non ſemper eadem omnino verba exhibere, quæ illi prius protulerunt, ſed ſolummodo eorum cogitationes, & conſilia fideliter exprimere: cumque diverſis in locis de eadem re idem verba faciens in medium adducitur, ſi ſenſus idem ſit, licet aliis omnino ver- A bis expreſſus, non proinde dicendum eſt contrarietatem ullam in hiſtoria repetiri, aut Sacri Scriptoris fidem ſuſpectam eſſe. Idem judicium ferendum de additionibus, aut detractionibus, quæ repetiuntur in diverſis Scripturæ libris, invicem comparatis. Id inde naſcitur, quod e ſacris Auctoribus alii magis diffuſi ſunt, magiſque rerum circumſtantias perſequuntur, alii vero minus: quæ tamen tum illi, tum iſti dicunt, æque certa ſunt.

℣. 31. CVM VIDERIT EVM NON ESSE NOBISCVM.] Hebræus: Ubi viderit eum non adeſſe. *Nobiſcum* in Hebræo non legitur; invenitur tamen in textu Chaldaico, Syriaco, & Samaritano, & apud Septuaginta,

CAPUT XLV.

Joſeph ſe fratribus manifeſtat, muneribus onuſti ad Jacob pergunt, ipſum cum eius familia in Ægyptum adducturi.

℣. 1. NOn ſe poterat ultra cohibere Joſeph multis coram aſtantibus: unde præcepit, ut egrederentur cuncti foras, & nullus intereſſet alienus agnitioni mutuæ. 2 Elevavitque vocem cum fletu; quam audierunt Ægyptii, omnibuſque domus Pharaonis. 3 Et dixit fratribus ſuis: Ego ſum Joſeph; adhuc pater meus vivit? Non poterant reſpondere fratres nimio terrore perterriti. 4 Ad quos ille clementer: Accedite, inquit, ad me. Et cum acceſſiſſent prope, Ego ſum, ait, Joſeph, frater veſter, quem vendidiſtis in Ægyptum. 5 Nolite pavere, neque vobis durum eſſe videatur, quod vendidiſtis me in his regionibus; pro ſalute enim veſtra miſit me Deus ante vos in Ægyptum. 6 Biennium eſt enim, quod cœpit fames eſſe in terra; & adhuc quinque anni reſtant, quibus nec arari poterit, nec meti, 7 Præmiſitque me Deus, ut reſervemini ſuper terram, & eſcas ad vivendum habere poſſitis. 8 Non veſtro conſilio, ſed Dei voluntate huc miſſus ſum; qui fecit me quaſi patrem Pharaonis, & dominum univerſæ domus ejus, ac principem in omni terra Ægypti. 9 Feſtinate, & aſcendite ad patrem meum, & dicetis; Hæc mandat filius tuus Joſeph: Deus fecit me dominum univerſæ terræ Ægypti; deſcende ad me, ne moreris. 10 Et habitabis in terra Geſſen; eriſque juxta me tu, & filii tui, & filii filiorum tuorum, oves tuæ, & armenta tua, & univerſa, quæ poſſides. 11 Ibique te paſcam (adhuc enim quinque anni reſidui ſunt famis) ne & tu pereas, & domus tua, & omnia, quæ poſſides. 12 En oculi veſtri, & oculi fratris mei Benjamin vident; quod os meum loquatur ad vos. 13 Nuntiate patri meo univerſam gloriam meam, & cuncta, quæ vidiſtis in Ægypto; feſtinate, & adducite eum ad me. 14 Cumque amplexatus recidiſſet in collum Benjamin fratris ſui, flevit; illo quoque ſimiliter flente ſuper collum ejus. 15 Oſculatuſque eſt Joſeph omnes fratres ſuos, & ploravit ſuper ſingulos: poſt quæ auſi ſunt loqui ad eum. 16 Auditumque eſt, & celebri ſermone vulgatum in aula regis: Venerunt fratres Joſeph: & gaviſus eſt Pharao, atque omnis familia ejus. 17 Dixitque ad Joſeph, ut imperaret fratribus ſuis, dicens: Onerantes jumenta, ite in terram Chanaan. 18 Et tollite inde patrem veſtrum, & cognationem, & venite ad me: & ego dabo vobis omnia bona Ægypti, ut comedatis medullam terræ. 19 Præcipe etiam, ut tollant plauſtra de terra Ægypti, ad ſubvectionem parvulorum ſuorum, ac conjugum, & dicito. Tollite patrem veſtrum, & properate quantocyus venientes. 20 Nec dimittatis quidquam de ſupellectili veſtra, quia omnes opes Ægypti veſtræ erunt. 21 Feceruntque filii Iſrael, ut eis mandatum fuerat. Quibus dedit Joſeph plauſtra ſecundum Pharaonis imperium: & cibaria in itinere. 22 Singulis quoque proferri juſſit binas ſtolas; Benjamin vero dedit trecentos argenteos cum quinque ſtolis optimis. 23 Tantumdem pecuniæ, & veſtium mittentes patri ſuo; addens & aſinos decem, qui ſubveherent ex omnibus divitiis Ægypti: & totidem aſinas, triticum in itinere, paneſque portantes. 24 Diviſit ergo fratres ſuos, & proficiſcentibus ait: Ne iraſcimini in via. 25 Qui aſcendentes ex Ægypto, venerunt in terram Chanaan ad patrem ſuum Jacob. 26 Et nuntiaverunt ei,

dicen-

dicentes: Joſeph filius tuus vivit: & ipſe dominatur in omni terra Ægypti. Quo audito Jacob, quaſi de gravi ſomno evigilans, tamen non credebat eis. 27 Illi e contra referebant omnem ordinem rei: Cumque vidiſſet plauſtra, & univerſa quæ miſerat, revixit ſpiritus ejus: 28 Et ait: Sufficit mihi, ſi adhuc Joſeph filius meus vivit: vadam, & videbo illum, antequam moriar.

℣. 5. NEQUE VOBIS DURUM ESSE VIDEATUR QUOD VENDIDISTIS ME &c.] *Non vos dolore afficiat, quod me vendidiſtis*. Hebræus [1] ad litteram: *Ne iraſcamini*, ſeu [2], *ne irato ſitis animo, quod me vendidiſtis*. Ne quæſo, id vobis dolorem afferat, neve lædat animorum conjunctionem, quæ inter vos intercedere debet. Timebat fortaſſe Joſeph, ne pudore correpti alii aliis invicem hujus criminis notam impingerent, ſeque invicem conviciis peterent, quæ deinde in apertam diſcordiam prorumpere poſſent. Hic autem perpendere licet, quam egregie ſentiret Joſeph de Dei Providentia, qui ipſis hominum vitiis, ac culpis, ad occulta voluntatis ſuæ decreta exequenda uti novit.

℣. 6. NEC ARARI POTERIT, NEC METI.] Toto ſterilitatis tempore & aliqua terræ committebantur ſemina, & aliquæ colligebantur fruges; id tamen adeo parum erat, ut nihil propemodum eſſe videretur. Cap. 47. 19. legimus, Ægyptios confugiſſe ad Joſephum, ut ipſis grana ſuppeditaret, quæ ſerere poſſent, durante quoque ſterilitate. *Præbe ſemina, ne pereuntε cultore, redigatur terra in ſolitudinem*, Exaggerat ergo hic Joſeph, dum ita loquitur.

℣. 8. FECIT ME QUASI PATREM PHARAONIS.] Hebræus abſolute habet; *conſtituit me patrem Pharaonis*. Supra ver. 43. c. 41. oſtendimus nomen hoc Patris Regis, in aula Regia Ægypti dignitatis nomen eſſe. Apud Phœnices, & Perſas, & Arabes, & Romanos magnos quodam Miniſtros patres vocatos fuiſſe invenimus. Imperatores Romani patrem appellabant Præfectum Prætorii, ut ex litteris Conſtantini ad Ablavium apparet. Caliphæ nomen hoc primo Miniſtro tribuebant, ut habetur ex Hiſt. Sarac. lib. 3. c. 16. Judic. 17. 10. Michas juniori cuidam Levitæ dicit; *ſis mihi in patrem*. Diodorus Siculus lib. 1. Ægypti ſacerdotes Regum συνεργέτας, καὶ διδασκάλους conſiliarios, & magiſtros fuiſſe teſtatur. Hoc eodem in ſenſu patris nomen hic accipi poteſt.

℣. 10. HABITABIS IN TERRA GESSEN.] D. Hieronymus verbum *Geſſen* derivat ab Hebraico גשם *Geſcem, pluvia*; quoniam, inquit, regio hæc, cum valde proxima Arabiæ ſit, pluvia madeſcit; in ceteris vero Ægypti regionibus imbres nunquam decidunt. In exemplaribus Septuaginta habetur *Geſſen Arabiæ*, & revera regio hæc quandam Arabiæ partem conſtituit. D. Hieronymi ætate additio hæc in iis exemplaribus legebatur; eam tamen S. Doctor rejecit, quia in hebraico textu non reperitur.

Regio Geſſen inter omnes inferioris Ægypti terras maxime ad Orientem, & Septentrionem vergit. Geographi nomum Arabicum illud appellant, qui Arabiæ, & mari rubro, e regione Nomi Taneos magis adhærebat. Urbs præcipua regionis Geſſen Rameſſes erat, & cap. 47. 11. mentio fit terræ Rameſſes. Joſephus l. 2. cap. 4. terram, quam incoluerunt Iſrael, ejuſque filii, Heliopolim fuiſſe putavit. Idem ſentire videtur Interpres Arabs, quippe *Rameſſe* reddit *Ain-ſemes* Exod. 1. 2. *fontem Solis*, quod idem eſt, ac Heliopolis. Hanc opinionem ſequitur etiam Arabs Geographus. Strabo lib 17. urbem Heliopolim in ea Ægypti parte, quæ vocabatur Arabica collocat. In hac eadem Arabiæ parte Geſſen ſtatuunt A Septuaginta; & Exod. 1. 11. urbem On, ſeu Heliopolim urbibus Pithom, & Rameſſe addunt. Vide Gen. 46. 28. 29.

℣. 10. IBI TE PASCAM ..... NE PEREAS.] Hebraicus textus [2] ita poteſt explicari: *Ego alimenta ſuppeditabo cum menſura & tibi, & familiæ tuæ ne forte ad inopiam redigamini*; & neve bona omnia, quæ vobis ſunt, conſumatis. Tibi menſuram ciborum dabo, quæ gregibus, & ſervis dari ſolet; te nutriam, ut pater familias domeſticos ſuos alit, alimenta tibi pro certo dierum numero decernam. Idem expreſſum legimus cap. 47. ver. 12. & v. 22. ejuſdem capitis refertur Joſeph ſingulis Sacerdotibus cibaria quolibet die ſtatuiſſe; ita quoque illum cum patre, & fratribus ſuis egiſſe probabile eſt.

B ℣. 12. QUOD OS MEUM LOQUATUR AD VOS.] Explicationis gratia Chaldæus addit, *Veſtra lingua*. Ad vos hebraice loquor; ſeu ad vos aperte loquor, vocem meam, meique animi ſenſum agnoſcere poteſtis. Optimam Ioſephi indolem colligere ex hoc poſſumus, qui non ſolum fratres non increpat, ſed etiam diligenter cavet, ne eo utatur idiomate, unde fratrum crimen Ægyptiis innoteſcere potuiſſet. In Scriptura nuſpiam legimus Ioſephum de fratrum ſcelere mentionem ullam feciſſe, neque cum in carcere detentus infortuniis opprimebatur, neque cum rebus efferebatur ſecundis.

℣. 17. ONERANTES JUMENTA.] Nonnulli Hebraicum textum [3] ita vertunt: *Stimulate jumenta*. Septuaginta [4] reddiderunt: *implete currus*. Alia C exemplaria legebant φορτία, *onera veſtra*, & alia πορεία *iter veſtrum*.

℣. 18. MEDULLAM TERRÆ.] Hebræus habet חלב pinguedinem, ſeu lac terræ. Chaldæus: *Omnia bona Ægypti*. Omnia bona, ſeu optimam Ægypti terram, vel maxime fertiles regiones Ægypti.

℣. 20. NEC DIMITTATIS QUICQUAM DE SUPELLECTILI VESTRA.] Hebraico textui hic quoque ſenſus poteſt accommodari: *nec parcat oculus veſter ſuper vaſa veſtra*. Ne fingatis, quæſo, ne timeatis quædam e veſtra ſupellectili relinquere illa; ne curetis; quæcumque vobis opus erunt, hic invenietis. Poſterior hic ſenſus optimus mihi videtur. Confer Deuter. 7. 16. & 19. 13. 21. Ezech. 7. 4. 9. & 16. 5. Quidam interpretantur, *Vaſa veſtra*, inſtrumenta D ad agriculturam neceſſaria. Ea admodum inutilia erant in Ægypto, ubi terra minus quam alibi uſpiam, colebatur. Vide Diodor. lib. 1. & Plin. lib. 18. cap. 18.

℣. 22. BINAS STOLAS.] In hebraico textu habetur חליפות בגדים: *Veſtes mutatorias*. Syrus: *par veſtium*. Ægyptii munditiam, & elegantiam perquam vehementer amabant, atque ſæpe mutabant veſtes. Joſeph binas veſtes unicuique ex ſuis fratribus elargitur; nempe duas tunicas, & duo pallia; quoniam habitus uſitatus tunica, & pallio comprehendebatur, ut notat Herodotus; proinde, ut veſtes mutare poſſent, neceſſe erat, ut ſaltem duas tunicas, atque duo pallia haberent.

Nonnulli opinantur *mutatorias veſtes* habitus eſſe ſolemnes, & feſtivos; nobis tamen prior ſenſus magis arridet. Ea erat veſtium forma, ut neceſſe minime eſſet eorum exacte metiri corpora, quibus dono daban-

1 ואל יחר בעיניכם.
2 כלכלתי.
3 טענו את בעיריכם *Aq. & Sym.* τὰ κτήνη ὑμῶν.
4 Γεμίσατε τὰ φορεῖα.

dabantur. Pallia omnino non ſecabantur, qui mos hodie quoque ea in regione viget. Eadem ſemper erat veſtium forma; plures proinde habitus in arcis ſepoſiti ſervati poterant. Hinc eſt, quod veteres habitus jam confectos donare conſueverant, pluresque ex iis in veſtiariis ſuis reſervabant, ut colligitur ex Iud. 14. 13. & 4. Reg. 5. 13. Eadem etiam hodie extat conſuetudo in Regum Perſarum, & Turcarum Imperatorum aula. Lucullus, ut refert Horatius l. 1. Epiſt. 6. quinque millia chlamydum domi habebat.

Ceterum *Stola*, quam vocem vulgata hic mutuata eſt a Septuaginta, quamque ſæpe ad ſignificandam veſtem virilem uſurpat, apud Latinos muliebrem veſtem uſque ad talos demiſſam proprie deſignat. Ad *talos demiſſa ſtola, & circumdata palla*. Aſſerit D. Iſidorus lib. 19. Orig. cap. 25. ſtolam veſtem eſſe matronarum, quæ earum caput, & humeros tegit, & ad dexteram partem ſupra humerum lævum attollitur. Hoc veſtis genere utebantur homines in Oriente, atque iſto in ſenſu accipienda eſt vox hujuſmodi, tum hic, tum in aliis Vulgatæ locis.

Trecentos argenteos.] Trecentos ſiclos, qui quatuorcentum, & octoginta octo libris, & octo ſolidis Gallicæ monetæ reſpondent. Septuaginta: *trecentos nummos aureos*: cap. etiam 37. 28. aurum pro argento jam poſuerunt. Syrus in catenis Græcis relatus, legit ducentos nummos aureos. Sed in impreſſis convenit cum Vulgata.

℣ 23. Tantumdem pecuniæ, et veſtium mittens patri ſuo, addens et aſinos.] Hebræus ſimpliciter habet: *Eodem pacto miſit ad patrem ſuum decem aſinos*. Auctor Vulgatæ locum hunc explicans id, quod præcedit, præ ocolis habuit; quod fecit etiam Syrus Interpres. Verum exiſtimant alii, Ioſeph

A ad patrem miſiſſe decem aſinos rebus omnibus onuſtos.

Triticum in itinere, paneſque portantes.] Ultimum textus verbum, nempe מזון a Vulgata, & Septoaginta omiſſum fuit: a Chaldæo redditur *cibaria; alimenta*. Septuaginta pro voce *aſinas*, habent Ἡμιόνους, mulos.

℣. 24. Ne iraſcamini.] Chaldæus, & Syrus reddunt: *Abſtinete a jurgiis in itinere*. Hebr. אל תרגזו poteſt etiam ita explicari: *ne timeatis*.

℣. 26. Quaſi de gravi ſomno evigilans, tamen non credebat eis.] Hebraica vox ויפג לבו *Japhag*, proprie languorem, debilitatem, animi defectionem ſignificat. Septuaginta interpretantur Ἐξέστη τῷ διανοίᾳ: *Fuit quaſi raptus extra ſe*. Chaldæus: *Verba hæc fuerunt quaſi titubantia in ejus corde, quo-*
B *niam iis fidem non præſtabat*. Syrus: *Illa contempſit, quia iis fidem non habebat*. Jacob inopinato hoc nuncio ſuaviter correptus quamdam animi deficientiam paſſus eſt: ſed ubi ea, quæ ad ſe fuerant a Joſepho miſſa, tandem vidit: *Revixit ſpiritus ejus*. Gaudium ejus ſpiritum excitavit, viſus eſt quaſi homo a mortuis revocatus, inſtar ignis lucernæ, qui oleo deficiente emoriens infuſo oleo reviviſcit, novamque lucem diffundit: ita Divus Chryſoſtomus; quæ ſane explicatio ſententiam Septoaginta exacte exprimit. Revixit ſpiritus ejus, ſicut ignis, qui iterum ſuſcitatur.

Dum Jacob triſtis, & mœſtus vixit, Spiritum Sanctum veluti languidum in ipſo fuiſſe ajunt Hebræi; ubi autem ad priſtinam rediit lætitiam, Spi-
C ritum ſanctum in eo revixiſſe. Sententia hæc Onkelos verſioni innititur, quæ eſt: *Sanctus Spiritus requievit ſuper Jacob*. Gaudium donum eſt, & fructus ex Spiritus Sancti præſentia dimanans. Galat. 5. 22. Rom. 14. 17.

CAPUT XLVI.

Jacob cum univerſa familia ſua in Ægyptum venit. Cum Joſeph patri occurriſſet, hoc illi conſilium dat, ut Regi dicat ſe, ſuoſque liberos eſſe paſtores.

℣. 1. Profectuſque Iſrael cum omnibus, quæ habebat, venit ad puteum juramenti;
& mactatis ibi victimis Deo patris ſui Iſaac, 2 Audivit eum per viſionem no-
ctis vocantem ſe, & dicentem ſibi: Jacob, Jacob: cui reſpondit: Ecce ad-
ſum. 3 Ait illi Deus: Ego ſum fortiſſimus Deus patris tui: noli timere, deſcende
in Ægyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi. 4 Ego deſcendam tecum illuc,
& ego inde adducam te revertentem: Joſeph quoque ponet manus ſuas ſuper oculos
tuos. 5 Surrexit autem Jacob a puteo juramenti: tuleruntque eum filii cum parvulis,
& uxoribus ſuis in plauſtris, quæ miſerat Pharao ad portandum ſenem, 6 Et omnia,
quæ poſſederat in terra Chanaan: venitque in Ægyptum cum omni ſemine ſuo, 7 Fi-
lii ejus, & nepotes, filiæ, & cuncta ſimul progenies. 8 Hæc ſunt autem nomina filio-
rum Iſrael, qui ingreſſi ſunt in Ægyptum, ipſe cum liberis ſuis. Primogenitus Ruben.
9 Filii Ruben: Henoch, & Phallu, & Heſron, & Charmi. 10 Filii Simeon: Jamuel,
& Jamin, & Ahod, & Jachin, & Sohar, & Saul filius Chanaanitidis. 11 Filii Levi:
Gerſon, & Caath, & Merari. 12 Filii Juda: Her, & Onan, & Sela, & Phares, &
Zara. Mortui ſunt autem Her, & Onan in terra Chanaan. Natique ſunt filii Phares,
Heſron, & Hamul. 13 Filii Iſſachar: Thola, & Phua, & Job, & Semron. 14 Fi-
lii Zabulon: Sared, & Elon, & Jahelel. 15 Hi filii Liæ, quos genuit in Meſopota-
mia Syriæ cum Dina filia ſua, omnes animæ filiorum ejus, & filiarum triginta tres. 16
Filii Gad: Sephon, & Haggi, & Suni, & Eſebon, & Heri, & Arodi, & Areli.
17 Filii Aſer: Jamne, & Jeſua, & Jeſſui, & Beria; Sara quoque ſoror eorum. Filii
Beria:

Beria : Heber, & Melchiel. 18 Hi filii Zelphæ, quam dedit Laban Liæ filiæ ſuæ , &
hos genuit Jacob ſedecim animas . 19 Filii Rachel uxoris Jacob : Joſeph , & Benia-
min. 20 Natique ſunt Joſeph filii in terra Ægypti, quos genuit ei Aſeneth filia Puti-
pharis ſacerdotis Heliopoleos : Manaſſes, & Ephraim. 21 Filii Beniamin : Bela , &
Bechor, & Asbel, & Gera, & Naaman, & Echi, & Ros, & Mophim, & Ophim, &
Ared. 22 Hi filii Rachel, quos genuit Jacob: omnes animæ, quatuordecim. 23 Fi-
lii Dan : Huſim. 24 Filii Nephtali : Jaſiel, & Guni, & Jeſer, & Sallem. 25 Hi fi-
lii Balæ, quam dedit Laban Racheli filiæ ſuæ : & hos genuit Jacob : omnes animæ ſe-
ptem. 26 Cunctæ animæ, quæ ingreſſæ ſunt cum Jacob in Ægyptum , & egreſſæ ſunt
de femore illius abſque uxoribus filiorum ejus, ſexaginta ſex. 27 Filii autem Joſeph ,
qui nati ſunt ei in terra Ægypti, animæ duæ. Omnes animæ domus Jacob, quæ ingreſ-
ſæ ſunt in Ægyptum , fuere ſeptuaginta. 28 Miſit autem Judam ante ſe ad Joſeph, ut
nuntiaret ei, & occurreret in Geſſen. 29 Quo cum perveniſſet , juncto Joſeph curru
ſuo, aſcendit obviam patri ſuo ad eumdem locum : videnſque eum , irruit ſuper col-
lum ejus, & inter amplexus flevit: 30 Dixitque pater ad Joſeph : Jam lætus moriar,
quia vidi faciem tuam , & ſuperſtitem te relinquo. 31 At ille locutus eſt ad fratres
ſuos, & ad omnem domum patris ſui: Aſcendam, & nuntiabo Pharaoni, dicamque ei:
Fratres mei, & domus patris mei, qui erant in terra Chanaan , venerunt ad me : 32
Et ſunt viri paſtores ovium, curamque habent alendorum gregum ; pecora ſua , & ar-
menta, & omnia, quæ habere potuerunt, adduxerunt ſecum. 33 Cumque vocaverit
vos, & dixerit : Quod eſt opus veſtrum? 34 Reſpondebitis: Viri paſtores ſumus ſer-
vi tui, ab infantia noſtra uſque in præſens , & nos, & patres noſtri. Hæc autem dice-
tis , ut habitare poſſitis in terra Geſſen : quia deteſtantur Ægyptii omnes paſtores
ovium .

℣. 1. AD PUTEUM JURAMENTI .] Ad Berſabee, Ægyptum verſus proficiſcens. A

℣. 4. EGO INDE ADDUCAM TE REVERTENTEM.] Septuaginta : *ego inde te tandem adducam*. Erit tempus, eum inde te educam. *Eis τέλος*: *tandem*, longum, & remotum tempus denotat. Hebræus : *Ego te exire faciam exeundo* : Ego vere te inde educam. Hujus promiſſionis effectum Jacobi poſteri experti ſunt, qui ab Ægypto in terram Chanaan rediere. Poteſt etiam aliquo in ſenſu dici inde egreſſum fuiſſe Iacob, quoniam ejus corpus in terram promiſſionis perlatum fuit, ibique tumulo illatum.

JOSEPH PONET MANUS SUAS SUPER OCULOS TUOS.] Uſu olim receptum erat , ut filii parentibus , amici morientibus amicis oculos clauderent . B Penelope de Telemacho ad Ulyſſem verba faciens , deos orat, ut ipſe filius utriſque clauderet oculos.

Dii precor hoc jubeant, ut euntibus ordine fatis,
Ille meos oculos comprimat, ille tuos.

Idem pietatis officium parentes filiis ſuis exhibebant: unde Homerus Iliad. A hæc habet.

Ah miſer ! haud illi genitor, venerandaque mater
Compreſſere oculos . . . .

Et apud Virgilium Æneid. 9. conqueritur quædam mater , quod filii ſui oculos premere non potuerit .

. . . . Nec tua funera mater
Produxi, preſſive oculos, aut vulnera lavi.

Summa calamitas erat, ſi nemo adeſſet ; qui ultimum diem obeuntibus hoc poſſet præſtare officium : C &, ut ait Lucanus Pharſal. 5.

Atque oculos morti clauſurum quærere dextram.

Rurſus in rogo iis aperiebantur oculi , quibus morientibus clauſi fuerant , ut refert Plinius lib. 11. c. 37. *morientibus oculos claudere, rurſuſque in rogo patefacere, Quiritium magno ritu ſacrum eſt ; ita more condito, ut neque ab homine ſupremum eos ſpectari fas ſit, & cœlo non oſtendi, nefas.*

FILIÆ.] Ponitur hic pluralis numerus pro ſingulari. Unicam enim filiam habebat Iacob . Legitur etiam verſ. 25. *filii* pro *filius* . Aliqui locum hunc intelligunt de filiabus, & neptibus Iacobi . Ita explicant Septuaginta . Sara Iacobi neptis recenſetur verſ. 17. Idem hic locus poteſt etiam exponi de Iacobi nuribus, quæ jure ejus filiæ vocari potuerunt. Vide Auguſtinum quæſt. 149. in Gen.

℣. 8. HÆC SUNT NOMINA FILIORUM ISRAEL , QUI INGRESSI SUNT IN ÆGYPTUM .] Nonnulla hic occurrunt adnotanda . Primo , opinantur nonnulli non illos omnes , qui hic numerantur, fuiſſe tunc natos , cum Iacob Ægyptum ingreſſus eſt ; exempli gratia , quoſdam ex filiis Beniamin , & ex filiis Phares recenſeri hic per anticipationem ; atque verba illa : *ingreſſi ſunt in Ægyptum*, ita ſumenda eſſe, ut totum comprehendant tempus , quo Iacob in Ægypto vixit . Hanc ſolutionem propoſuit Divus Auguſtinus quæſt. 151. & 173. in Geneſ. & lib. 6. de Civit. cap. 40. quem ſequuti ſunt plures Interpretes , ut Toſtatus , Pererius, Delrio, Cornelius a Lapide, Lorinus.

Secundo , quod attinet ad numerum , & ad nomina eorum , qui hic referuntur , aliqua intercedit differentia inter hebraicum textum , & Vulgatam , atque inter capita Numerorum 26. 12. & 1. Paralip. 14. 24. Differt etiam ab hebraico textu , & a Vulgata Septuaginta verſio in ambobus hiſce locis , tum in numero , tum in nominibus perſonarum referendis. Nominum varietas minus faceſſit negotii ; quoniam certum eſt eumdem hominem plura aliquando habuiſſe nomina , idemque nomen non eodem ſemper modo fuiſſe pronunciatum . Verum diverſitas , quæ circa numerum perſonarum occurrit in hebraico textu , & in Septuaginta verſione , difficilius conciliari poſſe videtur . Inde autem varietas hæc oriri videtur , quod Interpretes ab aliis Scripturæ locis plura acceperint , quibus ea ſupplerent , quæ in libris Moyſis deſunt ; atque ita tollere ſe poſſe putarint contradictiones , quas inter diverſa Scripturæ loca intercedere exiſtimabant .

Tertio , genealogiæ Iuda , Ioſeph , & Beniamin longius deducuntur , quam genealogiæ ceterarum Tribuum : hi enim tres Patriarchæ majori habebantur in æſtimatione .

℣. 9. HESRON , ET CHARMI .] Probabile eſt hoſce duos Ruben filios nondum fuiſſe natos , cum Iacob in

in Ægyptum profectus eſt ; etenim paulo ante Ruben Iacobo dixerat : *Duos filios meos interfice, ſi non reduxero illum tibi*. Duos filios ſuos, quos ſolos tum habebat, obſides dat, ut ait Philo in libro ſuo de Joſepho.

℣. 10. JAMUEL.] Appellatur *Namuel*, Num. 26. 12. & 1. Paral. 4. 24.

AHOD.] In ceteris locis, in quibus filii Simeon recenſentur, nulla de *Ahod* mentio fit, præterquam Exod. 6. 15. Veroſimile putat Divus Hieronymus eum ſine liberis deceſſiſſe. *Jachin* vocatur *Jarib*, 1. Paral. 4. 24.

SOHAR.] Dicitur *Zare*, ſeu *Zara*, eodem loco.

SAUL FILIUS CHANAANITIDIS.] Quidam ex Rabbinis opinantur hanc Chanaanitidem, Dinam eſſe Iacobi filiam, quam jam prius homini Chananæo nuptam, adoptavit deinde Simeon, eamque quaſi uxorem domi habuit. Quid hoc circuitu opus?

℣. 12. NATI SUNT FILII PHARES : HESRON, ET HAMUL.] Septuaginta, & Vulgata vocem hanc *nati ſunt*, idcirco adhibuiſſe videntur, ut eos in Ægypto fuiſſe in lucem editos denotarent.

℣. 13 JOB.] Appellatur *Jaſub*, Numeror. 26. 23. & 1. Paralipomen. 7. 1. Septuaginta eum vocant *Aſum*. Samaritanus : *Jiſob*, & Syrus, *Oiab*.

SEMRON.] *Simran*, *Simeron* eadem nomina ſunt.

℣. 14. JAHELEL.] Septuaginta *Achul*, ſeu, *Achoel*. Syrus, *Nahalel*.

℣. 15. HI FILII LIÆ, QUOS GENUIT IN MESOPOTAMIA SYRIÆ .... TRIGINTA TRES.] Ex his viginti ſex nati ſunt in terra Chanaan, & aliqui etiam in Ægypto. Verba hæc : *In Meſopotamia Syriæ*, de his tantum ſeptem intelligi debent, *Ruben* nempe, *Simeons*, *Levi*, *Juda*, *Iſſachar*, *Zabulon*, & *Dina*. Vide Auguſtinum quæſt. 173. in Gen.

OMNES ANIMÆ .... TRIGINTA TRES.] Includitur in hoc numero Iacob, ſeu juxta alios Lia, aut etiam Iocabed Moyſis mater. Ab hoc autem numero excluduntur *Her*, & *Onan*, quia in regione Chanaan obierunt.

℣. 16. ESEBON.] Vocatur *Ozni* Num. 26. 16.

HERI.] Septuaginta *Aedes*, quaſi legiſſent *Hedi*.

℣. 17. JAMNE] Aliter *Jemna*, Num. 26. 44.

JESUA.] Omittitur in libro Numeror. recenſetur autem in Paralipomenon *Bria*, aliter *Eris*, Numer. 26. 44

℣. 18. ET HOS GENUIT IACOB, SEDECIM ANIMAS.] Duos quidem filios ipſe proxime genuit, videlicet *Gad*, & *Aſer* : ceteri autem ab his duobus deſcendunt. Vide ſuperius verſ. 15. & paulo inferius verſ. 22.

℣. 20. MANASSES, ET EPHRAIM.] Septuaginta addunt, quæ ſequuntur : Filii Manaſſes, qui ei nati ſunt ex concubina Syra, ſunt Machir, Machir genuit Galaad. Filii Ephraim fratris Manaſſes, ſunt Sutalam, & Iasm. Sutalam genuit *Edom*. Additamenta hæc ſumpta ſunt ex libro Num. 26. 29. 35. & ſeqq.

℣. 21. FILII BENIAMIN &c.] Nonnullos Interpretes opinari alibi monuimus hos omnes filios non habuiſſe Beniamin, cum Iacob venit in Ægyptum. Beniamin tres, & triginta annos habebat. Natus enim eſt ann. m. 2265. & an. 2298. in Ægyptum venit. Septuaginta verſiculum hunc ita exponunt : *Filii Beniamin ſunt Bala, & Bochor, & Abſel : filii Bala ſunt Gera, & Noeman, & Auchis, & Ros, & Mamphim : Gera autem genuit Arad*. Supponunt Beniamin horum decem filiorum proximum patrem non eſſe, quam etiam opinionem Veteres ſequuti ſunt Septuaginta adhærentes. Hac tamen in re Ioſephus præter morem ſuum ab illis receſſit, eumque plures ex recentioribus Expoſitoribus ſunt imitati. Notare etiam juvat Septuaginta non decem, ut habet hebraicus textus, ſed novem tantum Beniamin poſteros hic recenſere. Numer. cap. 26. 38. hæc de filiis Beniamin habentur. Filii Beniamin ſunt Bela, Aſbel, Ahiram, Supham, Hupham. Bela pater fuit Hered, & Noeman. Grotius poſt Capellum credit in hoc Geneſis loco ex duobus viris tres factos fuiſſe, nempe *Echi*, *Ros*, & *Mophim*, ex his duobus, *Ahiram*, & *Supham*. Et ſane ſi lectio, quæ in Geneſi habetur, bona eſt, neceſſe eſt, dicamus nomen Roſch in libro Numerorum fuiſſe omiſſum, atque Echi fuiſſe ibi appellatum *Ahiram*, & Mophim *Supham*, ſeu juxta hebræum *Schephupham*. Tandem obſervari poteſt eum, qui hic vocatur Bechor, fuiſſe in libro Numerorum appellatum Ahiram.

℣. 22. ANIMÆ QUATUORDECIM.] Hebræus undecim tantum numerat ex familia Beniamin, & tres ex familia Joſeph : omnes ſimul quatuordecim. Verum ſeptuaginta Interpretes quinque animas familiæ Ioſeph addentes decem, & octo numerarunt ; ſi his addatur etiam *Ophim* ſextus filius *Belah*, quem illi omiſerunt, decem, & novem erunt.

℣. 23. HUSIM.] Septuaginta *Aſum* ; & liber Numer. 26. 42. *Suham*. In quibuſdam Latinis exemplaribus erat *Uſim*. Sitne *Huſim* nomen alicui peculiare, an omnibus poſteris Dan commune, plane neſcitur. *Huſim* plurale eſt.

℣. 26. CUNCTÆ ANIMÆ, QUÆ INGRESSÆ SUNT CUM JACOB IN ÆGYPTUM .... SEXAGINTA SEX.] Iacob, Ioſeph, atque duo ejus filii hoc numero non comprehenduntur ; recenſentur ſolum triginta duo filii a Lia progeniti, ſexdecim Zelphæ, undecim Rachel, ſeptem Balæ. Cum autem Moyſes Iacobum etiam, Joſephum, duoſque ejus filios comprehendit, ſeptuaginta eſſe ait verſ. 27. *Omnes animæ domus Jacob, quæ ingreſſæ ſunt in Ægyptum, fuere ſeptuaginta*. Idem hic numerus habetur Exod. 1. 5. & Deuter. 10. 22. apud Ioſephum lib. 2. Antiq. cap. 4. & 5. Prophetam Ezechielem, Euſeb. lib. 9. de Præparat. cap. 4. & Divum Clementem Alexandrinum lib. 1. Stromatum.

Septuaginta Interpretes pro ſeptuaginta legunt ſeptuaginta quinque, tum hic, tum Exod. c. 1. tum etiam in pluribus exemplaribus Deuteronomii cap. 10. Attamen in Exemplaribus Romanis, & in iis, quibus utebatur Divus Hieronymus, in citato Deuteronomii loco habetur ſeptuaginta. Divus Stephanus Act. 7. 14. legit, non ſecus ac Septuaginta Interpretes, ſeptuaginta quinque. *In animabus ſeptuaginta quinque*. Hoc inde factum eſt, quod verſic. 20. quinque addiderunt perſonas ; ſcilicet *Machir*, *Galaad*, *Sutalam*, *Taam*, & *Edom*. Divi Stephani auctoritas, qui ſeptuaginta quinque habet, hebraico textui, & Vulgatæ minime adverſatur ; atque id, quod in Actis refertur, nempe ſeptuaginta quinque animas in Ægyptum deſcendiſſe, verum eſt eo in ſenſu, quo verum eſt apud ſeptuaginta Interpretes. Vide Hieronymum in quæſt. hebr.

℣. 27. ANIMÆ DUÆ.] Septuaginta habent novem ; ſed error irrepſit ; octo enim tantummodo eſſe poſſunt, etiamſi ipſis quinque animas addentibus ſubſcribamus. Ioſeph, Ephraim, Manaſſe, cum his quinque haud plures, quam octo ſunt.

℣. 28. UT NUNCIARET EI, ET OCCURRERET IN GESSEN.] Brevius textus hebraicus : להורות לפניו גשנה : *ut nunciaret ante ſe in Geſſen*. Quaſi ſignificare vellet Ioſephum tunc fuiſſe in Geſſen, atque Iudam fuiſſe a Iacobo miſſum, ut patris adventum illi nunciaret. Poteſt etiam ita reddi : *ut ei pararet (locum) in Geſſen* : ut ſcilicet Jacob eo perveniens locum inveniret, ubi erigeret tentoria, ſub quibus familia tota, & greges morarentur. Samaritanus habet : Miſit Iudam ad Ioſeph in regionem Geſſen, ut ipſum viſeret ; ſeu, ut illum de patris adventu certiorem faceret ; & illi ingreſſi ſunt in Geſſen.

Septuaginta : *Miſit ante ſe Judam ad Joſeph, ut patri obviam procederet ad urbem Heroum in regione Rameſſe*. Verbum hebraicum *Heroth*, quod vertitur *nunciare*, nomen Urbis eſſe crediderunt. Hanc etiam urbem legunt verſ. ſequenti ; pro terra Geſſen,

quæ

Digitized by Google

quæ bsbetur iu hebræo, plerumque terram Rameſſe ponunt. Probabile eſt ejus ætstis homines a majoribus ſuis audiviſſe, Iſraelitas prope Heroum habitaſſe. Certum eſt terras Geſſen, & Rameſſe eaſdem eſſe regiones, ut colligitur ex cap. 47. 1. Urbs Heroum a Ptolomæo Heropolis vocatur ; jacet ad extremitatem ſinus Arabici, qui ab ejus nomine ſinus Heropolis appellatur. Hebræi apud Divum Hieronymum credunt, terram Geſſen eamdem eſſe, ac regionem Arſinoe, in Thebaide: quod eorum in Geographia ignorantiam evincit.

℣. 34. VIRI PASTORES SUMUS SERVI TUI.] Cur Joſeph patri, ac fratribus ſuis perſuadeat, ut ſe dicant paſtores eſſe, paulo inferius videbimus. Optabat ille vehementer, ut Hebræi, & Ægyptii in locis valde inter ſe diſſitis habitarent.

QUIA DETESTANTUR ÆGYPTII PASTORES OVIUM.] Vox hebraica צאן *Zon*, quam Vulgata interpretatur *ovium*, minutum pecus, oves, & capras ſignificat. Non omnes paſtores deteſtabantur Ægyptii; qui majus pecus paſcebant, ii Ægyptiis odio non erant. Ait Herodorus lib. 2. cap. 46. Paſtores caprarum pluris habitos fuiſſe etiam in Nomo, ſeu regione Mendeſæ: ejus enim regionis populi honorem capris exhibebant; Suarii autem eodem auctore teſte ibidem cap. 47. quaſi profani a ceteris Ægyptiis habentur; eos enim ita deteſtantur, ut nemo velit, aut aliquam ex eorum puellis accipere uxorem, aut aliquam ex ſuis illis collocare. Inter ſe igitur connubia inire coguntur. Nullum templum extat in Ægypto, quod illis ingredi fas ſit.

Univerſa Ægyptus oves ſpeciali cultu venerabatur, ut refert Diodorus lib. 1. In Nitriæ Nomo juxta Strabonem lib. 17. & in Nomo Mendeſæ juxta Herodotum lib. 2. cap. 42. oves immolabantur: in reliquis autem Ægypri regionibus, qui ovem, aut bovem occidiſſet, ingentis criminis reus credebatur, ex quo inferre licet illos, qui animalia hæc paſcebant, nunquam odio fuiſſe Ægyptiis, qui eadem tantopere colebant, ſicut ea ipſa de cauſa Nomi Mendeſæ populi honore proſequebantur eos, qui capras paſcebant. Nomus Mendeſæ jacet prope Nomum Taneos, ubi degebat Rex, qui Joſepho Ægypti adminiſtrationem commiſit.

Hebræi ab Ægyptiis & ſententiis, & moribus valde differebant; illis religio non erat animalia hæc occidere, immolare, atque edere; probabile proinde eſt Hebræos, non quod ſimpliciter paſtores eſſent, ſed quod iſta facerent, Ægyptiis exoſos fuiſſe. Hanc eamdem odii cauſam agnoverunt etiam Veteres. Tacitus de Iudæis verba faciens: *Caſo ariete velut in contumeliam Ammonis; bos quoque immolatur, quem Ægyptii Apim colunt.* Et Manethon aſſerit unam ex præcipuis Moyſis legibus, quam is vocat *Orſaſiph*, illam fuiſſe, quæ Hebræis vetabat, ne a quopiam ex iis animalibus abſtinerent, quæ in honore apud Ægyptios erant. Veroſimile eſt falſæ religioni populos hoſce fuiſſe tunc temporis addictos, atque idcirco a quibuſdam animalibus abſtinuiſſe, quod iis religionis cultum exhiberent. Idololatriam in Ægypto regnaſſe certum eſt, cum Iſraelitæ inde egreſſi ſunt. In ea regione ipſi Iſraelitæ idola coluerunt;

A unde eos increpant Prophetæ, Ezechiel 20. 7. Amos 5. 26. Cultum hunc in Ægyptum poſt Ioſephi mortem invectum fuiſſe, nullo poteſt argumento probari; & certe legimus paulo inferius Geneſ. 48. 22. 26. Sacerdotes Ægypti iiſdem privilegiis Moyſis ætate fuiſſe uſos, quibus Ioſephi ævo fruebantur.

Narrat Manethon apud Ioſephum lib. 1. contra Appion. & Euſebium lib. 10. de Præp. cap. 13. ab Orientali parte extraneos quoſdam populos veniſſe, & irrupiſſe in Ægyptum; quam cum præſidiis ſpoliatam inveniſſent, facili negotio in ſuam redegerunt poteſtatem. Populi hi nec rerum geſtarum fama, nec originis claritate illuſtres erant, appellatique ſunt Hycuſſi, ideſt, Reges Paſtores. Reges ſuos in inferiori Ægypto habuerunt an. circiter 511. Reges Thebaidis illos diuturno bello vexarunt, atque tandem ex Ægypto expulerunt.

B Crediderim ego inde veram odii Ægyptiorum in paſtores cauſam eſſe derivandam. Oſtendimus enim probari revera non poſſe, paſtores fuiſſe Ægyptiis exoſos hac una de cauſa, quod greges paſcerent; quin imo ſi Paſtores Ægyptii erant, magno in honore habebantur; hi autem extranei Arabiæ, Syriæ, Æthiopiæ, Africæ populi, & alii, quorum præcipua cura in alendis gregibus; populi, inquam, iſti vagi, & paſtorum nomine Ægyptiis noti, iiſdem erant exoſi; & jure quidem, cum tot, ac tanta mala Ægyptus ab illis pertuliſſet. Odium autem in hos Reges paſtores, ſeu *Hycuſſos*, ab Ægyptiis conceptum in eos omnes, quibus idem paſcendi inſtitutum erat, ſe ſe diffudit. Hæc Paſtorum Irruptio juxta Uſſerium, cujus nos Chronologiam ſequimur, ante Abrahæ ortum an. circiter centum accidit.

C Ægyptii vero licet oves nec ederent, nec immolarent, eas tamen alebant, ut lac, & lanam perciperent. Et fortaſſis ea præcipue de cauſa, ab ovibus occidendis abſtinuere, quod magnæ eſſent utilitati: eæ ſiquidem bis in ſingulos annos fœtus ſuos edebant, aliaque plura emolumenta importabant. Propter pecudum raritatem, & maximam, quæ ab iis percipitur, utilitatem, plures olim leges ſtatutas fuiſſe novimus, quæ pecudum interfectores magnis ſuppliciis addicebant.

Teſtatur Varro apud antiquos Græcos quaſdam extitiſſe leges, quæ capite mulctari eum jubebant,

D qui taurum, vaccam, aut quodcumque aliud animal ruſticis aptum laboribus occidiſſet: *Ab hoc antiqui ita manus abſtineri voluerunt, ut capite ſanxerint, ſi quis occidiſſet (bovem) qua in re teſtis Attica, teſtis Peloponneſus.* Viſebantur olim Eleuſi nonnullæ Triptolemi leges ligno inſculptæ, ex quibus una quidquam præter terræ fructus diis offerri prohibebat; alia autem vetabat occidi aliquod ex iis animalibus, quæ agriculturæ inſerviebant. Hæ duæ leges diu in Attica viguere; quin etiam aliqua extabant earum veſtigia in quadam ex legibus Solonis, qui teſte Porphyrio de Abſtin. lib. 4. §. 22. fructuum primitias diis offerri jubebat. Verum ſubſecutis temporibus hic utilitatis ex his animalibus provenientis intuitus in vanam degeneravit religionem, eaque adorari cœperunt, quæ vetitum diis, *diis* immolari.

CAPUT XLVII.

Adventus Jacobi ejuſque familiæ univerſæ in Ægyptum ; in Regis conſpectum adducuntur, qui illis terram Geſsen concedit. Ægyptii fame compulſi omnia bona ſua oppignerant Regi. Jacobi morbus.

v. 1. INgreſſus ergo Joſeph nuntiavit Pharaoni, dicens: Pater meus, & fratres, oves
eorum, & armenta, & cuncta, quæ poſſident, venerunt de terra Chanaan: &
ecce conſiſtunt in terra Geſſen. 2 Extremos quoque fratrum ſuorum quinque
viros conſtituit coram rege: 3 Quos ille interrogavit: Quid habetis operis? Reſpon-
derunt: Paſtores ovium ſumus ſervi tui, & nos, & patres noſtri. 4 Ad peregrinan-
dum in terra tua venimus: quoniam non eſt herba gregibus ſervorum tuorum, ingrave-
ſcente fame in terra Chanaan; petimuſque, ut eſſe nos jubeas ſervos tuos in terra Geſ-
ſen. 5 Dixit itaque rex ad Joſeph: Pater tuus, & fratres tui venerunt ad te. 6 Ter-
ra Ægypti in conſpectu tuo eſt: in optimo loco fac eos habitare, & trades eis terram
Geſſen. Quod ſi noſti in eis eſſe viros induſtrios, conſtitue illos magiſtros pecorum meo-
rum. 7 Poſt hæc introduxit Joſeph patrem ſuum ad Regem, & ſtatuit eum coram eo:
qui benedicens illi, 8 Et interrogatus ab eo: Quot ſunt dies annorum vitæ tuæ? 9
Reſpondit: Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum ſunt: parvi, & mali, &
non pervenerunt uſque ad dies patrum meorum, quibus peregrinati ſunt. 10 Et be-
nedicto rege, egreſſus eſt foras. 11 Joſeph vero patri, & fratribus ſuis dedit poſſeſ-
ſionem in Ægypto in optimo terræ loco, Rameſſes, ut præceperat Pharao. 12 Et ale-
bat eos, omnemque domum patris ſui, præbens cibaria ſingulis: 13 In toto enim or-
A. M. be panis deerat, & oppreſſerat fames terram, maxime Ægypti, & Chanaan. 14 E
2300. quibus omnem pecuniam congregavit pro venditione frumenti, & intulit eam in ærarium
regis. 15 Cumque defeciſſet emptoribus pretium, venit cuncta Ægyptus ad Joſeph,
dicens: Da nobis panes: quare morimur coram te, deficiente pecunia? 16 Quibus il-
le reſpondit: Adducite pecora veſtra, & dabo vobis pro eis cibos, ſi pretium non ha-
betis. 17 Quæ cum adduxiſſent, dedit eis alimenta pro equis, & ovibus, & bobus,
& aſinis: ſuſtentavitque eos illo anno pro commutatione pecorum. 18 Venerunt quoque
anno ſecundo, & dixerunt ei: Non celabimus dominum noſtrum, quod deficiente pe-
cunia, pecora ſimul defecerunt; nec clam te eſt, quod abſque corporibus, & terra ni-
hil habeamus. 19 Cur ergo moriemur te vidente? & nos, & terra noſtra tui erimus;
eme nos in ſervitutem regiam, & præbe ſemina, ne pereunte cultore redigatur terra in
ſolitudinem. 20 Emit igitur Joſeph omnem terram Ægypti vendentibus ſingulis poſſeſ-
ſiones ſuas præ magnitudine famis. Subjecitque eam Pharaoni, 21 Et cunctos populos
ejus, a noviſſimis terminis Ægypti uſque ad extremos fines ejus. 22 Præter terram ſa-
cerdotum, quæ a rege tradita fuerat eis: quibus & ſtatuta cibaria ex horreis publicis
præbebantur, & idcirco non ſunt compulſi vendere poſſeſſiones ſuas. 23 Dixit ergo
Joſeph ad populos. En ut cernitis, & vos, & terram veſtram Pharao poſſidet: accipite
ſemina, & ſerite agros, 24 Ut fruges habere poſſitis. Quintam partem regi dabitis;
quatuor reliquas permitto vobis in ſementem, & in cibum famulis, & liberis veſtris.
25 Qui reſponderunt: Salus noſtra in manu tua eſt, reſpiciat nos tantum dominus no-
ſter, & læti ſerviemus regi. 26 Ex eo tempore uſque in præſentem diem, in univer-
ſa terra Ægypti, regibus quinta pars ſolvitur, & factum eſt quaſi in legem, abſque ter-
ra ſacerdotali, quæ libera ab hac conditione fuit. 27 Habitavit ergo Iſrael in Ægypto,
id eſt, in terra Geſſen, & poſſedit eam: auctuſque eſt, & multiplicatus nimis. 28 Et
vixit in ea decem, & ſeptem annis: factique ſunt omnes dies vitæ illius centum qua-
draginta ſeptem annorum. 29 Cumque appropinquare cerneret diem mortis ſuæ, vo-
cavit filium ſuum Joſeph, & dixit ad eum: Si inveni gratiam in conſpectu tuo, pone
manum tuam ſub femore meo: & facies mihi miſericordiam, & veritatem, ut non ſepe-
lias me in Ægypto. 30 Sed dormiam cum patribus meis, & auferas me de terra hac,
condaſque in ſepulchro majorum meorum. Cui reſpondit Joſeph: Ego faciam, quod
juſſiſti. 31 Et ille: Jura ergo inquit, mihi. Quo jurante, adoravit Iſrael Deum, con-
verſus ad lectuli caput.

§. 2. Ex-

℣. 2. EXTREMOS FRATRUM SUORUM QUINQUE VIROS CONSTITUIT CORAM REGE.] Hebraicus textus [1] ad litteram: *Ex extremitate fratrum ſuorum &c.* Contendunt nonnulli, inter quos Ludovicus de Dieu, hunc loquendi modum qui ſæpe in Scriptura occurrit, aliquid denotare quod præ ceteris eligitur, ceteriſque præfertur [2]. Atque ita Joſephum hic inter fratres ſuos illos credi poteſt elegiſſe, qui forma erant magis liberali, quique poterant melius Ioſephi dignitatem coram Rege ſuſtinere.

Rabbini contrario omnino in ſenſu locum hunc explicantes, affirmant Ioſephum ex fratrum numero illos ſelegiſſe, quorum ſtatura, forma, & mores minus poterant Pharaoni ejuſque miniſtris placere; ante Regem, inquiunt, adducti ſunt, Ruben, Simeon, Levi, Iſſachar, & Beniamin. Timebat Ioſeph, ne ſi eos aſpiceret Rex, qui forma erant præſtantiori, illos apud ſe ſervire juberet.

Potior tamen eruditiſſimorum Interpretum pars credit nullam hoc textu denotari diſtinctionem, atque Ioſephum eos quinque ſine delectu Regi obtuliſſe, quos primos obvios habuit, Ita Vatablus, Grotius, Iunius, Fagius &c. Septuaginta [3], Syrus, & Arabs, opinioni huic adhærere videntur. Sunt etiam qui ſimpliciter reddunt, *quoſdam de fratribus*. Poteſt verti hebraicus textus [4]: Sumpſit partem fratrum ſuorum, ideſt, quinque viros, quos in conſpectum Regis adduxit.

℣. 6. TERRA ÆGYPTI IN CONSPECTU TUO EST.] Terra Geſſen ad Regis imperium pertinebat: Eam petit Ioſeph pro fratribus ſuis, cum & paſcuis abundaret, & ab Ægyptiorum commercio eſſet ſejuncta. Ioſephum autem Rex ita alloquitur: iis omnibus, quæ meæ ditioni ſubſunt, utere pro arbitrio; horum partem, quam magis expedire cenſueris, propinquis tuis concede [5]. Hoc videlicet ſignificant verba illa: *Terra in conſpectu tuo eſt*. Cum Iacob in Ægyptum venit, nondum populus terras ſuas vendiderat Regi, ut ab illo alimenta acciperet. Id enim ultimis tantum ſterilitatis annis contigit.

VIROS INDUSTRIOS.] Hebr. אנשי חיל: homines robuſtos, vel divites homines, qui corpore, & animo plurimum valent, quique ea omnia habent, quæ magiſtris pecorum Regis neceſſaria ſunt.

℣. 7. BENEDICENS ILLI.] Cum verbum ברך, *barac, benedixit*, de Deo dicitur, ſignificat laudare, gratias agere, precari. Cum vero de hominibus effertur, notat plerumque pro eorum felicitate vota concipere, iis gratias agere, ſalutem dicere, & aliquando etiam bene iis facere. Eadem vox notat aliquando ſimpliciter genuflectere; hinc fortaſſe hujuſmodi verbum uſurpatur ad illum camelorum motum explicandum, quo genua flectunt, ut a laſſitudine acquieſcant. Vide Gen. 24. 11. & 41. 43. In hoc, quem nos exponimus, loco denotat vota, quæ pro Rege facit Iacob, ut diu, & proſpere regnet, ut optima valetudine, & omni felicitatum genere perfruatur.

℣. 9. DIES PEREGRINATIONIS MEÆ PARVI, ET MALI.] Iacobi vita vera fuerat peregrinatio; in variis utique regionibus, videlicet in terra Chanaan, in Meſopotamia, in Ægypto vagus, & errabundus ſemper vixerat. Si ejus vita cum ætate comparetur veterum Patriarcharum, a quibus originem ſuam ducebat, brevis illa erat, ejuſque dies pluribus calamitatibus, & infortuniis fuerant obnoxii: *parvi, & mali*.

A ℣. 11. IN OPTIMO TERRÆ LOCO, RAMESSES.] Inter Regum Ægypti nomina Rameſſes etiam invenitur. Putat Marshamus ad ſæcul. 7. can. Ægypt. nomen hoc proprium eſſe ejus Principis, quo imperante in hanc regionem venerunt Iſraelitæ. Contendit eos in terra Geſſen conſtruxiſſe urbem nomine Rameſſes; vel ſi jam antea ſtabat Urbs hæc, affirmat Iſraelitas eamdem amplificaſſe, illuſtrioremque reddidiſſe. Sunt etiam qui velint, (vide Exod. 1. 11.) urbem hanc fuiſſe tunc ſolum ædificatam, cum Hebræi Ægyptiaca ſervitute opprimerentur, atque Principem, qui illos tantopere vexabat, Rameſſem fuiſſe appellatum.

℣. 12. PRÆBENS CIBARIA SINGULIS.] Hebræus ad litteram: *Eos nutrivit juxta os infantium* [6]. Illis alimenta præbuit, ſicut pueris præberi ſolent, B quibus ad ſatietatem ſuppeditatur cibus, nullum alium, niſi petendi laborem ſubeuntibus; vel potius, illis alimenta ſuppeditavit juxta ipſorum numerum, prout in ſingulis familiis plures, vel pauciores erant. Aquila [7]: *Secundum ora filiorum illorum*. Septuaginta: *juxta numerum corporum*, capitum, hominum. Vatablus, & quidam alii ita explicant: Alimenta ſingulis præbuit a minimo uſque ad maximum natu.

℣. 13. IN TOTO ENIM ORBE PANIS DEERAT.] Hebræus: in omni terra; ſeu: in omni regione panis deerat. Vide cap. 41. 30. Id ſolummodo de Ægypto, eique proximis regionibus intelligi poteſt.

ET OPPRESSERAT FAMES TERRAM.] Vox hebrea C תלה *thelah* legitur tantum hic, & cap. 26. 18 Proverb. Diverſimode hujuſmodi vox exponitur. Septuaginta [8]: *Terra Ægypti, & terra Chanaan erat exhauſta* (defecerat) *propter exceſſum famis*. Alii: *Fame excruciata erat*, vexata, vaſtata, ad mendicitatem adacta. Kimchi, Vatablus, & alii quidam vertunt: *rabida*, ſeu inſana *fames graſſabatur*.

℣. 18. VENERUNT ANNO SECUNDO.] Poſtquam greges ſuos adduxerant. Quartus, aut quintus ſterilitatis annus hic erat. Aliqui volunt ſeptimum, & ultimum hunc fuiſſe annum; cum verſ. 19. grana petant, quæ ſerere poſſint. Cum Joſeph Regis theſauro intuliſſet pecuniam omnem, quæ in commercio erat, greges ſuos, ſuaſque deinde terras vendere coactus fuit populus. Joſeph hæc omnia ſervaD vit uſque ad ultimum ſterilitatis annum, eaque populo tunc reddidit, deditque ſemina, quæ terræ mandari poſſent: ea tamen conditione, ut populus quintam partem fructuum, ſeu terræ proventuum Regi ſolveret: & ne forte novum hoc tributum aliquam excitaret ſeditionem, neve privati homines ſibi gravius juſto onus imponi conquererentur, eos Joſeph ab una in aliam urbem migrare juſſit, ut omnis ſeditionum occaſio tolleretur. Eos Rex in terras ſuas diſtribuit, quaſi Dominus, qui ad agros colendos ſervos ſuos mittit.

NON CELABIMUS DOMINUM NOSTRUM.] Hebræus: *Nos non celabimus Dominum meum, quod argentum, & bona noſtra vere conſumpta ſunt; pecora noſtra* (ſunt) *coram Domino noſtro, ad ipſum ſpectant; nihil nobis* E *aliud ante Dominum noſtrum remanet præter corpora noſtra, atque noſtras terras*. Septuaginta: Dixerunt ei, ne permittas nos omnino interire [9]. Quoniam ſi (ſeu *quoniam, etenim*) argentum noſtrum, bona noſtra, & pecora noſtra tua ſunt, corpora tantum, & terra noſtra nobis remanent.

℣. 19. CUR MORIEMUR TE VIDENTE? ET NOS, ET TERRA NOSTRA TUI ERIMUS.] Si quis textus pun-

 ctatio-

1 מקצה אחיו.
2 Vide ad Iſai. 26. 15. & Jud. 17. 2.
3 Ἀπὸ δὲ τῶν ἀδελφῶν αὐτοῦ παρέλαβε.
4 מקצה *pars*, ſeu, מִקְצָה *ex parte, ex fine*.
5 Vide ſupra 13.9. 20. 15.
6 לפי הטף.
7 Aquila κατὰ στόμα νηπίου. 70. κατὰ σῶμα.
8 Ἐξέλιπε. 9 Μήποτε ἀποθάνωμεν. Legerunt in Hebræo *Necached* נכחד loco *Niccached* ניכחד.

ſtationem immutare vellet, itu legere poſſet: *Cur moriemur videntibus te, nos, & agri noſtri? In tuam nos ipſos tradimus poteſtatem*. Apud optimos Authores his ſimilia leguntur; exempli gratia, apud Martial. *ſuburbanus ne moriatur ager*. Plantas vivere, & mori vulgo dicimus. Seneca; *Sata ..., & vivere, & mori dicimus*. Solum mortuum dicitur, cum incultum eſt, ac ſterile. Vide Bochartum de Animal. ſacr. part. 1. lib. 1. Hæc tamen in textu mutatio nullatenus neceſſaria eſt.

PRÆBE SEMINA.] Dictum fuerat ſuperius c. 45. 6. futurum ut ſeptem annorum ſpatio nec arari, nec meti poſſet: Cur ergo Ægyptii ſemina nunc petunt? Veroſimile eſt eos toto hoc tempore ſerere conſueviſſe loca magis humida, Niloque proximiora, ut notat Divus Auguſtinus quæſt. 160. in Geneſ. Alii credunt ſeptimum hunc fuiſſe ſterilitatis annum; illos autem tunc ſerere incœpiſſe, ut ſequenti anno metere poſſent. Verſiculus 23. opinioni huic valde favet; *En ut cernitis, & vos, & terram veſtram Pharao poſſidet: accipite ſemina, & ſerite agros, ut fruges habere poſſitis*.

℣. 20. EMIT OMNEM TERRAM ÆGYPTI.] Illas videlicet terras, quæ ad privatos omnes pertinebant, non quæ ſpectabant ad Sacerdotes.

SUBJECITQUE EAM PHARAONI (21.) ET CUNCTOS POPULOS EJUS A NOVISSIMIS TERMINIS ÆGYPTI, USQUE AD EXTREMOS FINES EJUS.] Textus Samaritanus [1], & Septuaginta cum Vulgata concordant, populoſque Pharaonis imperio obtemperantes ejuſdem ſervos fuiſſe aſſerunt, agrorumque, quos C colebant, dominos minime fuiſſe; quod ſane convenit cum iis, quæ legimus apud Manethonem, & Diodorum: textus autem hebraicus hodiernus [2], Chaldæus, Syrus, & Arabs habent: *Joſeph reddidit Regem dominum omnis terræ, & (21.) populum migrare juſſit ab una in aliam urbem, a noviſſimis terminis Ægypti, uſque ad extremos fines ejus*. Inter has duas verſiones diſcrimen intervenit momenti haud exigui, quod totum ab unius litteræ mutatione oritur.

Herodotus lib. 2. 168. moris cujuſdam meminit, qui poteſt ea, quæ modo a nobis dicta ſunt, illuſtrare. Affirmat ille in Ægypto a militibus quoſdam agros, qui a Rege ipſis concedi ſolent, per vices poſſideri, ita ut nemo ejuſdem agri duobus annis continentes dominus umquam ſit. Diodorus Si- D culus lib. 1. docet Ægypti terras in tres partes fuiſſe diviſas, prima ad Sacerdotes, altera ad Regem, tertia ad milites ſpectabat. Diſtribuebatur populus in tres claſſes, quarum una ex agricolis, altera ex paſtoribus, tertia ex artificibus conſtabat. Agricolæ aliquam terræ portionem a Rege, vel a Sacerdotibus, vel a militibus in omnes vitæ ſuæ annos conducebant, quam colentes ſeſe alere poterant, proprietatis autem dominis certam quamdam penſionem ſolvebant. Paſtores & artifices eamdem ſemper artem in familiis ſuis exercebant, neque liberis parentum ſuorum artem deſerere licebat. Hinc Regnum hominibus artem ſuam egregie callentibus ſemper abundabat, ſemper erat optime cultum ſolum; neque Reges ſubditis inuſitata imperare vectigalia cogebantur. Hæc autem rerum in Ægypto diſpoſitio ex eo effluxiſſe videtur, quod Joſeph præſcripſerat: privati homines nullius terræ dominium poſſidebant.

℣. 22. PRÆTER TERRAM SACERDOTUM.] Juſſit Rex, ut hiſce ſterilitatis annis neceſſaria alimenta Sacerdotibus ſuppeditarentur, qui proinde ad agros ſuos vendendos non fuerunt adacti. Hos agros Sa- A cerdotibus Pharaonem tradidiſſe aſſerit Vulgatæ Auctor: ſed hebraicus textus tantum affirmat eum certam alimenti copiam Sacerdotibus dari juſſiſſe [3]. Tradit Diodorus Siculus lib. 7. cap. 2. eum, qui tertiam agrorum partem Sacerdotibus conceſſit, Oſirim fuiſſe, ut eorum proventus in ſacrificia, ac expenſas, quas deorum cultus exigebat, inſumerent. Docet Herodotus lib. 2. cap. 37. Ægyptiis Sacerdotibus in ſingulos dies abunde adfuiſſe, quo veſcerentur, ſacras videlicet carnes, quæ eis coctæ offerebantur. Has tamen diſtributiones illi tantum percipiebant, qui reapſe Templis inſerviebant. Eorum autem domeſtici fructus ex hiſce agris collectos inſumebant, ut notat ſæpe a nobis relatus Diodorus. Exiſtimat Grotius nomine Sacerdotum Ægypti illos B etiam intelligendos eſſe, qui Aſtrologiæ, Medicinæ, Phyſicæ, agrorum dimenſioni, Arithmeticæ, & hiſtoriæ operam dabant.

℣. 25. SALUS NOSTRA IN MANU TUA EST: RESPICIAT NOS TANTUM DOMINUS NOSTER, ET LÆTI SERVIEMUS REGI.] Hebraicus textus [4] ita verti poteſt: *Tu nos incolumes ſervaſti: inveniamus gratiam coram Domino noſtro, & Pharaonis ſervi erimus*. Regum Orientis ſubditi pro ſervis habebantur, quod idem de ſubditis Regum Perſarum referunt auctores Græci. Joſeph Ægyptiorum capita, atque agros emerat; quapropter *ſervus* hoc in loco non ſignificat ſimpliciter ſubditum; omnes enim Ægyptii Regis ſui ſubditi erant: non urbanitatis vox hæc amplius eſt, ſed veræ ſervitutis. Vide v. 21.

℣. 26. USQUE IN PRÆSENTEM DIEM.] Moyſis ætate durabat, & longo etiam poſt tempore perduravit politica illa diſciplina, quam ſtatuit Ioſeph in Ægypto; id colligitur ex Herodoto, Diodoro Siculo, Joſepho, & Divo Clemente Alexandrino.

℣. 29. PONE MANUM TUAM SUB FEMORE MEO.] Vide, quæ dicta ſunt Gen. 24. 2.

℣. 30. DORMIAM CUM PATRIBUS MEIS.] De animi immortalitate, & corporis reſurrectione optime ſentiens moritur: eo inferri tumulo cupit, qui Saræ, Adami, & Iſaaci oſſa continebat juxta Hebron.

℣. 31. ADORAVIT .... CONVERSUS AD LECTULI CAPUT.] Triplex eſt præcipue loci hujus explicatio. Primo enim Vulgata, & Judæi volunt Iacobum D jam jam moriturum, ad lectuli caput fuiſſe converſum, ut Deum adoraret.

Addunt Rabbini, ideo Jacob ſe ſe convertiſſe ad lectuli caput, quod reſpiceret terram promiſſionis, ad quam Iudæi preces facturi ſeſe convertere conſueverunt. Vulgatam ſequuntur Aquila, Symmachus, Targum Hieroſolymitanum, & plures alii Interpretes. Eodem in ſenſu 3. Reg. 1. 47. de Davide dicitur: *Adoravit Rex in lectulo ſuo*. Hebraicus textus habet: *ſe ſe proſtravit*, ſeu, inclinavit ſuper lectulum ſuum.

Secundo, Septuaginta [5], & Græci Patres ita locum hunc interpretantur: *adoravit ſummitatem baculi ſui*, ſeu, *ſceptri ſui*. Auctor Epiſtolæ ad Hebræos 11. 21. & Syrus crediderunt Iacobum ſe profunde E inclinaſſe ante ſceptrum, quod Ioſeph in ſuæ dignitatis ſignum geſtabat; atque ita impleſſe propheticum Ioſephi ſomnium Geneſ. 37. 9. eu. relatum, quod ſomnium Iacob ipſe explicaverat de adoratione, quam filio ſuo erat aliquando exhibiturus. Notat Divus Auguſtinus quæſt. 162. in Geneſ. Septuaginta Interpretum verba alium etiam ſenſum recipere poſſe. Adoravit Deum extremitati baculi ſui, vel extremitati baculi Ioſephi innixus. Græca phraſis hu-

1 Samarit. העביר *Hebhid*.
2 Hebr. *Heebir*, העביר.
3 כי חק לכהנים מאת פרעה ואכלו את חקם אשר נתן להם פרעה. Aquila ἀγχιστευταὶ γὰρ τοῖς ἱερεῦσι, Sym. σιτηρέσιον γὰρ ἦν τοῖς ἱερεῦσι. 70. ἐν δόσει γὰρ ἔδωκε δόμα τοῖς ἱερεῦσι. Aliàs, Ἐ γὰρ μερὶς ἦν τοῖς ἱερεῦσι.
4 החיתנו נמצא חן בעיני אדני והיינו עבדים לפרעה.
5 70. Ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου αὐτοῦ.

ſis hujuſmodi haud contemnendum ſenſum pati facile poteſt.

Tertio, quidam ex Recentioribus Expoſitoribus interpretationem afferunt magis, ut ipſis videtur, litteralem. *Reclinavit ſe ad caput lectuli.* Iacob Ioſephum alloquuturus in lectulo ſuo ſedit, ubi autem ultima ſui animi ſenſa patefecit, lecto ſe iterum A compoſuit, ſuumque caput ſuper cervical repoſuit [1]: Ultimum hebraici textus verbum legi poteſt, *Matte, baculus*, quam lectionem ſequuti ſunt Septuaginta; vel *mitta*, lectulus; atque ita legit D. Hieronymus, & nos quoque hodie legimus Maſſorethaꝛum punctationi adhærentes.

1 וישתחו על ראש המטה. Aq. προσεκύνησεν ἐπὶ τὴν κεφαλὴν τῆς κλίνης, Sym. ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς κλίνης.

CAPUT XLVIII.

Joſeph Ephraim, & Manaſſe Jacobo offert: hic præcipuam benedictionem impertitur Ephraim, licet eſſet minor natu; atque Joſepho agrum relinquit apud Sichem præcipui titulo.

℣. 1. HIs ita tranſactis, nuntiatum eſt Joſeph, quod ægrotaret pater ſuus: qui, aſ-
ſumptis duobus filiis Manaſſe, & Ephraim, ire perrexit. 2 Dictumque eſt
ſeni: Ecce filius tuus Joſeph venit ad te. Qui confortatus ſedit in lectulo.
3 Et ingreſſo ad ſe ait: Deus omnipotens apparuit mihi in Luza, quæ eſt in terra Cha-
naan: benedixitque mihi. 4 Et ait: Ego te augebo, & multiplicabo, & faciam te
in turbas populorum: daboque tibi terram hanc, & ſemini tuo poſt te, in poſſeſſionem
ſempiternam. 5 Duo ergo filii tui, qui nati ſunt tibi in terra Ægypti, antequam huc
venirem ad te, mei erunt: Ephraim, & Manaſſes, ſicut Ruben, & Simeon reputabun-
tur mihi. 6 Reliquos autem, quos genueris poſt eos, tui erunt, & nomine fratrum
ſuorum vocabuntur in poſſeſſionibus ſuis. 7 Mihi enim, quando veniebam de Meſopo-
tamia, mortua eſt Rachel in terra Chanaan, in ipſo itinere, eratque vernum tempus:
& ingrediebar Ephratam, & ſepelivi eam juxta viam Ephratæ, quæ alio nomine appel-
latur Bethlehem. 8 Videns autem filios ejus dixit ad eum: Qui ſunt iſti? 9 Reſpon-
dit: Filii mei ſunt, quos donavit mihi Deus in hoc loco. Adduc, inquit, eos ad me,
ut benedicam illis. 10 Oculi enim Iſrael caligabant præ nimia ſenectute, & clare vi-
dere non poterat. Applicitoſque ad ſe, deoſculatus, & circumplexus eos, 11 Dixit
ad filium ſuum: Non ſum fraudatus aſpectu tuo: inſuper oſtendit mihi Deus ſemen tu-
um. 12 Cumque tuliſſet eos Joſeph de gremio patris adoravit pronus in terram. 13
Et poſuit Ephraim ad dexteram ſuam, ideſt, ad ſiniſtram Iſrael: Manaſſen vero in ſini-
ſtra ſua, ad dexteram ſcilicet patris, applicuitque ambos ad eum. 14 Qui extendens
manum dexteram, poſuit ſuper caput Ephraim minoris fratris: ſiniſtram autem ſuper
caput Manaſſe, qui major natu erat, commutans manus. 15 Benedixitque Jacob filiis
Joſeph, & ait: Deus, in cujus conſpectu ambulaverunt patres mei Abraham, & Iſaac;
Deus, qui paſcit me ab adoleſcentia mea uſque in præſentem diem: 16 Angelus, qui
eruit me de cunctis malis, benedicat pueris iſtis: & invocetur ſuper eos nomen meum,
nomina quoque patrum meorum Abraham, & Iſaac, & creſcant in multitudinem ſuper
terram. 17 Videns autem Joſeph, quod poſuiſſet pater ſuus dexteram manum ſuper
caput Ephraim, graviter accepit, & apprehenſam manum patris levare conatus eſt de
capite Ephraim, & transferre ſuper caput Manaſſe. 18 Dixitque ad patrem: Non ita
convenit, pater; quia hic eſt primogenitus, pone dexteram tuam ſuper caput ejus.
19 Qui renuens, ait: Scio, fili mi, ſcio: & iſte quidem erit in populos, & multi-
plicabitur: ſed frater ejus minor, major erit illo: & ſemen illius creſcet in gentes.
20 Benedixitque eis in tempore illo, dicens: In te benedicetur Iſrael, atque dicetur:
Faciat tibi Deus ſicut Ephraim, & ſicut Manaſſe. Conſtituitque Ephraim ante Manaſ-
ſen. 21 Et ait ad Joſeph filium ſuum: En ego morior, & erit Deus vobiſcum, redu-
cetque vos ad terram patrum veſtrorum. 22 Do tibi partem unam extra fratres tuos,
quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo.

NUN-

℣. 5. NUNCIATUM EST, QUOD ÆGROTARET.] A Haud erat Ioſepho ignotum morbo laborare patrem ſuum; ſed morbum quotidie ingraveſcere eidem nunciatur.

℣. 4. IN POSSESSIONEM SEMPITERNAM.] Iacobi poſteri ſecundum carnem habuerunt terram Chanaan uſque ad Meſſiæ adventum, ſed ſpiritalis ejus poſteritas fide, ac ſpe veram promiſſionis terram, cœlum nempe poſſidet, quin imo eamdem terram reapſe poſſidet, in beatiſſimis illis hominibus, qui ad primogenitorum hæreditatem pervenerunt.

℣. 6. NOMINE FRATRUM SUORUM VOCABUNTUR IN POSSESSIONIBUS SUIS.] Nullam obtinebunt hæreditatem a majoribus ſuis fratribus diſtinctam: hoc providum Iacobi conſilium locum minime habuit; propterea quod nullos Ioſeph habuit filios præter Ephraim, & Manaſſe; quod ſi alii ei nati fuiſſent liberi, nec Tribuum capita eſſe potuiſſent, nec ad hæreditatem una cum ceteris Patriarchis fuiſſent vocari, ſed habiti ſolum ut privati Joſephi filii. Ea Jacobo mens erat, ut uni, aut alteri ex duobus fratribus ſuis Ephraim, aut Manaſſe conjungerentur.

℣. 11. NON SUM FRAUDATUS ASPECTU TUO.] Hebræus, & Chaldæus; *Te aſpicere minime credebam; id ego minime ſperabam*. Alii: *Non precabor*, פללתי: Sperare minime audebam, fore ut te aliquando viderem; vota concipere, preceſque effundere non audebam pro re hac, quæ, ut mihi quidem videbatur, evenire omnino non poterat.

℣. 12. CUMQUE TULISSET EOS JOSEPH DE GREMIO PATRIS.] Textus hebraicus rem hanc pluribus C explicat: Ioſeph accepit duos filios ſuos, qui erant inter genua Iacobi, מעם ברכיו, vel qui ad ejus genua provoluti erant, eaque amplectebantur; deinde ſe ad patris pedes abjecit, cumque ſumpſiſſet duos filios ſuos, Ephraim ad dexteram ſuam, ideſt, ad ſiniſtram Iſrael, Manaſſen vero in ſiniſtra ſua, ad dexteram ſcilicet patris poſuit.

℣. 14. QUI EXTENDENS MANUM DEXTERAM POSUIT SUPER CAPUT EPHRAIM.] Ex hoc loco colligitur, quam antiquus ſit mos, ut illis manus imponantur, quibus munus aliquod injungitur. Conſuetudo hæc ſemper apud Iudæos viguit, & ab iis derivata eſt ad Eccleſiam Catholicam, quæ manuum impoſitione utitur in miniſtris ſuis inſtituendis. Chriſtus Jeſus manus imponebat pueris, ut habetur Matth. 19. 13. qui ad ipſum adducebantur, ut eis benediceret. Modus, quo utuntur tum Iſraelitæ in Sacerdotibus ſuis creandis Num. 8. 10. tum Moyſes in eligendo Ioſue, ut ſibi ſuccederet Num. 27. 18. comparari poteſt cum ritu, quem adhibent tum Apoſtoli in inſtituendis ſeptem Diaconis, Act. 6. 6. tum Senatus Eccleſiaſticus, nempe epiſcopi Timotheum initiaturi.

COMMUTANS MANUS.] Hebraicus שכל את ידיו, *Fecit intelligere manus ſuas*. Chaldæus אחכמינון. *inſtruxit, reddidit ſapientes manus ſuas*. Manum ſuam dexteram prudens, volenſque impoſuit illi, qui ad lævam adſtabat, manumque ſiniſtram illi, quem habebat ad dexteram, eventuſque probavit eum prophetiæ, & ſapientiæ ſpiritu permotum id egiſſe. Non- E nulli [1] optime vertunt: *prudenter compoſuit manus ſuas*. Notant Veteres Patres natu minorem majori prælatum ſignificare Chriſtianos homines longe Iudæis antecellere, manuſque Iacobi nepotibus ſuis benedicentis in modum crucis diſpoſitas denotare Chriſti crucem, a qua una gloria, felicitas, & adoptio noſtra proficiſcitur. Obſervari etiam poteſt plerumque in Scriptura minores natu præferri majoribus, cum voluerit Deus futuram Eccleſiæ ſuæ adoptionem hominum animis inculcare, innumeris prope figuris eam paſſim promittentibus. Abel Caino, Sem ceteris ſuis fratribus, Iſaac Iſmaeli, Iacob Eſau, Ioſeph Ruben, Phares Zaram, Moyſes Aaroni, David fratribus ſuis præferuntur.

℣. 15. BENEDIXIT IACOB FILIIS IOSEPH.] Textus hebraicus hodiernus habet: *benedixit Joſephe*; videlicet, ei benedixit in duobus filiis ſuis.

℣. 16. ANGELUS, QUI ERUIT ME.] Quænam ſit notio, ſeu potius quinam ſit ſenſus hebraicæ vocis מלאך *Malach*, quæ hic redditur *Angelus*, non conveniunt Interpretes. Vox hujuſmodi naſcitur a radice הלך, mittere, ſeu juxta Æthiopicam ſignificationem, *ſervire*; quocirca valde convenit cum Græco *Angelos*, & Latino *Angelus*, quibus ſane verbis Angelorum natura minime ſignificatur, ſed ea, quæ ut legati, & nuntii obeunt munia, explicantur. Ajunt Interpretes quidam filiis, & nepotibus ſuis hic precari Iacobum, ut Deus, qui ſibi quamdiu vixit præſto ſemper fuit, eiſdem etiam auxilium B ſuum concedat. Divus Cyrillus lib. 3. Theſauri c. 1. Divus Athanaſius Orat. 4. contra Arian. Divus Hilarius de Trinit. lib. 4. num. 23. 24. Tertullianus de Baptiſmo cap. 8. Ambroſius de Benedict. Patriarchar. cap. 1. Auguſtinus quæſt. 166. in Gen. Theodoretus quæſt. 107. Auguſtinus in Pſal. 77. verſ. 9. & alii locum hunc ita exponunt: Scriptura Deo aliquando tribuit nomen Angeli, atque Iacob Angelum hunc vocat liberatorem ſuum, quod certe Deo tantummodo poteſt proprie convenire.

Ianſenius vero, Menochius, & alii contendunt, nomen Angeli hic præſertim ſignificare Angelum Iacobi cuſtodem, qui ei varia peragenti itinera ſemper adfuerat. Certum eſt, Scripturam nomen Angeli Deo quandoque tribuere, Angeloſque Dei nomine identidem appellari, tum præſertim, cum aliquid illi agunt Dei nomine, Deique auctoritate: ſed cum alicubi nomen Angeli donatur iis, quibus ante Dei nomen fuerat tributum, tunc profecto credibile eſt velle Scripturam eorum naturam, & munia magis aperte, & exacte denotare: cumque illos deos Scriptura nominat, tunc populi captui, & ſenſui ſe ſe accommodat, qui cauſas minus præcipuas, & inſtrumenta, quibus multa ſupra naturam fiunt, ſæpe cum cauſa prima, & ſummo, ac vero rerum omnium Auctore confundit. Samaritanus pro *Malac*, Angelus, habet מלך, *Melech*, *Rex*, quaſi id optaret Iacob, ut Pharao, cui tot beneficiis erat ipſe devinctus, eadem benevolentia impoſterum quoque Ioſephum complecteretur.

D . INVOCETUR SUPER EOS NOMEN MEUM.] Ego illos in adoptionem accipio. Volo ego, ut nomine filiorum Iacobi vocentur: obtineant & illi inter filios meos hæreditatem ſuam, quaſi ego ipſe vos genuerim. Vide v. 5.

℣. 18. NON ITA CONVENIT, PATER.] Non recte manus diſpoſuiſti. En duo prophetæ de re eadem longe diverſa ſentientes. Deus ſæpe uni patefacit, quod alteri minime vult aperire; numquam tamen eodem tempore, eademque de re duobus prophetis contraria manifeſtat. Non ſemper afflatu divino Vatum mens concitatur. Joſeph ex ſui animi ſententia hic loquitur, Iacob vero cœleſti quodam ſpiritu impulſus agit.

℣. 19. SEMEN ILLIUS CRESCET IN GENTES.] Hebræus: *ejus poſteritas erit plenitudo Gentium*. Chaldæus autem vertit; *ejus liberi potentes erunt inter populos*. Vaticinium hoc probavit eventus. Tribus Ephraim una ſemper fuit ex Iſraelis Tribubus, quæ numero, & potentia plurimum valuerunt: quin & principem aliquando locum tenuit in Regno decem Tribuum. Ephraimitarum virtus in Scriptura celebratur. Verba hæc: *plenitudo Gentium*, ſignificare poſſunt, ut affirmat Ludovicus de Dieu, omnes populos, omnes nationes. Erit ille plenitudo Gentium, habebit ea omnia, quæ ullus umquam populus poſſidere poteſt; ad eam magnitudinem, potentiam, & gloriam perveniet, quam maximam ulla umquam natio poteſt ſibi comparare. Id plerumque ſignificat vox hæc, *Plenitudo*; verbi gratia: *Domini eſt terra, & ple-*

---

1 Tigur. Vatabl. Oleaſter.

& plenitudo ejus; quæcumque in orbe ſunt, Domini ſunt. *Plenitudo Chomer*; quantum *Chomer* poreſt continere. *Plenitudo peccati*; peccata omnia, quæ patrati poſſunt. *Plenitudo domus*, quæcumque domi ſunt.

℣. 26. IN TE BENEDICETUR ISRAEL.] Ioſephum alloquitur. Hebræus juxta Maſſoretharum punctationem: *Iſrael benedicet in te* [1]. Cum Iſraelitæ volent alicui ominari fauſta, ſtirpis tuæ felicitatem ei ita precabuntur. Dominus muneribus ſuis te repleat, ſicut iiſdem cumulavit Ephraim, & Manaſſe. Septuaginta: *Iſrael benedicetur in vobis*, *in vobis*: id enim referunt ad Ephraim, & Manaſſe.

℣. 22. DO TIBI PARTEM UNAM EXTRA FRATRES TUOS.] Verbum hebraicum *Sechem* [2], ſignificat ad litteram, *humerum*, & metaphorice *partem*; ſignificat etiam nomen Urbis *Sichem*, quo in ſenſu illud acceperunt Septuaginta; *Do tibi Sichem ſupra fratres ſuos*. Ieſu Chriſti ætate conſtans erat Iudæorum, & Samaritanorum traditio, Ioan. 4. 5. partem illam, quam Iacob Ioſepho hic dono dat, agrum fuiſſe, quem ipſe emerat a filiis Hemor. Cum Iſraelitæ ingreſſi ſunt terram Chanaan, filii Ioſeph patrem ſuum ſepelierunt in parte agri, quem a Iacobo Ioſeph acceperat Ioſue 24. 32. Iacob autem hic ait ſe partem hanc tuliſſe de manu Amorrhæi in gladio, & arcu ſuo. Qui locum hunc exponunt de Urbe Sichem, aſſerunt Iacobum eam terram retinere voluiſſe, quam Simeon, & Levi Sichem incolis eripuerant, licet violentiam a filiis ſuis hiſce populis illatam ſemper fuerit execratus. Modum improbavit, factique circumſtantias, non tamen id eſſe ſibi deferendum putavit, quod filii ſui armis adepti fuerant. Peſſimas haſce rationes jam confutavimus Geneſ. 34. 30. Exiſtimat Grotius, Patriarcham Iacobum hic vaticinari, atque ut jam factum id exprimere, quod filii ſui aliquando facturi erant, cumque aſſerere ſe armis potitum eſſe terræ illius, cum dicere vellet futurum aliquando ut poſteri ſui illius regionis potirentur. Sed quid, quæſo, hoc in ſenſu Iacob Ioſepho dat extra fratres ſuos? Omnes enim erant conſequuturi partem ſuam in terra Chanaan, & plerique eorum potiorem, quam filii Joſeph, erant partem habituri.

Divo Hieronymo viſum eſt gladium, & arcum ſignificare hic Jacobi juſtitiam, qua Dei auxilium adverſus Chananæos, poſt Sichimitarum cædem meruit. *Arcum hic, & gladium juſtitiam vocat, per quam meruit peregrinus, & advena interfecto Sichem, & Hemor, de periculo liberari* &c. Ita citatus Pater in quæſtionibus hebraicis. Hæc tamen expoſitio myſtica potius eſt, quam litteralis. Addit etiam idem Sanctus Doctor, Iacobi verba intelligi poſſe de pecunia, qua agrum Ioſepho nunc conceſſum emit. Argentum hoc Iacob appellat, vim, & robur ſuum, quia pluribus laboribus illud ſibi comparaverat.

Eumdem hunc locum myſtice exponit Onkelos Paraphraſtes. Arcu, & gladio preces, & orationes Iacobi vult denotari: *Quam acquiſivi oratione, & deprecatione mea*. Alia hypotheſis, eaque admodum probabilis proponitur a Maſio in Ioſue ultim. & Brugenſi ad Iob. 4. 5. & Ligtfooto hor. tal. 84. Cum Iacob, inquit Maſius, poſt depopulatam urbem Sichem timeret, ne Chananæi facinus hoc ulciſcerentur, aliò conceſſit, agrumque reliquit, quem emerat a filiis Hemor. Cum vero ſubſequutis temporibus in eumdem rediiſſet locum, armis inde expulit Amorrhæos, qui agrum ſuum occupaverant. Nihil explicationi huic addendum eſſet, ſi quod momentum ex hiſtoria petitum ad eam confirmandam afferti poſſet: certum tamen eſt nihil in hiſtoria repetiri, quod huic interpretationi adverſetur.

DE MANU AMORRHÆI.] Qui volunt ſermonem hic eſſe de agro, quem emit Jacob a filiis Hemor Geneſ. 23. 20. ii vel Hemor origine Amorrhæum fuiſſe contendunt, licet apud Hevæos natus fuerit, vel ajunt Amorrhæi nomen Chananæis convenire, tamquam nomen genericum. Hujusmodi plura ſunt in Scriptura exempla.

---

1 כך יברך ישראל.
2 שכם אחד על אחיך אשר לקחתי מיד האמרי ונו,

CAPUT XLIX.

Ultima Jacobi verba. Singulis filiis ſuis vaticinatur, quæ eiſdem eventura erant.

℣. 1. VOcavit autem Jacob filios ſuos, & ait eis: Congregamini, ut annuntiem,
quæ ventura ſunt vobis in diebus noviſſimis. 2 Congregamini, & audite
filii Jacob, audite Iſrael patrem veſtrum. 3 Ruben primogenitus meus, tu
fortitudo mea, & principium doloris mei: prior in donis, major in imperio. 4 Ef-
fuſus es ſicut aqua, non creſcas: quia aſcendiſti cubile patris tui, & maculaſti ſtratum
ejus. 5 Simeon, & Levi fratres: vaſa iniquitatis bellantia. 6 In conſilium eorum
non veniat anima mea, & in cœtu illorum non ſit gloria mea: quia in furore ſuo occi-
derunt virum, & in voluntate ſua ſuffoderunt murum. 7 Maledictus furor eorum,
quia pertinax; & indignatio eorum, quia dura: dividam eos in Jacob, & diſpergam
eos in Iſrael. 8 Juda, te laudabunt fratres tui: manus tuæ in cervicibus inimicorum
tuorum, adorabunt te filii patris tui. 9 Catulus leonis Juda: ad prædam, fili mi, a-
ſcendiſti: requieſcens accubuiſti, ut leo, & quaſi leæna, quis ſuſcitabit eum? 10
Non auferetur ſceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus
eſt, & ipſe erit expectatio gentium. 11 Ligans ad vineam pullum ſuum, & ad vitem,
ò fili mi, aſinam ſuam. Lavabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine uvæ pallium ſuum.
12 Pulchriores ſunt oculi ejus vino, & dentes ejus lacte candidiores. 13 Zabulon in
littore maris habitabit, & in ſtatione navium pertingens uſque ad Sidonem. 14 Iſſa-

char

char aſinus fortis accubans inter terminos. 15 Vidit requiem, quod eſſet bona: &
terram, quod optima: & ſuppoſuit humerum ſuum ad portandum, factuſque eſt tribu-
tis ſerviens. 16 Dan judicabit populum ſuum, ſicut & alia tribus in Iſrael. 17 Fiat
Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita, mordens ungulas equi, ut cadat aſcenſor ejus
retro. 18 Salutare tuum expectabo, Domine. 19 Gad, accinctus præliabitur ante
eum: & ipſe accingetur retrorſum. 20 Aſer, pinguis panis ejus, & præbebit delicias
regibus. 21 Nephtali, cervus emiſſus, & dans eloquia pulchritudinis. 22 Filius ac-
creſcens, & decorus aſpectu: filiæ diſcurrerunt ſuper murum. 23 Sed exaſperaverunt
eum, & jurgati ſunt, inviderunque illi habentes jacula. 24 Sedit in forti arcus ejus,
& diſſoluta ſunt vincula brachiorum, & manuum illius per manus potentis Jacob: inde
paſtor egreſſus eſt, lapis Iſrael. 25 Deus patris tui erit adjutor tuus, & omnipotens
benedicet tibi benedictionibus cœli deſuper, benedictionibus abyſſi jacentis deorſum,
benedictionibus uberum, & vulvæ. 26 Benedictiones patris tui confortatæ ſunt bene-
dictionibus patrum ejus: donec veniret deſiderium collium æternorum: fiant in capite
Joſeph, & in vertice Nazaræi inter fratres ſuos. 27 Beniamin lupus rapax, mane co-
medet prædam, & veſpere dividet ſpolia. 28 Omnes hi in tribubus Iſrael duodecim:
hæc locutus eſt eis pater ſuus, benedixitque ſingulis, benedictionibus propriis. 29
Et præcepit eis, dicens: Ego congregor ad populum meum: ſepelite me cum patri-
bus meis in ſpelunca duplici, quæ eſt in agro Ephron Hethæi, 30 Contra Mambre in
terra Chanaan, quam emit Abraham cum agro ab Ephron Hethæo in poſſeſſionem ſe-
pulchri. 31 Ibi ſepelierunt eum, & Saram uxorem ejus: ibi ſepultus eſt Iſaac cum
Rebecca conjuge ſua: ibi & Lia condita jacet. 32 Finitiſque mandatis, quibus filios
inſtruebat, collegit pedes ſuos ſuper lectulum, & obiit: appoſituſque eſt ad populum
ſuum.

ỳ. 1. IN DIEBUS NOVISSIMIS.] Longo poſt mortem meam tempore. Hebræus [1]: *diebus futuris*. Quod futurum eſt, ſive cito, ſive ſero. In quodam veteri libro apocrypho Joſepho adſcripto hæc extabant, ut refert Euſebius l. 6. Præpar. cap. ult. ex Origene: *Et vobis patefaciam quæ legi in tabulis cœli, & quæ vobis, & liberis veſtris eventura ſunt.*

ỳ. 2. CONGREGAMINI.] Patriarchæ morti proximi domeſticis ſuis benedictionem impertiri conſueverant: iiſdemque ultima animi ſui ſenſa declarare. Hoc erat quoddam veluti Patriarcharum teſtamentum; eorumque poſtremis verbis fides ſumma habebatur, cum prophetico quodam ſpiritu, divinoque afflatu concitati ea Patriarchæ protuliſſe crederentur. Ad nos ultima Iſaaci, Jacobi, Joſue, Samuelis, Davidis, & Tobiæ ſenſa Scriptura tranſmiſit. Extabat olim [2], & hodie quoque extat liber quidam apocryphus, cui titulus: *Duodecim Patriarcharum teſtamentum*, in quo poſtrema eorum verba referuntur. Profani etiam (Vide Cicer. lib. 1. de Divinat. & Xenophon. in Cyropæd.) putarunt homines morti proximos quamdam rerum futurarum habere præſenſionem. Id etiam aſſerit Cyrus jam jam moriturus, id affirmat & Socrates jam hauſti veneni vi pene confectus. Ad eam, ajebat ille, ætatem perveni, qua homines futura vaticinari conſueverunt.

ỳ. 3. TU FORTITUDO MEA, ET PRINCIPIUM DOLORIS MEI.] Hebraicus textus [3] verti poteſt: Tu es potentia mea, & initium fortitudinis meæ; id eſt, tu es primogenitus meus, filius juventutis meæ, prima matrimonii mei ſoboles. Cum Scriptura primogenitos vult ſignificare, frequenter expreſſionem hanc uſurpat. Vide Deuteronom. 21. 17. Pſalm. 77. 51. Eodem in ſenſu locum hunc explicant non ſolum Septuaginta, qui reddunt Ἀρχὴ τῶν τέκνων μου, ſed

A maxima etiam Interpretum pars. Qui legunt; *principium doloris mei*, id exponunt de dolore, quem tum ſenſit Jacob, cum Ruben inceſtum cum Bala habuiſſe commercium, atque patrium cubile violaſſe cognovit. Concordant cum Vulgata tum Aquila, qui reddit Κεφάλαιον λύπης, tum Symmachus, qui vertit Ἀρχὴ ὀδύνης.

PRIOR IN DONIS, MAJOR IN IMPERIO.] Putat Lyranus Jacobum his verbis Ruben benedicere, eamque benedictionem tum habuiſſe effectum ſuum, cum ejus Tribus omnium prima Iordanem pertranſiit Ioſue 4. 12. vel cum ſub Saulis regno eadem Tribus Agarenos debellavit 1. Par. 5. 10. Chaldæus tamen, Onkelos, Targum Hieroſolymitanum, D. Hieronymus in quæſtionibus hebraicis, & Interpretes

B paſſim locum hunc ita exponunt: Tu utpote primogenitus prior in donis, & major in imperio eſſe, duplicem hæreditatis partem, imperium in ceteras Tribus, atque Sacerdotium obtinere debueras; verum quia patrem tuum tanta affeciſti injuria, ideo dignitate priſtina dejectus es. Duplex portio Ioſepho, Sacerdotium Levi, Imperium Judæ ceſſit. Septuaginta ſic vertunt [4]; *Tu durus ferendo* (minime tolerandus, difficilis) *durus, & protax*. Hebræus verti poteſt [5]: *Tu prior eſſe debebas in dignitate: & prior in potentia*; id eſt: Tribus tua ceteras tum dignitate, tum auctoritate, ſeu tum numero, tum potentia ſuperare debebat.

ỳ. 4. EFFUSUS ES SICUT AQUA; NON CRESCAS.] Cum Tribus tua, & viribus, & multitudine ceteris

C præſtare deberet, nunc *tu effuſus es ſicut aqua*, nihil virium, nihil gloriæ, nihilque roboris amplius habes, nec numero, nec dignitate, nec viribus *amplius creſces*. Tribus Ruben numquam numero multum valuit, neque magni in Iſrael habita; atque Moyſes Deuteron. 33. 6. ait: *Vivat Ruben, & non moria-*

1 באחרית הימים
2 Origenes hom. 15. in Joſue.
3 ראשית אוני
4 70. Σκληρὸς φέρεσθαι, καὶ σκληρὸς αὐθάδης.
5 יתר שאת ויתר עז.

mediatur, & ſis parvus in numero. Nonnulli verſiculum hunc ita explicant: *tu te effudiſti ſicut aqua*: ideſt, effræni cupiditati tuæ indulſiſti, nec eam potuiſti ſuperare: *ne creſcas*, ſicut aqua, & ſicut torrens exundans diſpergeris. Septuaginta reddunt [1]: *tu mihi maximam inſulſiſti injuriam, ſicut aqua, ne ebullias*. Aquila [2]; *admiratione correptus es, ne te effundas ſicut aqua*. Symmachus [3]: *ſicut aqua calida efferbuiſti, non eris præſtantior*. Onkelos [4]: *Quoniam ſecutus es voluntatem tuam ſicut aqua effuſa, non proficies, nec habebis partem acceſſionis hæreditatis*. Hebraicus textus [5] ita reddi poteſt: *levitas ut aquæ: ne excellas*. Aliter vertitur a Capello: *Superbia elatus es: ne excellas non magis, quam aqua*. *Pachaz* Arabice ſignificat *ſuperbire*. Divus Hieronymus in ſuis hebraicis quæſtionibus ita textum hebraicum interpretatur: *Effuſus es ſicut aqua: ultra ne pecces*.

ET MACULASTI STRATUM EJUS.] Hebræus ad literam: *tunc maculaſti ſtratum meum: ipſe aſcendit*, ſeu, *illud ſe extulit*, vel, *illud evanuit*; id eſt, juxta quorumdam Rabbinorum ſententiam, torus meus rejectus fuit, numquam poſt te illum aſcendi: ſeu juxta Vatablum, evanuit tuæ primogenituræ ratio. Vertere mallem: torum meum maculaſti, illum aſcendendo. Ego enim in textu hebræo [6] pro *halah* lego holeh. Divus Ambroſius lib. de Bened. Patriar. cap. 2 putat ea, quæ filiis ſuis dicit Iacob, vaticinia eſſe, eoque innixus fundamento ſcribit, verba hæc, *maculaſti ſtratum meum*, non referri ad Rubeni facinus cap. 35. relatum; illud enim longe ante patratum fuerat; ſed Salvatoris paſſionem, & Judæorum in Chriſtum Ieſum odia, ac vexationes verbis iſtis portendi vult: Iudæi, inquit, Chriſti ſtratum macularunt, ejus corpus affigentes cruci, quæ lectus eſt, ubi Sancti viri requieſcunt. Non eſt tamen literalis hæc interpretatio.

℣. 5. SIMEON, ET LEVI FRATRES:] Vel Simeon, & Levi fratres in crimine, nimium in ſceleribus conjuncti, nimiumque in ſævitie ſimiles. *Frater* ſæpe ponitur pro ſimili, Prov. 18. 2. & 19. 7.

VASA INIQUITATIS BELLANTIA.] Septuaginta, & Chaldæus legiſſe videntur in textu hebræo *calu*, fecerunt, conſumſerunt, pro *Colei*, vaſa, ut hodierna fert lectio. En Septuaginta [7] interpretatio: *Simeon, & Levi fratres conſiliorum ſuorum injuſtitiam adimpleverunt*. Chaldæus verba hæc in eorum laudem vertit; Simeon, & Levi duo fratres ſunt maxime ſtrenui, in regionibus, ubi habitarunt, plurima virtutis ſuæ documenta dederunt. Huic Interpretationi favet etiam Samaritanus; habet enim *calu*, & probabile eſt Symmachum, & Theodotionem cum Septuaginta concordaſſe, cum nulla inter illos hoc in loco intercedat lectionis varietas. Aquila tamen legebat, ut Vulgata, σκεύη ἀδικίας. *vaſa iniquitatis*. Hexapl. p. 672.

Nos hebraicum textum ita vertimus [8]: *Simeon, & Levi ſunt fratres* (in crimine) *gladius eorum gladius iniquitatis*. Verbum *mecaroth* deducimus a radice *carat*, emputavit; Junius vero, Tremellius, & Rivetus illud deducunt a *macar*, quod Chaldaice

A ſignificat convenire, promittere; eorum arma iniquæ, & doloſæ promiſſiones ſunt. Alludit ad doloſa verba, quibus Sichimitas deceperunt, deceptoſque interfecerunt. Vox *mecroth*, ſeu *macerah* in hoc uno Scripturæ loco invenitur. Inde probabile eſt ortum græcum *machæra*, quod enſem ſignificat. Perſarum gladios appellari *machæras* Xenophon affirmat.

℣. 6. IN CONSILIUM EORUM NON VENIAT ANIMA MEA.] Ex hoc loco aperte colligitur Iacobum Simeonis, & Levi facinus in Sichimitas execrari. Hebræus [9] reddi poteſt: *in conſilium eorum nunquam venit anima mea*, vel, *nunquam venies*, vel; *faxit Deus, ne venias unquam*. Septuaginta [10]: in conſpirationem eorum nunquam veniat anima mea, & viſcera mea in eorum cœtu nunquam contendant.
B Vox hebraica *cabod*, ſignificat *jecur*, viſcera, gloriam. Veteres quidam, ut Origenes, & Tertullianus legentes μὴ ἐρείσαι, ita Septuaginta textum exponunt: *in eorum cœtu non conſiſtat jecur meum, neque ei adhæreat*. Oleaſter, & Caſtalio hebræum textum ita explicant: *Faxit Deus, ut ego recondito eorum conſilio nunquam credam animam meam, nec gloriam meam eorum cœtui*. Tantum mihi in eorum fide fiduciæ non eſt, ut animam, ſeu vitam meam, gloriam, ſeu nomen meum illis credam. Plerique putant in altera hujus verſiculi parte ea repeti, quæ in prima dicta ſunt, & verba illa *gloria mea*, idem denotare, ac illa, *anima mea*. Vide Pſal 49. 13. & 15. 9. & 7. 6. ubi Hebraicus textus habet *gloria mea* pro *anima mea*.

C QUIA IN FURORE SUO OCCIDERUNT VIRUM &c.] Loquitur ſemper de eorum in Sichimitas crudelitate. Targum Hieroſolymitanum, Kimchi, & alii hebraicum textum ita interpretantur: Occiderunt viros in furore ſuo, & dedita opera pecus abſtulerunt. Septuaginta Ἐνευροκόπησαν ταῦρον, *poplites tauri ſuccciderunt*. In in bello factum aliquando fuiſſe novimus. Vide Joſue 11. 9. Id etiam feciſſe Simeonem, & Levi haud eſt improbabile, ut Sichimitarum tauros ruſticis laboribus redderent inutiles. Prior hujus verſiculi pars explicari poteſt de crudelitate in Sichem adhibita; altera autem de Simeonis, & Levi ſævitie in Ioſeph fratrem ſuum, qui hic per taurum fortitudinis ſymbolum denotatur. Origenes hom. 17. in Geneſ. & Tertullianus contra Judæos cap. 10. ſub
D tauri nomine intelligunt Chriſtum Ieſum accuſatum, & in extraneorum manus traditum a Iudæis, quos Simeon, & Levi deſignant. Alii hebraicum textum ita reddunt: *in furore ſuo occiderunt virum, & in vindicta ſua ſuffoderunt murum*. Hebraica vox [11] *Schor* ſignificat *taurum*, & *ſchur* murum. Has duas voces eædem omnino textus litteræ conficere poſſunt.

℣. 7. MALEDICTUS FUROR EORUM &c.] Textus Samaritanus habet אדיר *adir* pro ארור *arur*; & חברת *chaberat* pro עברת *haberat*. Itaque verti poteſt: *Forſis indignatio eorum, quoniam potens, & conjunctio eorum, quoniam dura* (ſeu inexorabilis.)

DIVIDAM EOS IN JACOB &c.] Tam arctam eorum conjunctionem puniam, eorum habitationes dividam, eoque illos per fratrum ſuorum regiones diſpergam.

1 Ἐξύβρισας ὡς ὕδωρ μὴ ἐκζέσῃς.
2 Ἐθαμβώθης ὡς ὕδωρ μὴ περισσεύσῃς.
3 Ὑπερζέσας ὡς ὕδωρ, οὐκ ἔσῃ περισσότερος.
4 Hic loquendi Græcorum modus: *ebullire ut aqua*, in Ariſtophane, & Pauſania ſignificat *iraſci*; & vox ὑπερζέων a Symmacho uſurpata, liquorem ſignificat turgeſcentem, quique ex cacabi labro effunditur; quod Rubeni incontinentiæ optime poteſt convenire.
5 פחז כמים אל תותר.
6 אז חללת יצועי עלה.
7 Συμεὼν καὶ Λευὶ ἀδελφοὶ συνετέλεσαν ἀδικίαν ἐξαιρέσεως αὐτῶν.
8 כלי חמס מכרתיהם.
9 בסדם אל תבא נפשי בקהלם אל תחד כבדי.
10 70. Ἐπὶ τῇ συστάσει αὐτῶν μὴ ἐρείσαι τὰ ἥπατά μου.
11 עקרו שור. Aq. Sym. ἐξενεύρισαν ταῦρον.

pergam. Et ſane Tribus Levi diſperſa ſemper ſubſtitit in diverſis Urbibus, quæ a ſingulis Tribubus eidem conceſſæ fuerunt; Tribui vero Simeonis para quædam a Tribu Juda avulſa aſſignata fuit, Joſue XIX. 1. & ſeq., quam deinde illi ditionem montibus quibuſdam Schir, & regionibus nonnullis in deſerto Gader ſubactis, 1. Paral. IV. 27. 39. 42., nonnihil amplificarunt.

Judæi, & veteres quidam Patres exiſtimant a Levi quidem Sacerdotes, a Simeone autem Scribas, & in lege ſapientes Iſraeli toti fuiſſe progenitos. Tum hi, tum illi per univerſas Iſraelis regiones, diſperſi vivebant. Hæc tradunt cum Targum Hieroſolymitanum, tum Tertullianus contra Jud. c. 10. & contra Marcion. lib. 13. c. 18. tum D. Ambroſius de benedict. Patriarch. c. 3.

Credit Menochius Jacobum Simeoni, & Levi mala hæc omnia fuiſſe ſub conditione ominatum; potuiſſe proinde illos tot mala declinare, ſi agendi rationem a priſtina omnino diverſam inire voluiſſent. Et ſane, inquit ille, id aſſequutus eſt Levi in Sacerdotibus illis, qui ſuum pro lege divina zelum in deſerto oſtenderunt. Num. XXV. 11. 12. In Simeone vero remanſit hæc maledictio propter crimen a Zambri commiſſum. Num. XXV. 14. Unde Moyſes Deuteron. 23. morti jam proximus ceteris quidem omnibus Tribubus benedicit, Simeonis tamen Tribui nullam benedictionem impertitur.

℣. 8. IUDA, TE LAUDABUNT.] Cum Judas, ut docent quidam ex Rabbinis, Ruben, Simeonem, & Levi, qui fratres erant majores, tot probris a patre onerari audiviſſet, aufugere voluit, ne & ipſe his ſimilia referres convitia; ſed cum id cognoviſſet Jacob, ab hoc illum timore liberavit, dicens: & nomine, & re tu es *Juda*, te laudabunt fratres tui. Vox hebraica הודה *hoda*, unde ortur Juda, laudare, confiteri ſignificat. Targum Hieroſolymitanum: te laudabunt fratres tui, & Judæi omnes nomine tuo appellabuntur. Onkelos: Confeſſus es, & non es confuſus; te laudabunt fratres tui. Arbitrantur nonnulli hunc Paraphraſtem alludere ad confeſſionem, qua Iudas peccatum cum Thamar a ſe commiſſum ingenue faſſus eſt; contendunt alii eum alludere ad Judæ curam, ac ſollicitudinem, qua Ioſephum e patrum manibus eripere, & a morte liberare conatus eſt.

MANUS TUA IN CERVICIBUS INIMICORUM TUORUM.] Eos tu perſequeris, & conteres, capies, & proſternes.

ADORABUNT TE FILII PATRIS TUI.] Poſt Isboſeth Saulis filii cædem Tribus omnes David Regem ſalutarunt. Ex veteribus quidam id totum de Ieſu Chriſto interpretantur; plerique tamen primam vaticinii partem de Juda, cetera autem omnia de Chriſto exponunt. Peculiare de Tribu Juda Vaticinium, ejuſdemque Tribus potentia, ac regnum illa, quæ de Meſſiæ adventu, ac regno traduntur v. 10. mire comprobat.

℣. 9. CATULUS LEONIS.] Hujus Tribus martiales ſpiritus, bellicam virtutem, ac potentiam Jacob hiſce verbis commendat. Textus hebraicus ita poteſt explicari: *Catulus leonis tu, Juda, modo rediiſti a præda, fili mi; acquievit, & accubuit ut leo, & ut veluti leo: quis ſuſcitabit eum?* Vulgata nobis leonem exhibet, qui prædam quæris; hebræus autem habet מטרף עלית, quibus verbis nobis ante oculos ponit leonem, qui jam ſatur montes petit, A ut ibi acquieſcat. Id exponitur de Davide, & Salomone: David, qui armis diu uſus eſt, recte comparatur leoni qui prædæ inhiat: Salomon autem pacem coluit, viribus tamen plurimum polluit, ſuiſque hoſtibus fuit formidabilis, ſimilis proinde leoni, qui præda ſatur in antro ſuo acquieſcit. Septuaginta reddunt: ἐκ βλαστοῦ υἱέ μου: *Catulus leonis eſt Juda, ex virgultis e germinibus* (*ſeu e medio plantarum, vel herbarum, quæ germen emittere incipiunt.*) Aquila: ἀπὸ ἁλώσεως *a tuorum hoſtium ſpoliis referendis redis*. Symmacus, ἐκ θηριαλώσεως, *redis a venatione* &c.

℣. 10. NON AUFERETUR SCEPTRUM DE IUDA. [1]] Sceptro ſummum imperium denotatur. Septuaginta: [2] *non deficiet princeps Juda*. Aquila: [3] ſceptrum non auferetur; & Symmachus [4]: *non auferetur poteſtas, ſeu auctoritas de Juda*. B Quidam ex Recentioribus Rabbinis interpretantur: [4] *non auferetur virga a Juda*: quod ii explicant de calamitatibus, & ærumnis, quibus eorum natio & olim oppreſſa fuit, & hodie quoque opprimitur, ex quibus ſe olim a Meſſia liberatum iri ſperant.

ET DUX DE FEMORE EJUS.] Hebraica vox [5] *mechokek* Legiſlatorem, Doctorem, Scribam ſignificare poteſt; quæ omnia nomina Chriſto apprime conveniunt. Scribarum munus non reſpiciebat ſolum Scripturam, populi inſtitutionem, legis ſtudium, cæremoniarum ſcientiam, ſed aulæ etiam, & belli negotia complectebatur. Sub Regibus Juda maximo in honore ſcribæ habiti ſunt. Paraphraſtæ Chaldæi, & ex Judæis plerique locum hunc exponunt de Scribis, qui, C ut ipſi ajunt, ad pedes regis poſiti erant, cum ille in throno ſuo ſedebat: verbum tamen hebraicum, quod hic habetur, valde differt a voce, quam ſolet Scriptura uſurpare, cum vult Scribam denotare; neque nos dubitamus, quin verbum, quod hic explicamus, referatur ad *Sceptrum*, quod in prima hujus verſiculi parte legitur, ſignificetque tum primo in loco, tum in poſteriori ſummum imperium, legumque condendarum auctoritatem.

DONEC VENIAT QUI MITTENDUS EST.] Uſque ad Meſſiæ adventum, qui tam ſæpe in ſcriptura appellatur miſſus a Patre. Hebraicus textus [6] ad litteram: *uſque ad adventum Silo*. Hæc ultima vox perplexos, & dubios habet Interpretes. D. Hieronymus, ut videtur, legebat שלוח *Schiloach* cum D reddat, *qui mittendus eſt*. Verum Septuaginta in hebraico textu legiſſe videntur Siloh, ut nos quoque hodie legimus. Interpretantur [7]: *uſque ad adventum ejus, cui reſervatum eſt* (cui regnum reſervatum eſt;) vel juxta alia exemplaria: *donec veniat id, quod illi eſt reſervatum*. Utroque modo hic Septuaginta locus citatur ab Antiquis.

Hebraicus textus ad litteram ita poſſet explicari: *non tribit ſceptrum e Juda, donec veniat ille, ad quem illud pertinet*, donec veniat ille, qui legitimus Sceptri, & Regni poſſeſſor eſt, *donec veniat is, cujus eſt*. Nonnulli ita interpretantur: *donec veniat pacificus*, ſive *pacificator*, ſive *proſperitas*. Hebraca vox שלה ſchalah ſignificat felicem eſſe, ſecunda fortuna uti. Alii: Non auferetur ſceptrum de E Juda, donec naſcatur filius, qui orietur e muliere [8] nullum cum viro habente commercium; perinde ac ſi ſupernaturalis innueretur Meſſiæ nativitas, qui e Virgine ortus eſt. Aliter [9]: *non auferetur ſceptrum de Juda donec veniat finis ejus* (ſupple *regni*.) Nobis vero videtur שלה poſitum eſſe pro שלו; locum itaque hunc exponendum ita eſſe cenſe-

1 לא יסור שבט מיהודה
2 70. οὐκ ἐκλείψει ἄρχων ἐξ Ἰούδα. Alibi vertunt: [illegible]. Zach. 10. 11.
3 *Aquil.* οὐκ ἀποστήσεται σκῆπτρον ἀπὸ Ἰούδα.
4 *Sym.* οὐ περιαιρεθήσεται ἐξουσία ἀπὸ Ἰούδα.
5 מחקק 70. ἡγούμενος. *Aq.* ἀκριβαζόμενος.
6 עד כי יבא שילה
7 70. Ἕως ἂν ἔλθῃ τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ. ſeu ᾧ ἀπόκειται. S. Juſtinus Dialog. contra Typh. hanc poſtremam eſſe meliorem lectionem Septuaginta minime diffitetur.
8 שליא Secundina. שיל Arabice profluvium, fluxus, donec veniat ſemen ejus. Lud. de Dieu.
9 Clericus שלה ſeu שאל Arabice ſignificat, *deſtructus eſt*, *ceſſavit*.

cenſemus: *non auferetur ſceptrum de Juda, donec naſcatur filius, qui illi ſuccedet, quique erit expectatio gentium*.

Conveniunt Antiqui omnes, tum Judæi, tum Chriſtiani, Meſſiæ adventum hic aperte portendi. Ita ſentiunt Onkelos, Jonathan, & Targum Hieroſolymitanum. Si Interpretes iſti ante Chriſtum Jeſum, ut volunt Judæi, floruerunt, nullam patitur exceptionem eorum confeſſio, quippe ſuæ eccleſiæ ſenſa ignorare minime potuerunt. Sin vero poſt Chriſtum natum vixerunt, majus robur habet ab eorum auctoritate petitu ratio; cum argumentum ponderis tanti a Chriſtianis uſurpatum negare nunquam auſi fuerint. Poſt horum Interpretum ætatem ſolummodo Judæi ſuper hujus loci ſententiam litem nobis intentarunt; qui tamen adhuc hodie diſcrepant inter ſe. Chriſtiani quoque Auctores in horum verborum ſenſu exponendo haud omnino conveniunt.

Quidam apud Origenem homil. XVII. in Genes. Cyrill. VIII contra Julian. Hieron. in I. caput Sophon. volunt, vocem *Juda* in hoc vaticinio ſolam Judæ Tribum comprehendere, in qua contendunt poſt Jacobum, vel ſaltem poſt Davidem Principes floruiſſe, qui modo majori, modo minori auctoritate eandem gubernarunt. S. vero Iuſtinus Martyr in Dialogo cum Tryphone, Euſebius Cæſar. demonſtr. l. 8. c. 3. & lib. VIII. c. I. & lib. I. hiſtoriæ Eccleſ. c. 6. Ambroſius de benedict. Patriarch. c. 4. Auguſtinus l. XVIII. de civ. c. 45. Theodoretus quæſt. ultim. in Geneſ. & Rupertus lib. IX. in Geneſ. exiſtimant *Juda* hic accipi pro univerſa Judæorum Gente, omnibuſque Iacobi poſteris, ex quibus unus conſtituebatur populus ab aliis ſegregatus, cui ſemper principes ſive ſui, ſive externi imperarunt, uſque ad Chriſti adventum, poſt cujus eadem Iudæi peculiaris quidam populus eſſe deſierunt, nec habuerunt amplius capita, quæ univerſæ Iudæorum nationi jura dicerent. Potior antiquorum Patrum pars ſententiam hanc amplectitur, quæ ſane negotio facili defendi poteſt, cum apertiſſimum omnibus ſit, Iacobi vaticinium hoc in ſenſu ſumptum fuiſſe jam impletum. Prior tamen ſententia, ut nobis videtur, litteræ magis adhæret, atque Iudæos convincere facilius poteſt: quapropter eam hic conabimur pluribus confirmare.

Iacobum hic de ſolius tribus Iuda prærogativis loqui ut oſtendatur, illud magni ponderis eſt, quod Sacer Hiſtoricus v. 28. hujus cap. ait hunc Patriarcham ſingulis filiis ſuis peculiarem impertitum fuiſſe benedictionem: *Benedixit ſingulis, benedictionibus propriis*. Si igitur hoc in loco nomine Iudæ univerſam Iudæorum gentem, ſeu omnes Iſraelis poſteros intelligit, nullo pacto demonſtrari poteſt eum propriam Iudæ Tribui benedictionem fuiſſe elargitum, quod tamen primo ejus mentis conſilio adverſatur. Adde quod ſi vaticinium hoc non ſolam Tribum Iudæ, ſed univerſum Iſraelem reſpicit, ex eadem Tribu Meſſiam oriri neceſſe omnino non eſt; quod Iudæorum, & Chriſtianorum traditioni opponitur, qui ex ea Tribu naſciturum Meſſiam ex hoc loco ſemper collegerunt.

Primo; non eſt neceſſe Principes, & Reges ex Judæ ſtirpe ortos ſucceſſione nullis temporum intervallis interrupta ſceptrum tenuiſſe. Cum tamdiu Judæorum imperium perduraverit, nihil nos movere debet, ſi brevi identidem temporis ſpatio nullos e Tribu Juda Reges Judaicæ Genti imperaſſe legamus. Moraliter enim intelligenda ſunt verba illa: *non auferetur ſceptrum de Juda, donec veniat Meſſias*.

Secundo; dicere etiam poſſumus Iudam e genere ſuo Reges ſemper habuiſſe, ſive penes ipſum fuerit ſummum imperium, ſive alios in Reges ipſe elegerit, eiſque ultro ſeſe ſubdiderit; ea prorſus ratione qua Imperatores Romanorum ſemper ii vocati fuerunt, qui hujuſmodi imperio potiti ſunt, cujuſcumque tandem gentis illi fuerint, quocumque tandem modo ad Imperium pervenerint.

Tertio, licet Iudæi aliquo tempore Babyloniis, Regibus Syriæ, & Ægypti, Romanis, & Herodi

A obtemperarint, id tamen impedimento non erat, quin adhuc penes Tribum Iudæ aliquo modo ſumma eſſet poteſtas. Ad ipſam enim ſemper ſpectabat de iis ſaltem rebus jus dicere, quæ tum ad Religionem, tum ad Legem pertinebant. Hujus quidem generis poteſtas aliunde mutuata erat, anguſtiſque terminis circumſcribebatur; verum ſatis nobis eſt, ſi oſtendamus ſceptrum permanſiſſe in Iuda, ejuſdemque Tribus Principibus, qui juxta diverſa, quibus obnoxia fuit, viciſſitudinum genera diverſimode eandem gubernatunt; neque quidquam refert abſolutumne Principes illi imperium in eandem exercuerint, an vero alterius Principis voluntati & ipſi obtemperatint. Et ſane ſi quis a nobis peteret, ut eos referremus Principes, qui nullius regis poteſtati fuerint obnoxii, ne-B ceſſe eſſet eos tantum recenſere, qui ſceptrum Iuda primis temporibus tenuerunt. Etenim ubi hæc monarchia laborare cœpit, & antequam Iudæi captivi in Babyloniam ducerentur, ultimi Reges ſuberant Babyloniorum, & Syrorum Regibus, eiſdemque tributa ſolvebant.

Quarto; vaticinia non ſemper eodem tempore omnino implentur. Nullus populus, nullaque monarchia exiguo tempore aut ad ſummam potentiam pervenit; aut omnino corruit. Difficile nimium erit oſtendere vaticinia omnia certo, determinatoque tempore fuiſſe impleta. Aliqua ex iis legimus, quæ definita ſunt, atque annos, & dies notant, quibus compleri debent, aliqua vero generice, & indefinite a Scriptura exprimuntur. Vaticinatur Jacob fore, ut C de Juda ſceptrum non auferatur, donec veniat *Siloh*. Vaticinio hoc non id portendit Jacob futurum, ut eo momento, quo naſcetur Meſſias, de Juda ſceptrum auferri debeat, ſed tantummodo affirmat Judam non prius ſceptrum amiſſurum, quam advenerit Meſſias; cumque ſceptrum in perpetuum ablatum de Iuda fuerit, tum vero Meſſiam adveniſſe certiſſimum erit. Licet Iudæorum Natio ſervitute identidem oppreſſa fuerit, plures tamen ſemper aderant divini vates, qui amiſſum eos iterum adepturos imperium portendebant. Verum vaticinia omnia poſt Ieſum Chriſtum natum, & poſt urbis Hieruſalem excidium finem habuere.

Quinto, Tribus Iuda primum inter omnes Tribus ſemper locum obtinuit. In tentoriis in deſerto poſitis D Num. X. 14. & 2. 3. peculiari quodam modo diſtinguitur. Prima munera ſua oblatura ad tabernaculum pergit Num. VII. 12. Sub Ioſue eadem Tribus primam ſortem obtinet Ioſ. 16. 1. Sub Iudicum imperio Deus Iudam conſtituit ſupremum populi ſui in Chananæos arma moventis Ducem Iud. 1. 2. Id nimirum debebatur hujus Tribus virtuti, & potentiæ, ac innumeræ propemodum hominum multitudini, qui eandem Tribum conſtituebant.

David a Samuele in Regem electus, & unctus fuit vivente Saule. Poſt Davidem uſque ad Sedeciam, & captivitatem Babylonicam Scriptura refert ſeriem nunquam interruptam Principum e familia Iuda prodeuntium. Quoad captivitas perduravit, quoſdam e Gente ſua Iudices habuerunt, ut ex hiſtoria Suſan-E næ aperte colligitur Dan. XIII. 41. Poſt reditum e captivitate, Tribus Iuda adeo ceteris antecelluit, ut populus a captivitate in patriam reſtitutus notus tantum eſſet nomine Iudæorum. Si ſummi Sacerdotes verum moderamen ſumpſerunt, ſceptrum Iudæ tractaſſe dicendi ſunt, cum ab hac tribu illud acceperint. Hic autem non quæ Scriptura narrat de Jechonia, cui Evilmerodach principem inter ceteros aulæ ſuæ proceres locum conceſſit; nec quæ narrat de Salathiel, qui in captivi populi gubernatione eidem dicitur ſucceſſiſſe. Zorobabel præterea, qui erat ex genere David, & ex Tribu Iuda. Nehemias etiam, ut plures affirmant Auctores, ex eadem Tribu natus erat. Non me latet nonnullis id laborare difficultatibus; autem nobis claras tantummodo, & inconcuſſas rationes hic afferre in animo eſt.

Neque magis Principum Iudæ ſeriem quærimus in Synedrio. Hujus cœtus capita ſemper e Tribu Iuda

fuiſſe non aſſerimus, neque negamus ſummos Sacerdotes poſt captivitatem uſque ad Macchabæorum ævum imperium tenuiſſe, atque ipſos Macchabæos ex Tribu Levi ortos rerum potitos fuiſſe uſque ad Herodis ætatem minime inficiamur. Id totum nobis, qui vaticinii Iacobæi veritatem oſtendere volumus, minimum faceſſit negotii; nec idcirco aſſerere neceſſe habemus, ut nonnulli faciunt, Aſmonæos ex Tribu Iuda, ſaltem materno genere, fuiſſe progenitos. Satis nobis eſt, ſi oſtendamus in Iuda regnaſſe Principes, quos conſtituerit, exceperit, probarit hæc Tribus; Principes nomine Principum Iudæorum notos; eam profitentes religionem, quam Iudæi colebant; promiſſa a Iacobo Iudæ facta præſtolantes, ſeſeque veros hujus Patriarchæ ſucceſſores, ac hæredes exiſtimantes. Quæ ſane omnia in iis Principibus obſervare licet, qui Iudæorum imperium poſt reditum a captivitate ad Ieſu Chriſti adventum obtinuerunt.

Poſt Chriſti mortem, qui divinus hic *Siloh* erat, corruit omnino Reſpublica Iudæorum, eique ſceptrum ademptum fuit, Iuda deſiit populus eſſe, nec quidquam amplius retinuit, quod ipſum eorum, quæ Iudæ fuerant promiſſa, hæredem oſtenderent. Novum in Ieſu Chriſti Eccleſia regnum emanavit ex fidelibus Iudæis, ac Gentibus converſis conſtitutum, Meſſiam excipientibus, qui juxta Iacobi vaticinium erat exſpectatio Gentium, ſeu juxta hebræum, ad quem Gentium obedientia ſpectabat.

Veteres Rabbini, & ex recentioribus Kimchi, Abenezra, Iarchi, Ioſeph, aliique, tam aperto vaticinio convicti concedunt eo portendi Meſſiæ adventum; ſed ut ſe a Chriſtianorum rationibus expediant, quibus volunt oſtendere vaticinium hoc fuiſſe in Ieſu Chriſto impletum, Principes Iuda, & hujus Tribus ſceptrum quærunt, alii quidem in remotiſſimis, & minime notis regionibus, alii autem Bagdad ultra Euphratem. Quam antiqua ſit vana hæc Iudæorum aſſertio, colligere licet tum ex Origene l. IV. de Princip. c. I. tum ex Fulberto Carnot. ſer. I. & 3. in Iudæos, qui in ea confutanda laborarunt. Verum extincta an. 1309. poteſtate Principibus Iudaicæ captivitatis a Caliſis tributa, hujus captivitatis Principe amplius uti ad prolatandum Meſſiæ adventum haudquaquam poſſunt.

Ex Iudæis quidam alii, hæc Iacobi verba, *non auferetur ſceptrum de Juda* &c. Meſſiæ adventum non reſpicere affirmarunt. Sunt autem, qui ea ita vertant: Non auferetur ſceptrum de Iuda, poſt everſionem urbis Silo; ideſt, poſt remiſſam a Philiſthæis Arcam, poſt deſertum tabernaculum Silo, ſummum ſemper imperium Tribus Iuda obtinuit. At hæc interpretatio multiplicis falſitatis redarguitur. I. Nulla ratione probari poteſt everſio urbis Silo. Verum quidem eſt Deum, ut aſſerit ſacer vates Pſal. LXXVII. 60. deſeruiſſe tabernaculum Silo, ac non Tribum Ephraim, ſed Tribum Iuda elegiſſe; hoc eſt, noluit Deus diutius Arcam ſuam in Silo in Tribu Ephraim permanere, ſed illam in Cariat-iarim in Tribu Iuda collocari juſſit. II. Non ſtatim poſt reſtitutam Arcam rerum potita eſt Tribus Iuda. Diu enim Iſraelitico populo imperavit Samuel, & poſt illum Saul, quo regnante David in Regem electus fuit. III. Tandem hujuſmodi explicationi nullo modo favet textus, qui ſenſum omnino diverſum nobis offert. Adventum enim Silo, ut finem, non ut initium potentiæ Tribus Iuda exhibet.

Aliqui ex Rabbinis Silo, cujus adventum Iacob vaticinatur, Moyſem eſſe contendunt; alii id intelligunt de Davide, alii de Saule, ſeu de Ieroboamo, ſeu de Nabuchodonoſor, ſeu etiam de Herode. Sed a Davide cœpit, non autem deſiit Iuda poteſtas; Saul, & Moyſes nullam peculiarem habent relationem ad

A hanc Tribum, ex qua nati non erant; quod idem dicendum de Ieroboamo, qui imminuit quidem regnum Iuda, non tamen evertit. A Nabuchodonoſor everſum fuit hoc Regnum, non tamen periit omnino Tribus Iuda, quæ longo poſt tempore adhuc perduravit; Herodes tandem ſceptrum de Iuda non abſtulit. Quod ſi hoc vaticinium ejus ætate fuiſſe velint impletum, id erit non propter Herodem, ſed propter Ieſum Chriſtum, qui ſub illius regni finem in lucem prodiit.

Cajetanus, & alii quidam verba hæc, *non auferetur ſceptrum de Juda, donec veniat Siloh*, ita exponunt: In certiſſima ſemper ſpe erit Tribus Iuda, futurum, ut aliquando ex ipſa Meſſias oriatur, ejuſque ſceptrum, ac Regnum ſtabiliatur; & quantumlibet B vexata, atque afflicta Tribus Iuda aliquando videatur, non tamen ſpem hanc ſuam deponet; videbit illa Meſſiam, tumque ſummum gloriæ, & felicitatis culmen pertinget. Verum I. Tribus Iuda nunc cum ceteris Tribubus permixta jacet, nec peculiarem populum conſtituit. II. Inauditum eſt, ſceptrum poni pro ſceptri ſpe; atque ex hac hypotheſi illud neceſſario conſequeretur, ſceptrum exiturum de Iuda, cum eadem Tribus ſceptro potietur. Sperare enim quiſque deſinit, cum bonum illud conſequitur, quod ſperabat.

Et ipse erit expectatio Gentium.] Aggæus Propheta 2. 8. Meſſiam deſignat his verbis: *veniet deſideratus cunctis Gentibus*. Dicere jure poſſumus orbem univerſum ſervatorem hunc exſpectaſſe, licet C perpaucis tantum hominibus innotuerit. Iudæi illum ardenter expetebant, ipſumque Gentes ſollicito ſtudio receperunt ſimul, ac eum adveniſſe cognoverunt. Univerſus orbis divino hoc liberatore maxime indigebat, eaque neceſſitas præpotens quædam vox fuit, quæ Meſſiam expoſcebat. Hebraicus textus [1] ita reddi poteſt: *ipſi erit cœtus populorum*: convenient ſimul populi, ut illum agnoſcant, ſeſeque illi ſubiiciant. Vel: *ipſi erit populorum obedientia* [2]; Illi obtemperabunt omnes populi. Alii; erit præſidium Gentium.

Id totum in Tribu Juda, & in Chriſto Ieſu comprobatur. Iſraelitæ, ac etiam extranei populi Davidi, Salomoni, ceteriſque Regibus Iuda honorem detulerunt. Poſt reditum a captivitate, exiguæ Iſraelitarum reliquiæ Judæ adhæſerunt, qui eorum de- D fenſio, & præſidium fuit. Tandem Nationes omnes Ieſum Chriſtum adorarunt, atque in ejus miſericordia ſalutem ſuam invenerunt. Una ex ejus notis eſt paupertas, [3] ac ex illius adventus ſignis unum eſt pauperibus divinæ legis explicare myſteria: ipſe eſt infirmorum, & miſerorum auxilium, tutamen ac defenſio.

℣. 11. Ligans ad vineam pullum suum &c.] Id vinearum copiam in ſorte Tribus Iuda ſignificat. Celebrantur in Scriptura Engaddi vineæ, Cant. I. 13. Samaritanus pro עירה legit ארתנות reddi itaque poteſt: *Ejus Urbes vineis conjunctæ ſunt, ejuſque potentiæ filii adhærent vineæ ſepi*. Chriſtus ſeſe comparat viti, diſcipulos ſuos palmitibus, & agricolæ patrem ſuum Ioan. XV. I. 2. Cruci ſe affigi paſſus eſt, tamquam E vitis arbori ſuæ, & ſanguinem ſuum fudit, ceu uva Prælo preſſa. Ita locum hunc Patres explicare conſueverunt.

Lavabit in vino stolam suam.] Tanta erit vini copia in regione Iuda, ut veſtes, quæ alibi aqua detergi ſolent, ibi vino detergantur. Apoc. VII. 14. Martyres ſtolis ornati conſpiciuntur quas, laverant in ſanguine agni. Phœnices vinum vocabant, ſanguinem uvæ; quo etiam nomine appellatur hoc in loco a Scriptura, *& in ſanguine uvæ pallium ſuum*. D. Iuſtinus in Dialog. cum Tryphon. hoc eodem loco utitur ad oſtendendum Chriſtum Ieſum ſanguinem e Virgi-

1 ולו יקהת עמים
2 Arab. *Obedientia* קיה
3 Matth. 11. 5. Luc. 4. 8.

e Virgine traxiſſe. Vino ſanguis hic comparatur, ut ſcilicet denotetur illum juxta conſuetas naturæ leges non fuiſſe productum. Onkelos verſiculum hunc exponit de purpureis, & carmeſinis veſtibus, quibus populi Iuda uti conſueverunt. D. Ambroſius de benedict. Patriarch., & D. Auguſtinus lib. 12. contra Fauſtum c. 42. alias legebant in ſuis exemplaribus: *Ligans ad vitem aſinam ſuam, & cilicio pullum aſinæ*. D. Cyprianus Teſtimon. l. 1. c. 21. legebat: *Deligans ad vitem pullum ſuum, & ad helicem pullum aſinæ ſuæ*.

℣. 12. PULCHRIORES SUNT OCULI EJUS VINO.] Nigri, & ardentes oculi pulcherrimi omnium cenſebantur 1. Cant. V. 12. ſponſa oculos ſponſi ſui ardentibus, & rubicundis comparat columbarum oculis, & ſponſus Cant. IV. 2. candidos ſponſæ ſuæ dentes ovium recenter tonſarum ac ablutarum gregi æquiparat. Hebraicus textus verti poteſt: *Ejus oculi ſunt rubicundi propter vinum, ejuſque dentes albi ſunt propter lac*.

Operæ autem pretium eſt novam hic afferre hujus loci expoſitionem, quæ litteralis eſt, quæque eas non patitur difficultates, quibus ceteræ Interpretationes obnoxiæ ſunt [2]. Textus hebræus ita ad litteram reddi poteſt: *Non auferetur ſceptrum de Juda, nec legiſlator, donec ex ejus ſtirpe oriatur Silo, qui eſt expectatio Gentium. Ligabit ad vineam aſinum ſuum, & ad ſepem aſinam ſuam; lavabit veſtem ſuam in vino, & in ſanguine uvæ pallium ſuum; pulchriores vino oculi ejus ſunt, & dentes ejus lacte candidiores*.

In hoc ita accepto vaticinio quatuor adnotare licet Dei promiſſa, quæ Judæ poſteros reſpiciunt. I. Quod Deus illos nunquam deſeret; quod eorum Rex, Legiſlator, & Paſtor, donec veniat Meſſias, erit. *Sceptrum*, ſeu virga, *non auferetur de Juda; nec legiſlator* (eum unquam deſeret.) II. Quod hic Meſſias ex Judæ ſtirpe orietur; *donec ex ejus ſtirpe* (ad litteram, inter pedes ejus) *veniat Silo*. III. Quod ex Juda natus Meſſias erit expectatio Gentium, eaſque ad unam, eandemque eccleſiam adducet: *ipſe erit expectatio Gentium*; vel juxta aliam verſionem; *ipſe erit aggregatio Gentium*; congregationis Gentium, & Eccleſiæ Chriſtianæ caput erit. IV. Quod Iudas regionem poſſidebit adeo fertilem, ut non magis vino parcendum ſit, quam aquæ parcatur: *ligabit aſinum ſuum ad vineam, & lavabit veſtes ſuas in vino*; eamque regionem obtinebit, donec veniat Silo.

In hac Interpretatione dividitur verbum *Dux*, a vocibus illis, *de femore ejus*, ut ultima hæc verba illis, *donec veniat Silo*, jungantur. Id unum eſt, quod expoſitioni huic opponi poteſt, quæ alioquin facillima eſt, & apertiſſima. Hujuſmodi enim conſtructio, *de femoribus ejus donec veniat Silo*, linguæ hebraicæ genio omnino convenire non videtur. Admodum rarum id eſt; fortaſſe tamen exemplis non caret, præſertim ubi ſtilus poeticus adhibetur, quo dicendi genere hic utitur Jacob. His ferme ſimilia habentur Num. XXIV. 19. *De Jacob erit qui dominetur, & perdat reliquias civitatis*. Verum ita poteſt vaticinium explicari, quin diviſio, quæ ſane duriuſcula videtur, fiat: *Non auferetur ſceptrum de Juda*; Deus Tribum hanc non deſeret, *& hæc habebit ſemper Capita de medio filiorum ejus*, vel de medio ſui ipſius deſumpta, *& Dux*, ſeu *Legiſlator de medio femorum*, ſeu *vexillorum ejus*, donec veniat Silo.

Ut hujus vaticinii hoc in ſenſu accepti veritas eluceſcat, neceſſe non eſt habeamus nunquam interruptam Regum, ſeu Principum ex Tribu Iuda prodeuntium ſeriem, qui ſummo cum imperio eandem Tribum gubernarint ad Meſſiæ uſque adventum: ſatis nobis eſt, ſi oſtendamus Tribum Iuda ante Chriſti adventum nunquam fuiſſe e Terra Sancta omnino expulſam, nec prorſus diſſipatam, & cum ceteris Tribubus confuſe permixtam; nunquam fuiſſe omnino a A Deo repulſam, ſed præſens ſemper divini Numinis auxilium perſenſiſſe, aliquos ſemper e gente ſua Doctores, ac magiſtratus habuiſſe, qui ipſam inſtituerent, ac regerent. Quamdiu captivitas Babylonica, & miſerrima Reipublicæ Judaicæ tempora perdurarunt, ea Deus illis addidit argumenta, quibus ſe ab eo haud prorſus rejectos eſſe facile intelligerent: futura ſiquidem eorum infortunia, pœnitentiam, ac reditum illis prænuncianda curavit; per prophetas ſolatus eſt, quique eos a calamitatibus expedirent, excitavit: ſed poſt Ieſu Chriſti mortem, Tribus Iuda non amplius a ceteris Tribubus diſtinguitur, omnino diſperſa, atque prorſus a Deo rejecta, qui ea una de cauſa miſeri hujus populi reliquias ſervare videtur, ut nobis tot calamitates intuentibus maximæ iræ ſuæ cer- B tiſſima exhibeat argumenta.

Duo ſunt in Evangelio loca, ubi Chriſtus alludere videtur ad hoc vaticinium eo in ſenſu acceptum, quem modo retolimus. 1. Matth. XXI. 43. ubi Chriſtus ait: *Regnum Dei auferetur a vobis, & dabitur genti facienti fructus ejus*: ſcilicet, Deus non amplius veſter legiſlator erit, veſtrumque Caput, & vos non amplius eritis ejus populus. 2. Ioan. X. 16. ubi Chriſtus dicit: *Alias oves habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile, & unus paſtor*. Quod tunc eveniet, cum virga vere auferetur de Iuda.

℣. 13. ZABULON IN LITTORE MARIS HABITABIT.] Accuratam vatum diligentiam quis non admiretur? Iacob ducentis ante annis, quam Iſraelitæ terræ Cha- C naan potirentur, ſitum ipſum regionum deſignat, quas poſteri ſui inter ſe ſorte dividere debebant. Moyſes id ſcribit in deſerto, antequam populus ne unam quidem terræ glebam poſſideret in ea regione, quæ tot ante annis fuerat ipſi promiſſa. Zabulon eam regionem obtinuit, cujus extrema pars occidentalis mare mediterraneum, ejus autem extrema pars orientalis, mare Tiberiadis attingebat. Cur Zabulon benedictionem accipiat ante Iſſachar, cum tamen Iſſachar ſenior eſſet haud eſt exploratum.

PERTINGENS USQUE AD SIDONEM.] Sors Zabulon non uſque ad Urbem Sidonem, ſed uſque ad Phœniciæ fines porrigebatur. Provincia hæc Iſai. 23. D a. deſignatur nomine Sidonis, quæ caput ejus provinciæ eſt; & Phœnices Deuteronom. 3. 9. Sidonii nominantur. Antequam fundaretur, vel amplificaretur Tyrus, univerſæ Phœniciæ Sidon dominabatur. In Scriptura urbs provinciæ princeps pro provincia ipſa ſæpe ponitur; ut Babylon pro Chaldæa regione, Ninive pro Aſſyria, Samaria pro Regno decem Tribuum, Sidon pro regione Sidonia, ſeu pro Phœnicia. Hebræus habet: ירכתו עד צי דון *ejus latus vergit Sidonem verſus*; ſeu juxta alios: *ejus mali porrigentur Sidonem verſus*; cum hujus Urbis populis negotiabitur, eoque naves ſuas appellet. Utrum malis, & velis tunc agerentur naves, plane ignoro: dicere mallem: ejus remi ad Sidonem uſque porrigentur.

℣. 14. ISSACHAR ASINUS FORTIS &c.] Iacob om- E nes ferme filios ſuos cum animalibus comparat, & ab eorum natura vaticinii materiam ſumit. Mos hic viguit plurimum apud Veteres, ut ex fabulis, & apologis colligere licet. Allata Iſſachar cum aſino comparatio, vilis, & abjecta non eſt. Homerus Heroas, & principes ſuos hiſce animalibus identidem comparat, ex. g. Iliad. 11. Ajax propter vires ſuas, ſuamque patientiam aſino comparatur. In hebræo habetur: *aſinus oſſeus*, ideſt, robuſtus, & fortis. Laborioſum, & durum Tribus Iſſachar ingenium hic notat Iacob, quæ ſoli ſui fertilitate contenta, terram colere, laboribus minime parcere, tributa ſolvere maluit, quam aut bella ſuſcipere hoſtes aggreſſura, vel propulſatura ſuſtinere. Indolem hanc exacte exprimit aſini nomen Iſſachar tributum. Alii per *aſinum oſſeum* intelligunt aſinum macie tenuatum, cu-

1 חכלילי 70. χαροποὶ, gratioſi. Alius, καθαροὶ, θερμοὶ, ἔμπυροι, φοβεροὶ. Puri, calidi, ardentes, terribiles.
2 Vide P. Tournemine animadverſiones in Jacobi Prophetiam in diariis Trevoltianis.

hus oſſibus pellis tantum adhæret. Samaritanus ita explicatur: *Iſſachar aſinus ſarcinarius onere duplici onuſtus*. Syrus: *Iſſachar gigas in medio itinerum, qui viatores preſſime excipit*. Septuaginta: *Καλὸν ἐπεθύμησε*: *Iſſachar bonum concupivit in medio partium*. Volunt fortaſſe Iſſachar prudentiam commendare, qui inter vicinos ſuos medius optimam partem elegit, 1. Par. 12. 32. Viri e Tribu Iſſachar propter politicam ſcientiam laudantur. Septuaginta in textu hebraico legerunt חמר, concupivit, pro חמר aſinus. Nonnulli reddunt: *Iſſachar aſinus fortis in medio pecudum, ſeu in medio caſularum paſtorum*.

℣. 15. VIDIT REQUIEM, QUOD ESSET BONA.] Iacob videtur hic vaticinari hujus Tribus inertiam, & timiditatem, quæ in fertili regione quiete vivere, hoſtibus ſuis ſubjici, eiſque tributa ſolvere maluit, quam ſumptis armis, ſtrenueque pugnando libertatem aut incolumen ſervare, aut amiſſam recuperare. Chaldaicus textus ab hebræo omnino differt, atque Iudæi hoc in loco Chaldaico adhærent: *Iſſachar vidit partem ſuam bonam eſſe, terramque ſuam eſſe fertilem; ſibi provincias ſubjiciet, occidet populos, qui illas habitant; ſibique ſervos, ac vectigales faciet illos, qui reliqui erunt in regionibus, quas ſibi ſubjecerit*. Septuaginta [1]: *Iſſachar videns requiem, quod eſſet dulcis, & regionem ſuam, quod eſſet fertilis, humeros ad labores paravit, & factus eſt agricola*.

Chaldæorum, & Iudæorum ſententia modo a nobis allata valde Grotio probatur; hebræum textum ita exponi poſſe exiſtimat: *Humeros ſuos paravit ad ferendum* (arma), *&* (Chananæi) *ipſi tributa ſolverunt*. Bellica Tribus Iſſachar virtus commendatur a Scriptura Iudic. 5. 15. & 1. Paralipom. 7. 2. Davidis ætate ex eadem Tribu viros fortiſſimos viginti duo millia ſexcentos fuiſſe numeratos legimus. Quod ad regionis ab Iſſachar poſſeſſæ fertilitatem attinet, nulla in univerſa Galilæa fuit illa uberior, nulla fecundior.

℣. 16. DAN JUDICABIT POPULUM SUUM.] Alludit Iacob ad nomen Dan, quod ſignificat *judicare*. Licet Tribus hæc non admodum potentia valuerit, licet Dan ab una ex ancillis Iacob originem traxerit, quidam tamen etiam ex ipſa Iudices, qui Iſraelem regerent, creati ſunt. Id explicari ſolet de Samſone, qui ex hac Tribu ortus eſt; atque unus ex Iudicibus fuit, qui Iſraelitico populo imperarunt.

℣. 17. FIAT DAN COLUBER IN VIA, CERASTES IN SEMITA.] Vox hebræa שפיפן *Schephiphon*, quæ a Vulgata redditur *Ceraſtes*, juxta aliquos ſignificat *aſpidem*, juxta alios *baſiliſcum*. Bochartus Vulgatæ lectionem tuetur. Septuaginta aliter explicant [2]: *Dan eſt ut coluber in via, ſubſiſtens in ſemita*. Onkelos id explicat de Samſone, qui bellum cum Philiſthæis geſſit ſerpentis potius calliditate, quam vi aperta; quæ ſententia pleriſque tam Veteribus, quam recentioribus Interpretibus probatur. Nonnulli (vide Cornelium a Lapide) per ſerpentem Dalilam intelligunt, & per equitem, qui a ſerpente proſternitur, Samſonem. Plures ex antiquis Patribus hanc prophetiam exponunt de Antichriſto, qui venturus eſt ante mundi excidium, & ex Tribu Dan, ut ferunt, naſciturus. Hujus ſententiæ auctores referuntur Divus Irenæus lib. 5. cap. 30. Divus Hippolytus, Sanctus Ambroſius de benedict. Patriarch. c. 7. Sanctus Auguſtinus quæſt. 22. In Ioſue, Theodoretus quæſt. ultima in Geneſ. Sanctus Gregorius Magnus lib. 31. Moral. cap. 24. Proſper, Haymo, Rupertus, aliique plures. Vide & Ierem. 8. 16. Hanc ſententiam in noſtra diſſertatione de Antichriſto expendimus. Notat Theodoretus credidiſſe nonnullos, Iacobum hoc in loco indicare voluiſſe, qua ratione viri ex Tribu Dan urbem Lais occuparint.

Quod attinet ad Ceraſtem, genus eſt ſerpentis, qui arena ſe obtegit, cujus etiam colorem refert, repit oblique, & rependo ſibilum edere videtur. Solinus ſcribit quatuor cornua in fronte eum gerere, unde & Ceraſtes dictus eſt, quod nomen græce ſignificat *cornutus*; toto corpore arena obtecto ſola cornua exhibere nuda creditur; quorum aſpectu aves deceptæ, quia carni ſimillima ſunt, eo advolant, tamquam ad prædam, ipſæ tamen ceraſtis præda fiunt, eoque paſtu vivit.

℣. 18. SALUTARE TUUM EXPECTABO DOMINE.] Ad Deum adſpiratio Iacobi hæc eſt, qui inſtitutum ſermonem abrumpit, ut ſe populi ſui ſalutem, & redemptionem non a Gedeone, non a Samſone expectare teſtetur, ſed tantummodo a Meſſia. Ita locum hunc explicant Onkelos, Targum Hieroſolymitanum, & alii plures Interpretes. Nonnulli tamen id intelligunt de Samſone agnoſcente ſe non aliunde, quam a Deo ſalutem ſuam expectare debere. Aliqui Iacobum cum Tribus Dan inſomnia, & calamitates prævideret, fateri ſe a Deo ſolo ſalutem ſuam expectare credunt.

℣. 19. GAD ACCINCTUS PRÆLIABITUR.] Auctor Vulgatæ innuere voluiſſe videtur id, quod Numer. 32. 17. legitur; nimirum Tribus Gad, Ruben, & dimidiam Manaſſe, cum partem ſuam recepiſſent trans Iordanem, eo fluvio trajecto fratribus ſuis duces ſe præbuiſſe, iiſque ſuppetias tuliſſe ad occupandam terram Chanaan; Iacob addit eos ſpoliis onuſtos reverſuros. In hunc ſenſum interpretatus eſt hunc locum Chaldæus Onkelos; ſed Hebræus textus aliter etiam poteſt explicari: *Quod attinet ad Gad, turma accingetur contra ipſum; ipſe autem accinget ſe ad eam perſequendam*. Hæc perpetua eſt ad nomen Gad alluſio, quod manum militum, ſeu agmen ſignificat: גד גדוד יגודנו והוא יגד עקב, *Gad gedud jegudenu, vehu jagud acbar*.

Hanc prophetiam Iudicum tempore fuiſſe impletam ſunt, qui credant. Regio Galaad, quæ ad Gad pertinebat, cum in Ammonitarum poteſtatem veniſſet, per decem & octo annos ab his oppreſſa, liberata tandem fuit a Iephte Iud. 10. 11. Divus Hieronymus in ſuis quæſtionibus Hebraicis ita vertit hebræum: *Gad expoſitus erit prædatoribus, ſed ipſe quoque eos prædabitur viciſſim*. Septuaginta [3]: *Gad tentabitur, ſeu laceſſetur, ſed is viciſſim invadet hoſtem ſuum in pedes*, ideſt, a tergo veluti ex inſidiis. Gad fortitudo 1. Paralipomenon 5. 18. celebratur. Expoſita hæc Tribus erat latronibus Syris, Moabitis, & Ammonitis, quorum frequens mentio in Scriptura. Ipſa quoque latrociniis, & rapinis dedita erat. Oſeas 6. 8. 9. ubi adeo vehementer in illorum cædes, & latrocinia invehitur, reſpicere videtur, quod hoc in loco dicitur.

℣. 20. ASER PINGUIS PANIS EIUS.] Regio Aſer uberrima erat, & opima inter omnes Palæſtinæ regiones. Iacob hoc in loco ejus frugum præſtantiæ tantum meminit; ſed Moyſes olei quoque copiam indicat Deuteronom. 33. 24. ubi inquit: *Tinget in oleo pedem ſuum*. Optimo etiam vino eam regionem abundaſſe liquet. Vide Brochardi deſcriptionem Terræ Sanctæ. Ait hic Patriarcha Terræ Aſer panem pinguem eſſe, eamque delicatos cibos Regibus præbituram, fortaſſe ob olei præſtantiſſimi copiam, quod in ea Tribu colligebatur. Placentas oleo ſubactas conficiebant, eodemque frixas comedebant, id quod *panis pinguis* vocari poteſt. Nullus delicatior cibus eo habebatur, qui & Regibus tamquam optimus apponebatur. Moyſes Numer. 11. 8. dum deſcribit manna, narrat ex eo tortulas fieri conſueviſſe ſaporis quaſi panis oleati. Chaldæus hunc locum ita vertit. *Regio Aſer præſtans eſt, & ipſa veſcetur cibis* deli-

1 ויהי למס עבד. Aq. Sym. Καὶ ἔσται γεωργὸς ὑποτελεῖς. Ρο. κ ἐγενήθη ἀνὴρ γεωργός. Allus. ἐπιθέντων εἰς φόρον δουλείας.

2 Ἐγκαθήμενος ἐπὶ τρίβου.

3 Γὰδ πειρατήριον πειρατεύσει αὐτόν, αὐτὸς δὲ πειρατεύσει αὐτὸν κατὰ πόδας. Aq. Γὰδ εὔζωνος. Accinctus. Sym. λόχος Gad

delicatis Regum. Conſtructio hebraica nonnihil negotii faceſſit Interpretibus. *Ex Aſer oleum panis ejus, & dabit delicias Regi* [1]. Quod plures interpretationes pati poteſt: Aſer e terra ſua colliget oleum, quo nutrietur, fructuſque ſuaves Regibus dabit; vel, Aſer inveniet in optima regione ſua, (in regione ſua opima, & fertili) alimenta ſua, & præbebit Regi electiſſima unguenta, ſeu cibos delicatos. Poſſet etiam, ut opinor, ſenſus hic illi accommodari: *Ex Aſer oleum (ſeu pinguedo) panis ejus (Regis) & ipſi præbebit delicias Regi*. Confer 2. Paralipomenon 4. 16. Alia plura extant exempla, in quibus relativum antecedenti præponitur.

ỳ. 21. NEPHTALI CERVUS EMISSUS.] Maxima Rabbinorum pars, & nonnulli Interpretes, inter quos Cajetanus, & Lippomanus locum hunc exponunt de Barach, qui erat ex Tribu Nephtali, quique cervi timiditatem expreſſit, cum adverſus Chananæos exercitum ducere recuſavit, niſi cum ipſo Propheteſſa Debora ad bellum pergeret, Jud. 4. 5. idem tamen rebus præclare geſtis nomen deinde ſuum illuſtre reddidit, cum hoſtem celeriter perſequens cervi velocitatem imitatus eſt. Quod autem Jacob addit: *dans eloquia pulchritudinis*, id egregium illud canticum reſpicit, quo Debora, & Barach pro relata de Iabin victoria Deo gratias reddiderunt.

Alii credunt hanc phraſim *cervus emiſſus*, ſeu *libertate donatus*, denotare quantopere retinendæ libertatis cupidi futuri eſſent hujus Tribus viri. Vatablus exiſtimat indigitari potius eorum propenſionem ad pacem, humanitatem, & quietem; nam cervus animal eſt minime bellicoſum. Divus Hieronymus in ſuis quæſtionibus hebraicis ita vertit hebræum: *Nephtalim ager irriguus, dans eloquia pulchritudinis*. Ac primam hujus loci partem refert ad aquas calidas, quæ ſunt in hac Tribu, & ad ſitum ejus, quæ poſita erat ad mare Tiberiadis, & ad Jordanem; ſecundam vero partem cum Hebræis explicat de urbe Tiberiade, ubi lex Moyſis explanabatur.

Volgo hebræus textus [2] ita vertitur: *Nephtalim cerva libertate donata, dans verba eloquentiæ*. Sed quæ convenientia inter cervam, & eloquentiam? Septuaginta [3] in alium ſenſum interpretati ſunt: *Nephtalim truncus regerminans dans pulchritudinem in propagine*. Eodem fere modo interpretatur etiam Bochartus: *Nephtali velut arbor magnam vim ſurculorum producens*. Per ſurculos denotari poteſt ingens numerus virorum, ex quibus ea Tribus conſtabat. Non plures quam quatuor filios habebat Nephtali, quando venit in Ægyptum Geneſ. 46. 24. Poſt ducentos vero, & quindecim circiter annos recenſiti ſunt in ea Tribu *quinquaginta tria millia, quadringenti, omnes, qui poterant ad bella procedere* Numer. 1. 41. 42. Chaldæus interpretatur hunc locum de ubertate regionis Nephtali. Maſius in Joſue 19. ita hunc locum per paraphraſim exponit; quemadmodum cervus e cuſtodia emiſſus ſalit, & ludit in ſolo uberi, ac viridi, ita Nephtali ludet, & lætabitur in præſtanti ſua regione.

ỳ. 22. FILIUS ACCRESCENS JOSEPH.] Alluditur hoc in loco ad ſignificationem nominis Joſeph, quod augmentum ſignificat. Patriarcha hic virtute, gratia, & auctoritate apud Ægyptios in dies magis, magiſque crevit, ejuſque Tribus, ſeu potius duæ Tribus, quæ a filiis ſuis originem duxerunt, auctæ vehementer ſunt; præſertim vero Tribus Ephraim, quæ propter vires ſuas, ſuamque virtutem, ac numerum ſecundum ſemper locum obtinuit in Iſrael.

A Addit Iacob ſummam pulchritudinem filii ſui tantam fuiſſe, ut puellarum Ægyptiarum oculos in ſe converteret, quæ cum extra domo non poſſent, ſuper tecta, & ſuper muros diſcurrebant, ut illum proſpicerent.

Hebræus verti poteſt: *Joſeph filius abundantiæ ſuper oculos* (vel *ſuper oculum*.) Hinc, ut videtur, reddiderunt Septuaginta [4]: *filius auctus, & amabilis*. Et Divus Hieronymus: *decorus aſpectu*, qui *pulcher eſt oculis*, ideſt, ita pulcher, ut omnium oculos in ſe converteret. Sed ex textu Hebraico alius elici poteſt ſenſus, qui videtur magis proprius, & naturalis [5]: *Joſeph veluti germen arboris onuſtæ pomis, ut germen arboris plantatæ ſecus aquæ rivum*; id autem Ioſephum reſpicit, qui ad tantum digni-

B tatis gradum evectus eſt: quod vero ſequitur, ejus poſteros reſpicit: *rami ejus ſimiles ramis arbuſcularum, quæ ſuper muros creſcunt*, vel, *juxta muros*: cujuſmodi ſunt hedera, hyſſopum, & aliæ quædam arbuſculæ, quæ muris adhærent. De hujuſmodi arbuſculis intelligitur id, quod dicitur in Scriptura 3. Reg. 4. 33. Salomonem ſcripſiſſe *de arboribus, a cedro, quæ eſt in Libano, uſque ad hyſſopum, quæ egreditur de pariete*, ideſt, a maximis uſque ad minimas. Inter noſtros Interpretes optimi *filius* hic ſumunt pro ramo, & *filiæ* pro ſurculis, ſeu ramis. Eodem in ſenſu locum hunc, ut videtur, intellexerunt Onkelos, & Targum Hieroſolymitanum; notant enim hic Joſeph eſſe veluti vineam plantatam ſecus aquæ fontem. Comparatio Joſephi cum ramo, nobilis o-

C mnino eſt, & egregia. Homerus aliquando heroas ſuos ὄζοι Ἄρηος, ramos, ſeu ſurculos Martis vocat.

ỳ. 23. SED EXASPERAVERUNT EUM.] Hebræus ita reddi poteſt: ſed iſti bellatores, optimi hi ſagittarii, (ſic enim per indignationem vocat ex filiis ſuis illos, qui Ioſephum vendiderunt) illum exacerbaverunt, ad iram concitarunt, & dolore affecerunt, *exaſperaverunt* וימררהו, contenderunt רבו a ריב; ſeu juxta aliam ſignificationem, in ipſum tela ſua projecerunt a רבב *jaculari*; tandem illum odio habuerunt [6], ei inviderunt, eique inſidias pararunt [7]: has omnes interpretationes textus patitur.

ỳ. 24. STETIT IN FORTI ARCUS EIUS.] Arcus ejus nec remiſſus unquam, nec fractus eſt. Joſeph quaſi ſtrenuus miles, numquam arma depoſuit, nec

D adverſa fortuna frangi ejus virtus umquam potuit. Hebræus poteſt reddi: *ejus arcus permanſit in loco forti*, difficili, & impervio. Sicut ſagittarius ex loco ſibi opportuno, ſituque ipſo ſatis munito in hoſtes tela conjiciens hoſtilibus telis lædi minime poteſt: ita Ioſeph petitus licet fuerit, & fratrum odiis, & dominæ ſuæ calumniis, omnium tamen impetus fortiter ſuſtinuit. Hebraicum verbum [8] *Ethan*, quod *forti* expoſitum eſt, plerumque uſurpatur de loco confragoſo, ſterili, & acceſſu invio. Atque ideo locus hic, ut mea fert ſententia, de Deo explicari minime poteſt, quaſi Iacob diceret; arcus ejus, atque ejus ſpes eſt in Deo fortiſſimo, quo in ſenſu textum hunc plures ſunt interpretati.

ET DISSOLUTA SUNT BRACHIA EIUS.] Tradit no-

E bis Scriptura Ioſephi captivitatem, ejoſque libertatem. Locus hic vel de captivitate, vel de libertate poteſt æque intelligi. Textus hebræus non minus, ac Vulgata verbis ambiguis utitur: duas patitur interpretationes omnino diverſas. Alii reddunt: *brachia ejus afflicta ſunt*, ſeu debilitata; alii autem Rabbinos ſequuti vertunt: *brachia ejus roborata*, ſeu conſolidata *ſunt*. Vera, & genuina hebraicæ vocis ſignifi-

1 מאשר שמנה לחמו והוא יתן מעדני מלך.
2 נפתלי אילה שלחה הנתן אמרי שפר.
3 Νεφθαλὶ στέλεχος ἀνειμένον, ἐπιδιδοὺς ἐν τῷ γεννήματι κάλλος.
4 Τοῖς αὐξημένοις ζηλωτός.
5 בן פרת יוסף בן פרת עלי עין בנות צעדה עלי שור.
6 70. Ἐλοιδόρουν, convitiati ſunt.
7 וישטמהו. 70. Ἐνεῖχον αὐτῷ κύριοι τοξευμάτων.
8 ותשב באיתן קשתו ויפזו זרעי ידיו; deduco תשב a שוב *retrogradi*.

gnificatio prorſus ignoratur. Chaldæus, & alii nonnulli: *poſitum eſt annum optimum ſuper brachia ejus*, id eſt, armillæ aureæ ei datæ ſunt. Hebræum *Japheſu* derivant illi a verbo *phaz*, ſeu *uphaz*, quod aurum ſignificat, ſeu quoddam auri genus, quod nos credimus eſſe aurum *phaſs*, vel *phiſon*. Si primam hujus verſiculi partem intelligere volumus de Ioſephi fortitudine, & conſtantia, alteram quoque partem exponamus, neceſſe eſt eodem in ſenſu illos ſequuti, qui reddunt, *brachia ejus roborata ſunt*. Verum Syrus, & Arabs hebræum textum ſenſu omnino diverſo interpretantur: *arcus ejus terro magno impetu redit, & brachia ejus infirmata ſunt*. Atque ſenſus iſte mihi videtur magis naturalis. Confer 2. Reg. 1. 22. & Pſ. 77. 57. loquitur de Ioſepho a fratribus divendito, eorumque violentia oppreſſo, *permittente Jacobi, & Regis Iſraeli Deo omnipotente*. Septuaginta [1] id de Ioſephi fratribus intelligentes plurali in numero collocant, quod in hebraico textu effertur numero ſingulari, perinde ac ſi aliqua hic adeſſet ex iis perſonarum mutationibus, quæ in Poetarum libris frequenter occurrunt; ſagittarii iſti intenderunt arcum ſuum contra ipſum; *Sed arcus eorum magno impetu fractus eſt, eorumque brachiorum nervi diſſoluti ſunt per manum Dei omnipotentis Jacob*. Atque hujuſmodi ſenſus negligi minime debet.

PER MANUM POTENTIS JACOB.] Ioſeph hoſtibus ſuis reſtitit, Dei Jacob auxilio adjutus, atque Paſtoris [2] nomine defenſus, qui eſt fortitudo (petra) Iſrael. Nihil in Scripturis tam frequens eſt, quam Deum vocare petram, & lapidem refugii; rupes enim erant fugientium receptus, tutique ab hoſtibus aſyli.

Alii ita exponunt hebraicum textum: *Joſeph liberatus eſt per manum potentis Dei Jacob; & inde prodiit ille, qui Paſtor eſt, & lapis Iſrael*; nempe Meſſias Filius Dei Iacob. Aliter: Ioſeph ereptus eſt e fratrum ſuorum manibus virtute Dei Iacob, & *inde venit in Ægyptum, ut eſſet ibi Paſtor, & lapis Iſrael*; ſeu, *ut eſſet ibi Paſtor lapidis Iſrael*; ideſt, ut Iacobum ibi aleret, qui eſt veluti lapicidina, unde exierunt Iſraelitæ. Prior, quem attulimus, ſenſus nobis videtur magis litteralis.

ET OMNIPOTENS BENEDICET TIBI.] Quatuor benedictionum genera hic commemorat Iacob. Primo, pluviæ, & roris cœli. Secundo, aquarum e puteis, fontibus, & fluviis prodeuntium, eaſque vocat *benedictiones abyſſi jacentis deorſum*, autumans aquas omnes e mari proficiſci, terramque ſuper aquas eſſe fundatam. Tertio, lactis, & pinguioris lactis ſpumæ, *benedictionibus uberum*. Quarto tandem, liberorum, & pecudum. His coercebatur terminis veterum Patriarcharum ambitio, qui vitam ſuam in gregibus paſcendis degebant.

℣. 26. BENEDICTIONES PATRIS TUI CONFORTATÆ SUNT.] Jacob benedictionibus pro Ioſepho conceptis finem imponit, affirmans ſe filio ſuo benedictiones omnes ominari, quas ipſe umquam a parentibus ſuis accipere potuerit; quin imo profitetur ſe alias multas addere benedictiones, ſeque Deum precari, ut illæ perdurent, donec veniat *deſiderium collium æternorum*, ſcilicet Meſſias; ſeu juxta alios, ad mundi uſque finem, cujus diuturnitatem montium diuturnitate deſignat.

Verum ſi locum hunc conferamus cum benedictione, quæ a Moyſe Ioſepho tribuitur Deuteronom. 33. 15. quæque huic reſpondet, aliter locus hic explicandus videtur: *Benedictiones patris tui præſtant benedictionibus montium*, ſeu *attolluntur ſupra benedictiones montium, & ſupra deſiderium collium æternorum*; ideſt, precor ego, ut benedictiones, quas tibi impertior, majorem bonorum affluentiam tibi pariant, copiamque frumenti, vini, & olei longe illa majorem, quæ haberi ſolet in montibus tam antiquis, atque fœcundis, in montibus adeo pulchris, & deſiderabilibus. *Deſiderium collium*, ideſt, collium fertilium, ac optimorum. Moyſes Deuteronom. 3. 25. Palæſtinæ montes valde commendat: *Tranſibo, & videbo terram hanc optimam, & montem iſtum egregium, & Libanum*. Hebræus textus [3] reddi poteſt: *Utinam Benedictiones, quas pater tuus tibi elargitur, præſtent benedictionibus montium, atque perveniant uſque ad deſiderium collium æternorum* (utinam tam multæ, tamque copioſæ ſint, ut omnes haſce divitias, omneſque fructus adeo viſu pulchros, qui in his collibus naſcuntur, æquare poſſint) utinam tam alte tollantur, ut celſiſſima æquent montium cacumina.

Ut Sanctus hic Patriarcha oſtendat, quam magna ſint ſua pro Ioſepho vota, quodam benevolentiæ impetu raptus ait deſideria ſua vel altiſſima montium faſtigia æquare; utque denotet quam benedictionum copiam Ioſepho precetur, eas comparat affluentiæ eorum bonorum omnium, quæ in pulcherrimis optimarum regionum collibus naſcuntur. *Deſiderium collium*, nempe id omne, quod pulcherrimum, ac maximum deſiderabile in collibus reperitur. Modus hic loquendi, *deſideria magna, ut montes*, dubio procul hyperbolicus eſt: huic tamen ſimilis dicendi ratio alibi in Scriptura legitur. Iſaias 7. 11. ita Achaz alloquitur: *Pete tibi ſignum in profundum inferni, ſive in excelſum ſupra*. Pſalmiſta hæc habet Pſal. 35. 6. 7. *Domine, in cœlo miſericordia tua, & veritas tua uſque ad nubes; juſtitia tua ſicut montes altiſſimi; judicia tua ſicut abyſſus multa*.

Samaritanus, & Septuaginta legunt. *Benedictio patris tui, & matris tuæ prævaluit* &c. cum in hebræo ſolum extet, benedictio patris tui. Maxima Interpretum pars hebraicam vocem *horim*, quam nos reddidimus montes, explicant *Majores, patres*, quæ ſecunda lectio habetur apud Septuaginta. Nos locum hunc utroque in ſenſu explanavimus. Dicendi hic modus, quo colles vocantur æterni, in proverbii conſuetudinem venit apud Hebræos: antiqui ſicut montes. Eamdem phraſim adhibet Moyſes Deuter. 33. 15.

Tandem integer verſiculus hunc in modum poteſt exponi: *Utinam benedictiones patris tui, quæ exceduntmultum benedictiones montium, quæque perveniunt uſque ad deſiderium collium æternorum, deſcendant ſupra caput Joſeph, & ſupra illum, qui eſt quaſi Nazaræus (diſtinctus, ſeparatus, in honore habitus, coronatus, electus) inter fratres ſuos*. Vox hebræa נזיר *Nazir* coronam ſignificat; ſive illum, qui corona redimitus eſt, electus, & a ceteris ſejunctus. In Oriente *Nazir* dignitatis eſt nomen; eoque nomine ſummus ædium Regis Perſarum Præfectus deſignatur. *Nazir* primus eſt regni Miniſter, præcipuuſque Imperii, regiæ Domus, regiique ærarii adminiſtrator. Ipſi ſubſunt ceteri domus regiæ miniſtri, atque ipſius eſt curare ea, quæ ad Regis menſam, cuſtodiam, Regiſque penſiones pertinent. Idem fere munus obibant illi, quos veteres Perſæ appellabant *oculos Regis*. Vide Xenophon lib. 8. Cyropæd. Apul. lib. de mund. Ariſtophan. Acharn. Diod. Chryſoſt. orat. 3. de Regno. In Deuteronomio Moyſes hoc eodem nomine *Nazir* Ioſephum vocat. Septuaginta hanc vocem hic reddunt per *Caput*; & Deuteronom. 33. 16. vertunt δοξασθεὶς, *qui in honore habetur*.

℣. 27. BENIAMIN LUPUS RAPAX.] Phraſis hæc naturam, & indolem Beniamin, ſeu ejus filiorum deno-

1 70. συνετρίβη μετὰ κράτους τὰ τόξα αὐτῶν, καὶ ἐξελύθη τὰ νεῦρα βραχίονων αὐτῶν.
2 Lege משם *Miſchem* pro *Miſcham*.
3 ברכות אביך גברו על ברכות הורי עד תאות גבעות עולם.

denotat, qua ad ſævitiam, & latrocinia ferebantur: A lupus, cui numquam præda deeſt: eam mane capit; veſpere autem illam dividit. Hebræus textus ſ ita ad litteram explicari poteſt: *Beniamin* (eſt) *lupus* (qui) *rapiet* (prædam ſuam) *mane, eamque etiam comedet: & veſpere divides ſpolia*; ſeu Beniamin eſt lupus rapax, qui prædam ſuam comedit uſquemane, cui etiam ſupereſt veſperi dividenda. In Scriptura *ſero*, & *mane* noctem innuunt, & diem, ſive integrum diem. Omnes fere Latini Patres, & quidam etiam ex Græcis vaticinium hoc interpretati ſunt de Divo Paulo, qui fuit ex Tribu Beniamin. Fuit ille initio quidam veluti lupus rapax, qui Eccleſiam in incunabulis ipſis vexavit: *mane comedet prædam*: ſed ubi ad veram fidem converſus eſt, pluribus Eccleſiam ditavit ſpoliis, quæ ex Ieſu Chriſti hoſtibus B retulit, *veſpere dividet ſpolia*. Vide Tertullianum lib. 5. cap. 1. contra Marcion. Hieronymum quæſt. Hebraic. Ambroſium in benedict. Patriarch. cap. 22. Alcuinum in libello de benedict. Iacob Patriarchæ apud Auguſtini Appendicem tom. 3. Gregorium libro 18. Moral. cap. 16. nov. edit. Origenem hom. 4. in Ezech.

Alii locum hunc interpretantur de admiſſo a Beniamitis crimine Levitæ cujuſdam fœminam violantibus. Iudic. 19. 20. Alii verba hæc exponunt de Saule, vel de Eſther, vel de Mardochæo, ſeu etiam de Aod ſecundo Iſraelis Iudice, qui ſane omnes fuerunt ex Tribu Levi. Hebræi referente Divo Hieronymo in quæſtionibus hebraicis explicabant verſiculum hunc de altari holocauſti, in Templo C Hieroſolymitano, quod in ſorte Beniamin conſtructum erat; hujuſmodi altare quaſi lupus rapax veſpere, & mane victimas devorabat. Chaldæus ait, futurum ut Sacerdotes offerant veſpere, & mane oblationes in Templo Domini, in Tribu Beniamin ædificato, oblataque munera quolibet veſpere inter ſe dividant. Factum Beniamitarum in Levitæ uxorem, Iudic. 19. 29. relatum, atque modus, quo crimen ſuum tueri voluerunt, melius, ut opinor, denotat violentum eorum, audax, atque martiale ingenium, meliuſque horoſcopum a Iacobo illis tributum deſignat.

ỳ. 28. Benedixit singulis.] Nullam Rubeno, nec Simeoni, nec Levi benedictionem impertitur; *Benedicere* adhibetur hic ad ultima morientis patris erga filios ſuos ſenſa ſignificanda.

ỳ. 33. Collegit pedes suos super lectulum, et obiit.] Patriarcha Iacob filios ſuos alloquens, in lectulo ſuo ſedebat, pedibus extra illum porrectis. Verum poſtquam extrema animi ſui ſenſa adſtantibus liberis patefecit, iterum recubuit, pedeſque ſuos ſuper lectum iterum collegit, & mortuus eſt, ſeu *expiravit* juxta vim hebraicæ vocis גוע. Quidam ex Rabbinis ex eo, quod Scriptura nomen mortis hic non exprimit, pueriliter inferunt illum mortuum non fuiſſe, quaſi verbum *expirare* eamdem vim non haberet.

Ærumnoſa, ac laborioſa Jacobi vita, vexationes multæ, quas a fratre ſuo Eſau pertulit, ejus fuga B in Meſopotamiam, fraudes Labani, quibus tot laborum mercedem illi adimere voluit, calamitates, quas in familia ſua, & ab ipſis filiis ſuis ſuſtinere debuit, longa ejus animi patientia, & quibus numquam caruit, fides, & prudentia, dolor, quo tamdiu vexatus fuit filium ſuum Joſephum a beſtiis devoratum exiſtimans; hæc omnia ſanctum hunc Patriarcham, ut vivam laborioſæ Chriſti vitæ imaginem nobis exhibent, & exemplar veluti quoddam, quod *virum hunc dolorum, & ſcientem infirmitatem*, Iſai. 53. 3. mire exprimebat. Iacob ſemper ſapiens, & moderatus, obediens, & fidelis, ac objectum prędilectionis Dei, qui illum præ Eſau etiam ante eorum ortum dilexiſſe declarat, vexatur tamen, & affligitur; quæ ſane in re omnium juſtorum, & C prædeſtinatorum exemplar eſt, qui non ſecus ac ille in hoc mundo quaſi extranei vivunt.

Iacob fide plenus, ubi Ioſephum filium ſuum tanta apud Ægyptios fulgere dignitate cognovit, minime elatus familiam ſuam in optima Ægypti regione ſedem figere indifferenter vidit; ac divinis, quibus Deus aliam terram, aliamque ſedem, & ipſi, & ejus majoribus ſpoponderat, promiſſis conſtanter innixus, corpus ſuum in Ægypto permanere paſſus non eſt, liberiſque ſuis terram, in qua amplius non degebant, quamque potentes populi, eiſque inimici detinebant, diviſit quaſi in pacifica ejus eſſet poſſeſſione. Quod ſane clare oſtendit ejus fidei, atque conſtantiæ magnitudinem, qua Dei promiſſis mirifice fidebat.

ſ בנימין זאב יטרף בבקר יאכל עד. 70. Ἔδεται ἔτι, *comedet adhuc*. Alii, *comedet prædam*: עד ſignificat prædam Iſai. 33. 23. Sophon. 3. 8.

℣. 2. PRÆCIPITQUE SERVIS SUIS MEDICIS, UT AROMATIBUS CONDIRENT PATREM.] Ajunt Septuaginta [1] Pollinctoribus ſervis ſuis præcepiſſe, Ægyptiis, ſcilicet, qui munus exercebant mortuorum corpore condiendi, ut extremum hoc officium patri ſuo perſolverent, quod & præſtiterunt. Medicorum nomine hic intelligendi ſunt illi, quorum cura erat balſamo imbuere, ſepelire, ac faſcis involvere cadavera; quod munus apud Ægyptios medici, [2] ut videtur, præſtabant. Herodotus lib. 2. c. 84. narrat eam medicis totam redundaſſe regionem. Nam cuique morborum generi, ſuos medicus adhibebatur; erant ex iis, qui oculis tantummodo medebantur, aliis qui capitis morbis curandis incumbebant, alii dentium, alii ventris dolores curabant: ſingulis corporis partibus ſuus medicus aderat: uno verbo Homerus Odyſ. δ ſingulos Ægyptios medicos fuiſſe præſtantiſſimos ſcribit. Diodorus Siculus lib. 2. c. 3. in fine illud hac in re admodum ſingulare animadvertit, quod ejus artis profeſſores tenerentur obſervare leges a Veteribus medicis præſcriptas, quorum remedia in ſacris Ægyptiorum libris erant exarata. Si hiſce regulis inhærendo ægrotum curare nequibant, nemo de illis conqueri poterat; ſecus autem morte plectebantur, ſi neglectis his regulis ægrum reſtituiſſent ſanitati.

Strabo narrat eam viguiſſe apud Ægyptios conſuetudinem, ut ægrotos in publica platea collocarent in eum finem, ut ſi quis aliquod remedium noſſet contra eum morbum, quo affictabantur, illud ægrotis ipſis patefacere poſſet. Idem & apud Veteres Hiſpanos, & Gallos, quemadmodum & apud Babylonios fuiſſe uſurpatum idemmet Strabo docet Lib. XVI. pag. 508.

Ægyptii artis medicæ inventionem Iſidi tribuunt, & præcipue pharmacum immortalitatis [3], quo ipſa uſa eſt, ut curaret, & immortalem redderet filium ſuum Orum. Aut ego fallor, aut hoc immortalitatis pharmacum nihil eſt aliud, quam ars condiendi cadavera, qua re immortales quodammodo mortui redduntur, dum eorum corpora a corruptione eximuntur. Mos condiendi corpora vetuſtiſſimus apud Ægyptios eſt, eumque fuiſſe prope neceſſarium ob Nili inundationes [4] ſunt, qui affirment. Nam quemadmodum fluvio exundante tota regio ejus aquis obtegitur per integrum fere duorum menſium ſpatium, humari mortui per illud tempus non poſſunt, unde eos domi ſervare coguntur, aut in ſepulcris condere, ſeu cellulis apte diſpoſitis in rupe aliqua edito in loco. Ajunt etiam per totum inundationis tempus terram ita aquis madefieri, ut ſi quod corpus paulo ante humatum fuerit, illud cito terra regerat; ſeu quod arenoſo ejus regionis ſolo levius ſit; ſeu quod arena ſatis non habeat ſoliditatis, ut illud ſinu ſuo contineat contra aquæ impetum, quæ cadaver attollit, ſoloque educit.

Quemadmodum autem condiantur Ægyptiorum corpora, narrant Herodotus l. 2. c. 86. & Diodorus Siculus Biblioth. lib. 2. c. 5. Recens defuncti cadaver ad loculorum artifices defertur, quorum plura iis, qui portaverunt, oſtendunt depicta exemplaria, eorumque tria potiſſimum genera ſuo quæque pretio diſtincta. Primum accuratiſſime fabrefactum eſt, cujus nomen profari religione impediri ſe refert Herodotus loco citato. Secundi generis exemplar inferius eſt, & minoris pretii; tertium vero viliſſimi. Quibus expoſitis artifices conveniunt de pretio: tum in parte loculi ſuperiore ejus effigiem ſculpunt, qui eodem debet includi: ac poſtquam cadaver dimenſi ſunt ad loculum conficiendum, illud referunt domum.

Illi autem, qui in condiendis corporibus operam collocant, cum mortuorum conſanguineis conſtituunt de impenſa in eam rem facienda; ſunt enim plures condiendi modi, diverſique pretii. Maximum pretium talentum eſt; mediocre viginti minis conſtat; infimum vero minima impenſa abſolvitur. Talentum vero Ægyptium 2688. libris Gallicæ monetæ conſtabat. Poſt hæc aliquem advocant, qui in ipſo cadavere delineet locum, ubi ſectio facienda eſt ex ſiniſtra parte, & ſectionis longitudinem. Hoc officium peragit ſector lapide Æthiopico acutiſſimo, & poſtquam cadaver ita conſedit, aufugit quam citiſſime poteſt, quia mortuorum conſanguinei qui adſunt, arreptis lapidibus eum, ut impium perſequuntur. Hoc perecto accedunt pollinctores, qui veluti perſonæ ſacræ habentur. Hi ferro quodam incurvo per nares cerebrum totum mortui educunt, craniumque adſtringentibus medicamentis replent; per ſiniſtri vero lateris inciſionem inteſtina omnia educunt præter cor, & renes, quæ vino palmeo eluunt, aliiſque medicamentis, & odoribus. Totum deinde corpus oleo cedrino perungunt, item myrrha, cinnamomo, & aliis aromatibus per triginta circiter dies. Hinc corpus integrum ſervatur, quin vel ipſi pili ex eo concidant, & non ſolum a putredine immune redditur, ſed gratum quoque odorem halat. His peractis ſale condiunt corpus, & abdunt per quadraginta circiter dies; adeo ut toti huic negotio peragendo ſeptuaginta dies impendantur, ut narrat Herodotus, & Moyſes ipſe innuere videtur, dum Ægyptum ſcribit ploraſſe Iacobi mortem ſeptuaginta diebus, id eſt toto tempore, quo hæ funeris cæremoniæ perdurarunt.

Poſt hæc cadaver e ſale, ſive nitro educunt, lavant, faſciis byſſinis involvunt myrrha madefactis, & gummi illinunt, quo Ægyptii glutinis loco utuntur. His omnibus peractis pollinctores propinquis corpus reſtituunt, qui illud loculo, ſeu lignea effigie ut ſupra diximus includunt, illudque vel domi loco honeſto reponunt, vel in ſepulcro hac de cauſa præparata inferunt. Silius Italicus;

Claudit odorato poſt funus ſtantia ſaxo
Corpora, & a menſis exanguem haud ſeparat umbram.

Qui autem huic impenſæ faciendæ non ſufficiunt, in mortui inteſtina unguen quoddam, quod e cedro gignitur, clyſtere infundunt, ac poſtea corpus totum nitro condiunt. Hoc habet vim carnem ſolidam exſiccandi, & a putredine præſervandi. Unguen autem cedrinum inteſtina exedit ita, ut ſeptuageſimo demum die hoc, quod prius ingeſſerant, educant una cum inteſtinis jam exſiccatis, & a putredine immunibus. Itaque hoc modo exſiccato cadavere cutis tantum oſſibus agglutinata ſupereſt.

Poſtremo qui egeſtate laborant ita, ut neque tantam impenſam ferre poſſint, alvum mortui eluunt, liquorem quendam infundentes, ac poſtea per 70. dies cadaver ſale condiunt ejus ſiccandi gratia, ceteris omnibus cæremoniis prætermiſſis. Lucanus de abſciſſo Pompeii capite verba faciens, quod Ægypti Rex condiendum mandaverat, ut Cæſari illud offerret, totum ferme condiendi cadavera ritum paucis explicat.

. . . . Tunc arte nefanda
Submota eſt capiti tabes, raptoque cerebro
Adſiccata cutis, putriſque effluxit ab alvo
Humor, & infuſo facies ſolidata veneno eſt.

1 Παισὶ αὐτοῦ τοῖς ἐνταφιασταῖς, ἐνταφιάσαι τὸν πατέρα αὐτοῦ, καὶ ἐνεταφίασαν οἱ ἐνταφιασταὶ τὸν Ἰσραήλ.
2 הרפאים
3 Menetho apud Euſeb. lib. 2. Præp. Clemens Alexand. lib. 1. hanc inventionem Api tribuit ante adventum Jus in Aegyptum. Eſculapius vero artem hanc perfecit.
4 Caſſian. col. 15. c. 3. Cicero Tuſcul. quæſt. l. 1.

℣. 3. Tranſierunt quadraginta dies . . . . . A Fleviтque Ægyptus ſeptuaginta diebus.] Textus hebræus ad litteram: *& tranſierunt ei quadraginta dies; quadraginta enim dies inſumuntur ad corpus condiendum: Ægyptii vero fleverunt illud ſeptuaginta diebus*. Corpus apud pollinctores triginta diebus manſit, ac poſtea per quadraginta dies nitro conditum fuit ad exſiccandam carnem; atque ita luctus duravit ſeptuaginta integros dies. Hujuſmodi officiis, & honoribus ſolos Ægypti Reges proſequi ſolebant, ut mox videbimus.

Statim ac quis deceſſit, qui honeſto aliquo loco ſit apud ſuos (Herodot. l. 2. c. 85. 86. Diod. l. 12. c. 5.) ejus familiæ mulieres caput, & faciem fimo oblinunt, urbemque circumeuntes queſtus lamentabiles cient: (Mela l. 1. c. 9.) ſuccinctæ diſcurrunt B nudo pectore, & propinquis mulieribus ſtipatæ. Viri ex alia parte ſimiliter per urbem diſcurrunt aperto pectore, dumque illud manibus plangunt, querulis clamoribus deflent jacturam, quam fecerunt. Lugubris hic ritus durat quouſque cadaver loculo componatur. Per totum hoc tempus balneis abſtinent, & veſtibus pretioſis, vilibus tantum cibis veſcuntur, neque vino prorſus utuntur.

Ubi vero Rex moritur, populus univerſus luctum celebrant: veſtes diſcindunt, templa claudunt, publicos cœtus intermittunt, neque ulla amplius publica feſta concelebrant, caputque fimo obliti, & linea veſte infra pectus præcincti ſeptuaginta dies tranſigunt; hoc ritu per vias diſcurrunt catervatim bis in die ducenti, aut tercenti ſimul, & lugubri carmi- C ne laudes defuncti Regis perſequuntur. Per hoc tempus carnibus abſtinent, & vino, & quolibet delicato cibo, & omnino re quavis igne cocta; unguenta omittunt, & balnea non frequentant, lecto noctu non conquieſcunt, & uno verbo omnem ſibi corporis voluptatem interdicunt. Herodotus l. 1. c. 10. 8. luctum Babyloniorum eundem eſſe, ac Ægyptiorum narrat.

Lugubres lamentationes illæ, quæ hoc tempore fiebant, plerumque poetico ſtylo compoſitæ genus quoddam erant mæſti carminis, quod repetebatur, & intercalabatur a variis virorum, & mulierum catervis, quæ ſeorſim per vias diſcurrebant. Zachar. XII. 12. 13. *planget terra, familiæ & familiæ ſeorſum . . . . domus David ſeorſum, & mulieres eorum ſeorſum*. Vi- D de & Ierem. XLVIII. 31. 32. 34 Scriptura Sacra vocem *reſpondeo* plerumque uſurpat ad denotandum hoc carminum genus, quod alternatim canebatur. Qui cantum audiebant, reſpondebant primis, qui lamentationem inceperant. Ad hunc morem alludit Chriſtus Dominus apud Lucam VII. 32. *lamentavimus, & non ploraſtis*.

Antequam mortuos ſepulcro conderent, eorum laudes funebri aliquo cantico, ſeu nænia prædicabantur. Apud Ægyptios cuique jus erat præclara Regis, vel perperam facta prædicandi, antequam tumularetur, narrante Diodoro Siculo l. 1. ac nonnullos ejus regionis Principes ſepulcri honore privatos fuiſſe legimus, quod nimis crudeles, & injuſti in populos ſibi ſubjectos fuiſſent. Davidem in funere Saulis, & Jo- E nathæ lugubre carmen compoſuiſſe, quod nominatum fuit *arcus*, ubi laudes horum Principum concelebrat, ex Scriptura diſcimus 2. Reg. 1. 18. Elogium quoque Abner a Joabo occiſi compoſuit 2. Reg. 3. 33. Meminit etiam Scriptura lamentationum Jeremiæ in morte Ioſiæ 2. Paral. 35. 25. Idem mos apud Græcos quoque vigebat, refertque Homerus Iliad 23. luctus, & lamentationes, quibus Hectorem ab Achille cæſum Trojani proſequuti ſunt.

℣. 4. Loquimini in auribus Pharaonis.] Quanquam conſuetum luctus tempus a Iacobi morte expleA tum eſſet [1], non audet Joſeph præ ſua in Regem obſervantia, & fortaſſe quod ita mos ferret, Pharaoni ſe ſiſtere, ut ab eo peteret facultatem eundi in terram Chanaan, ut ibi patrem ſuum ſepulturæ mandaret. Nondum ipſe lugubrem cultum depoſuerat, neque porro deponendus illi erat, niſi poſtquam Jacob eſſet ſepulcro conditus. Ad Regem autem nemo veniebat, dum eſſet in luctu. Vide ad caput XII. v. 17.

℣. 5. In ſepulcro meo quod fodi mihi.] Onkelos, Grotius, & alii vertunt: *in ſepulcro quod emi* [2]. Abraham illud emerat ab Hemor Hethæo. Quocirca illius jus pertinebat ad Jacobum tamquam Abrahami nepotem, & hæredem. Nonnulli contendunt Jacobum ab Eſau emiſſe partem illam ſepulcri, quam B Eſau ſibi poterat vindicare. At quænam ratio, ne Vulgatæ ſenſum retineamus, impellit? Iacob ipſemet ſibi fodit loculum, ſeu ſepulcrum in eodem ſaxo, in quo Patres ejus Abraham, & Iſaac conditi fuerant.

℣. 7. Omnes ſenes domus Pharaonis.] Hoc eſt, præcipui miniſtri, & domeſtici veteres Pharaonis. Nomen ſenis dignitatis potius nomen eſt, quam ætatis. Vidimus ſupra Gen. XXIV. 2. Eliezer ſervum ſeniorem domus Abraham: & 2 Reg. 12. 17. ſeniores domus David, & 3. Reg. 12. 6. ſeniores Salomonis commemorari.

℣. 10. Ad aream Atad.] Ad aream viri cujuſdam nomine Atad; vel juxta alios, *ad aream ſpinarum*: erat hæc planities in agro ad terenda frumenta C præparata. Spinarum autem fortaſſe dicta eſt quod ſpinis circumſepta eſſet, aut quod circa illam ſpineta aliqua eſſent, D. Hieronymus de locis, & Brochardus in deſcriptione terræ ſanctæ pag. 170. ponunt locum quendam nomine *Betagla* quatuor milliaribus a Iericho verſus mare mortuum, & duobus ab Iordane, ubi ajunt Iacobo fuiſſe parentatum: at certum minime eſt *Betagla* eandem eſſe cum area Atad. Euſebius in locis hebr. non tradit, ubi hæc area ſita fuerit, & de Betagla verba faciens hanc eſſe aream Atad minime docet. Traditio illa, qua hæc area Betaglæ aſſignatur, nullo nititur antiquitatis fundamento. D. Auguſtinus quæſt. 171. in Geneſ. ſequutus videtur D. Hieron. dum hanc aream quinquaginta milliaribus, & eo amplius ab Hebron diſtaſſe ſcribit.

D Quæ ſita eſt trans Iordanem.] i. e. ad oram Occidentalem ejus fluvii. D. Auguſtinus, Menochius, Valtonus, & plures alii Interpretes credunt Ioſephum una cum ceteris, quas habebat in comitatu, recta via minime perrexiſſe in Hebron, ſed longius fecuiſſe iter pone mare mortuum, & per regionem Moab, ut Iordanem tranſmitterent eodem ferme loco, ubi Iſraelitæ poſtea transfretarunt duce Ioſue; ſed argumenta, quæ afferuntur ad hanc ſententiam adſtruendam, non ſatis habent roboris, nihilque occurrit in Moyſis narratione, quod ei ſuffragetur.

℣. 11. Planctus Ægypti.] Hebr. אבל מצרים *Abel mizraim trans Jordanem*. Nonnulli vertunt: *Planities Ægyptiorum trans Jordanem*. *Abel* ſignificat aliquando planitiem, ſed ex circumſtantiis, quæ hic E apponuntur, colligitur nihil aliud hic ſignificare, quam luctum.

℣. 16. Mandaverunt ei.] Hebræus ויצוו *præceperunt ei*; ſeu potius, *ſignificarunt*. Septuaginta, *dixerunt ei*. Probabile eſt eos mendacium confingere, dum aſſerunt ſe fuiſſe a Iacobo juſſos, ut iſta Ioſepho patris nomine dicerent.

℣. 19. Num Dei poſſumus reſiſtere voluntati?] Hebræus [3]: *numne ſubjectus ego ſum Deo?* vel juxta alios; *an ego ſum vice Dei?* ut Domini voluntati reſiſtam? Nonne ſubjectus eſſe debeo ejus diſpoſitioni? Chaldæus; *nolite timere, ego enim timeo Dominum*.

---

1 Explero planctus tempore locutus eſt ad familiam Pharaonis.
2 אשר כריתי Verbum כרת ſignificat *emere*. Deuter, 2. 6. & Oſeæ 3. 2.
3 התחת אלהים אני.

minum. Septuaginta: *nolite timere, ego enim ſum Domini*.

℣. 23. In genibus Ioſeph.] Legi poſſunt, quę ſupra ad cap. 30. 3. de ſimili loquendi forma notavimus. Samaritanus: *in diebus Joſeph*.

℣. 25. Mortuus est (Joseph) expletis centum decem vitæ suæ annis.] Hic Patriarcha ex his præclaris viris fuit, quos Deus identidem ſuſcitat ad oſtendendas miſericordiæ ſuæ divitias, ad potentiæ ſuæ miracula manifeſtanda, ad exequenda immenſæ ſapientiæ ſuæ conſilia. In ejus vita ea perſpicimus admiranda contigiſſe, quibus ſummi Opificis in homines æquitas eluceſcit, ejuſque providentia iis ſublevandis ſemper intenta, qui in ipſo confidunt. In eo exornando natura ſimul, & gratia certaſſe quodammodo videntur. Nihil eo illuſtrius, atque perfectius occurrit in toto Veteri Teſtamento. Joſeph ſupra cæteros fratres patri carus ob eam, qua præcellebat, ſapientiam, paullo jam grandior factus, a Jacobo patre ſuo viro tam æquo, tamque ſancto haud obſcuris indiciis prædiligi ſe, & æſtimari plurimi intelligit, unde odii, & invidiæ cauſa in illum. Fratres interim veriti, ne Ioſepho aliquando ſubjiciantur, ejus perdendi conſilium capiunt; inque manus alienigenarum illum tradunt; a quibus veluti ſervus venditur. His tamen rebus, quibus eum perdi oportere humanæ prudentiæ videbatur, eo adducitur, ut virtutis, ſapientiæque ſuæ patefaciendæ occaſio illi præſtetur, & divina de illo conſilia compleantur. Chriſtus patris ſui prædilectus filius Phariſæorum odio, & invidia exagitatus, qui ferre eum non poſſunt ſe Dei filium prædicantem, a Iuda ex Apoſtolis uno in manus ſæviſſimorum inimicorum traditur. Judæi vero illum Romanis dedunt, morte afficiendum; at per mortem ſuam viam ille ſibi ſternit ad gloriam ſuam, ſuoſque inimicos reſurrectionis ſuæ fulgore in deſperationem adducit.

Joſeph unicum eſt fratrum ſe perſequentium, inimicorum, & Ægypti totius perfugium, & ſubſidium: Chriſtus Judæorum, Gentium, & totius Orbis Servator.

Moritur Ioſeph, interque moriendum populum ſuum liberatum iri prædicit: corpus ſuum in reſurrectionis ſpem mandat ſervari, ac in terram promiſſam transferri, quo tempore Dominus populum ſuum viſitaturus eſſet. Hoc pacto juxta Eccleſiaſtici phraſim 49. 18. oſſa ejus poſt mortem quoque prophetaverunt populi ſui liberationem, futuramque reſurrectionem prædicendo. Chriſtus Ieſus moritur, mox reſurrecturus, ut nos morti eriperet, veraque donaret libertate.

Conditus aromatibus repositus est in loculo in Ægypto.] More videlicet Ægyptiorum, de quo ſupra egimus, cum de Jacobo verba fierent. Inveniuntur etiamnum in Ægypto condita hoc pacto cadavera, loculis ligneis incluſa, & aliquando etiam marmoreis, quæ Perſico vocabulo *mummiæ* appellantur, quod cadaver ſiccum ſonat. Narrat Thevenotus, ſe ejuſmodi cadavera videndi cupidum ad puteum quemdam quadratum, & ſatis eleganti marmore conſtructum, adductum fuiſſe, cujus altitudo trium circiter haſtarum tota repleta erat arena. Æthiopes, quos ei comites dederant ad effodiendam arenam Mummiarum Domini, per funem ejus corpori circumligatam illum demiſerunt in puteum; quo cum deſcendiſſet, parvum quoddam cubiculum invenit, cujus muri pariter, & fornix e marmore conſtabant. In eo tria reperit, vel quatuor corpora, ex quibus unum tantummodo integrum adhuc perdurabat, ceteris in varias partes diſſectis. Erat hoc Inuſitatę magnitudinis corpus arca lignea incluſum, eaque craſſa, quæ undique exactiſſime coibat. Conſtructa erat arca ex vera ſycomoro, carie, vel putredine nullatenus tacta. In ipſo autem ligno inſculpta buxo cernebatur ejus effigies, qui intus poſitus fuerat. Exciſa ſecuti arca, integrum in ea repertum eſt corpus hoc pacto diſpoſitum. Cooperiebatur facies galea veluti quadam linea, gypſo illita, in qua auro expreſſa erat viva defuncti effigies: ſed amota galea nihil ex toto vultu ſupererat. Reliquæ corporis partes faſciis quibuſdam lineis affabre factis alligabantur, tot ſpiris circumvolutæ, ut ſupra mille ulnas excreſcerent. Supra pectus in longitudinem porrigebatur linea vitta tribus digitis lata, ſeſquipede longa, quæ ceteris vittis conjungebatur, cui vittæ plures aureæ litteræ hieroglyphicæ inſcriptæ erant in longitudinem. Prope hoc cubiculum plura erant alia mummiis ſimiliter referta.

Petrus a Valle deſcriptionem dedit mummiæ cujuſdam Inſitatæ pulchritudinis, & pretii. Cernebatur, inquit, in linteo ſuper cadaver extenſo juvenis cujuſdam figura, qui lineis veſtibus talaribus amictus erat, iiſque auratis, & hieroglyphicis emblematibus diſtinctis a ſummo uſque ad imum. Erant hæ auro, gemmiſque ornatæ, atque refertæ, una cum capillis nigris, & calamiſtro criſpatis, barbaque concolore, non ita multum promiſſa. Aurea ex collo catena pendebat una cum numiſmate, in quo effigies expreſſa erat Ibis, pluresque aliæ notæ, & ſigna, unde colligere erat, eum, dum viveret, inſignem aliquem dignitatis gradum obtinuiſſe. Dextera manu aureum vas tenebat, quod liquore quodam rubri coloris fuerat repletum; ſiniſtra vero pomum. Aunulo aureo ornabatur pollex, & extremus digitus. Pedibus ſandalia adjecta, quæ tamen ſolas plantas tegebant, ſuperius vero corrigiis alligabantur. Vittæ cuidam, quæ zona adſtringebatur, inſcriptum legebatur Græcum vocabulum Ευτυχι, quod proſperam fortunam ſonat.

Juxta hoc cadaver jacebat fœminæ mummia pretioſius etiam ornata. Præter emblemata, & notas hieroglyphicas plurimas, aureis laminis expreſſæ cernebantur binæ aves, binique leones erecti, & paulo inferius Bos, quo ſymbolo Apis, ſeu Iſis innuebatur. Laminæ autem, quæ catenæ cuidam adnexa erat a pectore pendenti, Solis imago inſculpta erat. Inaures ex gemmis pretioſiſſimis pendebant ex auribus, brachia, & crura monilibus impediebantur, & digiti ſinguli ſingulis annulis. Dextera manu pateram auream tenebat, ſiniſtra annulum, & pretioſiſſimorum aliorum ornamentorum faſciculum. Hujus mummiæ materia ita obduruerat, ut vix exiguam ejus partem, malleo licuerit evellere. Mummiæ ordinariæ longis tantum vittis involutæ ſunt, & aſphalto conditæ, aut bitumine, nullo præterea adjecto ornatu.

Hæc longius perſecuti eo ſumus, quod explicandis pluribus Scripturæ locis deinceps plurimum poterunt inſervire; quodque demonſtrant quo pacto Joſephi corpus, uſque ad Iſraelitarum exitum ex Ægypto ſervari potuerit.

Antequam de Joſepho dicendi finem faciam, notandum eſt, nonnullos Interpretes perſuaſum haberu Ioſephum poſt mortem ſuam ab Ægyptiis divinis honoribus fuiſſe cultum. Auctor *de mirabilibus Sacræ Scripturæ* c. 15. tom. 5. edit. S. Aug. append. p. 9. ro. ſcribit, Ægyptios cum prope ejus ſepulchrum vituli ſtatuam collocaſſent, divinos illi honores exhibuiſſe; unde factum, ut ad illorum imitationem Hebræi vitulum aureum in deſerto adorarent: Joſephum præſentientem ſe ab Ægyptiis adoratum iri poſt mortem juſſiſſe oſſa ſua ex Ægypto transferri: nihil vero eum conſilio ſuo profeciſſe, illum veluti Deum colere pergentibus Ægyptiis.

Alii volunt, Ioſephum ab Ægyptiis adoratum Serapidis nomine, quam conjecturam his rationibus fulciunt. Primo volunt, Serapidem, ſeu Apidem eodem tempore vixiſſe, atque Ioſephus. Secundo, certum eſt Serapidem divinos honores ab Ægyptiis promeritum, quod regionem fame laborantem ſervaſſet. Tertio, numen hoc ſub bovis figura colebatur, quod ſane ſymbolum eſt agriculturæ, & fertilitatis. Quarto, pingebatur veluti ephebus quidam modium, ſeu calathum geſtans in capite: Calathus hic pariter fruges ſignabat, & modum earum parandarum, quarum inventorem Oſiridem fuiſſe volunt. Quinto,

Plu-

Plutarcho teſte Serapis *Oſiridis* quoque, vel *Arſa-dhis* nomine nuncupabatur; quod poſtremum nomen nominis Joſeph radicem continet. Sexto, Oſiris juxta Ægyptiacum etymon, ſignificare ajunt, plures oculos habentem; quod ſane Ioſephi prudentiam, & providentiam futurorum mirifice explicat. Septimo, Serapis ab hebraico שור *Schur* deducitur, quod bovem, & אביר *Abir*, quod fortem ſignificat, mutata littera R in S, & B in P, unde pro *Ser-abir* *Serapis* dictus eſt; cujuſmodi litterarum mutatio, neque inuſitata eſt, neque contraria iis, quæ in ceteris linguis quotidie contingunt. Quod ſi Ioſeph bovi comparatur, adeo non abſona eſt ſimilitudo, ut etiam maxime propria videatur.

At ſententia iſta Ægyptiacum numen e Ioſepho conflantium, incerta aliqua tantummodo nititur etymologia, & levi aliqua convenientia; quæ ſane rationes haud magni ſunt momenti ad rem quampiam ſtabiliendam. Iſis, & Oſiris, qui ſub boum Apis, & Mnevis forma colebantur, longe vetuſtiores Serapide ſunt apud Ægyptios. Quomodo probabile videri poteſt ab Ægyptiis tamquam Deum cultum fuiſſe Ioſephum, tantopere Hebræorum religionem, & Hebræos ipſos averſantibus, præcipue poſt novi Regis Pharaonis adventum, qui Ioſephum minime noverat, quique tam dura ſervitute Hebræos afflixit? Quomodo permiſiſſent Ægyptii, ut Hebræi oſſa ſui, ut contendunt, Serapidis ſervarent, eaque ex Ægypto aſportarent? Religio Ægyptiorum jam formam ſuam acceperat, vivente adhuc Joſepho, ut ſuperius

A notavimus; jam vero nihil erat in ipſorum religione vetuſtius Serapidis cultu; aſſerebantque Ægyptii Theologi rationes alias pro aſſerendo cultu, quem Apidi ſub bovis forma exhibebant, quam quæ ſuperius allatæ ſunt.

Quod vero attinet ad etyma Serapidis, & Oſiridis, ea ita deduci poſſunt, ut nullam proportionem habeant, vel cum Ioſepho, vel cum bove Api. Etenim אצרי *Oſiri* hebraice ſignificat *theſaurum meum*, & אר אבי *Sar-abir*, *pater meus Princeps eſt*, ſeu etiam *Sar-abir*, Princeps fortis. Quid inde concludi poteſt pro aſſerenda Ioſephi in numerum deorum adſcriptione? Serapis, ut affirmant Hiſtorici, nova erat in Ægypto divinitas; eum Naucratitæ in deorum numerum retulerunt. Origenes l. 6. contra

B Celſum p. 257. de hac Serapidis apotheoſi verba faciens, ait, illum novum Deum eſſe, cujus hiſtoria longa eſt, & parum certa, eumque nomen, & famam conſequutum fuiſſe Ptolomæi technis, & artibus, ejus cultum in Ægypto ſtabilire volentis. Hujus divinitatis hiſtoriam, ejuſque a Sinope urbe Ponti in Alexandriam tranſvectionem Ptolemæi cura factam, legere licet apud Tacitum Hiſtor. l. 4. nihil tamen reperitur, quod vel minimum eorum opinioni faveat, qui contendunt Ægyptios ſub nomine hujus Divinitatis divinos Ioſepho honores exhibere voluiſſe. Serapis juxta communem eorum ſententiam, qui de hac re verba fecerunt, idem eſt ac Pluto. Vide Plutarchum l. de Iſide, & Oſiride, & Clementem Alexandrinum in Protreptico.

G E N E S I S
F I N I S.

COMMENTARIUM
LITERALE
IN EXODUM.

IN EXODUM
PRÆFATIO.

Liber, quem Græca voce Exodum, egreſſum ſcilicet, appellamus, ex hiſtoria exitus Iſraelitarum ab Ægypto, nomen obtinuit. Apnd Hebræos ואלה שמות *Veelle Schemoth* inſcribitur; quòd ſcilicet voces illæ primæ in Hebræo Libri textu legantur. Hiſtoriam complectitur 145. annorum; qnot ſcilicet ab obitu Joſeph ad erectionem uſque Tabernaculi ad radices Sinai decurrerunt. In ipſo hiſtoriæ limine cap. 1. Moyſes motæ in Iſraelitas à Regibus Ægypti perſecutionis cauſas & occaſionem ediſſerit; dein lata in gentem edicta, maribus eorum a partu extinguendis (qnanquam obſtetricum pietas impiis Ægyptiorum conatibus interceſſerit) perſequitur. Poſt hæc omnia, nuptiæ Jacobed cum Amram ſequuntur, quibus parentibus ortus Moyſes in amnis ripa expoſitns, & à Filia Pharaonis inventus, matrem ſuam habuit nutricem. Ab ea in ſpem regiæ domus educatns, relicta tandem Aula, atque ſpe omni Principatus abjecta, ad fratres ſuos inviſendos, injuriaſque ab illis depellendas ſe contulit; quare de vita periclitatus, præſentiſſimum declinaturus periculum, in Arabiam ſeceſſit. Ibi in domo Jethronis manens, filiam ipſius ſibi deſpondit. Cum autem paſcendis ovibus ſoceri ſui occuparetur Cap. 3. 4., à Deo per viſionem ſollicitatus, ad relevandum à populo ſuo Ægyptiacæ tyraonidis jugum, divini nominis cognitione, atque patrandorum miraculorum virtute auctus, miſſus eſt. Secedens igitur Moyſes, Sephoram nxorem ſuam, duoſque filios ſecum adducebat; qnos tamen deinde, Angeli in necem Eliezer irruentis viſione territus, ad ſocerum remiſit. Occurrerat venienti Aaron; & cùm ambo fratres ad montem Sinai veniſſent, legatione pro ſe fungi iterum à Deo juſſi ſunt. In Ægyptum igitur ſeſe contulerunt, Cap. 5. 6. ibique expoſita Iſraelitis Dei volnntate, dein coram Pharaone ſe ſiſtentes, dimiſſionem pro populo requiſierunt. Rex detrectare primùm, deinde & populum novis oneribus opprimere; Moyſes viciſſim iterum in Aulam, atque Divinæ virtutis, cujus nomine dimiſſionem Hebræorum petebat, potentiam oſtenſurus, ſtatim projectam virgam in anguem tranſmutavit Cap. 7. Verum prodigium non abſimili præſtigio Ægyptiornm Magis eludentibus, factnm eſt, ut pervicax Regis animus Hebræorum petitionibus non acquieſceret. Ad plagas igitur ventum eſt, novarumque novis acceſſione nihil tamen à Rege potuit impetrari. Ita aquæ Nili in ſangninem tranſmutatæ ſunt; ranis primùm, deinde muſcis parvis, atque vulgaribus tota latè regio ebulliit, ut homines, & jumenta omnia ac pecudes deſolarentur Cap. 8. Tot malis urentia nlcera in pecudibus, & jumentis ſucceſſerunt Cap. 9.; ſata omnia ruens grando depaſta eſt; undique verò diſcurrentia ſulmina, atque reboantia tonitrua terrorem inſerebant. Sub hæc, locuſtis inſeſta omnia, denſiſque tenebris horrida Cap. 10.. Nihil tamen de priſtina obſtinatione recedenre Regis animo, Divinæ ultionis gladius tandem in necem omnium primogenitornm Ægypti diſcnrrit; cum interim apnd Hebræos, atque in terra Geſſen, nbi populi ſedes, ſalva eſſent omnia.

Ante hæc omnia, ſegregare ſibi agnum, ut, qua nocte ſeceſſio facienda erat, cibus ſnppeteret popnlo, Moyſes juſſerat. Quibus autem cæremoniis victima immolanda atque in cibum adhibenda eſſet omnibus deinde ſuccedentibus generationibus, cap. 12. perſequitur. Poſt illatam ab Angelo Dei in omnes Ægyptiorum primogenitos necem, divina juſſione ſacros Domino offerre omnes Primogenitos, tam hominum, quàm brutorum, Hebræis injunctum eſt Cap. 13.. Poſt hæc diſceſſione facta ab Ægypto, populus Rameſſen primùm, deinde Soccoth, ac tandem Etham venerunt. Exinde iter proſequentibus ignea columna, noctis tenebras ſua luce depellens, ſolis verò calorem umbra ſua temperans, viam monſtravit.

Sub hæc, Pharao indnlgentiæ ſuæ in populum pœnitens, tumnltnario exercitu coacto, abeuntium viam inſiſtens, caſtramerantes in Beelſephon ad Mare rubrum aſſecutus eſt Cap. 14.. Actum fuiſſet de popnlo, niſi Moyſes, elata virga prodigioſa, in medio pelagi ſinn viam Iſraelitis fugientibns in averſam ripam aperuiſſet. Ægyptii ſtatim abeuntes urgere, audacter & ipſi patentem in mari viam ingredi; vix tamen ingreſſos, recurrentes nndæ, omnes, ne uno quidem excepto, abſorbuerunt.

Moyſes

Moyſes è præſentiſſimo periculo liberatus, ſolemnes gratiarum actiones, novo adornato cantico, Domino perſolvit Cap. 15. Poſt emenſum tridui itinere deſertum Sur, populo in Mara caſtrametanti, amaricantes loci aquas Moyſes miraculo potabiles exhibuit. Hinc motis caſtris, Elim primùm, deinde in deſertum Sin ventum eſt Cap. 16.; qui ſanè locus & mannæ pluentis, & coturnicum in eſcam populi volitantium prodigio celebratur. Altera ſtatio ad Raphidim ſuccedit Cap. 17.. ubi Moyſes aquas è ſilice eduxit, atque inſignem de Amalecitis victoriam Joſue reportavit. De adventu Jethro in caſtra Iſraelitarum, atque præſcripta ab illo politiæ diſciplina hiſtoriam legimus in cap. 18. quanquam ſeriùs contigiſſe, poſt erectum ſcilicet Tabernaculum, facilè intelligimus. Succedens tandem ad Sinai populus, in ſpem ineundi cum Domino fœderis, ipſo Domino invitante, erectus, poſt tridui expectationem, inſidentem montis vertici Dei Majeſtatem ſpectavit Cap. 19.. Quare Moyſes, conſcenſo Monte, Decalogum, nempe totius Legis ſummam, ipſo Deo tradente, accepit Cap. 20.. Alia etiam nonnulla, quæ capp. 21. & 22. & 23. referuntur. ea occaſione præcepta ſunt; quæ Moyſes ad populum deinde referens, ineundi fœderis, immolatarum in eam rem victimarum ſanguine, author fuit. His peractis iterum Moyſes ad Deum, à quo totius Tabernaculi mox fabricandi ideam, qualis latè capp. 25. & 26. & 27. & 28. & 29. & 30. & 31. deſcribitur, accepit. Cum tamen vir ſanctus longiorem in Sinai moram traheret Cap. 32., populus ejus rei faſtidio, tandem in idololatriam, aureo vitulo erecto, prolapſus eſt.

Quod cùm Moyſes, relicto tandem monte, intellexiſſet, rei dolore tabulas lapideas, quas deferebat, in terram alliſit, ſtatimque ad vitulum convolans, dejecit, comminuitque; in prævaricatores verò ſtricto gladio, adjuvantibus inter Levitas qui in fide permanſerant, impium ſcelus 23000. cæſorum ſanguine expiavit. Succedens deinde in montem, veniam, priſtinamque in Hebræos Dei providentiam impetrat Cap. 33. Juſſus verò novas parare lapideas Tabulas, atque ſolitarius iterum aſcendere montem, omnibus actutum executioni mandatis, poſt divinum 40. dierum alloquium, tandem novas Legis tabulas ad populum contulit. Sed cum nova coruſcans luce intuentium oculos præſtringeret, haud alacri animo occurrentem populum adhortatione primùm confirmat, dein ad opus Tabernaculi ſpontaneam oblationem offerant ſingulos, hortatur Cap. 35. Duos intereà Opifices *Beſeleel* & *Hooliab* peritiſſimos, nova divinitus ſapientia inſtructos, Deus operi moliendo pares comparaverat Cap. 36. 39., quibus uſus Moyſes perfectum tandem Tabernaculum prima die primi menſis anno ab egreſſu Ægypti ſecundo erexit Cap. 40. Hæc hiſtoriæ hujus Libri ſumma.

Quod in hoc Opere Lectores intentos potiſſimùm detinet, fœdus eſt à Deo cum Iſraelitis initum, & politiæ genus in Republica Hebræorum conſtitutum. Sapientiſſimis legibus ſancitis, tota Reipublicæ, & Religionis adminiſtratio directa eſt. Deus Legiſlatoris ſibi, Patroni, Regis, Patris, Dei tandem Hebræorum munus vindicat; vix autem in Regem agnitus, atque fœderis inſtrumentum ſolemni cæremonia firmatum eſt, ſtatim Deus dignitatem hanc ſuam exerens, toto majeſtatis apparatu edicta rogat, atque exemplo Regum Orientalium inſigne ſibi Tabernaculum in medio populi conſtituit. Ibi numeroſo, regioque ſatellitio ſtipatus, è penetralibus Tabernaculi commiſſa Moyſi famulo ſuo juſſa populo edici præcipiebat. Nec alibi oracula de futuris eventibus rebuſque occultis reddebantur, quàm è media veluti ejus loci caligine, quæ Numen occultans, majeſtatem, & terrorem augebat. Hanc Numinis tremendam majeſtatem in medio caſtrorum Iſraelis Balaam reſpiciens ait Num. 23. 21.; *Non eſt augurium in Jacob, nec divinatio in Iſrael. Dominus Deus ejus cum eo eſt, & clangor victoria Regis cum illo.*

Ea verò conſtituta eſt a Deo populo regendo politia, ut à Deo ejuſque juſſionibus omnia penderent. Ille bellum indicit: Ille caſtra metari jubet in deſerto, movendaque juſſu clangentis buccinæ imperat. Hebræorum Reipublicæ, quam Scriptor quidam jurè *Theocratiam* ſive divinam politiam appellavit (1), Hebræorum, inquam, Reipublicæ ſubjecti omnes tribus per annum vicibus coram Rege Deoque ſuo ſiſtere jubebantur, ut ſcilicet ſpontè ſe illi ſubjectos, munerum oblatione (vacuum enim coram Deo apparere nefas) profiterentur. Omnes primores natu tam hominum, quàm brutorum, ſicut & primitiæ, ac decimæ non fructuum tantùm atque meſſium, ſed & decimæ pariter temporis, indictis in eam rem Feſtis ſolemnibuſque diebus, de jure Regis Deique cenſebantur. Quod ſcilicet exemplo Regum Orientalium, paria in ſua ditione exigentium, ſancitum eſt (2); annonas enim & neceſſaria omnia uſibus domeſticis atque exercitui, ſubjecti quilibet populi ſuis ſinguli Regibus ſufficiebant. Ita pariter Deus omnia hæc deferri juſſit ad Templum, ut in uſum Altaris, Sacerdotum, & Levitarum, quibus tanquam domeſticis & aulicis utebatur, impenderentur. Scitè quidem obſervat Philo, Sacerdotes in Lege Regibus & Principibus comparari, ſi honor illis præſcriptus ſpectetur: deferri enim ad illos ſancivit ab univerſa gente tributa, decimas nempe, &

(1) Joſeph. l. 2. contr. Appion. (2) Reg. 15. 16.

primitias tam fructuum omnium, quàm gregum. Studio autem atque voluntati, qua populus ſingula conferebat, nihil erat reliquum; cum oblationes illas inter ſolemnes gratiarum actiones, fauſtaſque acclamationes ita offerret, ut quæ Miniſtri Dei ab illis acciperent, ipſi recipere ſibi viderentur.

Commiſſa in Legem crimina præ Tabernaculi foribus victimarum mactatione expiabantur; quo ſcilicet cruoris indicio reos ſe capitalis criminis atque ſubeundæ mortis Deo, vitæ authori, profitebantur (1). Mactatas ea occaſione victimas vel deguſtare quidem nefas, ſed partim Altaris igne conſumptæ, partim in eſum Sacerdoti ſacrificium offerenti cedebant; quaſi ſcilicet reus indignum ſe, qui de menſa Dei ſui participaret, agnoſceret. In ſacrificiis pacificis, & eucharisticis hoſtiæ portio coram Domino deguſtanda, ſacrificium procuranti cedebat; altera verò portio Sacerdotibus reſervabatur, ut nempè ſignum eſſet Dei cum populo fœderis, pro recepto apud populos varios more, ut ſcilicet poſt inita fœdera uni ſimul omnes menſæ, in pacis, & conjunctionis argumentum, aſſiderent. Ita Iſaac cum Abimelecho Gen. 26. 28., Jacob cum Labano Gen. 32. 46., Joſue cum Gabaonitis Joſue 9. 14. cibos deguſtarunt; ſicut viciſſim, morem illum ſpectans S. Paulus, ab idolotytis fideles abſtinere præcepit 1. Cor. 10. 20.

Summum Sacerdotem in domo ſua Principem Dominus conſtituit, cui in Sanctuarium aditus uni patebat; nonniſi tamen ſolemnibus adhibitis cæremoniis, aliiſque obſervatis religionibus, quibus obſequium & religio loco ſancto conciliaretur. Solemnes hujus Miniſtri veſtes, à Domino præſcriptæ, tantæ dignitatis argumentum ſunt & emblema. Super humeros & pectus nomina XII. Tribuum Iſrael inſculpta deferebat; quippe quòd cura omnis, & adminiſtratio populi ad Sacerdotem pertinerent; agendumque illi eſſet cum Deo de univerſi populi rebus, à quo vulgaris populus majeſtatis timore abſterrebatur. Laminam auream fronti impoſitam geſtabat, in qua inſculptis literis legebatur: *Sanctum Domino*, quòd ſcilicet, aie Moyſes Exod. 28. 36. 38., commiſſa à populo in ſanctitatem loci, in oblationibus, & ſacrificiis crimina expiare ad Sacerdotem pertineat. In rebus arduis Summum Sacerdotem conſulendum Dominus edicit, juſſum proinde in Rationali *Urim*, & *Tummim*, nempe doctrinam, & veritatem, ſeu, ut illa Moyſes appellat, *judicium filiorum Iſrael* Exod. 28. 39. geſtare, quod eſt ſupremi populi Dei Judicis inſigne. Porro ex Urim virtus reddendi oraculi petebatur, ita diſponente Deo, ut in judiciis Summi Sacerdotis ſententias pronunciantis pondus oraculi agnoſceretur. Deformes viros à Sacerdotio abſterret Levit. 21. 17. 18.; quare vitio aliquo corporis infirmos, ſiva contemptibiles homunciones rejicit. Parem etiam apud Reges Perſarum conſuetudinem obtinuiſſe in hiſtoria Danielis c. 4. legimus.

Subjectis ſibi populis imperio diſpotico uti, atque unicè in illos regnare Principum eſt. Deus itaque, populi ſui libertati ſtudens, alienis perpetuo mancipio ſervire neminem patitur Exod. 21. & Levit. 25.; quare mancipia omnia Hebræa Sabbatico ſive Jubilæi anno manumitti præcipit: avitas hæreditates diſtrahere vetat, quippe qui nec vitæ ſuæ, neque bonorum, quorum uſum tantum à Deo haberent, domini eſſent. Operum, & quietis tempus Deus, anni ineuntis atque menſis exordium, quò ſcilicet ad nutum ejus penderent omnia, determinat. Sacerdotes, & Levitæ, veluti domus Dei ſervitiis addicti, peculiares deferre veſtes juſſi ſunt; de menſa Domini participant, de victimis ſcilicet, quarum tantùm adeps, & ſanguis Domino libantur, & de pane in Altari ipſius appoſito. Ita legimus in hiſtoriis, apud Reges Perſarum obtinuiſſe, ut omnia, quæ miniſtris deinde regiæ domus diſtribuerentur, menſæ priùs regiæ impoſita eſſent; nemo enim, qui Regi ſerviret, niſi de cibo Regi appoſito alebatur (2). Peculiaris erat pariter menſa Genio Regis, dapibus aliiſque neceſſariis, inſtar regiæ menſæ, inſtructa. Ita & Deus in parata ſibi menſa panes propoſitionis perpetuos apponi, vino adjecto, præcepit: quemadmodum & holocauſta matutina, & veſpertina, quotidie in limine Tabernaculi offerenda.

Quò autem altam de Sanctitate ſua, rerumque ſacrarum religione Hebræis inderet exiſtimationem, vel ipſas, quæ invitis obrepſerant, maculas ſtatis ſacrificiis & precibus eluendas præſcribit. His verò legalibus maculis ſi quis pollueretur, continuò à ſacris tractandis arcebatur; atque ſi quis prudens Tabernaculi religionem legali aliqua macula violaſſet, huic capitali ſupplicio crimen eluendum erat. Populus univerſus ea diſciplina in caſtris Tabernaculo circumfuſis detinebatur; quaſi ſcilicet in aula ſui Principis, vel ſub ipſis Regis oculis poſitus eſſet. Nec ſanè ejus diſciplinæ aliam aſſignat cauſam Deus, quàm quòd ipſius Dei oculis ſubjicerentur; *Sancti eſtote*. ait (3), *quia ego Sanctus ſum; nolite contaminare animas veſtras, nec tangatis quidquam eorum, ne immundi ſitis*. *Docebitis filios Iſrael*, ait Deus ad Moyſem, *ut caveant immunditiam, & non moriantur in ſordi-*

(1) Vide Euſeb. Demonſt. lib. 1 c. 10. Theodoret. q. 61. in Exod.
(2) Athen. lib. 6. cap. 14.
(3) Levit. 11. 43. 44. & 15. 31

ſordibus ſuis, cum polluerint Tabernaculum meum, quod eſt inter eos. Jubet etiam, ſingulis annis, die ſolemnis Expiationis, expiari *Sanctuarium ab immundititis filiorum Iſrael* (1). Hæc itaque plutium legalium cæremoniarum onica ratin occurtit, quarum alloquin plurimæ futiles eſſent, & vanæ, niſi grandioribus hiſce divinis ideis ſervirent. Quid enim aliud tanto rerum terrore, & apparatu inſinuavit Legislator, quàm ot per externas ſignificationes intimam puræ mentis ſanctitatem magis magiſque commendaret?

Illud etiam animadverſione dignom eſt, eundem, qui legem ad populum tulit, Dominum, æquè ſe Deom ac Regem exhibuiſſe. Cum enim abſolutiſſimas & æquiſſimas morales leges ſtatoeret; cum legis naturalis præcepta evolveret, atque mortalium in Deum officia explicaret omnia; cum latentium criminum ultionem in ſe reciperet; cum impunè apud homines peccantes ſibi pœnas daturos profiteretur, quid niſi Divinam exerit authoritatem? Regia verò poteſtate politiam univerſam dirigit, Leges ad Reipublicæ adminiſtrationem aptas ita præſcribit, ot ne minima qoidem, ad ſubditorum captum & imbecillitatem ſeſe accomodans, negligat. Cave tamen eas leges nihil ad perfectionem reliqui habuiſſe credas; non enim omnem, quæ Deum decebat, perfectionem, ſed omnem pro imbecilli populo diſcretionem præſeferont. Plura ſanè tanquam Princeps & Rex Hebræorum tolerat; quæ Deus & Jodex reprobat atque condemnat; uti uſuras in alienigenas, polygamiam, divortium, qoæ ſcilicet omnia naturali lege interdicuntur. Nonnonquam etiam pro data occaſione, prava qoædam inſinuaſſe videtur, uti cum Hebræos commodatò ſibi Ægyptiorum res poſcere, eaſqoe abducere præcipit. Qua tamen in re, juxtà ac Vir ſummus obſervat (2), jus Dei, mortalium omnium Regis, qood aliquando jus per homines exercet, à jure hominom inter ſe diſtinguamus oportet. Quare ſi populus, proprio uſus jure, Ægyptiorum res ſubripuiſſet, meritò quidem violatæ juſtitiæ reus haberetur; ab omni autem crimine jurè eſt abſolvendus, quòd ſcilicet nonniſi Dei præcipientis juſſa exequotioni mandarit. Deo enim præcipiente, furti crimen nullom eſt. Paria de præcepto Divino in in Chananæorum exterminio philoſophari licet; quamquam enim nulla ab iis gentibus accepta injuria Hebræi in bellum provocarentur, Deos tamen pro ſuo in Orbem univerſum jure illos ad Chananæorum exterminium, quorum ſtatuerat exitium, ultionis ſuæ illos miniſtros armavit.

Interdum majeſtatem ſuam Deos ad Leges qoaſdam demittit, quas ſeorſim ſpectatas, vix dignas, ut onum corpus cum cæteris Dei legibus conſtitoant, judicaremus; eas tamen, ſi una cum cæteris conjunctas inſpiciamos, integrum quoddam, & conſtans juris ſyſtema conſtituont, præ cæteris eò oſque ab hominibus latis abſolutiſſimum. Plures etiam ex iis legibus alio quàm literali atque obvio ſenſo explicandæ ſunt, cum abditam atque allegoricam ſignificationem ſub eo verborum involucro Legislator occultaverit, qaò vitia quædam caotiùs redarguerentur, atque vetarentur. In hunc ſenſum muliebre indumentum viris, & viciſſim virile fœminis interdicitur; vetitom etiam agrom ſerere diverſo ſemine, atque contextam lino lanaque ſimul veſtem geſtare &c. Paria in præceptis quibuſdam tradendis obſervaſſe Philoſophos quoſdam, ambagibus aliquando atque myſteriis ſententias ſuas obvolventes, ſcimus.

Quod autem latas à Deo leges, & Legislatorem ipſum cæteris præfert, illud eſt, nimirum Legislatores cæteros politiam tantùm, atquè Rempublicam ſpectaſſe; de Religione nihil curantes, niſi ſi qoid paci, atque felicitati Reipublicæ conferre animadvertiſſent. Accidit etiam non raro, ut populos io rebos omnibus Religionis rudes omninò reliquerint, evellere avitos de natura Divina ejuſque cultu errores, conſultò negligentes: quaſi ſcilicet error & ſoperſtitio continendis in fidem populis, quàm veri Dei cognitio & veritatum ipſius exercitium, plus contuliſſent. Plato Dei occulta myſteria popolo detegere è re eſſe non cenſuit (3). Oppoſita planè ratiooe latæ à Deo leges nihil habent antiqoius, quàm ut de Religione decernant, cætera habent acceſſoria; in unum Deum omnia referunt. In eo popoli totiuſqoe Reipublicæ felicitas, in eo univerſi Regni robur conſtituitor, ſi ea, qoæ ad veram Religionem pertinent, ſalva ſint omnia.

Alterum, in quo planè Legislatores prophani & Hebraicus diſſentiunt, illud eſt, nimirum Legislatores humanos leges tradidiſſe, quibus ad perfectionem reliqui eſſet plurimùm; ut proinde ab implendo Legislatoris nomine plurimùm abfuerint. Moyſes verò, ſive Deus Moyſis miniſterio, omnes Legislatoris numeros explet; qoippe qui abſolutiſſimum legum corpus tradiderit.

Docendi morum ſcientiam, atque præſcribendarum diſciplinæ regolarom duplex eſt ratio; per præcepta ſcilicet, & per exercitationem, cum ad normam traditæ legis ſobditi exercentor. Alterutrum ex his docendi genus cæteri Legislatores ſelegerunt; nemo utrum-

(1) Levit. 16. 16.

(2) Grot. Proleg. lib. de jure belli & pac. *Diſtinguamus accuratè jus Dei, quod Deus per homines aliquando exequitur, & jus hominum inter ſe.* Idem l. 1. c. 1. *Si Deus res alicui auferri præcipiat, non licitum ſit furtum, quæ vox vitium involvit; ſed non erit furtum, quod rerum ſupremo Domino authore fit.*

(3) Apud Joſeph. Antiq. l. 2. contr. Appion.

que junxit, ait Joſephus Contr. Appion. l. 2. Lacedæmones, & Cretenſes moralem doctrinam exercitatione docentes, præcepta negligebant; Athenienſes, & Græci omnia ad præcepta, nihil ad exercitationem deferebant. Moyſes utrumque junxit; legibus namque, & præceptis ita mores direxit, ut generales leges ad ſingulorum etiam mores adtemperarit, quæ cuique peculiaria eſſent, nulla re eorum arbitrio relicta, decernens. Suæ de ciborum qualitate leges; ſuæ de quiete, & labore, ſuæ tandem de omnibus, ut materna quadam charitate de minimis quibuſque filiorum, & domeſticorum indigentiis lex providiſſe videatur. Ne quis autem ignorantiam cauſetur, cautum eſt, ut ſingulis ſeptimanis una ſaltem die ad ſtudium ſe legis, & ad ejus lectionem in cœtibus Religioſis auſcultandam ſe conferant. Factum inde, ait idem Scriptor, ut alta illa de legibus, officiiſque ſuis oblivio, quæ univerſas latè gentes tenet, nulla ſit apud Judæos; una apud illos, & conſtans de Divinitate ſententia, qua in re cæteræ inter ſe gentes committuntur. Hinc etiam conſtans illa morum obſervantia, de qua nobis apud cæteros invidia creatur. Cum enim latam à nobis Deo authore legem teneri perſuaſum habeamus, ne lato quidem ungue ab ea recedere patimur. Quid equidem melius, quid ſanctius, quid æquius decerni potuiſſet? In eo tota Religionis, Legumque noſtrarum ratio verſatur, ut Deum agnoſcat ſummè perfectum, beatiſſimum, omnia continentem, ſibi ſufficientem, qui principium ſit, medium, omniumque rerum finis; bonorum item fons; atque prodigiorum author. Is porrò Deus, quamquam alioqui in operibus ſuis non obſcure agnitas, hominum tamen captum nimis excedit, quippè qui natura, & Majeſtate ſua inſcrutabilis habeatur. Hujus autem imaginem nihil, quod ſenſibus ſubjiciatur, exprimere, nulla cogitantis idea exhibere valet. Huic, cui nihil ſanctitate & bonitate par, inhærendum, committendumque, ut virtutum exercitio oculis ipſius placeamus. Hæc puriſſima, hæc unicè vera Religio. Cultus exterior, & ſacrificia in Lege præſcripta, pura ſunt omnia, nihilque cum ſceleſtis Paganorum ſacris habent commune. Vota Deo nuncupari non bonorum poſtulandorum neceſſitas jubet; Deus eſt enim natura munificus; ſed ne illis fortaſſe abutamur, votorum nuncupatione poſtulamus. Nihil eſt, quod ad legum Moſaicarum æquitatem deſideremus in iis, quæ de nuptiis præſcribit; ſicut & de mutuis parentum cum liberis, Conjugum, Dominorum cum Famulis, ſubditorum tum inter ſe cum etiam in Principem officiis; quæ planè omnia Deum Legum authorem demonſtrant.

Quantò verò Lex Moſaica prophanis cæteris præeſt, tantò novæ per Jeſum Chriſtum & Apoſtolos latæ concedit. Licèt enim plura ſint in utraque Lege conſona, neque altera alteri repugnare, ſive cum aliquid præcipiunt, ſive cum interdicunt, convincantur; fateamur tamen oportet, Jeſu Chriſti Legem id perfectionis attingere, ut ei plurimùm Lex Moſaica concedat: quæ ſcilicet Moyſes levi tantùm brachio molitus fuerat, hæc Jeſus numeris omnibus abſolvit. Hinc plurima in Lege permiſſa, in Evangelio prohibentur; plura etiam, quæ ſive Moyſes evellere non valuit, ſive Hebræorum Doctores detortis Legis verbis plantaverant, una Evangelii Lege præciduntur; vana etiam nonnulla, melioribus ſubſtitutis, loco cedere juſſa ſunt. Sacerdotium, Sacrificia, & cæremoniæ legales abrogantur, quò ſcilicet & auguſtius Sacerdotium, & præſtantiora Sacramenta, & cæremoniæ ſanctiores, & efficacius Sacrificium conſtituerentur. Figuras tandem, & umbras veritati conceſſiſſe par erat. Moſaica Lex, ad Jeſum Chriſtum veluti pædagogus deducens (1), in illo ſiſtebat. Quidquid juſtum, bonum, perfectum in Lege Moſaica ſancitum eſt, illud in Evangelica perficitur atque explicatur; quidquid etiam mali, charitati & rationi repugnans per Moyſem interdictum eſt, illud etiam per Jeſum Chriſtum gravioribus verbis, pœnis, ſtrictiorique præcepto prohibetur; quidquid tandem in illa mali, neceſſitatis obtentu, vel ſaltem quidquid minùs boni toleratur, in hac planè ſucciditur. Quare nullum in lege Chriſti divortium, nulla polygamia, lex talionis, atque in alienigenas uſura nulla. Frigida illa diſtinctio domeſtici, & alienigenæ exulare jubetur. Nec ultra Deus bonitatis atque miſericordiæ ſuæ largitatem cæteris denegans, in unam tantùm gentem atque Regnum profundit; omnes æquè gentes eodem ſimul fœdere eademque Eccleſia cenſentur. Idem amicitiæ, atque fraternæ charitatis vinculum mortales omnes colligat; quippe qui ad eandem omnes familiam ſub uno patre, eodemque communi fratre Jeſu Chriſto, cujus ſanguine redempti ſunt, cujus morte gratiæ & ſalutis capaces effecti ſunt, pertineant.

Tantarum veritatum veluti ſemina jecerat olim Moyſes; ſed literæ cortice obvoluta latebant. Lumina erant ſub modio, & in obſcuro quadam loco ardentes faces. Craſſum quoddam velum ſuper Moſaicos libros oppanſum, Iſraelitas carnales arcebat, veluti litera quædam mortua: proinde Legem habebant Judæi, veluti Lex imperfecta, importabile jugum, præcepta non bona, imbecilliora mandata, & fruſtranea, ideo tandem rejecta, quod in criminum mortem prolapſis opem vitamque conferre non poſſent (2). Is Moſaicæ Legis ſta-

(1) Galat. 3. 25.
(2) Hebr. 7. 19. *Nihil ad perfectum adduxit lex.* Ezech. 20. 25. *Dedi eis præcepta non bona, & judicia in quibus non vivent.* Hebr. 7. 18. *Reprobatio fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus, & inutilitatem.*

gis ſtatus, Jeſum Chriſtum reſpiciens; is etiam dum Hebræos ſpectat; Hebræos, inquam, qui ad novum fœdus, neque cordis habitudine, neque fidei & ſpei vividioris affinitate pertinebant.

In examen modò revocanda eſt agitata jam inter multos quæſtio; an ſcilicet Lex Judæorum ad Ægyptiarum imitationem expreſſa ſit; ſeu potiùs Ægyptiorum ad Judaicam.

Fixum itaque ratumque habendum eſt, apud utriuſque Gentis populos, plures olim fuiſſe leges & cæremonias mutua affinitate conjunctiſſimas; nec defuerunt inter Veteres, qui ex Hebræis Ægyptiiſque unum eumdemque populum conficerent; rati Hebræos origine, non ſecùs ac moribus Ægyptios eſſe. Ita Pagani Judaicam & Ægyptiam ſuperſtitionem nunquam non jungunt. Cum ſuperſtitiones omnes externas Roma pellere viſum eſt, eodem ſimul decreto Judæi atque Ægyptii obvolvuntur: *Cæremonias externas Ægyptios, Judaicoſque ritus* (1). Tacitus pariter Annal. 2. *Deis, ſacris Ægyptiis, Judaiciſque Urbe pellendis*. Viri plures, Antiquitatum Ægyptiacarum peritiſſimi, nihil magis affine in rebus ſpectaſſe ſe unquam profeſſi ſunt, quàm utriuſque hujus populi diſciplinam: *Tantam habent ad ritus, ſacrificia, cæremonias, ſacraſque diſciplinas Ægyptiorum affinitatem*, ait Kircherius in Propyl. c. 2. *ut vel Ægyptios Hebraiſantes, vel Hebræos Ægyptiſantes fuiſſe dicas*. Marshamus Can. Ægypt. ſæc. 9. & Spencerus de legib. Hebr. ritual. aliam, planè contrariam, & fortè etiam aliquanto exorbitantem à recto, tenentes viam, defenderunt, Judaicarum cæremoniarum pleraſque ex Ægyptiis eſſe repetendas.

Nemo planè dixerit, tantam inter infenſas alioquin gentes affinitatem fortuito caſui deberi; quanquam fateamur oportet, in ea de moribus utriuſque gentis diſquiſitione, hanc utriuſque populi ſimultatem pariter, & in legibus cæremoniiſque affinitatem, negotii plurimum faceſſere. Profitetur non ſemel Deus, reducturum ſe electum populum ſuum à moribus & ſuperſtitionibus Ægyptiorum; ſive imitatione (2), ſive commercio, & fœdere (3), cum illis conjungi vetat; præcipit inſuper, ut ea, quibus Ægyptii cultum impendunt, ſibi immolent in ſacrificium (4). His ergo conſiliis ſuis repugnaſſet Deus, ſi paria invexiſſet inter Judæos, quæ jam apud Ægyptios ſervarentur.

Nec minor erat Ægyptiorum à Judæis averſio, in tantùm ut ne menſa quidem, Joſephi Patriarchæ ætate, illos dignarentur (5); creveritque deinde in dies odium, ex quo potiſſimùm Moyſes Iſraelem, tanto Ægyptiorum diſpendio, è captivitate reduxit. Infeſtos inter ſe utroſque populos diſſidere Joſephus Hiſtoricus lib. 1. cont. Appion. non diffitetur; nec ab ea re abludit Herodotus lib. 2. cap. 78. teſtatus, legibus ſuis Ægyptios ita inhærere, ut alias aliarum gentium admittere non paterentur; quin & commercium illos cum exteris omnibus reſpuere, ne quid alienæ ſuperſtitionis recipere cogantur, teſtatur Chæremo apud Porphyr. de abſtin. l. 4. Quis ergo fieri potuiſſe crediderit, ut Religionis & ſuperſtitionis à ſe inventæ, itemque exiſtimationis ſuæ tenax adeo populus, aliena facilè, & maximè Hebraica, quæ omnino odio & contemptu proſequebatur, admitteret?

Iſraelitarum verò erga alias gentes habitudo alia planè erat, ac Ægyptiorum; quanquam enim odio & contemptu cæteros averſarentur, ſuiſque inhærerent moribus; inſita tamen voluntatis propenſione in idololatriam, & finitimarum ſibi gentium ſuperſtitiones ferebantur. Nihil ea re frequentius in S. Scriptura, cujus Libri, & maximè Prophetici, crebras exhibent in Idololatras Judæos invectivas. Sed, quod mirum eſt, ipſos, quos imitabantur Judæi, populos, incircumciſorum nomine per ſummum contemptum traducebant. Judæos tanquam inſociabilem, & à cæterorum commerciis alienam gentem deſcribunt Hiſtorici. Hæc de illis Tacitus lib. 5. hiſt. *Moſes, quo ſibi in poſterùm gentem firmaret, novos ritus contrarioſque cæteris mortalibus indidit. Prophana illis omnia, quæ nos ſacra: rurſum conceſſa apud illos, quæ nobis inceſta ... Hi ritus, quoquomodo inducti, antiquitate defenduntur*. Hæc ſententiarum conſiliorumque repugnantia, ritus planè diverſos repugnanteſque, Baal pariter & veri Dei in Hebræos invexit; coegitque invitos pariter & volentes, ſuperſtitionis communione cum infenſis alioqui, & deſpectis à ſe gentibus conjungi. Quibus ita ſe habentibus, ex Ægyptiis potiùs expreſſæ Judaicæ cæremoniæ reputari potuiſſent; quippè quæ, ſemel in populum invectæ, cum exſcindi non poſſent, in ſacros uſus traducerentur.

Si quis tamen has inter utrumque populum affinitatem pariter & ſimultatem alia planè ratione ſpectare voluerit, viam facilè inibit, ut repugnantes in ſpeciem difficultates conciliet. Vera itaque ſecernantur à falſis, certa ab incertis, quæ jactabunda Ægyptiorum vanitas, ſivè ſtulta Græcorum credulitas in Hiſtorias Ægyptiorum, & Hebræorum invexit commenta, ab iis, quæ in Hiſtoria Sacra Deo authore referuntur; ſtatimque, verſa controverſiæ facie, Judæos quidem pauca ab Ægyptiis, Ægyptios verò à Judæis plura derivaſſe intelligemus. Factum etiam deprehendemus non rarò, ut leges utrimque repugnantes da induſtria, & æmulationis zelo rogarentur; quin & accidiſſe aliquando, ut moribus & ſententiis

(1) Sveton. in Tiber. c. 36.
(2) Levit. 18. 2. 3. (3) Deut. 12. 30. 31.
(4) Exod. 8. 26. (5) Gen. 43. 32.

tentiis fortuito caſu convenirent. Quæ quidem omnia ut planius aſſequamur; utriuſque gentis affines inter ſe leges percurrendæ ſunt; ſimulque curandum, ut ſedulò tempora & momenta omnia, quæ utriuſque Reipublicæ ſtatum & politiam immutarunt, diſtinguantur.

Latæ à Moyſe leges omnes ſivè morales ſunt, ſivè judiciales, ſivè cæremoniales. Moralibus ſanciendis unicè ſpectatum rationis dictamen, ſicut & inſita illa boni malique, & Dei, ac ſui ipſius generalis notio. Populos autem inter ſe moribus & genio licèt infeſtiſſimos, in communibus tamen erga Deum & proximum officiis conveniſſe, quis jure miretur?

Leges judiciales ex ratione derivatæ, ad Reipublicæ politiam, atque univerſi populi felicitatem collimant. Quare nullo negotio fieri potuiſſe credimus, ut duo Legiſlatores eundem ſibi finem boni publici præſtituentes, ſivè contraria inter ſe, ſivè affinia duabus diſſitis gentibus pro variis condendarum legum circumſtantiis, edixerint; quanquam alioqui, neque de ſimilibus, neque de repugnantibus legibus præſcribendis vel ſemel quidem cogitaverint. Sivè igitur judiciales Hebræorum leges ad Ægyptias acceſſerint, ſivè longo receſſerint intervallo; Moyſem tamen ad illas ſivè imitandas, ſivè averſandas reſpexiſſe (niſi ſi quando contrariam planè ſanctionem pravis quibuſdam corruptiſque Ægytiorum moribus opponit) immeritò deduceremus.

Cæremoniales denique Leges circa Religionem verſantes, ita reputandæ ſunt, quaſi ex arbitrio & voluntate Legiſlatoris unicè dependeant, Legiſlatoris, inquam, non temerè illas quidem, ſed ad præſtitutum generalem finem omnes dirigentis (1); ſingulas verò ità præſcribentis, ut rationem cur hæc potiùs, quàm illa præſcripſerit, nemini reddere teneatur.

Itaque ſi Moyſes novæ conſtituendæ Religionis conſilio cœtus indixit, & ſolemnitates, ſi cæremonias item, & ſacrificia ſicut & Sanctuarium ad cultum Domini præſcripſit; ſi tandem Sacerdotes ſtatuit & Altare; ſique in rebus omnibus cum cæteris Legiſlatoribus paria molientibus, ſine quibus homines in unum Religionis corpus vix coirent, conveniſſe deprehendatur, quis rogo inter prodigia deputaverit? Ex quibus planè nemo jure deduxit, omnes illos Legiſlatores, dum politiam quiſque ſuam moliretur, alterum alterius imitationem affectaſſe: ſiqua tamen non in Religione univerſa conſtituenda, ſed in ſingulis cæremoniis & ritibus peculiaribus affinitas & oppoſitio deprehendatur; aliter tunc ſanè de illis philoſophandum, atque ita conſtituendum, ut de induſtria planè, non fortuito caſu ita factum eſſe judicetur. Si affectata igitur quædam ſimilitudo vel oppoſitio in Hebræorum & Ægyptiorum ſingulis cæremoniis appareat, uti cum de Sacrificiis agitur, de veſtibus Sacerdotum, de ſexu, vellere, ætate, cæteriſque victimarum conditionibus; ſicut & de forma ac ſtructura Altaris aliiſque, ab unico Legiſlatoris arbitrio dependentibus, hæc planè omnia data opera atque conſilio invecta cenſenda ſunt. Cum enim legibus illis ſola ſteterit pro ratione Legiſlatoris voluntas, cur illæ potiùs, quàm aliæ ſancitæ fuerint, non alia ſanè ratio, quàm in Legiſlatoris voluntate quærenda eſt. Si quid igitur ejuſmodi aliquando occurrat, atque inter duas gentes varietas ſive affinitas cæremoniarum obſervetur, id totum ſivè ex Legiſlatoris, ſive ex populi electione repetendum eſt. Tota modò difficultatis vis in eo vertitur, uter ex his populis in his cæremoniis ſervandis jure vetuſtatis alteri præſcripſerit. Scitum ex Scriptura (2), Judæos in Ægypto ad Idola declinaſſe, quam fæcem neque ab Ægypto ſecedentes, neque iter per deſertum facientes abjecerant (3). Porrò fictam hanc Numinum religionem jam inde ante Iſraelitas in ea provincia obtinuiſſe (4); ubi omnibus ſuccedentibus ſæculis regnavit, atque ab iis ſuperſtitionibus populum ſuum Dominum removere voluiſſe (5) nullus dubito. Quæ cum ita ſint, continuò fateamur oportet, cæremonias illas & ritus iter utroſque populos diametro oppoſitas, non alio apud Iſraelitas conſilio invectas fuiſſe, quàm ut Ægyptiacis moribus adverſarentur.

Quod ad ritus apud utramque gentem affines attinet, una Patres conveniunt (6) Diabolo illos authore, quem Divinitatis ſimiam appellant, in Paganos ex Hebræis derivatos fuiſſe. Sed quo bono Satanas ſacras Dei cæremonias in Ægyptum invexerit, quo inſuper conſilio Ægyptii laſenſæ ſibi gentis mores adoptaſſent? Quid quod Ægyptiorum Religio vetuſtate Hebræam ſuperat? Nonne inſuper Hebræi ante egreſſum ex Ægypto ad Ægyptias ſuperſtitiones declinaverant, quas etiam ab ea provincia remoti nondum penitus abjecerunt? Hebræi itaque Ægyptiorum potiùs quàm Ægyptii Hebræorum plagiarii accuſantur. Excipiamus tamen ritus nonnullos oportet, quos Hebræi ſecum in Ægyptum invexerunt, ut circumciſionem, quam ex Hebræis in eas gentes derivatam ſupra demonſtravimus Diſſert. de vetuſtate Circumciſ.

DISSERTATIO.

(1) Vide S. Thom. 1. 2. q. 102. à cap. 2. uſque ad 3. & Rab. Maim. par. 3.
(2) Joſu. 24. 14. *Auferte Deos, quibus ſervierunt Patres veſtri in Meſopotamia, & in Ægypto.*
(3) Amos 5. 26. Ezech. 22.
(4) Exod. 32.
(5) Vide ad Gen. 43. 16.
(6) Tertull. de Præſcr. *A Diabolo ſcilicet, cujus ſunt partes intervertendi veritatem, qui ipſas quoque res divinorum Sacramentorum, in Idolorum myſteriis æmulatur.* Vide & S. Aug. Epiſt. 102. nov. Edit. q. 3 n. 18. 20.

DISSERTATIO
DE VERIS FICTISQUE PRODIGIIS,
ac Dæmonum & Angelorum in corpora poteſtate.

Nihil in vulgari ſermone frequentius, quam de prodigiis, atque bonorum malorumque Spirituum per corpus operationibus; nihil eſt etiam, cujus minùs claræ, atque fictæ omninò ideæ, quàm de his omnibus rebus ſuppetunt. Viri quidam acri, ut ipſi quidem cenſent, ingenio, ac minimè trepido, omnia quæ de Angelorum poteſtate, & apparitionibus feruntur, ſicut & de præſtigiis, quibus ſenſus hominum fallunt, Dæmonum in corpora infeſtationibus, ſubitiſque tandem per illos aeris, cæterarumque rerum immutationibus; ea, inquam, omnia tanquam vana muliercularum terriculamenta reputantes, qui credulam hiſce rebus mentem addixerint, eos pietate & miſeratione proſequuntur. Alii contrariis planè ſtudiis exorbitantes, omnes Dæmonum, Magorum, Veneficarum fabellas probant. Nihil illis in prodigiis, hiſtoriis de apparitionibus Spirituum, atque Dæmonum corpora obſidentium ſuſpectum. Alii tandem, prava ſanè & noxia ſpiritus habitudine, quæ de prodigiis, Angelis, Spiritibus &c. feruntur, omnia eo argumento rejiciunt, quòd ſcilicet plura vulgata ſint prodigia vel ficta omninò, vel naturalibus quibuſdam inſuetiſque cauſis, ſed latentibus, tribuenda.

Hanc itaque quæſtionem occaſione eorum, quæ de prodigiis Magorum Pharaonis, de Spiritu Samuelis Sauli exhibito leguntur, nos examinandam aſſumimus. Quæ ut ordine procedant, dicendum priùs à nobis de natura, poteſtate, atque charactere prodigiorum; dein de Angelorum bonorum malorumque ad prodigia patranda facultate.

Verum prodigium, juxtà inſitam nobis ideam, res eſt regulas naturæ conſuetas tranſcendens. Vir ſuper aquas gradiens, in aera ſuſpenſus, ignotas linguas ſubitò callens, virgæ in anguem ſubitò transformatæ verum prodigium referunt. Fictum autem prodigium illud concipimus, quod naturæ leges in ſpeciem tantummodò ſuperat; uti coma ſubitò concepto igne deflagrans, quod pingui aliquo humore fortè delibuta eſſet, (uti de coma Juli aliorumque ferunt) ignem illum intactos relinquere crines &c. nullo hæc prodigio fieri potuiſſe conſtat; cum in lineo panno vini ſpiritu imbuto, quotidie obſervemus, ignem, abſumpto liquore, linum relinquere. Plura ſanè hiſce ſimilia occurrunt, quibus latens & occulta cauſa prodigii apud nos famam conciliat.

Scitè etiam obſervat S. Auguſtinus ea, quæ nobis prodigia jure meritoque creduntur, naturalia ſimul eſſe, & ſupra naturam; naturalia quidem, cum eandem Dei voluntatem, in qua tota naturæ ratio, habeant authorem; ſupra naturam verò, quod à conſuetis naturæ legibus exorbitent. Addit inſuper: *Nec* (1) *enim iſta cum fiunt, contra naturam fiunt, niſi nobis, quibus aliter naturæ curſus innotuit, non autem Deo, cui hoc eſt natura, quod fecerit.* Et alibi (2). *Quomodo eſt contra naturam, quod Dei fit voluntate, cum* A *voluntas tanti utique Conditoris, condita cujuſque rei natura ſit? Portentum ergo fit, non contra naturam, ſed contra quàm eſt nota natura.* Satis profectò conſtat hoc Auguſtini dictum: *Voluntas Dei eſt cujuſque rei natura*, de rebus tantùm naturalibus intelligendum eſſe; cum alioqui alia ſit moralium ratio; quanquam in moralibus æquè ac in phyſicis omnia poſſit Deus. Sed in moralibus agenti gratiæ non inerti quodam modo obſequitur voluntas hominis, ſicuti materia anima & libertate deſtituta, Creatori.

Spinoſa nunquam prodigia fieri poſſe demonſtraturus, naturæ curſum præverti unquam poſſe, B hoc argumento negat: Naturæ legis ipſiſſima ſunt Dei volentis decreta, quæ ſi immutari unquam contingeret, ipſe immutabilis Deus mutaretur. Stent ergo, ait, ab immoto Deo immotæ naturæ leges, & prodigia, quæ naturæ prævertunt leges, faceſſant (3).

Hujus Scriptoris de ſummo Deo ſententia eò tendit, ut eodem ſemper tenore, abſoluto, neceſſario, atque generali agere illum conſtituat; ex quo illud conſequitur, naturæ curſus & effectus, qui à Deo diſponente unicè pendent, invariabiles eſſe & immotos; nec fieri unquam poſſe, ut illis vel minimò exorbitantibus, de ratione ſummæ illius Providentiæ, ſapientiſſimæ, C immobilis, ſibique ſemper conſtantis aliquid non deceſſerit.

Hoc Authoris ſyſtema, magnificum primo aſpectu, & Dei, ſibi ſemper conſtantis, ideam omnem implens; re tamen æquam ſummi illius liberi, ſapientiſſimi atque potentiſſimi ideam penitùs deſtruit. Ejus enim voluntas, quæ fœcunditatem potentia metitur, neque ab eventibus pendere, vel rebus ab ipſa productis ſervire unquam cogitur; ſemper quin potiùs libera, & ſemper ſibi conſtans, decreta ſua ſolo regit arbitrio. Tempus omne, eventus, rerumque circumſtantiæ, motus quin etiam creatæ voluntatis qui- D cumque Divinis ab ævo obtutibus exhibentur, ut eorum quæ priùs, quæ modò, quæque in futurum accidere unquam contigerit, nihil ipſi fuerit impervium, nihil occultum. Nihil inſuper præter Deum authorem in Mundo, nullus in corpore motus agitur; quanquam ita rebus omnibus manum admovet, ut in agentibus ſingulis eorum foveat libertatem. Cùm autem novi aliquid in Mundo acciderit, non ita conſtituendum de ipſo, quaſi rem aliquam ante hac occultam tunc primò cognoſcens, novum de illa decretum rogaverit. Semel ille omnia ab æterno ita ſtatuit, ut ipſa rerum mutatio ab immutabili illo conſilio ab ævo decreta, æternum manſerit. *Opera mu-* E *tat, conſilia non mutat* (4). De ſingulis creaturis pro arbitrio citra diſpendium naturæ diſponit, cum non alia ſit rerum natura, quàm ipſa Dei diſponentis voluntas (5). Cauſarum ſecundarum connexio, earum ad generales motuum leges ſubordinatio, partium Univerſi inter ſe diſpoſitio, ſingula hæc ſibi certè adeò fixa & conſtantia ſunt, ut ab uno tamen ſumme libero, cui inexplora-

tum

(1) De Gen. ad lit. l. 6. cap. 13.
(2) De Civ. Dei l. 19. c. 8. (3) Spin. Tract. Theol. polit. c. 6.
(4) Aug. Conf. l. 1. (5) Cont. Fauſt. l. 25. c. 5.

tum nihil, dirigantur; ab uno illo corpora omnia pendent, & motus, & cum maximè à conſuetis atque præſcriptis ſibi in rerum gubernatione legibus recedit, tunc potiſſimùm libera illa ſuæ voluntatis decreta fixa ab æterno & rata exequitur. Maneat ergo, prodigia Dei providentis alto conſilio diſponi, ipſamque rerum œconomiam fovere potiùs, quàm pervertere.

Auguſtam prorsùs Spinola Divinæ voluntatis ideam ſibi præſcripſit, dum conſtantiæ illius ita conſuluit, ut libertatem negarit. Ludit profectò de nomine *Legis naturæ*, quaſi ſcilicet aliud quàm Dei voluntatem deſignaret, vel prodigia naturæ leges deſtruerent; cum tamen Dei voluntatem ipſiſſimam eſſe rerum naturam jam oſtenderimus. Prodigia verò liberæ quidem Dei voluntatis ſunt opus; non voluntatis quidem, generales atque conſuetas naturæ leges dirigentis, ſed peculiaris, quæ ſibi pro ſua libertate agenda quædam inſueta reſervat. Hæc vera prodigii notio.

Ex his planè colligi poſſe arbitror, prodigiorum facultatem ſolo Deo reſervari, ut in ejus privilegii communionem neque Angeli, neque animæ à corpore ſecretæ, venire unquam poſſint. Quamquam eorum precibus aliquando, ſicut & eorum miniſterio atque inſtrumento factum eſt, ut Deus prodigia patraverit; ſicuti de Angelis, & Prophetis in V. T. de Apoſtolis in Novo legimus.

Verùm de malis Spiritibus non ita facilè intelligimus, qui tantùm valuerint, ut prodigia patrarent; neque enim ſive vi ſua illa operari, ſivè à Deo precibus impetrare potuerunt. Quare Deum illis ultionis ſuæ adminiſtris uſum in prodigiis exhibendis credimus; niſi fortè nullum à Dæmonibus verum prodigium factum unquam, ſed omnia ad præſtigia & ad occultam aliquam, ſed naturalem cauſam deputare maluerimus. De hoc igitur in præſentiarum agendum.

Magi Pharaonis, narrante Scriptura, virgas in angues, aquas in ſanguinem, Moſaica prodigia æmulaturi, tranſmutarunt Exod. 5. &c. Ab his Magorum prodigiis ita Moſes cavendum monet, ut ſimul à Dæmone patrari illa non ambiguè ſuadeat Deut. 13. 1. *Si ſurrexerit in medio tui Prophetes, aut qui ſomnium vidiſſe ſe dicat. & prædixerit ſignum atque portentum; & evenerit, quod locutus eſt, & dixerit tibi: Eamus & ſequamur Deos alienos ..... non audies verba Prophetæ illius, aut ſomniatoris, quia tentavit vos Dominus Deus veſter.* Dæmonis Beelſebub poteſtate in pellendis malis Spiritibus uſum Jeſum Chriſtum exprobrantibus Phariſæis, objectam calumniam ipſe Chriſtus diluens, hanc quidem in prodigiis patrandis poteſtatem Dæmoniis non negat; ſed vix fieri potuiſſe dicit, ut Satan Chriſto adverſario ſuo obſequens, ſecum ipſe pugnaret Matth. 9. 34. & 12. 24. Alibi etiam cavendum nos monet à prodigiis Pſeudo prophetarum Matth. 24. 24. Antichriſti ſigna & portenta omnia Apoſtolus perſequitur 2 Theſſal. 2. 9.; docet inſuper, Satan in Angelum lucis aliquandò ſe transformare. Plures tandem ex Patribus Magos Pharaonis virgas ſuas in angues verè tranſmutaſſe cenſuerunt; quòd quidem ſine vero prodigio fieri potuiſſe, vix in animum inducimus.

Origenes pari ferè prodigio utrinque contigiſſe, ut Moyſis nimirum & Magorum virgæ in angues tranſmutarentur, luculenter aſſeruit (1); quanquam angues in virgas reſtituere Dæmon fruſtra tentavit; quippè quòd: *Contraria virtus male quidem facere aliquid poteſt, ſed reſtituere in integrum non poteſt.* Theodoretus qu. 18. calumnias eorum diluens, qui Moyſis prodigia Magiæ accuſabant, nihil habet in promptu niſi Magorum Pharaonis de prodigiis illis genuinam confeſſionem: *Digitus Dei eſt hic.* Tandem, ait, ſi Moyſes præſtigiis tantùm intuentes ſefelliſſet, Magi, aliis objectis præſtigiis, impoſtorem arguere potuiſſent.

S. Auguſtinus hac ſibi propoſita quæſtione (2), an ſcilicet virgæ Magorum nomen tantùm & inanes anguium figuræ, ſeu veri eſſent colubri; reſpondet, ex ipſa Scripturæ phraſi par utrinque, & in Moyſe, & in Magis, prodigium ſatis deſignari. Quid ergo, ait, Dæmones pari cum Deo creandi virtute pollent? Neque enim aliter tam prompta rerum mutatio fieri unquam potuit. Minimè illi quidem, ſequitur Auguſtinus, ſed ſeminatinum aliquod rerum corporearum principium per omnia latè elementa diffunditur, quod apta offendens agentia, res ſingulas producit. Si quæ autem ea occaſione res novæ producantur, non creari quidem; non enim è nihilo prodeunt; ſed procreari tantùm, & è materno cauſarum ſuarum ſinu educi cenſendæ ſunt.

Ita fieri potuiſſe cenſet S. Auguſtinus, ut projectæ à Magis virgæ momento in angues tranſmutarentur; dicto enim citiùs Dæmones ſolutæ virgarum materię aptas cauſas anguibus procreandis applicarunt. Qui verò cauſas & principium illud è nihilo produxerit, ſolum Deum idem Vir Sanctus agnoſcit. Paria repetit in Libro 3. de Trinitate c. 8.; ſicut & de Civitate Dei l. 18. c. 18., ubi probat Dæmones ſinè peculiari Dei auxilio vim ſuam exerere non poſſe; omnem inſuper poteſtatem novas producendi creaturas illis abjudicans, ſolam immutandi creatas à Deo ſpecies virtutem permittit; quare, ait, non tantùm immutare animarum naturas fruſtra conarentur; ſed nec in corpus hominis valent adeò, ut in belluam redigere poſſint. Tandem in Epiſtola ad Deogratias Ep. 102. nov. Edit. q. 16. n. 32. *Quamvis*, ait, *& Dæmones nonnulla faciant Angelis ſanctis ſimilia, non veritate Sed ſpecie: non Sapientia, ſed plane fallacia.* Quæ facilè de prodigiis Paganorum ab, Auguſtino dicta ſunt, non de iis, de quibus S. Scriptura tanquam de veris ac minimè fucatis prodigiis narrat.

S. Thomas 1. par. q. 104. art. 4. Auguſtini argumenta & ſententiam adoptans, omnes à Dæmonibus inductas rerum immutationes naturæ legibus conſonas oſtendit; novis enim, ait, motibus, vel nova forma certæ ſubſtantiæ indita, novas ſtare res Dæmones jubent; quæ verò, pergit, aliquando Dæmonum prodigia ſupra naturam apparent, hæc ſane præſtigia cenſenda ſunt.

Plerique ex Commentatoribus in eandem ſententiam abierunt, cujus tota difficultas in eo verſatur, an ſola cauſæ naturalis applicatione fieri potuerit, ut ex virgarum materia nova ſubſtantia promptè compingeretur. Toſtatus in Exod. 7. q. 20. rem eſſe impoſſibilem judicans, fieri potuiſſe cenſet, ut Dæmon, pro ea, qua pluriṁum valet, agendi dexteritate, ſubductis clam virgis, veros angues ſubſtituerit. Alii malum Dæmonem, cui Moyſis conſilium, jam ab ipſo Moyſe populo revelatum, innotuerat, virgas antea paulatim præparaſſe malunt, ut opportuno tempore in angues tranſmutarentur (3).

Utcumque tamen res contigerit, Patres, & Interpretes nullum interceſſiſſe in ea re prodigium ſatis conveniunt. Miram illi quidem & ſingularem metamorphoſim, naturæ tamen legibus conſonam, fatentur; ſed neque in Scriptura unquam Dæmonum & Pſeudo-prophetarum prodigia, veri prodigii elogio donata animadvertunt. Nunquam

(1) Orig. hom. 13 in Num. *Efficit ſimiliter contraria virtus virgam ſerpentem, ſicut fecerat virtus Dei &c.*
(2) Quæſ. 21. in Exod. *Deus verò ſolus verus Creator eſt, qui cauſas ipſas & rationes ſeminarias rebus inſeruit.*
(3) Cajet. & Barrad. & Janſ. in Exod.

quam etiam malos Spiritus libera & independenti poteſtate uſos, ex eadem Scriptura novimus. Apoſtolus quin etiam Antichriſti ſigna ita deſcribit 2. Theſſal. 2. 9. 10. *Cujus eſt adventus ſecundùm operationem Satanæ in omni virtute, & ſignis, & prodigiis mendacibus, & in omni ſeductione iniquitatis in iis, qui pereunt*. Si quando in S. Scriptura Dæmonis prodigia aliqua referuntur, ſtatim à Deo ita permittente, atque malis Spiritibus ultionis ſuæ miniſtris uſo facta dicuntur. In narratione plagarum Ægypti legimus, Deum Magorum virgas in angues, Nili aquas, iiſdem Magis authoribus, in ſanguinem tranſmutari ſiviſſe; ſciniphes verò, Deo renuente, producere illos nequicquam tentaſſe (1). Quid, quod eodem cum cæteris Ægyptiis fato iiſdem plagis Magi illi affecti ſunt? Deo ita diſponente, ut pro ejus arbitrio & virtutem illi ſuam exeri, & in ordine contineri faterentur.

S. Auguſtinus in Exod. q. 21. veros quidem angues è virgis Magorum prodiiſſe conſentit; ſed, ait, *non fuerunt tamen creatores Draconum nec Magi, nec Angeli mali, quibus miniſtris illa operabantur*. Satanæ quidem datum eſt, ut occaſionem & cauſas inſtruat rerum productioni aptas; at nova creare uni Deo, à quo ſingulis naturalibus agentibus accepta virtus, reſervatur.

Alibi vero docet (2), totam malorum Spirituum poteſtatem in eo ſitam eſſe, ut malos Deo permittente puniant; bonos exerceant: *Nec ideo*, ſequitur, *putandum eſt iſtis trangreſſoribus Angelis ad nutum ſervire hanc viſibilium rerum materiam, ſed ſoli Deo*. Paria de virgis in colubros tranſmutatis docens S. Thomas 2. 2. quæſt. 178. ar. 1. ad 2. addit deinde: *Non vere habent rationem miraculi, quæ fiunt virtute aliquarum naturalium cauſarum*. Si ergo SS. Auguſtino, & Thomæ fides habeatur, veri patrandi miraculi poteſtas nulli prorsùs creaturæ, ſed Deo tantùm conceditur.

Reliqui ex Patribus in iis, quæ ad prodigia ſpectant, malis Spiritibus minus concedunt; quippe qui virgas Magorum mero præſtigio angues ſpectantium oculis exhibuiſſe ſuſtineant. Tradit Philo de Migrat. Abraham, Magos illos omnibus artis ſuæ conatibus eludendis veris Moyſis prodigiis laboraſſe; quanquam, ait, alios decipere moliti, ſuis ipſi artibus decepti ſunt; id agente Numine, ut virga Aaronis Magorum angues voraret. Licet verò alibi idem Scriptor veros angues ex Magorum virgis productos pro certo conſtituere videatur; addit tamen, virgam Moyſis ſerpentes à Magis productos, & denuo in priſtinam virgæ naturam reſtitutos voraſſe; quo Deus prodigio, ait, iniquos rei æſtimatores docuit, ea, quæ à Moyſe portenta patrata ſunt, non callidi alicujus veteratoris dolos æſtimari debere, ſed Divinæ operationis, cui nihil impoſſibile, vera & genuina miracula (3). Quo ſanè dicto ſatis Author inſinuat, Magorum virgas artis tantùm præſtigio, ſerpentis ſpeciem, non rem exhibuiſſe.

Joſephus Antiq. lib. 2. c. 5. loquentem inducit Moyſem ad Pharaonem in eam ſententiam; tranſmutare ſcilicet ſe virgam ſuam in anguem, non mero tantùm præſtigio, ſimplicioribus fallendis, uti à Magis factum fuerat, ſed vero prodigio Divina virtute patrato. Pſeudo Juſtinus totum hoc Magorum opus malo Spiritui imputat, qui ſpectatorum oculos præſtigio fallens, anguium & ranarum ſpeciem inanem & vacuam exhibuit (4). S. Juſtinus in Dialog. cum Tryphon. ea Magorum miracula in eodem cenſu habet cum prodigiis Paganorum, quibus Dæmon ſimplicioribus imponit. Quid autem hæc ſunt, niſi præſtigia? Tertullianus de hoc argumento ita diſſerit in libro de Anim. c. 57. *Corpora videbantur Pharaoni & Ægyptiis Magicarum virgarum dracones; ſed Moſis veritas mendacium devoravit*.

Hæc Tertulliani verba præ oculis habuiſſe Hieronymus videtur, de Antichriſti miraculis in hanc ſententiam locutus ep. ad Algaſiam c. 2. ad fin. *Quomodo enim ſignis Dei, quæ operabatur per Moyſen, Magi ſuis reſiſtere mendaciis, & virga Moyſi devoravit virgas eorum; ita mendacium Antichriſti veritas devorabit*. S. Gregorius Nyſſenus de vita Moyſis, S. Proſper de promiſſ. part. 1. c. 5. Ambroſiaſter in 2. Timoth. cap. 3. Rupertus Abbas in Exod. aliique ficta omnia, & mera præſtigia in prodigiis Magorum agnoſcunt.

At enim ſine prodigio fieri non potuit, ut Magorum virgæ ſive occulto & ſubtili Dæmonum artificio novam induerent anguium figuram, ſive adſtantium oculis induiſſe viderentur, quamvis alioqui virgarum naturam in ſe retinerent. 2. Si Deus fallentes iis doliis Dæmones, ſuæ voluntaris arbitrio dirigit, commiſſi cum illis criminis reus habendus eſſet; quippe qui mali hominibus irrogandi adjutorem ſeſe præbuiſſet. 3. Si genuina illa prodigia cenſenda ſunt, quæ & certas naturæ leges, & agentis naturales vires excedunt, vera à fictis miraculis diſcernendi ratio difficilis hominum pleriſque continget; quare ſatis certum à miraculis argumentum vix erit quod deducatur; quis enim naturæ leges omnes diſcuſſerit?

Hiſce ergo difficultatibus ſingulis iſta reponemus. 1. Quæ ſingulis Angelis, Dæmonibus, animabus à corpore ſecretis, naturalis vis inſit, quidque proindè in corpora valeant, ut naturalia à ſupernaturalibus diſcernantur, vix eſt quod à nobis determinetur. Subtili quadam corporis materia, aura tenuiori, Angelos, Dæmones, & animas conſtare Veterum nonnulli autumarunt (5); quare, inquiunt, Dæmones ſacrificiorum nidoribus (6), cantilenis, ſanguine victimarum, muliebri coitu delectantur; ſicut & certis adſtringuntur temporibus, locis, & ædificiis. Quod autem bonos à malis Angelis apud illos diſtinguebat, pronum erat & obſtinatum in deteriora ſtudium, quo mali Angeli, ejuſdem alioquin cum bonis naturæ, detinentur. Ita planè duos oculos vel aures ex vitio alterutrius diſtinctos diceremus (7). Subtilium iſtorum corporum dotem eſſe immortalitatem rati, craſſiori reſoluto corpore, tenue illud, quo anima conſtat, & inſtar corporis craſſioris efformatum erat, manere cenſebant. Hoc autem animæ corpus, ab altero craſſiori ſecretum. Veteribus nonnullis *aſtris ſimile* (8), *fulgori ſimile* dicebatur; atque ex luce nonnunquam circa ſepulchra micante, argumentum de animæ immortalitate, de figuræ illius cum corpore affinitate, iiſdemque ſervatis, quas olim in corpore habebant, inclinationibus trahebant. Laudatur etiam in eam rem hiſtoria divitis improbi, & Lazari; tum illud S. Thomæ: *Niſi videro in pedibus ejus & manibus fixuram clavorum, non credam*. Perſuaſum enim habebat Apoſtolus, ait Origenes, fieri potuiſſe, ut animæ Jeſu Chriſti ea eſſet cum corpore ſimilitudo, qua Apoſtoli facilè deciperentur.

Cum tamen alia jam obtinuerit de Angelis ſententia,

(1) Exod. 8. 18. & 5. 10.
(2) De Trin. l. 3.
(3) Philo l. 1. de vita Moſ.
(4) Quæſt. ad Orthod. q. 22.
(5) Vide Orig. in proœm. l. 1. de princ.
(6) Idem cont. Celſ. l. 7. & l. 8. Vide Spencer. not. in hunc libr.
(7) Orig. t. 13. in Jo.
(8) Orig. con. Celſ. Iren. l. 2. c. 62. & 63. Vide Porph. de abſtin. anim al. l. 2. pag. 222. 223. edit. Lugd. 1620.

tentia, aliter proinde nobis de Spirituum in corpora operationibus philoſophandum. Si Veterum illa opinio admitteretur, facilè profectò intelligeremus, qui fieri potuiſſet, ut tenue illud Angelorum corpus immutandis organis animalium & elementis valeret. Cum enim corporum noſtrorum ſtructuram, atque cætera naturæ arcana perſpecta haberent; quæ potiſſimùm commoveant organa, quaſve impellant cauſas ſecundas, occulta quadam & ſubtili vi, corpore tenuiſſimo inſtructi agentes, quibus nec ingenium deeſſet nec ſapientia, noſſe equidem poterant. Quare mira licèt & præter fidem agere viderentur; nihil tamen præter notas naturæ leges factum intelligeremus. Quid ni enim corpus ſibi non abſimile corpus aliud moverit? Quòd autem tenue ſit & ſubtile, in corpora facilè irrepens, penitiora omnia pervadit; cum interim craſſum aliud corpus in ipſo veluti limine ſubſiſtere cogatur.

Alia eſt igitur nobis via diſputationis tenenda. Spiritus, cui, præter intelligendi & volendi facultatem, omnia deſunt, cur in corpora naturaliter agat, nihil eſt; nihilque illi cum materia commune, ut ei diſponendæ per ſe veluti manus poſſit admovere. Quare vel Dæmon aptam ad anguem compingendum materiam in virgis Magorum per ſe diſpoſuiſſe dicatur; vel intuentium oculos præſtigio aliquo ita faſcinaviſſe, ut intueri ſe anguem crederent (quod vel ipſos aſpicientium oculos præſtringendo, vel inane ſpectrum ante obtutum offerendo præſtari potuiſſet): hæc tamen omnia naturæ pure purèque intellectualis vim omnem ſuperant. Hæc tantum de Spiritibus ratione magiſtra diſcimus; cum verò plura illos in corpora valuiſſe Divina revelatione noverimus, ineunda nobis eſt ratio, cur ſine prodigio fieri illa potuiſſe exponamus.

Hiſtoriæ non infrequentes in S. Scriptura leguntur. Dæmoni tantummodò authori imputandæ; uti inflicta Jobo mala, energumeni quamplures in Evangelio; tentatio Jeſu Chriſti per Diabolum, quo vehente ipſe Jeſus primò in verticem excelſi montis, dein in pinnaculum Templi translatus eſt. In his planè conceſſam Dæmoni patrandorum prodigiorum facultatem ab ipſo Deo malis illius conſiliis opem præſtante, quis non impius & blaſphemus crediderit? Nonne doli tunc & impietatis, quam Satanas meditabatur, reus Numen ageretur, ſi fallere ea ratione homines, atque perdere volenti prodigiis ſuis ſerviret? Ne igitur malorum author dicatur Deus, inſitam ſibi vim ea occaſione, Deo permittente, exeruiſſe Dæmonem fateamur oportet, quam ſcilicet Numinis permiſſionem obtinuiſſe cum Jobum affligeret, cum malorum Spirituum legio hominem in Evangelio infeſtaret, liquidò conſtat.

Quæ verò bonis Angelis authoribus in Scriptura geſta leguntur, ſicut & animarum extra corpus per viſum oblatæ ſpecies, ea quoque citra prodigium facta eſſe non raro ſuſpicamur; quòd & in corpora agendi, & elementa ſubigendi inſita ſit ſpiritibus virtus. Profectò ſi quid erit in ea re prodigii, id planè reputandum eſt, quòd Deus raro ea præſtare Angelos permittat; cum interim familiarem & aſſiduam illam, quam Angeli, & Dæmones in corpora, ſenſus, phantaſiam, atque in cætera, quæ nos circumſtant, poteſtatem exercent, (quamvis nobis aliò intentis & imprudentibus) vix aliquis fuerit, qui inter miracula adſcribat. Cum itaque Angeli deducere nos, atque pericula omnia à nobis ſubducere curaverint; cum pias imagines phantaſiæ ſubjecerint; quemadmodum impiæ à Dæmonibus exhibentur; cum motus ab iiſdem Dæmonibus pravi in corpore excitantur; cum, inquam, hæc omnia facta novimus, nonniſi naturalem Spirituum vim agnoſcimus. Difficiliora planè iſta non ſunt iis, quæ de tentatione Chriſti in Scriptura

A narrantur. Nos quidem latenti ſeductore tentamur; Chriſtus ſenſibili ſpecie coram ſe Dæmonem vidit: res cæteroqui congruit: neque enim quòd nobis inviſibilis Dæmon inſidietur, minus in noſtro corpore humores & phantaſiam concitabit.

Explicandum modò, quo fieri poſſit artificio, ut ſpiritus à corpore ſecretus in corpus agat. Cum Dei voluntatem omnium eſſe rerum naturam ſupra conſtituerimus; ſi quando de motione corporum à Spiritibus in Scriptura legerimus, Deum id voluiſſe, ut ſcilicet Spiritus corpora removeret, inferamus oportet. At enim Spiritum in corpora acturum ad corpora ſeſe applicare neceſſe eſt; quod ſanè de rebus nulla proportione conjunctis vix concipimus. Nihil planè in ea re novi. Nonne corpori movendo anima adjungi-

B tur? Porrò anima ſanguinem, ſpiritus animales, totum denique corpus commovere poteſt; quemadmodum viciſſim ſanguinis totiuſque corporis, atque objectorum ſenſibilium excitationibus certæ quædam reſpondent in anima perceptiones & affectus; doloris videlicet, lætitiæ &c. Quid igitur, animæ corpus movere pronum erit; Angelis verò, & Dæmonibus non erit?

Ipſa quidem experientia doceri nos fateor, de mutuo quo Deus animam & corpus vinculo alligari voluit; ut ſcilicet animæ & corporis affectiones affinitate quadam jungerentur: quam ſanè experientiam de Angelis & Dæmonibus nullam habemus. Sed eam, quæ corpus animæ jungit, dependentiam, ipſa Dei voluntate inductam fuiſſe, hac nobis ratiocinatione innoteſcit. Nullum corpus & animam naturale vinculum inter

C ſe alligare poſſet, niſi Divinæ voluntati id totum tribuatur; hanc igitur voluntatem interceſſiſſe oportuit. Paria ergo de Angelis, & Dæmonibus philoſophari planum eſt; ſolo nimirum illa Divinæ voluntatis glutine conjungi potuiſse. Conjunguntur autem reipſa? voluit ergo Deus ut jungerentur; ita ſcilicet ut ad ſpirituum voluntatem variam variis corpora motionibus agitarentur. Ea eſt igitur ſpirituum natura, ſeu potiùs hæc eſt Dei voluntas, quæ totam actionem ſpirituum in corpora ita conſtituit, ut naturalis aliquando ſit, nec ſemper prodigium referat.

Quod huic noſtræ ſententiæ difficultatem aliquam faciat, illud eſt; nimirum Deum malorum & tentationum, quæ probos viros exercent, authorem futurum: ſiquidem ille voluntate ſua volenti Dæmoni aſſequatur. Hanc planè difficultatem anticipatione quadam jam occupavimus; D quemadmodum enim Deus malis improborum conſiliis pravas in corpore motiones ſuccedere, ipſo quidem Deo reapſe movente, citra ſanctitatis ſuæ diſpendium ſinit; ità plane de concurſu Dei occaſione ſpirituum philoſophamur. Deus itaque impium aliquod factum ita cauſat, ut non in crimine, ſed in actione ipſa participet; voluntate etenim crimen concipiente, Deus ejus occaſione materiam movet, quemadmodum occaſione probi cujuſdam conſilii, quod voluntas juſtorum ſtatuit, aptum ad id motum in corpore excitat; omnia juxta leges firmati inter corpus & animam fœderis. Non eſt igitur, ut Deus malorum author propterea accuſetur.

Majoris momenti aliud contra eandem noſtram ſententiam objiciunt; nempè inter verum & falſum prodigium ægrè prorſus diſcrimen aliE quod, rudioribus ſatis exploratum, conſtitui poſse. Fateor quidem ultra vulgarium captum rem eſse; nec inde tamen ſequitur, quod ex prodigiis deducitur argumentum, futile eſse & inane; ſed illud potiùs, noſcendorum prodigiorum judicium non omnibus vulgò permitti. Facile enim in ea re decipi populum compertum eſt, ut ſpeciem tantummodò prodigii pro re incautus uſurpet.

Prodigia

Prodigia tamen nonnulla ſuppetunt adeò aperta & explorata, ut imperitiſſimi quique de populo tutò de illis judicare permittantur. Ita planè cum Moyſes elata virga pelagum pro arbitrio diſſidit, reſtituitque; cum è ſilice percuſſa aquarum venas eduxit, terramque ſubitò hiſcere abſorbendis ſeditioſis præcepit; cum Jeſus Chriſtus Lazarum defunctum quatriduanum, vivum ſtare juſſit, ipſumque ſe tandem reſuſcitavit; nemo ſanè in his omnibus miraculum diffitebitur. Nec Philoſophum ſanè, nec doctum aliquem virum conſuluiſſe oportet, ut hæc in prodigiorum cenſum referamus. Si verò Moyſes & Jeſus Chriſtus uno ſaltem vero prodigio, quod nulla poſſit pervicacia labefactari, claruerunt; ex illo ſanè cæteris omnibus eorum prodigiis minùs apertis & exploratis, ab iiſdem Scriptoribus relatis, & confirmandis iiſdem veritatibus præjudicatum eſt.

Profectò ſi vir litterarum rudis certos Angelicæ, Dæmoniacæ, & Magicæ virtutis limites ignoret, ſi quouſque valeant circulatoriis artibus fallaces quidam homines, non ſatis aſſequatur; habet tamen perſuaſum fieri nunquam poſſe, ut naturalis quirumque agens ipſe ſe revocet ad vitam, ſolem currentem virtute ſua remoretur, procellas compeſcat. Quando enim cætera omnia ſpirituum ignorarem, hæc tamen facultatem eorum ſuperare planè non dubito: ut enim corpora materiam ſubigant, ut rerum non leves mutationes inducant, tempore opus & apparatu; certæ motus leges obſervandæ, eaque omnia negligere ſolius eſt agentis ſummi, cui prodigia dicto citiùs obſequuntur. Duo hæc ſedulò diſtinguenda ſunt: Rudiores æquè ac literati viri leges naturæ omnes non callent; Simplices pariter ac docti rem aliquam naturæ vires tranſcendere planè ignorare non poſſunt. Quid ego non valeam, novi equidem; quouſque ſuppetant vires, ignoro; non enim ſum adeo hebes craſſuſque, quin noverim ſagittam, valido excuſſam nervo, nunquam poſſe me currendo pertingere; quamquam quid valeam in curſu, nunquam habuerim exploratum.

Eſt etiam, cum de prodigiis agitur, inter varios hominum gradus ſedulò diſtinguendum. Vir enim à Religione Chriſtiana alienus, propoſitæ ſibi doctrinæ, quam prodigia confirmant, acquieſcere tunc cogitur, ſi nihil & in doctrina lumini naturæ repugnans, & in prodigiis fictum ac ſuſpicioſum offenderit. Cui ſi forte jam credenti, ſecundus alius miraculorum patrator ſuperveniens, priorem illam doctrinam nova altera & oppoſita convellat, judicium ille ſuſpendens, in examen utramque revocabit. Hæc Paganus. Chriſtianus verò, jam inſtructus, ſi forte prodigia patrantes duos inter ſe oppoſitos offenderit, ſedulò confert 1. uter ab Eccleſia probetur; 2. uter majoribus ſignis commendetur; 3. uter ſaniora & ſinceriora præferat; ſtatimque eo rejecto, cui Eccleſia & Jeſu Chriſti doctrina repugnat, alteri ſibi adhæſendum judicabit.

At enim ratiocinationis quodam circulo ea in re utimur. Dum enim certa aliqua nota veris ſinceriſque prodigiis diſtinguendis exigitur, ſtatim ea eſſe ſincera ſtatuimus, quæ veram ſinceramque doctrinam confirmant. Si quis autem momenta quæſierit veræ doctrinæ inter duos illos Religionum oppoſitarum aſſertores, ſtatim miracùla promuntur, quorum indicio alter alteri præferendus ſit; ſi verò ſignis claruerit uterque, Eccleſiæ judicio ſtandum eſt; & ſi viciſſim inter duas oppoſitas Eccleſias ambigamus, facto iterum ad prodigia recurſu, ea dicitur præferenda, quam doctrina & prodigia commendant. En circulus.

Verum hiſce reponimus, totius noſtræ ratiocinationis fundamentum in eo poſitum eſſe, quòd Deus, ſumma illa & inconcuſſa veritas, neque

Tom. I.

A fallere unquam, neque deceptores & mendacia, prodigiorum ſuorum authoritate confirmare, ſicut neque promiſſam ſemel Eccleſiæ ſuæ infallibilitatem negare vel ſemel poteſt. His certò poſitis, quippe quæ in ipſa Divinæ naturæ idea continentur, illud ſtatim recta conſecutione deducitur, inter varia & oppoſita prodigia ſive ad examen doctrinæ ſive ad Eccleſiæ authoritatem recurrendum eſſe, cum vel Deus fallere unquam non poſſit; vel Eccleſiæ judicium aliter habendum non ſit, quàm S. Spiritus judicantis oraculum. Eccleſia igitur promiſſionibus Jeſu Chriſti unicè nititur, undè & prodigia pariter & doctrina petuntur; ex quo nexus quidam & catena argumentorum ſibi innexorum, & invicti roboris deducitur.

Magos, Pſeudo Prophetas, Antichriſtum miris B quibuſdam & in ſpeciem prodigia Jeſu Chriſti & Apoſtolorum referentibus ſignis clarere poſſe, nullus dubito; Magos verò, alioſque ſimilis farinæ, tantam miraculorum frequentiam, longa ſerie continuatam, totque circumſtantiis diſtinctam jactaſſe unquam, non credimus. Fruſtra apud illos parem quæras in prodigiis authoritatem, & celeritatem; fruſtra patrandorum miraculorum prædictiones. An illi cœpta prodigia pro arbitrio abruperunt unquam? an ſigna in adjumentum doctrinæ, Divinitùs datæ, atque veritatis, ad everſionem idololatriæ, ſuperſtitionis, mendacii, ad gloriam Dei promovendam vocarunt.

Numinum Paganorum miracula veris Jeſu Chriſti prodigiis olim Celſus opponebat (1); cui reponens Origenes, quid inter Chriſti moralem ſolidamque doctrinam, & impias atque abſurdas C Numinum ſuperſtitiones interſit, planè depingit. Quis, inquit, morum correctionem præſtigiis accepto retulerit? Cui bono prodigia ſua Dæmon, moribus hominum corrigendis, impendiſſet? Arnobius Paganos provocat, ut paria Deorum prodigia proferant, qualia à Jeſu Chriſto, ſolo prolato verbo, vel nutu patrata conſtanti fama ferebantur. Longa atque perenni miraculorum ſerie ne mortales fallantur unquam, Divina Providentia intercedet; quæ quidem de mortalibus bonæ fidei maximè valent, non de illis, quibus veritatis contemptus & errandi ſtudioſa voluntas tenebras offundunt.

Magi Pharaonis virgas quidem in angues tranſmutarunt, quod ſanè prodigii ſpeciem aliquam præferebat; ſed ſtatim Deus immiſſa in angues D Moſaica virga & vorari illos, & fraudem indicari voluit. Cum verò Moſaicum prodigium æmulaturi Magi illi ſciniphes educere conarentur, re fruſtra tentata, tandem Divina virtute valere Moyſem profeſſi ſunt. Quid, quòd ulcerum plaga in Ægyptios ſæviens, nec Magis pepercit? Quòd nihil illi incommodi Iſraelitis inferre unquam valuerunt, qui etiam inter tot mala, per Ægyptum graſſantia, alta ſemper pace fruebantur?

Conferat planè, ſi quis velit, Jeſu Chriſti, Moyſis, & Apoſtolorum, cum prodigiis Magorum Pharaonis, Apollonii Thyanei, & Numinum Paganorum; immane quantùm diſcrepent inter ſe illa omnia intelliget. Factum ne unquam à Dæmone legimus, ut amnium curſum ſuſpen- E deret, pelagum diffinderet, amaricantes corrigeret aquas, potabileſque educeret è ſilice, futura è plurium cauſarum concurſu pendentia diù antea prædiceret, defunctos, poſt plures ſepulturæ dies revocaret ad vitam? An de Magis vulgatum eſt unquam, quòd ſtratis in undis graderentur, cæcos illuminarent, gibbos, mutoſque à primis crepundiis ſolo nutu reſtituerent? Ea verò, quæcumque fuerint, Magorum atque Idolorum prodigia quis retulit? Integra ne fide viri, coævi, teſtes oculati, qui earum rerum veritatem ſanguine & vita teſtati ſunt?

C c Tota

(1) Orig. con. Celſ. l. 2. circa fin. l. 2. pag. 89. &c. & l. 3. pag. 126. &c.

Tota Dæmonis vis in obſidendis divexandiſque corporibus, morbis incutiendis, probis viris tentandis impenditur. Chriſto videndum ſe præbuit, quò ſcilicet ab illo imprudente & incauto cultum extorqueret. Poteſtatem ſuam ad malum tantummodo injuriamque inferendam habet expeditam; nunquam non mendacii, ſuperſtitionis, & impietatis patrem ſe probans. Sermones cum Eva miſcet; cui bono, niſi ut dictis illa Dei pervicaciùs obſiſtat? Vim omnem ſuam in Jobum exerit; quò ſcilicet de firmiſſima patientiæ arce in barathrum deſperationis miſerum deturbet. In impietatem tandem atque calamitatem redigendis hominibus, potentiæ ſuæ nervos omnes Dæmon ejuſque miniſtri intendunt.

Angeli itaque tenebrarum pro libito in Angelos ſeſe lucis transforment; Beelſebub malis depellendis ſpiritibus interdum laboret; Pſeudoprophetæ ſub doloſis prodigiorum muſcipulis vel electis ipſis moliantur inſidias; ſemper tamen veritatis à mendacio diſcernendæ ratio erit explorata: geſta ipſa filiorum mundi & tenebrarum, dogmata, doctrina, fides facem præferent, ne errare contingat. Rudiores quique ex Fidelibus, judicio atque ſanctionibus Eccleſiæ, ut par eſt, inhærentes, à fictorum prodigiorum dolis minimè ſibi timebunt. Eccleſiæ eſt enim de miſſione atque bonorum malorumque Apoſtolorum meritis judicium. Simonem damnat? prodigiis licèt ſupra fidem coruſcanti, Cœli alta petenti, anathema continuò dicimus. Miracula doctrinam, & doctrina miracula fulcit; mutuò illa ſibi juncta atque compacta in unum coaleſcunt. Quare populo judicium, quemadmodum de doctrina, ità de prodigiis interdicitur; utrumque enim amplexa eorum fides, & doctrinæ, quam miracula fulciunt, & miraculis, quibus ſubnexa doctrina, cæco illos obſequio colla ſubmittere jubet. Deductum à miraculis, Eccleſiæ judicio probatis, argumentum, firmum ſemper quà rudioribus, quà doctis Fidelibus tutumque manet; utrique enim in prodigiis Divinæ potentiæ, atque authoritatis Eccleſiæ, miracula probantis, non obſcurum characterem agnoſcimus, atque ſuſpicimus.

Veri itaque miraculi characteres ſunt. 1. vires agentis omnes naturales notas (1), ignotaſque excedat. 2. ad Deum & Jeſum Chriſtum dirigat. 3 ne quid in veram doctrinam, pietatem, & Eccleſiam, labis admittat. Rectam hanc miraculorum ideam habuiſſe Phariſæi, Jeſu Chriſti ætate, videntur; ex qua ſcilicet illi argumentum in eundem Jeſum Chriſtum prætendentes, omnes ab illo & doctrinæ & morum characteres abeſſe contendebant. Legem illi ea occaſione proferentes in medium, cautum Judæis dicebant, ne prodigiorum fulgore perſtricti, doctrinam contra Legem aliquam ſuſcipere paterentur; omnia quin potiùs Sacerdotum judicio, de Prophetis decernentium, fore reſervanda. Singula autem hæc in Chriſtum urgebant; eum Legis prævaricatorem, damnatam jam Sacerdotum judicio doctrinam ſpargentem arguebant. Quid igitur Jeſu Chriſto abſolvendo apud populum ſupererat? Quis è populo jure meritoque ab ejus conſuetudine non ſe continuiſſet? Nec tamen Jeſus immunes à culpa Judæos, doctrinam ſuam non recipientes, pronunciat; ait enim Jo. 15 24. *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*. Erat igitur cur ex miraculis doctrinæ argumentum caperent; nec Judæi immunes erant à culpa, ſi tanta miraculorum gloria, coruſcantem Chriſtum non agnoſcerent. Rectà planè Nicodemus philoſophatus eſt, illis ad Chriſtum verbis Jo. 3. 2.: *Scimus quod à Deo veniſti Magiſter; nemo enim poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis; niſi fuerit Deus cum eo.*

Nec planè aliud quærendum eſt nobis argumentum, ut aliquis à Deo miſſus demonſtretur, ſi certis miraculorum ſignis claruerit; ipſis enim impreſſis à Deo & veritate characteribus diſtinguitur adeò, ut quamvis ſuſpectam doctrinam ferere videatur, (quam de Chriſtò ſuſpicionem facilè Nicodemus admittere poterat, quippe qui Phariſæorum traditiones credebatur evertere) omnes tamen dubitationum tenebras, ortus miraculorum fulgor depellit; neque enim Deus in errorem unquam inducere credendus eſt. Induxiſſe autem in errorem oporteret, ſi corruptæ doctrinæ diſſeminatoribus prodigia ſervirent; niſi tamen ea eſſet doctrina, quæ ipſa ſe falſitatis apertiſſimè argueret; vel ſaltem ab alio, clarioribus patratis prodigiis, non argueretur. Quid enim alioqui in Eccleſia conſtaret? Si nimirum Ariani, Scripturas prætendentes, dogmatum ſuorum ſtipendiaria haberent prodigia; eaque viciſſim prodigia nulla fuiſſent apud Catholicos, iiſdem alioqui Scripturis inhærentes; tum ſanè prodigiis inſpectis ad pravam Arrianorum doctrinam vel inviti pertraheremur. Hanc igitur invidiam, deducendi ſcilicet in errorem mortales, ſubiiſſet Deus (quod planè ab illo, ſanctitatis & juſtitiæ norma, alienum eſt) ſi id unquam committeret, ut in ancipiti atque obſcura quæſtione miracula in deteriorem partem judicii lancem inclinarent. Si verò utrimque miracula pugnent; tunc ad regulas ſupra à nobis præſcriptas foret recurrendum; nempe ad examen doctrinæ, ad miraculorum characterem; ſpectandi mores illius, qui prodigiis claret; conſulenda Eccleſiæ authoritas, & preces in primis adhibendæ, ut ab omni præſumptione, atque immodico votorum æſtu libera mens, errorem facile à veritate diſcernat.

Singulare etiam aliquid in hoc argumento obſervat Tertullianus contra Marcion. l. 3.. Ductum à prodigiis argumentum, ait, extenuaſſe Dei Filius viſus eſt, cum illam veritatis dotem etiam mendacio, & Pſeudo-Prophetis communem fieri permiſerit: *Temerariam ſignorum fidem oſtendit, ut etiam apud Pſeudo-Chriſtos facillimorum*. Quæ cum ita ſint, addit Tertullianus, undenam Chriſtus authoritatem prodigio vindicat, ejuſque recipiendum præcipit teſtimonium, ab eodem interim privilegio patrata à Pſeudo-Prophetis miracula excludens? undenam, inquam, niſi quòd cum primus ipſe veniſſet, verique miraculi characteres omnes explicaſſet, ipſe ſibi fidem conciliavit, atque ſibi cordium dominium aſſeruit? Quemadmodum enim primus ad balnea ingrediens, vacuam tenens ſedem, occluſis foribus, locum occupat ſolus; ita pariter Jeſus Chriſtus *fidem occupavit, poſteris quibuſque præripuit*; puta venturos Pſeudo-Chriſtos prædicens, atque depingens, fidem illis omnem abrogavit.

Donatiſtis Pontii cujuſdam miraculum jactitantibus, factamque divinitùs vocem Donato, dum preces funderet, narrantibus, S. Auguſtinus in Joann. tract. 13. hæc reponit; 1. hæreticos ſemetipſos decepiſſe, fabellis fidem addicentes; quibus ſin minus ipſi crederent, illud ſaltem commiſiſſe, ut nos eadem imponendo deciperent. 2. Eſto, ait, miracula penes Donatiſtas fuerint; charitas tamen hæreticis deeſt, ſine qua fides vel ipſos montes transferens, nihil eſt. Charitas autem nulla eſt, ubi unitas ſcinditur. 3. *Contra iſtos mirabiliorios cautum me fecit Deus meus, dicens: In noviſſimis diebus exſurgent Pſeudo-Prophetæ, facientes ſigna, & portenta, ut in errorem inducant, ſi fieri poteſt, etiam electos*. Miles, qui caſtra deſeruit, rudioribus agricolis

(1) Vide Penſées de Paſcal, art. des Miracles.

A lis terrorem poteſt inducere; qui verò agere fi- denriùs volunt, obſervant diligenter, num caſtra & ſocios miles ille ſequatur, num militari ille privilegio fruatur adhuc. Si enim à reliquo militum corpore avulſus, nihil ſibi de ſociis promittere poſſit, minas in caſſum intorquet. Eamdem comparationem in medium adducit alibi etiam Auguſtinus (1), cum Magorum, & Sanctorum miracula ex fine ab utriſque intento, & patrandorum miraculorum authoritate diſtinguit. Magi enim gloriam ſibi, Sancti verò Deo tantummodò procurant; illi certa quadam anguſtis limitibus præſcripta virtute utuntur; Sanctis verò B publica collata facultas ex Cœli terræque Domino derivata conceditur.

Latiùs hucuſque de veris, falſiſque prodigiis deducta in ſummam redigentes, aſſerimus, 1. Patrandorum miraculorum authoritatem penès Deum unicè manere; quippè qui contra præſcriptas, atque vulgares naturæ regulas manum ſuam, qua cuncta dirigit, pro arbitrio retrahere unus poſſit. 2. Hominibus, Angelis, maliſque ſpiritibus idem aliquando permitti, Deo ita diſponente, ut creaturis ſuis juſtitiæ ac miſericordiæ ſuæ miniſtris utatur. 3. Spiritus à corpore liberos, in corpora naturaliter agere poſſe. 4. Prodigia illa de Magis Pharaonis relata, mera Dæmonis præſtigia reputanda. 5. Veris miraculis authoritatem externam conciliari tum à populo, tum à doctrina, moribuſque illius cui reſciuntur accepta, ac tandem ab Eccleſiæ approbantis authoritate.

DISSERTATIO

DE TRANSFRETATIONE ERYTHRÆI

Per Hebræos.

C INter ea quæ in Sacris Scripturis referuntur prodigia, plura ſunt, quorum magnum adeò ad Religionem momentum eſt, ut illis à licentioſorum cavillis, falſis imperitorum hypotheſibus, vaniſque ratiocinationibus incredulorum liberandis, nunquam ſatis laboraretur. in horum planè cenſum tranſitus maris Rubri habendus eſt; cujus Scriptores Sacri memoriam non ſemel Hebræis refricandam cenſuerunt; quippè, quòd pro veritate Religionis, atque potentiæ Numinis monumentum eſſet inconcuſſum. Nullum ſanè lapidem non movit Spiritus mendacii, ut omni ætate tenebras apertiſſimæ luci offunderet; ſivè inſinuans, ut miraculi vis ad naturæ leges reducta, ab impiis eluderetur; ſivè fabellis aliquibus anilibus veritati admixtis, eò ſuperſtitioſi quidam adducerentur, ut ſpecie Religionis prodigii authoritatem & veritatem imminuerent. D Utrique planè veritati opponuntur; quæ ſcilicet veritas ingenuo nitore contenta à fucis omnibus abhorret, tenebraſque depellit. Nos igitur nudam prodigii veritatem aperiemus, dicta in adverſum omnia ſimul refutare conati.

Transfretati Erythræi memoria non apud Hebræos Sacroſque eorum Libros tantùm, ſed apud prophanos quoque, ipſoſque Populi adverſarios manſit. Diodorus Siculus Bibl. l. 3. cap. 3. de Ichtyophagis circa extremam occidentalemque oram Maris Rubri incolentibus, refert receptum apud illos ferri, pelagum immodici cujuſdam æſtus impetu in duas partes diſciſſum, imum fundum arentem herbiſque veſtitum exhibuiſſe; refluentes tandem aquas hiatum æquaſſe; quæ ſcilicet aliud, quàm in Hebræorum tranſitu prodi- E gium, ſpectare vix credimus. Sacerdotum Heliopolis in Ægypto ea de re traditio ad Moſaicam narrationem prorsùs accedit (2). Moyſes, ait Trogus, pulſis ex Ægypto Hebræis Ducem ſe præbens, ejus Regionis Idola unà ſecum abſtulit, *quæ repetentes armis Ægyptii, domum redire tempeſtatibus compulſi ſunt* (3); quin potiùs improviſo maris refluxu omnes unà cum Rege oppreſſos, ex S. Hiſtoriæ teſtimonio diſcimus.

Inter eos, qui de prodigii hujus fide minùs aliquanto meriti ſunt, Joſephus haberi inter primos poteſt; poſtquam enim diviſum pelagum vix elata Moyſis virga, ſimulque incolumem trajeciſſe populum, duce itineris Moyſe, periiſſe vero recurrentibus aquis Ægyptios narravit, addit deinde Antiq. l. 2. c. ult.: *Hæc ego, ut in Sacris codicibus inveni, ità ſingula conſcripſi. Nemo autem mirari debet tanquam incredibilia, ſi priſcis hominibus, ad malitiam etiam tum rudibus, de ſalute periclitantibus, via per mare patuit, ſive Dei voluntate, ſivè natura ſponte; quandoquidem heri, & nudiuſtertius, Alexandri ductu, Macedonibus Pamphylium mare ceſſit; id quod omnes teſtantur, qui res geſtas illius Regis ſcripto prodiderunt.* Hactenus Joſephus, qui ad eam de tranſitu Erythræi hiſtoriam perinde eſſe cenſuit, ſive quis Divinæ Providentiæ conſilio, ſivè naturæ ſpontè contigiſſe crediderit. Hoc autem in Hiſtorico, veritati, & religioni unicè ſtudente, indigniſſimum eſſe quis neget?

Quæ verò ille de tranſitu Alexandri per mare Pamphylium narrat, aliter prorsùs contigiſſe ex Strabone l. 14. intelligimus. Narrat enim Regem illum Pamphyliæ oras intempeſtivo tempore tenentem, cum arduum per montes tranſitum offendiſſet, ſecundùm regionis latera, captata æſtus maris opportunitate, exercitum deduxiſſe; quamquam, inquit, milites per aquam ad pectus uſque iter habere integra die cogerentur. Eamdem rem paulò aliter apud Arrianum relatam legimus in Expedit. Alexand. l. 1.. Cum, inquit, Alexander è Phaſelide moviſſet, partem exercitus per montes ad Urbem Pergen penetrare, breviori quidem, ſed difficillimo itinere juſſit; reliquam verò copiarum partem ipſe ſecundùm litus ducere per viam, ſi quando auſter flaret impervium, conſtituit. Illud autem commodi accidit, quòd, averſo vento inſperatò quieſcente, ſecundior alter ſuccederet, non ſine Numinum conſilio, facile iter Macedonibus parantium.

Porrò longè aliud eſt, partem exercitus, qui planè univerſus 35000. virorum non excederet, ſecundùm maris litus, captata fluentis pelagi, flaminis ſecundi, fluctuum & aquarum refluentium impetum remorantis opportunitate, per viam planè pacatam plena die deducere, quod ab Alexandro factum legimus; aliud autem per diſſectum pelagi ſinum coram ipſis hoſtibus à tergo inſtantibus, noctiſque terrorem augentibus ultra 1000000. hominum traducere, quibus & im-

(1) Lib. 83. qq. q. 79. ar. 4. Item. ſerm. 90. & Chryſoſt. in Matth. 7. 22. & alios PP. in eundem locum.
(2) Artapan. apud Euſ. Præp. l. 4. c. 27.
(3) Juſt. l. 36.

pedimenta univerſi populi aliò migrantis cum familia univerſa & gregibus, adjicienda ſunt; quod de Moyſe in Sacra Hiſtoria refertur.

Inter Veteres nonnulli apud Gregorium Turonenſem Hiſt. l. 1. c. 10., S. Thomas in 1. Cor. cap. 1., Toſtatus in Exod. 14. quæſt. 19., Paulus Burgenſis in Exod. 14., Genebrardus in Chron. ad an. 2239., Grotius in Exod. 15. 19., Vatablus in Exod. 14., Abenezra, aliique ex Rabbinis apud Fagium, in ea fuerunt opinione, Hebræos non quidem in adverſam maris ripam evaſiſse; ſed deſcripto veluti in alveo ſemicirculo ad ſuperiora ejuſdem litoris contendiſſe. Prodigium illi quidem non negant, nec in aliam à communi ſententia deduci ſe paſſi ſunt, niſi difficultatibus evitandis, quas vulgari opinioni plures apponunt.

Primò enim notant, Hebræos vix pelago egreſſos Deſerta Etham, unde præcedenti die moverant, excepiſſe; iis verò tridui itinere tranſgreſſis, Maſam venerunt (1). Porrò Deſertum illud ſecundùm latus occidentale Erythræi protenſum nunquam decurrere potuiſſent Hebræi, niſi citrà Erythræum ſe continentes, ad ſuperiora tantùm ejuſdem litoris contendiſſent.

Verùm urbis Etham certo ſitu deſignato, difficultas tota diſſolvitur. Eam igitur Urbem, (*Buthum* ipſe appellat, quemadmodum & Septuaginta Buthan) Herodotus lib. 2. c. 75. in Aſia conſtituit, ad locum ſcilicet ubi montes Arabiæ facto divortio vaſtam ad latera Ægypti planitiem mediam excipiunt. Fuit proindè Etham urbs Arabiæ ad extremam maris Rubri oram, viæ inter Rameſſe & Sinai adiacens. Eò Moyſes cum veniſſet, nihil ſibi à Pharaone imminere prævidens, iter ſuum proſequi cogitabat, cum ſubitò viam ſelegere, & *Phihahiroth* contendere à Deo juſſus eſt. Ibi tranſfretato cum exercitu Erythræo, in deſertum Arabiæ, quod 7. vel 8. leucis infra Etham jacens repetebat ex Urbe nomen, evaſit. Nec longè novum videri debet, ſi in regione deſerta, ubi Urbes raræ, loca inculta & ſquallentia, nomina ex Urbibus ibidem ſitis derivarentur. Quare Iſraelitas litus tantùm raſiſſe, ſeque in latere occidentali Erythræi continuiſſe fateri non cogimur, cum Deſertum Etham ſecundùm orientalem plagam potiùs quàm occidentalem protenderetur. Quid, quòd è Phihahiroth, ſive Beelſephon ad Sinai, tranſfretato Erythræo, via ultra 20. leucas expeditior erat, quàm ſi per extremam freti oram exercitus circumduceretur.

Addunt inſuper ad eam, quam oppugnamus, ſententiam aſſerendam, Iſraelitas ex alveo reductos cadaveribus à fluctibus rejectis diſſeminatum litus ſpectaſſe; quod nonniſi in latere Ægypto proximo ſtantibus pronum fuiſſet, fluctibus ſemper ad propinquum litus cadavera rejicientibus. Sed utri propinquiores litori demerſi fuerint Ægyptii quis facilè divinaverit? At, inquiunt, in caput Ægyptiorum recentes aquæ, atque inter ipſos & Iſraelitas iter intercludentes, ſuo delatæ curſu in averſam ab Iſraelitis ripam (ſi Iſraelitæ mare fuiſſent tranſgreſſi) cadavera protruſiſſent.

Verùm hanc illorum objectionem Moyſes antea occupavit, prudens Exod. 14. 27.: *Cum extendiſſet Moyſes manum contra mare, reverſum eſt primo diluculo ad priorem locum, fugientibus Ægyptiis occurrerunt aquæ.* Ruentibus igitur ſuper Ægyptios aquis, atque è latere Ægyptum versùs primùm refluere incipientibus, demerſa virorum cadavera ante ipſos Hebræos projicienda potius, quàm in adverſum ipſis litus excutienda fuerant.

A Hæc igitur ſententia, quæ Erythræum tranſfretaſse Hebræos negat, nullo ſatis firmo innixa fundamento, ideo potiſſimùm obtinuit, quod deſertum Etham ad occidentem ejuſdem freti malè conſtituerent. Cæterùm vetuſtiſſimis Hebræorum Joſepho, Philoni, aliiſque, quemadmodum & omnibus veteribus Eccleſiæ Patribus, non alia ſedit opinio, quàm quæ Hebræos per medium fretum in adverſum litus deducit.

Iidem Rabbini, quibus Patrum nonnulli, uti Origines hom. 5. in Exod. Euſebius in Pſal. 135. & S. Epiphanius Hær. 64. ſuffragantur, & Recentiores quidam, ut Toſtatus in Exod., & Genebrardus in Pſal. 135. non diſſentiunt, duodecim in mari vias pro numero Tribuum patuiſse ex illo Pſalmi 135. 13. conficiunt: B *Qui diviſit mare rubrum in diviſiones.* Verùm hæc commodè de bifida aquarum diviſione explicantur, quemadmodum & S. Hieronymo, Theodoreto, Euthymio, ac pleriſque Recentiorum viſum eſt (2). Porrò hi omnes Patres atque Interpretes hanc in duodecim vias Rabbinicam diviſionem appellant. Abraham diviſas victimas altari impoſuerat, cum ſubitò ignis, de Cœlo lapſus, *tranſiit inter diviſiones illas* (3). Quid inde; an ne plures inter eas victimas diviſiones ſtatuimus? His omnibus ſilentium Moyſis addidiſse juvat, qui ſanè hanc circumſtantiam poſteritati commendaſſet.

R. Samuel Lib. de adven. Meſſiæ in ea fuit opinione, aquas ſcilicet tranſeuntibus Hebræis ſubſtratas ſolidum obſequium præbuiſse; in quam C rem Pſeudo-Tertullianus conſentiens cecinit:

Calcavit fluctus, hoſtes demerſit in undis.

Sed hæc narrationi Moſaicæ planè oppoſita ſeriam nullam refutationem merentur.

Fatemur quidem in Judith 5. 12. neſcio quid de aquis in murum utrimque ſolidatis legi: *Ita ut aquæ hinc inde quaſi murus ſolidarentur.* Quod cum Verſione Septuaginta (4) conſentit ad Exodi 15. 8. *Diviſa eſt aqua, compacta ſunt tanquam murus aquæ;* ſive juxta antiquam interpretationem: *Coagulatæ ſunt undæ in medio mari.* Chaldæus legit: *In verbo oris tui ſapienter congregatæ ſunt aquæ; ſteterunt fluentes ſicut murus, coagulatæ ſunt abyſſi in corde maris.* Textus Originalis (5) ad literam reddi poteſt: *Coacervatæ ſunt* D *aquæ, ſteterunt ſicut acervi fluenta, condenſatæ,* ſeu coagulatæ *ſunt* (6) *abyſſi in corde maris.*

Erunt, qui eas phraſes figurato & poetico ſenſu uſurpatas contendant, ut re quidem nil ſignificent aliud, quàm quòd aquæ utrinque veluti glacie concretæ ſubſtiterint: ſed nihil obſtat quominus ad literam ſumantur; conſtat enim voces illas Hebræas pro lacte coagulato, & aqua glacie concreta uſurpari conſueviſse (7). Quare doctiſſimi Interpretes (8) ſubſtitiſse aquas, in glaciem concretas, ad utrumque Hebræorum pertranſeuntium latus arbitrati ſunt, quorum ſanè opinio plurimum ab altera de itinere Hebræorum ſuper ſolidas ſubſtrataſque pelagi undas diſcrepat. Sacerdotes Mempheos, referente Artapino apud E Euſ. Præp. l. 4. cap. 17., in tranſitu Hebræorum per Erythræum prodigium interceſſiſſe negabant; quanquam, aiebant, rudi & imperito populo prodigio ſimile videretur pelagus pedeſtre iter habentibus pervius. Moyſes itaque, dicebant, cùm diutina ejuſdem maris obſervatione certum fluentium, & refluentium aquarum articulum, & naturam exploraſset, captatà recedentium aquarum opportunitate vadum tranſeuntibus ita monſtravit, ut deinde eandem viam tentantes Ægyptios aquæ refluentes demergerent.

Hæc

(1) Num. 33. 8. *Tranſierunt per medium mare in ſolitudinem, & ambulaverunt tribus diebus per deſertum Etham.* (2) Hier. in Oſe. 11. 12. Theod. in Exod. q. 26. & in Pſ. 135. Euthym. in Pſ. 135.

(3) Gen. 15. 10. (4) Διέϛη τὸ ὕδωρ, ἐπάγη ὡσεὶ τεῖχος τὰ ὕδατα, ἐπάγη καὶ τὰ κύματα ἐν μέσῳ τῆς θαλάσσης.

(5) נערמו מים נצבו כמו נד נוזלים קפאו תהמות בלב ים ibid. (6) Ita Junius, Piscat. Vatab.

(7) Job. 10. 10. Zachar. 14. 6.

(8) Barrad. Itin. Iſrael. cap. 14. Exod. art. 4. Vide Harmoniam Analyticam P. Martianæi cap. 2.

Hæc Sacerdotum Ægyptiorum commenta vehementer quibuſdam arriſerunt, quibus omnis prodigiorum authoritas, utpote omni vulgari credulitate ſuperioribus, graviſſime accidit. Sæpe illi quidem ejus ſententiæ patrocinium reſumentes, quæ pro illa afferuntur, rationum momenta validiùs inculcarunt. Noſtra etiam ætate non deſunt, qui de prodigio quidem dubii, maturiùs rem totam examinari poſtulant; quò tandem appareat, inquiunt, an Divino prodigio vel tantùm ſolerti in obſervando maris æſtu Moyſis providentiæ tota ea res tribuatur.

D. Clericus, qui de hoc argumento diſſeruit in diſſert. de traject. maris Idumæi, utramque ſententiam, uti credimus, conciliaturus, eorum nempe, qui æſtum à Moyſe obſervatum, & eorum, qui prodigio Divino rem totam adſcribunt, verum quidem prodigium ea occaſione factum agnoſcit. Sed quale illud? Deum ſcilicet opportunum ſubitumque ventum excitaſſe, qui & æſtum augeret, & imum maris fundum latiùs recluderet, ſimulque aquas, ne diffluerent, diutiùs contineret. Eo vento flante, facilis Hebræis in adverſum litus trajectio parata eſt, quibus tamen in extremo maris Rubri angulo verſantibus, brevior erat per fretum via decurrenda.

Verùm ſi Textum Moſaicum paulò diligentiùs conſideremus, atque cætera Scripturæ loca ejuſdem argumenti conferantur, ſimulque ſyſtema illud de trajectione Erythræi, fluentium aquarum opportunitate captata, ſpectetur; facile inde intelligemus, inſigne in ea trajectione, ſi uſquam alibi, prodigium contigiſſe, cujus veritati tota de æſtu maris hypotheſis apertiſſime repugnat.

Vix in conſpectum maris venerunt Hebræi, obſideri ſe hinc Pharaonis caſtris è regione locatis, inde verò inacceſſis montibus ſaxiſque præruptis, ac tandem quem in fronte habebant pelagum animadvertentes, deficere animis, atque omnem de ſalute ſpem abjicere cœperunt (*). Sublato proinde in Ducem murmure, atque Duce ipſo ad Dominum confugiente (1), Deus, facta ſpe promptæ liberationis, bono eſſe animo juſſit; addens inſuper, nunquam exinde commiſſurum, ut in conſpectum populi venirent Ægyptii, ſe enim cum illis pugnaturum, Hebræis interim quieſcentibus.

Nec mora; juſſu Dei elata à Moyſe virga pelagus in duas partes diviſus eſt, (2), ſtratiſque hinc inde aquis, trajicientibus Iſraelitis via per alveum patuit: *Erat enim aqua quaſi murus à dextra eorum, & læva.* Trajecit itaque populus, ait Moyſes, per viam fluctibus, utrumque latus munientibus, ſeptam, quod quidem ab illo ſemel, atque iterum in hiſtoria deſcriptum eſt, quaſi de re magni momenti, olim in controverſiam revocanda, ageretur. In Cantico verò, quod poſt illud memorabile factum cecinit, rem totam vividiùs depingit (3): *Stetit unda fluens, congregatæ ſunt abyſſi in medio mari.* Totam igitur Moyſis hiſtoriam negemus, vel prodigium illud, nulli inter cætera Veteris Teſtamenti ſecundum habeamus oportet.

Cæteri Sacri Scriptores, cum ea de re agendùm eſſet, nunquam niſi ſimiles phraſes uſurpant, quemadmodum & in Textu Judith ſupra obſervavimus, & in Pſalmis non rarò occurrit: *Interrupit mare, & perduxit eos, & ſtatuit aquas quaſi in utre* (4). Alibi etiam canit, receſſiſſe mare ante conſpectum Dei (5); Deum ſibi viam in pelago aperuiſſe, ſuper aquas obambulaſſe, ne gradientis veſtigia ulla ſupereſſent. Nec humiliori ſtilo utitur Iſaias 63. 11. *Ubi eſt, qui eduxit eos de*

A *mari, cum paſtoribus gregis ſui? Scidit aquas ante eos, et faceret ſibi nomen ſempiternum. Qui eduxit eos per abyſſos, quaſi equum in deſerto non impingentem.* Habacuc ea de re obſtupeſcens, ita loquitur 3. 8. 15. *Numquid in fluminibus iratus es Domine, vel in mari indignatio tua? ..... Viderunt te & doluerunt montes, gurges aquarum tranſiit, dedit abyſſus vocem ſuam .... viam feciſti in mari equis tuis in luto aquarum multarum.* Hæcne, rogo, ideam ingerunt æſtus obſervati, atque captatæ fluentium aquarum occaſionis? At enim poetica ſunt hæc, & per exaggerationem dicta. Eſto; vera ſunt tamen, nec niſi exprimendæ Moſaicæ narrationi, quæ certè nec poetica eſt, nec mendicatis phraſibus expreſſa, conducunt.
B Porrò hac Moyſis narratione nihil planius, nihil magis cohærens; nihil præfefert ad genium viri, populi ſui decora efferentis, nihil ad exaggerationem expreſſum, ut ejus ſtilus hiſtoricum vera prodentem non obſcurè demonſtret. Quando, rogo, epithetum ullum ſivè laudis, ſivè vituperationis adjecit unquam? quando augendæ, ſive imminuendæ virorum, ſive rerum, de quibus agit, ideæ aliquid ſubjicit? Author tandem Libri Sapientiæ contrariam de æſtu maris captato ſententiam penitus evertit, cum & in partes ſubitò receſſiſſe aquas, & utrinque ſtetiſſe perhibeat; non enim in æſtu maris omnia momento peraguntur. Ait igitur Author 10. 17. 18. *Deduxit illos in via mirabili, & tranſtulit illos per mare*
C *Rubrum, & tranſvexit illos per aquam nimiam;* ait inſuper 19. 7. *Ex aqua, quæ ante erat, terra arida apparuit, & in mari Rubro via ſine impedimento, & campus germinans de profundo nimio.*

Hæ ſanè phraſes ubique apud Authores Sacros conſtantes, cum eorum opinione, qui à trajectione maris Idumæi omne abeſſe prodigium volunt, prorsùs non quadrant. Apertiora S. Spiritus ipſe per ſe prodit, vim totam prodigii nimis roborat, magiſque tandem noſtram ea de re admirationem extorquet, quàm ut quicquam de prodigio ſuſpicemur. Quis enim ſibi in animum induxerit umquam, in noſtram deceptionem, atque fictum prodigium perſuadendum Scripturas omnes ita conſpiraſſe? Si verò
D prodigium fateamur oportet, quinam fieri poteſt, ut, levibus innixi conjecturis, ejus gloriam imminuamus? quis Deo plenam ejus rei gloriam, relatione Moſaica ad literam accepta, inviderit?

Eja verò hanc hypoteſim de æſtu maris obſervato contra prodigii veritatem funditùs, ſi fieri unquam poſſit, evertamus. Neque in eam rem Erythræi æſtum omnem, quemadmodum à nonnullis factum eſt (6), negabimus; neque cum Diodoro Siculo l. 4. c. 3. init. ejuſdem æſtus ſtatam ſingulis diebus periodum, tertia nempè, & nona hora, (ſcilicet nona matutina hora, & tertia poſt meridiem in æquinoctio) aſſeremus. Quæ ſi vera eſſent, porrò æſtus opportunitatem, cùm noctu fretum trajecerit, captare Moyſes non potuit.
E Ultrò igitur fatemur, iiſdem, quibus maria cætera Oceano juncta, Erythræum æſtibus agitari: quemadmodum & veterum Geographorum, atque Hiſtoricorum, tum & recentiorum Itinerantium conſenſu certum eſt; quare in examen revocandum ſupereſt, an fluentium aquarum opportunitate capta Moyſes exercitum trajecerit.

Intumeſcere ſenſim in æſtu pelagum, atque litori toto ſpatio ſex horarum minacem imminere neminem arbitror ignorare. Dein per quartam horæ partem quieſcit; averſoque deinde curſu & detume-

(*) Exod. 14. 10. 11. (1) v. 15. Quid clamas ad me?
(2) Exod. 14. 16. *Eleva virgam tuam, & extende manum tuam ſuper mare, & divide illud.* Vide & v. 21.
(3) Exod. 15. 8. (4) Pſal. 77. 13. (5) Pſal. 113. 3. *Mare vidit, & fugit &c.*
(6) Genebr. Chronic. ad an. 1239.

detumeſcere ſenſim, & è litore recedere pari horarum ſpatio vel ipſis oculis cernitur. Huic, quem refluxum appellant, quies per quartam horæ partem ſuccedit; poſt quietem novus iterum fluxus & rèfluxus, ut ſingulis diebus, eodem ſemper tenore, quanquam non eodem temporis articulo (ſeriùs ſemper tribus horæ quadrantibus ac minutis quibuſdam) bis aquæ tumeſcant, detumeſcantque. Hæc de maris æſtu animadvertiſſe juvat.

Quod ad Erythræi æſtum ſpectat, qui rem ſedulo examinarunt, Viri eruditi produnt (1), ejus aquas cum maximè in æſtu refluunt, 250. vel 300. circiter paſſibus à litore recedere, ita ut imus fundus appareat; atque in extrema freti ora Suez versùs, deficiente ea occaſione aqua, naves in portu ſubſidunt, & peditibus vadari facilis èſt tractus, uti à pluribus, qui ea loca petierunt, factum legimus (2). Cæterùm medius alvei ſinus, aquis vel maximè refluentibus, areſcit nunquam, ut Julius Scaliger apud Druſ. in Exod. 15. 4. obſervat. Ex quo, inquit idem Scaliger, vir oppidò neque facilis neque credulus, colligimus ſacrarum Literarum adverſarios captam à Moyſe æſtus occaſionem in trajectione ejuſdem freti per ſummam prorſus impudentiam aſseruiſse.

At enim Moyſes, ubi in anguſtum fretum agitur, ad portum Suez, transfretare potuit; ejus enim oræ alveus commodi amnis latitudinem non excedit (3). Diodorus Siculus l. 3. c. 3. ad 17. ſtadia prorogat; Petrus della Valle Ep. 11. tantam eſse inter duo litora intercapedinem aſſerit, quanta inter pilas Neapolitani portus & Pauſilipum; Bellonio verò non amplior alveus, quàm Sequanæ inter Harfleur, & Honfleur fluentis (4). Eja igitur, num captata æſtus occaſione hunc freti tractum tranſvadare exercitus Iſraelitarum unius noctis ſpatio potuerit, examinemus.

Ne quid autem pro contraria ſententia diſſimulaſse videamur, adnotare operæ pretium fuerit, Hebræis iter ſuum circa vernum æquinoctium inſtituentibus, atque poſt triduum mare tranſvadantibus, æſtum maris ea tempeſtate maximum facilè contigiſse. Neque prætereundùm, ex Ægypto die decimaquinta menſis primi egreſſis, facilè nocturnum iter, luna micante, in medio freti alveo patuiſse; ſi tamen menſes eo tempore ad lunæ normam dirigebantur. Quanquam, ſi Moyſi fides, columna lucis iter habentibus præeunte, fruſtra lunæ jubar exquiratur.

Pro univerſa freti hujus latitudine, quà maximè alveus cogitur, 300. tantummodo paſsus aſſignemus; neque tamen brevem hunc tractum tranſvadare exercitum potuiſse credimus eo temporis ſpatio, quod inter fluentes, refluenteſque undas intercedit. Neque hic mihi iterum commemorandum cenſeo, quantùm adverſariorum illud de æſtu maris ſyſtema relationi Moſaicæ, ipſique planè rationi repugnet, quæ quidem meliùs infra examinanda recurrent. Animadvertendum potiùs diligenter, totum hunc 300. paſsuum tractum, quem in æſtu maris pervium iter habentibus conceſſimus, vix per quartam horæ partem vadum exhibere potuiſse: ſex enim ſubſequentibus horis ſenſim aquæ ad litus ſuccedunt. Porrò cum primò aquæ receſserint, in uda arena iter habere arduum eſt, tunc maximè cum arena ſubſidens greſsum fallit, quod de alveo Erythræi, quà in extrema ora in arctum cogitur, Diodorus Siculus aſseruiſse videtur. Quare 200. vel ſi quis maluerit 150. paſſibus in maximo aquarum
A receſsu perviis 6. vel 8. horarum ſpatio aſſignatis, nullum credo anguſtiorem tractum jure quis à nobis exegerit, ut certum & rotundum calculum, augmentationibus omnibus, & immutationibus detractis, quæ in ea ſupputatione occurrunt frequentes, habeamus.

His ita conſtitutis, turba, ut minimùm, 1000000. & facilè etiam 2000000. hominum, adjectis impedimentis, gregibus, totaque gentis, aliò migrantis, ſupellectili, divitias omnes Ægypti juxta Scripturæ phraſim aſportantis; turba, inquam hominum immenſa, quinam fieri potuiſse credimus, ut ſex horarum ſpatio alveum 200. paſſi-
B bus, ut minimùm, patentem tranſvadarit? Neque ſi tractus ille media ſui longitudine contraheretur, ac tempus, quo totum iter confici deberet, duplo prorogaretur, facilè tanta hominum multitudo traduceretur.

Quò verò de Iſraelitarum numero juſtam concipiamus ideam, illud animadvertiſse operæ pretium duximus, in cenſu populi poſt exactum à trajectione Erythræi annum ad 603550. militum capita cenſita fuiſse Num. 1. 46.; quibus omnibus adjiciendi ſunt 22000. Levitarum unius menſis ætate majorum Num. 3. 39, fœminæ omnes, pueri, ſenes grandævi, mancipia, & calonum immenſa turba, tum & Ægyptii cum Hebræis
C egreſſi Exod. 12. 38.. Conſtat autem, ipſa docente experientia, ſingulis virorum chiliadibus ſupra vigeſimum ætatis annum (quæ hominum ætas ferendis armis idonea habebatur Exod. 30. 14.) fœminarum, puerorum, & ſenum duplo majorem turbam reſpondere, ex quo, calculo exactè deducto, 600000. viri ad arma idonei, 1200000. imbellium turbam inferebant; quin & auctior multò is numerus reddebatur, tum ex polygamia, & connubiis, à quibus apud Hebræos nemo abſtinebat, cum ex Levitis, alienigenis, & mancipiis; ut facilè quiſque per ſe inita ratione intelligere poſſit, an nos 2000000. virorum re-
D cenſentes, exaggeratione aliqua uſi, populi numerum plus nimiò provexerimus. Animum modò quis advertat, quàm latum agri tractum exercitus 20000. vel 50000. ſeu 100000. virorum occupet, eamque deindè ideam ad exercitum vigeſies majorem transferat; ſuum quin etiam locum gregibus, carris, & impedimentis aſſignet; tantum reputet feſtinationis, tumultus, & horroris, quantum ſubitus & inopinatus caſus meticuloſo, & aſſueto ſervituti populo ingeſſerat: tum demum fierine unquam potuerit recogitet, ut inſtabilis & arenoſi ſoli 200. circiter paſſus tanta populi turba 6. vel 8. horarum ſpatio tranaverit.

Hæc planè omnia contra opinionem de capta æſtus maris occaſione fuſiùs deducta, iis etiam
E repugnant, qui non transfretaſſe quidem Moyſem putant, ſed litus tantummodò raſiſſe, ut ex inferiori loco ad ſuperiora ejuſdem plagæ contenderet. Porrò tantum ſpatii ea temporis periodo, quæ inter fluentes refluenteſque undas intercedit, confecisse populum crediderit nemo. Quare fruſtra ad rei fidem adſtruendam æſtus maris adducitur.

Quod autem penitus ſyſtema evertit, illud eſt, nimium maris Erythræi æſtum notiorem Iſraelitis, & Ægyptiis fuiſſe, quàm ut tranſitus, ea occaſione captata à Moyſe, prodigii loco à Judæis haberi potuiſſet. Neque Ægyptii commiſiſſent unquam, ut in alveum ſeſe inſinuantes, refluentibus aquis opprimendos ſe traderent. Poterant autem cum primùm refluentes eaſdem aquas animadvertiſſent (facilè enim aquarum motus prope litus deprehenditur) ab imminenti periculo ſe ſubducere. Quid, quòd juxta hanc hypotheſim, Hebræis

(1) Bernier letre a M. de Chaumont Eveque d' Acqs, & Moriz. Voyage du Mont Sinai l. 1. c. 4.
(2) Thevenot Voyage du Levant ch. 25. pag. 311. teſtatur ſicco pede ſe extremam illam maris oram trajeciſſe. (3) Vide Strab. l. 16.
(4) Bellon. Obſer. l. 2. 58.

Hebræis noctis ſilentio alveum ſubeuntibus, cum ſcilicet aquæ receſſiſſent, Ægyptii adverſariis inſiſtentes, nonniſi ſubeunte mane, aquis ferme reductis, in viam dare ſe debuiſſent? Quis, rogo, crediderit unquam, ſive Ægypti Regem, ſive alium quempiam ex Ducibus, vel militibus ad maris regionem ſuam abluentis æſtum unquam animum advertiſſe? Eſto autem ignoraverint, cum tamen abſorptam jam exercitus partem animadvertiſſent, quid cæteri morabantur, neque cauta ſeceſſione ſaluti ſuæ conſulebant?

Ad hæc, transfretandi Iſraelitis conſilium pro data ſubitò occaſione, non præmeditato animo, acceptum fuit. Moyſes enim exercitum ex Geſſen ad montem Sinai deducturus, per litus ad extremam oram Maris Rubri, & ad eum ferme montem deducens, viam planè tritam, iter facere ſtatuerat. Hanc ipſe viam tenuerat, cum ex B Ægypto receſſiſſet; hanc Aaron decurrit, cum regredienti fratri obviam ad montem Domini venit. Eo conſilio ad Etham uſque, urbem in finibus Arabiæ, proceſſerat; neque in animum inducere unquam poterat, Ægyptios, quibus urgentibus ad ſeceſſionem compulſi fuerant Iſraelitæ, & plura Hebræorum occaſione mala ſubierant, recedentes illos reductum venturos. Deus tamen, cui conſilia Pharaonis omnia exploratiſſima fuerant, flectere ſubitò iter ad meridiem juſſit, atque ſecundum maris litus Beelſephon, & Phihahiroc versùs procederent, ne indicata quidem viæ mutandæ ratione, præcepit. Vix autem Beelſephon venerunt, in locum nempè montibus ad latera, & Mari in fronte clauſum, neque regrediendi uſpiam, neque procedendi poteſtatem ullam ſibi reliquam eſſe ſenſerunt.

Quod vero Hebræis maximè fuerat ea occaſione timendum, id illis inopinato contigit, populo nempe in anguſtiis clauſo Pharaonem cum exercitu ſuperventurum. Eo vix conſpecto, ſubitus Iſraelitarum animos terror invaſit Exod. 14. 10. Pharao ditam ſibi occaſionem & delendi populi, & relatis ex eo ſpoliis Ægyptios ditandi ſecum tacitus reputabat Exod. 15. 19. & 14. 3. Quis porrò crediderit, in eas anguſtias populum conſultò ſeſe immiſiſſe? Quis ducem ipſorum eò deduxiſſe exercitum ſibi perſuaſerit, ſponte nullaque inductum neceſſitate; eò, inquam, deduxiſſe, unde, niſi transvadato mari, evadere unquam potuiſſet? Si Pharao in turbatum ſubitò populum copias immiſiſſet, quid tota Moyſis ſolertia valuiſſet, quid ejus conſilia, captatæ ſcilicet æſtus maris traducendo populo opportunitatis, valuiſſent? Nec ſane ſpondere ſibi quiſpiam potuiſſet futurum, ut Ægyptii ab armis ſe ſe ea ſibi data occaſione continuiſſent. Quid? Sub ipſum ne ineuntis noctis momentum, ut ſuo nempè conſilio faverent, receſſuras aquas Moyſes ſpondere potuit, Ægyptios verò tempus permiſſuros, ſivè ut noctis favore caſtra moverent Hebræi, ſivè ut impune recederent, abſque eo quòd abeuntibus graves inſtarent? Si enim aliter res contigiſſet, in quas, rogo, anguſtias incauta Moyſis conſilia populum redegiſſent? Si audacter à Moyſe factum id, & nonniſi cogente neceſſitate, contendamus, cui proſpere eventus fortuito caſu reſponderit; qua demum ille fronte ſibi de totius rei ſucceſſu ſpondere, atque populo ſuam ea de re fidem vadari auſus eſſe: Exod. 14. 13. 14. Pollicitus eſt enim Deum populo ſuo in Ægyptios ſuppetias laturum, decertaturum pro illis præſentiſſimis miraculis, quin & adjecit mox Ægyptios omnes ex eorum oculis in perpetuum fore ſubducendos. Porrò quicumque hiſtoricum aliquod ſyſtema invehere, atque Sacrorum Scriptorum narrationem carpere audent, id ſaltem committere debent, ut juxta prudentiæ regulas egiſſe hominem ſolertiſſimum, atque gubernandi arte inſtructiſſimum demonſtrent.

A Neque hic demonſtrare immoror, eam, quam huc uſque refutavi, opinionem cum tota Moyſis narratione pugnare. Vix enim crediderim futurum, ut ejus aſſertores ſivè Moſaicæ narrationi, ſive Veterum fidei ea in re deferre aliquid velint. Illi planè Moſaico præcepto, atque prodigioſæ virgæ nutui morigeras aquas, facto ſtatim inter ſe divortio, patentem in alveo viam populo reliquiſſe negabunt. Sed in animum induxiſſe quis poterit, ingenuum hominem, & planè non rudem, qualem fuiſſe Moyſem novimus, fabellam populo, veritatem non ignoranti, perſuadere voluiſſe? An ne oculatis rei teſtibus prodigium Divinum ea occaſione obtrudeſe potuiſſet unquam, vel auſus fuiſſet? Et ſi autem maris æſtum ignoraſſe populum dixerimus; nonne poſtea ſecundùm ſinus iter habentes, & B rem totam poterant deprehendere, & Moyſem malæ fidei hominem arguere; quippe qui naturalem eventum veluti prodigium ingerere voluiſſet? Quomodo etiam 2000000. virorum in animum induxiſſent unquam, recedentium aquarum pigrum lentumque motum & ſubito & promptè juſſu ac precibus viri contigiſſe? Hæc ſanè ex eo ſyſtemate ſpontè deducta abſurda qui ſeriò defendere aggrediatur, neminem fore arbitror.

Poſt refutatas eas opiniones, quas relationi Moſaicæ contrarias cenſuimus, modò ad explicationem obviam, & literalem textus Moſaici animum adjicere, atque Hebræos poſt mota à Rameſſe caſtra uſque ad locum transfretationis deducere optimum factu credimus.

Geſſen, populo ſedes, regio erat inferioris Ægypti Berſabee inter & Thanim, uti ex itinere C Jacob colligimus, qui Berſabee Urbe Palæſtinæ relicta, in regionem Geſſen venit, unde adventus ſui nuntios ad Joſephum, facile Tani inferioris Ægypti Metropoli, commorantem miſit. Regi Ægypti parebat, cujus aſſenſu Jacob, ejuſque familiæ pro collatis à Joſepho in Regnum officiis, ſedes aſſignata eſt. Nomen *Geſſen*, quod pluviam ſonat, facile regioni collatum eſt, quòd à Mediterraneo non longè abeſſet; hæc enim loca pluviis interdum irrigantur; cum meridionaliores cæteræ Ægypti Urbes nunquam imbribus madeant. Apud Septuaginta eo nomine regio quædam Arabica cenſetur.

Rameſſes Urbs eſt Iſraelitarum laboribus ſivè condita vel ſaltem novis acceſſionibus aucta Exod. 1. 11. eò autem omnes Hebræorum copiæ ante ſeceſſionem ex Ægypto reductæ ſunt. Porrò Urbs D illa cæteris facile Urbibus regionis Geſſen meridionalior fuerat; quanquam certus ejus ſitus, ſilentibus omnibus vetuſtis monumentis, ignoretur. Non longe tamen à Nilo conſtitutam, cui præcipuæ ejuſdem Regionis Urbes omnes proximè accedebant, facile credimus. Bidui igitur itinere illam ab Erythræo removemus.

E' Rameſſe moventes Hebræi, regia via ex Ægypto inferiori ad Sinai deducente in *Socoth* venerunt. Porro nomen illud *Socoth* Hebraice ſonat tentoria; quare non longe conſtitutum locum cenſemus ab urbe *Scena Veteranorum* apud Geographos.

Socoth relicta, Etham aſcenderunt *in extremis finibus ſolitudinis* Exod. 13. 20. in extrema ſcilicet ora deſerti, Arabiam Petræam, & Ægyptum interjacentis, quam ſane vaſtiſſimam eſſe ſolitudinem Geographi omnes conveniunt. Hanc Ur- E bem ipſiſſimam eſſe *Bubum* Herodoti l. 2. cap. 75. nullus dubito; ejus autem ſitum idem Hiſtoricus oculatus teſtis deſcripſit, quippe qui exuviis alatorum anguium inſpiciendis eò ſe contulerat. Septuaginta *Buthan* appellare conſueverunt. Nos de illa ſupra. Vicus eſt ad latus Arabiæ apud Diodorum Siculum, Antea nomine, facilè cum Etham confundendus. Ibi autem caſtra habentibus Iſraelitis, Moyſes iter relegere, atque Phi-

hahirot

Digitized by Google

hahirot tendere à Deo juſſus eſt (1). Id verò A eo conſilio præceperat Deus, quòd Pharaonem, ejuſque clientes utile ſibi Iſraelitarum contubernium ſentientes, conceſſæ illis abeundi veniæ pœnituerat; quare recedentes perſequi viribus omnibus conſtituerant. Nihil tamen ea de re Deus Moyſi prodidit, cum fidei ipſius & Iſraelitarum omnium, ſicut & obedientiæ ſpecimem exhiberi ſibi conſtituiſſet.

Ventum eſt igitur Phihahirot, *quæ eſt inter Magdalum, & Mare contra Beelſephon*. Caſtra tamen eo loci non Iſraelitas quidem, ſed Pharaonem habuiſſe legimus Exod. 14. 9.: *Currus Pharaonis, & omnis exercitus erant in Phihahirot, contra Beelſephon*. Alium Iſraelitæ locum tenebant ad Beelſephon, contra Hirot, è regione Magdoli, ſivè Magdali, quemadmodum ex illo intelligimus Num. 33. 7. 8.: *Ex Etham egreſſi venerunt contra Phihahirot, quæ reſpicit Beelſephon, & caſtrametati ſunt Magdalum; profectique de Phihahirot tranſierunt per medium mare*. Quare Pharaonis caſtra ad Hirot, Iſraelitarum verò ad Beelſephon conſtituimus; quemadmodum & Migdol ad Septentrionem Hirot & Beelſephon collocamus; ut proinde Urbs Beelſephon hinc haberet mare ad orientem, Hirot ad occidentalem plagam, & Magdalum ad ſeptentrionalem. Quibus ita conſtitutis, unius tantùm ex iſtis locis certus ſitus quærendus eſt, ut aliorum colligamus.

Phihahirot, ſivè tantùm Hirot, ut in Libro Numerorum, & apud Euſebium, & S. Hieronymum appellatur, ſitum habet variis diverſorum conjecturis incertum. In Commentario noſtro ſententiam quorundam adduximus, qui confundendam cenſent cum urbe Heroum, ad extremam oram ſinus Arabici, apud veteres Geographos notiſſima; quemadmodum & aliorum ſententiam laudavimus, qui ipſiſſimam credunt cum *Phagroriopoli*, Metropoli regionis ejuſdem nominis, & in eadem, ac ſuperior urbs, plaga ſitâ (2). Septuaginta vertunt (3): *Et caſtrametati ſunt ad os vici*; Syriacus *Ad oſtia foſſæ*; alii *Ad oſtia ſaucium*. Hanc verſionem confirmant verba Pharaonis Exod. 14. 3.: *Coarctati ſunt in terra, concluſit eos deſertum*. Arabs vertit: *Porta Bebelah*, quod facilè de Babylone Ægypti, ſivè Magna Cairo dictum eſt; è regione etenim ejus Urbis vaſta porrigitur via ad mare Rubrum. Ex pluribus autem Itinerariis conſtat, ab extrema maris ora uſque ad eum locum nullam patere viam exercitui deducendo, ut proinde Iſraelitæ facilè eo loci mare tranaſſe credendi ſint.

Magdalum, è cujus Urbis regione poſita Judæorum caſtra memorantur, nomen eſt loci non longè à Phihahirot. Nomen illud Hebraicè ſonat *turris*. Urbs Magdolum, ſivè Magdalum in Ægypto celebratiſſima, ſæpiùs in Sacra Scriptura memoratur; cum tamen inferioris Ægypti fuiſſe Urbem conſtet (4), aliam quæramus Urbem cognominem oportet non longè ab Erythræo, & in extrema ejuſdem maris ora ad meridiem ſitam. In Itinerario Antonini urbs Magdolum 12. milliar. à Peluſio conſtituitur; ſed nihil hæc ad noſtram, quæ 7. vel 8. leucis ab Etham, ad meridiem aſcendentibus occurrere debuerat. Facilè turris erat, juxta ac nominis ſignificatione denotatur, ut proinde nulla Urbis eo loci veſtigia ſuperſint.

Beelſephon ſola Moyſis relatione nota Urbs, nihil habet ſivè in Scriptura, ſivè apud Authores prophanos, quo de ejus ſitu quidquam innoteſcat. Grotius, Rabbinorum fidem ſequutus, Idolum in finibus Ægypti tutandæ regionis gratia conſtitutum deſignari eo nomine cenſet. Addunt Hebræi eo loci Taliſmannum, ſivè Magicam quandam imaginem conſecratam fuiſſe, canem ex ære conflatum referentem; hujus autem canis latratu, inquiunt, Iſraelitarum fuga prodita fuit. Sed quæ fides Hebræorum fabellis? Nomen Beelſephon reddi poteſt, *Deus abditus, Deus vigilans, Deus Septentrionis, Deus Oraculi*. Porrò *Beel*, & *Baal* nomina ſunt æquè Diis omnibus utriuſque ſexûs communia; & *Zephon*, ſivè *Zaphon* omnia illa, quæ jam innuimus, commodè ſignificant. Hinc Pharao nomen Joſepho impoſuit ex *Zaphonat*, & *Paranah* conflatum, ſonans virum abdita quæ- B que revelantem Gen. 41. 45.. Potuit igitur urbi Beelſephon oraculum ibidem conſtitutum nomen indidiſſe.

Plura fuiſſe in Ægypto Oracula Herodoti l. 2. c. 83. relatione diſcimus, uti Herculis, Apollinis, Minervæ, Dianæ, Martis, Jovis, ac potiſſimùm Latonæ. Nomen autem Beelſephon plurimùm ad Perſephonem, ſivè Proſerpinam accedit; quam ſanè Deam ſub Dianæ nomine ab Ægyptiis cultam, quemadmodum & ſub Iſidis nomine Cererem, Herodotus teſtatur. Huic Cereri Dianam filiam tribuebant, ut proinde facile hujus Dianæ, ſivè Perſephones oraculo urbs Beelſephon dedicari potuerit. Id quidem nos conjecturæ loco dicimus, maturius rei examen C aliis relinquentes, Nec eſt cur nomen Beel ſivè Baal fœminæ tributum, negotium in ea re faceſſat, cum in Paganorum Theologia frequentiſſimè nomen Dei omnibus æquè Numinibus utriuſque ſexus, ac potiſſimùm Lunæ, & Dianæ tribui conſuevisset. Quod ad nomen *Perſephones* attinet, alterius eſt à Græca originis; quin & omnia fermè Deorum Græcorum nomina ex Ægypto derivari Herodotus l. 2. c. 50. animadvertit.

Sed quid hæc ad certum urbis Beelſephon ſitum inveſtigandum? Urbs illa ſita eſt ad Clyſma apud Euſebium in locis.; in verſione ſua S. Hieronymus nomen Clyſma omittit. Eam vocem in Textu Euſebii redundare autumat Bonfrerius, nec illam planè aſſecuti ſunt Operum D S. Hieronymi recentiſſimi Editores. Cum tamen recepta apud Antiquos traditio ferat, Hebræos ad Clyſma Erythræum tranſretaſſe, certum ejuſdem loci ſitum operæ pretium erit inveſtigare. Euſebius ad Erythræum collocat, ubi verò potiſſimum, ſilet; S. Athanaſius in Arabia (5), in plaga ſcilicet Erythræi occidentali, quam Veteres non rarò Arabiæ nomine appellant, ut R. P. D. Bernardus Montfaucon ejuſdem S. Doctoris mentem ſcitè interpretatus demonſtrat. Rubrum mare, ita deſcribit Philoſtorgius *lib. 3. c. 6. in duos ſinus dividitur, quorum unus deſinit in Clyſma, unde & nomen ſortitur. Altera verò pars in urbe Elam. Ad Clyſma Iſraelitæ ſicco pede* E *aquas tranſiit*. S. Gregorio Turonenſi Clyſma urbs eſt ad eundem locum, nempè ad extremam oram ſinus Suez (6). Coſmas Ægyptius Monachus, cujus Opera non ita pridem edita ſunt, tranſretaſſe Hebræos ad Clyſma teſtatur, cujus rei fidem, ait, veſtigia curruum & rotarum intra alveum longiùs excurrentia, quæ adhuc manent, apertiſſimè confirmant: porrò locus iſte, addit, euntibus ad Sinai dexter occurrit (7). Exacte ille quidem, ſed exactior in deſignanda plaga ejuſdem maris ulteriori ſive citeriori deſiderare-

(1) Exod. 14. 2. *Reverſi caſtrametentur è regione Phihahirot*.
(2) Strab. l. 17. (3) [illegible]. Facile legerunt עירות *urbes* pro חירות *foſſa*.
(4) Vide Jerem. 44. 2. 14. Ezec. 39. 10.
(5) Hiſt. Arian. ad Monach. t. 1. pag. 28.
(6) Greg. Tur. l. 1. c. 10. *In hujus ſtagni [ſeu brachii] capite Clyſma civitas ædificata eſt*.
(7) Coſm. l. 5. pag. 149. Vide Præf. in eund. c. 5. §. 2.

deraretur. In Tabulis Peutingeri ad litus occidentale ſinus illius pertinet, ſed apud Ptolomæum, Itinerarium Antonini, & optimas Tabulas Geographicas, plagam occidentalem ſinus Arabici inter *Suez* & *Crondel* tenet. Ipſiſſima eſſe creditur cum *Colzuma*, ex qua oræ occidentali maris Rubri nomen inditum; quin & mare ipſum hodie *Babar el Colſum* appellatur (1). Junior Thevenot Itiner. p. 2. c. 33. ad extremam oram borealis Erythræi ſinus Clyſma collocat; addit inſuper ſe quindecim ſolidis diebus per litus ejus freti iter habentem ad montem Sinai, nunquam tamen ampliorem alvei ſinum, quam 8. vel 9. milliarium obſervaſſe. Monaſterium S. Antonii hodie uſque ad Clyſma viſitur. Transfretarunt igitur Hebræi una vel dimidia leuca infra extremam Erythræi oram, multò ſupra Tor ad vadum Crondel, quem locum alii Iſraelitis mare trajicientibus aſſignant (2).

Porrò viſa olim ad Clyſma veſtigia curruum & rotarum fragmenta Paulus Oroſius, Gregorius Turonenſis, & Coſmas Monachus ſupra laudatus teſtatur. Sua etiam ætate manſiſſe rotarum veſtigia non in litore tantùm, ſed in imo quoque pelagi fundo, quantùm oculus perſequi poſſet, ſcribit Oroſius l. 1. c. 10. ſi quis autem, ait, ſive curioſitate aliqua, ſive alia quacunque de cauſa arenam turbaſſet, veſtigia tamen illa continuò ventis, fluctibuſque reparabantur. Paria, certiſſimorum teſtium fide, Gregorius Turonenſis refert (3). Quare etſi fidem ſuperare res illa videatur, poſt tales tamen tantoſque Scriptores ac teſtes, temerè prorſus rejiceretur. Eam opinionem confirmat quod ex plurium oculatorum teſtium relatione compertum eſt (4), ſolum nimirum ejus oræ facilè corporibus quibuſcumque cruſtam lapideam inducere, ut non rari occurrant arbores, cymbæ, angues, fructus, cadavera, in lapidem rigeſcentia. An fortè idem accidiſſe contigit ruderibus curruum Pharaonis, quæ ſcilicet in lapidem ſolidata uſque ad quintum, & ſextum ſæculum rei geſtæ monumenta ſervare potuerint? Sed ad Iſraelitas regrediamur.

Vix illi, ſubeunte veſpere, Beelſephon ad Erythræum pervenerant, cum Pharaonis caſtra in conſpectu poſita ad Hirot, non conſpexerunt tantum, ſed etiam in prælium mane alterius diei parata exhorruerunt. Eo aſpectu rigere ſubito horrore Hebræi, mox in murmur, & querelas contra Moyſem converſi ſunt. Nihil tamen ille his omnibus permotus, fidem ſuam obſtrinxit futurum, ut quantocyus à præſentiſſimo periculo liberarentur, ſimulque precibus intimo tantùm, uti quidem credimus, mentis affectu Deo oblatis, Deum ipſum actutum jubentem audivit, porrigere manum, atque per medium pelagi alveum, diviſis utrimque aquis populum traducere. Sub hæc nubes, quæ in fronte exercitus hucuſque iter monſtraverat, inter caſtra Ægyptiorum, & Iſraelitarum mediam ſe collocans, diem Iſraelitis, Ægyptiis verò noctem obſcuram adeo reddebat, A ut ab Hebræorum exercitu Pharao prorſus abſterreretur. Tum Moyſes elata virga, factoque aquarum divortio patentem ſanè viam per medium pelagum aperuit. Quo verò iter per illam facilè Hebræis pararetur, validus à Deo immiſſus ventus imum maris fundum dicto citiùs ſiccavit. Ea occaſione aquas utrinque veluti in glaciem concreviſſe ex pluribus Sacrorum Librorum phraſibus ſupra ſignificavimus. In libro Sapientiæ 19. 7.: *In mari Rubro via ſine impedimento, & campus germinans in profundo, per quem omnis natio tranſivit.... Tanquam enim equi depaverunt eſcam, & tanquam agni ſaltaverunt, magnificantes te Domine.*

Fatemur quidem, hæc Sacræ Scripturæ verba B ad ſenſum allegoricum facilè detorqueri potuiſſe, quaſi ſcilicet illis exultantis ad prodigium populi gaudium explicaretur (5). Sed nullam Interpretes metaphoram agnoſcentes, ſubitò quidem germinaſſe Divino prodigio in imo maris fundo herbas defendunt; alii (6) verò, pluribus Authoribus prophanis laudatis (7), demonſtrant, Erythræi alveum, qua maximè ad litus accedit, herbis, & juncis vireſcere, unde pelago illi ab Hebræis nomen inditum *mare Suph*, ſeu mare Juncorum: quin & apud Plinium l. 3. c. 23. imus ejus pelagi fundus virentibus arboribus, lauris, olivis fructibus onuſtis, tribus ſaltem cubitis proceris conſitus eſt (8). Tandem Interpretum alii volunt lapideam cruſtam arenæ per eam occaſio- C nem inditam fuiſſe, quò Iſraelitarum greſſus paterentur. Sedulius.

Sicca peregrinas ſtupuerunt marmora plantas.

Quid? Eò pervenerunt alii, ut ſtraviſſe viam Deum crediderint ſubmotis arbuſtis, dejectis ſcopulis, atque foveis æquatis. Sed prodigia ne gratis coacerventur; & cum unum hoc ſatis admirari homines non poſſint, quid nova quærantur in Scriptura prorsùs incognita?

Caſtra deſerentes Iſraelitas & pelagum ſubeuntes, nubes conſequebatur, ut exercitu transfretante, & illa tandem transfretarit. Interim Ægyptii ſub vigiliam matutinam circiter (9), trajeciſſe Hebræos tunc primò ſentientes, & ipſi confeſtim fugientibus inſtare, ne animadverſo quidem itineris periculo, cœperunt. Vix aliquantò proceſ- D ſerant, cùm ſubito terrore affecti turbare ordines, & ſe invicem confundere. Tum Deus immiſſis in illos fulminibus, atque ſubitis fragoribus intonans horrendum, turbatos antea adeò perculit, ut mutuò ſe in fugam urgentes verba illa ingeminarent: *Fugiamus Iſraelem, Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* Hujus fugæ tumultus terrorem auxit, & deſperationem, nihilque ad ultimas anguſtias redactis ſupererat, quàm ut in adverſam ripam evaderent. Sed fruſtra illi; nam reſolutæ jam aquæ, opplere primùm viam, litus quò tendebant reſpicientem; deinde verò ſuper eorum capita recidentes, omnes oppreſſerunt. Hæc Scriptura, quæ diverſam planè ideam ingerunt, ac recentiores quidam Critici ea de re obtrudant.

DISSERTATIO
DE POESI VETERUM HEBRÆORUM.

EA, quæ ad Poeſim Librorum Sacrorum pertinent, inexplorata hucuſque Scriptoribus, atque impervia fuiſſe variæ diverſorum hac una de re opiniones, quin & errores ſatis oſtendunt. E Omnium vetuſtiſſimi peritiſſimique Scriptores argumentum illud tractantes, occurrunt Joſephus, Origenes, Euſebius, S. Hieronymus, viri oppidò doctiſſimi, quorum authoritas pleroſque ferè ſubſequentes Scripto-

(1) Vide Golium in not. ad Alferg. pag. 144. (2) Joan. de Barros apud Torniel. ad an. M. 2544. art. 25.
(3) Loc. cit. (4) Abbas Rouſſeau, Morizon Voyage l. 1. cap. 24.
(5) Ita Hugo Card. Lyr. Dion. Carth. alii. (6) Leonar. Mar. hic art. 67.
(7) Diodor l. 3. c. 5. (8) Phil. de vit. Moſ. l. 3.
(9) Nempè ſub ortum auroræ, circa quartam horam matutinam.

Scriptores in ſuam ſententiam pertraxit. His ergo viris doctiſſimis authoribus, Moyſis Cantica carmine exarata eſſe conſtat, & carmine heroico, uti Joſephus non raro teſtatur (1). Paria apud Origenem, & Euſebium legas (2), quibus illud adjiciendum cenſuit Hieronymus Præfat. in Chron. Euſ. nimirum carminibus jambicis, alcaicis, & ſaphicis, inſtar Pindaricorum, & Horatianorum, totum Pſalterium digeſtum eſſe. Cantica verò, ait, Deuteronomii (3), & Iſaiæ, quemadmodum & liber Job & Salomonis, hexametris pentametriſque verſibus inſtruuntur. Alibi tamen ſentit Cantica Deuteronomii (4) jambis tetrametris adornari; quemadmodum & Pſſ. 118. & 144.; trimetris verò conſtare Pſalmos 110. & 111.; Saphicis tandem aliiſque carminibus trimetris Jeremiæ lamentationes. Tandem ea, quæ de libro Job alibi ſcripſerat, iterum in præfatione ad eundem librum repetens, ſanctè teſtatur, poſt illa verba, *Pereat dies in qua natus ſum*, omnia hexametris, dactylis & ſpondæis conſtantibus, digeri: quanquam interdum, ait, *propter linguæ idioma crebrò recipiant tales pedes, non earumdem ſyllabarum, ſed eorundem temporum. Interdum quoque rythmus ipſe dulcis & tinnulus fertur, numeris pedum ſolutis; quod Metrici magis, quam ſimplex Lector intelligunt*. De libro etiam Pſalmorum lyricis carminibus concinnato, inſtar Pindari, Alcæi, Horatii, Catulli, & Sereni, pluries teſtimonium repetit (5).

Sancti Viri eruditionem, quem veluti Eccleſiæ Doctorem venerari par eſt, meritò quidem omnes ſuſpicimus: fateamur tamen oportet, plures eſſe Hebraicæ linguæ peritiſſimos viros, qui neque in Pſalmis noſtra ætate, neque in aliis Hebræorum poeticis ſcriptis quidquam ſubodorantur de metris & numeris, quales olim S. Hieronymus ſibi comperiſſe viſus eſt. Quare S. Doctoris ſtudioſiſſimi viri, ejus in ea re mentem explicantes, contendunt, non illum quidem vera hexametra & pentametra carmina in libro Job deprehendiſſe, ſed, inquiunt, *ſimilitudinem quandam heroicorum verſuum intelligere debes, & ſic in cæteris metrorum generibus* (6).

Philo de Eſſenis agens, ſervata apud illos tradit veterum Poetarum ſectæ ipſorum carmina (nempè Authorum Sacrorum poetica ſcripta) hæc autem carmina, inquit, variis metris, & numeris conſtant: alia ſunt enim (*) trimetra, in religioſis Templi viſitationibus inter eundem canenda. Alia hymnos referunt, ante Aram in ipſis Sacrificiorum, & libationum oblationibus recitanda; alia tandem quietum exigunt, & immotum cantorem; alia choreis, & choris apta.

Scaliger nullam numeri legem in hiſce veterum Hebræorum carminibus agnoſcit: *Nam*, ait, *ut in Hebraico, Syriaco, Arabico, & Abyſſino idiomate ulla metri ſpecies concipi poſſit, nemo efficere poteſt; quia id natura ſermonis non patitur* (7). Addit autem de Pſalterio, aliiſque: *De Pſalterio magis miror, cum neque in eo, neque in Threnis ullum Canticum ſit metricis legibus adſtrictum, ſed mere ſoluta oratio charactere poetico animata*.

Eadem Auguſtino Eugubino viſa ſunt: *Carmen Hebraicum*, ait, *non idem eſt, atque Græcorum, & Latinorum. Hebraicum nulla tempora, ſed numerum duntaxat obſervat*. Itaque neque heroicum carmen apud Hebræos extat, neque jambicum, aliaque genera; ſed ſimile quiddam, quale Barbari diverſis ritibus canunt. Hoc poeſeos genus

A maximè ſimplex, maximè ad naturam accedens, majeſtatis plus habet, & dignitatis, quàm poeſis certis legibus veluti compedibus revincta, vix ſenſis, à Deo hominibus inſpiratis, exprimendis apta; dum enim metri legibus ſervire Poetæ ſtudent, vix fieri poteſt, quin aliquid de grandioribus ſenſis ideiſque detrahant.

Scaligerum peritiſſimi Critici ſecuti ſunt, uti Auguſtinus Eugubinus, Ludovicus Capellus, Martinius, Samuel Bohlius, Vaſmutth, Pfeifferius &c. Addendus & Grotius (8), addendus, inquam, iis qui Poeſim Hebræorum nec rythmicam, nec numeris adſtrictam arbitrantur; neque ab ea receſſuros Lectores noſtros arbitramur, poſt lectam Diſquiſitionem D. Abbatis Fleury &
B noſtram hanc Diſſertationem. Eſt igitur nobis in præſentia res cum Authoribus illis, qui in Hebræorum poeſi ſimile quid cum Græcis, ſivè Latinis, aliiſque linguis hodie obtinentibus, deprehendiſſe ſibi viſi ſunt; eamque opinionem non ex aliorum authoritate, ſed productis de ſuo argumentis ſuſtinuerunt. Omittendos autem eos duximus, qui nihil ſe ea de re aſſecutos, vel aſſequi unquam poſſe ſcripſerunt. Referendi tamen quibus novum aliquod in eo ſyſtema viſum fuit proponendum.

Mercerus in cap. 3. Job ex aliorum relatione audiviſſe ſe tradit, Franciſcum Vatablum veram methodum carminum libri Job, & Pſalterii non inveniſſe tantùm, ſed etiam digeſtis regulis aliis
C perviam feciſſe. Vatabli quidem eruditionem neminem arbitror ignorare; ac Mercerus ſperare ſe dixit futurum tandem, ut eximii illius viri ſcripta de eodem argumento publicæ expectationi traderentur; ſed ea de re actum eſt jam; nec ſpes tantùm Vatabli ſcripta umquam videndi intercidit; ambigitur quin etiam num Vatablus vel ſcripſerit umquam in idem argumentum, vel ſaltem abſolutum aliquid reliquerit.

Theodorus Herbertus reperiſſe ſe tandem blandiebatur in Sacris libris carmina noſtris ſimillima, metris nempè, & cæſuris, nonnullis, quas ipſe præſcribit, regulis adſtricta. Ex his carminibus quædam, ait, occurrunt in Pſſ. 6. 2. & 8. 5. & 105. 10. & 106. 5. & 116. 7. & 118. 25. & 119. 30. & 146. 7. & Job. 21. 4. Prov. 25. 19. Sed
D quorſum hæc? Anne Poeſim artificialem apud Hebræos ſub Joſue, Job, & Davide innotuiſſe, jure ex eo inferremus? Facilè profectò vel proſa ſcripta oratio rara quædam carmina exhibere poteſt.

Doctores quidam Hebræi contendunt rythmicum illud Poeſis genus, hodie Hebræis familiare, vetuſtiſſimum eſſe, ut potè ætate Patrum ſuorum in Palæſtina obtinens; quam in rem epitaphium quoddam Hebraicum & rythmicum laudant, olim in tumulo Præfecti cujuſdam Amaſiæ Regis Juda in Regno Valentiæ legendum (9); ſed hæc fabuloſa, nec digna, ut veritatis ſtudioſos viros detineant.

Meibomius, ætatis noſtræ ſcriptor, ſe unum jactitat, qui poſt 2000. annos ſecretum Poeſis Hebraicæ tenuerit, eoque inſtructus ipſe totum ori-
E ginalem Scripturæ Textum corrigere auſus eſt. Ego, ait ipſe in ſua ad Reges omnes, & Principes Chriſtianos totius Europæ epiſtola, novam adornavi Librorum Sacrorum verſionem, cùm explicatione difficillimorum locorum, cujus ego laboris vobis in præſentiarum ſpecimen exhibeo. Quòd ſi pro meritis agnoſceretis, reliquum Veteris Teſtamenti ſperare vos jubeo, quemadmodum & carminum legem, quibus opus contextum eſt.

In Præ-

(1) Antiq. l. 5. cap. ult. & l. 4. cap. ult. & l. 7. cap. 12. (2) Euſeb. Præp. l. 2. cap. 3.
(3) Deut. 32. (4) Epiſt. ad Paulam Urbicam.
(5) Epiſt. ad Paulin. l. 9. Comment. in cap. 30. Ezech. Ferrandus in Præfat. Pſ. cap. 11. p. 9. autumat nec dactylos, nec ſpondaicos in Pſalmis deeſſe, quemadmodum ſunt etiam in Homero. Spondaicis etiam carminibus conſtitiſſe ferunt Epitaphium R. Iſaac Alpheſi, qui ſæculo undecimo florebat.
(6) Vide Proleg. in Divin. Biblioth. S. Hieron. nov. edit. art. 5.
(*) Philo de vit. contempl. ad fin. (7) Scalig. in Chron. Euſeb.
(8) Grot. in Loc. c. 46. *Erant enim rythmi ſive numeri Hebræorum non emmetri, ſed lege ſoluti, cujuſmodi etiam erant, & nunc quoque ſunt eorum ſaltationes*. (9) R. Moſes Ben Chaviſ. Darkenoam.

In Præfatione gloriatur ſe in Sacro Textu ultra 3000. errores correxiſſe, qui ſenſum corruperant; deprehendiſſe autem ſe illos profitetur inſuſo divinitùs lumine, ſicut & ope regularum Hebraicæ Poeſis; quæ ſanè regulæ poſt Jeremiæ, & Danielis ætatem occultæ, Aggæum, & Eſdram latuerant.

Addit inſuper, ipſos Veteres Judæorum Doctores, ſi redire in mundum contingeret, grande illud donum, ſibi divinitùs collatum, admiraturos; Septuaginta verò Seniores fruſtra ſe operam ſuam collocaſſe profeſſuros ingenuè, ſicut & Origenem, relictis Hexaplis, unà cum S. Hieronymo, totos ſe in ejus laudibus occupaturos, qui reliquos omnes Latinos Sacræ Scripturæ Interpretes ſuperaſſet, pro ea, qua præſtabat, Poeſis Hebraicæ ac Linguæ Sanctæ peritia.

Scriptor iſte novo ſuo de Poeſi Hebræorum arcano totam turbat Scripturam; quam parte tantùm minima totiùs ſyſtematis revelata, clavem ipſam nobis invidit. Facilè vulgatum illud ſpecimen Publico non arriſit, cum Meibomius huc uſque fidem ſuam liberare diſtulerit.

Franciſcus Gomarus, ſcripto Libro, cui titulum fecit *Davidis Lyra*, carmina Librorum ſacrorum paribus adſtringi legibus cum Græcis, & Latinis demonſtrare conatur; nihilque autor ille non molitur, ut regulas, pedes ac carminum genera omnia in Sacro Textuediſſerat. Bipertitus eſt Liber, cujus pars prior regulas pro ſyllabis Hebraicis dimetiendis aſſignat; tum varia proſequitur Hebræorum carmina pro Græcorum, & Latinorum diverſitate; altera verò, conſtitutis jam regulis, carmina Scripturæ diducit, analyſim format, profert exempla, quæ regulis ſuis, & principiis quadrent. Opus illud ſummorum Virorum laudes primò aſſecutum eſt, veluti Buxtorfii, Ludovici de Dieu, Conſtantini l'Empereur, Heinſii, Hottingeri; mox verò Ludovici Capelli eruditionem in ſe concitavit. Obſervat igitur Capellius duo ab Authore principia conſtituta eſſe, quæ vix, ac ne vix quidem probaret; primò Hebraica puncta non recens eſſe Hebræorum inventum, ſed ex ipſis Sacris Authoribus derivata; alterum, Sacros Scripturæ Libros nullam prorsùs paſſos fuiſſe, ſivè oſcitantia Amanuenſium, ſive temporis diuturnitate corruptionem.

Solemne Gomari peincipium illud eſt: *Scheva non vocalis eſt, ſed illius ſub conſonante mobili abſentia nota.* Hoc Authoris axioma refutaturus Capellius authoritatem plurium Grammaticorum adducit, quibus Scheva vocalis brevis loco habetur. 2. Gomari regula ſemel admiſſa, ait Capellius, plures Hebraicæ voces, vel ab ipſis Barbaris, ne prunuuciari quidem poſſent, e. g. *Jerbaka*; quin & plurimæ voces verè triſyllabæ in diſſyllabas migrare cogerentur.

3. Gomari principium alteri Hebraicæ Syntaxis repugnat: *Scheva ſub litera, cui adjectum Dages, pronuntiatur.* Ita ex voce *Pakkedu* ſive Dages ſubducendum eſt, ſive ratio ineunda, ut quieſcente Scheva in pronunciatione exprimatur.

4. Tandem juxta ac Capellius animadvertit, quo loco nos Scheva legimus, veteres, veluti Septuaginta, & S. Hieronymus, modò unam, modò alteram vocalem legebant; quare non eſt, uti quidem Gomarus contendit, quòd huic puncto vocali tantopere ſerviamus; quin & ſæpiùs contingit, ut in pronunciatione exprimatur.

Alterum Gomari principium eſt: In Hebræo Syllabas omnes longas eſſe, vel breves, ancipitem nullam; neque fieri unquam poſſe, ut breves in longas per poſitionem tranſmutentur, quemadmodum Syllabis Græcorum, & Latinorum frequenter accidere ſatis conſtat. Egregiè ille quidem, ſi lingua Hebræorum eadem cum Gallica, atque vernacula omnium fermè Europæ gentium

A indole, nullam in ſuis carminibus ſyllabarum dimenſionis haberet rationem; cum verò, juxta Authoris mentem, linguæ Hebraicæ genius idem ferè ſit ac Latinæ & Græcæ, ac plurima inter carmina omnium illarum gentium inſit ſimilitudo; qui, rogo, fieri poteſt, ut iiſdem ac gentes illæ regulis non ſerviat? Neque conſtitutis à ſe regulis Gomarius feliciſſimè ſemper utitur; ſæpè enim barbariſmi criminationem, & objectam in ſe totiès difficultatem pronunciandi inſtaurat. Vix etiam fieri poſſe oſtendit Capellius, ut certa Hebraicarum Syllabarum menſura determinetur, quandiù de vera earum pronunciatione non conſtabit; neque faciliori negotio, ait, verſus Hebraici legerentur, ſi regulas pronunciationis ab Authore traditas ſervemus. Ipſo enim Gomaro fatente, conſtitutæ

B ab illo regulæ vix ultra tres verſus ordine ſuccedentes patiuntur. Ex quo illud conſequi animadvertit Capellius, certas de Poeſi Hebræorum regulas fruſtra aſſignari; quemadmodum & fruſtraneo labore torqueremur in regulis poeſeos Græcæ, & Latinæ aſſignandis, niſi eandem regulam, & methodum ſervantes plures apud illos carmine ſcriptos Libros haberemus. Nonne ridenda planè eſſet viri illius confidentia, qui vagis quibuſdam & irregularibus carminibus ſparſim in Libris Sophoclis & Pindari animadverſis regulas illorum certas præſcribendas ſuſciperet?

Quare dum Gomarus ultrò fatetur, *varia* eſſe inter ſe Hebræorum carmina, *promiſcua*, & *atakta*, ideſt nullo ſibi invicem ordine ſuccedentia, neque ejuſdem metri plura ſimul continuari, ipſe ſibi imprudens ſui Operis fundamenta

C ſuffodit; cum incertæ adeò & vagantis poeſeos certa & conſtantia principia nulla eſſe potuerint. Scitè etiam animadvertit Capellius, adverſarium ſuum tantam carminum farraginem irregularium, & regularium in uno eodemque Scripturæ Cantico inſerere debuiſſe, ut nullo negotio ſimiles verſus in tota pariter Scriptura inveniri potuiſſent; eodemque labore, quo in Pſalterio carmina rimatus fuit, eodem & in univerſa Scriptura inveſtigaſſet. Neque in Scriptura tantùm, ſed orationes omnes Ciceronis, & Demoſthenis, T. Livii, & Thucydidis Hiſtorias, non proſa oratione, ſed carmine ſcriptas fuiſſe ex Gomari methodo probaremus. Pfeifferius ejuſdem Gomari carmina vel in ipſo *Pater noſter* ſe adinventurum confidit; nec fruſtra ille; namque ne immutata quidem Sacræ

D orationis verba variis ejuſdem Scriptoris carminibus ſervire facto ipſo oſtendit in Diſſert. de Poeſi Hebr.

Aliud ejuſdem Poeſis ſyſtema Author Bibliothecæ univerſalis invexit, rythmo ſcilicet adſtricta fuiſſe carmina his potiſſimùm argumentis demonſtrans. 1. Ea eſt Hebraicæ linguæ, quemadmodum & Gallicæ, indoles, ut verborum contextum inverti nunquam patiatur; quam ſanè verborum inverſionem Græcis & Latinis tam proſa oratione quàm carmine ſcribentibus familiarem eſſe novimus. 2. Hebræorum voces eandem ſervant in omnibus caſibus utriuſque numeri terminationem; maſculinæ nempè in plurali habent *im*; fœmininæ *oth*; ex quo illud conſequitur, tam pronum eſſe rythmicis verſibus ſermonem, quàm metricis Græcorum & Latinorum more

E ineptum. 3. Pro numero longarum ſyllabarum rariſſimæ ſunt breves apud Hebræos, ut vix in numeros iiſdem, quibus Græcæ ac Latinæ, legibus adſtringi potuerint; quòd autem inter ſcribendum rythmi evitentur, vix unquam contingit. 4. Fruſtrà tamen ſatis limatum exactumque carmen aliquod apud veteres Hebræos quæri Author animadvertit, cum in artem nondum apud illos redactam fuiſſe Poeſim facilè ſuſpicetur. Quare nec rythmis ſemper felicibus uti illos animadvertit,

negligere ſæpè ; ſola enim concinna modulatione contenti, vix cætera curaſſe videntur. 5. Rythmorum numerus vagùa eſt & incertus , ut non pluter ordine ſuccedentes rythmos unius generir, pauci interdum alterius ordinis excipiant , vatiat eriam ordo & carmiuum ſtructura ; ut ea omnia neglexiſſe Hebræi videantur. 6. Potior apud illor ratio conſonantiæ , atque modulationis verborum , quàm literarum , & ſyllabarum affinitatis. 7. Neque spud Hebræos deeſt , quemadmodum nec apud Græcos , & Latinos , extra præſcripesr poeſis leges divagandi licentia ; affinium quin etiam linguarum Chaldaicæ ſcilicet, & Arabicæ opem admittunt, ſi ſortè Hebræorum voces rythmis impares , externæ verò pares ſuerint . 8. Quod maximè rythmicæ poeſir ſyſtema confirmat , illud eſt, nimirum nullo negotio fieri poſſe , ut Cantics , ac cætera Scripturæ Opera carmine ſcripta, rythmis adſtringantur.

Porrò Author totum Moyſis Canticum rythmicis verſibus tradidit ; nec minori ſucceſſu parem in Pſalterio impendiſſe operam profitetor ; rythmos etiam in Pœnulo Plauti, ubi prolixum Punicum tragmennim extat , deprehendit . Hoc ſanè poſtremum optimum eſt argumentum , quod in patrocinium eius controverſiæ adducatur . Si enim in Operibus Hebræorum carmine ſcriptis rythmi ſegnaiſe deprehenderentur, nihil eſſer, cur rythmicæ poeſir leges innotuiſſe Hebræis negaremus. Cum tamen, sd rythmos exprimendos in Pſalmir , & Canticir Scripturæ Textum Sacrum mirè Author diſtorqueat , modò ſententias producens , modò fœde detruncans, nulla ſibi propoſita methodo, ſivè regula ; non eſt ſanè cur eadem arte rythmos ex ipſis Ciceronis Orationibur non eliceremus.

Negare tamen non aoſim , rythmos interdum & dedita opera conquiſitos in Pſalmis , & Libris Scripturæ carmine ſcriptis, recurrere ; ex quibur tamen præpoſterè ſanè colligeremur , veteres illor Hebræor tythmica poeſi uti conſueviſſe . Porrò ut de rythmir judicium ſerretur , verſus notæ terminationis produci oporteret , ne detruncate , ſive producere sd libitum ſententias , rythmi quærendi gratia , accuſaremur . Appoſitè igitur ad eam rem Pſalmus 118. ſuccurrit , qui acroſticè concinnatus, ubi potiſſimùm deſinant , undè exordiantur verſur , deſignat . Pſalmus iſte prolixus eſt adeo, ut verſuum indolem facilè demonſtret , ſi quis maximè illos inter ſe comparaverit . Plures igitur in illo rythmi occurrunt , quos tamen data opera conquiſitos ſuiſſe affirmare auderer nemo ; neqoe enim certs methodo , & lege ſibi invicem ſuccedunt . Interdum 4. vel 5. ordine ſequuntur ; dein 2. ſive 3. quos 3. vel 4. verſus ſoluti omnes excipiunt ; vel ſaltem , ſi non omnes , unus tantùm rythmum habet . Quis, rogo , Pſalmum illum rythmicæ poeſeos lege contextum ſuiſſe sffirmaret? Lamentationes Jeremiæ , acroſticis & ipſæ verſibus digeſtæ , nullos habent uniſormes & conſtanti lege ſuccedentes rythmos , quibur artificium aliquod ſstis probaretur . Quare ſi ſorte contingat , ut duo rythmi ſibi reſpondeant , id caſu eveniſſe, non dedita opera credendum eſt.

Ejus rei veritas, ſi unquam alibi, certè in cap. 3. Lamentationum , cujus ſinguli verſus per ſingulas alphabeti literas elementario ordine exordiuntur , maximè spparet . Prima enim duo ejus Operis capita , ſicut & quartum , verſuum terminationem non its hsbent explotstam , quòd plus quàm duobus ſimol verſibus ab una & eadem litera incipientibur, litera tamen nonniſi in capite prioris adſcribitur. Recurrunt etiam quandoque in Cantico Canticorum rythmi & concinna quædam verborum harmonia , dedita facilè opera procurstæ , ſed non certa mothodo continuatæ, neque uniſormes, ſicut neque in toto opere regnantes . Porrò Hebraicè ſcribentibus rythmi, etism non dedita opera conquiſiti , vix evitarentur. Periculom loquendi faciat , ſi quis maximè voluerit , & licèt evitsre rythmos de induſtria ſtuduerit, numquam tamen , niſi fortè affectata verborum circumlocutione utatur, committet ut invito etiam quandoque rythmi non excidant , ſivè ex srticulorum copia, ſive ex affinium vocum affluentia ſubrepentes . Idem pro nobis argumentum inſtaurant Pſſ. 110. & 111. acroſticè quidem ſcripti , ſed incertis & vagantibus ſine lege rythmis. Quarum etiam lucubrationum collatione illud appoſitè ad rem obſervandum contingit, vsriam eſſe verſuum Hebræorum menſuram ; carmina enim Pſalmi 118. & Lamentationum cap. 3. duplò longiora ſunt, quàm poſteriorum Pſalmorum ; fieri quin etism potuit , ut genus quoddam acroſticorum verſuum apud Hebræos obtineret , quorum prior pars oſque ad cæſuram ab una alphabeti litera , ſecunda verò ab altera proximè ſuccedente exordiretur.

Poſtrema hæc ſententia ad rem magis congruere videtur , cum ſenſus uſque ad cæſuram pendens, nonniſi cum altera verſur parte claudatur. Quæcumque tsmen verſuum terminatio ſtatuatur, nunquam certum rythmum fixumque exhibebit , ex quo aliquid pro rythmica Hebræorum poeſi jure deducatur.

Poſt latè diſcuſſas variorum de hoc argumento opiniones , noſtra tandem promenda eſt . Nobir igitur tota poeſis Hebraicæ ratio in eo conſtituta viderur , ſi loquendi genere utantur vividiori , fervido , pathetico , audacioribus , & longè repetitis figurir ornato . Neque enim ſola carminum ſtruendorum ſcientia Poetas facit , qoemadmodum nec numeris sdſtricta oratio poeſim. Ex veterum teſtimonio Plato, Florus, aliique nonnulli proſa oratione poeſim ſcripſerunt ; atque ipſo de ſe fatente Horatio, ejus lucubrationes, carmine licèt ſcriptæ , ad proſam tamen accedebant : *Sermoni propiora* ; & Quintiliani judicio Lucanus *magis eſt Oratoribus , quam Poetis annumerandus* .

Duo ſunt poeſis genera , srtificialis nempè , & naturalis; quarum ſanè poſtrema patem cum hominibor natslem ſortita ſuiſſe credenda eſt . Tranquillus , & rationabilis ſermo ſimplex eſt , nec circumlocutionem affectat ; jactatus paſſionibus animur vivido , & ſerventi ſermone proditur . Quam igitur poeſim naturalem appello , cui artificialis & methodica ortum debet, ignei ſermonis vis, orationis figuræ, & pro argumenti modo ſublimiores conceptus efficiunt . Hæc verò duplex poeſis , naturalis ſcilicet , & artificialis , paſſiones , & intimos snimi ſenſus ad vivum , & pathetica oratione depingit ; illa quidem , naturalis ſcilicet , ſubito , & tumultuario ſermone uſs ; hæc verò , srtificialis nempè , ſelectis ac dsta opera conquiſitir vocibus , numero etiam atque concinna modulatione adſtrictis. Quare methodica poeſis ars eſt exprimendarum paſſionum , ſtudio & induſtria elaborata ; naturalis verò tantundem ſine artificio , tumultuario opere præſtat .

Eſt ſsnè ſingulis gentibus , regionibur , & climatibus, ſicut paſſiones ſuæ , ſic ſua quoque rethorica, & naturalir poeſis; nunquam enim iræ, furoris, gaudii , triſtitiæ, odii , amoris paſſiones niſi fervore quodam & energia exprimuntur : ſecuudis curis ars & regulæ ſucceſſerunt . Natura ſiquidem prima ſemper ducit lineamenta eorum , quæ arte, & induſtria perficiuntur . Cum verò poeſis nonqusm apud Veteres à muſica disjungeretur , iſque Muſicus eſſet , qui & Poeta , quin & cantare idem eſſet ac pangere verſus , ſicut & verſur ipſi cantilenæ dicerentur ; hinc facilè paria de muſica , ac de poeſi ſtatuamur oportet . Natura magiſtra muſica primitùs inventa eſt , quam srtificialis , naturalem imitata , excepit;

pit; ambæ verò illæ eundem ſibi finem præſtituentes, intimos animi ſenſus ea voce, & ſententiis exprimere ſatagunt, quæ ejuſdem animæ paſſiones, & quos illa in auditoribus excitare intendit, ſenſus veluti ſub oculis exhibeant intimos.

Veteris hujus naturalis poeſis ante ipſam Moyſis ætatem, ſpecimen exhibetur in verbis Lamech ad uxores ſuas Gen. 4. 23.; quemadmodum & in benedictionibus Noe in Semum, & Japhetum; cùm diris Chanaan devoveret Gen. 9. 25. 26. 27.; cum Jacob ad mortem decumbens, filios ſuos affatus eſt Gen. 49.; ac tandem in libro Job, ſi ante Moyſem ſcriptus credatur. Hæc ſcilicet omnia ſtilum referunt poeticum, & veteris hujus naturalis poeſis æternum monumentum manent. Hæc inquam naturalis poeſis ſtilo ſolùm, non pedum numero, efficitur; unicè in illa ratio habebatur figurati, ſublimis, & ſententiis gravis ſermonis, quo eadem plerumque, varia tamen verborum circumlocutione, repeterentur; nec raro in geminis ejuſdem ſententiæ membris rythmi quoddam & harmoniæ genus, naturaliter tamen fluens, nec invita minerva expreſſum, ſentiebatur.

Hæc eſt Veterum naturalis poeſis, artificiali & methodicæ præludens; cujus apud Græcos, Heſiodi & Homeri ætate inferiores, ſapor aliquis manſit. Demoſthenes apud Caſaub. in Laert. l. 1. aperto ſatis diſcrimine diſtinguit Poetas, regulaa artis ſequutos, à reliquis *adomenas* cantilenas ſcribentibus. Eo verò nomine Diogenes Laertius in Vit. Sept. Sapient. appellare maluit veteres illas primorum Græciæ Sapientum ſententias, quas proindè Caſaubonus reliquias eſſe vetuſtiſſimæ ante Homerum poeſeos non incongruè arbitratur. S. Clemens Alexandrinus Pædagog. l. 2. Pſalmos Hebræorum, quantùm ad ſtilum & numeros attinet, cum iis Græcorum cantilenis comparat, quas *Scolia* appellare, & in conviviis cantitare conſueverunt. Porrò verſus erant nulla metri, ſivè numerorum lege adſtricti, quibus vividâ & conciſa verborum periodo intimi animi ſenſus exprimebantur. Hujus ſolutæ, & liberæ poeſis fragmenta quædam apud Athenæum Dipnoſoph. l. 10. c. 14. ſervantur; ſed temporis ſucceſſu certis & illa legibus ſervire coacta eſt.

Hæc igitur, mea quidem ſententia, vetus apud Hebræos poeſis ratio obtinebat, libera ſcilicet, & nullis artis regulis ſerviens, ſed unius naturæ magiſterio intimos animi ſenſus & paſſiones exprimere edocta, eò res vividiùs pingebat, quò verborum exquiſito ſtudio averti animus minùs cogebatur. In omni orationum genere, poematibus, narrationibus, invectivis, adhortationibus, cantilenis, nihil apud illos affectatum atque emendatum apparet; hinc vivo ſemper, naturali atque ingenuo ſermone animum afficiunt.

His moribus nihil temporum ſucceſſione detractum fuiſſe ex eo apparet, cum idem ſemper poeſis guſtus ſub Davide, Iſaia, Jeremia, Daniele, qui olim ſub Moyſe, regnaſſe videatur. Quis in animum induxerit unquam fieri potuiſſe, ut exdem ſemper methodicæ poeſis regulæ, idem ſcribendi artificium & guſtus mille annorum ſpatio inviolata manerent?

Quo tempore Moyſes ſcribebat, nulla ſanè fuit, quantùm ſcimus, ullibi gentium poeticæ ars tradita. Chaldæi, & Ægyptii, qui literas omnium primi excoluerunt, ne noviſſe quidem unquam illud poeſis genus videntur, quod certæ ſyllabarum dimenſioni, ſivè certis rythmis & harmoniæ ſervire Poetas jubet.

Ex Orientalium carminibus omnium vetuſtiſſima, quæ ad nos uſque pervenerint, Arabes habent Authores. Illa ſanè, quorum nonnulla ipſam Mahumedis ætatem ſuperant, ad noſtros quidem rythmos accedunt; de ſyllabarum verò dimenſio-

A ne nihil. Memoriæ proditum legimus, Harmonium filium Bardeſanis, ſecundo Eccleſiæ ſæculo, muſicas quaſdam cantilenas, & carmina Syriaca ad Græcas leges adornaſſe. Sed quid hæc ad Moyſis ætatem? Antiquius apud Græcos Poema Homeri, & Heſiodi carminibus nullum eſt; quæ ſanè 600. annis Moſaicis ſcriptis recentiora ſunt. Quis, rogo, poſt hæc, Hebræorum Legiſlatorem, Jobum, & Davidem methodicam, & artificialem poeſim ſequutos fuiſſe affirmaverit? Quis poeticas regulas pluribus apud Hebræos ſæculis in ipſo perfectionis culmine obtinuiſſe, antequàm apud cæteras nationes innotuiſſent, ſatis

B confidenter aſſeruerit?

Porrò ſi quid in pangendis carminibus artis apud veteres Hebræos fuiſſet, id ſanè poſt excultum adeò diligenter ſtudium linguarum Orientalium noſtra ætate tandem innotuiſſet. Heroica ſi quæ carmina manerent in Moyſe, Jobo, & Pſalterio, cur nobis, æquè ac Authoribus, qui illa ſe deprehendiſſe arbitrati ſunt, non ſe produnt? Verſuſne eandem ſervantes methodum, leges, numerum, harmoniam, rythmum, tot alioquin oculatiſſimos viros fugerunt? An voces hujus artis peculiares nullæ nunquam Authoribus Sacris excidiſſent; vel ſaltem in fronte Pſalmi, ſeu Cantici, carminis genus & menſuram nunquam adnotare ſuccurrerat iis, qui vel Muſici, & inſtrumenti nomen tam ſæpè adſcripſerunt?

C Occaſio etiam pangendorum Canticorum argumento eſt apertiſſimo, quo ars omnis & methodus ex Hebræorum poeſi abfuiſſe demonſtretur. Subitaria enim carmina ſunt, quæ pro re nata ſubito œſtro abreptis Sacri Scriptores effuderant; ut vix ad regulas & artem advertere valuiſſent.

Poetas quidem vivæ quædam in phantaſia excitatæ imagines, (œſtrum appellant) ad carmina impellunt; ſed igneus ille, quo feruntur, motus ſolam carminum materiam, & conceptus inſtruit, arte verò & otio opus eſt, quò apto verba ordine digerantur. Omne illud otium & ſtudium Sacris Scriptoribus, extemporaria carmina in ipſo populorum tumultu fundentibus, deerant. Moyſes vix tranſfretato Erythræo Canti-

D cum illud creavit, cujus occaſione hanc nos Diſſertationem ſcripſimus. David in ipſo rerum ſuarum diſcrimine, in ipſa negotiorum agitatione, cum ſcilicet vix, ac ne vix quidem, colligere ſe tantùm nunquam valuiſſet, quantùm poetis artificioſæ occupatio exigeret, plures Pſalmos effudit.

Cantica etiam illa fœminas non rarò, vel ſaltem viros nullo excultos ſtudio habent authores, quorum lingua Divini tantummodo Spiritus organum fuit. An illi fortè ſubitò Poetæ evaſiſſe, atque exacta ad rythmos & numeros carmina ſtatim produxiſſe credendi ſunt? Anna mater Samuelis, Debora, Judith, Tobias, SS. Virgo, Zacharias, Simeon extemporanea carmina ſinè ſtudio planè & arte effuderunt; ſola enim na-

E turali poeſi inſtructos illos credi par eſt; quamquam ſi ad S. Spiritum eorum carminum authorem attendimus, genus illud eſſet poeſis ſupernaturalis, ipſaſque adeo artis humanæ regulas tranſcendentis. Demonſtrent planè mihi, quicumque potuerint, quid Cantica iſta ab illiteratis Authoribus adornata ab iis differant, quæ Moyſem, Davidem, Iſaiam, viros artis præceptis, ſi aliqua fuiſſent, excultiſſimos, habent Scriptores. Quæ ſi fruſtrà diverſitas exquiratur, fateamur neceſſe eſt, omnem Hebræorum poeſim natura tantum magiſtra fluxiſſe, quam ſcilicet naturam S. Spiritus in homines illapſus ſervare ſemper conſuevit. Semper enim S. Spiritus in homines illabens peculiare ſingulorum ingenium ſervat, velut in eloquentibus eloquentiam, in illiteratis primigeniam omnino ruditatem, ut nihil in illis artis, ejuſdem Spiritus magiſterio, reſultet.

Cum

TABULA CHRONOLOGICA

L I B R I

E X O D I.

An. M.

2369. JOſephi obitus. *Geneſ.* 50. 25.
2385. Mors Levi 137. annos nati.
2389. *Æthiopes ultra Fluvium Indum incolentes, ad Ægypti meridiem ſedem figunt.*
Poſt Joſephi mortem regnat in Ægypto Acencres Ori filius annis 12. *menſe uno.*
Ratbos Ancencris frater, 9. *ann.*
Acencheres Ratbotis filius, 12. *ann.* 6. *menſ.*
Ancencheres, 12. *ann.* 3. *menſ.*
Armais, 4. *an.* 1. *menſ.*
Rameſſes, 1. *ann.* 4 *menſ.*
2427. *Rameſſes Miamum*, 66. *ann.* 2. *menſ. Hic ille eſt, qui Joſephum non agnoſcebat.*
2430. Oritur Aaron tres annos ante Moyſem.
2431. Edictum, quod filios Hebræorum mares demergi juſſit. *Exod.* 1. 15. 16.
2433. Moyſis nativitas. *Exod.* 2. 1. 2. tribus menſibus a parentibus celatur; demum in Nilo exponitur. Reperitur a Thermuti Pharaonis filia, quæ infantulum Jocabedæ matri nutriendum tradit. *Exod.* 2. 3. 9.
2466. *Arabes, devictis Chaldæis, Babylone regnant* 216. *an. ante Belum Aſſyrium. Mardocentes primus eorum rex regnat an.* 45.
2473. Moyſes 40. annos natus ſuos fratres inviſit. Ægyptium occidit. Fugit in Arabiam. Sephoram Jethro filiam ducit. *Exod.* 2. 2. 21.
2474. Ortus Calebi, Jephonis filii, 40. an. antequam ad inviſendam terram Chanaam mitteretur.
2494. *Obitus Rameſſis Miamom, poſtquam regnaſſet* 67. *an. Ei ſucceſſit Amenophis, qui alter non eſt a Belo Ægyptio Danai & Ægypti patre. Hic regnavit* 19. *an.* 16. *menſ.*
2513. Deus Moyſi apparet in robo ardenti. *Exod.* 3. 2. Moyſes redit in Ægyptum. *Exod.* 4. 18. 19. Dei mandata Pharaoni ſemel, ac bis fruſtra exponit. Tertiò, virgam ſuam in Serpentem mutat. *Exod.* 7. 10. Inde decem plagæ ſucceſſere.

Prima plaga; aquæ ſcilicet in ſanguinem tranſmutatio, *Exod.* 7. 19. contigit die 18. ſexti menſis, qui deinde duodecimus anni ſancti fuit. Secunda plaga, Ranæ, contigit die 25. ejuſdem menſis. Tertia, Culices, *Cyniphes* die 27. Quarta, Muſcæ, die 28. Quinta, peſtis brutorum, die 2. menſis Septimi, qui deinde primus fuit anni Sancti. Sexta, hominum & brutorum ulcera; die 3. Septima, tonitrua & grando, die 5. ac die ſexta ceſſavit. Octava locuſtæ, die 8. die verò nona ceſſavit. *Exod.* 10. 4.

Paſchatis inſtitutio. Selecti agni, & hædi, decima primi menſis die, quatridno poſt comedendi. *Exod.* 12. 3.

Nona plaga, tenebræ per tres dies. Incœpit die decima primi menſis *Abib* appellati: *Exod.* 10. 21.

Decima, mors primorum natu nocte inter 14. & 15. in quam diem incidebat dies Lunæ Maii quarta; atque hujus diei ſequente nocte *primum Paſcha* fuit celebratum. *Exod.* 12. 12. 12. 29.

Exitus ab Egypto die 15. primi menſis, quæ diei Martis quintæ Maii reſpondet; atque eadem die ad *Rameſſem* perventum. E Rameſſe die 16. moventes Iſraelitæ eadem die venerunt in *Socoth*; inde die 17. in *Ethan*, & die 18. in *Beelſephon*.

Die quarta ab incœpto itinere, quæ fuit 19. primi menſis, tranſierunt mare rubrum, in quo Pharao, & ejus exercitus aquis obruti ſunt. Iſraelitæ cum per diem in maris litore verſati fuiſſent, inde tridui itinere *Marah* pervenerunt die Jovis 24. primi menſis.

Sextò caſtrametati ſunt in *Elim*; ſeptimò, ad mare rubrum; octavo in deſerto Sin, ubi Deus illis immiſit coturnices, & manna, decimaquinta die ſecundi menſis anni Sancti.

Nono ventum eſt in *Daphcam*; decimo in *Alus*; undecimò in *Raphidim*, ubi e rupe Oreb aquas Moyſes deduxit; & ubi Iſraelitæ fuere ab Amalecitis adorti. *Exod* 17.

Duodecima ſtatio fuit ad Sinai radices, quo pervenere die tertia tertii menſis, quæ dies erat Lunæ 22. Junii. Ibi integro anno manſerunt.

Moyſi, conſcenſo monte, Deus ſignificat ineundo cum Iſraelitis foedere ſe præſto eſſe. Moyſes populum conveniens Dei conſilium exponit, atque populus fœderi annuit, ad quod ineundum biduo ſe diſponit. Moyſes iterum montem ſcandit, & Deus Decalogum promulgat. Alias etiam leges Moyſi tradit, & hic deſcendens, ad radicem montis altare excitat, duodecimque titulos pro duodecim Tribubus. Fiunt ſacrificia, leguntur fœderis conditiones, & ſolemniter comprobantur. *Exod.* 24.

Moyſes, tertiò conſcenſo monte, quadraginta diebus, totidemque noctibus inibi cum Joſue moratur; quibus elapſis Deus Moyſi Decalogum tradit, in tabulis lapideis inſcriptum, eique denunciat a populo vitulum aureum adoratum. Moyſes deſcendit, & ad

Montia

Montis radices tabulas fringit *Exod.* 32. 1. 19. Vitulum aureum comminuit; montem repetit; & Deus illi pòllicetur ſe Angelum ſuum miſſurum, qui populum ducat. Moyſes Levitarum gladio tria Iſraelitarum millia trucidat. *Exod.* 32. 33. Extra caſtra tabernaculum cœtus transfert. *Exod.* 33. 7. Veniam populo impetrat. *Exod.* 32. 12. 18. 31. A Deo novas tabulas parare juſsus, mane alterius diei cum montem conſcendiſſet, gloriæ Dei viſione recreatus eſt. *Exod.* 34.

Moyſes iterum 40. diebus totidemque noctibus in monte moratur.

Redit radiante vultu.

2514 Cenſus populi prima die ſexti menſis poſt exitum ex Ægypto.

Arcæ, omniumque ejus ornatuum conſtructio. Moyſes erigit tabernaculum prima die primi menſis anni ſecundi ab exitu ex Ægypto; poſt quem primi paſchatis celebratio. *Exod.* 40. 2.

COMMEN-


Bamoth
Arnon
EMOT
Æ
O
51
30
29
28

COMMENTARIUM
LITTERALE
IN
EXODUM.

CAPUT I.

Recenſentur Iſraelitæ, qui in Ægyptum venerunt cum Jacob. Ibi mirum in modum multiplicantur. Novus Ægypti Rex eos male laboribus opprimit. Obſtetrices Ægyptiæ, eo quod Regi non paruerint, præmiis afficiuntur, qui illis præceperat, ut Hebræorum filios perimerent.

℣.1. HÆc ſunt nomina filiorum Iſrael, qui ingreſſi ſunt in Ægyptum cum Jacob :
ſinguli cum domibus ſuis introierunt: 2 Ruben, Simeon, Levi, Judas. 3
Iſſachar, Zabulon, & Beniamin, 4 Dan, & Nephtali, Gad, & Aſer. 5
Erant igitur omnes animæ eorum, qui egreſſi ſunt de ſeniore Jacob, ſeptuaginta : Jo-
ſeph autem in Ægypto erat. 6 Quo mortuo, & univerſis fratribus ejus, omnique co-
gnatione illa, 7 Filii Iſrael creverunt, & quaſi germinantes multiplicati ſunt, ac ro-
borati nimis, impleverunt terram. 8 Surrexit interea rex novus ſuper Ægyptum, qui
ignorabat Joſeph. 9 Et ait ad populum ſuum : Ecce, populus filiorum Iſrael multus,
& fortior nobis eſt. 10 Venite, ſapienter opprimamus eum, ne forte multiplicetur :
& ſi ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis noſtris, expugnatiſque nobis egre-
diatur de terra: 11 Præpoſuit itaque eis magiſtros operum, ut affligerent eos oneri-
bus : ædificaveruntque urbes tabernaculorum Pharaoni, Phiton, & Rameſſes. 12
Quantoque opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur, & creſcebant. 13 Ode-
rantque filios Iſrael Ægyptii, & affligebant illudentes eis. 14 Atque ad amaritudinem
perducebant vitam eorum operibus duris luti, & lateris, omnique famulatu, quo in
terræ operibus premebantur. 15 Dixit autem rex Ægypti obſtetricibus Hebræorum :
quarum una vocabatur Sephora, altera Phua, 16 Præcipiens eis : Quando obſtetrica-
bitis Hebræas, & partus tempus advenerit : ſi maſculus fuerit, interficite eum : ſi fœ-
mina, reſervate. 17 Timuerunt autem obſtetrices Deum, & non fecerunt juxta præ-
ceptum regis Ægypti : ſed conſervabant mares. 18 Quibus ad ſe accerſitis, rex ait :
Quidnam eſt hoc, quod facere voluiſtis, ut pueros ſervaretis ? 19 Quæ reſponderunt:
Non ſunt Hebrææ ſicut Ægyptiæ mulieres : ipſæ enim obſtetricandi habent ſcientiam,
& priuſquam veniamus ad eas, pariunt. 20 Bene ergo fecit Deus obſtetricibus : &
crevit populus, confortatuſque eſt nimis. 21 Et quia timuerunt obſtetrices Deum, æ-
dificavit eis domos. 22 Præcepit ergo Pharao omni populo ſuo, dicens. Quid-
quid maſculini ſexus natum fuerit, in flumen projicite : quidquid fœminini, re-
ſervate.

℣.1. HÆC SUNT NOMINA.] Hebraice : *Et hæc ſunt* &c. Conjunctio *&* [a], quæ legitur in libri hujus initio, ſignificat, facta ea, quæ hic continentur, cum iis cohærere, quæ in Geneſi referuntur, cujus Exodus ſubſequens eſt pars, a qua nonniſi poſt Moyſem fuit ſejuncta.

℣.5. ERANT IGITUR OMNES .... SEPTUAGINTA.] In hoc numero recenſendi ſunt Iacob, & Ioſeph, & duo filii Ioſeph, non ita vero uxores Iacob, vel filio-

a, ואלה שמות *Veelle Schemoth* ; quo nomine librum hunc Hebræi nuncupant.

filiorum illius, quandoquidem de ſemine Iacob e-greſſæ non fuerant.

Septuaginta, quibus favet Sanctus Stephanus Actorum 7. 14. & Patres Græci, legunt hic *quinque*, & *ſeptuaginta*, quemadmodum & in Geneſi 46. 27. In hunc vero calculum accenſere videntur filium, & nepotem Manaſſe, ac duos filios, & nepotem Ephraim. Interpretes iidem hæc verba: *Joſeph autem in Ægypto erat*, verſiculo quinto præponunt, quæ in Hebraico texto, atque in Vulgata verſiculum eumdem ſubſequuntur.

℣. 6. QUO MORTUO, OMNIQUE COGNATIONE ILLA.] Quædam Latina exemplaria habent, *generatione ſua*, ſed perperam. Hebraicus textus verti poteſt: Cum Ioſeph obiiſſet cum omnibus ſæculi illius, atque ætatis [1]; videlicet cum omnibus illis ex Ægyptiis, qui illum viderant, & cognoverant, atque ipſum de regione illa meritum fuiſſe perquam bene intellexerant. Hoc proœmium reſpicit novi Regis imperium, de quo ſermo eſt verſiculo octavo; cujus initium conſtitui poteſt anno ante Joſeph obitum octavo, & quinquageſimo.

℣. 7. CREVERUNT, ET QUASI GERMINANTES MULTIPLICATI SUNT, ET ROBORATI NIMIS.] Moyſes hic, ac Deuter. 10. 22. de hac multiplicatione loquitur, veluti miraculoſa, atque extraordinaria; & S. Auguſtinus lib. 18. de Civitate Dei cap. 7. minimum ambigit, quin hic fuerit ſupernaturalis, Divinæque benedictionis effectus, inter tot labores, quibus Iſraelitæ affligebantur. Et equidem oppreſſionis circumſtantia, qua obruti ægre vitam trahebant Hebræi, magis adhuc mirabilem reddit pro tempore ſervitutis: nam ante id tempus minimum oberat, quin multiplicarentur; quandoquidem aliunde ſatis patet in Ægypto incredibilis propemodum mulieres eſſe fœcunditatis. Ariſtoteles lib. 7. cap. 4. Hiſt. Animal. (Vide & Gell. Noct. Artic. lib. 10. c. 6.) aſſerit in ea regione mulieres quatuor, vel quinque filios uno eniti conſuevisse puerperio. Et Plinius l. 7. c. 3. ait, non defuiſſe, quæ una fœtura ſeptem filios parerent. Solinus Polyhiſt. cap. 3. hoc idem refert ex Trogo. Nulla aderat regio in univerſo terrarum orbe, ubi facilius, quam in Ægypto, alerentur filii, tum propter optimam cœli temperiem, cum propter rerum earum omnium, quæ ad victum requiruntur, affluentiam. Vide Diodorum l. 1. c. 3.

Bonfrerius oſtendere etiam aggreſſus eſt exacta ſupputatione, juxta naturalem conſuetudinem ex Septuaginta hominibus, qui cum Iacob in Ægyptum deſcenderant, majorem oriri potuiſſe hominum numerum, quam qui recenſitus eſt, cum ex Ægypto exceſſerunt Hebræi. Supponit autem, ex his hominibus ſeptuaginta, qui in Ægyptum migraverant, quinquaginta ſolum gignendis filiis aptos fuiſſe poſt annum decimum ab ipſorum in hanc regionem adventu; atque oſtendit, homines hos quinquaginta, cum viginti annos nati gignere incœpiſſent, neque poſt annos quadraginta filios genuiſſent, atque tres tantum denis quibuslibet annis in lucem pueros edidiſſent, potuiſſe nihilominus ducentorum annorum intervallo exiſtere ad binas hominum myriades cum nongentis, & quinquaginta duobus millibus, quadringentis, & quinquaginta, qui profecto numerus longius ſexcentorum millium militum excedit numerum, quem Iſraelitis Scriptura tribuit, cum ſunt egreſſi ex Ægypto. Hebraicus textus [2] verti poteſt: *Creverunt* (veluti arbor), *& multiplicati ſunt* (veluti piſces) *aucti ſunt, & roborati nimis*.

REPLEVERUNT TERRAM.] Septuaginta: Ἐπλήθυνε δὲ ἡ γῆ αὐτούς; *Terra multiplicavit eos*; perinde ac innuere vellent, hunc cujuſdam proprietatis in regione illa effectum fuiſſe; vel ipſorum multiplicationem miram adeo fuiſſe, ut eos tellus ultro effudiſſe videretur. Hebraicus textus [3] verti poteſt: *Tellus repleta eſt*; vel: *Tellus eos replevit*.

℣. 8. SURREXIT REX NOVUS.] Septuaginta [4]: *Rex advena*, vel *alius Rex*. Joſephus credit ex alia fuiſſe progenie ab ea, ex qua ille fuerat, quo imperante Joſeph, & Iacob in Ægypto vixerant. Veteres Ægypsii Reges a populo renunciabantur, ait Diodorus Siculus lib. 2. c. 1. quin ulla ſobolis ratio haberetur, merita vero tantum valerent. Illi autem ad id honoris evehebantur, qui de Republica eſſent optime meriti, vel qui præclarum aliquid, & ad hominum vitam utilius inveniſſent; ſive quod populi una utilitatis communis ratione ducerentur, ſive quod ſacrorum illius regionis libri ita imperarent. Non igitur impoſſibile eſt, ex alia cognatione ad Ægypti regnum elatum fuiſſe, qui non iis obſtrictus fuerit meritis Joſephi, quibus teneri potuiſſet Princeps, qui ab illo duxiſſet originem, a quo Joſeph ad illum dignitatis apicem fuerat evectus.

Cajetanus aſſerit, Principem hunc advenam Aſſyrium fuiſſe, quoniam Iſaias 52. 4. de Hebræorum in Ægyptum adventu diſſerens, ait: *In Ægyptum deſcendit populus meus in principio, ut colonus eſſet ibi: & Aſſur abſque ulla cauſa calumniatus eſt eum*. Verum locus hic in ſenſu prorſus alio ab eo, quem ille tribuere vellet, eſt intelligendus. Deus innuere vult, Ægyptios minus fuiſſe noxios præ Aſſyriis in rebus illis, quas adverſus Iſrael patraverant. Primi quidem male acceperant Hebræos, qui erant advenæ in Ægypto: ſed Aſſyrii, nulla ratione ducti, inania quædam prætexentes, ut ipſos opprimendi occaſionem quærerent, in Iudæam bellum intulerant.

Alii, quos inter Marſhamus, & Clericus, volunt Regem hunc advenam fuiſſe *Salatim*, primum Regem Paſtorum, qui Ægypto inferiori potiti ſunt, & qui ibi quingentis, & undecim annis imperitarunt. Quæ autem de Regibus Paſtoribus narrat Manethon [5] Sacerdos Ægyptius, qui Ptolomæi Philadelphi temporibus ſcribebat, & qui ea, quæ refert, hauſerat e ſacris Ægyptiorum libris in præcipuis regionis illius Templis aſſervatis, hic habe: „ Fuit nobis
„ Rex *Timaus* nomine. Sub hoc, neſcio quomo-
„ do Deus iratus fuit, & præter ſpem ex partibus
„ Orientalibus homines genere ignobiles adepta fi-
„ ducia in provincia caſtrametati ſunt, & facile, ac
„ ſine bello eam, potenterque ceperunt; & prin-
„ cipes ejus alligantes de cetero civitates crudeli-
„ ter incendere, & deorum templa evertere. Erga
„ omnes vero provinciales inimiciſſime ſe geſſerunt,
„ alios quidem perimentes, aliorum vero, & filios,
„ & conjuges in ſervitutem redigentes. Noviſſime
„ vero & unum ex ſe fecere Regem, cui nomen
„ *Salatis*.

„ Hic Memphim veniens ſuperiore, inferioreque
„ provincia tributaria facta, præſidia relinquens
„ opportunis locis maxime partes munivit Orienta-
„ les, proſpiciens, quod Aſſyrii aliquanto poten-
„ tiores erant deſideraturi regnum ejus invadere.
„ Inveniens autem in præfectura Saite civitatem op-
„ portuniſſimam poſitam ad orientem Bubaſtidis
„ fluminis, quæ appellabatur a quadam Theologia
„ antiqua *Avaris*, hanc fabricatus eſt, & muris
„ maximis communivit, collocans ibi multitudi-
„ nem armatorum, uſque ad ducenta quadraginta
„ millia virorum eam cuſtodientium.

„ Hic autem meſſis tempore veniebat, tam ut fru-
„ menta

---

1 דור ſignificat potius generationem, ſæculum, quam familiam, & poſteritatem. Vatabl. Piſcat.

2 פרו וישרצו וירבו ויעצמו במאד. Aq. Th. Ἐξήρπυσαν. *Proreptſerunt*. Sym. Ἐξέψαν. *Repſerunt*. 70. Χυδαῖοι ἐγένοντο. *Effuſi ſunt*. Alius: Ἐπληθύνθησαν.

3 ותמלא הארץ אתם.

4 Βασιλεὺς ἕτερος. Ita S. Stephan. Act. 7. 18. מלך חדש. *Rex novus*. Aq. Th. Βασιλεὺς καινός.

5 Manethon l. 2. Ægyptiacorum, apud Joſeph. l. 1. contra Appion. p. 1041.

,, menta meteret, & mercedes exolveret, quam ut
,, armatos ad terrorem extraneorum diligenter exes-
,, citaret.. Qui cum regnaſſet decem novem annis
,, vita privatus eſt. Poſt hunc autem segnavit al-
,, ter quatuor, & quadraginta annis Boeon nomine.
,, Poſt quem alius Apachnas, ſex & triginta annis,
,, & menſibus ſeptem. Deinde Apochis unum &
,, ſexaginta; & Ianias quinqoaginta, & menſe uno.
,, Poſt omnes autem Aſſis novem, & quadraginta,
,, & menſibus duobus. Et iſti quidem ſex apud eos
,, fuere primi Reges debellantes ſemper, & maxime
,, Ægypti radicem amputate cupientes.

,, Vocabatur ausem genus eorum *Hyſſos*; hoc eſt,
,, Reges Paſtores; *Hys* enim ſecundum ſacram lin-
,, guam Regem ſignificat: *Sos* vero paſtorem, ſive
,, paſtores ſecundum communem dialectum, & ita
,, compoſiſum invenitor *Hycſos*. Quidam vero di-
,, cunt eos Arabas eſſe: in aliis autem exemplari-
,, bus non *Regem* ſignificari comperi, ſed capti-
,, vum. *Hyc* enim lingua Ægyptiaca, & *Hac* eo-
,, dem ſono profertur, & tunc captivos aperte ſigni-
,, ficat: quod mihi magis vero ſimile videtur, &
veteri Hiſtoriæ maxime conſonum.

Manethon igitur affirmat Reges hos Paſtores, & poſteros illorum poſſediſſe Ægyptum quingentorum, & undecim annorum intervallo; antequam Thebaidis Reges, & aliarum Ægypti partium adverſus paſtores arma ceperint, ac illis diuturnum, cruentumque bellum indixesint.

Alis Fragmuthoſi impesanta paſtores devicti fuerunt, atque ex Ægypto ejecti, qua illi potiti fuerant, eamque in agrum redegerant, qui in decem jugerom millia patebat, & *Avaris* appellabatur. Paſtores illum munitiſſimo circumſepſerant muro, ut ſe ab hoſtibus tuerentur, atque in tutum, quidquid fuesant prædati, reciperent.

Themoſis filius *Alis Fragmuthoſis* eos quadringentorum, & octuaginta millium militum manu obſedit; ſed intelligens eos delere non poſſe, cum ipſis pepigit, ut illis quo vellent, suro ſecedere integrum eſſet. Ex Ægypto igitur egreſſi ſunt, ac in Iudæam conceſſerunt, ubi Hieruſalem urbem ejus magnisudinis condiderunt, quæ univerſæ ipſorum eſſet par multitudini. Per Syriæ deſerta tranſierunt Aſſyriorum veriti potentiam, qui tunc Aſiæ dominabantus.

Ioſephus Hiſtoricus [a] credit, paſtores hos eoſdem eſſe ac Iſraelitas, qui in Ægyptum migrarunt, cum illi Ioſeph Patriarcha præeſſet. Hæc opinio maximam veri ſpeciem præſefert. Liquet enim, quod Hebræi apud Pharaonem teſtati ſunt, ſe paſtores eſſe Geneſ. cap. 46. 32. 33. Paſtores, qui in Ægypto regnarunt, ex Arabia illuc deſcenderant, juxta Manethonem, vel ex Phœnicia juxta Africanum apud Syncellum. Manethon addit, advenas hos, qui ducentorum quadraginta millium numerum æquabant, a Themoſi Ægyprio Rege adactos fuiſſe, ut ex ea regione dilapſi in Iudæam ſecederent, ubi Hieruſalem ædificarunt. Hæ circumſtantiæ Ioſephum, ac plures eruditos viros poſt ipſum impulerunt, ut crederent, hos Paſtores fuiſſe poſteros Iſrael.

Verum aliæ omnes hiſtoriæ hujus circumſtantiæ ſententiæ huic adverſari videntur. Primo, Manethon ait paſtores in Ægypto regnaſſe quingentos, & undecim circiter annos; cum ex Scriptura innoteſcat, numquam ibi poſteros Iacob regnaſſe; ac ibi ducentos santum, & quindecim annos circiter fuiſſe immoratos. Et licet aſſereres, ibi quadringentis, ac triginta annis incoluiſſe, ut ait Textus Exod. 12. 40. illud quoque ſatis abeſt ab annis quingentis, ac undecim. Verum quidem eſt, Ioſephum ibi ferme regio fuiſſe dominatum imperio; ſed paſtores ſex fuere ſubinde Reges, ac toti Ægypto inferiori imperitarunt, cum Ioſephi authoritas in poſteros illius non migraverit. Manethon aſſerit, paſtoribus, Thebaidis, & ſuperioris Ægypti Reges arma intentaſſe, & poſt diutinum bellum illos denique victos fuiſſe, atque coactos, ut munitiſſimis ſe circumquaque mœnibus clauderent in decem millium jugerum agro. Themoſis illos obſidione vallavit; & cum vi illos ad deditionem cogere nequaquam poſſet, illis permiſit, ut quorſum vellent, dilaberentur.

Hæc narratio nequit proculdubio congruere cum iis, quæ Moyſes refert de Iſraelitarum exitu de Ægypto. Credibile ſatis videtur nihilominus Manethonem aliquas permiſcuiſſe circumſtantias Iſraelitarum diſceſſus de Ægypto, cum iis, quæ paſtoribus peculiarites conveniunt, quorum exitum ex Ægypto conſtituit Uſſerius anno ab Orbe condito circites 2179. centum, ac undeviginti, præter propter, annos antequam Iacob illuc ingrederetur. Uſſerius, cuius chronologiam ſequimus, vocat *Rameſſem Miamum*, Regem, qui Iſraelisas eſt perſecutus. Euſebius, Pererius, Torniellus, & alii appellant Amenophim.

Boivinus natu major curam exercuit ſuam in eum Manethonis locum, quem attulimus, & per illum confirmare adniſus eſt, quadringentos, & triginta annos Hebræos permanſiſſe in Ægypto, uti ex Moyſe habetur Exod. 12. 40. En autem illius ſyſtema. Hebræi uno ſupra ſeptuaginta anno in ea regione felicem duxerunt vitam, dum Iacob viveret, & Ioſeph, ac Pharaones imperarent, qui Ioſepho, & cognationi illius favebant. Ibi deinceps ducentis, & quinquaginsa novem annis ſunt immorati, dum regnaret Ephraim Ioſephi ſucceſſor, & filius, & Beria, Rapha, Reſeph, Thale, & Thaan filii illius in 1. Paralipomenon cap. 7. ℣. 23. 25. 26. 27. memorati; & qui in Sacra Ægyptiorum Hiſtoria a Manethone allata appellantur Salathis, Boeon, Apachnas, Apophis, Ianias, Aſſis. Demum nonaginta novem annorum, ac menſium duorum ſervitutem ſunt paſſi, dum Pharaones ipſis infeſti imperitarent, tempore Ephraimitarum Laudan, Ammiud, & Elizama. Noviſſimus hic de Ægypto egreſſus eſt cum *Nun* filio ſuo, qui jam tribus & quadraginta natus erat annis.

Igitur Iſraelitæ in Ægypto vitæ conditionem ter immutarunt. Fuerunt enim conſequenter Paſtores, Reges, & captivi. Ipſorum paſtoritia vita, & captivitas in hac regione minimum in dubium vocandæ ſunt. Reliquum eſt, ut oſtendatur ipſorum imperium. Hoc numquam Scriptura innuit; ſed refert actiones quaſdam, in quibus Regni, ac abſolutæ auctoritatis Author, quem memoravimus.

Porro ſupponit ille, dum Ioſeph obiit, Dynaſtiæ immutationem fuiſſe factam in Ægypti Regno, & Pharaones Iſraelitici generis patronos ſupplantatos fuiſſe a *Vaheb*, cujus nomen extat in Libro bellorum Domini (Num. 21. 14.) & qui Timaus in Ægyptiorum libris vocatur. Novus hic Pharao, *qui ignorabat Joſeph*, Iſraelitarum veritus potentiam veterem Idololatriam in terra Geſſen inſtaurare conſtituit. Ephraim filius Ioſephi, & ſucceſſor illius, adverſatus eſt, & ulciſci voluit mortem veterum Pharaonum, qui ipſius cognationem protexerant. Sed adverſo marte pugnatum eſt; atque in primo cum hoſte conflictu, cum urbem Geth oppugnaret, novem e filiis ſuis amiſit, qui 1. *Par.* 7. 20. 21. appellantur Zuthala I, Bared, Thalash I, Elada, Thalath II, Zabad, Suthala II, Ezer, & Elad.

Alii filii Ephraim patrem ſuum conſolaturi adfuere, 1. *Paral.* 7. 22. & fratrum ſuorum ulciſcendæ neci conſilium iniere. Ephraim igitur, cum Paſtoribus præeſſet, videlicet illis omnibus, qui verum Deum venerabantur, cum Hebræis naturalibus, & Proſelytis, in Egyptios intulit bellum. Quo in bello ea miracula patrata ſunt, quæ in campo Thaneos contigere, & Pſalmo 77. 12. 43. memorantur. Vaheb igneo turbine abſumptus fuit, ut ait Liber bellorum Domini, *Num.* 21. 14. & Sol, ac Luna con-

[a] Vide Manethon. apud Joſeph. l. 1. c. 9. contra Appion. & Euſeb. in Chronico.

ſtiterunt, dum juſtorum natio de hoſtibus ſuis ultionem ſumeret, ut ait Liber juſtorum a Ioſue citatus 10. 13. Tunc Ephraim, alio nomine Salatis nuncupatus, Ægyptii Regis titulum ſibi vindicavit.

Poſt ducentos quinquaginta & novem annos cum menſibus decem, ex quo regnare occœperunt, degentes, Ephraimitæ Domini Dei ſui obliti ſunt, in idololatriam lapſi, ut ex Ioſue patet 24. 14. Tradidit illos Deus in manus inimicorum ſuorum, atque dum acie dimicarent devicti ſunt, ut habetur Pſalmo 77. ℣. 9. 10. 11. 12. 42. 43. Ipſis igitur Ægyptii dominati ſunt, qua in ſervitute nonaginta novem annos, & menſes duos afflictati ſunt, donec Moyſe duce de Ægypto exierunt.

Boivinus credit, in Sancta Scriptura hiſtoriam eſſe interruptam a Ioſeph morte, ubi definit Geneſis, ad Moyſis nativitatem, ubi Exodus orditur. Hanc autem hiſtoriam in veteribus libris contentam fuiſſe contendit, quorum jactura facta eſt, & quorum tituli dumtaxat ſuperſunt, & fragmenta quædam in Auctoribus ſacris, veluti *Liber bellorum Domini* Num. 21. 14. *Liber canticorum proverbialium*, & *Liber juſtorum*. Ioſue 10. 13. 2. Reg. 1. 18. Operæ pretium erit ſyſtematis hujus intueri doctrinam, quæ majori in extenſione in lucem prodibit aliquando, rationibus ſuis confirmata.

QUI NON NOVERAT IOSEPH.] Neſciebat ille, quid reipublicæ præſtitiſſet Ioſeph, vel ad illud animum noluit advertere, non arbitratus eſt ſe teneri, ut pro fratribus illius, ac in memoriam ejuſdem ea grati animi ſigna præſeferret, quæ Ioſephi beneficiis deberentur. Onkelos: *Rex qui Joſephi decretis minime adhærebat, qui novas Leges, novaque ſtatuta propoſuit.* Vetus hoc eſt Adagium: Novus Rex, nova Lex. Vetuſta beneſacta veluti obdormierunt, ait Pindarus, & ea, non ſecus ac mortuos, obruit oblivio.

℣. 9. FORTIOR NOBIS EST.] Verum quidem poſſet eſſe ad litteram, Iſraelitas fuiſſe fortiores, & majori in copia, quam ſubditos Regis Taneos, cujus imperii fines non adeo late fortaſſis patebant. Pſalmiſta Pſal. 104. 24. intelligit ad litteram: *Firmavit eum ſuper inimicos ejus:* effecit, ut populus ipſius viribus hoſtibus ſuis præpolleret. Verum ſi Pharao univerſæ Ægypto dominabatur, non adeo probabile videtur, Hebræos, & numero, & viribus Ægyptiis præcelluiſſe. Hæc igitur videtur eſt hyperbole ex Ægyptii Regis parte. Si Hebræi re ipſa Ægyptiis copiis prævaluiſſent, eſſentne paſſi, ut duriſſimo ſervitutis jugo opprimerentur?

℣. 10. SAPIENTER OPPRIMAMUS EUM.] Sapientiæ nomen נתחכמה לו in Scriptura in utramque bonam improbamque partem accipitur; pro vera ſapientia, & pro fallaci politica, atque apta ad fallendum calliditate. Septuaginta: *Κατασοφισώμεθα αὐτούς. Utamur arte ad eos perdendos*, vel potius ad eos enervandos, ne aliquid in nos aggredi valeant, & e manibus noſtris elabi.

NE FORTE .... EGREDIATUR DE TERRA.] Regibus Taneos maximæ erant utilitatis Hebræi, propter ſervitia, ac opera, quæ ipſis imponebantur. Percrebuerat fama futurum, ut illi ex Ægypto decederent, antequam morti oculos clauderet; hoc illis prædixerat Ioſeph. Rex ne egrederentur, obſiſtere voluit; & veritus, ne vi viam ſibi facerent, vetare voluit, quominus numerus eorum excreſceret. Illud autem confeſtim clam aggreſſus eſt, obſtetricibus præcipiens, ut pueros omnes in ipſo lucis primordio enecarent; deinde vero palam edixit, ut mares filii Hebræorum exponerentur, & aquis immergerentur.

℣. 11. PRÆPOSUIT EIS MAGISTROS OPERUM.] Hebraice שרי מסים *Conſtituit ſuper eos principes tributorum*. Septuaginta vertunt Ἐπιστάτας τῶν ἔργων, miniſtros, qui ipſorum operibus præeſſent; Symmachus Ἐργοδιώκτας, qui opus urgerent. Opera vero, quæ ab Iſraelitis exigebant, erant, lateres conficere ac tegulas, foveas effodere, adverſus aquas aggeres erigere, arva colere, urbes ædificare, lapides acuere, Nili aquas ad irrigandos agros haurire, ſarcinas deferre. Quidam, quos inter Grotius, aſſerunt etiam ab illis Pyramides extructas fuiſſe. Tributa, quæ antiquitus Principibus ſolvebantur, erant opera, quæ pro ipſis impendebantur, ac in mercibus, quæ ipſis parabantur. Propheta Ezechiel 23. ℣. 8. 9. 10. teſtatur Iſraelitas ab Ægyptiis oppreſſos fuiſſe in Idololatriæ, ac impietatum ſupplicium, quas in ea regione patraverant.

De captivitatis hujus aſperitate, qua afflicti fuerunt Iſraelitæ, licet conjicere ex vocibus, quibus paſſim ad id ſignificandum utitur Scriptura; Ait enim Deum eduxiſſe Iſraelitas *de fornace ferrea Ægypti:* Deut. 4. 20. 3. *Reg.* 8. 51. *Jerem.* 11. 4. perinde ac innuere vellet, ipſos in ea regione fuiſſe veluti in fornace, ubi exquiſitiſſimis quibuſque pœnis, & laboribus eſſent excruciati. In hac autem ſervitute ſex ferme, & octuaginta annos permanſerunt.

UT AFFLIGERENT EOS ONERIBUS.] Generatim intelligi poteſt de operibus, ac laboribus, quæ exigebantur ab illis: malim autem intelligere de ſarcinis, ac ponderibus prægravibus [1], quæ deferre jubebantur. Ipſis autem utebantur, veluti jumentis. Veteres referunt, adhibitos fuiſſe Ægyptios in ædificiis ad ſarcinas deferendas. Ariſtophanes in Avib. p. 595. eos vocat Plinthophoros Πλινθοφόρους. Hebræi multos inſumſerunt annos ad eas urbes ædificandas, de quibus hic ſermo: eorumque opera locata eſt in horum ædificiorum laboribus moleſtiſſimis, ad comparandam ſcilicet, præparandam, deferendamque materiem.

ÆDIFICAVERUNT URBES TABERNACULORUM. [2]] Septuaginta [3] vertunt *urbes fortes*, arces, urbes muris circumſeptas [4]. Chaldaica [5] verſio, cui Rabbini, ac plures interpretes favent, urbes ad ſervandos theſauros idoneas, videlicet ad cuſtodiendum quidquid optimum ea regio ferret, & quod maxime pretioſum eſſet, puta, ſegetes, oleum, vinum, aliaque. Syriaca, atque Arabica verſiones habent, urbes quibus pro horreis uterentur; Vatablus urbes promptuariorum cellarumque. Recentem de hoc loco conjecturam ſtatuimus *Exod.* 12. 37. ubi vertimus; *urbes ædificaverunt; ſcilicet Miſchenot*, vel, *Tabernacula &c.*

PHITOM.] Urbs Phitom, de qua hic loquitur Moyſes, eadem plane eſt, ac Pathumos, quam Herodotus lib. 2. Arabiæ tribuit, & quæ non admodum ab Erythræo mari aberat; quoniam ad illum Euripum ſita erat, quem Reges Neco, & Darius a Nilo ad hoc mare deducendum curaverant. Pathumos ad rubri Maris extremitatem ſtatuitur a Cellario *Afric.* 1 1. atque ipſe hanc eamdem eſſe Heroopolim putat, vel urbem Heroum. Affert ille Ægyptiam verſionem ex Septuaginta deductam, urbi urbs Phitom invenitur pro Heroopoli nuncupata. Apud veteres Geographos invenitur Nili brachium, cujus nomen ad Phitom quam maxime accedit; quod Ptolomæus *Pathmeticum* appellat; Diodorus Siculus *Phatmicum*; Strabo, & Scylax *Phatnicum*, & Plinius *Phatniticum*. Itaque dicendum eſſet urbem Phitom ad hoc Nili brachium ſitam fuiſſe. Marſhamus Can. Ægypt. Sæcul. 8. p. 105. credit Phitom eſſe Peluſii urbem, Hebraice *Sin* appellatam: at quod aſſerit, nequaquam ſatis confirmat. Brochardus Deſcrip. Terræ Sanctæ teſtatur duas urbes Phitom, & Rameſſes, eſſe ad quinque leucas

ſupra

1 בסבלותם Aq. Sym. Ἐν τοῖς βαστάγμασι. 70. Ἐν τοῖς ἔργοις.
2 S. Hieronymus legit ערי משכנות pro ערי מסכנות *Urbes Theſaurorum*. Vatabl.
3 Πόλεις ὀχυράς. Aq. Sym. Πόλεις σκηνωμάτων.
4 Oleaſter, Cajetanus.
5 קרוי בית אוצרא

ſupra Nili diviſionem, etque ultra hoc flumen. Omni dubio procul patet, regionem, ubi Hebræi ſunt commoreti, Arabiæ fuiſſe proximam, atque Veteribus cognitam fuiſſe *Nomi Arabici* nomine.

Septuaginta hic eddunt urbem *On*, aliter *Heliopolim* nuncupatam, quæ eddirio apud Græcos Patres videtur; ſed neque Hebraicus textus, neque Verſiones aliæ tertiam hanc urbem agnovere.

RAMESSES.] Seſoſtris Ægypti Rex ſucceſſorem habuis imperii filium ſuum, cui nomen Rameſſes; verum ſi Rex hic Trojeni excidii temporu degebat, ut aſſeris Plinios l. 36. c. 8. hoic urbi nomen profecto dare non potoit. Euſebius eum Ægypti Regem conſtituit, ſempore illo, quo Iſrael erat in deſerto: verum nullum adeſt periculum, illiut regnum eliquos annis proferre. Targum Hieroſolymiranum urbes Phitom, & Rameſſes, Tanim vocat, & Peluſium. Ramiſi, & Patamii, quos Plinius lib. 6. c. 28. Arabibus conjungit in ora Ægypti, ſuns populi Phirom, & Rameſſes. Neque Improbabile eſt urbem, ac terram *Papramiſſem*, de qua loquitur Herodotus l. 2. c. 59. 75. & 165. nomen ſuum e Rameſſe deſumpſiſſe. *Pa* enim Ægyptius tantum erticulus eſt. Vide Exod. 12. 37.

℣. 13. ODERANTQUE FILIOS ISRAEL ÆGYPTII.] Chaldaica [1] verſio transfert: Ægyptii mærebant propter Iſraelitas. Septuaginta [2]: Ægyptios Iſrael ebominabatur. Hebraicus textus [3] ita vorti poteſt: *Ægyptii erant compreſſi*; ſolicitudine ac dolore afficiebantur *propter Iſraelitas*.

AFFLIGEBANT ILLUDENTES EIS.] Plerique Hebreicum textum [4] vertunt, eos crudeli ſervitute opprimebant; vel duriſſima captivitate ſibi obnoxios tenebant. Septuaginta [5]: cum violentia; eos crudeliſſime vexabant in operibus, quæ ab illis exigebant. Symmachus, & Theodotion: excipiebant illos cum *illuſione, vel deriſione*, vel conviciis.

℣. 14. OPERIBUS DURIS LUTI, ET LATERIS.] Eos cogebant tundere, ac molere lutum ad tegulas, lateresque conficiendos. Hoc Ægyptiorum proprium eſt, inqoit Herodotus l. 2. c. 36. & Strabo l. 17. terram maniboa molere, & panem pedibus ſubigere. Hæc Hebræorum quoque fuiſſe videtur conſuetudo. Vide Eccli. 33. 13. & 38. 33.

OMNIQUE FAMULATU, QUO IN TERRÆ OPERIBUS PREMEBANTUR.] Hebraice legitur [6]: Eorum vitam amaritudine replebant omnibus agrorum laboribus, omnibuſque operibus, quibus tenta moleſtie exercebantur. Agrorum cultus in Ægypto facilior eſt, quem alibi. Diod. l. 1. c. 3. Aliquando ſemen tantummodo in terram effunditur, etque deinde illuc oves aguntur, ut pedibus obterentes illud telluri abdant; vel aretro parum admodum terra vertitur, ot creditum ſemen poſſit obtegere. Herodotus l. 2. c. 14. ais ſues in egros immitti, ut granum in terris ſatum calcibus premant, etque telluri aquis Nili humeſcenti recondant. Sed irrigandi major erat difficultas, in iis præſertim locis, qui maxime elati eſſent, atque e Nilo diſtarent. Vide quæ dicte ſunt *Deut.* 11. 10.

℣. 15. DIXIT REX ÆGYPTI OBSTETRICIBUS HEBRÆORUM.] Joſephus *Antiquit. lib.* 2. *c.* 14. cui favens Cartuſianus, Abulenſis, Lyranus, aliique Interpretes credidit, obſtetrices Ægypties fuiſſe; verum Hebræi, ac Sanctus Auguſtinus contre mendac. c. 15. ipſes Iſraelitas fuiſſe contendunt. Simultas mutua, quæ Ægyptios inter, etque Hebræos intercedebat, Hebraica harum mulierum nomina, Dei timor, quem præſeferebent, temporalis merces, que a Deo donatæ fuerunt; hæc omnia impellere poſſunt, ut credamus ex Hebræorum genere fuiſſe. Scriptura duas tantum memorat; ſcilicet *Sephoram*, & *Phuam*. Alias præterea fuiſſe populo in tanto credendum eſt; verum duæ hæ principes erant, ac magis cognitæ. Judæi Doctores aſſerunt Jocabed Moyſis matrem, ac Mariam illius ſororem ex obſtetricum numero fuiſſe.

℣. 16. QUANDO OBSTETRICABITIS HEBRÆAS, ET PARTUS TEMPUS ADVENERIT.] Pro his verbis, *& partus tempus advenerit*, Hebraice habetur האבנים: Cum videbitis illas ſuper ſedes; ad litteram, *ſuper duos lapides*. Jeremias eadem utitur locutione, ut ſtatum figuli laborantis deſcribat. Jerem. 18. 3. & 30. 6. & 1. Reg. 4. 19. Joſephus l. 2. Antiq. c. 5. ea de cauſe Ægypti Regem mares Hebræorum filios enecandos curaſſe arbitratur, quoniam didicerat futurum, ut inter ipſos naſceretur infans, qui aliquando plurimis plagis Ægyptum afficeret: ſed Moyſes cauſæ hujus non meminit; oſtendit tantummodo eo factum conſilio, ne multiplicarentur Hebræi, majoreſque illis vires accederent.

℣. 19. IPSÆ ENIM OBSTETRICANDI HABENT SCIENTIAM.] Hebreica vox [7] Chajoth, apud Chaldæos ſignificat obſtetrices, ut Druſius oſtendit. Ita quoque intelligunt Syriaca, & Septuaginta, Symmachus, Vulgata, & plures Interpretes recentiores. Theodotion [8] ita explicat: *filii ipſarum pleni ſunt vita*, aut virium. Hebraice vox innuere poteſt *vitam*, aut *belluas feroces*: *Ipſæ ſunt belluæ feroces*. Druſius ait in poſteriori hoc ſenſu e veteribus explicari. Mulieres Hebræorum facile adeo pariunt, veluti ſylveſtrium ferarum feminæ. Alii: *Ipſæ ſunt viribus plenæ*, ita ut nulla obſtetricum ope pariant. Ludolfus Hiſt. Æth. l. 1. c. 14. ait Æthiopum mulieres genibus innixas parere, & raro illas obſtetricibus uti; tanta ipſis patiendi eſt facilitas. Vide & 1. Reg. 4. 19. *Incurvavit ſe & peperit*. Chardinus *in Perſidis itinere tom.* 2. *Regim Politic.* &c. *p.* 179. ait in Perſide, aliiſque calidis Orientis regionibus nullum eſſe obſtetricum uſum, neque virorum, qui opem ferant. Pleræque mulieres facillime enituntur; illiſque plerumque adeſt quædam e gravibus, & natu majoribus conſanguineis, quæ hac in re opituletur.

Ite obſtetrices has verom locutas fuiſſe credere poſſumus, ſaltem quoad quoſdam Iſraelitarum matres; ſed penitus mendacii nequeunt excuſari. Sanctus Auguſtinus minimum veretur aſſerere, ſe maluiſſe, quod illæ nequaquam Hebræorum filios ſervaſſent, quam eoſdem mendacio periculo liberaſſent. Finis, quem ſibi conſtituerunt, quamquem optimus videtur, eas tamen tueri non poteſt a crimine, quod mentientes perpetraverunt. Addit quoque, ſi illas Dominus remuneratus eſt, hoc illis contigiſſe merito benevolentiæ, non ita vero mendacii. Capite 15. contra mendacium: *Remunerata eſt benevolentia, non fallacia; benignitas mentis, non iniquitas mentientis*. Vide & Greg. l. 18. Moral. c. 3. Quemadmodum in illis regionibus perraro in publicum prodibant mulieres, ita facile ventris tumorem celare, ac partus ſuos poterant, quod ipſum inſervire poteſt, ut explicemus, quomodo parentes Moyſis trium menſium intervallo ipſum celaverint, quin aliquis hoc perciperet.

℣. 21. QUIA TIMUERUNT OBSTETRICES DEUM, ÆDIFICAVIT EIS DOMOS.] Hæc locutio ædi-

1 ועקת למצראי
2 Ἐβδελύσσοντο οἱ Αἰγύπτιοι ἀπὸ τῶν υἱῶν Ἰσραήλ.
3 ויקצו מפני בני ישראל Aquil. Ἐσικχαίνοντο, Tædio afficiebantur. Syr. affligebantur. ἐθλίβοντο,
4 ויעבידו .. בפרך
5 Κατεδυνάστευον ... Βία. Aqu. Ἐντρυφήματι. Sym. Th. Ἐμπαίγματι, illuſione, vel deriſione,
6 בכל עבדה בשדה את כל עבדתם אשר עבדו בהם בפרך
7 חיות. Sym. Μαῖαι γάρ εἰσι,
8 Ζωογονοῦσι αὐταί.

ædificare domum, innuit ſæpius, tribuere filios. Vide Geneſ. 30. 3. Deuteron. 25. 9. 12. 2. Reg. 7. 27. Pſalm. 126. 1. Quædam Exemplaria Septuaginta innuunt, illas ſibi conſtruxiſſe domos [1], atque familias ſuas conſtituiſſe; ſed alia exemplaria referunt, Deum illis domos poſuiſſe. Paulus Fagius, & de Muis crediderunt, Pharaonem curaſſe, ut his obſtetricibus peculiares ædificarentur domus, quibus ipſæ clauderentur, ut Hebræorum uxores illuc accedere cogerentur, ut coram Præfectis parerent, qui filii eſſentne mares, an fœminæ cognoſcerent. In noſtro hebraico textu, pronomen *eis*, ad Hebræos refertur, non autem ad Obſtetrices, ita ut vertendum ſit: Quia timuerunt Obſtetrices Deum, Hebræi multiplicati ſunt, utque ipſorum domus conſtitutæ. Nec deſunt [2], qui hanc loquendi rationem explicent, perinde ac ſi illæ ſe ſe convertiſſent, ac Hebræorum Religionem fuiſſent amplexæ.

A

ỳ. 22. PRÆCEPIT ERGO PHARAO OMNI POPULO SUO.] Coarctandum eſt hoc edictum ad ſolos Hebræos; aut dicendum eſt, Regem Ægyptiis imperaſſe, ut in Nilum jacerent mares Hebræorum filios, niſi hi ex ſe ipſis jeciſſent. Lacedæmones captivorum ſuorum filios enecabant, veriti, ne illorum numerus nimium augeretur. Crudele hoc Regis imperium poſt Aaronis nativitatem tantummodo emanavit, nam Aaron a genitoribus ſuis altus fuit ſine ulla difficultate; & forte [3] edictum hoc abrogatum fuit a Rege eodem, qui illud rogaverat, vel ab aliquo ex ſucceſſoribus illius aliquandiu poſt Moyſis nativitatem; nam ſi viguiſſet octuaginta ſex annorum captivitatis intervallo, Iſraelitarum numerus, qui ferendis armis eſſent, magnus adeo nequaquam extitiſſet, cum Moyſes eos de illa regione deduxit; omneſque jam ætate propemodum confecta fuiſſent.

1 Ἐποίησαν ἑαυταῖς οἰκίας.
2 Lyranus.
3 Barrad,

CAPUT II.

Nativitas Moyſis, atque educatio, fratribus ſuis gratificatur; fugit in regionem Madian; Sephoram uxorem ducit; Iſraelis ad Dominum Preces.

1. EGreſſus eſt poſt hæc vir de domo Levi: & accepit uxorem ſtirpis ſuæ. 2. Quæ
concepit, & peperit filium: & videns eum elegantem, abſcondit tribus menſi-
bus. 3. Cumque jam celare non poſſet, ſumpſit fiſcellam ſcirpeam, & linivit
eam bitumine, ac pice: poſuitque intus infantulum, & expoſuit eum in carecto ripæ
fluminis, 4 Stante procul ſorore ejus, & conſiderante eventum rei. 5 Ecce autem
deſcendebat filia Pharaonis, ut lavaretur in flumine: & puellæ ejus gradiebantur per
crepidinem alvei. Quæ cum vidiſſet fiſcellam in papyrione, miſit unam e famulabus ſuis:
& allatam 6 Aperiens, cernenſque in ea parvulum vagientem, miſerta ejus, ait: De
infantibus Hebræorum eſt hic. 7 Cui ſoror pueri: Vis, inquit, ut vadam, & vocem
tibi mulierem Hebræam, quæ nutrire poſſit infantulum? 8 Reſpondit: Vade. Perrexit
puella, & vocavit matrem ſuam. 9 Ad quam locuta filia Pharaonis: Accipe, ait, puerum
iſtum, & nutri mihi: ego dabo tibi mercedem tuam. Suſcepit mulier, & nutrivit
puerum; adultumque tradidit filiæ Pharaonis. 10 Quem illa adoptavit in locum filii,
vocavitque nomen ejus Moyſes, dicens: Quia de aqua tuli eum. 11 In diebus illis
poſtquam creverat Moyſes egreſſus eſt ad fratres ſuos, viditque afflictionem eorum,
& virum Ægyptium percutientem quemdam de Hebræis fratribus ſuis. 12 Cumque
circumſpexiſſet huc, atque illuc, & nullum adeſſe vidiſſet, percuſſum Ægyptium ab-
ſcondit ſabulo. 13 Et egreſſus die altero conſpexit duos Hebræos rixantes: dixitque
ei, qui faciebat injuriam: Quare percutis proximum tuum? 14 Qui reſpondit: Quis
te conſtituit principem, & judicem ſuper nos? num occidere me tu vis, ſicut heri oc-
cidiſti Ægyptium? Timuit Moyſes, & ait: Quomodo palam factum eſt verbum iſtud?
15 Audivitque Pharao ſermonem hunc, & quærebat occidere Moyſen: qui fugiens de
conſpectu ejus, moratus eſt in terra Madian, & ſedit juxta puteum. 16 Erant autem
ſacerdoti Madian ſeptem filiæ, quæ venerunt ad hauriendam aquam: & impletis canali-
bus adaquare cupiebant greges patris ſui. 17 Supervenere paſtores, & ejecerunt eas;
ſurrexitque Moyſes, & defenſis puellis, adaquavit oves earum. 18 Quæ cum revertiſ-
ſent ad Raguel patrem ſuum, dixit ad eas: Cur velocius veniſtis ſolito? 19 Reſpon-
derunt: Vir Ægyptius liberavit nos de manu paſtorum: inſuper & hauſit aquam nobiſ-
cum, potumque dedit ovibus. 20 At ille, ubi eſt? inquit, Quare dimiſiſtis hominem?
vocate eum, ut comedat panem. 21 Juravit ergo Moyſes, quod habitaret cum eo;
Accepitque Sephoram filiam ejus uxorem. 22 Quæ peperit ei filium, quem vocavit
Gerſam, dicens: Advena fui in terra aliena. Alterum vero peperit, quem vocavit Elie-
zer, dicens: Deus enim patris mei adjutor meus eripuit me de manu Pharaonis. 23.

Poſt

Poſt multum vero temporis mortuus eſt rex Ægypti: & ingemiſcentes filii Iſrael, propter opera vociferati ſunt: aſcenditque clamor eorum ad Deum ob operibus. 24 Et audivit gemitum eorum, ac recordatus eſt fœderis, quod pepigit cum Abraham, Iſaac, & Jacob. 25 Et reſpexit Dominus filios Iſrael, & cognovit eos.

℣. 1. EGRESSUS EST POST HÆC VIR DE DOMO LEVI.] Hebraice non adſunt voces hæ *poſt hæc*. Re vera conjugium Amram filii Caath, ac nepotis Levi, cum Jocabed amita ſua, Levi patrui ſui filia [1] contigit, antequam in Hebræos perſecutio excitaretur, quandoquidem Aaron frater major natu Moyſis, a parentibus ſuis nutritus fuit, quin aliquid obeſſet. Lex, qua cautum eſt, ne amita nubat nepotibus ſuis, nondum lata erat. Hæc eſt Hebræorum ſententia, Toſtati, Uſſerii, aliorumque nonnullorum. Verum plerique Interpretum noſtrorum tuentur, Jocabed fuiſſe tantum Patruelem Amram, filiam alicujus e fratribus Caath, ac nepotem Levi. Ita intellexerunt Septuaginta ad cap. 6. 20. hujus libri. Hæc autem ſententia innititur, primo, ætati provectiori, quæ fuiſſet Jocabed, ſi immediate fuiſſet Levi filia, ac diſparitati, quæ fuiſſet inter ætatem ipſius, atque Amram nepotis, & conjugis ſui. Secundo, nulla adeſt ratio, qua probentur permiſſa ante legem fuiſſe nepotis connubia cum amita. Tertio, liquet in ſcripturis vocem hanc *filia* ſæpius uſurpari, ut ſignetur neptis, vel proneptis, vel etiam ſimpliciter ex illius progenie. Ita Amram, & Jocabed plane erant patrueles.

℣. 2. QUÆ CONCEPIT, ET PEPERIT FILIUM.] Textus hic innuere videtur, Jocabed nullos genuiſſe ante Moyſem filios. Attamen patet Aaronem natum fuiſſe tribus ante Moyſem annis, & palam antequam perſecutio in Hebræos deſæviret.

ABSCONDIT TRIBUS MENSIBUS.] Hebraicè habetur שלשה ירחים *tribus lunis*, pro tribus menſibus: unde arguunt nonnulli, Hebræos tunc temporis ſecutos fuiſſe Lunæ orbem in menſibus ſuis; quod minimum convenit cum iis, quæ de ipſorum Chronologia diſſeruimus. Vide Geneſ. & Diſſert. de Chronologia. Sed quamquam menſibus Lunæ nomen tribuitur, eo quod Luna in ſingulos menſes orbem inſtauret; non inde ſemper inferri licet, menſes a Lunæ curſu numerari. Una hæc locutio æqualis minime decet eſſe ponderis, ac ea omnia argumenta, quæ attulimus, ut oſtenderemus Hebræorum annum ſolarem fuiſſe, & in ſingulis menſibus tricenos dies habuiſſe.

℣. 3. CUMQUE JAM CELARE NON POSSET.] Infertur hinc, præfectos in Ægypto conſtitutos fuiſſe, qui in ternos menſes Hebræorum domos inviſerent; quandoquidem ad hujus temporis exitum Amram videns, ſe filium ſuum celare non poſſe, id conſilii cepit, ut aquis Nili exponeret: verum hæc illatio nequaquam neceſſaria videtur.

SUMPSIT FISCELLAM SCIRPEAM, & LINIVIT EAM BITUMINE, AC PICE.] Septuaginta exemplaria admodum inter ſe in locum hunc diſtant. In editione Complutenſi habemus ſimpliciter, Moyſem in fiſcella poſitum fuiſſe Θίβιν, quin fiſcellæ hujus materia exprimatur. In aliis exemplaribus legimus, Θίβιν, vel Θίβην, vel Θῖβιν, quod tibiam ſcirpeam ſignificat. Hoc autem ex Hebraica voce תבה Thebat deductum videtur, quæ hic uſurpatur; & plane Librarii, qui in Græca exemplaria intulerunt *theken* pro *theben*, non adverterunt, quod Septuaginta ſervant ſæpius voces Autographi, tunc præcipue cum Ægyptiæ ſunt. Alii legunt quoque *Ibin*. Vide recentem Hexaplorum editionem. Admodum veriſimile eſt, horum quoque Interpretum ævo in Ægypto vocem *theben*

A uſurpatam fuiſſe ad parvulas has e ſcirpo cymbulas ſignificandas, quibus in Nili flumine utebantur, ut veteres docent Hiſtorici; Diodorus l. 1., Lucanus l. 4. Plinius l. 7. c. 56. & 13. c. 11., Theophraſtus l. 4. Hiſt., atque ut aperte oſtendit Iſaias c. 18. 2. Joſephus lib. 2. Antiq. c. 9. fiſcellam, qua Moyſes expoſitus fuit, textum a papyro vocat, videlicet calathum e juncis Ægyptiis.

IN CARECTO RIPÆ FLUMINIS] בסוף. In loco unde erui facile poterat, atque ubi aliquandiu poterat ſervari; neque enim illum expoſuerunt, qua flumen aquas raptim deveheret. Septuaginta [2] in paludoſo loco prope flumen. Cajetanus credit, Hebræos nequaquam infantes filios ſubmerſiſſe, ſed ſimpliciter expoſuiſſe in fluminis litore, unde deinde auferebantur,

B ut alerentur in Regis, vel publicæ rei utilitatem, & vel militiæ operam navarent, vel publicis operibus exercerentur.

Sanctus Stephanus Actorum c. 7. ℣. 19 videtur innuere, Ægyptii Regem coegiſſe Hebræos, ut ſuos filios exponerent: *Ἐκάκωσε τοὺς πατέρας ἡμῶν, τοῦ ποιεῖν ἔκθετα τὰ βρέφη αὐτῶν*. Verum ſimpliciter ſignificare vult, Principem hunc imperantem, ut filios ſubmergerent, coegiſſe illos, ut exponerent filios captivitati, omnibuſque fortunæ eventibus, potiuſquam eos ipſi confoderent. Eoſdem exponentes illis ſaltem vitam ſervabant. Nemo ignorat Rabbinorum fabulam, qui aſſerunt, Deum terræ ſinum aperuiſſe, ut filios expoſitos obtegeret, atque propter ipſos binas ſuppoſuiſſe petras, alteram quidem unde mel,

C alteram vero unde lac ſugerent; & cum adoleviſſent, de terra egreſſos fuiſſe, atque ad parentes ſuos rediiſſe.

℣. 5. DESCENDEBAT FILIA PHARAONIS, UT LAVARETUR IN FLUMINE.] Hebraicus textus [3] verti poteſt; *Deſcendebat, ut lavaret* (lintea) *in flumine*; præter propter quemadmodum Nauſicaa Alcinoi filia apud Homerum Odyſſ. Ζ. cum ancillis ſuis ad maris oram pergebat lineas veſtes lotura, cum illi fuit obvius Ulyſſes. Plerique credunt, ipſam illuc proceſſiſſe, ut ſe ablueret, vel regionis illius ritu ſe luſtratura; quia in Ægypto nullum aliud flumen aderat præter Nilum. Regina, quæ Moyſem invenit, *Thermuthis* appellabatur, inquit Joſephus Antiq. l. 2. c. 9. Artapanus apud Euſebium Præp. l. 9. c. 4. eam vocat

D *Merim*, & Chronica Alexandrina *Myrrhinam*. Illa ſterilis erat, uti Veteres nonnulli referunt; quare adducta fuit, ut Moyſem ſibi filium adoptaret.

℣. 6. DE INFANTIBUS HEBRÆORUM EST HIC.] Hæc conjectura innititur perſecutioni, quæ tunc in Hebræos graſſabatur; vel circumciſioni, cujus ſigna in puero perſpexit. Ita Theodoretus qu. in Exod.

℣. 10. VOCAVIT NOMEN EJUS MOYSEN, DICENS: QUIA DE AQUA TULI EUM.] [4] Videtur hic Moyſes velle ſui nominis etymologiam deducere ex Hebraico verbo *Maſcha*, quod ſignificat *eruere*, *ſervare*. Verbum hoc poterat tunc uſurpari in Lingua Ægyptiorum in hac ſignificatione. Vel Moyſes voluit ſimpliciter alludere ad nomen *Moſes*, quod illi inditum fuit Ægyptiè. Patet profecto, nomen hoc, ſi

E ex Hebraica origine deducas, minime ſignare illum qui ab aquis ſervatus eſt, ſed illum tantummodo, qui erutus eſt. Joſephus l. 1. contra Appion. hoc nomen derivat ex Ægyptio *Mo*, vel *Moy*, quod aquam ſignificat, atque *yſes* ſervatum. Verum hæc dubiis ſcatet Etymologia. Patet enim *Moy* apud Ægyptios aquam ſignificare,

ſed

1 Ita Hebræus hic, & Exod. 6. 20. & Num. 26. 59.
2 Εἰς τὸ ἕλος παρὰ τὸν ποταμόν. *Aquila*, Εἰς τὸ παπυρεῶνα.
3 ותרד . . . לרחץ על היאר
4 משה . . . כי מן המים משיתהו

ſed *yſes* minime ſignificat ſervatum. Hebræus author, A quem citat Gualminus in Notis ad librum de vita Moyſis cap. 3. ait, Ægyptium Moyſis nomen fuiſſe *Monios*. *Mo* in eo ſermone ſignificat aquam, *ni* vero ſignificat *de*. Ita *Monios* ſignat illum, qui de aqua eductus eſt. Sanct. Clemens Alexandrinus l. 1. Strom. Philo de vita Moſ. l. 1. Svidas voce Moov fatentur *Mo*, vel *Moy* apud Ægyptios aquam ſignificare, & multam intereſſe ſimilitudinem inter vocem Hebraicam *Maim*, & Chaldaicam *moi*, vel *mohi*, & Syriacam *maio*; quibus eadem eſt ſignificatio. Muſarum nomen ab eadem manat origine, ac nomen Moyſis. Ægyptii Theologi, ut tradit Manetho apud Euſebium Præp. l. 2. c. 1. contendunt novem Muſas ex ſuis regionibus ortum duxiſſe, æque ac Principem illarum Apollinem. Aſſerunt quoque Muſas ſecutas fuiſſe B Bacchum in ſuis expeditionibus. *Ibid. l. 2. c. 2. & apud Diod.* Alibi pleraſque res, quæ Baccho tribuuntur, ad Moyſem pertinere poſſe videbimus. Neſcio autem, an nomina *Moſa*, & *Moſella*, quæ inſignibus duobus Europæ noſtræ fluviis indita ſunt, a *moi*, vel *moy* originem ducant.

Sanctus Clemens Alexandrinus Strom. l. 1. p. 343. refert Moyſem a patre ſuo in circumciſione vocatum fuiſſe nomine Joakim, atque in Cœlo vocari nomine *Melchi*, quod meum Regem ſignificat. Rabbini [1] docent *Moyſem* vocatum fuiſſe a Regis filia; Amram pater illius, illi nomen *Cheber* indiderat; mater ipſius nomine *Jekuthiel* appellarat; Soror vocatat *Jether*; Fratres nomen *Abizanoah* tribuerant; Caath nomen fecerat *Abigedur*; Iſrael denique eum *Semajam* C *filium Nathanael* nuncuparat. Tribuebatur ipſi quoque nomen *Tobia*, vel *Sopher*. Chæremon apud Joſephum l. 1. p. 1057. contra Appionem, inquit, Ægyptium Moyſis nomen fuiſſe *Tiſiſthes*. Manethon illi nomen *Orſaſiph* tribuit, & Artapanus illum *Hermen* appellat; unde fluxit nomen urbis Hermenopolis.

QUEM ILLA ADOPTAVIT IN LOCUM FILII,] Philo de vita Moſ. l. 1. p. 605. refert filiam Pharaonis ſimulaſſe ſe ventrem ferre, ut ab omnibus Moyſes filius ipſius haberetur. Et Apoſtolus ad Heb. 11. 24. innuit, Principem hanc mulierem ſe prætuliſſe Moyſis matrem, cum ait, quod Moyſes *negavit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis*. Noluit ille hanc in matrem agnoſcere, neque ex adoptionis beneficio fructum D aliquem percipere.

Moyſes apud Genitores ſuos Linguam, Hiſtoriam, traditionem, & Hebræorum Religionem didicit; ſuam originem percepit, & ſui ipſius hiſtoriam; quoniam cum tandem adoleviſſet, tantummodo filiæ Pharaonis redditus fuit: *Adultum reddidit filiæ Pharaonis*.

Sanctus Stephanus in Actis 7. 22. docet, Moyſem filiæ Regis imperio in omni Ægyptiorum ſcientia imbutum fuiſſe; & Origenes l. 3. contra Celſum p. 139., credit, & merito quidem, Sanctum hunc Martyrem circumſtantiam hanc percepiſſe ex quibuſdam veteribus libris, ac parum notis. S. Clemens Alexandrinus lib. 1. Strom. (ita & Philo l. 1. de vita Moſ.) ait, Ægyptios docuiſſe Moyſem, Arithmeticam, Geometriam, Medicinam, Muſicam, & recon- E ditam Philoſophiam, quam Hieroglyphicorum integumentis tradunt involutam. Philo de vita Moſ. l. 1. p. 605. addit illum a Græcis iis omnibus ſcientiis, quas ipſi profitebantur, imbutum fuiſſe, atque veluti Regis filium fuiſſe inſtitutum. Aſſerit quoque hunc Aſtronomiam, litteraſque Aſſyrias a Chaldeis didiciſſe: verum hæc omnia difficilia ſunt, quæ credas, præſertim quæ ait de Græcorum ſcientiis. Author quæſtionum ad Orthodoxos, quæſt. 25. contendit, Hieroglyphica tantum edoctum fuiſſe. Cæteræ ſcientiæ, de quibus locuti ſumus, cum tunc communes, atque obviæ eſſent in Ægypto, ſcientia tantum Hieroglyphicorum magno erat in pretio, hujus authoris ſententia.

Scriptores plurimi [2] acceptum retulere Moyſi Hebraicarum litterarum adinventum, uti quoque Abrahæ Litterarum Syriacarum, & Chaldæarum, Iſidi Ægyptiarum, Nicoſtratæ Latinorum characterum, Phœnicis Græcorum, atque Ulphilæ litterarum Gothicarum. Verſus circumferuntur, qui hæc omnia ſtrictim complectuntur.

Primus Hebræas Moſes exaravit litteras,
Mente Phœnices ſagaci condiderunt Atticas,
Quas latini ſcriptitamus, edidit Nicoſtrata,
Abraham Syras; & idem reperit Chaldaicas;
Iſis arte non minore protulit Ægyptias.
Gulphila promſit Getarum, quas videmus litteras.

Sed Ulphilæ nomen prodit, hos verſus poſt quartum ſæculum tantummodo editos fuiſſe; atque omnis adeſt probabilitas, Moyſem uſum fuiſſe litteris, quibus conſueverant Ægyptii, & quæ forte eædem erant ac Phœnicum litteræ.

Aſſeri procul dubio nequaquam poteſt, in quo Ægyptiorum Scientiæ conſiſterent. Credimus, ipſos ſtuduiſſe præſertim Aſtronomiæ, atque Aſtrologiæ judiciariæ. Operam navabant cuique ſuperſtitionum, divinationum, ac Magiæ generi. Magi, qui reſtiterunt Moyſi, atque Sapientes, quorum ars erat ſomnia explicandi temporibus Joſeph, Sacerdotes, & qui Hieroglyphica, ſcientiamque Myſticam edocebant, hi omnes Ægypti Sapientes nuncupabantur. Abſit, quod credamus Moyſem ad inanes has ſcientias, & ſuperſtitione plenas incubuiſſe: verum nihil obſtat, quin dicamus, ipſum Religionem, & Scientias Ægyptiorum didiciſſe, non ut in earum conſuetudinem abiret, verum ut illis in eoſdem uteretur, atque inanem ipſorum cultum dirueret. Potuit autem ex his Sapientibus haurire, quidquid bonum erat; quod vero periculoſum, detegere, ut contra ipſorum ſuperſtitiones præmuniret Iſraelitas, & contra fallacem ipſorum ſapientiam.

Joſephus Antiq. l. 2. c. 3. locupletavit admodum Moyſis hiſtoriam, & plures refert vitæ ipſius circumſtantias, quas præterit Scriptura. Inquit ipſe, illum Æthiopibus bellum intuliſſe magna cum rei militaris ſcientia, cum virtute; atque plures inde reportaſſe victorias; cepiſſe urbem Sabam, cui deinde nomen Merois, opera filiæ Regis Æthiopum, quæ illi hanc tradidit, eo fœnore, ut ipſi nuberet, quod factum eſt; atque hoc pacto Æthiopico bello finem impoſuiſſe.

Nonnulli [3] hiſtoriam hanc univerſam reſpuunt: alii vero autumant, Joſephum hæc particularia diſcere potuiſſe ex aliquibus Ægyptiorum monumentis. Uſſerius etiam contendit, Æthiopas, quibus bellum Moyſes indixit, ex iis fuiſſe, qui quadraginta quatuor circiter annos ante ejus ortum proceſſerant, ut ad Ægypti meridiem ſibi ſedem ſtatuerent. Artapanus apud Euſebio Præp. l. 9. c. 4. horum bellorum meminit, uti quoque Chronica Alexandrina: & Marshamus Can. Ægypt. ſæcul. 9. p. 141. credit, Moyſem ſuperioris Ægypti Regum duxiſſe copias adverſus Paſtores, qui centum, atque ultra ante id tempus annos, inferiori Ægypto fuerant potiti. Manethon apud Joſephum lib. contra Appionem refert diuturnum ipſi fuiſſe bellum cum Thebanis Regibus, & Paſtoribus. Hoc autem in bello, inquit Marshamus, Moyſem ſibi gloriam comparavit.

Verum quomodo iſtud conciliari poteſt cum eo, quod refert author idem Sæcul. 8. p. 106. 107. *Salatim*, qui incœpit Iſraelitas perſequi, primum fuiſſe Regem paſtorum, ipſumque in Ægypto inferiori imperitaſſe, ubi erant Iſraelitæ? Nullum adeſt dubium, quin Moyſes in inferiori Ægypto nutritus fuerit, ipſumque a filia unius ex iis Regibus, qui Hebræos opprimebant, fuiſſe adoptatum. Quomodo igitur potuit Regibus paſtoribus arma inferre, ut Thebaidis Regibus inſerviret, cum ipſe viveret, ut Marshamus ait, in aula, atque familia unius ex his paſtorum Regibus in Ægypto inferiori?

$\dot{V}$. 11. IN

1 Gedalias, Catena Cabbalæ.
2 Petrus Crinitus l. 17. de honeſta diſcipl. Lilius Girald. Dialog. de Hiſt. Poetar. Jaquelos Diſſert. de exiſtentia Dei c. 23.
3 Theodoret. quæſt. 22. in Numer. & alii.

℣. 11. In diebus illis, postquam creverat Moyses, egressus est ad fratres suos.] Moyſes redditus Reginæ Thermuti apud illam uſque ad quadraginta annorum ætatem eſt diverſatus, ut docet S. Stephanus in Actis 7. 23. Tunc fide illuſtratus, atque efflatus Spiritu Sancto, gloriam abdicavit, quod filius eſſet adoptivus filiæ Regis: aulam reliquit, atque ad Iſraelitas fratres ſuos reverſus eſt, malens cum ipſis compatiendo mereri, quam ex ſuaviori conditione voluptatis fructum percipere, ſed quæ proximis peccandi occaſionibus magis eſſet obnoxia: *Fide Moyſes grandis factus, negavit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem*. Heb. 11. 25.

℣. 12. Percussum Ægyptium abscondit sabulo.] Sanctus Stephanus Act. 7. 25. actionem hanc Moyſis approbare videtur, dicens, ab ipſo interfectum Ægyptium, ut ulciſceretur injuriam, quam inferebat Iſraelitæ; neque ad hoc peragendum alia adductum fuiſſe cauſa, quam quod arbitrabatur, Hebræos noſſe, quod eos ſervare decreverat Dominus: ſed cum citius intellexiſſet, hos nihil de ipſius miſſione cognoviſſe, ab Ægypto recedere coactus fuit. Ut igitur manum admoveret Dei conſiliis perficiendis, Moyſes Ægyptium interemit. Sancto Auguſtino, ac S. Thomæ 2. 2. quæſt. 60. art. 6. ad 2. nulla præterea ſuppetit alia ratio, qua facinus hoc tueantur. S. Auguſtinus l. 22. contra Fauſtum cap. 70. eum potius arguit, arbitratus, nullam fuiſſe Moyſi auctoritatem, neque a Deo, neque ab hominibus, hunc Ægyptium enecandi, licet nefarius fuerit. Actionem hanc Moyſis actioni D. Petri comparat Malchum percutientis, cujus zelum Jeſus Chriſtus improbavit. Verum illius ſententiæ adhærendum eſt, quam in ſuis quæſtionibus in Exodum quæſt. 2. expreſſit, ubi aliis innixus principiis ratiocinatus, peculiariter tunc Divino ſpiritu afflatum ſupponens, quod ipſum in Actis Sanctus Stephanus innuit. S. Baſilius in Hexaemeron. homil. 1. & S. Ambroſius l. 1. Hexaem. cap. 2. in hoc Moyſis facinore nihil non juſtum, atque ſecundum naturalis æquitatis regulas, fas agnoſcunt, quin ad extraordinariam Moyſis miſſionem confugiant, quæ nondum cognita erat, neque renunciata: *Priuſquam ad munus liberandi populi vocaretur, naturali æquitatis judicio provocatus, quemdam de ſuis popularibus accipientem injuriam ultus eſt* &c. Et noſtri Interpretes [1] poſt Sanctum Thomam, probant ipſum defendere potuiſſe fratrem ſuum, cui vis injuſta eſſet allata, atque quin ulli obnoxius fieret crimini, interficere Ægyptium, ut innocentem defenderet, *cum moderamine inculpatæ tutelæ*.

Ægyptiæ leges teſte Diodoro lib. 1. imperabant, ut opem ferret, atque periculis liberaret, ſi quis aliquem injuria affici perſpexiſſet: ſin autem infirmior eſſet, neque e periculo poſſet illum eruere, debebat certiores facere magiſtratus. Moyſes plura egit iis, quæ lex hæc imperabat, quandoquidem enecavit Ægyptium: ſed hic plane Iſraelitam volebat occidere; neque poterat Moyſes ullam abs Magiſtratibus ſperare juſtitiam; & difficiliter potuiſſet Moyſes vim vi repellere, niſi Ægyptium ſuſtuliſſet. Philo in vita Moſ. l. 1. p. 603. credidit, Ægyptium hunc quemdam fuiſſe ex Miniſtris, quos Rex Iſraelitarum operibus præfecerat. S. Clemens Alexandrinus l. 1. Strom. veteri innixus traditioni, ait Moyſem verbo tantum enecaſſe Ægyptium; uti fere S. Petrus ſuſtulit Ananiam, & Saphiram, illorum fraudem, ac mendacium corripiens. Rabbini [2] aſſerunt, Ægyptium ictu uno ſtatim cecidiſſe perculſum, cum Moyſes nomen *Jehovah* tantum enunciaſſet.

Abscondit sabulo.] Humo arenoſa Ægypti. Illum feſtinanter injecta terra occuluit.

℣. 15. Moratus est in terra Madian.] Joſephus Antiq. l. 2. cap. 11. quem plures ſequuntur Interpretes, & Geographorum plerique, regionem Madian, quo Moyſes confugit, in Arabia Petræa ſtatuit, ad Eoum Rubri maris litus non procul a monte Sinai; & Arabes adhuc regionem Madian vocant, vel regionem Ietro. Leguntur Madianitæ, in Arabia Petræa, ad meridiem regionis Juda, in Scriptura paſſim, præcipue vero 3. Reg. 11. 18. Habac. 3. 7. Ibi autem erant Cinæi, e quorum numero erant Jetro, ac poſteri illius. Num. 24. 21. Judith 1. 16. 1. Reg. 15. 6. Porro ſi Cinæi ſunt Madianitæ ab origine, ſi utrique a Chus ortum duxere, quemadmodum Sephora Moyſis conjux arguitur, quod eſſet Chuſita Num. 2. 1.? demum ſi Cinæi ſunt e numero populorum, qui fuerunt anathemati devoti, & quorum regio promiſſa fuit poſteris Abraham Geneſ. 15. 19. ſequitur profecto, eos fuiſſe ex genere Cham per Chus unum ex filiis illius, Geneſ. 10. 6. atque ideo admodum a Madianitis diverſos, qui ex Abraham, & Cethura Geneſ. 25. 2. originem duxerunt, & qui ad Orientem Aſphaltitis Lacus incolebant; ubi Euſebii, ac Divi Hieronymi ævo videbantur adhuc urbis Madian rudera, ad Arnon, prope Ar, vel Areopolim. Iidem Euſebius, & D. Hieronymus *in locis* aſſerunt eo Moyſem confugiſſe: verum nos illorum ſententiæ ſubſcribere non poſſumus propter rationes eas, quas attulimus.

Demetrius apud Euſebium l. 9. Præparat. c. 23. deducit Jetro Madianitam ab Abraham, & Cethura, per Jecſan, hoc pacto. Abraham, Jecſan, Dadan, Raguel, Jetro. Verum non credimus, Jetro fuiſſe ex progenie Abraham, neque per Jecſan, neque per Madian. Si enim fuiſſet, cur Maria, ac Aaron exprobraſſent Sephoram filiam Ietro, quod eſſet Chuſita, Num. 12. 1. atque ab ſtirpe Abraham extranea?

℣. 16. Erant autem Sacerdoti Madian septem filiæ.] Artapanus, Poeta Ezechiel apud Euſeb. Præpar. l. 9. c. 4. Onkelos, aliique plures credunt, Jetro ſimul fuiſſe Sacerdotem, ac Regem urbis Madian. Hebraica vox *Cohen* כהן, aliquando ſignificat principem. In hoc ſenſu filiis David tribuitur 2. Reg. 8. 18. Volunt autem tunc ſemper ſignificare principem, cum adhæret nomini proprio loci, ut in hoc loco. Alii Jetro Sacerdotis tantum honorem deferunt; & nonnulli [3] contendunt etiam fuiſſe inanium deorum Sacerdotem: ſed frequentior eorum eſt opinio, qui credunt, ipſum veri Dei Sacerdotem fuiſſe, quemadmodum Melchiſedech, Job, & Patriarchæ. Sacerdotium antiquitus adhærebat dignitati Regis, ac Patrisfamilias. Modus, quo paſtores Madian exceperunt filias Jetro, adducere poteſt, ut credamus, ipſum urbis nequaquam Regem fuiſſe. Hoc autem ſuadet ipſum veri Dei cultorem, ac Domini Sacerdotem fuiſſe, quod Moyſes illi adhæſit, cum illius familia conſuetudinem iniit, & quod Jetro, cum in caſtra Iſrael veniſſet, Domino obtulit ſacrificia. Exod. 18. ℣. 11. 12.

℣. 18. Quæ cum revertissent ad Raguel patrem suum.] Dicitur Raguel quatuor habuiſſe nomina, ſcilicet: *Raguel*, *Hobab*, *Ceni*, & *Jetro*. Hic *Raguel* vocatur; *Jetro* appellatur Exod. 18. 1. *Hobab* Num. 10. 2. *Ceni* Iudic. 1. 16. Rabbini adjiciunt quoque nomen a *Jether*, *Phutiel*, *Cheber*. Credunt aliqui [4], Raguelem fuiſſe patrem Ietro, & filias, de quibus hic ſermo, pertexiſſe non ad Ietro

1 Vide Rupertum, Hugonem, Lyranum, Toſtatum, Peretium &c.
2 Rab. Salom. & alii Rabbini. Vide vitam Moſis.
3 Kimchi apud Munſter.
4 Ita Vatablus, Clarius, Grotius, alii plures.

Jetro patrem ſuum, ſed ad Raguelem avum ſuum, id narraturas, quod ipſis evenerat. Confirmatur autem hæc ſententia, quia in allato Numerorum loco Hobab filius Raguelis vocatur. Alii docent, Raguelem, ac Ietro eamdem eſſe perſonam, atque Hobab eſſe filium Raguelis, & ſocerum Moyſis. Alii denique aſſerunt, Hobab fuiſſe non ſocerum Moyſis, ſed fratrem Sephoræ, & Moyſis fratrem uxorium. Quævis ex his ſententiis probatores ſuos numerat; verum nequaquam fieri poteſt, ut lis abſolute hæc dirimatur, omneſque diſſolvantur difficultates, quæ iſtic occurrunt; quia latet vera, ac genuina ſignificatio hebraicæ vocis, חתן *Choten*, quæ adhibetur Num. 10. 29. ad denotandum conſanguinitatis gradum, qui intercedebat inter Moyſem, & Hobab, & Exod. 18. ℣. 1. & 27. ad idem ſignificandum inter Ietro, ac Moyſem. Si vocis hujus ſignificatio late patet adeo, ac S. Hieronymus arbitratur, qui *cognatum* transfert, nihil inde poteſt inferri, ut difficultas tollatur: ſin autem ſocerum ſignificat, fatendum erit Ietro, & Hobab eumdem eſſe, uti quoque & Raguelem, qui ℣. 21. filiam Sephoram Moyſi conjugem tradit. Vide Exod. 18. 1. & Num. 10. 2.

℣. 21 JURAVIT ERGO MOYSES, QUOD HABITARET CUM EO.] Hebraica vox ויואל vertitur paſſim, *Voluit*, placuit illi habitare cum eo. Septuaginta vocem hanc neglexerunt; habent enim ſimpliciter Κατῴκησε δὲ Μωϋσῆς: habitavit cum eo: Symmachus [1]: *Jetro adjuravit Moyſem, ut habitaret cum eo*. Theodotion [2]: *Moyſes cœpit habitare* &c.

℣. 22. ALTERUM VERO PEPERIT, QUEM VOCAVIT ELIEZER, DICENS: DEUS ENIM PATRIS MEI ADJUTOR MEUS, ERIPUIT ME DE MANU PHARAONIS.] Ex his omnibus nihil reperitur in hebraico textu, neque in Chaldaico: ſed habentur in Septuaginta editione Complutenſi, ac in veteri manuſcripto Bibliothecæ Coiſlinianæ, verum aſteriſco notata, ut oſtenderetur ea non reperiri in Hexaplis Origenis. Locus hic mutilus eſſe poteſt, ac deficere in textu autographo; additus eſt ex capite 18. 4. hujus libri.

℣. 23. MORTUUS EST REX ÆGYPTI.] Uſſerius contendit Regem hunc eſſe Rameſſes Miamum, cujus mortem conſtituit anno ab Orbe condito 2494. Illius ſucceſſor fuit Amenophis, qui poſt id tempus anno undevigeſimo Rubri maris obrutus undis fuit, cum Iſraelitas perſequeretur.

℣. 25. ET COGNOVIT EOS.] Agnovit eos populum ſuum: vidit afflictionem eorum. Hebraicus textus habet ſimpliciter וידע אלהים: *Et Deus cognovit*. Ipſorum ærumnas percepit, atque injuſtitiam, quam perpetiebantur. Septuaginta: Ἐγνώσθη αὐτοῖς. Cognitus fuit ab illis. Quædam exemplaria Latina habent, *& liberavit eos*.

1 Sym. Ὥρκισε δὲ Μωυσῆν, ὥστε οἰκῆσαι, perinde ac flueret ab אלה *Juravit*.
2 Theodot. Ἤρξατο Μωυσῆς κατοικεῖν deductum ab יאל.

CAPUT III.

Deus ſe ſe prodit Moyſi, eum mittit, ut educat Hebræos de Ægypto; illi ſuum nomen declarat. Moyſes cauſatur, ne mandatum hoc exequi teneatur.

℣. 1. MOyſes autem paſcebat oves Jethro ſoceri ſui ſacerdotis Madian: cumque minaſſet gregem ad interiora deſerti, venit ad montem Dei Horeb. 2 Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi: & videbat, quod rubus arderet, & non combureretur. 3 Dixit ergo Moyſes: Vadam, & videbo viſionem hanc magnam, quare non comburatur rubus. 4 Cernens autem Dominus, quod pergeret ad videndum, vocavit eum de medio rubi, & ait: Moyſes, Moyſes. Qui reſpondit: Adſum. 5 At ille: Ne appropies, inquit, huc: ſolve calceamentum de pedibus tuis: locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt. 6 Et ait: Ego ſum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob. Abſcondit Moyſes faciem ſuam: non enim audebat aſpicere contra Deum. 7 Cui ait Dominus: Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem ejus audivi propter duritiam eorum, qui præſunt operibus. 8 Et ſciens dolorem ejus, deſcendi, ut liberem eum de manibus Ægyptiorum, & educam de terra illa in terram bonam, & ſpatioſam, in terram, quæ fluit lacte, & melle, ad loca Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, & Pherezæi, & Hevæi, & Jebuſæi. 9 Clamor ergo filiorum Iſrael venit ad me: vidique afflictionem eorum, qua ab Ægyptiis opprimuntur. 10 Sed veni, & mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum, filios Iſrael, de Ægypto. 11 Dixitque Moyſes ad Deum: Quis ſum ego, ut vadam ad Pharaonem, & educam filios Iſrael de Ægypto? 12 Qui dixit ei: Ego ero tecum: & hoc habebis ſignum, quod miſerim te: Cum eduxeris populum meum de Ægypto, immolabis Deo ſuper montem iſtum. 13 Ait Moyſes ad Deum: Ecce ego vadam ad filios Iſrael, & dicam eis: Deus patrum veſtrorum miſit me ad vos. Si dixerint mihi: Quod eſt nomen ejus? quid dicam eis? 14 Dixit Deus ad Moyſen: Ego ſum qui ſum. Ait: Sic dices filiis Iſrael: Qui eſt, miſit me ad vos. 15 Dixitque iterum Deus ad Moyſem:

Moyſen : Hæc dices filiis Iſrael : Dominus Deus patrum veſtrorum, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob, miſit me ad vos : hoc nomen mihi eſt in æternum, & hoc memoriale meum in generationem, & generationem. 16 Vade, & congrega ſeniores Iſrael, & dices ad eos : Dominus Deus patrum veſtrorum apparuit mihi, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob, dicens : Viſitans viſitavi vos, & vidi omnia, quæ acciderunt vobis in Ægypto: 17 Et dixi, ut educam vos de afflictione Ægypti, in terram Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, & Pherezæi, & Hevæi, & Jebuſæi, ad terram fluentem lacte, & melle. 18 Et audient vocem tuam : ingredierisque tu, & ſeniores Iſrael, ad regem Ægypti, & dices ad eum : Dominus Deus Hebræorum vocavit nos : ibimus viam trium dierum in ſolitudinem, ut immolemus Domino Deo noſtro. 19 Sed ego ſcio, quod non dimittet vos rex Ægypti, ut eatis, niſi per manum validam. 20 Extendam enim manum meam, & percutiam Ægyptum in cunctis mirabilibus meis, quæ facturus ſum in medio eorum: poſt hæc dimittet vos. 21 Daboque gratiam populo huic coram Ægyptiis : & cum egrediemini, non exibitis vacui. 22 Sed poſtulabit mulier a vicina ſua, & ab hoſpita ſua, vaſa argentea, & aurea, ac veſtes: ponetiſque eas ſuper filios, & filias veſtras, & ſpoliabitis Ægyptum.

℣. 1. Ad montem Dei Horeb.] Mons hic ſitus eſt in Arabia Petræa, & prope admodum montem Sinai. Hic ad Orientem eſt montis Horeb : ita ut cum Sol conſurgit, Horeb circumquaque umbra Sinai montis obtegatur. Mons Sinai præter pluvias nullas habet aquas : & Horeb duos, vel tres fontes habet, & copiam arborum fructiferorum in vertice. Mons hic *Mons Dei* iſtic appellatur, vel propter altitudinem, vel per prolepſin, propterea quod Deus ibi apparuerit Moyſi, qui hoc eſt enarraturus.

℣. 2. Apparuit ei Dominus.] Moyſes tunc octoginta annos natus erat. Vide Exod. 7. 7. & Act. 7. 23. 29. 30. Hebraicus textus [1], & Septuaginta [2] habent : *Angelus Jehovah apparuit illi*. S. Stephanus quoque Actor. 7. 30. illum Angelum Domini vocat, & S. Paulus ad Galat. 3. 19. aſſerit legem Angelorum miniſterio fuiſſe conſtitutam : *ordinata per Angelos*. Hic igitur erat Angelus a Deo miſſus, & infinitam illius majeſtatem repræſentans. Hanc ſententiam ſequitur S. Auguſtinus lib. 3. de Trinit. cap 11. (Vide & Tract. 3. in Joan. n. 17. & 18) qui inde canonem generalem conſtituit pro omnibus apparitionibus, quæ in veteri Teſtamento Patriarchis contigerunt : *Illa omnia, quæ patribus viſa ſunt, cum Deus illis ſecundum ſuam diſpenſationem temporibus congruam præſentaretur, per creaturam facta eſſe manifeſtum eſt. Et ſi nos latet, quomodo ea miniſteriis angelis fecerit, per Angelos tamen eſſe facta, non ex noſtro ſenſu dicimus, ſed ſapimus, & credimus*. Sanctus Hieronymus in Epiſt. ad Galat. cap. 3. aſſerit etiam in toto veteri Teſtamento, cum Scriptura primum refert Angeli apparitionem, ac deinceps angelum hunc loquentem inducit, veluti ipſum Deum, agnoſcendum eſſe illum vere eſſe miniſtrum Dei, in quo Mediator alloquitur homines. Sanctus Gregorius Magnus lib. 28. Moral. cap. 1. de hoc Angelo ait, quod inferius paulo Deus appellatur : *Modo Angeli, modo Dominus vocantur : quia Angelorum vocabulo exprimuntur, qui exterius miniſtrabant, & appellatione Domini oſtenditur, qui eis interius præerat*.

Fatendum tamen eſt, pleroſque Veterum aſſerere, eum, qui apparuit Moyſi in rubo ardenti, vere fuiſſe filium Dei, & ipſum Deum. Sententiam hanc confirmant, 1. quia Filius Dei vocatur Angelus, aut Legatus Domini in Scripturis, veluti in Malachia 3. 1. 2. quia hic Angelus ſumit hic nomen, atque authoritatem Dei ; ipſe ſibi vendicat illius eſſentiam, atque nomen incommunicabile ; 3. Moyſes Deuter. 33. 16. precatur Joſeph benedictionem illius, qui ipſi apparuerat in rubo : ſed non, niſi Dei benedictionem poterat precari. Tertullianus contra Judæos, & l. 2. contra Marcion. n. 27. & lib. adverſ. Praxeam, S. Juſtinus Dialog. cum Tryph. S. Irenæus lib. 4. adverſus. Hæres. cap. 16. S. Baſilius lib. 2. & 4. contra Eunom. S. Hilarius lib. 4. & 5. de Trinitat. & in Pſalm. 67. & 68. Euſebius in Pſalm. 67. 76. & 77. & Theodoretus in quæſt. 5. in Exod. hanc ſententiam tuentur ; & S. Auguſtinus, cujus verba ſuperius allata ſunt, utramque opinionem, velut probabilem refert in Quæſtionibus in Exodum, atque in libro ſecundo de Trinitate cap. 13. & ſermone ſexto cap. 2. & ſermone 7. 12. 3. novæ Editionis : *Duæ ſunt ſententiæ*, ait Ille, *quarum qualibet vera ſit ; ambæ ſecundum fidem ſunt*.

In flamma ignis.] Hebraicus textus verti poteſt : *in corde ignis*. בלבת אש, vel לבת poſitum eſt pro להבה *flamma*. Moyſes Deut. 4. 24. ait, Deum eſſe ignem devorantem. Univerſo Iſraeli apparuit de vertice Sinai, veluti magnus ignis. Exod. 24. 17. Pſalmiſta Pſalmo 96. 3. ait ignem procedere ante Deum, & miniſtros illius, eſſe tamquam flammam ignis. Grotius veterem verſum Græcum adfert, ubi dicitur Deus aliquando apparuiſſe in ſpeciem ignis.

℣. 5. Solve calceamentum de pedibus tuis.] Nuditas pedum in moru poſita erat apud Ægyptios, atque Arabes in actibus eorum Religionis. Creditur ab Ægyptiis Pythagoras hoc hauſiſſe dogma : *Adorate, & ſacrificate nudis pedibus* [3]. Ad hancuſque diem Turcæ obſervarunt hanc conſuetudinem, non niſi depoſitis ſoleis templa ſua ingrediendi. Æthiopiæ Chriſtiani eumdem deferunt ſuis Eccleſiis honorem, & Brachmanes Indorum Pagodis ſuis. Qui introire volebant Dianæ Cretenſis templum, calceos linquebant : *Solinus c. 19. Ædem Numinis præterquam nudo veſtigio nullus licito ingreditur*. Theodoretus idem aſſerit de Hieroſolymitani Templi ſacerdotibus : quod liquet etiam ex præcepto, quod dedit illis Deus Exod. 30. 19. pedes ſuos, manuſque abluendi, cum ingreſſuri eſſent Sanctuarium. Iuvenalis Sat. 6. notat Iudæorum ſui temporis morem Templa ſua nudis pedibus adeundi.

Exercent ubi feſta mero pede Sabbatha Reges.

Ethnicis quoque ſimiles erant ritus pedibus nudis incedendi, cum Iovem pluviam poſcerent. Tertullianus de jejunio : *Cum ſtupet Cœlum, & aret annus nudipedalia denunciantur*. Sanctus Auguſtinus de Hæreſi-

1 וירא מלאך יהוה.
2 Ὤφθη αὐτῷ Ἄγγελος Κυρίου.
3 Ἀνυπόδητος θύε καὶ προσκύνει. Apud Jamblic. in ejus vita.

reſibus Hæreſ. 67. de quibuſdam Hæreticis loquitur, A
qui Moyſem, ac Ioſue imitati nudis pedibus incedebant. Origenes Homil. 12. in Exod credit hanc Moyſis actionem fuiſſe figurativam, ac ſignificaſſe, futurum ut aliquando alius ſumeret ipſius uxorem, atque Synagoga appellaretur, *Domus Diſcalceati*, cum Ieſus Chriſtus Synagogam ſibi ſponſam elegiſſet.

℣. 6. ABSCONDIT MOYSES FACIEM SUAM.] Caput, ac faciem penula ſua involvit, ſenſu quodam timoris, ac venerationis. Septuaginta [1] referunt ipſum flexiſſe caput, & oculos deflexiſſe. Onkelos [2] ait, ipſum oculos demiſiſſe. Si nuditas pedum obſequii erat nota, hæc alia quidem erat, facie involuta apparere. Videtur autem faciem ſuam obnupſiſſe veritus, ne Deum videret; quia timebat, ut hic adſpectus ipſi mortem adferret. Vide Geneſ. 16. 13.

℣. 8. IN TERRAM BONAM, ET SPATIOSAM.] Regio Chanaan erat uberrima; & longe magis ſpatioſa, quam Terra Geſſen, ubi Hebræi in Ægypto immorabantur, & ubi maxime arctati eſſe debebant propter ipſorum multitudinem. Terra Chanaan ſeptuaginta leucas in longitudinem protendi poterat, viginti vero, vel quinque & viginti, atque ultra in latum parte, juxta Brochardum. S. Hieronymus recenſet tantum centum & ſexaginta ferme paſſuum millia a Dan ad Berſabee, ac ſex & quadraginta millia in latitudinem. Hecatæus ait, Judæos poſſediſſe optimæ terræ tres jugerum myriades.

IN TERRAM, QUÆ FLUIT LACTE, ET MELLE.] Hyperbolica locutio ad ſignificandum agrum uberrimum fructibus eximiis, ac ſuavibus, & cultu facillimum. C
Moyſes ipſe alibi prolixius deſcribit, quænam eſſet hæc feliciſſima regio. *Dominus Deus tuus introducet te* (inquit ille Deut. 8. 7.) *in terram bonam, terram rivorum, aquarum, & fontium; in cujus campis, & montibus erumpunt fluviorum abyſſi; Terram frumenti, hordei, & vinearum, in qua ficus, & malogranata, & oliveta naſcuntur; terram olei, ac mellis &c. . . . . . cujus lapides ferrum ſunt, & de montibus ejus æris metalla fodiuntur &c.* Deuteron quoque 32. 13. ait, quod populum ſuum *conſtituit* Deus *ſuper excelſam terram, ut comederet fructus agrorum, ut ſugeret mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo, Butyrum de armento, & lac de ovibus cum adipe agnorum, & arietum . . . . cum medulla tritici, & ſanguinem uvæ biberet meraciſſimum.* En autem quænam eſſet hæc regio adeo D
felix. Denique Rabſaces (4. Reg. 18. 3.) ab Aſſyriorum Rege ad Iudæos miſſus, ut illis ſuaderet, ut hujus Principis dederentur imperio, nihil pollicetur amplius, quam terram terræ illorum perſimilem, *terram fructiferam, & fertilem vini, terram panis, & vinearum, terram olivarum, & olei, ac mellis &c.* Homerus ſimili figura agrum Argorum terræ mammillam vocat Iliad. 1. Et Virgilius Æneid. 3. loquitur eodem modo de excellenti regione.

. . . . . *Tellus eadem vos ubere læto*

Excipiet reduces: antiquam exquirite matrem.

Poetæ [3] commenti ſunt Bacchum mellis, ac lactis rivos produxiſſe. Moyſem autem cum Baccho pluribus in rebus confuderunt. Teſtatur Eugenius Rogerus l. 1. c. 2. mel, & lac hodie quoque commu- E
nia adeo eſſe in Palæſtina, ut illa menſis continuo uſurpentur, illiſque omnes eſcæ condiantur.

IN TERRAM CHANANÆI.] Septuaginta ponont *Gergezæi* poſt *Hevæi*, & Samaritana poſt legit *Phereſæi*: verum neque Hebraicus Textus, neque verſiones aliæ, neque hic, neque ℣. 17. meminere. Recenſiones, quæ occurrunt, populorum Chananæorum plerumque deficiunt.

℣. 12. HOC HABEBIS SIGNUM, QUOD MISERIM TE.] Ut cogat homines ad facinus aliquod arduum, tradit illis Deus paſſim ſigna, quæ factum hoc præcedant. Sed Deus hic Moyſi pollicetur in miſſionis illius argumentum, rem, quæ erat ſubſecutura. Viſio, quæ actu illi apparuit, ſufficere poterat, ut in præſens confirmaretur; verum quemadmodum opus videri poterat impoſſibile Moyſi, atque ille de eventu ſpem omnem amittere, Deus illum hortatur, ut animis non deſpondeat; eventu enim probatum iri, ab omnipotente miſſum fuiſſe; & cum ad Synai Montem pervenerit, cum populo de ſervitute educto, atque cum ipſo ſimul ſacrificia obtulerint, tunc demum univerſis palam probatum iri, quod extraordinarie ipſe miſſus fuerit.

B Hæ rerum futurarum promiſſionis ſpecies ad ea confirmanda, quæ debent præcedere, paſſim in Scripturie reperiuntur: exempli cauſa in Iſaia 12. 13. 14. 16. 17. Meſſiæ nativitas, qui e matre Virgine naſciturus eſt promittitur Achaz, veluti in proximæ liberationis fidem; & cum Propheta idem Ezechiæ dicit, a Deo liberatum iri de manibus Aſſyriorum, hoc ſignum illi tribuit: *Comede hoc anno, quæ reperreris: in ſecundo autem anno, quæ ſponte naſcuntur; porro in tertio anno ſeminate, & metite, plantate vineas, & comedite fructum earum &c.* Interim tamen exercitus Senacherib actu obſidebat Hieruſalem, atque nocte eadem hujus prædictionis deletus eſt. Quomodo igitur ſpondet ille Ezechiæ in futuræ ſignum liberationis libertatem, quæ illi erit, tertio poſt eam diem anno, ſerendi, ac metendi? Vide 4. Reg. 19. 29. & ſequ. Huic autem principio innititur, quod Gamaliel in cætu principum Iſraelitarum ait, ſi Ieſu Chriſti Religio eſſet a Deo, exitum, atque eventum, qui illi contigerit, fore probaturum. Act. 5. 38.

Aliqui locum hunc in alium ſenſum explicant: *Ego ero tecum, & hoc habebis ſignum* &c. Præſentia mea, adſiſtentia mea, patrocinium, quo te tuebor, & miracula, quæ meo nomine patrabis, probationes erunt, atque tuæ miſſionis argumenta; & cum populum meum liberaveris, hic mihi ſacrificaturi appelletis. Vel aliter: Hæc apparitio, in qua me vides in hoc rubo ardenti, qui nequaquam comburitur, hoc ſignum erit, te a me eſſe miſſum.

℣. 13. QUOD EST NOMEN EJUS.] Moyſes, atque Iſraelitæ Deum Patrum ſuorum agnoſcebant nomine Dei Omnipotentis, Dei Creatoris, Dei Abraham, Terroris Iſaac: ſed illum proprio nomine atque incommunicabili, minime cognoſcebant. Dominus illud nondum Patriarchis revelaverat, uti illud prodit paulo poſt cap. 6. 3. Moyſes ab eo nomen ipſius petit, ut cum illius nomine ad Iſraelitas loqueretur, non videretur nullo fundamento loqui, atque illis dicere poſſet, quinam hic eſſet Deus, qui ipſi apparuerat, atque quis eſſet, declaraverat.

Quidam veteres Patres [4] docuerunt, nullum eſſe Deo nomen. *Deo nomen non eſt*, inquit Lactantius, *quia ſolus eſt: nec opus eſt proprio vocabulo, niſi cum diſcrimen exigit multitudo, ut unamquamque perſonam ſua nota, & appellatione deſignes: Deo autem, quia ſemper unus eſt, proprium nomen eſt Deus.* Et equidem ridiculum eſt Deo velle tribuere proprium nomen, & ſingulare, perinde ac eo pacto diſtinguere vellemus ab aliis Diis. Ethnici iidem inceperunt Deos ſuos variis nominibus nuncupare tantummodo poſt horum inanium numinum multiplicationem. Ægyptii jactitant, ſe priores Diis nomina impoſuiſſe. Græci diutius perſtiterunt, antequam numinibus ſuis nomen aliquod darent [5]; & plures Philoſophi aſſeruerunt, nul-

1 Α'πέστρεψε πρόσωπον.
2 כבש
3 Euripid. Bacchis. Philoſtrat. in Semele.
4 Lact. Inſtit. divin. l. 5. c. 6. Philo de nomin. commun. l. 6. de Legat. Iuſtin. Mart. exhort. ad Græcos, Clem. Alex. Strom. l. 1. Nyſſen. l. 12. contra Eunom.
5 Herodot. l. 2. c. 52.

nullum Deo nomen tribui debere. Origenes lib. 6. contra Celſum huic reſpondens, qui ſententiam hanc conſtituerat, fatetur, nullam eſſe vocem, quæ perfecte naturam, atque eminentes Dei qualitates valeat exprimere; verum contendit plura eſſe nomina, quæ inſervire poſſunt, et in alicujus ea ipſius proprietatibus agnitionem deveniamus. Nomen *Jehovah*, quod Deus hic Moyſi patefacit, præ cæteris maxime Divinitati congruit; quoniam ſignificat actualem ipſius exiſtentiam, atque exiſtentiam illam, quam ipſe rebus creatis tribuit.

℣. 14. EGO SUM QUI SUM.] Hebraice [1]: *Ego ero (ille) qui eris*. Vel potius: *Eheieh qui (eſt) eheieh*, Et inferius paulo [2], *Eheieh miſit me ad vos*. Vox hæc eheieh eſt perſona prima futuri temporis verbi Hajah, ego ſum, perinde ac dicere vellet Deus, *ego ero ille, qui eris vobiſcum*. Ego ipſe comitabor vos, protegam vos, & liberabo populum meum. Deinceps Deus paſſim appellatur *Jehovah* יהוה, quæ vox fluit e verbo *havah*, ego exiſto, eſtque tertia perſona futuri temporis. Verti poſſet *Jehovah* ad litteram, *ille, qui tribuit*, vel *qui tribuens eſt*.

Quidam Interpretes [3], & Grammatici nonnulli arbitrati ſunt, ſe poſſe invenire in nominibus *Jehovah*, & *Eheieh* trium temporum veſtigia, præſentis, præteriti, ac futuri (י denotat futurum, ו præſens, ה præteritum) perinde ac voluiſſet hoc nomine innuere omnia ſuæ æternitatis tempora: verum ut magna hanc veritatem tuearis, non eſt cur ad imbecilla adeo confugias argumenta, qualia horum ſunt hæc Grammaticorum. S. Ioannes in Apocalypſi 1. 4. his verbis Dei majeſtatem deſignat: *Qui eſt, qui erat, & qui venturus eſt*. Author Carminum, quæ tribuuntur Orpheo, vel Onomacrito ad illud idem animum advertit, cum ait, *Legiſlatorem eductum*, vel *ereptum de aqua*, (hac periphraſi Moyſem deſignat) ſcripſiſſe *in duplici lege*, videlicet in duabus tabulis Legis, quod *Deus ille eſt, qui in ſe ipſo initium, medium, & finem complectitur*.

Alibi jam animadverti potuit, in nominibus propriis ſæpius futurum præſentis loco uſurpari. Ita dicitur Iſaac, Iſmael, Jacob, Iſrael &c., quæ ad litteram ſignificant, *videbit*, *Dominus audiet*, *ſupplantabit*, *Deo prævalebis* &c.

Oleaſter nomen Jehovah deduxit a verbo inuſitato *havah*, quod ſignificat, *delere*, *miſerabilem reddere* (vide Iſai. 47. 11. Ezech. 7. 26. Mich. 7. 1., Job. 6 2. Proverb. 11. 6., Pſalm. 56. 2.) perinde ac Deus hoc nomine ſignificare vellet potentiam ſuam, vim, & qualitatem Dei ultoris, & terribilis. Moyſes in Cantico, quod poſt tranſitum maris Rubri compoſuit, ait Exod. 15. 3. *Jehovah eſt vir pugnator: Jehovah nomen ejus* Et Deut. 28. 58. *timueris nomen ejus glorioſum, & terribile, hoc eſt Jehovah Dominum tuum*. Denique *Jehovah* ſæpius additur *Sabaoth*, quæ vox ſignificat exercitus Pſalm. 23. 10. Iſa. 1. 9. 24. & 3. 1. &c. Verum rationes hæ non ſatis idoneæ videntur, ut a communi opinione recedamus; quæ illud a verbo *havah* deducit, quod clarius Creatoris qualitatem oſtendit.

℣. 15. DOMINUS DEUS PATRUM VESTRORUM.] Hebraice hic [4] habetur: *Jehovah Elohim patrum veſtrorum*. Eruditi plures viri aſſerunt, conſuetam pronunciationem, qua nos enunciamus *Jehovah*, neque rectam eſſe, neque veterem exprimendi rationem incommunicabile nomen Dei. Aliter notatum apud veteres reperitur. Sanchoniaton apud Euſebium Præp. l. 10. c. 9. ſcribit *Jevo*; Diodorus Siculus l. 2. Biblioth. Macrobius Saturn. l. 1. c. 18. S. Clemens Alexandrinus l. 5. Strom.

A Sanctus Hieronymus in Pſal. 8. Origenes l. 6. contra Celſum pronunciant *Jao*; S. Epiphanius Hæreſ. 40. Theodoretus quæſt. 15. in Exod. & Samaritani, *Jabe*, vel *Jave*. Invenitur etiam apud Veteres Jahoh, Javo; Jaod, Jaou. Ledovicus Cappellus enunciat Javo; Druſius, Iave; Mercerius, Ieheva; Hottingerus Iehea. Mauri Deum ſuum appellabant Iebam, quod idem eſſe, ac Iova nonnulli putant. Trallianus refert quædam magica carmina adverſus podagram, ubi legitur Ias, vel Iauth. Veriſimile equidem eſt admodum nomen Iovis, aut Iovis-piter, deductum eſſe a Iavo, vel Iehovah.

Iudæi poſt Templi excidium non pronunciant amplius nomen hoc incommunicabile; illius loco legunt *Adonai*, cum illis occurrit illud in Textu. Docent B ſacri hujus nominis virtute Moyſem univerſa ſua miracula patraſſe. Cum hic Legiſlator illud ſubmiſſa voce in aurem Nechephri Ægyptii Regis protuliſſet, Princeps hic illico mortuus prolapſus eſt, ſi fides Artapanu apud S. Clementem Alexandrinum l. 5. Strom. Origenes l. 1. contra Celſum docet Ethnicos hoc uſos fuiſſe aliis in exorciſmis, atque ut Ægros curarent. Ægyptii illi, quibus fas erat ingredi Solis Templum, deferebant circum ſe nomen *jaou* [5]. Iudæi quoque falſò referunt, Ieſum Chriſtum omnia ſua miracula ſacrati hujus nominis virtute perfeciſſe.

HOC MEMORIALE MEUM IN GENERATIONEM &c.] Temporibus futuris agnoſcar nomine Iehovah. Nomen hoc nulla obruet oblivio, donec ego non obliviſcar mei. Hebraica vox *Seker* [6] planè originem dedit latinæ C voci *Sacer*, *Sacrum*, quia interponitur nomen Dei, atque ipſius mentio fit in Sacrificiis, ac juramentis.

℣. 16. CONGREGA SENIORES ISRAEL.] Grotius in caput 4. Exod. ℣. 29. & Bertramus de rep Heb. credunt, Seniores conſtituiſſe Senatum, aut Societatem probe inſtitutam Septuaginta virorum ex omnibus Tribubus Iſrael electorum, ut eas regerent pro arbitrio, atque auctoritate Regis Ægypti. Liquet nomen *Seniores* denotare paſſim dignitatem. Ita Carthaginienſes Magiſtratus ſuos [7] appellabant. Romani Reipublicæ Principes Senatores vocabant; quod idem ſignificat ac Seniores. Invenimus apud Homerum Iliad. B. I. Σ. qualitatem eamdem Græciæ principibus attributam. Lacædemoniis, & Cretenſibus ſui erant Seniores. Verum hoc in loco probabile D admodum eſt, ſub hoc nomine intelligi tantum Capita Tribuum, primores populi, quibus peculiaris eſſe poterat authoritas in familias abſque eo quod Judicum authoritate pollerent in populum univerſum.

VISITANS VISITAVI VOS.] Angelus, qui loquitur ad Moyſem, ait, ſe data opera in Ægyptum deſcendiſſe, ut per ſe ipſum cognoſceret, utrum Ægyptiorum crudelitas adverſus Hebræos ea eſſet, quam Iſraelitarum clamores præſeferebant. Videtur hic adimpleri illa Prophetia Ioſeph Geneſ. 50. 23 *Poſt mortem meam Deus viſitabit vos*. Deus humano loquitur modo; dicit enim, ſe ipſum luſtrare terras, ut earum rerum, quæ ipſi dicuntur, veritatem agnoſcat. Vide rem eamdem *Geneſ.* 18. 21.

E ℣. 18. DEUS HEBRÆORUM VOCAVIT NOS.] Textus autographus [8] verti poteſt: *Deus Hebræorum invocatus eſt ſuper nos*. Noſmet ad ipſum direximus, utpote ipſius populus; vel, Nos ſervi ſumus Dei Hebræorum; ipſe nos agnovit in populum ſuum, ſiceti nos illum agnoſcimus in Deum noſtrum. Quidam vertunt: *Ille nobis apparuit: Ille obvius factus eſt nobis*.

IBIMUS VIAM TRIUM DIERUM.] Teſtantur Pererius, Bonfrerius & Eſtius ad Exod. 5. 3. trium tan-

[1] אהיה אשר אהיה *Aqu. Theod.* Ἔσομαι ὃ ἔσομαι, *ego ero, ego ero*. 70. Ἐγώ εἰμι ὁ ὤν. *ego ſum ille qui eſt*.
[2] אהיה שלחני אליכם
[3] Pererius, Zanchius, Buxterfius.
[4] יהוה אלהי אבתיכם
[5] Clemens Alexand. lib. 5. Strom.
[6] זה זכרי לדר דר *Sym.* Ἀνάμνησίς μου 70. Μνημόσυνον.
[7] Ariſtotel. Politic. c. 1. γ.
[8] נקרה עלינו

tum dierum inter eſſe a terra Geſſen ad Sinai, via A compendiaria. Beniamin in itinerario pag. 110. ſtatuit montem hunc iter unius diei a mari rubro. Iſraelitæ diutius in hoc itinere immorati ſunt; quadraginta dies in illo inſumſerunt: ſed Moyſes eos per varias ambages atque lento gradu deduxit.

Non dimittet vos, ... nisi per manum validam.] Rex hic obdurabitur, atque oportebit, ut ſæviſſimis utar ſuppliciis, atque omni brachii mei virtute, ut ipſius pertinaciam evincam. Aliter: Pharaon libenter egredi vos non patietur; non ille contitet iis ſubſcribet, quæ poſtulabitis, verum ipſo invito vos educam; atque vos liberaturus ea utar potentia, cui nequeat obſiſtere. Poteſt quoque verti Hebraicus textus [2]: Ille vos abire non ſinet, neque illum plagarum vis deterrebit: ille animum obfirmabit B adverſus ea omnia mala, quæ in ipſum ingeram. Quandoque *manus valida* intelligitur pro magno exercitu. Itaque verti poſſet: Ille vos abire non ſinet, niſi ſimul omnes; cogetur ille pati vos diſcedere veloti magnum exercitum. Vide Exod. 6. 1. & Num. 20. Onkelos hic vertit [2]; non niſi magno terrore coactus vos patietur diſcedere. Senſus hic cum vulgata congruit, qui quidem naturalis eſt magis, ac ſimplex.

℣. 22. Postulabit mulier a vicina sua.] Feſtivitatis cujuſdam prætextu, quam in honorem Dei ui celebraturæ in Arabiæ deſerta proficiſcebantur, ab accolis orootus, & ſupellectiles mutuatæ ſunt, ut concinnæ magis ad eam ſolemnitatem procederent. Samaritana verſio habet: *Vir poſtulabit a vicino ſuo, & mulier a vicina ſua.*

C Quæritur hic, utrum Deus præcipiat, an ſuadeat ſaltem mulieribus Iſraelitarum furtum, illis dicens, quod ab Ægyptiis aurea vaſa, atque argentea mutuentur, eo conſilio, ne deinceps unquam commodata reſtituant. Reſponderi poteſt Deum hac in re Hebræos diſpenſaſſe ab ea lege, quæ furtum prohibet; vel potius ipſum prout rerum omnium abſolutum dominum ad Hebræos transtuliſſe dominium, ac proprietatem bonorum, quæ prius ad Ægyptios ſpectabant. Addi poteſt cum Melchiore Cano. de locis Theolog. l. 2. c. 4. quod cum Ægyptii injuſte Iſraelitas aſperrimis laboribus obruiſſent, hi potuerunt ſibi ob tot pœnas pretium ſumere, & ſuis ipſis manibus laborum ſuorum fructum capere, retinentes, quod ad D Ægyptios attinebat; præſertim cum nulla alia ipſis præterea ſuppeteret ratio, qua paria ſibi fieri poſſe confiderent. Author libri Sapientiæ hanc rationem confirmat hæc dicens cap. 10. 17. *Reddidit Deus juſtis mercedem laborum ſuorum.* Author idem libri Sapientiæ, vel potius Spiritus Sanctus, qui ad loquendum eo utitur organo, aliam ſuggerit rationem, qua Hebræos excuſemus, cum ait, quod *juſti tulerunt ſpolia impiorum*. Præbet enim nobis bona hæc conſideranda, veluti aquiſitionem, & prædam de hoſtibus, atque de juſte indicto bello relatam. Ægyptii erant hoſtes Dei ac populi illius. Magiſter Sententiarum crimine exolvit Iſraelitas, qui hac in ſe ſimplici egerunt animo, ac fide recta. Sed quo ad illos, qui pravis ſuis cupiditatibus, ac ſtudiis ſe dereliquerunt, excuſari nequaquam poſſunt, multoque minus accuſari Deus, E quod eos ad malum impulerit; quia hac in occaſione Deus non imperabat Iſraelitis; permittebat ſolum, ut ipſi aſtu, ac dolo uterentur adverſus gentes, quæ in malitia, ac criminum ſuorum ſupplicium falli merebantur, omnibuſque ſuis bonis ſpoliari.

Ecce autem judicium, quod de facto hoc Patres tulerunt. S. Irenæus obſervat lib. 4. adverſ. Hæreſ. c. 49. „ Ægyptios populos fuiſſe debitores non ſolum rerum, ſed & vitæ ſuæ propter Patriarchæ „ Ioſeph præcedentem benignitatem. Nobis autem A „ ſecundum quid debitores ſunt Ethnici, a quibus, „ & lucra, & utilitates percipimus; quæcumque illi „ cum labore comparant his nos in fide cum ſimus „ ſine labore utimur. Adhuc populus peſſimam ſervitutem ſerviebat Ægyptiis, quemadmodum Scriptura ait. Et cum vi poteſtatem exercebant Ægyptii in filios Iſrael, & in odium eis adducebant „ vitam in operibus duris luto, & latere, & omnibus operibus quæ fiebant in campis per omnia opera, quibus eos deprimebant cum vi. Et ædificaverunt eis civitates munitas multum laborantes, „ & augentes eorum ſubſtantias annis multis, & „ per omnem modum ſervitutis, cum illi non ſolum ingrati eſſent adverſus eos, verum & univerſos eos perdere vellent. Quid igitur injuſte ge- B „ ſtum eſt, ſi ex multis pauca ſumpſerunt, & qui potuerunt multas ſubſtantias ſuas habere, ſi non ſerviſſent eis, & divites abire, pauciſſimam mercedem „ pro magna ſervitute accipientes inopes abierunt? „ Quemadmodum ſi quis liber abductus ab aliquo „ per vim, & ſerviens ei annis multis, & augens „ ſubſtantiam ejus, poſt inde aliquod adminiculum „ conſecutus, putetur quidem modica quædam ejus „ habere, revera autem ex multis laboribus ſuis, & „ ex acquiſitione magna pauca percipiens diſcedat, „ & ex hoc ab aliquo imputetur ei, quaſi non recte fecerit: ipſe magis injuſtus judex apparebit „ ei, qui per vim in ſervitium fuerit deductus. Ita Iudæi ex Ægypto ſecedere potuerunt, parva adeo ab Ægyptiis accipientes, in eorum comparatione, C quæ maxima illis debebantur.

Tertullianus non veretur Marcionitas ipſos, contra quos ſcribit, judices conſtituere de eo, quod judicandum eſt de hoc Hebræorum facinore adverſus Ægyptios. Marcionitæ ex loco hoc, aliiſque nonnullis arguebant, Authorem veteris teſtamenti malum fuiſſe Principem, quoniam malum præcipiebat. Ecce autem quæ Tertullianus Marcioni reſpondet l. 2. contra Marcionem c. 20. *Age infeliciſſime hæretice, te ipſum expoſtulo arbitrum; cognoſce in utramque gentem prius; & ita de authore præcepti judicabis. Repoſcunt Ægyptii de Hebræis vaſa aurea, & argentea; contra Hebræi mutuas petitiones inſtituunt, allegantes ſibi quoque eorumdem patrum nomine ex eodem ſcripturæ inſtrumento, mercedes reſtitui oportere illius operariæ ſervi-* D *tutis, pro laterinis ductis, pro civitatibus, & villis ædificatis. Quid judicabis optime Dei electe? Hebræos fraudem agnoſcere debere, an Ægyptios compenſationem? Nam & ajunt ita actum per Legatos utriaque, Ægyptiorum quidem repetentium vaſa, Judæorum vero repoſcentium operas ſuas, & tamen has juſtitia renunciaverunt ſibi Ægyptii.*

Videtur hoc in loco alludere Tertullianus veteri Judæorum Traditioni [3], qui credunt Ægyptios litem Hebræis intendiſſe coram Alexandro Magno; ſed cum hic Hebræorum poſtulata adverſus illos intellexiſſet, hos a petitionibus ſuis diſceſſiſſe. Tertullianus ſequitur contra Marcionem. *Hodie adverſus Marcionitas amplius allegant Hebræi urgentes compenſationi ſatis eſſe, quantumvis illud auri, atque argenti, ſi ſexcen-* E *torum millium opera per tot annos, vel ſingulis nummis æſtimarentur. Qua pars major repetentium vaſa, an incolentium villas, & urbes? Querela ergo major Ægyptiorum, an gratia Hebræorum? Ut ſolo injuriarum judicio Hebræi Ægyptios repercuterent, liberi homines in ergaſtulum ſubacti: ut ſolas ſcapulas ſuas ſcribæ eorum apud ſubſellia ſua oſtenderent flagellorum contumelioſa atrocitate laceratas: non paucis lancibus, & ſcyphis pauciorum utique divitum ubique, ſed totis & ipſorum facultatibus, & popularium omnium collationibus ſatisfaciendum Hebræis pronunciaſſet ...... Plane*

minus

2 לא יתן ... להלך ולא ביד חזקה

2 ודחילו דקימא

3 Vide Abraham Zaccuth. in Sopher. Jocchaſim, & Gemar. Babylon. ad titul. Sanhedrio, cap. 11. apud Seldenum de jure nat. & gent. l. 7. c. 8.

minus vulgi juſſit: Hebræis enim etiam filios Ægyptii A *reſtituere debuerant* &c.

S. Auguſtinus lib. 2. contra Fauſtum Manichæum cap. 71. contendit Moyſem Hebræis imperantem, ut ſpoliarent Ægyptios, uſque adeo non peccaſſe, ut imo Hebræi deliquiſſent non obtemperando. Deus enim juſſerat, qui utique non ſolum ſecundum facta, verumetiam ſecundum cor hominum, novit quid unuſquiſque, vel per quem perpeti debeat. Sed hic Sanctus ſe credere oſtendit deinde, hac in re culpa vacuos nequaquam fuiſſe Iudæos. *Carnalis itaque adhuc ille populus erat,* ait, *& rerum terrenarum cupiditate occupatus, Ægyptii vero ſacrilegi, & iniqui; nam & auro illo, hoc eſt Dei creatura male utentes ad creatoris injuriam, ſuis idolis ſerviebant, & homines peregrinos gratuito labore injuſte, ac vehementer afflixerant: Digni ergo erant & iſti, quibus talia juberentur, & illi qui talia paterentur; & forte ſecundum ſuas voluntates, & cogitationes Hebræi magis permiſſi ſunt facere iſta, quam juſſi.*

Theodoretus quæſt. 23. in Exod. probat nequaquam injuſtum fuiſſe, quod Iſraelitæ adverſus Ægyptios patrarunt. Deus remunerari voluit populum ſuum propter ærumnas illius, atque in Ægyptios animadvertere ob illorum ſævitiam, ac injuſtitiam, qua Pharaonis conſortes culpæ facti fuerant in perſecutione, qua in Hebræos deſævierant. S. Alcimus Epiſcopus Viennenſis eſt in eadem ſententia, atque ſpolia, quæ de Ægypto Iſraelitæ retulerunt, veluti laborum ipſorum mercedem intuetur:

Portantes aurum
Sic Pharaonis opes, quam tunc mercede ſoluta
Servitii longum credas laxaſſe laborem.

Joſephus l. 2. Antiq. c. 8. ait Ægyptios muneri dediſſe hæc omnia Judæis; alii quidem ut citius ægrederentur, alii vero propter vicinitatis eorum conſuetudinem. Verum hoc ex Scriptura non liquet.

S. Clemens Alexandrinus Strom. l. 1. paucis admodum verbis ea omnia collegit, quæ dici poterant pro Hebræorum juſtificatione. *Exeuntes Hebræi magna Ægyptiorum præda exportata receſſerunt: non propter avaritiam, ut dicunt accuſatores (neque enim Deus eis perſuaſit aliena concupiſcere) ſed primum quidem earum, quas omni tempore Ægyptiis præbuerunt, operarum, ac ſervitiorum neceſſariam* B *mercedem referentes: deinde etiam ſe quodammodo ulti ſunt Ægyptios ut avaros par pari referentes prædæ exportatione, ſicut illi Hebræis prius moleſtiam attulerant, redigendo eos in ſervitutem. Sive ergo ut in bello quis hoc factum eſſe dixerit; res hoſtium victoria jure auferre volebant, ut potentiores inferiorum: belli autem juſta erat cauſa. Supplices propter famem Hebræi venerunt ad Ægyptios: illi autem hoſpites redactos in ſervitutem, inſtar mancipiorum ſervire coegerunt, ne mercedem quidem eis ſolventes. Sive ut in pace: mercedem plenam ab invitis acceperunt, qui longo tempore non ſolvebant, ſed ipſos ea privabant.* Argumenta eadem leguntur apud Philonem l. 1. de vita Moyſis.

CAPUT IV.

Moyſes ſe excuſare pergit, ne mittatur in Ægyptum. Miracula, ut perſuadeatur; Ægyptum verſus proficiſcitur; Angelus minatur necem Eliezero filio Moyſis; Sephora illum ab hoc periculo liberat ipſum circumcidendo. Aaron occurrit Moyſi uſque ad Montem Sinai.

1. RESpondens Moyſes ait: Non credent mihi, neque audient vocem meam, ſed
dicent: non apparuit tibi Dominus. 2 Dixit ergo ad eum: Quid eſt, quod
tenes in manu tua? Reſpondit: Virga. 3 Dixitque Dominus: Projice eam
in terram. Projecit, & verſa eſt in colubrum, ita ut fugeret Moyſes. 4 Dixitque Dominus; Extende manum tuam, & apprehende caudam ejus. Extendit, & tenuit, verſaque eſt in virgam. 5 Ut credant, inquit, quod apparuerit tibi Dominus Deus patrum ſuorum, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob. 6 Dixitque Dominus rurſum: Mitte manum tuam in ſinum tuum. Quam cum miſiſſet in ſinum, protulit leproſam inſtar nivis. 7 Retrahe, ait, manum tuam in ſinum tuum. Retraxit, & protulit iterum, & erat ſimilis carnis reliquæ. 8 Si non crediderint, inquit, tibi, neque audierint ſermonem ſigni prioris, credent verbo ſigni ſequentis. 9 Quod ſi nec duobus quidem his ſignis crediderint, neque audierint vocem tuam: ſume aquam fluminis, & effunde eam ſuper aridam, & quidquid hauſeris de fluvio, vertetur in ſanguinem. 10
At Moyſes: Obſecro, Domine, non ſum eloquens ab heri, & nudiuſtertius: ex quo
locutus es ad ſervum tuum, impeditioris, & tardioris linguæ ſum. 11 Dixit Dominus
ad eum: Quis fecit os hominis? aut quis fabricatus eſt mutum & ſurdum, videntem,
& cæcum? nonne ego? 12 Perge igitur, & ego ero in ore tuo: doceboque te, quid
loquaris. 13 At ille: obſecro, inquit, Domine, mitte quem miſſurus es. 14 Iratus
Dominus in Moyſen, ait: Aaron frater tuus Levites, ſcio, quod eloquens ſit: ecce ipſe
egreditur in occurſum tuum, videnſque te lætabitur corde. 15 Loquere ad eum, & pone verba mea in ore ejus: & ego ero in ore tuo, & in ore illius, & oſtendam vobis,
quid agere debeatis. 16 Ipſe loquetur pro te ad populum, & erit os tuum: tu autem
eris in his, quæ ad Deum pertinent. 17 Virgam quoque hanc ſume in manu tua, in
qua facturus es ſigna. 18 Abiit Moyſes, & reverſus eſt ad Jethro ſocerum ſuum, dixitque ei: Vadam, & revertar ad fratres meos in Ægyptum, ut videam, ſi adhuc vivant. Cui ait Jethro: Vade in pace. 19 Dixit ergo Dominus ad Moyſen in Madian:

Vade, & revertere in Ægyptum: Mortui ſunt enim omnes, qui quærebant animam tu-
am. 20 Tulit ergo Moyſes uxorem ſuam, & filios ſuos, & impoſuit eos ſuper aſinum,
reverſuſque eſt in Ægyptum, portans virgam Dei in manu ſua. 21 Dixitque ei Dominus
revertenti in Ægyptum: Vide, ut omnia oſtenta, quæ poſui in manu tua, facias coram
Pharaone: ego indurabo cor ejus, & non dimittet populum: 22 Diceſque ad eum: Hæc
dicit Dominus: Filius meus primogenitus Iſrael. 23 Dixi tibi: Dimitte filium meum, ut
ſerviat mihi, & noluiſti dimittere eum: ecce ego interficiam filium tuum primogenitum.
24 Cumque eſſet in itinere, in diverſorio occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum.
25 Tulit illico Sephora acutiſſimam petram, & circumcidit præputium filii ſui, tetigitque
pedes ejus, & ait: Sponſus ſanguinum tu mihi es. 26 Et dimiſit eum, poſtquam dixerat:
Sponſus ſanguinum ob circumciſionem. 27 Dixit autem Dominus ad Aaron: vade in oc-
curſum Moyſi in deſertum. Qui perrexit obviam ei in montem Dei, & oſculatus eſt eum.
28 Narravitque Moyſes Aaron omnia verba Domini, quibus miſerat eum, & ſigna, quæ
mandaverat. 29 Veneruntque ſimul, & congregaverunt cunctos ſeniores filiorum Iſrael.
30 Locutuſque eſt Aaron omnia verba, quæ dixerat Dominus ad Moyſen, & fecit ſigna
coram populo. 31 Et credidit populus. Audieruntque, quod viſitaſſet Dominus filios
Iſrael, & quod reſpexiſſet afflictionem illorum, & proni adoraverunt.

℣. 1. NON CREDENT MIHI.] Sed ſi credere mihi nolunt? Vel; prævideo illos nullam habituros fidem verbis meis; quodnam prodigium patrare potero, ut eos evincam? Moyſes non ambigit de promiſſione, quam illi fecerat Deus ℣. 18. Cap. 3. interrogat ſolum quo pacto perſuadere poterit populum, & qua artu ſibi utendum ſit, eum liberaturo. Hic humilitatis ipſius effectus eſt, non autem diffidentiæ.

℣. 6. PROTULIT LEPROSAM INSTAR NIVIS.] Lepræ quædam eſt ſpecies, quæ alba a Medicis nuncupatur, & quæ cutem pallidam efficit, albam, atque ſcabram. Videri ea poſſunt, quæ de variis lepræ generibus a nobis dicta ſunt in Leviticum Cap. 13. & 14.

℣. 9. SUME AQUAM FLUMINIS.] Operatuſne eſt miraculum hoc ibidem? Ioſephus Antiq. l. 2. c. 12. aſſerit: Ait enim, Moyſem hauſiſſe aquam ibi propius, atque effudiſſe coram Domino: ſed Philo refert miraculum hoc in Ægypto tantum fuiſſe patratum ad aquas Nili, quod quidem probabilius eſt.

℣. 10. NON SUM ELOQUENS AB HERI ET NUDIUS TERTIUS &c.] Hæc verba ab heri, & nudius tertius uſurpantur fere pro brevi admodum temporis intervallo [1]; ſed aliquando etiam pro diuturniori tempore deſumuntur. Vide Daniel. 13. 15. & 1. Macchab. 9. 44. Exempli gratia, Moyſes ait capite 21. ℣. 29. hujus libri, quod ſi bos cornu percuſſerit ab multo tempore, *ab heri, & nudiuſtertius*, atque dominus certior factus fuerit; ſi deinde bos hic occiderit aliquem, lapidibus obruatur & dominus, & bos. Quod igitur hic ait Moyſes de ſua loquendi difficultate *ab heri, & nudius tertius* intelligi poteſt, veluti defectus naturalis, quem ab adoleſcentia habuerit, vel ſimpliciter de difficultate loquendi, quæ illi ſupervenit paucis diebus ante caſu aliquo, quem minime refert. Hebraicus textus [2]: *Obſecro Domine, ego non ſum eloquens: atque etiam ab heri, & nudiuſtertius, ex quo locutus es ad ſervum tuum, quia oris, & linguæ tardioris ſum*. Innuere videtur, naturalem linguæ ſuæ tarditatem percrebuiſſe ex quo ad illum Dominus locutus fuerat; vel, eloquentiam ſuam eloqui

A dediſcere, cum animum adverteret ad magnitudinem ſapientiæ Dei, atque ad munus, cui illum præficiebat [3]. Septuaginta: *Obſecro Domine, non ſum eloquens* [4], *neque ante, neque poſtquam locutus es ad ſervum tuum*; (ſcit Domine, quæ mihi ſit loquendi difficultas; neque tu locutus ad ſervum tuum hanc ipſi ademiſti;) *mihi vox imbecillis eſt, & lingua tardior* [5]. Rabbini quidam docent loquendi hanc difficultatem Moyſi contigiſſe ex eo, quod, cum tertium annum agens oblatus fuiſſet Ægyptio regi; atque haruſpices clamaſſent, pueri hujus vitam regioni fatalem futuram, in id conſilii abiere univerſi, ut ſpiritus illius periculum fieret, ipſi eodem tempore oblatis, & lapide pretioſo, & pruna; tunc vero ſi pretioſum lapidem elegiſſet, morti addiceretur; ſin
B autem maluiſſet prunam, vivere adhuc paterentur. Illico examen initum eſt. Moyſes infans manum porrigere unioni volebat, ſed angelus eam ad prunam deflexit, illamque ori admovit; ita ut torreretur lingua, qua re balbus impoſterum toto vitæ ſpatio eſſe perſeveravit. Inania commenta.

Animadvertere poſſumus in Ezechiele 3. 5. 6. hanc loquendi rationem, *lingua profunda, vel tardior*, (utrumque enim eadem Hebraica voce explicatur) ſignificare linguam ignotam, atque difficilem, quæ intelligatur. *Non enim ad populum profundi ſermonis, & ignotæ linguæ tu mitteris* (huic prophetæ Deus inquit) *ſed ad domum Iſrael* &c. Igitur quod hic Moyſes ait ita intelligi poterit: Obſecro Domine, me ab hoc opere exolve; neque enim ita loquor, ut fa-
C cile intelligar ab Ægyptiis, atque Iſraelitis: Oblitus ſum ſermonis Ægyptii, & Hebraici in Regione Madian [6], non calleo amplius, ut antea, duas haſce Linguas. Quadraginta fluxerant anni, ex quo de Ægypto deceſſerat.

℣. 13. MITTE QUEM MISSURUS ES.] Veteres Patres credidere Moyſem hic poſtulare Meſſiæ adventum, qui Miſſi nomine ſæpius adeo in Scripturis deſignatur. Quidam Rabbini [7] credunt petere a Deo, ut aliquem ipſi tribuat adjutorem; exempli gratia, Joſue. Lyranus, & Toſtatus hic Aaronem fratrem ipſius deſignari arbitrantur. Onkelos: Mitte Domine,

1 Geneſ. 31. 2. 5. & Deuter. 19. 4. &c.
2 בי אדני לא איש דברים אנכי גם מתמול גם משלשם גם מאז דברך אל עבדך כי כבד פה וכבד לשון אנכי Aq. Οὐκ ἀνὴρ ῥημάτων.
3 Gregor. Homil. 8. in Ezech. Origen. homil. 3. in Exod.
4 Εὔλογος. Sym. Εὔλαλος. Editio Romana Ἱκανός. Sym. Theod. Μογιλάλος. *Difficulter loquens*.
5 Ἰσχνόφωνος καὶ βραδύγλωσσος ἐγώ εἰμι.
6 Hugo, Victor. Barrad.
7 Rabb. Salom.

ne, per manum illius, qui dignus eſt, qui mittatur. Septuaginta [1]: *Mitte alium, qui ad hoc munus ſit idoneus*. Hebraicus textus [2] ad litteram: *Mitte, quæſo, per manum (illum, quem) mittes*; Mitte illum, cui tuam potentiam ad id munus debes tribuere. Manus denotat potentiam, authoritatem. Vel: Mitte per miniſterium illius, quem mittes. Manus poteſt ſignificare miniſterium. Hebraicus textus in hunc quoque ſenſum poſſet transferri: *Obſecro, Domine, vis mittere me cum hac authoritate?* Poſſibilene eſſet, te velle mihi demandare munus tanti momenti? *Quæſo, Domine, mittens in manu mittes?* vel: *Mittens mittes me cum tanta poteſtate?* vel: *ad tantum opus?*

Nonnulli [3] arbitrantur Moyſem peccaſſe ita Divinis obſiſtentem imperiis; idque innuere velle videtur Scriptura, cum ait, Deum illi ſuccenſuiſſe: ſed Patres Baſilius in Iſa. 6. S. Gregorius l. 35. Moral. c. 2. S. Hieronymus ad Damaſ. Moyſis modeſtiam excuſant, laudantque prudentiam; & cum Scriptura ait, Deum in illum exarſiſſe ℣. 14. credendum eſſe, ipſam humano modo loqui, non ſecus ac cum pater utitur authoritate ſua, ut filii evincat modeſtiam atque repugnantiam ad id ſuſcipiendum, quod præter vires ſuas arbitretur.

℣. 16. Ipse erit os tuum.] Tu loqueris ore illius, ille interpres erit tuarum cogitationum. Ita quoque Deus dixit Ieremiæ 15. 19. *Os meum eris*. Hebraica verba magis exprimunt: Aaron erit tibi pro ore: & tu eris illi pro Deo. Capite 7. ℣. 1. idem exprimit dicens: Ego conſtitui te Deum Pharaonis, & Aaron erit propheta tuus; tu habebis in ipſum authoritatem; ille tua excipiet mandata, tuique animi ſenſa explicabit; Tu loqueris ad illum nomine meo; ipſe te audiet, veluti ſi Deus ipſe loqueretur ad ipſum; nihil aliud dicet quam quod imperabis, ut dicat; ipſe tuus erit interpres [4], & tu Magiſter oris illius, Doctor, vel Dominus. Tu habebis in ipſum vitæ jus, ac mortis, ait Grotius. Vox *Elohim* ſupremam ſignificat authoritatem.

℣. 17. Virgam quoque hanc sume in manu tua.] Moyſes, quippe qui Paſtor erat, manu ſemper baculum deferebat. Poetæ Circem cum virga exhibent, ut magicas ſuas operationes exequatur. Mercurius virgam ſemper geſtat, qua utitur ad animas ex inferis evocandas; Æneid. IV.

Tum virgam capit: hac animas ille evocat Orco.

Bacchus cum ſuo thyrſo repræſentatur. Hiſtoria Moyſis involuta fuit Ethnicorum horum numinum duorum fabulis. Dæmon ſecundum ipſos eſt ſignum veri Dei. Ingens dementia!

℣. 18. Vade in pace.] Septuaginta addunt hæc verba: *Poſt omne id tempus Ægypti Rex occubuerat*. Quod ipſum apud Philonem legitur, & Ioſephum. Cum Rex Ægypti, quo regnante Moyſes alio confugere debuerat, obiiſſet, Moyſes in Ægyptum reverſus eſt.

℣. 20. Imposuit eos super asinum.] Impoſuit Sephoram, & Eliezerum. Septuaginta; *Ἐπὶ τὰ ὑποζύγια*; impoſuit eos ſuper aſinos. Eliezer adhuc puer erat dubio procul, quoniam nondum fuerat circumciſus; quod de Gerſom minime obſervatur. Hebraicus textus ſuperius c. 2. 22. de Gerſom nativitate tantum locutus eſt; de Eliezer autem ne verbum quidem.

Virgam Dei.] Baculum, qui eſſe debebat inſtrumentum miraculorum, quæ Moyſes Deo imperante facturus erat: Virgam, quam tradiderat illi Deus, ut ſecum geſtaret.

℣. 21. Indurabo cor Pharaonis.] Ego ſinam ipſum obdurari, ego ipſum ſibi derelinquam, ſuæque deſeram corruptioni. Deus numquam obdurat aliquem actu directo, & poſitivo, quoniam mali author eſſe nequit, neque peccati; ſed juſtitiæ ſuæ effectu permittit peccatorem obdurari. D. Auguſtinus Ep. 194. ad Sixtum: *non impartiendo malitiam, ſed non impartiendo miſericordiam*. Denegat aliquando peccatori gratiam, quam ille neglexerit, atque reſpuerit, cum ipſi prius obtuliſſet. Si obduratur Pharao, uni illi vitio verti poteſt; eo quod Divinis inſpirationibus præcluſerit cor ſuum, tenebras ſuas dilexerit, & lucem oderit, atque maledictionem benedictioni prætulerit [5]: *Non operatur Deus in homine ipſam duritiam cordis; ſed indurare eum dicitur, quem mollire noluerit, ſic etiam excæcare, quem illuminare noluerit, & repellere eum, quem noluerit vocare*. Scriptura aliquando ait Deum facere, quod ſimpliciter permittit, vel non impedit. Geneſ. 24. 27. Exod. 1. 18. Deut. 20. 16. Job. 2. 3. & 9. 25. & 1. Reg. 27. 11. &c.

Origenes Philocal. c. 21. ac poſt illum Græci Patres Theodoretus in Rom. 9. 17. & Baſilius Scholion in Rom. 9. 18. explicant duritiam Pharaonis dicentes, Deum indulgentia ſua obdurandi occaſionem tribuiſſe; quemadmodum Herus inobedienti ſervo, & pervicaci ait: Ego te corrupi; ego te nimia indulgentia mea te inſolentem effeci. Verum S. Auguſtinus qu. 18. in Exod. ita intelligit: Deus indurat Pharaonem permittens providentia ſua multa, quæ impedire potuiſſet; exempli gratia, fallacia Ægyptiorum Magorum miracula, & plerarumque plagarum, quibus illum percuſſit, brevitatem. Hæc omnia totidem fuerunt cauſæ calamitatis, atque duritiæ hujus Principis.

℣. 22. Filius meus primogenitus Israel.] Omnes populi mei ſunt. Ego ſum Creator illorum, & Parens; verum Iſrael eſt meus primogenitus; ipſe eſt hæres promiſſionum mearum, atque objectum meæ voluptatis.

℣. 23. Filium meum.] Septuaginta: *Populum meum*.

℣. 24. Occurrit ei Dominus.] Septuaginta: *Angelus Domini*; Angelus idem, quem in ardenti rubo conſpexerat, vel angelus Iſraelitarum inimicus, ut ait Origenes lib. 5. contra Celſum, cui nulla eſſet poteſtas, niſi in eos, qui non eſſent circumciſi. *Volebat occidere eum*. Alii, quos inter Vatablus, pronomen *eum* referunt ad Moyſem. Angelus eum interficere volebat, vel propter diffidentiam, quam oſtenderat de potentia Dei, vel propterea quod nimis filii ſui circumciſionem diſtulerat. Alii [6] referunt ad Eliezerum filium Moyſis. Aſſerunt autem, angelum eum occidere voluiſſe, quia nondum circumciſus fuerat. Sanctus Auguſtinus quæſtionem hanc inter problematicas ſtatuit quæſt. 11. in Exod. atque cenſet locum hunc æque explicari poſſe de Moyſe, ac de Eliezero. Neuter aperte notatur in verſiculis præcedentibus, & quæ ſequuntur, non de alterutro potius intelligendum eſſe, declarant. Mihi tamen veriſimilius videtur intelligendum eſſe de Eliezero; quia in verſiculo præcedenti exprimuntur verba *filius, & filius primogenitus*; Moyſes autem judicavit non neceſſe eſſe hic eadem repetere. Narrationis decurſus huic favet explicationi. Sephora feſtinat circumcidere Eliezerum, ſimul ac angelum videt, quia plane Eliezero uni periculum imminebat. Judæi (Vide Zohar. & Iarchi ad Exod. 4.) narrant hunc fuiſſe Angelum Gabrielem, qui prodigioſi ſerpentis ſpecie apparuit, & qui deglutivit Moyſem uſque ad corporis medietatem; quod Sephora intuita properavit filium ſuum circumcidere.

℣. 25. Tulit illico Sephora acutissimam petram, et circumcidit præputium filii sui.] Sephora credidit filii ſui vitam ab angelo exquiri, ſolummodo quod non erat circumciſus. Accepit igitur, quod præ manibus illi erat, ut eum circumcideret.

1 Προχείρισαι δυνάμενον ἄλλον, ὃν ἀποστελεῖς.
2 שלח נא ביד תשלח
3 Rabb. Salom. Abulenſ. Cajetan. 4 Chald. uterque.
5 Author operis de Præd. & Gratia c. 4. in appendice t. 10. Oper. D. Aug. Vide Auguſt. de Gratia, & libero arbitrio c. 20. 21. 22. 23. & Greg. Magn. l. 29. Moral. c. 30.
6 Tertull. l. contra Iudæos c. 3. & Rabbini quidam, & Arab.

eideret. Uſa igitur eſt acutiſſimo lapide [1], qualis eſſet marmorea aſſula, ſilix, aut alia quæpiam ex illarum genere, quæ tormentis bellicis aptantur, atque Eliezerum circumcidit. Lapidum horum ad cædendum idoneorum uſus communis erat in Ægypto, ubi illi, qui corpora opobalſamo illiniebant, ad cadaverum latus aperiendum, quæ exenteranda erant, utebantur, ut docet Herodotus l. 2. cap. 86. & in Æthiopia acutis his lapidibus ſagittæ præfigebantur eodem teſte l. 7. cap. 69. Catullus carmine de Berecint. & Athy loquens de Athy, qui ſe ſpadonem effecerat, ait: *Devolvit acuta ſibi pondera ſilice*. Et Plinius l. 35. 12. poſt Cælium teſtatur, Sacerdotes matris Deum non aliter conſueviſſe: *Samia teſta matris Deum Sacerdotes, qui Galli vocabantur, virilitatem amputabant, nec aliter citra perniciem*. Ovidius eamdem rem docet Faſt. 5.

Sæpe Palæſtinas juras adeſſe Deas.
Ille etiam ſaxo corpus laniavit acuto,
Sic pereant partes, quæ nocuere mihi.

Vide quæ dicemus in caput quintum Joſue, ubi etiam horum lapidum uſus perſpicitur ad circumciſionem. Nihil decrevit Lex de inſtrumento, quo uti deceat ad circumcidendum. Hodie Judæi Orientales ſiliceis tantum cultris; Occidentales vero communibus cultris, vel novaculis circumcidunt. Illi credunt, Sephoram ad Moyſis imperium filium ſuum circumcidiſſe: ſed hoc ex Scriptura non liquet: videtur e contra hoc motu proprio Sephora peregiſſe, atque admodum feſtinanter. Addunt etiam Moyſem gravi ægritudine fuiſſe correptum: ſed nulla prorſus ratione confirmant.

TETIGITQUE PEDES EJUS, ET AIT: SPONSUS SANGUINUM TU MIHI ES [2].] Chaldæus locum hunc, & eos, qui præceſſerunt, ita explicat: Accepit Sephora acutum lapidem, & præputium filii ſui circumcidit, atque obtulit ante eum (ante Angelum) & dixit: Detur mihi ſponſus meus (vita illi ſervetur) per hujus circumciſionis ſanguinem; & poſtquam illum dimiſit, ipſa ait: Sine hujus circumciſionis ſanguine ſponſus meus damnatus erat morte. Hebraicus textus explicari poteſt in hunc ſenſum: Cum Sephora jeciſſet præputium Eliezeri ad pedes Moyſis, ipſa illi quadam exprobrationis ſpecie, ait: Tu mihi es ſponſus ſanguinum; tu cogis me, ut te ſervem, ad filii mei ſanguinem effundendum; en quanti mihi ſtat Hebræo viro nupſiſſe; ego eum redemi pretio ſanguinis filii mei. Alii in hunc ſenſum explicant: Cum Sephora filium ſuum circumcidiſſet, proſtravit ſe ad pedes Moyſis, eumque obteſtata eſt, ut ſibi liceret regredi ad patrem ſuum cum duobus filiis ſuis, verita ne quid pejus ſibi accideret in via. Vel aliter: Sephora exiſtimans, angelum nolle eripere vitam Eliezero filio ſuo, niſi quod nondum fuerat circumciſus, accepit illico acutum lapidem, atque ipſa eum circumcidit, atque Moyſis genua amplexata, illi ait: Sponſus ſanguinum mihi es: non obliviſcaris onquam conjugii, ac fœderis noſtri, quod ſanguine filii mei ſancitum eſt.

Septuaginta [3] bifariam explicari poſſunt. Primo, Sephora, cum filium ſuum circumcidiſset, procubuit ad pedes angeli, atque ait illi: Sanguis circumciſionis filii mei ceſſavit; & angelus dimiſit eum, ſimul ac illa huic dixit, quod filii ſui ſanguis ceſſaverat. Secundo, intelligi quoque poſſunt hoc alio modo. Illa proſtravit ſe ad pedes Moyſis, &

A inquit illi: Sanguis circumciſionis filii mei ceſſavit: atque ipſa, ut hæc dixerat, Moyſem dimiſit: perinde ac ſi innuere vellent, eum Moyſes ibi ſubſiſtere coactus fuerit, donec curatum fuiſset vulnus filii ſui, ſimulac filius convaluit, Sephoram ſe ad Moyſis abjeciſſe pedes illum exoraturam, ut ſibi liceret reverti, quandoquidem Eliezer omne periculum evaſerat. Poſtremus hic ſenſus magis litteralis videtur, atque ea Symmachi, ac Theodotionis ſententia videtur.

Joſephus, & Philo omnem hanc de angeli occurſu prætermiſerunt hiſtoriam; qua re adducor, ut credam, ipſos non ſatis intellexiſſe, quid ſibi vellent Septuaginta: re quidem vera Verſio illorum eſt obſcurior. Bonfrerius credit hunc ſenſum illi tribui
B poſſe: *Stetit ſanguis*; videlicet; Ego filii mei ſanguine redemi conjugis mei mortem. Sed hæc explicatio non ſatis naturalis videtur, uti illa quoque, quam refert Sanchez in Iſaiam 6. *Tetigit pedes, id eſt, verenda (filii ſui.)* Sephora filium ſuum circumcidit. Pedes in Scripturis genitalia quandoque ſignificant (Iſai. 7. 20. & 36. 12.) Hebræi nonnulli credunt hæc verba: *Sponſus ſanguinum es mihi* ad Eliezerum referri, ad quem ita loquitur Sephora poſt circumciſionem: quare factum eſt, ut matres hebrææ ſponſi nomen filiis ſuis tribuant poſt illorum circumciſionem.

Porro en tibi alia in locum hunc conjectura. Alludere mihi videtur Sephora ad quoſdam ritus in connubiis uſurpatos. Poteſt illa aſſerere, ſponſum
C ſuum redemiſſe pretio ſanguinis filii ſui: vel Moyſem fuiſſe reſpectu ipſius ſponſum ſanguinis, quia Religio illius eum cogebat ad effundendum ſanguinem filii ſui, cruento ritu, ac triſti. Liquet in Scripturis, hominem ſanguinis eſſe hominem ſanguinis effuſorem, ac homicidam, aut eum, qui mortis mereretur affici ſupplicio. Apud veteres Arabes, teſte Herodoto lib. 3. cap. 8. quædam invaluerat conſuetudo, quæ lucem aliquam afferre poteſt iis, quæ hic Sephora inquit. Cum duo viri fœdus ſimul inire volebant, eligebant teſtem, vel mediatorem, qui illis ſanguinem eliciebat, ipſorum manus acutiſſimo lapide percutiens. Sumebat deinde lanæ floccos e veſtibus illorum, qui fœdus inibant, eoſque illorum ſanguine imbuebat; deinde hoc ſanguine aſper-
D gebat ſeptem lapides, qui eſſent inter eos poſiti. Ita fœdus confirmabatur. Sephora potuit dicere Moyſi, ſanguinem Eliezeri confirmaturum eſſe in omne tempus ipſorum amicitiam, & ſocietatem. Elamitæ in ſuis conjugiis dicuntur ſibi invicem ſanguinem elicere ex eo digito, qui cordi reſpondet; hoc eſt ipſorum unionis ſignum.

℣. 26. ET DIMISIT EUM.] Utrum Moyſem, an Eliezerum angelus dimiſerit, latet: hebraicus textus [4] nullum aditum præbet, quo ab hac difficultate noſmet exolvere poſſimus. Hebræi contendunt, Moyſem ab angelo fuiſſe dimiſſum, atque ab eo morbo, quo correptus fuerat, convaluiſſe. Textus Samaritanus [5], & quædam exemplaria Septuaginta [6] referunt, quod (angelus, vel Moyſes) dimiſit Se-
E phoram, *& receſſit ab ea*; atque poſtea ipſa dixit: Sponſus ſanguinum mihi es. Aliqui explicant de Moyſe, qui receſſit a Sephora poſt hunc eventum periculoſum: verum Chaldaica lectio, & pleraque exemplarium Septuaginta intelligunt de angelo, qui dimiſit Eliezerum, vel Moyſem, & qui a minis deſtitit. Hebraicum verbum *receſſit*, eſt in maſculino genere

1 Hebraicus textus habet tantum petram, צור, vel, ut aliis placet, acutiſſimum cultrum. Jun. & Trem. Ainſ. Piſc.
2 ותגע לרגליו.
3 Περιέτεμε τὴν ἀκροβυστίαν τοῦ υἱοῦ αὐτῆς, καὶ προσέπεσε πρὸς τοὺς πόδας αὐτοῦ, καὶ εἶπεν· ἔστη τὸ αἷμα τῆς περιτομῆς τοῦ παιδίου μου. Καὶ ἀπῆλθεν ἀπ' αὐτοῦ διότι εἶπεν ἔστη τὸ αἷμα τῆς περιτομῆς τοῦ παιδίου μου. *Angelus eum dimiſit: dimiſit Moyſem, vel Eliezerum: illi mortem intendere deſtitit.*
4 וירף ממנו אז אמרה.
5 ממנה.
6 Ἀπ' αὐτῆς; alii plures, ἀπ' αὐτοῦ.

genere (וירף ממנו או אמרה ,) & proprie ſignificat cedere , quieſcere , ceſſare ; non autem remittere , vel linquere .

℣. 27. PERREXIT OBVIAM EI AD MONTEM DEI .] Aaron a Deo admonitus venit uſque ad montem Horeb ; atque illuc eodem pervenit tempore , quo Moyſes . Ibi ſimul nova acceperunt a Domino mandata . Sephora a Moyſe ſeceſſerat , antequam Aaron perveniſſet .

A

℣. 29. SENIORES .] Vide cap. 3. verſ. 16.

℣. 30. FECIT SIGNA CORAM POPULO .] Populo prodidit ſuæ miſſionis argumenta , virgam in anguem immutans , manumque ſuam lepra fluentem oſtendens , atque Nili aquam in ſanguinem convertens : quia Deus illi præceperat , ut hæc tria patraret miracula , ut populum perſuaderet . Vide ſuperius ℣. 4. 6. 9 Septuaginta : Ῥήματα , *Fetis verba* ; alius : Σημεῖα *Signa* , coram populo .

CAPUT V.

Moyſes , & Aaron adeunt Pharaonem , atque illi Dei mandata exponunt . Rex majoribus laboribus Iſraelitas opprimit . Iſraelitarum queſtus in Moyſem , atque Aaron .

℣. 1. POſt hæc ingreſſi ſunt Moyſes, & Aaron, & dixerunt Pharaoni : Hæc dicit Do-
minus Deus Iſrael : Dimitte populum meum , ut ſacrificet mihi in deſerto .
2 At ille reſpondit : Quis eſt Dominus, ut audiam vocem ejus , & dimittam
Iſrael ? neſcio Dominum, & Iſrael non dimittam. 3 Dixeruntque : Deus Hebræorum
vocavit nos , ut eamus viam trium dierum in ſolitudinem, & ſacrificemus Domino Deo
noſtro : ne forte accidat nobis peſtis, aut gladius. 4 Ait ad eos rex Ægypti : Quare
Moyſes, & Aaron ſolicitatis populum ab operibus ſuis ? ite ad onera veſtra. 5 Dixit-
que Pharao : Multus eſt populus terræ ; videtis, quod turba ſuccreverit : quanto ma-
gis ſi dederitis eis requiem ab operibus ? 6 Præcepit ergo in die illo præfectis ope-
rum, & exactoribus populi, dicens : 7 Nequaquam ultra dabitis paleas populo ad con-
ficiendos lateres, ſicut prius : ſed ipſi vadant, & colligant ſtipulas. 8 Et menſuram
laterum, quam prius faciebant, imponetis ſuper eos, nec minuetis quidquam : vacant
enim, & idcirco vociferantur, dicentes : Eamus, & ſacrificemus Deo noſtro. 9 Op-
primantur operibus, & expleant ea : ut non acquieſcant verbis mendacibus. 10 Igi-
tur egreſſi præfecti operum, & exactores, ad populum dixerunt : Sic dicit Pharao :
Non do vobis paleas : 11 Ite, & colligite ſicubi invenire poteritis, nec minuetur
quidquam de opere veſtro. 12 Diſperſuſque eſt populus per omnem terram Ægypti ad
colligendas paleas. 13 Præfecti quoque operum inſtabant, dicentes : Complete opus
veſtrum quotidie, ut prius facere ſolebatis, quando dabantur vobis paleæ. 14 Flagel-
latique ſunt, qui præerant operibus filiorum Iſrael, ab exactoribus Pharaonis, dicenti-
bus : Quare non impletis menſuram laterum ſicut prius, nec heri, nec hodie ? 15 Ve-
neruntque præpoſiti filiorum Iſrael, & vociferati ſunt ad Pharaonem, dicentes : Cur ita
agis contra ſervos tuos ? 16 Paleæ non dantur nobis, & lateres ſimiliter imperantur :
en famuli tui flagellis cædimur, & injuſte agitur contra populum tuum. 17 Qui ait :
Vacatis otio, & idcirco dicitis : Eamus, & ſacrificemus Domino. 18 Ite ergo, & o-
peramini : paleæ non dabuntur vobis, & reddetis conſuetum numerum laterum. 19
Videbantque ſe præpoſiti filiorum Iſrael in malo, eo quod diceretur eis : Non minuetur
quidquam de lateribus per ſingulos dies. 20 Occurreruntque Moyſi, & Aaron, qui
ſtabant ex adverſo, egredientibus a Pharaone. 21 Et dixerunt ad eos : Videat Domi-
nus, & judicet, quoniam fœtere feciſtis odorem noſtrum coram Pharaone, & ſervis e-
jus, & præbuiſtis ei gladium, ut occideret nos. 22 Reverſuſque eſt Moyſes ad Do-
minum, & ait : Domine, cur affixiſti populum iſtum ? quare miſiſti me ? 23 Ex eo
enim, quo ingreſſus ſum ad Pharaonem, ut loquerer in nomine tuo, affixit populum
tuum, & non liberaſti eos.

℣. 1. POST HÆC INGRESSI SUNT MOYSES , ET AARON .] Rex , quo imperante Iſraelitæ ex Ægypto deceſſerunt , vocatur *Ancoſe* , vel *Amaſe* ab Appione Poſſidonii filio inter Grammaticos diligentiſſimo ; atque a Ptolomæo Mendeſio Ægyptio [1] Hiſtorico . Euſebius in Chronicis eum *Chenchrem* appellat , & Uſſerius *Amenophim* . Interpretes quidam credunt , ſeniores populi ingreſſos fuiſſe cum Moyſe , & Aarone ad Regem , quia Pharao illis reſpondens ℣. 4. ait : *Ite ad onera*

B

[1] Apud Euſeb. Præpar. L. 10. c. 3.

ſtia veſtra. Quod naturaliter de Moyſe nequit in- A telligi, qui quadraginta ante hoc tempus annos ab Ægypto abfuerat. Verum nonne dici poteſt, Pharaonem neſcium, quod abfuiſſet Moyſes, locutum fuiſſe cum illo, veluti cum alio quopiam ex numero Hebræorum? Profecto narrationis decurſus inſinuat, Moyſem, ac Aaron ſolos fuiſſe tunc cum primum Regem adierunt.

Ut ſacrificet.] Septuaginta, Onkelos, Syriaca verſio, & Arabica: ut abeant una feſtivitate ſacrificaturi. Textus vocabulum [1] aliquid amplius innuit, quam merè ſacrificare; denotat totius populi conventum, ſolemnitatem, ſacrificia, & omnia ea, quæ in inſigni feſtivitate ſolent uſuvenire.

℣. 3. Deus Hebræorum vocavit nos.] Verti poteſt [2]: Deus Hebræorum occurrit nobis, nobis B apparuit: vel potius: *invocatus fuit ſuper nos*; nos profitemur eſſe populum illius; ille vult nos populum ſuum agnoſcere. Vide caput 3. ℣. 18.

Ne forte accidat nobis peſtis, aut gladius.] Ut hæc mala effugiamus, pergere cupimus oblatum ſacrificia Deo noſtro. Timemus in has calamitates labi, niſi præſto fuerimus mandatis illius. Illi veram diſſimulant rationem ſui diſceſſus. Rabbini nonnulli volunt, Moyſem urbanitatis ergo noluiſſe dicere Regi in ipſum prolapſura eſſe tot infortunia, niſi Hebræis egredi permiſiſſet. Hebraicus textus [3] ad litteram vertitur: *ne forte nos percutiat peſte, vel gladio*. Septuaginta: *morte, vel gladio*.

℣. 5. Multus eſt populus terræ; videtis, C quod turba ſuccreverit &c.] Ecce totius hujus verſiculi ſenſus ad litteram ex hebraico [4] tranſlatus: *Pharao (etiam) ait: populus regionis nunc in magno eſt numero, & vos efficitis, ut dimittant labores*. Septuaginta: *Populus terræ multiplicatus eſt; ne igitur ſubſtraamus illi requiem ab operibus illius*. Samaritana lectio [5] optimum ſenſum efficit. Hebræi in majori ſunt numero, quam regionis incolæ: & vos efficitis, ut opera ſua derelinquant.

℣. 6. Præcepit præfectis operum, & exactoribus populi dicens.] Septuaginta priorem Hebraici textus vocem [6] vertunt Miniſtros properandis operibus præfectos; ſecundam vero, *Soterim* [7] Scribas, vel miniſtros, qui tabulas tenent, ac nomenclaturas. Bertramus de Rep. Iudaic. c. 5. credit, *Soterim* fuiſ- D ſe Sapientiores e Seniorum cœtu judices, qui curabant, ut quiſque Sententias exequeretur, & qui magnæ authoritatis erant apud Hebræos in Ægypto. Ex hoc univerſo capite liquet, quoſdam fuiſſe Regis miniſtros præpoſitos artificibus, qui operibus publicis adlaborabant; atque Regis miniſtris præſto fuiſſe præfectos aliquot ex Hebræorum numero, qui ſtatæ fratrum ſuorum multitudini imperitabant. De primis hiſce Miniſtris hic ſermo eſt; de aliis vero verſiculo 14.

℣. 7. Nequaquam ultra dabitis paleas populo ad conficiendos lateres ſicut prius.] Hæ paleæ, quas Rex vetat, ne amplius Iſraelitis dentur, vel fornacibus ad lateres excoquendos calefaciendis inſerviebant, ut arbitratur D. Bernardus Ser. E Brev. 34. vel potius immiſcebantur cum lateribus, vel cum terra ſubacta, ut illi major firmitas accederet. Hi lateres paſſim in Oriente ad ſolis radios exſiccabantur; atque extant adhuc ædificia e lateribus conſtructa, qui ad fornacem nequaquam fuerunt excocti. Lateres, & maltha ex terra fiunt ſubacta pedibus, atque minutiſſimis paleis immixta. Vide Ezechielem c. 13. 11. 14. 15. c. 22. 18. & Chardinum in Perſidis itinere t. 2. p. 76.

℣. 9. Opprimantur operibus.] En Hebraici textus ſenſus ad litteram, uti quoque Chaldaicæ lectionis, & Septuaginta. *Augeantur labores horum virorum, atque illi occupentur; neque ſermonibus mendacii innitantur*. Vel, ne detineantur ſermonibus inanibus, atque inutilibus.

℣. 12. Ad colligendas paleas.] Hebraico לקשש קש לתבן *Ad colligendas minutas paleas (in agris derelictas) loco palearum (quæ ipſis antea ſuggerebantur.)* Septuaginta [8]: *abierunt quæſitum ſtipulas (quæ poſt meſſem relinquuntur) ut iis palearum loco uterentur*. Abierunt ad colligendum quod cribrantes abjecerant, minutaſque paleas, quas niger ... aerant, atque hac illac venti abripuerant. Hebraica vox *Kaſch* ſignificat paleam, quæ vento corripitur, dum cribratur. In iis regionibus paleæ integræ nequaquam aſſervantur, neque triticum una cum paleis in horrea congeritur; verum in agris teritur, trituratur, cribraturque.

℣. 14. Flagellatique ſunt, qui præerant operibus filiorum Iſrael:] Hebraicus textus clarius id explicat. Præfecti Hebræorum ſuper fratres ſuos conſtituti, a Regiis miniſtris male fuerunt accepti. Textus ויכו ſimpliciter ait, percuſſos fuiſſe: Sed verbera, aut virgarum, vel baculorum ictus ſub pedum plantis eſt pœna communis, quæ in Oriente uſurpatur, ad eos plectendos, qui ſceleribus ſuis nondum mortem ſunt meriti.

A Exactoribus Pharaonis.] Miniſtri a Rege præfecti laboribus Iſraelitarum (נגשי פרעה) exigebant ab illis ſtatam laterum copiam; atque ex Hebræis præfectis exquirebant, quidquid ſtatuto numero deeſſet.

℣. 16. Flagellis cædimur.] Hebræus [9] legis ſimpliciter *Cædimur*. Sed Septuaginta, Aquila, & Theodotion exprimunt flagella.

Injuſte agitur contra populum tuum.] Hebræus textus ad litteram חטאת עמך *Erit peccatum populi tui*, vel populus tuus peccat. Hæc eſt Hebraica locutio, ut ſignificetur; Accuſatur, quod muneri ſuo deſit; populus tuus mulctatur, perinde ac eſſet noxius. Injuſte agitur in ſervos tuos, & populus tuus peccat (ob hanc injuſtitiam.) Urbanitatis ergo dicere nolunt: Tu hanc injuſtitiam facis, illam in miniſtris ſuis approbans. *Grotius*.

℣. 19. Videruntque ſe in malo.] Verti poteſt Hebraicus textus: *Videbantque ſe male acceptos*; vel *illi pravis oculis eos intuebantur*. Prior ſenſus præſtat.

℣. 20. Occurrerunt Moysi, & Aaron, qui ſtabant ex adverſo egredientibus a Pharaone.] Quædam exemplaria habent *Egridientes* [10], pro *egredientibus*; verum ſenſus idem eſt. Hebraicus textus ad litteram ait: Iſraelitæ, qui præfecti fuerant fratribus ſuis, venerunt, ut ibi locum caperent, qua Moyſes, & Aaron erant tranſituri, cum a Pharaone egrederentur. Non ſatis patet ex litterali ſenſu, utrum Moyſes, & Aaron, an Præfecti eſſent egreſſuri. Ex Textu videtur aliquis fuiſſe locus, quo ſere conveniebant, qui a Regis colloquio diſcederent.

℣. 21. Fœtere fecistis.] Vos nos inviſos reddidiſtis Regi, ac populo illius; illo nos odit, & abominatur. Vide locutionem ſimilem Geneſ. 34. 30. ubi Iacob ait Filiis ſuis: *Odioſum me feciſtis Chananæis*; Hebraice, *Fœtere me feciſtis Chananæis*; & lib. 1. Regum

1 ויחגו לי 70. Προσκέκληται ἡμᾶς. *Alias* Ἐπικέκληται ἡμῖν.
2 נקרא עלינו
3 ברבר ובחרב. 70. Θάνατος ἢ φόνος.
4 רבים עתה עם הארץ
5 רבים מעם הארץ
6 נגשים 70. Ἐργοδιώκται. *Aqu.* Τοῖς εἰσπράκτοις. Exactores.
7 שטרים Γραμματεῦσι.
8 Συναγαγεῖν καλάμην εἰς ἄχυρα.
9 רבת עבדך מכים. 70. Οἱ παῖδές σου μεμαστίγωνται. *Ita & Theodot. Sym.* Μαστιγούμεθα.
10 Bibl. Polyglot. Antuerp. et Parif.

gum c. 13. 4. *Iſraël erat malus odor Philiſthiîs*: & 1. Reg. 27. 12. Achis dicebat loquens ad David: *Multa mala operatus eſt contra Populum ſuum*. Hebræus: *Fœtidus factus eſt &c.* Denique S. Paulus in contrario ſenſu ait 2. Cor. 2. 15. *Chriſti bonus odor ſumus Deo*.

ỳ. 22. REVERSUSQUE EST MOYSES AD DOMINUM.] Septuaginta [1] Textus [2] ſenſum ita explicuerunt: *ille ſe ad Deum convertit*: Ad Deum ita locutus eſt. Artapanus apud Euſebium Præpar. l. 9. c. 27. ait, Moyſem, cum primum in Pharaonis aulam ingreſſus eſt, in carcerem hujus Principis juſſu obtruſum fuiſſe, unde noctu Moyſes egreſſus iterum adivit Regem, cum carceris, & Regiæ fores ſponte miraculo quodam ſe ſe aperuiſſent. Pharao interrogavit, quis igitur hic Deus eſſet, cujus nomine petebat, ut Hebræorum populus dimitteretur; cujus nomen cum in Regis aures enunciaſſet Moyſes, Rex confeſtim mortuus cecidit. Moyſes illum extulit, ac a mortuis excitavit; deinde nomen Dei tabulis inſcripſit, quas obſignavit. Sacerdos quidam cum nominis hujus in tabulis exarati particulam intuitus eſſet, illico nervorum contractione occubuit. Neſcio an harum traditionum vetuſtas ullam fidem mereatur. Moyſes hic loquitur ad Deum ea vehementia, quam in noſtati lingua minime probaremus, & qua lædi videtur reverentia, quæ Deo debetur.

---

[1] Ἐπέστρεψε πρὸς Κύριον.
[2] וישב אל יהוה

CAPUT VI.

Deus Moyſen confirmat, & Iſraëlitas conſolatur. Genealogia Ruben, Simeonis, & Levi.

1. DIxitque Dominus ad Moyſen: Nunc videbis, quæ facturus ſim Pharaoni: per
manum enim fortem dimittet eos, & in manu robuſta eiiciet illos de terra ſua.
2 Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Ego Dominus. 3 Qui apparui
Abraham, & Iſaac, & Jacob, in Deo omnipotente: & nomen meum ADONAI non
indicavi eis. 4 Pepigique fœdus cum eis, ut darem eis terram Chanaan, terram peregrinationis
eorum, in qua fuerunt advenæ. 5 Ego audivi gemitum filiorum Iſraël,
quo Ægyptii oppreſſerunt eos: & recordatus ſum pacti mei. 6 Ideo dic filiis Iſraël:
Ego Dominus, qui educam vos de ergaſtulo Ægyptiorum, & eruam de ſervitute: ac redimam
in brachio excelſo, & judiciis magnis. 7 Et aſſumam vos mihi in populum, &
ero veſter Deus: & ſcietis, quod ego ſum Dominus Deus veſter, qui eduxerim vos de
ergaſtulo Ægyptiorum: 8 Et induxerim in terram, ſuper quam levavi manum meam,
ut darem eam Abraham, Iſaac, & Jacob: daboque illam vobis poſſidendam, ego Dominus.
9 Narravit ergo Moyſes omnia filiis Iſraël: qui non acquieverunt ei, propter angustiam
ſpiritus, & opus duriſſimum. 10 Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens:
11 Ingredere, & loquere ad Pharaonem regem Ægypti, ut dimittat filios Iſraël de terra
ſua. 12 Reſpondit Moyſes coram Domino: Ecce filii Iſraël non audiunt me: & quomodo
audiet Pharao, præſertim cum incircumciſus ſim labiis? 13 Locutuſque eſt Dominus
ad Moyſen, & Aaron, & dedit mandatum ad filios Iſraël, & ad Pharaonem regem
Ægypti, ut educerent filios Iſraël de terra Ægypti. 14 Iſti ſunt principes domorum
per familias ſuas. Filii Ruben primogeniti Iſraëlis: Henoch & Phallu, Heſron &
Charmi. 15 Hæ cognationes Ruben. Filii Simeon: Jamuel, & Jamin, & Ahod, &
Jachin, & Soar, & Saur filius Chananitidis. Hæ progenies Simeon. 16 Et hæc nomina
filiorum Levi per cognationes ſuas: Gerſon, & Caath, & Merari. Anni autem
vitæ Levi fuerunt centum triginta ſeptem. 17 Filii Gerſon: Lobni, & Semei, per cognationes
ſuas. 18 Filii Caath: Amram, & Iſaar, & Hebron, & Oziel: anni quoque
vitæ Caath, centum triginta tres. 19 Filii Merari: Moholi, & Muſi: hæ cognationes
Levi per familias ſuas. 20 Accepit autem Amram uxorem Jochabed patruelem ſuam:
quæ peperit ei Aaron, & Moyſen. Fueruntque anni vitæ Amram, centum triginta ſeptem.
21 Filii quoque Iſaar: Core, & Nepheg, & Zechri. 22 Filii quoque Oziel:
Miſael, & Eliſaphan, & Sethri. 23 Accepit autem Aaron uxorem Eliſabeth, filiam
Aminadab, ſororem Naaſſon, quæ peperit ei Nadab, & Abiu, & Eleazar, & Ithamar.
24 Filii quoque Core: Aſer, & Elcana, & Abiaſaph: hæ ſunt cognationes Coritarum;
25 At vero Eleazar filius Aaron accepit uxorem de filiabus Phutiel: quæ peperit ei
Phinees. Hi ſunt Principes familiarum Leviticarum per cognationes ſuas. 26 Iſte eſt
Aaron, & Moyſes, quibus præcepit Dominus, ut educerent filios Iſraël de terra Ægypti
per turmas ſuas. 27 Hi ſunt, qui loquuntur ad Pharaonem regem Ægypti, ut educant
filios

filios Iſrael de Ægypto: iſte eſt Moyſes, & Aaron. 28 In die qua locutus eſt Dominus ad Moyſen in terra Ægypti. 29 Et locutus eſt Dominus ad Moyſen: dicens: Ego Dominus: loquere ad Pharaonem regem Ægypti, omnia, quæ ego loquor tibi. 30 Et ait Moyſes coram Domino: En incircumciſus labiis ſum, quomodo audiet me Pharao?

℣. 1. PER MANUM FORTEM.] Vide Cap. 3. ℣. 19.

℣. 3. QUI APPARUI ABRAHAM . . . IN DEO OMNIPOTENTE: ET NOMEN MEUM ADONAI NON INDICAVI EIS:] Hebraice habemus: *Ego apparui Abraham, & Iſaac in Deo Sadai: & nomen meum Jehovah non indicavi eis*: Videlicet: Apparui eis ſub ſpecie Dei omnipotentis, & qui ex ſe omnia poteſt [1], quin ullum opus ei ſit creaturarum ſuarum: ſed nondum nomen meum Iehovah prodidi cuiquam; nondum dedi eis ſupremæ potentiæ meæ ullum ſpecimen, quemadmodum nunc vobis daturus ſum: vel aliter: illis indicavi nomen meum Sadai; non ita porro incommunicabile, atque ineffabile nomen meum Iehovah. Septuaginta vertunt: *Apparui eis veluti ipſorum Deus; ſed non revelavi nomen meum, Dominus*. Ita explicari poteſt: Ipſi agnoverunt me, non ideo tamen perfecte. In Scripturis, *cognoſcere aliquem ex nomine*, ſignificat perfecte illum agnoſcere, atque inter amicos numerare. *Novi te ex nomine*, dicit Moyſi Deus Exod. 33. 12. 17. ſcilicet te amicorum meorum numero adſcripſi.

Verum quomodo Deus hic ait, ſe non revelaſſe nomen ſuum Iehovah priſcis Patriarchis, cum in Geneſi c. 4. 26. dictum ſit, poſteros Seth cognominatos fuiſſe de nomine Iehovah; *Ipſe cœpit invocare nomen Domini*; Heb. *Tunc inceptum invocari in nomine Jehovah*; ac eodem libro videamus Abraham *extollentem manum ad nomen Jehovah*, Geneſ. 14. 22. & denique ipſe Deus dicat Abrahæ *Geneſ.* 15. 7. Ego ſum Deus Iehovah, qui eduxi te de Vr Chaldæorum.

Ut quæſtionem hanc diſſolverent nonnulli hunc Exodi locum ita legerunt [2]: *Apparui Abraham, Iſaac, & Jacob ſub nomine Sadai; & nonne illis indicavi nomen meum Jehovah?* Septuaginta in quibuſdam exemplaribus in hunc ſenſum intellexerunt: *Ego ſignificavi eis nomen meum, Dominus*. Particula negativa ſæpius accipitur in eo ſenſu, quem attulimus modo, veluti interrogatio. Sed interpretum plerique quin ad hanc explicationem confugiant, hunc locum explicant dicentes, ſi nomen Iehovah in Geneſi reperitur, inde contigiſſe, quod liber hic ſcriptus fuerit, poſtquam Moyſi Deus ineffabile nomen ſuum revelaverat. Legiſlator hic hoc uſus eſt nomine in Geneſi, quippe quod notum erat iis temporibus, quibus ſcribebat, quamvis non iis fuerit temporibus agnitum, quibus vivebant Patriarchæ, quorum vitam enarrat.

Author Vulgatæ poſuit hic nomen Adonai pro nomine Iehovah; Septuaginta ubique uſurparunt *Kyrios, Dominus*; & Verſiones Orientales noluerunt, ſumma vocis reverentia, adorabile nomen exprimere. Patet ex Ioſepho Antiquit. l. 2. c. 11. atque ex Philone de vita Moyſis l. 3. conſuetudinis hujus antiquitas, nunquam nominis Iehovah enunciandi. Poſt quam a captivitate Hebræi reverterunt, reverentia, qua nomen hoc, quod S. Hieronymus ineffabile nomen appellat, colebant, non permiſit, ut illud alibi quam in templo pronunciaretur, atque illud tantummodo

A diebus jejunii ſolemnis, & coram quodam electorum diſcipulorum numero, qui audire poterant [3]. Philo addit vitæ ſupplicio cautum fuiſſe, ne quis extra templum nomen illud proferret. Iudæi hodie quoque nullum auderent e Dei nominibus enuntiare in fœtido loco [4], neque ibi Præceptorum Dei reminiſci; ſed ſacrum nomen Iehovah, nuſpiam illis proferre fas eſt. Poſt Templi excidium deſitum eſt penitus illud enuntiari, quo factum fuit, ut vera pronuntiatio amitteretur, uti ſuperius adnotavimus cap. 3. 14. & cum legimus Iehovah, ſequimur vulgus; quia eſt pene evidens hanc non eſſe rectam pronuntiandi rationem; puncta, quæ Maſſorethæ ſuperpoſuerunt quatuor litteris in nomine Iehovah, eadem ſunt ac in nomine Adonai, quod illius loco pronun-
B tiant. Bipalmari errore ducti Græci quidam alias legebant nomen hoc *Pipi* [5], propter ſimilitudinem quamdam litterarum Hebraicarum יהוה cum Græcis ΠΙΠΙ. Theodoretus ait Samaritanos enuntiare nomen Dei par *Jabe*, vel *Jave*, & Hebræos *Aia*. Alii *Jao*, vel *Jaou*, vel *Jeou*.

℣. 6. EDUCAM VOS DE ERGASTULO.] Hebraice [6]. *Ego redimam vos* (ego liberabo vos) *de ponderibus* opprimentibus vos. Vide ſuperius Cap. 1. 11.

IUDICIIS MAGNIS.] *Judicium* hic pro ſupplicio uſurpatur: Ego apparere faciam juſtitiam meam per effectus maxime terribiles judiciorum meorum.

℣. 8. LEVAVI MANUM MEAM.] Levare manum in juramentis, ritus communis eſt in Scriptura univerſa. Vide Geneſ. 14. 21. & 2. Eſdr. 4. 15.

C ℣. 9 PROPTER ANGUSTIAM SPIRITUS.] Septuaginta: Propter animi defectum. Textus [7] oppreſſionem denotat, quæ ne ſpiritum quidem duci patiatur.

℣. 12. PRÆSERTIM CUM INCIRCUMCISUS SIM LABIIS.] Septuaginta [8], & Philo [9]: Ego non habeo verborum copiam. Symmachus [10]: Deeſt mihi puritas linguæ. Scriptura adhibet ſæpius incircumciſum corde, labiis, ore, auribus, &c. ad aliquam imperfectionem denotandam, impuritatem, vel pravam illarum partium affectionem tum in naturali ſenſu, cum in morali. Syriaca, & Arabica verſiones volunt Moyſem hic loqui de eodem linguæ ſuæ defectu, de quo ſuperius Cap. 4. 10. Onkelos [11], & Ionathan: *loquor cum difficultate* (lente.)

D ℣. 14. ISTI SUNT PRINCIPES DOMORUM PER FAMILIAS SUAS.] Moyſes hic ad Hiſtoriæ perſpicuitatem genealogiam ſuam referre vult; adjicit obiter genealogiam quoque Ruben, & Simeonis, qui fratres erant majores natu Levi. Ea omnia quæ hic leguntur a verſiculo 14. uſque ad 25. ſunt veluti extra opus, atque parentheſi quadam incluſa; a verſiculo 26. ad capitis finem, eſt anacephalæoſis earum rerum, quæ prioribus capitibus narrata ſunt.

℣. 20. PATRUELEM SUAM.] Hebraica vox דודה *Dodah*, non ſignificat ſemper eumdem cognationis, aut affinitatis gradum, uti liquet diverſos locos, ubi illa uſurpatur, conferentibus. Chaldaica lectio ait,

1 Aqu. Ἐν τῷ Θεῷ ἱκανῷ.
2 Verſ. Arab. Dorſchæus diſſert. de nomine Jehovah ſect. 7. Gataker adverſ. Miſcell. c. 28, Colomeſius Obſervat. ſacr. p. 24. 3 Maimonides.
4 Buxtorf. Synagog. Jud. c. 4.
5 Hieron. Epiſt. ad Marcellam. Vide novam Edit. Hieron. t. 2. p. 270. 271. 275. 276.
6 מתחת סבלות מצרים
7 מקצר רוח Aqu. Ἀπὸ κολοβώσεως πνεύματος.
8 Ἄλογος. Hieron. *Irrationalis*, l. 2. in Habacuc. c. 3.
9 Ἄλογος.
10 Οὐκ εἰμὶ καθαρὸς τῷ φθέγματι.
11 יקיר ממלל

ſit, Jocabed filiam fuiſſe ſororis patris Aaron; & Septuaginta dicunt eam filiam fuiſſe fratris patris illius. Syriaca verſio ſequitur Septuaginta: Arabica vero Chaldaicam: Omnes autem conveniunt, conſobrinam fuiſſe Aaron, cum eſſet filia aut patrui, aut amitæ Aaronis. Sed ſententia, quæ eam Aaronis amitam conſtituit, nullatenus eſt rejicienda, uti dictum eſt ſuperius capite 2. 1.

℣. 26. PER TURMAS SUAS.] Septuaginta [1]; cum omnibus viribus ſuis. Hebraicus textus [2] verti poteſt juxta ordinem ſuum; vel, juxta agmen ſuum; diſpoſiti in aciem procedebant veluti inſtructæ cohortes. Vide inferius cap. 13. 18.

1 Σὺν δυνάμει αὐτῶν. 2 של צבאותם.

CAPUT VII.

Miraculoſe Moyſis virga immutatur in anguem, & aqua Nili in ſanguinem. Idem quoque Magi præſtant. Pharao obduratur.

℣. 1. DIxitque Dominus ad Moyſen: Ecce conſtitui te Deum Pharaonis, & Aaron
frater tuus erit propheta tuus. 2 Tu loqueris ei omnia, quæ mando tibi:
& ille loquetur ad Pharaonem, ut dimittat filios Iſrael de terra ſua. 3 Sed
ego indurabo cor ejus, & multiplicabo ſigna, & oſtenta mea in terra Ægypti. 4 Et
non audiet vos; immittamque manum meam ſuper Ægyptum, & educam exercitum, &
populum meum filios Iſrael de terra Ægypti per judicia maxima. 5 Et ſcient Ægyptii,
quia ego ſum Dominus, qui extenderim manum meam ſuper Ægyptum, & eduxerim filios Iſrael de medio eorum. 6 Fecit itaque Moyſes, & Aaron, ſicut præceperat Dominus: ita egerunt. 7 Erat autem Moyſes octoginta annorum, & Aaron octoginta
trium, quando locuti ſunt ad Pharaonem. 8 Dixitque Dominus ad Moyſen, & Aaron:
9 Cum dixerit vobis Pharao: Oſtendite ſigna; dices ad Aaron: Tolle virgam tuam,
& projice eam coram Pharaone, ac vertetur in colubrum. 10 Ingreſſi itaque Moyſes,
& Aaron ad Pharaonem, fecerunt, ſicut præceperat Dominus, tulitque Aaron virgam
coram Pharaone, & ſervis ejus, quæ verſa eſt in colubrum. 11 Vocavit autem Pharao ſapientes, & maleficos: & fecerunt etiam ipſi per incantationes Ægyptiacas, & arcana
quædam ſimiliter. 12 Projeceruntque ſinguli virgas ſuas, quæ verſæ ſunt in dracones:
ſed devoravit virga Aaron virgas eorum. 13 Induratumque eſt cor Pharaonis, & non
audivit eos, ſicut præceperat Dominus. 14 Dixit autem Dominus ad Moyſen: Ingravatum eſt cor Pharaonis, non vult dimittere populum. 15 Vade ad eum mane, ecce
egredietur ad aquas: & ſtabis in occurſum ejus ſuper ripam fluminis, & virgam, quæ
converſa eſt in draconem, tolles in manu tua, 16 Diceſque ad eum: Domine Deus
Hebræorum miſit me ad te, dicens: Dimitte populum meum, ut ſacrificet mihi in deſerto: & uſque ad præſens audire noluiſti. 17 Hæc igitur dicit Dominus: In hoc ſcies,
quod ſim Dominus: ecce percutiam virga, quæ in manu mea eſt, aquam fluminis, &
vertetur in ſanguinem. 18 Piſces quoque, qui ſunt in fluvio, morientur, & computreſcent aquæ, & affligentur Ægyptii bibentes aquam fluminis. 19 Dixit quoque Dominus ad Moyſen: Dic ad Aaron: Tolle virgam tuam, & extende manum tuam ſuper
aquas Ægypti, & ſuper fluvios eorum, & rivos, ac paludes, & omnes lacus aquarum,
ut revertantur in ſanguinem: & ſit cruor in omni terra Ægypti, tam in ligneis vaſis, quam in ſaxeis. 20 Feceruntque Moyſes, & Aaron, ſicut præceperat Dominus,
& elevans virgam percuſſit aquam fluminis coram Pharaone, & ſervis ejus; quæ verſa
eſt in ſanguinem. 21 Et piſces, qui erant in flumine, mortui ſunt; computruitque
fluvius, & non poterant Ægyptii bibere aquam fluminis, & fuit ſanguis in tota terra
Ægypti. 22 Feceruntque ſimiliter malefici Ægyptiorum incantationibus ſuis, & induratum eſt cor Pharaonis, nec audivit eos, ſicut præceperat Dominus. 23 Avertitque
ſe, & ingreſſus eſt domum ſuam, nec appoſuit cor etiam hac vice. 24 Foderunt autem omnes Ægyptii per circuitum fluminis aquam, ut biberent; non enim poterant bibere de aqua fluminis. 25 Impletique ſunt ſeptem dies, poſtquam percuſſit Dominus
fluvium.

Ecce

℣. 1. ECCE CONSTITVI TE DEVM PHARAONIS.] אלהים לפרעה, Tibi potentiam meam confero, qua adverſus Pharaonem utaris. Chaldaica [1] verſio transfert, *ego te conſtitui Dominum*, Principem, Judicem *Pharaonis*; Jonathan: *Terrorem Pharaonis*. Quo in ſenſu Deus ſuperius conſtituit Moyſem Deum Aaronis cap. 4. 16. Ego te mitto veluti Legatum meum, ut meas partes ante Pharaonem agas, ipſe te recipiet veluti Deum: Loquere ad eum cum mea auctoritate: in ipſum, ac imperium ipſius utere mea poteſtate Domini, ac Judicis. Artapanus ab Euſebio allatus Præpar. lib. 9. & Cyrillus contra Julian. aſſerunt, Moyſem adoratum fuiſſe tamquam Deum ab Ægyptiis poſt mortem ſuam.

AARON ERIT PROPHETA TVVS.] Pacto eodem, quo Prophetæ non loquuntur niſi ex inſpiratione, atque juſſu Dei, ita Aaron non loquetur, niſi præceperis illi, atque illud enuntiabit tantummodo, quod ingeſſeris in os illius. Prophetæ nomen ſignificat aliquando ſimplicem interpretem; ac verbi Dei Præconem. A pleriſque hebraicum נביא *Nabi* vertitur; *Interpres*: Ipſe Interpres tuus erit.

℣. 9. TOLLE VIRGAM TVAM.] Tolle virgam miraculoſam, quæ virga Dei appellatur cap. 4. 20. & quæ modo Moyſi, modo Aaroni tribuitur, quia illa uterque utebantur ad prodigia patranda.

℣. 11. VOCAVIT PHARAO SAPIENTES, ET MALEFICOS.] Significatio vocum hebraicarum non ſatis agnoſcitur; Author Vulgatæ duas tantum expreſſit: quamquam tres adſint in textu; ille plane arbitratus eſt tertiam ſecundæ eſſe ſynonimam. Ecce autem, quemadmodum vulgo hebraicus textus transfertur: *Pharao accerſivit* (חכמים *Chachamim*) & *Magos Ægyptios*, (*Mecaſchephim* מכשפים); *atque Incantatores* (*Charsumim* חרטמים 70. Sym. Theodor. ἐπαοιδοί. Aquila Κρυφίοις) *fecerunt ſimiliter per arcana ſua*. Prior vox plerumque ſapientes ſignificat; ſed in utramque partem cum bonam, tum malam detorquetur: ita ut ſignificet ſapientiam veram, & callidam, malam, periculoſam, nocivamque verſutiam. *Mecaſphim* ſignificare poteſt divinatores, Horoſcoporum ſectatores, rerum futurarum præſcios, ſomniorum Interpretes. Vox *Caſchaph* in Scripturis ſignificat ſemper ſpeciem aliquam divinationis, ac rerum abditarum explicationis. Deuter. 18. 10. 2. Paralipom. 33. 6. Ierem. 27. 8. Dan. 2. 2. Malach. 3. 5. Admiſſi ſumus, ut ſignificationem *Charsumim* adnotaremus in Geneſim cap. 41. 8. Poſtrema illa hujus loci vox [3], quæ vertitur: *incantationes eorum*, deduci poteſt a verbo, quod *abſcondere* ſignificat [3]. Interpretes nonnulli hanc explicant de abſconditis verbis, quæ ſubmiſſa voce, atque obmurmurantes enunciant, *ſuſſurrationibus ſuis*, inquit Onkelos; alii de arcanis, & faſcinationibus, quibus utebantur, ut phantaſticas, aut veras immutationes operarentur in objectis, aut in ſenſibus dæmonum auxilio.

FECERVNT ETIAM IPSI . . . . SIMILITER.] Priſci patres, ac Interpretes recentiores in diverſa abeunt locum hunc explicantes. Alii tuentur, immutationem, quæ facta fuit e virgis in angues a Magis Pharaonis, illuſionem [4] fuiſſe tantum, quam Magi adſiſtentium oculis fecerant: alii contendunt immutationem tum a Magis factam, cum a Moyſe realem fuiſſe. Hanc difficultatem ſeorſim ad examen revocabimus. Vide noſtram diſſertationem de veris, falſiſque miraculis. Rabbini in vita Moyſis a Gaulmino edita anno 1629. dicunt, Balaam, cum videret Moyſis virgam in ſerpentem converſam devoraſſe alias virgas itidem in angues immutatas, dixiſſe nihil in ea re miraculi eſſe, quia ſerpens animal eſt vorax, & carnivorum; ſed videndum eſſe, utrum virga lignea, virga remanens alias devoraret. Moyſes conditioni ſubſcripſit: Virgæ in terram jaciuntur, & virga Moyſis, quin forma immutaretur, virgas Magorum comedit.

Sanctus Paulus 2. Timoth. 3. 8. nobis reliquit nomina duorum magorum, qui præcipue Moyſi obſtiterunt; ab eo nominantur Iannes, & Mambres. Inveniuntur quoque ipſorum nomina in duabus Chaldæis Paraphraſibus, in Talmud, in Gemarra, ac aliis Hebræorum libris, qui aſſerunt, eos filios fuiſſe Pſeudo-prophetæ Balaam. Orientales appellant Pharaonis magos *Sabour*, & *Gadour*. Illi credunt, eos e Thebaide veniſſe. Pater illorum, qui multo ante occubuerat, illis dixerat, quum adierunt illius ſepulchrum poſt mortem ipſius, ut conſulerent eumdem; quod animum adverterent, utrum virga Moyſis, & Aaron in anguem immutaretur; dum ipſi obdormirent. Cum Memphim perveniſſent, cognoverunt re ipſa Moyſis virgam, & Aaronis in draconem immutari, qui apud ipſos vigilabat, ex quo ſomnum capere occœperant.

Duo alii quoque magi fuerunt, qui *Giaath*, & *Muſa* appellabantur, qui cum magna turba ſe Pharaoni obtulerunt. Simeon princeps, ac ſupremus Ægyptiorum ſacerdotum Pontifex adfuit etiam cum magna caterva.

Hi omnes magi cum vidiſſent virgam Moyſis in anguem immutatam, in terram ſuas quoque virgas abjecerunt, & funes, quas Mercurio repleverant. Statim funes hi moveri occœperunt, cum ſolaribus radiis calefacti fuiſſent: ſed virga Moyſis in illos invecta coram ipſis eos deglutivit. Sabour, & Gadour converſi ſunt, atque ad Pharaonis imperium morte mulctati [5]. Perſæ docent Moyſem omnes Ægyptiorum ſcientias edoctum fuiſſe ab Ianne, & Mambre [6]. Adire potes ea, quæ adnotavimus in ſecundam Epiſtolam ad Timotheum cap. 3. 8.

Plinius aliquam de rebus iis notitiam habuit, licet perturbatam. Ait ille lib. 30. cap. 1. quamdam adfuiſſe magorum ſpeciem, quæ principes jactabat Moyſem, Jamnem; & Jotapem Judæos: *Eſt & alia magices factio, a Moyſe, & Jamne, & Jotape Judæis pendens*. Numenius Philoſophus Pythagoreus apud Euſeb. Præparat. lib. 9. cap. 17. magos hos appellat Jamnem, & Mambrem; & Origenes contra Celſum lib. 4. aſſerere videtur Numenium eorum nomina, atque actiones ab Scripturis noſtris didiciſſe: quod intelligi poteſt nonniſi de libro apocrypho, cui titulus Jamnes, & Mambres, de quo ipſe loquitur tractatu 35. in S. Matthæum. Palladius hiſt. Lauſ. cap. 19. refert, ſe percepiſſe ex ipſo Ægyptii Macarii ore, quod cum in deſertum perrexiſſet ad locum dierum aliquorum itinere a ſuo domicilio ſemotum, ut ibi tumulos videret duorum fratrum magorum Jamnis, & Mambris, invenit hæc monumenta in remotiſſima deſerti parte in viridario arboribus conſito, ubi illi puteum effoderant.

℣. 13. ET NON AUDIVIT EOS, SICUT PRÆCEPERAT DOMINUS.] Loci hujus hebraicus textus in alium ſenſum transferri poteſt. Et non audivit eos, ſicut Dominus prædixerat. Et poſterior hic ſenſus magis litteralis, ac juſtus videtur. Hæc loquendi ratio ſæpius in capite hoc, & ſequentibus occurrit.

℣. 17. PERCUTIAM VIRGA AQUAM FLUMINIS.]

Ex

1 Onkel. רב.
2 בלהטיהם. 70. Th. Φαρμακείαις. Aq. Διὰ τῶν ἀπορρήτων.
3 לוט, vel לאט.
4 Tertull. Juſtin. Ambroſ. Hieron. Gregor. Nyſſen. Rupert. &c. apud Bonfrerium &c.
5 Biblioth. Orientalis Herbelot.
6 Chardin. Itin. Perſidis tom. 3. p. 207. Ita Abulfarag. hiſt. Dynaſt. p. 57.

Ex decurſu patet, non ſolum aquam Nili; ſed eam omnem etiam, quæ fuit in ciſternis, in puteis, in rivis, in canalibus, in ſtagnis, in vaſibus omnibus lapideis, vel ligneis vere immutatam fuiſſe in ſanguinem: *Pro fonte ſempiterni fluminis humanum ſanguinem dediſti injuſtis*, Sap. 2. 7. Ita ut piſces mortui fuerint, neque inde vel homines, vel animalia bibere potuerint. Hoc extendebatur ab oſtiis Nili, qua in Mediterraneum defluit, ad fines uſque Ethiopiæ, ait Philo de vita Moſis lib. 1. Addit præterea puteos omnes, qui effoſſi fuerunt, ut naturalem aquam, & dulcem invenire poſſent, ſanguine, uti cæteros fuiſſe repletos; quod ſeptem dierum ſpatio perſeveravit. Sed verſiculus 24. inſinuat, Ægyptios inveniſſe aquam ad potum in puteis, quos prope Nilum effoderunt: *Foderunt autem in circuitu fluminis aquam, ut biberent; non enim poterant bibere de aqua fluminis*. Hæc eſt quoque ſententia Authoris Quæſtionum ad Orthodoxos, quæ nomine S. Juſtini Martyris circumferuntur, quæſt. 26. Sed S. Auguſtinus in Pſalm. 77. Philoni adhæret; *Foderunt Ægyptii, & ſanguinem pro aquis invenerunt*. Communis Ægyptiorum potus eſt aqua Nili: quæ ad bibendum optima eſt, ut Viatores teſtantur. Artapanus ait, cum Moyſes tetigiſſet aquas Nili, flumen hoc ſtatim exundaſſe, atque ex eo tempore numquam ceſſaſſe, quin ſtatis anni temporibus in agros effunderetur. Præterea aquæ Nili ita concaluerunt, ut piſces omnes interirent, atque in hominibus mortalem ſitim [1] accenderent. Circumſtantiæ, quæ ad-
A modum fabulam ſapiunt.

℣. 18. AFFLIGENTUR ÆGYPTII BIBENTES AQUAM FLUMINIS.] Hebraicus textus [2] verti poteſt: Ægyptii cum labore aquam fluminis bibent: vel, cum labore aquam potabilem invenient, ſiti affligentur. Samaritana lectio ad finem hujus verſiculi addit: *Moyſes, & Aaron adierunt Pharaonem, & dixerunt illi: Dominus Deus Hebræorum miſit me ad te &c.* uti verſ. 16. 17. & 18. quos repetunt de verbo ad verbum; quod in nulla verſione invenitur. Videntur ſimiles repetitiones capitibus 8. 4. 23. 9. 5. 19. 10. 6. &c. Vide quæ de hac re dicta ſunt capite 5. 9. Septuaginta hic vertunt: Illi bibere non potetunt aquam fluvii.

℣. 19. TAM IN LIGNEIS VASIS, QUAM IN SAXEIS.]
B Hebraice ſimpliciter habetur, tam in ligno, quam in ſaxo. Omnes aquæ, quæ in vaſis ligneis, aut lapideis continentur, vel in ciſternis ligno, aut lapide ſuperinductis. In Evangelio ſermo eſt de hydriis lapideis; ex quibus una Pariſiis oſtenditur, quæ eſt quidem e pretioſo marmore. Homerus quoque de hydriis e lapide loquitur Odyſſ. N.

℣. 22. FECERUNTQUE SIMILITER.] Ad hanc immutationem peragendam aquam vel ex mediterraneo mari attulerunt [3], vel ex terra Geſſen, cujus aquæ in ſanguinem converſæ non fuerant, uti notant Author libri Sapientiæ 11. 5. & S. Auguſtinus qu. 23. & 26. in Exod. vel denique aqua hauſta fuit e puteis, qui effoſſi fuerant prope Nilum, ubi aquæ puræ inventæ ſunt. Vide inferius verſ. 17.

1 Apud Euſeb. Præpar. l. 9. c. 27.
2 ונלאו מצרים
3 Author. quæſt. ad Orthodox. quæſt. 26. Theodoret. quæſt. 20. in Exod.

CAPUT VIII.

Secunda Ægypti plaga; Ranæ producuntur; Tertia plaga Sciniphes. Quarta Muſca. Inanes Pharaonis promiſſiones.

1. DIxit quoque Dominus ad Moyſen: Ingredere ad Pharaonem, & dices ad eum:
Hæc dicit Dominus: Dimitte populum meum, ut ſacrificet mihi: 2 Sin au-
tem nolueris dimittere, ecce ego percutiam omnes terminos tuos ranis. 3 Et
ebulliet fluvius ranas, quæ aſcendent, & ingredientur domum tuam, & cubiculum le-
ctuli tui, & ſuper ſtratum tuum, & in domos ſervorum tuorum, & in populum tuum,
& in ſervos tuos, & in reliquias ciborum tuorum. 4 Et ad te, & ad populum tuum,
& ad omnes ſervos tuos intrabunt ranæ. 5 Dixitque Dominus ad Moyſen: Dic ad
Aaron: Extende manum tuam ſuper fluvios, ac ſuper rivos, & paludes, & educ ranas
ſuper terram Ægypti. 6 Et extendit Aaron manum ſuper aquas Ægypti, & aſcende-
runt ranæ, operueruntque terram Ægypti. 7 Fecerunt autem & malefici per incantatio-
nes ſuas ſimiliter, eduxeruntque ranas ſuper terram Ægypti. 8 Vocavit autem Pharao
Moyſen, & Aaron, & dixit eis: Orate Dominum, ut auferat ranas a me, & a populo
meo: & dimittam populum, ut ſacrificet Domino. 9 Dixitque Moyſes ad Pharaonem:
Conſtitue mihi, quando deprecer pro te, & pro ſervis tuis, & pro populo tuo, ut abi-
gantur ranæ a te, & a domo tua, & a ſervis tuis, & a populo tuo; & tantum in flumi-
ne remaneant. 10 Qui reſpondit: Cras. At ille: Juxta, inquit, verbum tuum faciam:
ut ſcias, quoniam non eſt ſicut Dominus Deus noſter. 11 Et recedent ranæ a te, & a
domo tua, & a ſervis tuis, & a populo tuo: & tantum in flumine remanebunt. 12
Egreſſique ſunt Moyſes, & Aaron a Pharaone: & clamavit Moyſes ad Dominum pro
ſponſione ranarum, quam condixerat Pharaoni. 13 Fecitque Dominus juxta verbum
Moyſi: & mortuæ ſunt ranæ de domibus, & de villis, & de agris. 14 Congregave-
runtque eas in immenſos aggeres, & computruit terra. 15 Videns autem Pharao, quod
data eſſet requies, ingravavit cor ſuum, & non audivit eos, ſicut præceperat Dominus.
16 Dixitque Dominus ad Moyſen, loquere ad Aaron: Extende virgam tuam, & percute

pulverem terræ: & ſint ſcinipbes in univerſa terra Ægypti. 17 Feceruntque ita. Et
extendit Aaron manum, virgam tenens: percuſſitque pulverem terræ, & facti ſunt ſcini-
phes in hominibus, & jumentis; omnis pulvis terræ verſus eſt in ſciniphes per totam
terram Ægypti. 18 Feceruntque ſimiliter malefici incantationibus ſuis, ut educerent
ſciniphes, & non potuerunt, erantque ſcinipbes tam in hominibus, quam in jumentis.
19 Et dixerunt malefici ad Pbaraonem: Digitus Dei eſt hic: induratumque eſt cor Pha-
raonis, & non audivit eos, ſicut præceperat Dominus. 20 Dixit quoque Dominus ad
Moyſen: Conſurge diluculo, & ſta coram Pharaone; egredietur enim ad aquas, & dices
ad eum: Hæc dicit Dominus: Dimitte populum meum; ut ſacrificet mihi. 21 Quod ſi
non dimiſeris eum, ecce ego immittam in te, & in ſervos tuos, & in populum tuum,
& in domos tuas, omne genus muſcarum, & implebuntur domus Ægyptiorum muſcis
diverſi generis, & univerſa terra, in qua fuerint. 22 Faciamque mirabilem in die illa
terram Geſſen, in qua populus meus eſt, ut non ſint ibi muſcæ; & ſcias, quoniam ego
Dominus in medio terræ. 23 Ponamque diviſionem inter populum meum & populum
tuum: cras erit ſignum iſtud. 24 Fecitque Dominus ita. Et venit muſca graviſſima in
domos Pharaonis, & ſervorum ejus, & in omnem terram Ægypti: corruptaque eſt ter-
ra ab hujuſcemodi muſcis. 25 Vocavitque Pharao Moyſen, & Aaron, & ait eis: Ite,
& ſacrificate Deo veſtro in terra hac. 26 Et ait Moyſes: Non poteſt ita fieri: abomi-
nationes enim Ægyptiorum immolabimus Domino Deo noſtro: quod ſi mactaverimus ea,
quæ colunt Aegyptii coram eis, lapidibus nos obruent. 27 Viam trium dierum perge-
mus in ſolitudinem, & ſacrificabimus Domino Deo noſtro, ſicut præcepit nobis. 28
Dixitque Pharao: Ego dimittam vos, ut ſacrificetis Domino Deo veſtro in deſerto: ve-
rumtamen longius ne abeatis, rogate pro me. 29 Et ait Moyſes: Egreſſus a te, orabo
Dominum: & recedet muſca a Pharaone, & a ſervis ſuis, & a populo ejus cras; verum-
tamen noli ultra fallere, ut non dimittas populum ſacrificare Domino. 30 Egreſſuſque
Moyſes a Pbaraone, oravit Dominum. 31 Qui fecit juxta verbum illius, & abſtulit
muſcas a Pharaone, & a ſervis ſuis, & a populo ejus: non ſuperfuit ne una quidem.
32 Et ingravatum eſt cor Pharaonis, ita ut nec hac quidem vice dimitteret populum.

℣. 3. EBULLIET FLUVIUS RANAS [1].] Minime neceſſum eſt aſſerere, Deum novas ranas creaſſe, vel ipſum eas ſtatim produxiſſe terræ, aut limi in ranas immutatione. Potuit ille mirabili quodam effectu ranas educere ex omnibus ovariis, quæ tunc in aquis, & paludibus Ægypti inveniebantur, quorum pars magna periiſſet, niſi mirus hic, atque extraordinarius adfuiſſet concurſus.

IN FURNOS TUOS, ET IN RELIQUIAS CIBORUM TUORUM.] Hebraica vox [2], quam hic vertunt reliquias ciborum tuorum, e pleriſque recentiorum interpretum redditur, *in tuam maſſam*, vel, *in tua panaria*. Ego mallem vertere, *in tuas eſcas*. Vide quæ de hac voce animadvertimus in caput 12. 34. Forma furnorum, quibus in Ægypto utebantur, & quorum deſcriptionem tradidimus Geneſ. 18. 6. lucem afferre poteſt, ut intelligantur minarum effectus, quas hic Moyſes intendit. Vetus quidam Interpres Græcus legit: *in puteos tuos*.

℣. 5. EXTENDE MANUM TUAM SUPER FLUVIOS.] Hebraicus Textus, & Verſiones: Extende manum tuam cum virga tua ſuper fluvios &c. Nilus in Ægypto inferiori in ramos ſeptem dividitur, qui totidem ſunt fluvii. Rami hi canalibus, aut rivis cæduntur. Demum lacus adſunt, ac paludes, ubi aquæ Nili detinentur, ut liquet ex Herodoto l. 2. c. 149. 150.

℣. 6. ASCENDERUNT RANÆ, OPERUERUNTQUE TERRAM ÆGYPTI.] Interpretes huc referunt quædam populorum exempla, qui præ nimia ranarum A copia, quæ ſe ſe effuderant, coacti ſunt, ut ſuam regionem deſererent. Exempli gratia Abderitæ, de quibus Oroſius loquitur l. 3. c. 23. & incolæ Pæoniæ, ac Dardaniæ [3] domos ſuas, ac bona deſerere debuerunt, ut ſe ab ranis tuerentur, quarum imber in ipſorum terras decidit, quæ in domos illorum inſilierunt, eſcas corruperunt, aquas repleverunt, vitiaruntque, & denique cum mortuæ eſſent, fœtore ſuo peſtem aeri intulere.

℣. 9. CONSTITUE MIHI, QUANDO DEPRECER PRO TE.] Moyſes, ut oſtenderet, Deum Dominum eſſe ranas auferendi, quemadmodum eſt quoque immittendi, Pharaoni dicit, ut ille conſtituat diem, quo ipſe eas jubeat interire: ne Magi glorientur, ſibique vindicent, quod ea ceſſaverit plaga; vel ranas ex ſe obiiſſe contendant. B Interpretes quidam ita ex Hebræo legunt: *Gloriare ſuper me quando deprecer pro Te*, qui ſenſus non admodum eſt perſpicuus [4]. Chaldaice: Pete prodigium, & conſtitue mihi tempus, quo deprecer pro Te. Nonnulli credunt Moyſem, ut Pharaoni oſtenderet, ſe neque Magicis, neque Aſtrologicis regulis uti, in iis omnibus, quæ patrabat; atque prodigia omnia hæc neque a tempore, neque a loco, neque ab Aſtris pendere, Regi dixiſſe: Conſtitue mihi tempus, quo velis, me orare Deum, ut plaga hæc ceſſet.

℣. 10. UT SCIAS, QUONIAM NON EST SICUT DOMINUS.] Septuaginta, *Quoniam non eſt alius (Deus) præterquam Dominus*; neque eſt qui potentiam habeat aut in Cœlo, aut ſuper terram, quæ ſimilis ſit potentiæ Dei; neque Magorum Dæmones ullam habent vim

1 Heb. צפרדע *Sepharde*, qua voce Crocodilum ſignificari putat Abenezra.
2 ובמשארותיך
3 Athenæus l. 8. c. 12. Euſthatius in Iliad. 4. Vide & Plin. lib. 8. c. 19.
4 Clericus credit התפאר עלי poſitum eſſe pro התבאר *Indica mihi*.

vim contra Deum, & inanes regionis Dii nihilum valent. A

℣. 13. DE DOMIBUS, DE VILLIS, DE AGRIS.] Hebraicus textus [1] verti poſſet: *De domibus, de atriis*, (vel de implæviis) *& de agris*. Septuaginta [2]: De domiciliis, de villis, & de agris.

℣. 14. CONGREGAVERUNTQUE EAS IN IMMENSOS AGGERES.] Cum Deus mortem intuliſſet ranis, ex his tumuli effecti ſunt, qui pravo odore [3] regionem univerſam infecere. Ranarum corruptio muſcas, ac ſciniphes allexit, qui ibi adhæſerunt, atque hujuſmodi inſectilium infinitam copiam genuerunt, quibus Deus uſus eſt, ut tertia plaga Ægyptum affligeret: nam, quamvis hæ plagæ miraculo patratæ fuerint, atque ſuper naturam ſint, quo ad cauſam, atque modum, quo fuerunt effectæ; nihilominus Deus uſus B eſt iis diſpoſitionibus, quas invenit in natura, atque in cauſis ſecundis, eaſque determinavit, ut modo penitus miraculoſo, juxta ſua conſilia hos effectus producerent.

℣. 16. SINT SCINIPHES.] Hebraice כִּנִּים Kinnim. Septuaginta Σκνῖφες. Alius: σκνῖπες. Veterum plerique credunt vocem hanc quandam muſcarum ſpeciem ſignificare. Sed Bochartus contendit ſignificare pediculus. Eum plures Interpretes ſequuntur, illique omnes Rabb. ſuffragantur, Chaldaica Verſio, Joſephus, Pagninus, Arias Montanus, Vatablus, & quidam Græcus Interpres &c. Alii inter quos Clarius, credunt, *Sciniphes* eſſe muſciones, quos latine culices, Italice *zenzare* appellamus. Ex Herodoto l. 2. c. 95. liquet hoc inſectorum genus admodum eſſe commune, atque moleſtum in Ægypto. C Alicubi neceſſe eſt ſuper turres dormire, ut illorum aculeos effugias: quia non adeo altius in aera elevantur. En deſcriptio, quam de ſciniphibus tradit Origenes hom. 4. in Exod. *Hoc animal quidem pennis ſuſpenditur per aerem volitans; ſed ita ſubtile eſt, & minutum, ut oculi viſum, niſi acute cernentis effugiat. Corpus vero cum inſederit, acerrimo terebrat ſtimulo.* Philo addit præterea minuta hæc animantia in nares, aures, atque oculos, atque ulterius adhuc pervadere.

℣. 18. FECERUNTQUE SIMILITER MALEFICI, UT NON POTUERUNT.] Adniſi ſunt, ut tantumdem obtinerent; verum id conſequi non potuerunt. Pulverem percuſſerunt; ad ritus magicos confugerunt, dæmones invocarunt; ſed fruſtra. Adnotari poſſunt D in Scriptura plures loci ſimiles, ubi dicitur id factum, quod curatum eſt, ut fieret. Geneſ. 37. 21. 22. Ezech. 24. 13. *Mundare te volui, & non es mundata*. Hebræus: *Mundavi te, & non es mundata*. Syriaca lectio explicat aliter; *Feceruntque ſimiliter, verumtamen pediculos expellere non potuerunt*. Pediculos quidem produxerunt, eos vero nequiverunt tollere. Hebraicus textus [4] verti etiam poſſet; *Fecerunt ſic .... ad eiiciendum pediculum; ſed non potuerunt*. Vulgata meliorem ſenſum adfert.

℣. 19. DIGITUS DEI EST HIC.] Quidam priſci Patres [5] ſub his verbis, *Digitus Dei*, intelligunt Spiritum Sanctum, qui a Sancto Luca [6] Digitus Dei appellatur. Alii intelligunt potentiam Dei, quæ paſſim in Scripturis, Dei digitus, aut manus voca- E tur. Vide Iſai. 40. 12. Pſalm. 8. 4. Num. 11. 23. & 59. 1. Chaldaica verſio: *Deus eſt plagæ iſtius*

cauſa. Creaturæ potentia eo uſque non extenditur, vel quod Deus dæmonum potentiam cohibuerit, atque repreſſerit, vel quod ſecundarum cauſarum concurſus a dæmone diſpoſitarum, atque immutatarum, effectum hunc gignere non potuerit. Magi Ægyptii hactenus credere potuerunt Moyſem nihil eſſe præter Incantatorem, ſed magis, quam ipſi erant, potentem: hic ipſi agnoſcunt, majus aliquid in illo ineſſe, quam magiam, atque illi Deum virtutem ſuam commodaſſe.

℣. 20. EGREDIETUR AD AQUAS.] Vel ut ſe abluat, vel, ut obambulet, vel ut aliquem Religionis actum exerceat, quia Ægyptii veteres adorabant Nilum [7]; vel propter aliquas ſuperſtitiones magicas, quæ per fluminis aquas fiebant [8], quæ illi ea illis erat, quos Græci *Hydromantes* appellant. Hi porro Hydromantes arcana prædicebant per aquarum inſpectionem. Ineptiæ. Diodorus Siculus l. 1. cap. 3. narrat Ægyptios Reges quotidie mane lavari conſueviſſe, antequam Diis operarentur. Hac de cauſa plane Pharao mane egrediebatur, uti hic innuitur; atque hoc quotidie videtur peregiſſe.

℣. 21. IMMITTAM IN TE OMNE GENUS MUSCARUM.] Hebraica vox הֶעָרֹב *Haarob* varie transfertur. Septuaginta [9] *Cynomyiam* vertere, quæ muſca eſt, cujus punctio acerbiſſima eſt, & quæ canibus præſertim adhæret; qua re Græci eam *canum muſcam* appellant. Aquila vertit Πάμμυιαν, omnia muſcarum genera. Et Sanctus Hieronymus epiſt. ad Suniam credere videtur, Septuaginta in eodem ſenſu tranſtuliſſe *Cœnomyiam* Κοινόμυιαν. Sed omnia horum Interpretum exemplaria, & veteres Græci Patres legerunt *Cynomyiam*; & verſiculus 31. aperte docet, hanc fuiſſe animantium ſpeciem, non ita vero omnis generis muſcarum confuſionem, vel etiam aliorum animalium ferocium [10], ut mavult Joſephus lib. 2. Antiq. cap. 13. & Chaldaica lectio, *mixturam beſtiarum noxiarum*. Abenezra lupos nominat, leones, & leopardos; Rabbinus Salomon ſerpentes, & ſcorpiones; & Vatablus omnia inſectilium genera; Author libri Sapientiæ urſos agnoſcit, leones, eliaſque animantium ſpecies, quæ ab Ægyptiis adorabantur, ut iiſdem rebus punirentur, inquit ille, quæ criminis ipſorum objectum fuerant. Sap. 1. cap. 11. verſ. 9. 16. 18. *Quidam errantes colebant mutos ſerpentes, & beſtias ſupervacuas; immiſiſti illis multitudinem mutorum animalium in vindictam &c. immittere illis multitudinem urſorum, aut audaces leones* &c. Scholiaſtes ait Samaritanum textum referre *ourvum*, & equidem *Erob* hoc ſignificat aliquando. Legitur apud Sanctum Auguſtinum quæſt. 29. in Exodum *locuſta*. Poeta Ezechiel apud Euſebium præpar. lib. 9. cap. 29. ſtatuit locuſtas inter animantia, quæ Ægyptum afflixerunt. Hebraica vox ארבה *arbe*, quæ locuſtam ſignificat, magnam habet ſimilitudinem cum *harob*, quamquam litteræ, quibus duo hæc verba componuntur, ſint admodum diverſæ. Sententia, quæ locum hunc de muſcis generatim explicat, plures aſſeclas jactat.

Hæc inſectilia maximas quandoque attulerunt incommoditates quibuſdam populis. Ethnici Jovem, atque Herculem venerabantur Ἀπομυίους *Muſcarum depulſores*. Creditur *Beelzebub* Accaronitarum Deus

1 מן הבתים מן החצרות ומן השדות.
2 Ἐκ τῶν οἰκιῶν, καὶ ἐκ τῶν ἐπαύλεων, καὶ ἐκ τῶν ἀγρῶν.
3 Philo de vita Moſ. & Joſeph. lib. 2. Antiq. c. 13.
4 להוציא את הכנים.
5 Author Diſputat. contra Arium ſub nomine Sancti Athanaſii, Auguſt. quæſt. 25. in Exod. Hieronym. ad Matth. 12.
6 Luc. 11. 20. collatum cum Matth. 12. 28.
7 Vide Bochart. de Animal. ſacr. tom. 2. l. 4. c. 15.
8 Hebræi apud Lyran. & Boch.
9 Κυνόμυιαν. Alius, Κοινόμυιαν.
10 Παντοίων θηρίων.

habuiſſe poteſtatem hæc animalia arcendi. Vide Commentarium noſtrum in quartum Regum Cap. 1. 2. Homerus Iliad. P ait, Minervam Menelao dediſſe audaciam, vel muſcarum animum, quæ hujus inſecti ſignificat importunitatem, & temeritatem.

℣. 22. FACIAMQVE MIRABILEM IN DIE ILLA TERRAM GESSEN.] Septuaginta: *Παραδοξάσω*, illuſtrem reddam; Terram Geſſen ab reliqua Ægypto diſtinguam: ſed plerique hebraicam vocem הפליתי vertunt, *Dividam*; Ego duas has regiones ſeparabo, eaſque memoranda excipiam diſtinctione. Nonnulli credunt hactenus terram Geſſen ab Ægyptiis plagis minime immunem abiiſſe; ſed hæc ſententia a Sancto Auguſtino quæſt. 27. in Exodum refellitur.

℣. 23. PONAMQVE DIVISIONEM.] Hebraicus textus ושמתי פדת hic vertitur: *Ponam redemptionem*; ego liberabo; atque eruam ex omnibus malis his populum meum.

℣. 24. MVSCA GRAVISSIMA.] Verti poteſt ex hebraico ערב כבר: Magna muſcarum copia; vel magnarum muſcarum.

CORRVPTAQVE EST TERRA.] Verti poteſt: *Corrumpebatur terra*. Hæc inſectilia vaſtarunt, & corruperunt, quidquid fuit in Ægypto: Eas neque homines pati poterant: nec beſtiæ. Pſalmiſta ait, quod muſcæ comedebant Ægyptios; Pſal. 77. 45. *Miſit in eos cœnomyiam, & comedit eos*; & Author libri Sapientiæ aſſerere videtur, illarum morſus fuiſſe lethiferos. Sap. 16. 9. Illos enim locuſtarum, & muſcarum occiderunt morſus.

℣. 26. ABOMINATIONES ÆGYPTIORVM IMMOLABIMVS DOMINO.] Immolare debemus Deo noſtro numina Ægyptiorum, animalia [1], quæ colunt Ægyptii, & quorum mortem illi velut abominationem, & crimen exiſtimant. Ægyptii in ſeditiones uſque diſceſſerunt, ut mulctarent eos, qui occidiſſent, etiam per negligentiam, aliquod e ſuis ſacris animantibus, veluti ælurum, aut canem. Neque hic Moyſes intelligi poteſt, perinde ac dicere vellet: Immolabimus Domino res, quas Ægyptii abominantur: quia e contra Ægyptii animalia adorabant, quæ communes erant victimæ Hebræorum. Aliqui cum interrogatione legunt: Viſne, immolemus in hac regione abominationes (Deos) Ægyptiorum? Vel: Viſne iſtic nos Ægyptiorum ritu ſacra peragere? Vel denique: Viſne, objiciamus noſmet furori Ægyptiorum, coram illis ſacrificia offerentes, quæ ipſi abominantur?

Ægyptii generaliter colebant ſydera, planetas, fluvium ſuum, & animalia cujuſque generis ab homine uſque ad humiliores beſtias; verum cultus, quem animantibus præſtabant, non erat idem. In

A Nomo, aut Terra Thebarum capræ immolabantur, & colebantur oves. In terra Mendeſii e contra colebantur capræ, & oves immolabantur [2]. Sues tantum, boves, vituli, & anſeres communiter ubique ſacris adhibebantur.

Ratio, qua ducti Ægyptii animantia colebant, utilitas fuit, quam inde percipiebant. *Ipſi, qui irridentur Ægyptii*, Cicero ait de Natura Deorum l. 10. *nullam belluam, niſi ob aliquam utilitatem, quam ex ea caperent, conſecraverunt*. Euſebius de Præp. l. 2. cap. 1. p. 48. cum aliis hanc quoque adfert rationem. Refert etiam in bello, quod diis intulerunt homines, illos ut ſe horum furori ſubducerent, coactos fuiſſe, ut in animalium corporibus cælarentur; quæ animalia deinde ipſis conſecrata fuere: Jovem,
B exempli gratia, in arietem, Apollinem in corvum, Bacchum in caprum, Junonem in vaccam ſe recepiſſe, & ſic de cæteris, uti narrat Ovidius Metam. 5. Faſt. 5.

Duxque gregis fit Jupiter.
Delius in corvo, proles Semeleia capro;
Fele Soror Phœbi, nivea Saturnia vacca,
Piſce Venus latuit, Cyllenius Ibidis alis.

Alii credunt Ægyptiorum Religionem quoad animalia Metempſycoſis opinioni innixam fuiſſe, atque illos numquam auſos fuiſſe belluas occidere, ne aliquam patrarent impietatem, occidendo fortaſſe aliquem ex ſuis maxime propinquis conſanguineis, cum animal necare exiſtimarent.

C Vix credas proculdubio, quod Horus ait apud Macrobium Saturn. l. 1. cap. 7. Ægyptios veteres nullum animal vivens diis ſuis hoſtiam obtuliſſe, atque poſt Alexandri Magni tempora immolare incœpiſſe: tunc neceſſitate adactos deorum ſuorum albo Saturnum admiſiſſe, atque communes obtuliſſe victimas; verum ne ipſorum urbes, vel aliorum deorum templa fœdarentur, extra urbes Templa Saturni, & Serapidis conſtituerunt: *Numquam fas fuit Ægyptiis pecudibus, aut ſanguine, ſed precibus, & thure ſolo placare Deos*. Porphyrios, ac Theophraſtus loquuntur de priſca Ægyptiorum ſacrificiorum modeſtia, atque ipſorum ad effundendum ſanguinem repugnantia; ſed nos cruentorum ſacrificiorum antiquitatem apud Ægyptios invenimus in Bibliis, atque in authoribus,
D qui vetuſtate Theophraſto, Porphyrio, & Macrobio præiverunt; & ſi ea, quæ narrant de illorum veteribus ſacrificiis, vera ſunt, intelligi nequeunt, niſi de temporibus primis, & antequam idololatria, & ſuperſtitio in Ægypto, atque alibi fuerint conſtitutæ. Vide, quæ diximus Gen. 43. 16. & 46. 34 & Herodotum l. 2. c. 39. 40.

1 Ita Onkelos.
2 Herodot. l. e. c. 41. 337

CAPUT IX.

Quinta plaga, animantium peſtis; Sexta ulcerum; ſeptima grandinis; ac tonitruorum; Iſraelitæ ab omnibus his malis præſervantur.

℣. 1. Dixit autem Dominus ad Moyſen : Ingredere ad Pharaonem , & loquere ad
eum : Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum : Dimitte populum meum , ut
ſacrificet mihi. 2 Quod ſi adhuc renuis , & retines eos ; 3 Ecce manus
mea erit ſuper agros tuos : & ſuper equos, & aſinos, & camelos, & boves , & oves,
peſtis valde gravis. 4 Et faciet Dominus mirabile, inter poſſeſſiones Iſrael , & poſſeſ-
ſiones Ægyptiorum, ut nihil omnino pereat ex his, quæ pertinent ad filios Iſrael . 5
Conſtituitque Dominus tempus, dicens : Cras faciet Dominus verbum iſtud in terra .
6 Fecit ergo Dominus verbum hoc altera die : mortuaque ſunt omnia animantia Ægy-
ptiorum : de animalibus vero filiorum Iſrael nihil omnino periit. 7 Et miſit Pharao
ad videndum : nec erat quidquam mortuum de his, quæ poſſidebat Iſrael. Ingravatum-
que eſt cor Pharaonis, & non dimiſit populum: 8 Et dixit Dominus ad Moyſen , &
Aaron : Tollite plenas manus cineris de camino, & ſpargat illum Moyſes in cœlum co-
ram Pharaone. 9 Sitque pulvis ſuper omnem terram Ægypti ; erunt enim in homini-
bus, & jumentis ulcera, & veſſicæ turgentes in univerſa terra Ægypti. 10 Tulerunt-
que cinerem de camino, & ſteterunt coram Pharaone , & ſparſit illum Moyſes in cœ-
lum, factaque ſunt ulcera veſſicarum turgentium in hominibus, & jumentis . 11 Nec
poterant malefici ſtare coram Moyſe propter ulcera, quæ in illis erant , & in omni ter-
ra Ægypti. 12 Induravitque Dominus cor Pharaonis , & non audivit eos, ſicut locu-
tus eſt Dominus ad Moyſen. 13 Dixitque Dominus ad Moyſen : Mane conſurge , &
ſta coram Pharaone, & dices ad eum : Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum : Dimit-
te populum meum, ut ſacrificet mihi. 14 Quia in hac vice mittam omnes plagas me-
as ſuper cor tuum, & ſuper ſervos tuos, & ſuper populum tuum, ut ſcias , quod non
ſit ſimilis mei in omni terra. 15 Nunc enim extendens manum percutiam te, & popu-
lum tuum peſte, peribiſque de terra. 16 Idcirco autem poſui te , ut oſtendam in te
fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra. 17 Adhuc retines popu-
lum meum, & non vis dimittere eum? 18 En pluam cras hac ipſa hora grandinem
multam nimis, qualis non fuit in Ægypto, a die , qua fundata eſt , uſque in præſens
tempus. 19 Mitte ergo jam nunc, & congrega jumenta tua, & omnia, quæ habes in
agro : homines enim, & jumenta, & univerſa, quæ inventa fuerint foris, nec congre-
gata de agris, cecideritque ſuper ea grando, morientur. 20 Qui timuit verbum Do-
mini de ſervis Pharaonis, fecit conſurgere ſervos ſuos, & jumenta in domos: 21 Qui
autem neglexit ſermonem Domini, dimiſit ſervos ſuos, & jumenta in agris. 22 Et di-
xit Dominus ad Moyſen : Extende manum tuam in cœlum, ut fiat grando in univerſa
terra Ægypti, ſuper homines, & ſuper jumenta, & ſuper omnem herbam agri in terra
Ægypti. 23 Extenditque Moyſes virgam in cœlum , & Dominus dedit tonitrua , &
grandinem, ac diſcurrentia fulgura ſuper terram : pluitque Dominus grandinem ſuper
terram Ægypti. 24 Et grando, & ignis miſta pariter ferebantur : tantæque fuit ma-
gnitudinis, quanta ante numquam apparuit in univerſa terra Ægypti , ex quo gens illa
condita eſt. 25 Et percuſſit grando in omni terra Ægypti cuncta , quæ fuerunt in a-
gris, ab homine uſque ad jumentum : cunctamque herbam agri percuſſit grando , &
omne lignum regionis confregit. 26 Tantum in terra Geſſen , ubi erant filii Iſrael ,
grando non cecidit. 27 Miſitque Pharao, & vocavit Moyſen , & Aaron , dicens ad
eos : Peccavi etiam nunc : Dominus juſtus : ego, & populus meus , impii: 28 Ora-
te Dominum, ut deſinant tonitrua Dei, & grando : ut dimittam vos , & nequaquam
hic ultra maneatis. 29 Ait Moyſes : Cum egreſſus fuero de urbe , extendam palmas
meas ad Dominum, & ceſſabunt tonitrua, & grando non erit : ut ſcias , quia Domini
eſt terra. 30 Novi autem, quod & tu, & ſervi tui necdum timeatis Dominum Deum.

31 Linum ergo, & hordeum læſum eſt, eo quod hordeum eſſet virens, & linum jam folliculos germinaret: 32 Triticum autem, & far non ſunt læſa, quia ſerotina erant. 33 Egreſſuſque Moyſes a Pharaone ex urbe tetendit manus ad Dominum: & ceſſaverunt tonitrua, & grando, nec ultra ſtillavit pluvia ſuper terram. 34 Videns autem Pharao, quod ceſſaſſet pluvia, & grando, & tonitrua, auxit peccatum: 35 Et ingravatum eſt cor ejus, & ſervorum illius, & induratum nimis: nec dimiſit filios Iſrael, ſicut præceperat Dominus per manum Moyſi.

℣. 3. Ecce manus mea erit super agros tuos &c.] Animadverti poteſt, quintam hanc plagam, quartam, ac poſtremam deſæviſſe, quin Moyſes, vel Aaron aliquid patrarent; perinde ac vellet Deus Pharaonem evincere, non fuiſſe Moyſem, qui per quædam præſtigia, artemque ipſi propriam priora mala produxerit.

Super agros tuos, et super equos.] Hebraice [1]: Super armenta tua, quæ ſunt in agris, ſuper equos tuos, & aſinos.

Pestis valde gravis.] Septuaginta, & verſio Syriaca: Mors valde gravis [2].

℣. 4. Faciet Dominus mirabile.] Hebraicus textus [3] verti poteſt: *Faciet Dominus ſeparationem*, diſtinctionem &c. Vide cap. 8. 22.

℣. 6. Omnia animantia.] Ea omnia, quæ in agris deprehenſa ſunt, neque in ſtabula reverti potuerunt, occiſa ſunt. Tunc Ægyptii Religionis ſuæ vanitatem dignoſcere potuerunt, qui animalia hæc venerabantur, Dei manu interfecta.

℣. 7. Misit Pharao ad videndum, nec erat quidquam mortuum.] Videtur miraculum hoc Pharaonem dimovere debuiſſe; attamen Scriptura notat, ipſum eo magis obduruiſſe. Princeps hic credidit, ſe damna ſua reparaturum, ſumens Iſraelitarum armenta; vel arbitratus eſt, Ægyptiorum jacturam eam non eſſe, quæ vulgo ferebatur; vel denique ea de cauſa magis ingravatum eſt cor illius, atque odit Hebræos videns, quod illi nihil cepiſſent detrimenti.

℣. 8. Tollite plenas manus cineris de camino.] De fornace, vel de furno, vel etiam de foco. *Caminus* non ſignificat focum, quem vulgo *camino* nuncupamus. Hebraica vox פיח הכבשן ſignificat fornacem, & fabriferrarii officinam. Reor, tunc in Ægypto caminos non fuiſſe, ſed ſimplicem focum tantummodo.

℣. 9. Ulcera, et vesicæ turgentes.] Hebraicus textus [4] verti poteſt: Eritque illi plaga, quæ tumores pariet; vel accidet illis inflammatio, quæ vomicas gignet [5]. Septuaginta [6]: *ulcera, & ardentes vomicæ*. Symmachus [7]: Vomicæ, *quæ ſe aperiunt*; ad litteram, quæ *florent*. Aquila [8]: vomicæ extenſæ, expanſæ &c. Videntur hi tumores peſtis fuiſſe, vel ardentia tubera per corpus univerſum.

℣. 11. Nec poterant malefici stare coram Moyse propter ulcera.] Deus non eſt paſſus, dæmonem gloriari poſſe, quod præſtigiis ſuis verorum miraculorum, quæ Moyſes operabatur, authoritatem æquarit: atque inexcuſabiles reddere voluit Pharaonem, magos, atque Ægyptum univerſam, dæmonis potentiam coercens, primum quidem in sci-

A niphum productione, deinde vero in ulcerum plaga.

℣. 14. Mittam omnes plagas meas super cor tuum.] Cor tuum dolore afficietur, videns plagas, quibus te percutiam, & ſupplicia, quibus in populum tuum animadvertam. Hebraicus textus ita quoque verti poſſet: *Mittam omnes plagas meas in medio tui* [9]. Hebræi dicunt aliquando *in corde*, loco dicendi in medio: Verum iſtic in hoc ſenſu intelligere nequaquam malim: Per *omnes plagas meas* intellige grandinem, tonitrua, fulmina, fulgura, pluviam, ignem, quæ omnia inferius videntur ℣. 23.

℣. 15. Percutiam te, et populum tuum peste.] Moyſes Pharaoni jam peſtem fuerat minitatus ℣. 3. & harum minarum effectus verſiculo 6. a-

B gnoſcuntur. Hic rurſus ais, ſe percuſſurum peſte. Ut hæc evidens contradictio concilietur, dicendum eſt, ℣. 3. & 6. loqui de peſte animalium; ℣. 15. de peſte hominum. Nonnulli, inter quos Menochius, arbitrantur in hoc verſiculo 15. *peſtem* poni pro omni plagarum genere, & pro omnibus malis, quæ deinceps ſuper Ægyptios erant eventura: ſed Chaldaica lectio, & plures Interpretes aliter explicant: *Cum percuſſi Ægyptum peſte, ſivere potuiſſem, ut omnis regio plaga hac conſumeretur, & tu, omniſque populus, tuus periiſſetis: ſed cohibere volui, atque ſuſpendere flagelli hujus effectum, ut melius potentia mea colluceret in iis, quæ mihi vobis infligenda ſuperſunt, niſi imperio meo obtemperaveritis*. Pro *peſte* intelligi quoque poſſent locuſtæ, de quibus infra eſt ſermo cap. 10. 13.

C Peribisque de terra.] Pharao non periit ob eam plagam, quam hic illi Moyſes intentat; ſed in mari rubro ſubmerſus fuit. Ita intelligi poteſt in eo ſenſu, quem ſupra adnotavimus: *Ego potuiſſem te percutere peſte, & te, populumque tuum conſicere: verum te reſervare volui, ut ultionis meæ eſſes exemplum*.

℣. 16. Posui te.] Hebraice העמדתיך *Suſcitavi te*; ego te ad dignitatem evexi; ego te ſervavi. Chaldaice: ego te ſuſtuli, te paſſus ſum. Septuaginta; Διετηρήθης. Tu reſervatus fuiſti. Sanctus Paulus Rom. 9. 17. *Excitavi te, ut oſtendam in te virtutem meam*. Deus impiis utitur, ut ſibi gloriam captet. *Malarum voluntatum juſtiſſimus ordinator, ut bene utatur etiam voluntatibus malis*. Aug. de Civit.

D l. 9. c. 17.

℣. 17. Adhuc retines populum meum.] Hebraice מסתולל בעמי: Inſurgis etiam contra populum meum; vel ſubditum adhuc tenes, atque pedibus veluti obteris. Septuaginta Ἐμποιῇ τοῦ λαοῦ μου: Inſultas populo meo; vel, tu te veluti aggerem objicis ad egreſſum populi mei.

℣. 18. A die, qua fundata est.] Ex quo ex-

coli

1 במקנה אשר בשדה בסוסים.
2 דבר כבד מאד. 70. Θάνατος μέγας σφόδρα.
3 והפלה.
4 לשחין פרח אבעבעת.
5 Clericus hebraicam vocem שחין derivat a Chaldaica שחן *caleſcere, caleſieri*.
6 Ἕλκη φλυκτίδες ἀναζέουσαι.
7 Ἐξανθοῦσαι.
8 Πεταζόμεναι.
9 אל לבך.

coli cœpit ad hanc uſque diem. Ex quo Ægyptus eſt Ægyptus, numquam decidit ſimilis grando. Veteres nonnulli [1] contendarunt Ægyptum, illam ſaltem, quæ eſt infra Thebaidem, effectam fuiſſe terrarum, ac limi congerie, quem Nilus defluens ſuis inundationibus defert. Arbitrari fortaſſe quis poſſet, Moyſem huic opinioni favere in hoc loco; ſed oppoſitum ſatis claee oſtendit cum ait, *Cham* filium Noe, & poſteros illius ſedem ſuam jam conſtituiſſe eo tempore, quo, juxta hos autboras, Ægyptus eſſe nonniſi magna palus debuerat.

℣. 23. DOMINVS DEDIT TONITRVA, ET GRANDINEM, ET DISCVRRENTIA FVLGVRA SVPER TERRAM.] Author libri Sapientiæ refert, ea in occaſione miraculum admodum extraordinarium viſum fuiſſe, cum ignis, & equa ſimul eſſent commixta; ita ut aqua, quæ flammas extinguit, igni videretur majorem addere virtutem. Sap. 16. 16. 17. *Quod enim mirabile erat, in aqua, quæ omnia extinguit, plus ignis valebat.* Nec deſunt qui aſſerant, grandinem banc ſinu ſuo continuiſſe ignem, qua in terram delapſa ignis exarſit, atque diffuſus eſt. Hebræus ad litteram [2]: *Dominus dedit voces* (hoc eſt tonitrua) *& grandinem, & ignis diffuſus eſt ſuper terram; & Dominus pluere fecit grandinem ſuper terram.* Nomine ignis, intelligi poſſunt fulgura, aut verus ignis de cœlo, qui in terram delapſus eſt, atque in cinerem obvia quæque convertit. Hoc autem palam in Pſalmis [3] adnotatur; *Et tradidit grandini jumenta eorum, & poſſeſſionem eorum igni.* Et alibi: *Poſuit pluvias eorum grandinem: ignem comburentem in terra ipſorum.* In Ægypto inferiori, & prope mare, ubi erant Iſraelitæ, pluit aliquando, ſed parum, ut ait Philo de vita Moſ. l. 1. Thevet. in Coſmogr. Alii [4] aſſerunt ibi multum, & ſæpius pluere. Moyſes idem ℣. 18. innuit, quod plueret Tanis. Vanslebius [5] ait, Memphi, ac in finitimis regionibus frequentius, & abundantius pluere. Proſper Alpinus l. 1. c. 7. de medic. Ægypt. ait pluviam, quæ illuc decidit, eſſe ad inſtar roris, ac nonniſi perquam raro ibi grandinem, aut glaciem, aut nivem deſævire: ſed in Ægypto ſuperiori ultra Memphim, numquam pluere. Herodotus l. 3. c. 10. ſe a Thebarum ſacerdotibus percepiſſe ait illos numquam audiſſe, quod in regionem ipſorum pluvia deciderit, niſi regnante Pſammitico. Philo de vita Moyſis l. 1. aſſerit, temporibus Moyſis in univerſa Ægypto pluiſſe, quod illi regioni inauditum erat, ac novum; neque enim antea viderant pluviam, grandinem, aut tonitru. Pluvia hoc verſiculo non exprimitur, notatur vero ℣. 33. 34.

℣. 28. ORATE DOMINVM, VT DESINANT TONITRVA DEI.] Hebraicus Textus verti poteſt: *Orate Dominum, hoc enim ſatis eſt, ne audiantur amplius hæc Tonitrua* (voces) *Domini.* Chaldaice: Orate Dominum, ut nobis pacem largiatur, neque audiamus amplius hæc tonitrua maledictionis Domini. Textus Hebraicus itaquoque poteſt transferri: *Orate Dominum; hoc eſt ſatis* (ſatis mulctati ſumus; vel nimium eſt hæc pati tonitrua) *Orate illum, ut ea ceſſare jubeat, & ego vos dimittam.*

℣. 29. CESSABVNT TONITRVA.] Septuaginta eddunt pluviam, quæ refertur verſiculo 33.

VT SCIAS QVIA DOMINI EST TERRA.] Ethnici opinabantur ſingulis Regionibus, ſingulos Deos præeſſe, quorum poteſtas in aliorum Numinum regiones minime protendebatur. Moyſes oſtendit Pharaoni, Deum Hebræorum Deum eſſe univerſæ terræ, elementorum omnium, & Ægypti præcipue, quis ibi prodigia fuerat operatus in aere, in aquis, in terra, ſuper homines, & ſuper animantia &c. Vide ℣. 12. & 20. Cap. 8. ubi eadem invenitur locutio.

℣. 31. EO QVOD HORDEVM ESSET VIRENS, ET LINVM JAM FOLLICVLOS GERMINARET.] Hebraice ita habetur [6]: *Hordeum erat virens, & lino ſua erat altitudo*: Vel; *Hordeum virides ariſtas habebat, & Linum granum ſuum producebat.* Granum illius effici incipiebat, & Hordei ariſta nondum erat in maturitate ſua. In ea regione ſeritur Hordeum, & linum, uti quoque & triticum ante hyemem, quæ ibi eſt maxime moderata. Plin. l. 18. c. 7. *In Ægypto hordeum ſexto a ſatu menſe, frumenta ſeptimo metuntur.* Vide dicta ad Agg. 2. 20. In Italia quoque, teſte Columella l. 2. c. 10. idem fieri conſueverat. Hordei meſſis ſtatim a feſtivitate Paſchatis incipiebat in Palæſtina; atque ideo etiam in Ægypto [7], quæ non minus fertilis erat, nec minus calida, quam Palæſtina; itaque hordeum ariſtas habere debebat penitus formatas, atque maturitati proximas.

Moyſes hæc opponit matureſcentia grana, & quorum imminebat meſſis, aliis granis, quæ ſerius metuntur, veluti tritico, cujus meſſis in Palæſtina poſt hordei meſſem incipit. Adſunt etiam, qui credunt, eam incipere conſueviſſe tantum poſt Pentecoſten. Ita docent Buxtorfius Synagog. Jud. c. 15. Maldonatus in Matt. 12. ℣. 1. Vide Comment. noſtrum ad Exodum 23. 16. Sed ex Scriptura oppoſitum liquet, quia die feſto Pentecoſtes in templum inferabantur primitiæ omnium ſegetum, quæ idcirco tunc temporis perfectæ eſſe debuerant. Vide Exod. 23. 16. & 34. 22. Cum Nili exundatio in Ægypto ſub initium Caniculæ accideret, opus erat, ut ante illud tempus meſſes omnes completæ fuiſſent. Bonfrerius clarius oſtendit in ea regione meſſes occœpiſſe prope Kalendas Aprilis, atque expleri conſueviſſe ſub finem Maii [8]. Ariſtophanes in avibus p. 565. ait, Phœnices, atque Ægyptios meſſes ſuas peragere, cum cuculus canere incipit.

℣. 32. TRITICVM AVTEM, ET FAR.] Septuaginta: Triticum, & *olyra*, quæ frugis genus eſt, quod partim Tritico, partim Hordeo propius accedit. Habebant Ægyptii genus frugis, quod *ſpeltam* latini vocant, *Zeam* græci, quo alebantur. Alicubi in Gallia ſeges hæc reperitur; mola frangitur, veluti hordeum mundatum, & cum lacte coquitur. Herodotus l. 2. c. 36. ait Ægyptios nunquam comedere conſueviſſe triticum, vel hordeum, vel aliud quidpiam ex iis confectum. Strabo l. 7. p. 555. loquitur de quodam Ægypti grano, quod *Corſium* appellatur, & de alio, quod *Cicus* dicitur, atque de quodam panis genere, qui *Cakes* dicitur, vel *Kolleſtes*. Genuina Hebraicarum vocum כסמת & חטה *Chitta* & *Cuſſemet* ſignificatio ignoratur, & quæ grani, & frugis ſpecies ſignificetur, latet. S. Hieronymus [9], ait per *Cuſſemet* ab aliis intelligi Viciam, ab aliis Avenam, ab aliis ſiliginem, vel ſpeltam.

℣. 33. NEC VLTRA STILLAVIT PLVVIA.] Chaldaica verſio ait, *pluviam, quæ decidit, ad terram uſque non perveniſſe*, manu Dei ſuſpenſam. Hebraicus textus [10] poſſet facile hunc ſenſum pati, niſi ſequens opponeretur illi verſiculus, aut alii Scripturæ loci (vide ℣. 23. & Pſal. 104. 32.) ubi grando, & pluvia ſimul decidiſſe dicuntur, vel pluvia nihil aliud aſſeritur fuiſſe, quam grando: *Poſuit pluvias eorum grandinem.*

1 Herodot. l. 2. c. 5.
2 קולות. 70. Φωνὰς voces. Alius, ἀνέμων ἦχον, ventorum ſonitus. Alius, Βροντὰς, tonitrua.
3 Pſal. 77. 48. & 104. 32.
4 Proſper. Alpinus de medic. Ægypt. l. 1. c. 7.
5 Vansleb, Relat. Aegypt. p. 37. & 345.
6 השעורה אביב והפשתה גבעל
7 Proſper Alpin. l. 1. de medic. Aegypt. c. 7.
8 Plin. 18. 18. Leo Afer. l. 8. c. 4. Caſſian. collat. 15. c. 4. Joſeph lib. 3. Antiq. c. 10. Joſue 3. 15.
9 Hieron. in Ezech. 4. Septuag. Th. Ὄλυρα. Aqu. Ζέα.
10 ומטר לא נתך ארצה

C A-

CAPUT X.

Octava plaga, Locuſtæ. Nona Tenebræ. Obduratio Pharaonis, qui non vult Iſraelitis permittere, ut ſecum ſua abducant armenta.

1. ET dixit Dominus ad Moyſen: Ingredere ad Pharaonem; ego enim induravi cor
ejus, & ſervorum illius: ut faciam ſigna mea hæc in eo: 2 Et narres in auri-
bus filii tui, & nepotum tuorum, quoties contriverim Ægyptios, & ſigna
mea fecerim in eis: & ſciatis, quia ego Dominus. 3 Introierunt ergo Moyſes, & Aaron
ad Pharaonem, & dixerunt ei: Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum: Uſquequo non
vis ſubiici mihi? dimitte populum meum, ut ſacrificet mihi. 4 Sin autem reſiſtis, &
non vis dimittere eum, ecce ego inducam cras locuſtam in fines tuos: 5 Quæ operiat
ſuperficiem terræ, ne quidquam ejus appareat, ſed comedatur, quod reſiduum fuerit
grandini: corrodet enim omnia ligna, quæ germinant in agris. 6 Et implebunt domos
tuas, & ſervorum tuorum, & omnium Ægyptiorum: quantam non viderunt patres tui,
& avi, ex quo orti ſunt ſuper terram, uſque in præſentem diem. Avertitque ſe, & e-
greſſus eſt a Pharaone. 7 Dixerunt autem ſervi Pharaonis ad eum: Uſquequo patiemur
hoc ſcandalum: dimitte homines, ut ſacrificent Domino Deo ſuo: nonne vides, quod
perierit Ægyptus? 8 Revocaveruntque Moyſen, & Aaron ad Pharaonem, qui dixit
eis: Ite, ſacrificate Domino Deo veſtro: quinam ſunt, qui ituri ſunt? 9 Ait Moyſes:
Cum parvulis noſtris, & ſenioribus pergemus, cum filiis, & filiabus, cum ovibus, &
armentis; eſt enim ſolemnitas Domini Dei noſtri. 10 Et reſpondit Pharao: Sic Domi-
nus ſit vobiſcum, quomodo ego dimittam vos, & parvulos veſtros: cui dubium eſt,
quod peſſime cogitetis? 11 Non fiet ita, ſed ite tantum viri, & ſacrificate Domino:
hoc enim & ipſi petiſtis. Statimque ejecti ſunt de conſpectu Pharaonis. 12 Dixit au-
tem Dominus ad Moyſen: Extende manum tuam ſuper terram Ægypti ad locuſtam, ut
aſcendat ſuper eam, & devoret omnem herbam, quæ reſidua fuerit grandini. 13 Et
extendit Moyſes virgam ſuper terram Ægypti: & Dominus induxit ventum urentem to-
ta die illa, & nocte: & mane facto, ventus urens levavit locuſtas. 14 Quæ aſcende-
runt ſuper univerſam terram Ægypti: & ſederunt in cunctis finibus Ægyptiorum innu-
merabiles, quales ante illud tempus non fuerant, nec poſtea futuræ ſunt. 15 Operue-
runtque univerſam ſuperficiem terræ, vaſtantes omnia. Devorata eſt igitur herba terræ,
& quidquid pomorum in arboribus fuit, quæ grando dimiſerat: nihilque omnino virens
relictum eſt in lignis, & in herbis terræ, in cuncta Ægypto. 16 Quam obrem feſtinus
Pharao vocavit Moyſen, & Aaron, & dixit eis: Peccavi in Dominum Deum veſtrum,
& in vos. 17 Sed nunc dimittite peccatum mihi etiam hac vice, & rogate Dominum
Deum veſtrum ut auferat a me mortem iſtam. 18 Egreſſuſque Moyſes de conſpectu
Pharaonis, oravit Dominum. 19 Qui ſtare fecit ventum ab occidente vehementiſſimum,
& arreptam locuſtam projecit in mare rubrum: non remanſit ne una quidem in cunctis
finibus Ægypti. 20 Et induravit Dominus cor Pharaonis, nec dimiſit filios Iſrael. 21
Dixit autem Dominus ad Moyſen: Extende manum tuam in cœlum: & ſint tenebræ ſu-
per terram Ægypti, tam denſæ, ut palpari queant. 22 Extenditque Moyſes manum in
cœlum: & factæ ſunt tenebræ horribiles in univerſa terra Ægypti tribus diebus. 23
Nemo vidit fratrem ſuum, nec movit ſe de loco, in quo erat: ubicumque autem habi-
tabant filii Iſrael, lux erat. 24 Vocavitque Pharao Moyſen, & Aaron, & dixit eis:
Ite, ſacrificate Domino: oves tantum veſtræ, & armenta remaneant, parvuli veſtri eant
vobiſcum. 25 Ait Moyſes: Hoſtias quoque, & holocauſta dabis nobis, quæ offeramus
Domino Deo noſtro. 26 Cuncti greges pergent nobiſcum: non remanebit ex eis un-
gula: quæ neceſſaria ſunt in cultum Domini Dei noſtri: præſertim cum ignoremus, quid
debeat immolari, donec ad ipſum locum perveniamus. 27 Induravit autem Dominus
cor Pharaonis, & noluit dimittere eos. 28 Dixitque Pharao ad Moyſen: Recede a me,
& cave, ne ultra videas faciem meam: quocumque die apparueris mihi, morieris. 29
Reſpondit Moyſes: Ita fiat, ut locutus es, non videbo ultra faciem tuam.

℣. 2. Quo-

℣. 2. QUOTIES CONTRIVERIM ÆGYPTIOS.] Hebraice [1]: *Quæ ego fecerim in Ægypto.* Septuaginta [2]: *Quo pacto luſerim in Ægyptios.*

℣. 3. USQUEQUO NON VIS SUBJICI MIHI?] Hebraice [3]: *Uſquequo non vis te humiliare*, te affligere, mollire, & pœnitentiæ ſenſus concipere *coram me?* Uſquequo non humiliaberis ſub manu mea? Septuaginta [4]: *Uſquequo me vereri non vis*, timere &c.

℣. 5. NEC QUIDQUAM EJUS APPAREAT.] Tanta erit locuſtarum copia, ut tellus omnis obtegatur. Onkelos: *Hæ locuſtæ cooperient terram, ita ut ſolares radii ad eam uſque pervenire nequeant.* Videlicet; Ea erunt in copia, ut volantes aerem obſcuraturæ ſint. De his locuſtarum nubibus videri inferius poteſt ℣. 13.

℣. 7. USQUEQUO PATIEMUR HOC SCANDALUM.] Verti poteſt [5]: *Uſquequo homo hic nobis erit laqueum*, aut lapis offenſionis [6]. Uſquequo homo hic affliget nos, nos perſequetur, veluti venator, qui volucres capit in retibus ſuis, vel in pedicis? Nonne vides Ægyptum univerſam devaſtatam eſſe? *Hoc ſcandalum* referri poteſt vel ad Iſraelitas, qui origo erant infortunii Ægyptiorum, aut ad plagam, qua hi actu affligebantur; aut ad Moyſen, & Aaron, qui ultionis Divinæ erant inſtrumenta.

℣. 9. CUM PARVULIS NOSTRIS, ET SENIORIBUS PERGEMUS.] In ſolemnibus his Religionis conventibus omnes intererant, homines, mulieres, pueri; verbo, ii omnes, quos vel ægritudo, vel neceſſitas ſumma domi ſuæ non detinebat. Hæ ſolemnitates frequentes erant in Ægypto, & Ægyptii ſe inventores illarum extitiſſe jactabant. Herodotus l. 2. c. 58. 59. narrat modum, quo populus hic Bubaſtem proficiſcebatur quodam ex his feſtis diebus, in cymbis per Nilum, cum uxoribus, & filiis. Aſſerit ille, huic ſolemnitati adeſſe conſueviſſe uſque ad ſeptingenta virorum, mulierumque millia, nulla puerorum habita ratione. Moyſes ait, opus eſſe, ut omnes cum armentis adeſſent: homines quidem, qui ſolemnem diem celebrarent, armenta quoque, ut victimæ præſto eſſent, quas Deus vellet imperare.

℣. 10. SIC DOMINUS SIT VOBISCUM.] Hæc imprecatio eſt, atque ironia: Sic Dominus ſit vobiſcum, quomodo ego cupio dimittere vos: Aſt vobis permittere nequaquam opto; ita quoque Deum precor, ut a vobis recedat. Sæpius in imprecationibus utimur iis vocibus, quæ contrarium ſignificent ab eo, quod intelligimus. Exempli gratia, accuſatur Naboth, quod *benedixit Deum, & Regem* &c. 3. Reg. 21. 10. cum dici debuerat, ipſum blaſphemaſſe Deum, ac de Rege fuiſſe oblocutum.

CUI DUBIUM EST, QUOD PESSIME COGITETIS.] Hebraice [7]: *Videte me habere malum coram vobis*; Vel; *Videtis malum eſſe ſuper faciem veſtram.* Pravum conſilium veſtrum in oculis veſtris, in facie veſtra conſpicitur. Ita intelligi poteſt juxta Septuaginta [8]: Videte, ne malum vos deprehendat. Vel, dignoſcitur utique, pravum eſſe vobis conſilium. Chaldaice: Cavete, ne malum, quod patrare vultis, in vos decidat. Syriaca verſio intelligit, perinde ac Pharao illorum poſtulatis annueret: *Ille dixit eis: Hoc vobis permitto: Sic Dominus ſit vobiſcum; & cum dimiſero vos cum rebus veſtris, cavete, ne quod vos malum deprehendat.*

A PARVULOS VESTROS.] Septuaginta [9]. *Res veſtras.* Symmachus, familiam veſtram. Hebraicus textus, & Aquila, *filiolos veſtros.*

℣. 11. HOC ENIM ET IPSI PETISTIS.] Neutiquam verum eſt, quod Moyſes petierit abducere tantum homines, atque conſenſerit mulieres, ac pueros relinquere: verum hac de re nondum ſuum prodiderunt ſenſum, atque ſimpliciter Regem fuerat precatus, ut per eum Hebræis liceret diſcedere ad trium dierum iter, ut ſolemnitatem Deo ſuo celebrarent. Textus ad litteram: *Ite igitur, vos viri, ac Deo veſtro ſervite, quandoquidem hoc quæritis.*

℣. 13. INDUXIT VENTUM URENTEM.] Vox *Kadim* [10] fere transfertur pro vento Eoo. Ita Munſterus, Fagius, Vatablus, Bonfrerius, Druſius. Septuaginta,
B & Philo explicant de vento Meridionali *Νότῳ*, *Noto.* Aquila, & Symmachus vertunt, uti Vulgata, *ventum urentem.* Ægyptiis nullus magis noxius ventus erat, quam meridionalis, quem *meriſſi* hodie vocant. Ventus hic calidus eſt adeo, atque incommodus, ut ſpiritum intercludat. Adeo vero violentus ut palearum, atque arenæ maximam in aerem copiam evehat, ut aer ſit ipſis uſquequaque refertus; arena autem minuta eſt adeo, atque penetrans, ut non ſolum obſignatas arcas, verum ovum ipſum, licet integrum pervadat. Triticum, & fruges corrumpit, & plurimas efficit ægritudines. Nomine eodem Orientales venti appellantur, eumdemque gignunt effectum [11]. Itaque non mirum eſt ſi Philo, & Septuaginta pro vento orientali Meridionalem ponant. Idem enim
C eſt, quoad effectum, & nomen in Scripturis.

Illi [12], qui adhærent Septuaginta, & qui hic meridionalem ventum intelligunt, aſſerunt locuſtas in Ægyptum delatas fuiſſe a vento, qui ab Æthiopia flabat, ubi magna locuſtarum erat copia, uti videre eſt in hujus regionis hiſtoria apud Ludolfum. Qui vero eam ſententiam ſequuntur, quæ legit ventum Orientalem, locuſtas ex Arabia deducunt, quæ eſt ad Orientem Ægypti. Viatores nonnulli loquuntur de extraordinario quodam vento, qui flat in Arabia, atque a Perſide proficiſcitur. Ventus hic calidus, & ſiccus eſt adeo, ut quidquid obvium eſt, urat; cutem in rugas contrahat; vultum, manuſque exſiccet, & præter propter æque afficiat corpora, ac ignis. Hic plane ventus ille eſt, quem ſæ-
D pius appellat Moyſes, *ventum Kadim*, & quem Vulgata *ventum urentem* transfert. Ventus hic ab iis regionibus flat, quas nomine *Kedem*, aut Orientis novimus in Scriptura. Gen. 41. 6.

Plinius lib. 11. cap. 29. ait, locuſtas plerumque ova ſua edere autumno, ut inde fœtus emergant vere. Illæ aliquando ab una in aliam regionem migrant, ut ſibi victum comparent; & cum in priori ſui incolatus loco omnia fuerint depaſtæ, ultra mare prætervehi viſæ ſunt, ut ſibi victum quærerent. Hinc autem fit, ut credibilis ſit ipſorum tranſitus ex Arabia in Ægyptum, ſuper mare rubrum. In Cyrenaica Ægypto proxima ter in anno locuſtis bellum indicitur: prius ipſarum ova infringendo, deinde ipſarum filios enecando: & denique cum percrebuerint expellendo. Quicumque huic bello non adeſt, veluti transfuga habetur. Eadem uti debent cura inſulæ Lemni, ac Syriæ incolæ. Hæc inſectilium peſtis

---

1 התעללתי במצרים
2 Ὅσα ἐμπέπαιχα τοῖς Αἰγυπτίοις.
3 לענת מפני
4 Ἐντραπῆναί με.
5 עד מתי יהיה זה לנו למוקש
6 70. Ἕως τίνος ἔσαι τοῦτο ἡμῖν σκῶλον. Aquil. Sym. Πρόσκομμα. Scandalum: Samar. Εἰς ἄτας. In noxas.
7 ראו כי רעה נגד פניכם
8 Ἴδετε ὅτι πονηρία πρόκειται ὑμῖν.
9 Heb. טפכם את. 70. Τὴν ἀποσκευὴν ὑμῶν. Sym. Τὸν ὄχλον ὑμῶν. Aqu. Τὰ τέκνα ὑμῶν.
10 קדים Aqu. Sym. Καύσωνα. 70. Νότον.
11 Vansleb. Itiner. Aegypt. p. 36. 39. 40.
12 Eugubinus, Ludovicus de Dieu, Bochartus.

peſtis dentum ira immitti exiſtimatur : *Deorum ira peſtes intelligitur*. Moyſes hic ℣. 17. mortalem plagam appellat. *Auferas a me mortem iſtam*. Videtur aliquando horum animalium ea multitudo, ut aerem obſcuriorem reddant, in non latis parva terræ extenſione ; & populi, qui ea in aere conſpiciunt, ſemper expaveſcunt, ne in ipſorum regionibus effundantur : Solemque *obumbrant, ſollicite ſpectantibus populis, ne ſuas operiant terras*. In quibuſdam regionibus Orientis locuſtæ admodum majoribus noſtratibus ſunt : & Plinius refert ipſas aliquando anguium collo hærentes ipſis mortem inferre. Author libri Sapientiæ cap. 16. 9. refert, locuſtas Ægyptiorum corporibus inſediſſe, & illis mortales morſus inflixiſſe : *Illos enim locuſtarum, & muſcarum occiderunt morſus*. Denique validus quandoque ventus locuſtas gregatim attollit, eaſque vel in mare, vel in lacus præcipites agit : *Gregatim ſublatæ vento in maria, aut ſtagna decidunt*. Hoc evenit locuſtis, quæ ex Arabia in Ægyptum delatæ fuerunt ab Orientali vento, & quæ in rubrum mare dejectæ fuerunt a vento contrario, qui ab Occidente, atque Septentrione flabat. Vide verſ. 19.

℣. 14. QUALES ANTE ILLUD TEMPUS NON FUERANT.] Joel eadem dicit de locuſtis, quæ Judæam temporibus ipſius ſunt depopulatæ cap. 1. 2. & 2. 3. *Populus multus, & fortis ; ſimilis ei non fuit a principio, & poſt eum non erit uſque in annos generationis, & generationis*. Scriptura adhibet aliquando grandiores locutiones, ut noſtro intelligendi modo ſe adaptet. Cum aliquid eſt patratum, admodum terribile, extraordinarium, dicitur nihil umquam ſimile fuiſſe : re quidem vera numquam facta inveniuntur, quæ aliis penitus ſimilia ſint : differunt ſemper inter ſe quadam circumſtantia.

℣. 15. QUIDQUID POMORUM.] Hebraicus textus ita legit : *Omnes fructus arborum, qui grandini ſuperfuerant* ; quia plures jam maturitati proximi eſſe debebant ea in regione, ubi hordei meſſis menſe Martio peragitur.

℣. 19. FLARE FECIT VENTUM AB OCCIDENTE.] Hebraicus textus [1], & Septuaginta [2] ita legunt : *Deus immutavit ventum violentum* ; vel, ſuſcitavit Deus a maris Mediterranei latere ventum violentum, qui, locuſtas in rubrum mare dejecit. Supponamus, neceſſe eſt locuſtas has uſquequaque in Ægypto inferiori diffuſas fuiſſe. Itaque ut in rubrum mare dejicerentur, opus erat, ut ventus a Mediterraneo inſurgens, ab Occidente flaret, atque a Septentrione. Mare hoc non eſt ad Occidentem Ægypti, verum ad illius Septentrionem Occidentalem. Cum S. Hieronymus tranſtulit textum, qui *de vento a mari flante* loquitur, *ventum ab Occidente*, ob oculos illius verſabantur plures Scripturæ loci, ubi mare Occidentem innuit ; quia Mediterraneum eſt Palæſtinæ Occiduum. Sed cum Moyſes loquatur hic de Ægypto, ad cujus Orientem eſt mare rubrum, Mediterraneum ad Septentrionem Occidentalem, retineri potuiſſet ſimpliciter hebraica locutio, quæ habet : Ventum a mari.

Mare rubrum in Scripturis appellatur *mare Suph*, aut *mare algæ*, vel herbarum, aut juncorum, propter magnam algæ copiam, quæ in maris hujus imo ſubſidet, atque in littoribus reperitur. Hoc Alexandro Magno retulere, qui ab ipſo miſſi fuerant maris hujus litora ſpeculaturi ; aſſeruerunt enim herbam, quæ erat in ima parte, algæ marinæ colorem referre [3]. Diodorus Siculus Biblioth. lib. 3. ait mare hoc vireſcere propter algam, & herbas, quæ ſub aquis illis vireſcunt. Lobo in Relatione ſua pag. 7.

A & 8. ait alicubi in rubro mari, rubras notas videri, quæ oriuntur ex alga marina in maris imo putreſcente. Hanc herbam Æthiopes *Suefo* nuncupant ; quæ paſſim creſcit in Indiis, aliiſque pluribus Aſiæ regionibus. Appellatur quoque *Suſo* & hujus plantæ ſemen, & flos, qui croceo flori haud eſt abſimilis. Hodie quoque rubrum mare appellatur *Bahr-ſuf*.

Rubri maris nomen non extat in Veteris Teſtamenti hebraico textu. Latet autem, utrum nomen hoc illi ab Ægyptiis, an ab Phœnicibus inditum fuerit. Sed veriſimile eſt admodum rubri maris nomen originem ducere ab Edom, filio Iſaac, cujus regio huc uſque protendebatur. Patet Edom ſignificare rubrum, & creditur Edom idem fuiſſe, ac Rex E-B rythros, de quo Profani loquuntur, & de quo nonnihil diſſeruimus in Geneſim cap. 36. 43. Hodie vocatur adhuc *Bahr-ſuf*, & herba, quæ ibi oritur, *Suefo*. Nonnulli falſo opinati ſunt, vocem hanc hebraice ſignificaſſe rubrum.

Alii viatores, qui per hoc mare delati ſunt, referunt, aquas illius alicubi rubras videri propter arenam, quæ hunc colorem præfefert, eumdemque communicat aquis, quæ in iis locis minime ſunt profundæ. Joannes de Caſtro, Nobilis Luſitanus, ait, ſe ſatis perſpicuam hanc aquam inveniſſe, cum ea ex vitro quodam hauſiſſet : ſed cum illuc deſcendere urinatores quoſdam juſſiſſet, ea imo advexiſſe materiam quamdam rubram, non ſecus ac ramuſculos coralii, ſubflava pelle obductos. Tractus, ubi frequen-C tiores hæ adſunt notæ, a Suaguen patet ad portum Coſſir centum, & triginta leucarum intervallo : ſed a Tor uſque ad Sues rubræ hæ notæ nullæ apparent. Alii quoque in hoc mari loci adſunt, ubi virides notæ videntur, quæ ex coralii albi ſpecie, viridi quadam re obducti, quæ in imo ſubſidet, oriuntur. Alibi, ubi mare candidum videtur, alba arena dignoſcitur ; ita ut ubicumque mare non adeo profundum eſt, rei illius, quæ in imo jacet, colorem exhibeat.

℣. 21. TENEBRÆ TAM DENSÆ, UT PALPARI QUEANT.] Obſcuritas, quam aer humidus, denſuſque nebulis, & fumis refertus genuit : ita ut ſi Philoni credendum eſt, neque ignis accendi poſſet, nec lumen in Ægyptiorum domibus aſſervari. Textus D has tenebras denſas adeo deſcribit, ut palpari poſſent, ac manibus tangi. Lyranus, Toſtatus, & Cajetanus credunt Deum Solares radios detinuiſſe, aut alio vertiſſe, ne Ægyptum illuſtrare poſſent : verum Paulus Burgenſis ſimpliciter aſſerit, Solares radios minime pervadere potuiſſe harum nebularum denſitatem. Diodorus Siculus Biblioth. lib. 4. pag. 230. edit. Gryp. teſtatur, in finibus Ægypti verſus regionem Troglodytarum, aliquando ſummo meridie homines invicem ſe ipſos videri non poſſe, licet maxime proximos propter aeris denſitatem, quam nimius efficit calor. Chaldaica verſio ita habet : *Sint tenebræ in Ægypto, etiam præter noctis tempus*. Alii ita hebraicum textum [4] transferunt : *Sint tenebræ* (ita denſæ) *ut propellant* aliquomodo *noctem* ; vel ſint te-E nebræ ſuper univerſam terram Ægypti, ita ut pedepreſſim eundum ſit in medio obſcuritatis. Reor poſtremum hunc genuinum eſſe loci hujus ſenſum. Vide Deuteronom. 28. 29. & Job 5. 14. 12. 25.

℣. 23. NEMO VIDIT FRATREM SUUM.] Invicem non videbantur. Author libri Sapientiæ cap. 17. 4. refert, in his tenebris Ægyptios vidiſſe tantum phantaſmata, & ſpectra, quæ illos perterrebant, & fulgura, quæ ſubinde apparebant, & quæ ipſorum augebant formidinem. Pſalmiſta quoque idem innuere

1 ויהפך רוח ים חזק מאד וישא את הארבה ויתקעהו ימה סוף.

2 Καὶ μετέβαλεν κύριος ἄνεμον ἀπὸ θαλάσσης σφοδρόν, καὶ ἀνέλαβε τὴν ἀκρίδα, καὶ ἐνέβαλεν αὐτὴν εἰς τὴν ἐρυθρὰν θάλασσαν.

3 Χλόην ἔχειν ἔοικεν ταῖς φυκίοις.

4 ויהי חשך וימש חשך.

nuere voluiſſe videtur pſalm. 77. 49. cum ait, *Indignationem, & iram, & tribulationem, immiſſiones per Angelos malos*, pro tenebris, de quibus non loquitur, cum locutus fuerit de omnibus aliis plagis.

℣. 29. NON VIDUBO ULTRA FACIEM TUAM.] Subintelligi poteſt; niſi tu me quæſiveris. Hoc cu- A tem accidit; nam Pharao accerſivit Meyſem, & Aaronem, ut illis facultatem tribueret cum populo ſuo abeundi. Moyſes jam divina edoctus revelatione cognoverat quid futurum erat. Vide verſ. 1. capitis ſequentis.

C A P U T XI.

Decima plagæ prædictio, quæ eſt mors Primogenitorum, & quo pacto Hebræi de Ægypto egredi debebant.

℣. 1. ET dixit Dominus ad Moyſen: Adhuc una plaga tangam Pharaonem, & Ægy-
ptum, & poſt hæc dimittet vos, & exire compellet. 2 Dices ergo omni ple-
bi, ut poſtulet vir ab amico ſuo, & mulier a vicina ſua, vaſa argentea, &
aurea. 3 Dabit autem Dominus gratiam populo ſuo coram Ægyptiis. Fuitque Moy-
ſes vir magnus valde in terra Ægypti, coram ſervis Pharaonis, & omni populo. 4
Et ait: Hæc dicit Dominus: Media nocte egrediar in Ægyptum: 5 Et morietur om-
ne primogenitum in terra Ægyptiorum, a primogenito Pharaonis, qui ſedet in ſolio e-
jus, uſque ad primogenitum ancillæ, quæ eſt ad molam, & omnia primogenita jumen-
torum. 6 Eritque clamor magnus in univerſa terra Ægypti, qualis nec ante fuit, nec
poſtea futurus eſt. 7 Apud omnes autem filios Iſrael non mutiet canis ab homine uſ-
que ad pecus: ut ſciatis, quanto miraculo dividat Dominus Ægyptios, & Iſrael. 8
Deſcendentque omnes ſervi tui iſti ad me, & adorabunt me, dicentes: Egredere tu,
& omnis populus, qui ſubjectus eſt tibi: poſt hæc egrediemur. 9 Et exivit a Pha-
raone iratus nimis. Dixit autem Dominus ad Moyſen: Non audiet vos Pharao, ut
multa ſigna fiant in terra Ægypti. 10 Moyſes autem, & Aaron fecerunt omnia oſten-
ta, quæ ſcripta ſunt coram Pharaone. Et induravit Dominus cor Pharaonis, nec dimi-
ſit filios Iſrael de terra ſua.

℣. 1. DIXIT DOMINUS AD MOYSEM.] Si ad nonum capitis hujus verſiculum animum advertimus: *Exivit Moyſes a Pharaone iratus nimis*, illum cum præcedentis capitis fine conferentes, *Non videbo ultra faciem tuam*, videbitur Deus Moyſi revelaſſe ea, quæ octo prioribus capitis hujus verſiculis continentur, tempore eodem, quo Moyſes a Pharaone egreſſus eſt; verum præſtat tres priores hujus capitis verſiculos in præteritum pluſquam perfectum vertere, eoſque parentheſi claudere, ita ut narrationis decurſus a verſiculo quarto incipiat, hoc pacto: [1] *Reſpondit Moyſes .... non videbo ultra faciem tuam; ([2] quia dixerat Dominus ad Moyſem .... Media nocte egrediar in Ægyptum, & morietur omne primogenitum in terra Ægyptiorum &c.) Et exivit* Moyſes *a Pharaone iratus nimis*. Quod hujus capitis initio legitur, Moyſi fuerat revelatum in priori viſione, quam habuit ad montem Horeb Exod. 3. 22. & rurſus etiam ante nonam plagam, quæ fuit tenebrarum, & quæ incœpit decima die Niſan, novem dies ante exitum de Ægypto. Vide caput 13. 3.

DIMITTET VOS, ET EXIRE COMPELLET.] Hebraice; Vos abire coget hinc, omnes egredi jubebit; & vos compellet de hac regione exire.

℣. 2. VASA ARGUNTUA, UT AURUA.] Septuaginta addunt [3] veſtes. Adnotavimus ſupra ad cap. 3. 22. quod judicium ferre liceat de furto hoc ab B Hebræis patrato: plures allatæ ſunt rationes, ut factum hoc juſtificaremus, atque oſtenderemus, nequaquam fuiſſe verum latrocinium. Iis, quæ dicta ſunt, addi poteſt, apud Veteres Ægyptios quodcumque furti genus fuiſſe permiſſum; *Apud veteres Ægyptios furta omnia fuiſſe licita, & impunita*; ut ait Aulus Gellius Noct. Attic. l. 11. cap. 18. qui id ſe legiſſe teſtatur in quodam Ariſtonis Juriſconſulti libro. Et Diodorus Siculus l. 2. c. 3. refert conſuetudinem quamdam apud eos populos, quæ ſingularis admodum eſt, ad furtum ſpectantem. Quicumque furis dolos exercere cupiebat, primùm furum principi nomen ſuum profitebatur, atque ſe ſe adſtringebat ad eum fideliter collaturum quidquid ſubripere potuiſſet; deinde vero officio ſuo fungi poterat C juxta leges, quæ illi indicebantur. Simulac quid alicui fuerat abreptum, ſi quæ amiſerat, is recuperare volebat, id, quod ſibi demptum fuerat, apud Furum principem profiteri debebat, ſimulque locum, diem, & horam furti deferre; atque illi ademptæ rei trientem donans ſecurus erat, ſe amiſſam rem recepturum. Ex his omnibus patet, non idem fuiſſe judicium in Ægypto de furto, ac in Chriſtiana Religione; & Hebræos potuiſſe non adeo cunctanter adverſus hunc populum ea uti fraude, quam Ægyptii iidem ſibi licere inter ſe, atque adverſus alios arbitrabantur: quamquam hæc ratio nullius eſt ponderis, ut furtum juſtificetur, vel in Ægyptiis, vel in He-

1 Cap. 8. 29.
2 Cap. 9. v. 4. & ſeqq.
3 Kai [illegible]

in Hebræis Patres alia inſtiterint via, ut Judæorum facinus excuſarent, uti vidimus capite tertio, verſ. 22.

℣. 4. ET AIT.] Omnis narrationis hujus decurſus oſtendit, Moyſem hæc Pharaoni dicere, antequam ab illo diſcederet. Cap. 10. verſ. ult.

MEDIA NOCTE INGREDIAR IN ÆGYPTUM.] Patres, & Interpretes in diverſa abeunt locum hunc explicaturi. Nonnulli credunt, Deum pravorum angelorum miniſterio uſum fuiſſe, ut primogenitos tolleret. Probatur hæc ſententia Pſalmorum loco, ubi ſcriptum eſt, Deum percuſſiſſe Ægyptios malis, quæ in ipſos per angelos malos immiſit: *Immiſſiones per angelos malos*. Pſalm. 77. 49. Origenes l. 8. contra Celſum, S. Auguſtinus in Pſalm. 77. S. Juſtinus Dialogo cum Tryphone, Rupertus, Lyranus, Toſtatus, aliique plures in hanc abeunt ſententiam.

Verum ſententia oppoſita non minus firmis rationibus, & authoritatibus incumbit. Deus hic ait explicite, ſe ingreſſurum in Ægyptum, atque primogenitos enecaturum. Et cap. 12. verſ. 12. & 23. hoc idem pollicetur. Author libri Sapientiæ videtur aſſerere Omnipotens Verbum Divinum hanc cædem patraſſe. Sap. cap. 18. 14. 15. 16. *Cum quietum ſilentium contineret omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, Omnipotens ſermo tuus, Domine, exiliens de cælo a regalibus ſedibus, durus debellator in mediam exterminii terram proſilivit . . . . & ſtans replevit omnia morte*. In Hiſtoria ſancta ultricis juſtitiæ Dei aliquot exempla intuemur, quæ angeli boni exercuere. Hi Sodomam, & Gomorrham deleverunt Geneſ. 19. Angelus bonus quoque Pharaonem, atque exercitum illius in mari rubro ſubmerſit Exod. 14. 24. Angelus bonus ſeptuaginta hominum millia regnante David occidit 1. Paralip. 21. ut Regem illum mulctaret, quod populi ſui cenſum habuiſſet. Angelus quoque bonus univerſam Sennacherib aciem cæcidiſſe creditur 4. Reg. 19. neque alios exiſtimamus fuiſſe duos juvenes illos, qui Heliodorum in templo Hieruſalem pœna affecarunt. 2. Macch. 3. 26.

Inter Patres S. Baſilius in Pſalm. 77. S. Chryſoſtomus in Acta homil. 43. Theodoretus, Euthymius; inter Interpretes, Cajetanus, Pererius, a Lapide, Lorinus, Barradius, aliique plurimi credunt, angelum bonum a Deo adhibitum fuiſſe, ut Ægyptios puniret. Quoad Pſalmorum locum, illi ſenſus maxime naturalis tribuitur, juxta hebraicum textum; Deus eos afflixit per ſuæ ſeveritatis miniſtros. *Immiſſiones per miniſtros malorum inferendorum*.

℣. 5. USQUE AD PRIMOGENITUM ANCILLÆ, QUÆ EST AD MOLAM.] Ex pluribus Scripturæ locis (Vide Jud. 16. 21. Iſai. 47. 1. 2. Matth. 24. 41) atque profanis authoribus liquet hoc munus fuiſſe viliſſimorum, atque maxima calamitoſorum ſervorum, in carcere incluſos lacertorum vi molam circumagere. Moyſes Exod. 12 21. dicit: Servus, qui eſt in carcere: loco dicendi, qui eſt ad molam. Hæc quidem piſtrina vere carceres erant ſervorum, ubi includebantur, & aliquando vinculis onerabantur.

℣. 7. NON MUTIET CANIS.] Adagialis locutio, ut oſtendatur quies, qua erant Hebræi fruituri, cum Ægyptii in queſtubus, & gemitibus verſabuntur. Hebraicus textus [1] adhuc magis exprimit: *Non movebit canis ſuam linguam*. Chaldæus: *Non latrabit*; Verumtamen in alio ſenſu occurrit in Judith 11. 15. Animoſa hæc mulier dixit Holoferni, futurum ut ipſe Iſrael ſubigat: *Et non latrabit vel unus canis contra te*.

UT SCIATIS, QUANTO MIRACULO DIVIDAT DO-
A MINUS ÆGYPTIOS, ET ISRAEL.] Textus Samaritanus hic habet ea, quæ ſequuntur, quæ in hebraico textu non adſunt. *Et homo hic, Moyſes vocatus, magnus erat valde in omni terra Ægypti in oculis ſervorum Pharaonis, atque in oculis populi; & Moyſes ait Pharaoni: Ecce ea, quæ dicit Dominus: Iſrael eſt filius meus, & primogenitus meus: ego tibi præcipio, ut dimittas filium meum, ut ſerviat mihi. Si renuis dimittere eum, Dominus occidet filium tuum, & primogenitum tuum. Moyſes addidit: Ecce ea, quæ dicit Dominus: Media nocte egrediar in Ægyptum, & morietur omne primogenitum in terra Ægyptiorum a primogenito Pharaonis, qui ſedet in ſolio ejus, uſque ad primogenitum ancillæ, quæ eſt ad molam, & omnia primogenita jumentorum. Eritque clamor magnus in*
B *univerſa terra Ægypti qualis nec ante fuit, nec poſtea futurus eſt. Apud omnes autem filios Iſrael non movebit linguam canis ab homine, uſque ad pecus, ut ſciatis, quanto miraculo dividat Dominus Ægyptios, & Iſrael*.

In aliquibus etiam aliis Samaritani textus locis quædam inveniuntur, quæ in Judæorum hebraico textu non extant. Harum additionum quædam ſimplices ſunt explicationes, ac ſupplementorum ſpecies, ex Deuteronomio deſumptorum, aut ab aliquo alio libro, veluti illa, quæ legitur cap. 20. poſt verſiculum 17. Obſervatur autem adfectatum ſtudium ponendi montem Garizim pro monte Hebal, qui legitur in hebraico Judæorum textu. Aliæ vero additiones ſunt ſimplices repetitiones eorum, quæ præ-
C ceſſerunt, vel explicationes effuſiores earum rerum, quæ in Textu reperiuntur. Verum ambigitur, utrum hæ poſtremæ additæ fuerint a Samaritanis, an Hebræorum Librarii, & illi, qui priores Judæorum libros Chaldaicis characteribus deſcripſerunt, repetitiones has abſciderint aliquando, & explicationes, quæ illis viſæ fuerint diffuſiores, aut nimis frequentes; an decepti vocum ſimilitudine, quæ ſæpius eædem in his locis occurrunt, nonnullas textus periodos prætererint, quin animum adverterent.

Hoc in loco Samaritanus textus perfectior mihi videtur, & melius ordinatus, quam hebraicus Judæorum textus: Quia primo, in loco, quem ad examen vocamus, verſiculus octavus in hebraico mini-
D me naturaliter cohæret cum verſiculo ſeptimo; cum in Samaritano hi duo verſiculi optime connectantur. Juxta hodiernum Judæorum textum hebraicum, Moyſes in verſ. 7. repetit Iſraelitis, quæ illi Deus dicenda præceperat; & verſ. 8. Moyſes videtur ſermonem ſuum proſequi ad Pharaonem, quin appareat, illum unquam ſermonem hunc incœpiſſe, nec qua propter hæc differat.

Tranſitus hic adeo præceps ab uno ſermone ad alium, contrarius eſt non ſolum ſtylo, & conſuetudini Moyſis, verum etiam exactæ Sacri Scriptoris diligentiæ, qui ſemper ſedulo ſermonum ſuorum notat initia. Secundo, nulla videtur ratio, qua adduci potuerint Samaritani, ut hæc ſuis libris infererent, ſi primitus ibi non fuiſſent inventa, quando-
E quidem minimum illis favent contra Judæos. Tertio, quod hic legitur, non videtur aliunde huc acceſſitum. Non ſolum nihil ordini obeſt, neque intelligi poteſt externa manu hic aſſutum fuiſſe; ſed e contra aliquid deeſſe cognoſcitur, ſi illud abſit. Quarto, hæ repetitiones characteri ſtyli Moyſis maxime congruunt, qui verborum reditus ſectatur, atque explicationes. Obſervatur in hoc libro Exodi deſcriptio Tabernaculi, vaſorumque illi inſervientium, ter iterata, atque id tribus variis in locis.

℣. 8. POPULUS QUI SUBJECTUS EST TIBI.] Hebræus [2]: *Populus, qui eſt ad pedes tuos*. Septuaginta:

---

1 לא יחרץ כלב: *Non movebit canis*, Supple, *linguam*. 70. Οὐ γρύξει κύων. Alius, οὐκ ἀποφθέγξεται κύων.
2 העם אשר ברגליך.

ta: *Populus, quem ducis*. Verti quoque poteſt: Populus, qui ſequitur te; populus, cujus dux es.

POST HÆC EGREDIEMUR; ET EXIVIT.] Hebrai-

A cus textus; & Septuaginta *Poſt hæc egredieris, & egreſſus eſt*.

CAPUT XII.

Ritus primi Paſchatis. Mors Primogenitorum Ægyptiorum. Exitus Iſrael de Ægypto.

1. DIxit quoque Dominus ad Moyſen, & Aaron in terra Ægypti: 2 Menſis iſte
vobis principium menſium: primus erit in menſibus anni. 3 Loquimini ad
univerſum cœtum filiorum Iſrael, & dicite eis: Decima die menſis hujus tol-
lat unuſquiſque agnum per familias, & domos ſuas. 4 Sin autem minor eſt numerus,
ut ſufficere poſſit ad veſcendum agnum, aſſumet vicinum ſuum, qui junctus eſt domui
ſuæ, juxta numerum animarum, quæ ſufficere poſſunt ad eſum agni. 5 Erit autem a-
gnus abſque macula, maſculus, anniculus: juxta quem ritum tolletis & hœdum. 6
Et ſervabitis eum, uſque ad quartam decimam diem menſis hujus: immolabitque eum
univerſa multitudo filiorum Iſrael ad veſperam. 7 Et ſument de ſanguine ejus, ac po-
nent ſuper utrumque poſtem, & in ſuperluminaribus domorum, in quibus comedent
illum. 8 Et edent carnes nocte illa aſſas igni, & azymos panes cum lactucis agreſti-
bus. 9 Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, ſed tantum aſſum igni:
caput cum pedibus ejus, & inteſtinis vorabitis. 10 Nec remanebit quidquam ex eo uſ-
que mane: ſi quid reſiduum fuerit, igne comburetis. 11 Sic autem comedetis illum:
Renes veſtros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in ma-
nibus, & comedetis feſtinanter: eſt enim Phaſe (ideſt tranſitus) Domini. 12 Et tran-
ſibo per terram Ægypti nocte illa, percutiamque omne primogenitum in terra Ægypti,
ab homine uſque ad pecus, & in cunctis diis Ægypti faciam judicia, ego Dominus.
13 Erit autem ſanguis vobis in ſignum in ædibus, in quibus eritis: & videbo ſanguinem,
& tranſibo vos: nec erit in vobis plaga diſperdens, quando percuſſero terram Ægypti.
14 Habebitis autem hunc diem in monumentum: & celebrabitis eum ſolemnem Domino
in generationibus veſtris cultu ſempiterno. 15 Septem diebus azyma comedetis: in die
primo non erit fermentum in domibus veſtris: quicumque comederit fermentatum, pe-
ribit anima illa de Iſrael, a primo die uſque ad diem ſeptimum. 16 Dies prima erit
ſancta, atque ſolemnis, & dies ſeptima eadem feſtivitate venerabilis: nihil operis facie-
tis in eis, exceptis his, quæ ad veſcendum pertinent. 17 Et obſervabitis azyma: in
eadem enim ipſa die educam exercitum veſtrum de terra Ægypti; & cuſtodietis diem
iſtum in generationes veſtras ritu perpetuo. 18 Primo menſe, quartadecima die menſis
ad veſperam, comedetis azyma, uſque ad diem vigeſimam primam ejuſdem menſis ad
veſperam. 19 Septem diebus fermentum non invenietur in domibus veſtris: qui co-
mederit fermentatum, peribit anima ejus de cœtu Iſrael, tam de advenis, quam de
indigenis terræ. 20 Omne fermentatum non comedetis: in cunctis habitaculis veſtris
edetis azyma. 21 Vocavit autem Moyſes omnes ſeniores filiorum Iſrael, & dixit ad
eos: Ite tollentes animal per familias veſtras, & immolate Phaſe. 22 Faſciculumque
hyſſopi tingite in ſanguine, qui eſt in limine, & adſpergite ex eo ſuperliminare, &
utrumque poſtem: nullus veſtrum egrediatur oſtium domus ſuæ uſque mane. 23 Tran-
ſibit enim Dominus percutiens Ægyptios: cumque viderit ſanguinem in ſuperliminari,
& in utroque poſte, tranſcendet oſtium domus, & non ſinet percuſſorem ingredi domos
veſtras, & lædere. 24 Cuſtodi verbum iſtud legitimum tibi, & filiis tuis uſque in æ-
ternum. 25 Cumque introieritis terram, quam Dominus daturus eſt vobis, ut pollici-
tus eſt, obſervabitis cæremonias iſtas. 26 Et cum dixerint vobis filii veſtri: Quæ eſt
iſta religio? 27 Dicetis eis: Victima tranſitus Domini eſt, quando tranſivit ſuper do-
mos filiorum Iſrael in Ægypto, percutiens Ægyptios, & domos noſtras liberans: Incur-
vatuſque populus adoravit. 28 Et egreſſi filii Iſrael, fecerunt ſicut præceperat Domi-
nus Moyſi, & Aaron. 29 Factum eſt autem in noctis medio, percuſſit Dominus omne

primogenitum in terra Ægypti, a primogenito Pharaonis, qui in ſolio ejus ſedebat, uſ-
que ad primogenitum captivæ, quæ erat in carcere, & omne primogenitum jumento-
rum. 30 Surrexitque Pharao nocte, & omnes ſervi ejus, cunctaque Ægyptus: & or-
tus eſt clamor magnus in Ægypto: neque enim erat domus, in qua non jaceret mortuus.
31 Vocatiſque Pharao Moyſe, & Aaron nocte ait: Surgite, & egredimini a populo
meo, vos, & filii Iſrael: ite, & immolate Domino, ſicut dicitis. 32 Oves veſtras, &
armenta ſumite, ut petieratis, & abeuntes benedicite mihi. 33 Urgebantque Ægyptii
populum de terra exire velociter, dicentes: Omnes moriemur. 34 Tulit igitur popu-
lus conſperſam farinam, antequam fermentaretur: & ligans in palliis, poſuit ſuper hu-
meros ſuos. 35 Feceruntque filij Iſrael, ſicut præceperat Moyſes: & petierunt ab Æ-
gyptiis vaſa argentea, & aurea, veſtemque plurimam. 36 Dominus autem dedit gra-
tiam populo coram Ægyptiis, ut commodarent eis: & ſpoliaverunt Ægyptios. 37 Pro-
fectique ſunt filij Iſrael de Rameſſe in Socoth, ſexcenta fere millia peditum virorum abſ-
que parvulis. 38 Sed & vulgus promiſcuum innumerabile aſcendit cum eis, oves, &
armenta, & animantia diverſi generis multa nimis. 39 Coxeruntque farinam, quam du-
dum de Ægypto conſperſam tulerant: & fecerunt ſubcinericios panes azymos: neque e-
nim poterant fermentari, cogentibus exire Ægyptiis, & nullam facere ſinentibus moram,
nec pulmenti quidquam occurrerat præparare. 40 Habitatio autem filiorum Iſrael, qua
manſerunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum. 41 Quibus expletis,
eadem die egreſſus eſt omnis exercitus Domini de terra Ægypti. 42 Nox iſta eſt ob-
ſervabilis Domino, quando eduxit eos de terra Ægypti: hanc obſervare debent omnes
filii Iſrael in generationibus ſuis. 43 Dixitque Dominus ad Moyſen, & Aaron: Hæc
eſt religio Phaſe: Omnis alienigena non comedet ex eo. 44 Omnis autem ſervus em-
pritius circumcidetur, & ſic comedet. 45 Advena, & mercenarius non edent ex eo.
46 In una domo comedetur, nec efferetis de carnibus ejus foras, nec os illius confrin-
getis. 47 Omnis cœtus filiorum Iſrael faciet illud. 48 Quod ſi quis peregrinorum in
veſtram voluerit tranſire coloniam, & facere Phaſe Domini, circumcidetur prius omne
maſculinum ejus, & tunc rite celebrabit; eritque ſicut indigena terræ; ſi quis autem cir-
cumciſus non fuerit, non veſcetur ex eo. 49 Eadem lex erit indigenæ, & colono, qui
peregrinatur apud vos. 50 Feceruntque omnes filii Iſrael, ſicut præceperat Dominus
Moyſi, & Aaron. 51 Et eadem die eduxit Dominus filios Iſrael de terra Ægypti per
turmas ſuas.

℣. 2. MENSIS ISTE VOBIS PRINCIPIUM MENSIUM.] Adnotavimus alibi [1], Hebræos annum ſuum civilem ſemper incepiſſe autumno, & menſe Tizri. Hinc incipiebant, etiam poſt Moyſem, annos ſuos Sabbaticos, ac annos Jubilæi; verum annus Sanctus, ille videlicet qui ordinem Feſtivitatum, ac cœtuum Religionis dirigit, initium habuit menſe *Abib*, vel *Niſan*, quo Iſrael de Ægypto eſt egreſſus. Iudæi alia duo annorum genera recenſebant, quorum unum menſe Ianuario inchoabat, alterum vero menſe Auguſto. Annus hic reſpiciebat animalia, quæ alebantur. Tempus nativitatis eorum recenſebatur, habita ratione initii menſis Auguſti, ut Decimam Domino afferre poſſent. Menſis hic inſerviebat etiam arborum ætati numerandæ, ut ſciretur, quando nam mundæ eſſent, vel immundæ eſſe definerent. Arbor, exempli gratia, quæ conſita fuerat menſe Iunio, onius anni arbor habebatur uſque ad initium Auguſti ſequentis; alterum vero annum inchoabat Septembri menſe anni ejuſdem, atque ita incircumciſa, aut immunda tribus annis perſiſtebat juxta legem Levit. c. 19. ℣. 23. 24. Quarto anno poſtea fructus Domino offerebantur, & anno quinto illis uti licebat. Menſis Ianuarius erat primus arborum menſis, & fructuum, qui ex eo oriuntur. Non offerebantur decimæ fructuum, qui germinabant ante diem decimam quintam Ianuarii, ſed eorum tantummodo, qui poſt id tempus ger-
A men emittebant. Ita licebat omni tempore dactylos comedere, & citrea mala, quia germinantes, fructuſque edentes quovis tempore decimis offerendis obnoxia non ſunt: ſed ex aliis fructibus guſtare nefas erat, niſi decimis perſolutis [2]. Ægyptii quoque, ut Hebræi, annum ſuum civilem habebant, qui autumno incipiebat, & annum ſacrum, cujus initium ſtatum non erat. Vide adnotationes noſtras in Chronologiam.

℣. 3. DECIMA DIE MENSIS HUIUS.] Ea omnia, quæ hic narrata ſunt uſque ad verſiculum 28. acciderunt ante decimam diem menſis Niſan, atque ante plagam tenebrarum. Nonnulli [3] credunt inſtitutionem hanc ad agni paſchalis præparationem, quatriduum antequam immolaretur, reſpexiſſe non hanc
B ſolum primam ſolemnitatem veri, & realis exitus de Ægypto, verum alios omnes Paſchatis dies, qui deinceps erant celebrandi: ſed hanc ſententiam plerique Interpretes refellunt, qui contendunt, in aliorum annorum Paſchate ſatis fuiſſe agnum paſchalem præparare die tertia menſis. Paraphraſtes Jonathan huic ſuffragatur ſententiæ. *Hæc decima dies* (inquit ille) *pro hac tantum vice præcipitur, non ita vero pro tempore, quod eſt ſubſecuturum*. Judæi, poſtquam illorum Templum Romani delevero, non celebrant amplius paſchalis agni ſacrificium. Illi autem credunt, præcepto hoc adactos fuiſſe tantum, donec in terra Chanaan immorabantur. Solummodo hoc obſer-

1 Vide Diſſertationem de Chronologia &c. in Geneſ.
2 Buxtorf. Synag. Judaic. c. 12. Vide Exod. 22. 29. 30.
3 Epiph. hæreſ. 30. Bonfrer. Cornel. a Lapide in v. 51.

obſervant, ut eo tempore non fermentatum panem manducent, eo pacto, quod Authores retulere, qui de ritibus illorum ſcripſerunt.

TOLLAT UNUSQUISQUE AGNUM.] Hebraica vox שה, quæ vulgo *agnus* transfertur, ſignificat etiam caprum. Sumebatur indiſcriminatim vel agnus, vel caper pro paſchate, uti innuitur ℣. 13. *Juxta quem ritum tolletis & hædum*. Plerumque tamen, ac libentius agnus eligebatur [1]. Paulus Burgenſis contendit nunquam hædis uſos fuiſſe; verum nemini hæc arrider opinio. Poeta Ezechiel credidit ſumi etiam potuiſſe vitulos, quod admodum congruere videtur iis, quæ dicuntur Deut. 16. 2. *Immolabiſque Phaſe Domino Deo tuo de ovibus, & de bobus*. Locus hic alibi ad examen vocabitur. Conſuetudo vero agnum eligebat, quin hædum excluderet.

AGNUM PER FAMILIAS, ET DOMOS SUAS.] Hebraicus textus [2], & Septuaginta ad litteram: *Agnum* (vel hædum) *in ſingulas domus Patrum* (aut familias): *Agnum in domos ſingulas*; videlicet, vel omnis familia, & omnis conſanguinitas una in domo moraretur, vel pluras in domos eſſet diſtributa, opus erat, ut ſingulis menſis agnus eſſet. Sed quemadmodum hominum, mulierumque una in domo incolentium non ſemper æquus eſt numerus, addit:

℣. 4. SIN AUTEM MINOR EST NUMERUS.] Quemadmodum ritus hic ſolemnis erat, ac publicus, Lex imperabat, ut in parvis familiis ex accolis numerus hominum accerſeretur, qui agno comedendo ſatis eſſet. Numerus hic a Moyſe non ſtatuitur: ſed conſuetudo illum ad decem ut minus redegit, ad viginti vero, ut plus. Hoc autem innoteſcit per Paraphraſten Jonathan, ac per Joſephum. Noviſſimus hic l. 7. de bello Judaic. c. 16. narrat, Ceſtium Iudææ prætorem cum noſcere voluiſſet, quænam eſſent Iudæorum vires, ut exactam rationem Neroni redderet, a ſacrificulis exquiſiviſſe, quinam eſſet eorum numerus, qui Paſchatis ſolemnitati intererant. Hi autem, ut illi facerent ſatis, recenſuerunt victimas, quæ vigilia Paſchatis erant ſacrificatæ, ab hora diei nona ad undecimam, ſcilicet e tertia poſt meridiem hora ad quintam veſpertinam; eaſque invenerunt ducentas & quinquaginta mille, ac ſexcentas: & ſicuti ſingulis agnis decem ſaltem intererant, & ſæpius etiam uſque ad viginti, re ad calculos revocata, atque denis in ſingulas menſas hominibus recenſitis, intellectum eſt, Feſtivitati Paſchatis interfuiſſe duas hominum myriades, & ſeptingenta millia. Menochius credit hoc in numero, decem, aut viginti convivarum nec mulieres, nec pueros recenſeri.

Adnotari poteſt, hac in occaſione Hebræos mactaſſe Ægypti Numina, ſeu animantia, quæ ibi colebantur, eodem tempore, quo Angelus exterminator Ægyptiorum primogenitos interficiebat. Tacitus *hiſt. l. 5.* de Iudæis loquens ait, ipſos Arietem immolaſſe, veluti Deum Ammonem illudentes: *Caſo ariete velut in contumeliam Ammonis*. Vide infra verſiculum 12.

℣. 12. ERIT AUTEM AGNUS SINE MACULA, MASCULUS, ANNICULUS:] Voces *ſine macula* non debent intelligi, perinde ac innuerent, victimam unius tantum coloris eſſe debuiſſe, uti conſueverant Ægyptii [3], qui nullam ſacris admittebant hoſtiam, niſi quæ uniformi eſſet vellere. Hebraica vox *Tammin* [4] ſignificat perfectum, ſine defectu, ſine incommoditate, qui neque oculo captus ſit, nec pede brevis, nec ſcabie infectus. Hæc e quovis defectu munditiès erat neceſſaria conditio pro aliis omnibus animantibus, quæ in ſacrificiis offerebantur, uti videbimus in Levitico c. 22. 22. Deut. 15. 21. & 17. 1. Scholiaſtes Ariſtophanis apud Grotium in hunc locum [5] ait apud Græcos numquam aſſumi conſueviſſe in victimam animal quodpiam claudum, neque membro aliquo mutilum, nec illud, ut verbo me expediam, quod non incolume eſſet, ac integrum. Veteribus [5] magna erat cura in victimis examinandis, & cavebant maxime, ne quo defectu indignæ fierent, quæ Diis offerebantur.

MASCULUS.] Apud Hebræos victimæ erant communiter animalium maſculorum, quamquam Lex imperavit, ut aliquando fœminæ offerrentur, veluti in Expiationis ſolemnis feſtivitate, ubi rufa juvenca offerebatur. Sed Holocauſta omnia ex maſculis animantibus eſſe debebant, Levit. 1. 3. 10. Et Propheta Malachias c. 1. ℣. 14. ita Iudæos increpat: *Maledictus doloſus, qui habet in grege ſuo Maſculum, & votum faciens immolat debile Domino*. A profanis fœminæ libentius immolabantur. Servius in Æneid. 8. *In omnibus ſacris feminini generis plus valent victimæ; denique ſi marem litare non poſſent, ſuccidanea dabatur femina; ſi autem per feminam non litaſſent, ſuccidanea adhiberi non poterat*.

ANNICULUS.] Agnus, vel hædus *anni illius*. Hic ſenſus eſt textus Hebraici בן שנה *Filius anni*. Vide 1. Reg. 13. 1. Liquet ex Levitico 22. 27. immolari victimas non potuiſſe, quæ octo dies natæ non eſſent. *Bos, ovis, aut capra ſeptem diebus erunt ſub ubere matris ſuæ: die autem octavo, & deinceps offerri poterunt Domino*. Plerumque agnus ſumebatur, vel hædus vere anni ejuſdem, vel hyeme natus. Apud veteres animalia in viventium numero minime habebantur ante octavam diem ab ipſorum nativitate; ad illud uſque tempus veluti immunda putabantur.

Apoſtoli (Ioan. 19. 36. 1. Cor. 5. 7.) atque Eccleſiæ Patres paſſim nobis obſervandas propoſuere ſimilitudines agni paſchalis cum Ieſu Chriſto, quæ eſt noſtræ ſalutis victima, & quæ ſanguine ſuo nos a captivitate liberat, & morte. Paſchalis agnus electus ſine macula, mactatus, veru confictus, aſſus, manducatus, nonne refert Ieſum Chriſtum de Cruce pendentem, qui mortem ſubit, & qui ſe fidelibus eſcam tradit? Præcipitur, ut caput, & venter agni manducetur; cavetur autem, ne os illius ullum frangatur, quod exhibet ineffabilem, myſticumque modum, quo nos Salvatorem ſumimus in Sacramento corporis illius, in Euchariſtia, ubi abſque eo quod frangatur, & abſque ulla ſubſtantiæ illius jactura, integrum comedimus ſub ſpeciebus fragilibus, & corruptibilibus.

JUXTA QUEM RITUM TOLLETIS ET HÆDUM.] Nonnulli apud Vatablum contenderunt, hædum hunc, vel caprum aliam fuiſſe victimam a priori; ita ut juxta hanc legem tollere adigerentur hædum, vel caprum cum agno. Hebraicus textus huic opinioni favere poſſet, niſi obſtiteret conſuetudo. Hebraice legimus [6]; *Tolles de agnis, & hædis*. Septuaginta, Chaldaica verſio, Syriaca, & Arabica idem legunt: ſed naturaliter explicari poteſt pro disjunctiva. Tolles agnum, vel hædum, victimam ex harum alterutra ſpecie.

℣. 6. SERVABITIS EUM USQUE AD QUARTAM DECIMAM DIEM.] Agnus hic pro priori Paſchate deſtinatus ſervatus eſt a decima die menſis ejuſdem Niſan, uſque ad veſperam diei decimæ quartæ menſis ipſius. Credimus apud Hebræos diem a veſpera inchoaſſe, atque in veſperam terminaſſe, tum ſacrum, tum civilem. Vide diſſertationem de Chronologia. Agnus immolandus erat veſpere diei decimæ quartæ, atque comedendus ſub noctis initium diei decimæquintæ. Hebraicus textus [7], pro *veſpere* habet *inter duas veſperas*, vel juxta Chaldaicam lectionem *inter*

[1] Theodoret. qu. 24. in Exod. Auguſt. qu. 42. in Exod.
[2] שה לבית אבות שה לבית. Πρόβατον κατ᾽ οἴκους πατριῶν, πρόβατον κατ᾽ οἰκίαν.
[3] Chæremon apud Porphirium.
[4] תמים. 70. Τέλειος. Alius. ἄμωμον.
[5] *Lucian. de Sacrif. Ariſtoph. in Sympoſ. apud Athenæ. l. 15. c. 5.*
[6] מן הכבשים ומן העזים תקחו
[7] בין הערבים

Inter duos Soles : Interpretes non conveniunt quoad harum vocum ſignificationem , *inter duas veſperas* . Aliqui [1] intelligunt de tota quartadecima die menſis incipiendo a veſpere prioris noctis, ac deſinendo veſpere ſecundæ ſecundæ noctis, a veſpera ad aliam viginti quatuor horarum intervallo. Sed hæc ſententia maxime a veritate diſtat , cum palam Scriptura in Deuteronomio c. 16. 6. doceat , Paſcha veſpere immolatum eſſe ſub occaſum ſolis , cum Iſraelitæ de Ægypto exceſſerunt : *Immolabis Phaſe veſpere , ad Solis occaſum , quando egreſſus es de Ægypto* .

Rabbini nonnulli pro duabus his veſperis intelligunt tempus omne , quod fluit a Meridie ad occaſum ſolis, ſcilicet tempus , quo ſol occaſum verſus declinat . Cum ſol declinare incipit , hæc eſt prima veſpera ; cum occidit , altera . Sententiam hanc plures eruditi Interpretes , cum Chriſtiani , cum Hebræi ſequuntur . Re quidem vera veteres Orientales , Græci , & Romani quoque duas habebant veſperas , quarum prior a Meridie paullo incipiebat . S. Matthæus c. 14. 15. & ſeq. deſcribens miraculum multiplicationis quinque panum ait , quod veſpere facto acceſſerunt diſcipuli ejus (Ieſu) dicentes ; deſertus eſt locus , & hora jam præteriit : dimitte turbas , ut euntes in caſtella emant ſibi eſcas . Sol nondum occiderat ; quare Dominus cum juſſiſſet turbam diſcumbere ſuper fœnum centenos , & quinquagenos , illis diſtribui curavit quinque illos panes , quos habebant Apoſtoli , quibus multiplicatis , omnes ſaturati ſunt . Manducantium autem fuit numerus quinque millia virorum : collegerunt reliquias , & dimiſſa eſt turba . Poſtquam omnes diſceſſerunt compulit Ieſus diſcipulos aſcendere in Naviculam , & aſcendit in montem ſolus orare . Cui narrationi addit Evangeliſta : *Veſpere autem facto ſolus erat ibi* . En duas veſperas clarius notatas , quarum una ab altera ſatis abeſt : prior incepit *antequam* panes multiplicarentur , aliquandiu poſt horam prandii ; altera contigit , poſtquam turbæ receſſerunt , cum Ieſus Chriſtus ſolus erat ibi orans . Græci veteres , qui pleraque ab Orientalibus hauſerant , duas quoque veſperas habebant ; alteram quidem , quæ *Delle proia* appellabatur , quæ tunc incipit , cum ſol declinat , & ſtatim a Meridie ; alteram vero , quæ vocabatur *Delle opſia* , cum Sol occidit . Vide Euſtathium in Odyſſ. 17. Heſychium , & Svidam . Varro in Satyr. Menipp. diſtinguere videtur *ſeram veſperam* , ſcilicet noctem ab alio veſpere , qui non adeo proceſſerit ; *Neſcio quid ſerus veſper trahat* .

Doctores Iudæi apud Bochartum de animal. ſac. t. 1. l. 2. c. 50. in Talmud Hieroſolymitano , ac Babylonico contendunt inter *duas veſperas* [2], vel *inter duos ſoles* , ut ipſi inquiunt , ſignificare tempus , quo Orientalis cœli pars incipit nigreſcere , quod accidit , cum ſol occaſum verſus progreditur iis poſtremis horis , quibus horizontem noſtrum illuſtrat . Sacrificium veſpertinum quotidianum , quod præcepit Moyſes Exod. 29. 18. & Num. 28. 3. 4. fiebat prope nonam diei horam , tertia circiter poſt Meridiem hora : uti liquet ex Ioſepho lib. 4. Antiquit. cap. 8. & Miſna Tract. Peſach. cap. 5. num. 1. & hoc ſacrificium fieri debebat *inter duas veſperas* , uti & Paſcha . Intelligendum igitur per hæc verba tempus illud eſt , quod a tertia poſt Meridiem hora in Æquinoctio fluit , uſque ad ſextam horam veſpertinam ; in aliis vero temporibus habita ratione, juxta modum inæquales horas numerandi ab hora nona uſque ad undecimam . Hoc etiam palam a Ioſepho adnotatur de bello Iud. l. 7. c. 17. qui ſæpius viderat ritum hunc , atque exercuerat ; quod ipſum Patres ſuppoſuere , qui ſcripſerunt Paſcha eadem hora immolari conſueviſſe , qua Ieſus Chriſtus in Cruce mortuus eſt . At liquet ipſum hora

A nona occubuiſſe . Hanc ſententiam eruditi plures Interpretes amplectuntur .

Alii quidam , veluti Aben-Ezra , & Oleaſter , volunt hæc verba *inter duas veſperas* ſignificare tempus , quod inter Solis occaſum , ac noctis initium intercedit , aut creſpuculum ſerotinum . Sententia hæc pluribus Scripturæ locis confirmari poteſt , ubi *veſpere* ſimpliciter uſurpatur , veluti ſynonymum pro *inter duas veſperas* . Exempli gratia in Exodo cap. 16. 12. Deus pollicetur ſe daturum carnes *inter duas veſperas* , & paulo poſt ℣. 13. promiſſa adimplet *veſpere* . Præcipitur ℣. 6. capitis hujus Paſcha immolari *ad veſperam* , Hebraice בין הערבים *inter duas veſperas* ; & in Deuteronomio Deus imperat , ut immoletur , *Veſpere ad ſolis occaſum , quando egreſſus es de*
B *Ægypto* .

Hæ ſunt præcipuæ ſententiæ de vocibus his , *inter duas veſperas* . Nulla harum textui adverſatur ; atque certum eſt , victimam Paſchatis immolari debuiſſe veſpere diei quartædecimæ menſis Niſan , atque ante noctem , quæ diem decimamquintam inciperet . Paſchatis ſolemnitas ordiebatur ab eſu agni. Vide verſ. 8. hujus capitis .

Immolabit eum universa multitudo filiorum Israel .] Immolatio agni paſchalis facta eſt tunc a patribusfamilias , vel a primogenitis , quandoquidem nullus adhuc Sacerdotalis ordo ad ſacrificia peragenda erat conſtitutus . Sed deinceps ſacrificandi jus Sacerdotibus ceſſit ; videlicet jus victimarum ſanguinis in pateris excipiendi , illiuſque ſuper
C Aram effundendi , aut ad Aræ pedes , atque ibi integram victimam ſtatuendi , ſi erat holocauſtum ; vel adipes , aliaſque partes , quas jubet Lex , ſi alia erant ſacrificia . Hæc omnia ſolis Sacerdotibus erant reſervata , non ſolum in Paſchali victima , verum etiam in omnibus aliis ſacrificiis . Privati victimas ſuas jugulare poterant , deglubere , cædere , exta lavare , tam in Paſchatis ſolemnitate , quam in alia quavis . Hoc ex Levitico liquet cap. 1. verſ. 2. 3. 4. 5. 12. & cap. 3. verſ. 3. & c. 4. verſ. 24. Philo ea , quæ dicta ſunt modo , explicite refert quoad Paſcha lib. 3. de vita Moſis , & lib. de Decalogo . *In hac ſolemnitate* , inquit ille , *Lex præcipit nationi univerſæ , ut immolet , & ſacrificia propriis manibus operetur* . Verum hoc nonniſi in Templo fieri
D poterat , uti palam adnotat Sanctus Juſtinus Martyr Dialogo cum Tryphone pag. 334. Si quando Scriptura ait , Sacerdotes immolaſſe paſchales victimas , veluti imperante Ezechia 2. Paralipom. 30. 17. atque Eſdra 1. Eſdr. 6. 20. in hoc ſenſu intelligendum eſt , Sacerdotes id feciſſe , quod ipſorum intererat , ſanguinem harum victimarum ſuper Aram offerendo ; vel ipſos extraordinarie id feciſſe , atque ut major ſolemnitati majeſtas accederet id peregiſſe , quod populus operari potuiſſet , quin Leges infringeret . Vide Bochartum de Animal. ſacr. tom. 1. lib. 2. cap. 50. Sed plerumque Levitarum erat jugulare , atque deglubere victimas , Sacerdotum vero aris offerre .

℣. 7. Ponent super utrumque postem , et in
E superliminaribus domorum .] Septuaginta [2] : *Super utrumque Hipiſtem , & in limine domorum , ubi Paſcha manducatur* . Syriaca verſio : *Super limina , & ſuper domos* ; perinde ac ſanguis poſitus fuiſſet ſuper limen januæ , atque ex eo effuſum eſſet ſuper tegulas , aut ſuper tectum domus . Vox , qua Septuaginta utuntur , ſignificat antepagmenta januæ , ex duobus poſtibus , atque ſuperliminari compoſita . Sumitur aliquando pro ornatu fabri lignarii opera elaborato , qui duobus lateribus , ac ſuperiori januæ parti applicatur ; aliquando pro lapide januæ ejuſdem . Accipitur etiam pro atrio , aut veſtibulo , & hebraica vox [3] *Maſchkoph* fluit ab origine , quæ ſigniſi-

1 Ferrandus Reflex. lib. 1.
2 Ἐπὶ τῶν δύο σταθμῶν · καὶ ἐπὶ τὴν φλιὰν , ἐν τοῖς οἴκοις ,
3 על שתי המזוזות ועל המשקוף על הבתים .

gnificat *reſpicere*. Innuere poteſt foramen, quod in A
mediis januis erat, ut reſpiceretur, antequam pulſantibus aditus aperiretur. Aquila [1] intelligit de *ſuperliminari*.

Sanctus Epiphanius hæreſ. 19. ait, Ægyptios ineunte vere, atque ſub illud tempus, quo Hebræi de Ægypto egreſſi ſunt, conſuevisse, ovibus ſuis, atque arboribus colorem rubeum apponere, exiſtimantes colorem hunc eſſe amuletum quoddam adverſus ignem, qui olim incendit, inquiunt illi, omnem eam regionem ſub eos dies. Nequaquam exiſtimandum eſt, agni ſanguinem ullam habere virtutem naturalem ad expellendos dæmones, neque angelos, ſeu bonos, ſeu malos hoc ſigno indiguiſſe, ut Hebræorum domos e domibus Ægyptiorum ſecernerent [2]. Sed opus erat, ut ſpecie quadam Hebræo- B
rum mentes afficerentur, atque ex eo ſigno intelligerent, quomodo ipſorum domus a Deo protegerentur. Sanctus Hieronymus in Iſai. 66. 19. innuere videtur, eo ſanguine Crucis ſignum impreſſum fuiſſe; ſed aſſeri certius potuit, ſanguinem hunc ſymbolum fuiſſe ſanguinis Jeſu Chriſti, qui nos de angeli exterminatoris manu ſubripit, atque a Dei ira tuetur. Vide Auguſtinum lib. 12. contra Fauſtum c. 30. & tract. 50. in Joannem.

℣. 8. ET EDENT CARNES NOCTE ILLA ASSAS IGNE.] Hebræi plerumque victimarum ſuarum carnem elixabant, ut liquet ex iis, quæ primo Regum 2. 13. 14. dicuntur de filiis Heli, qui ſumebant ex lebete eorum, qui veniebant victimas oblaturi, ea, quæ magis ipſis placebant, non expectantes, quod ſibi ea, C
quæ ad eos ſpectarent, darentur. Sed ritus agni paſchalis coquendi eſt hujus conſuetudinis exceptio. Hoc clarius adnotatur ſecundo Paralipomenon 35. 13. *Aſſaverunt Phaſe ſuper ignem, juxta quod in lege ſcriptum eſt: pacificas vero hoſtias coxerunt in lebetibus, & cacabis, & ollis &c.*

AZYMOS PANES.] Azymi panes manducari incipiebant cum agno paſchali ejus diei veſpere, quo decima quinta dies Niſan incipiebat. Hoc autem panis genere utebantur uſque ad ſeptimum ſolemnitatis paſchalis diem incluſive; ſcilicet ab initio diei primę ad finem uſque ſeptimæ diei feſtivitatis, quæ dies erat menſis prima ſuper vigeſimam. Dies hæc veſpere deſinebat æque ac dies quintadecima, quæ Feſtivitatis prima erat. Decimæquartæ diei veſpere D
fermentati panis fiebat inquiſitio, atque fermentatum omne, vel ex fermentata maſſa confectum e domibus abducebatur: ita ut eo tempore, quo Paſcha immolabatur, fermentum apud Iſraelitas nequaquam inveniretur: quod probatur Exod. 34. 25. (Vide, & Chaldæum Paraphraſtem in eum locum;) *Non immolabis ſuper fermento ſanguinem hoſtiæ meæ*: atque Judæorum conſuetudine, qui fermentatum panem non manducant a decimæquartæ diei meridie. Recentium Judæorum Religio hac in re eo uſque procedit, ut ab enuncianda voce *panis* לחם *lechem* ſe abſtineant, veriti ne in mentem fermenti ideam revocent [3]; & quemadmodum credunt non ſatis diſtincte dignoſcere poſſe, quænam ſit dies quartadecima, Feſtivitatem duobus diebus deinceps celebrant, ne vera die E
deficiant; quod ipſum non in Feſtivitate Paſchatis ſolum obſervant, verum etiam in aliis magnis ſolemnitatibus [4]. Azymi panes, qui in hac Feſtivitate comedebantur, revocabant in Hebræorum memoriam præcipitem eorum de Ægypto fugam. Sanctus Paulus 1. Corinth. 5. 7. docet azymos panes ſymbolum eſſe ſinceritatis, atque innocentiæ. Inter Ethnicos Sacerdotes Jovis fermentatam farinam attingere nefas erat, ait Servius apud Grotium: *Flaminibus farinam fermentatam contingere non licebat*.

CUM LACTUCIS AGRESTIBUS.] Hebraice [5]: *Cum amaritudinibus*, aut *fellis*. Æthiopes [6], qui pleraque veterum Ægyptiorum ſervarunt, vehementer crudam vaccæ carnem amant, eam multo pipere, & ſale condiunt, illudque munus eſt principe dignum, cum vaccæ fel addunt, quod apud ipſos locum habet egregii ſinapii. Idcirco fortaſſe vetat Moyſes crudi paſchalis agni eſum, atque jubet ipſum cum felle, & amaritudine manducari.

Septuaginta, ac Interpretes plerique textum intelligunt de quodam lactucarum genere, quas *picrides vel marides* dicunt. S. Cyprianus hanc vocem retinet; legit enim *cum picridibus edent*. *Picris* porro cichoreæ ſpeciem, aut lactucæ ſignificat. Plinius lib. 19. cap. 8. aſſerit hanc omnium lactucarum eſſe peſſimam: *Peſſimum genus cum exprobratione appellationis, appellavere picridæ*. Quidam de Intybo intelligunt, de lactuca nonnulli, & alii de cichorea agreſti. Hæ herbæ amaræ, quas hic præcipit Moyſes, denotabant amaritudinem, ac duritiem ſervitutis Hebræorum in Ægypto. Judæi herbas, quibus paſchalem agnum condituri uti poterant, ad quinque memorant. Omnes vero quæunt redigi ad varia lactucarum, & cichorearum genera tum agreſtium, tum domeſticarum, & excultarum.

℣ 9. NON COMEDES EX EO CRUDUM.] Hebraica vox נא *Na*, quæ vertitur *crudum*, ſemel tantum in Scripturæ invenitur, atque illius ſignificatio non ſatis patet. Vulgatæ verſioni accedit auctoritas e Septuaginta, Chaldaica, & Syriaca, eamque Rabbini approbant celeberrimi. Oleaſter vertit *fractum*, aut *diſſectum*; non intelligens, ut ille inquit, eſum carnis crudæ poſſe prohiberi. Bochartus de Anim. ſacr. tom. 1. lib. 2. cap. 50. credit, vocem hanc hebraicam ſignificare carnem *ſemicoctam*, & in Arabica lingua נא *Nii*, vel ני *Na* hoc ipſum ſignificat. Verum nihil adigit, ut a Vulgata recedamus, quoniam mos carnis crudæ comedendæ paſſim apud veteres obtinuit. Vide Commentarium noſtrum in caput 9. Geneſis verſ. 4. neque inferri licet, tunc vulgo crudam carnem manducari conſueviſſe, ex eo, quod hic præcipit, ut ea coquatur, vel, ut certo ritu coquatur.

CAPUT CUM PEDIBUS EJUS, ET INTESTINIS VORABITIS.] Hebraice [7]: *caput cum femoribus, & extis illius*. Vox *vorabitis* non adeſt in Textu, neque in Septuaginta. Suppleri poſſet: Coquetis, vel aſſabitis, vel omne manducabitis; caput, pedes, exta, ita tamen ut caput, pedeſque comedentes, *oſſa non infringatis*. Hoc adnotatur a Septuaginta [8], & Syriaca verſiculo decimo, quamquam hoc in loco neque in Hebraico, neque in Samaritano textu, neque in verſionibus exprimatur. Legitur nihilominus verſ. 46. & Num. 9. 12.

Hebræi arbitrantur, nequaquam licuiſſe, oſſa rodere, neque agni Paſchalis cartilagines comedere, atque cerebrum e capite hauriri conſueviſſe per foramen, quo medulla ſpinalis tranſit, quin cranii os frangeretur, vel divideretur. Oſſa omnia, & quidquid carnis ſupereſſe poterat, comburebantur ante noctis finem. Grotius animadvertit ſacrificium Paſchatis eſſe e genere ſacrificiorum Euchariſticorum, in quibus omnia igne abſumebantur, ita ut in craſtinum nihil relinqueretur, Levit. 7. 15. & 22. 30. Ethnicis quædam erat ſacrificii ſpecies, quod fiebat, ante-

1 Aqu. Τὸ ὑπέρθυρον.
2 Theodoret. quæſt. 24.
3 Cunæus de Rep. Heb. l. 2. c. ult.
4 Buxtorf. Synag. Jud. c. 11.
5 על מרורים.
6 Almeyda in Hiſt. de ſuperiori Ethiopia, p. 8.
7 ראשו על כרעיו ועל קרבו.
8 Οὐ συντρίψετε ἀπ' αὐτοῦ. Alius, οὐκ ἐκμυελίσετε. Non relinquetis.

antequam iter aggrederentur [1]. Illud a Latinis appellabatur *propter viam*. Hæc autem erat conſuetudo igne abſumendi quidquid ſupereſſet. Macrobius refert, Albidium quemdam cum omnia bona ſua devoraſſet, domui ſuæ, quæ erat reliqua, ignem addidiſſe. Cato ait, ipſum feciſſe ſacrificium propter viam, quod combuſſerat, quidquid manducare nequiverat. Ægyptii non comedebant caput ullius e victimis ſuis, teſte Herodoto l. 2. c. 39.

℣. 11. RENES VESTROS ACCINGETIS.] Status, habituſque viatorum ſumebatur.

CALCEAMENTA HABEBITIS IN PEDIBUS.] In Ægypto, ut obſervat Diodorus lib. 1. populus frequentius nudis pedibus incedebat, præſertim domi ſuæ: ſed foris, in agris, & cum iter aliquod ſuſcipiebat, induebat calceamenta, vel potius ſandalia. Præcepta hæc, æque ac illud ponendi ſanguinem in limine domus, & in cardinibus; & quod præcipitur verſ. 22. ne quis ea nocte domo egrederetur, reſpiciebant illud Paſcha dumtaxat, quod peregerunt in Ægypto. Moyſes non exigit amplius hos mores, ac ritus in iis, quæ alibi dicit de ritu legalis Paſchatis celebrandi; neque ultra hæc invaluit conſuetudo in Terra promiſſa. Non adnotatur hic, utrum agnus paſchalis a ſtantibus, an ſedentibus comederetur. Talmudiſtæ ajunt utroque modo indiſcriminatim manducari potuiſſe. Vide Janſenium hic. Volgo tamen creditur a ſtantibus paſcha fuiſſe mandocatum. Philo id nos docet in libro ſacrificii Cain, & Abel. Judæorum ritualia referunt morem aſſervatum fuiſſe, ut ſtantes veſcerentur uſque ad Babylonis captivitatem. Jeſus Chriſtus ſedens Paſcha manducavit, Judæi primum Paſcha ſtantes comederunt, quoniam renes ſuos præcinxerant, calceamenta in pedibus habebant, tenebant baculos in manibus, atque illorum ſpeciem ferebant præ ſe, qui iter erant ingreſſuri.

EST ENIM PHASE, IDEST TRANSITUS DOMINI.] Hebraica vox פסח *Peſach*, & Chaldaica פסחא *Paſcha* ſignificant Tranſitum. Qui deduxerunt *Paſcha* a Græca voce *Paſche* Πάσχω (Ita Iren. lib. 4. contra Jud. cap. 12. Lactant. lib. 4. Inſtit. c. 26. &c.) quod ſignificat *patior*, palam in errorem inducti ſunt. Interpretes Græci adducunt *feſtinanter*, ad illud *Eſt Phaſe*. Aquila [2]: *cum ſtupere, hic eſt tranſitus*. Symmachus [3]: *cum feſtinatione, eſt enim prælium*.

℣. 12. PERCUTIAM OMNE PRIMOGENITUM IN TERRA ÆGYPTI.] Vox *Primogenitus* ſumitur non tantum pro primogenito proprie dicto, ſed generatim pro primo, præcipuo, dilecto, magiſque diſtincto. In hoc ſenſu Jeſus Chriſtus vocatur Coloſſ. 1. 15. *primogenitus omnis creaturæ*, videlicet præ omnibus creaturis excellens, & primogenitus in multis fratribus, Rom. 8. 2. & in Apocalypſi 1. 5. primogenitus mortuorum. Ita Sapientia ait ſe ex ore Creatoris prodiiſſe *primogenitam ante omnem creaturam*. Deus eodem in ſenſu inquit Iſrael eſſe primogenitum ſuum. Vide Exod. 4. 22. Mich. 6. 7. Zachar. 12. 10. Hebr. 12. 23. & Jerem. 21. 9. Ephraim ſuum primogenitum vocat. Apud profanos authores ſimiles inveniuntur locutiones; exempli gratia apud Virgilium; *Juvenum primos tot miſeris Orco*; & apud Homerum: *Immolare Hecatombem agnorum primogenitorum*. Iliad. Γ.

In ſenſu contrario *Primogenitus*, ſi nomini adhæret, quod infelicitatem ſignificet, aut calamitatem; maximam innuit calamitatem, maximumque infortunium. *Primogeniti pauperum* in Iſaia 14. 32. ſignificat miſerrimos pauperum, & *primogenita mors* in Job 18. 3. in omni mortis genere calamitoſiſſimam: & hoc in loco, quem iſtic examinamus, *primogenitus ancillæ* intèr omnes ſervos infeliciſſimum, natum a matre ſerva, ideoque ſervum ſine ulla ſpe libertatis acquirendæ. Habacuc 3.13. loquens de morte primogenitorum Ægyptiorum, ad Deum inquit. *Percuſſiſti caput de domo impii*: Principem in familia illius, primum inter miniſtros illius. Et inferius paullo verſic. 14. loquens de clade exercitus Pharaonis, qui Hebræos perſequebatur, ait: *Maledixiſti ſceptris ejus, capiti bellatorum ejus*. Et author libri Sapientiæ 18. 12. ait, cum Dominus tranſiret per domos Ægyptiorum: *Uno momento quæ erat præclarior natio illorum, exterminata eſt*. Et cum Deus pollicetur David, ſe facturum illum, Regem præ omnibus illius ævi Regibus maxime glorioſum, ait: *Et ego primogenitum ponam illum, excelſum præ Regibus terræ*, Pſalm. 97. 27. & Moyſes ait ad Ioſephum: *Quaſi primogeniti Tauri pulchritudo ejus*, Deuteron. 33. 17. Nulla igitur nos cogit neceſſitas, ut hic nomen *primogeniti* ſtrictim in proprio primogenitorum ſenſu intelligamus: atque explicari poteſt de primo, de magis dilecto, deque eo, qui præ aliis in unaquaque domo ſuſpiciatur. Adde, quod Moyſes verſic. 30. adnotat, quod *non erat domus, in qua non jaceret mortuus*. Quod difficile explicari poſſet de primogenitis ad litteram ſumptis, quoniam procul dubio plures aderant domus, ubi primogeniti in hoc ſenſu non aderant: ſed nulla erat, ubi caput aliquod non eſſet, aut aliquis ab aliis diſtinctus. Scio quidem Interpretes quoſdam contendere, Deum non viros tantum primogenitos percuſſiſſe, verum etiam mulieres, & cum nullus aderat quoad naturæ ordinem primogenitus, mortis ſupplicium in eum rediiſſe, qui primogenitorum juri, & privilegiis ſucceſſerat; ita Abulenſis quæſt. 44. hic, Cajetanus, Genebrardus in Pſal. 83. Pererius hic, Cantacuzenus, Theodoretus apud Leonard. Mar. in cap. 2. Exod. art. 11. verum nullam agnoſco neceſſitatem ad ſolutionem hanc confugiendi, & malim primogeniti nomen in ea ſignificationis extenſione intelligere, quam modo docuimus, quàm illud ad litteralem preſsèque ſumptum ſenſum coarctare, ita ut ubi primogenitus aderat, eum ibi Deus morte percoſſerit; ubi vero deerat, Deus ibi illuſtriorem quemque, ac majorem in familia Ægyptiorum cecidiſſe.

IN CUNCTIS DIIS ÆGYPTI FACIAM JUDICIA.] Vetus eſt traditio, Deum, eo tempore, quo Hebræi ſunt de Ægypto egreſſi, iram ſuam prodidiſſe in falſos regionis illius deos. Judæi, ut docet Divus Hieronymus in Epiſt. ad Fabiol. docent, hac nocte palam viſam fuiſſe manifeſtam Dei animadverſionem in templa, ac Ægyptiorum numinum ſimulacra. Idola lignea, inquiunt illi apud Lyranum, putrefacta ſunt, marmorea fracta, metallica vero fuſa. Artapanus apud Euſebium præpar. lib. 9. cap. ult. narrat, plurima templa motu terræ diruta concidiſſe; & Trogus lib. 36. addit, Hebræos ſecum abduxiſſe numina Ægyptiorum. Bochartus de animal. ſacr. t. 1. lib. 2. cap. 34. conjicit, ea, quæ Ægyptii de Tiphœi prœlio in deos enarrabant, vereri huic traditioni incubuiſſe. Dii hoc in bello adacti fuerunt, ut ſe ſe in variis animantibus abderent, ut Tiphœi vim effugerent. Hoc autem nomine Moyſem appellant. Præſtat vero dicere Deum ultionem ſuam exercuiſſe in ſacra Ægyptiorum animalia, ea Angeli exterminatoris gladio interficiens; vel feciſſe, ut dæmones, qui adorabantur ab Ægyptiis, ſeveritatem ipſius experirentur, ut arbitratur Origenes hom. 18. in Numer. Denique facile eſt locum hunc explicare de Principibus, Magnatibus, ac primoribus Ægypti, qui hic *Dii* nuncupantur, ut alibi paſſim in Scriptura. Dominus ſua exercuit judicia in illos, & in primogenitos, eoſdem perimens tempore, quo Iſrael de Ægypto deceſſit. Non eſt, cur hic probemus hebraicam

---

1 Apud Macrob. Saturn. l. 2. c. 2. apud Grotium.
2 Aq. Ἐν θάμβῳ ὑπέρβασις ἐστι.
3 Sym. Ἐν σπουδῇ ὑπερμάχησις ἐστι. 70, μετὰ σπουδῆς πάσχα ἐστι.

braicam vocem *Elohim*, & Latinam *Deos* in Scriptura ſignificare ſæpius principes, aut judices. Ea vero omnia, quæ de Idolis, ac Templis dirutis hoc tempore referuntur, tamquam non ſatis probatas narrationes reſpuimus.

℣. 14. HABEBITIS HANC DIEM IN MONUMENTUM . . . . CULTU SEMPITERNO.] In monumentum ſcilicet libertatis veſtræ. Hoc præceptum, juxta ſuum primum ſenſum, ac immediatum reſpicit Paſcha Chriſtianorum, quod nos celebramus [1] cultu, & ritibus, quibus nonniſi cum mundo finis erit. Nos in eo inſtauramus memoriam Agni ſine macula, qui tollit peccata mundi, atque in eo Feſtivitatem celebramus noſtræ liberationis a dæmonum tyrannide per virtutem ſanguinis illius pro nobis effuſi. Nos veſcimur, non veteri fermento, ſed azymis ſinceritatis, & veritatis.

Rabbini quidam allati apud Fegium, docent, quemadmodum patres eorum liberati fuerunt de Ægypto die quintadecima Niſen, ita futurum, ut eadem die, cum Meſſias advenerit, Iſrael redimatur. Quod vere Jeſus Chriſtus executus eſt, qui ea die fuit crucifixus, qua Judæorum Paſcha inchoabat.

℣. 15. QUICUMQUE COMEDERIT FERMENTATUM, PERIBIT ANIMA ILLA DE ISRAEL.] Sexies uſque, & tricies ſupplicium hoc *pereundi de medio populi ſui* pronunciatum invenitur in eos ex Iſraelitis, qui legis ritus quoſdam minime obſervarent. Quæritur autem, in quo illud præcipue conſiſteret. Plures [2] intelligunt de morte violenta, qua illi damnabantur, qui coarguebantur huic generi Legum minime obtemperaſſe. Grotius explicat de immatura morte, qua Deus illos plectebat, qui præceptis ſuis non paruiſſent. Vatablus denique veriſimilius credit locutionem hanc: *peribit anima illa de Iſrael*; vel: *de cœtu Iſrael*, quemadmodum legimus verſic. 19. hujus capitis, ſignificare, quod tranſgreſſores ab Iſraelitarum numero abſcindi deberent, iique veluti advenæ haberentur, quibus nullum eſſet jus ad promiſſiones fœderis, & prærogativas verorum, fideliumque Iſraelitarum. De hac pœna jam locuti ſumus in cap. 17. 14. Gen.

Judæi [3] ita eos diſtinguunt, qui obnoxii ſunt ſupplicio anathematis, ſeu excisionis. Alii tantummodo ſeparantur ab eorum corporibus, alii ab eorum animabus, alii ab utriſque; videlicet pœna anathematis, ſeu *Kerith*, vel afficit eorum corpora, vel animam ſeorſim, vel ſimul utrumque. *Exciſio reſpectu corporum*, eſt mors immatura. Scriptura eam his innuit verbis: *Homo hic peribit de medio populi ſui*; & Pſalmiſta eam ſignare volebat, cum dixit, Pſalm. 54. 24. *Viri ſanguinum, & doloſi non dimidiabunt dies ſuos*. Sex criminum genera recenſentur, quibus hoc ſupplicium adhæret. Primo, conſulere magos Levit. 20. 6. Secundo, ſacrificare extra agrum ibid. cap. 17. 4. Tertio, non offerre boſtias ſuas ad oſtium Tabernaculi ibid. 17. 9. Quarto, oleum ſacrum componere, ut ipſo utatur, vel ipſum alieno tradat, Exod. 30. 33. Quinto, facere ſacrum thymiama, ut odore illius perfrueris, Exod. 30. 38. Sexto, effundere oleum unctionis, Exod. 30. 33.

Anathematis pœna, qua anima afficiebatur, denotat æternam animæ mortem, & beatæ vitæ privationem, qua juſtorum animæ in alia vita fruuntur. Adſunt quoque Rabbini nonnulli, qui falſo autument, animam mori, eamque vere annihilari vi pœnæ hujus excisionis, quamquam corpus nequaquam immatura morte moriatur. Pœna hæc in Scriptura

A his vocibus ſignificatur: *Animæ hæ peribunt de medio populi ſui*, Levit. 18. 29. En autem crimina, quæ ſupplicio huic ſubjiciuntur. Primo, Sabbatum violare Exod. 31. 14. Secundo, res ſacras tempore pollutionis ſuæ manducare Levit. 7. 20. Tertio, pollutum ingredi in Templum Num. 19. 13. Quarto, adipem manducare Levit. 7. 25. Quinto, *Sanguinem comedere* ibid. verſ. 27. Sexto, ſacrificii reliquias veſci triduo poſt immolationem Levit. 19. 6. 7. Septimo, reliquias ſacrificii extra præceptum locum manducare Levit. 19. 7. Octavo, fermentatum comedere in Feſtivitate Paſchatis Exod. 12. 15. Nono, aliquid mandere die ſolemnis Expiationis Levitic. 23. 29. Decimo, laborare die feſto Expiationis ibid. verſ. 30. Undecimo, Feſtum Paſchatis non obB ſervare Num. 9. 13. Duodecimo, circumciſionem non recipere Gen. 17. 14.

Denique ſupplicium *Kerith* pro corpore ſimul, & anima conſiſtit in immatura morte, atque in animæ excidio. Pœna hæc deſignatur in Scriptura his vocibus Numer. 9. 13. *Exterminabitur anima illius de populis ſuis, peccatum ſuum ipſe portabit*. Tria hæc illi crimina ſubjiciuntur. Primo, blaſphemia Num. 15. 30. 31. Secundo, idololatria ibid. Tertio, oblatio filiorum ſuorum Idolo Moloch, Levit. 18. 21. & 20. 3.

Invenientur forteſſe hæ diſtinctiones Rabbinicæ parum ſolidæ; atque merito tamquam impietas, ac inſolens res videbitur id, quod de animæ annihilatione comminiſcuntur. Hebræi veteres, recentioresC que plerique id damnant. Credunt illi æque ac nos animæ immortalitatem, atque bonorum, malorumque reſurrectionem expectant. Arbitrentur autem hæc omnia peccata, atque ſupplicia ſibi condonari quotannis ſolemnis Expiationis die, dummodo per confeſſionem, ac pœnitentiam Deo ſatisfaciant, ac hominibus, ea reparantes damna, quæ illis intulerint. Nihilominus compertum eſt, Rabbinum Maimonidem, alioſque nonnullos aperte, ac præciſe docere hanc animæ annihilationem.

Videtur apud illos ſeparationis pœna idem fuiſſe, ac apud nos excommunicatio, quæ excommunicatos ab Eccleſia ſejungit ab illius communione, precibus, & gratiis, quæ fidelium adhærent ſocietati. Et quemadmodum Chriſtiani ſe ſe excommunicatioD nis vinculo poſſunt exſolvere, atque in Eccleſiæ communionem ingredi, Deo ſatisfacientes, atque illis, quos lædere potuerunt; ita Judæi cum Deo reconciliari poterant, atque in Iſraelitarum ſocietatem reverti, per confeſſionem, & pœnitentiam, alieſque ſatisfactiones a Lege præſcriptas illis, qui præceptum aliquod violaverint. Prætereа advertendum eſt, has leges, atque minas conditionales fuiſſe, atque ſuppoſuiſſe, quod Legi ſatisfieri potuerit, atque illi fuerint in pacifica poſſeſſione terræ Chanaan; quia quamquam Iſraelitæ, verbi gratia, circumciſi non fuiſſent tempore ipſorum itineris in deſerto, illi nequaquam ſupplicio anathematis, & exciſionis fuerunt obnoxii, quia nonniſi maxima cum difficultate ritum hunc exercere poterant in deſerE to. Opus fuit, ut ſemel prolixius explicaremus, quod dicitur de hac pœna *Kerith*, ne identidem eadem repeteremus.

A PRIMO DIE USQUE AD DIEM SEPTIMUM.] Septem diebus ſolemnitatis Paſchatis Fermentatus panis non comedebatur; verum non ita ad azymos edendos tenebantur, ut aliquid aliud manducare non poſſent. Rabbini [4] dicunt, quod veſci poſſunt oriza, milio, farina hordeacea ſiccata, vel elixata, fructibus

1 1. Cor. 5. 7.
2 Oleaſter, Cornelius a Lapide, Rivetus, Piſcator, Bonfrerius.
3 Rabb. Bechai apud Selden. de jur. nat. & gent. l. 7. c. 9. & de Synod. l. 1. c. 5. ubi citat Maimonidem pro ſententia annihilationis animæ.
4 Maimonid. tract. de Fermen. & Azymo. Rabb. Salomon &c. apud Boch. de animal. ſacr. tom. 1. lib. 2. cap. 50.

bus &c. ſed vetitum erat alio uti pane, quam azymo, omni Solemnitatis illius tempore, & præſertim in agni paſchalis cœna, nocte diei decimæquintæ Niſan.

℣. 16. Dies prima erit Sancta, atque Solemnis.] Feſtivitas Paſchatis ſeptem dies perſiſtebat; ſed primus, ac poſtremus tantum obſervabantur. Hebraice מקרא קדש: *Dies prima convocatio Sanctitatis:* cœtus ſanctus. Ea die quiſque ad Templum accedebat, & ibi Feſtivitas peculiari ſolemnitate celebrabatur. Quidam [1] docent Solemnitatem diei decimiquinti Niſan fieri conſueviſſe in memoriam liberationis de Ægypto; eam vero diei vigeſimæ primæ menſis ejuſdem, quæ poſtrema erat dies feſtivitatis, conſueviſſe celebrari in animi grati ſignum ob Pharaonis cladem, quæ eadem contigerat die.

Exceptis iis, quæ pertinent ad veſcendum.] Solemnitas Paſchatis erat non arctæ adeo obligationis, ac dies Sabbati, quo non licebat præparare eſculenta, vel poculenta. *Exod. 16. 23.* Videtur etiam Textus [2] innuere velle, quod liceret præparare eſcas non ſolum hominibus, ſed etiam animalibus domeſticis: *Tantum quod comedetur ab omni anima, illud ſolum fiet vobis.* Hoc autem ſpectat, uti jam ſuperius animadvertimus, ad primum dumtaxat, & poſtremum diem ſolemnitatis; quia quinque dies inter hos operarii erant, & negotioſi, quibus ut alias iter ingredi licebat, & laborare. Hebræi diligentius quietem obſervabant diebus feſtis, quam alii populi; ſaltem quam Latini [3]; nam apud hos diebus feſtis quædam domi, ac rure fieri licebat, quæ Hebræis erant vetita. Ægyptii, qui propinqui magis erant Hebræis, magnum harum generalium ſolemnitatum habebant numerum, quibus ſimul conveniebant; & quemadmodum hæ feſtivitates diverſis in urbibus celebrabantur, & ſæpius procul admodum ab illorum domo, qui illuc ſe ſe conferebant, facere non poterant, quin integram quietem illis diebus caperent.

℣. 17. Obſervabitis azyma.] Hebraice legitur מצות *Mazoth*, quæ vox azymum panem ſignificat. Samaritanus textus habet מצוה *Miſevah* præceptum. *Obſervabitis hoc præceptum.* Ita quoque Septuaginta legerunt Ἐντολὴν: Obſervabitis hoc mandatum. Hæc legendi ratio juſtior videtur, quam illa Maſſorethārum. In textum dumtaxat oculi ſunt conjiciendi, ut pateat, unde hæc oriatur differentia.

In eadem enim ipsa die.] Hebraicus textus בעצם היום fere vertitur *In oſſe*, vel *in ſoliditate Diei hujus educes*, vel *educam* &c. Jam Geneſ. 7. 13. oſtendimus Hebraicam hanc locutionem ſignificare mane.

℣. 18. Quarta-decima die menſis.] Uti incipiebant azymis ſub finem diei decimæquartæ, ſicuti ſuperius dictum eſt, vel quinta-decima ineunte, veſpere. Hinc ortum, ut aliquando veſper hic decimuſquartus vocetur, aliquando vero decimuſquintus. Hinc fit etiam, quod Joſephus l. 2. Antiq. c. 5. ait, ſolemnitatem Paſchatis octo diebus perſeveraſſe, quia incipiebat ſub finem decimæquartæ diei, & procedebat uſque ad vigeſimam primam incluſive.

℣. 19. Tam de advenis, quam de indigenis terræ.] Verſiculus hic jungendus eſt verſiculis 43. 44. 45. ut verus ſenſus innoteſcat. Privilegium, vel ſi lubet, obligatio Paſchatis celebrandi, & azymos panes edendi pro illis erat tantummodo, qui circumciſionem receperant, & qui Judaicam Religionem profitebantur, vel natura Iſraelitæ eſſent, vel ſecus: *Omnis alienigena non comedet ex eo* (℣. 43.) *& advena, & mercenarius non edent ex eo,* (44.) Sed quicumque circumciſus fuerat, vel advena eſſet, liber, vel ſervus, Paſcha celebrare tenebatur ſub iis

A pœnis, quæ hic adnotantur. Hoc liquet ex verſiculo 48. Moyſes *advenam* appellat, qui non eſt Hebræus, & *indigenam*, qui eſt naturalis Hebræus.

Servi non poterant Paſcha peragere cum domino ſuo, niſi circumciſi fuiſſent, & Dominus eos cogere non poterat, ut circumciſionem reciperent, ſi empticii ſervi eſſent, aut bello capti. Ancillarum ſuarum filiis poterat quidem circumciſionem conferre, qui in ſervitute erant nati; quoniam filii erant potius Domini ſui, quam proprii patris.

Fœminæ quoque Agni Paſchalis ſolemnitatis erant participes; quandoquidem ſcriptum eſt, univerſum *filiorum Iſrael cœtum*, cujus pars fœminæ exiſtunt, debuiſſe eam Feſtivitatem agere. Hoc ex conſuetudine etiam innoteſcit. Elcana pater Samuelis deduce-
B bat quotannis conjuges ſuas *Annam*, & *Phenenam* ad Tabernaculum, ut ibi ſacrificaret, atque illis earum partem immolatarum victimarum tribuebat. 1. Reg. 1. 3. 4. Sancta Virgo ſingulis annis ad Templum cum S. Joſeph ad Paſchatis ſolemnitatem proficiſcebatur, ut refert S. Lucas 2. 4. Denique David *partitus eſt univerſæ Multitudini, tam viro, quam mulieri, ſingulis collyridam, &c.* 2. Reg. 6. 19., panem & carnem victimarum, quæ oblatæ fuerant in Solemnitate translationis Arcæ ad Tabernaculum Sion. Poſt ſo Sacrificium Paſchale nihil habebat magis ſanctum, aut Sacrum, quam alia ſacrificia Euchariſtica. Quemadmodum igitur fœminæ ab his non arcebantur, nec ab illo quoque Paſchatis arceri debebant.

Præter incircumciſos ad Paſcha accedere non po-
C terant viri illi, aut mulieres, qui aliquam legalem pollutionem contraxerant, quemadmodum leproſi, aut ii, qui mortuum tetigerant. Pro illis, qui prioris Paſchatis in partem venire non poterant, aliud Paſcha fiebat quartadecima die menſis ſecundi. Vide Num. 9. 6. 11. Qui nimium aberant a Templo, & Tabernaculo, & qui commode eo ſe ſe conferre nequibant die quarta-decima Niſan, ab hac peragenda feſtivitate immunes erant, quoad agni ſacrificium, non autem quoad alios hujus ſolemnitatis ritus. Authores Miſnæ tract. Paſch. c. 9. & Maimonides de Paſch. c. 5. ad quindecim paſſuum millia itineris longitudinem conſtituunt, quæ ab obligatione exolverent generali cœtui interveniendi. Sed hæc diſtantia parvula nimis videtur; hoc poſito tertia
D pars Terram promiſſam incolentium fuiſſet eximenda; & Philo l. 3. de vita Moyſis eos tantum eximit, qui in regionibus ſunt a Judæa remotis.

℣. 21. Vocavit Moyſes omnes ſeniores.] Hoc contigit die decimaquarta Niſan, & die illa antequam de Ægypto egrederentur.

Tollentes animal.] Hebraicus textus [4], & Septuaginta habent *ovem*; verumtamen intelligendum eſt de agno, vel hædo, uti ſuperius oſtenſum eſt ℣. 3. *Sumat unuſquiſque agnum.*

℣. 22. Faſciculum hyſſopi tingite in ſanguine, qui eſt in limine.] Hebræi, & Interpretum plerique ita vertunt: *Tingite hyſſopum in ſanguine, qui eſt in patera* [5]. Patera ſanguis agni exci-
E piebatur, & ſanguis hic deferebatur patera eadem ad limen portæ; tingebatur in eo faſciculus hyſſopi, atque aſpergebantur latera, & ſuperliminare, vel poſtes Oſtii. Vide ſuperius ℣. 7. Septuaginta, & Vulgata aſſerere videntur, quod agni ſanguis effunderetur ſuper oſtii limen, atque inde poſtea tingeretur hyſſopi faſciculus; vel [a], quod ſanguis hic eſſet ſuper januæ limen in vaſculo; quamquam in Vulgatæ textu nequaquam exprimitur. Critici quidam Hebraicum *eſob*, qui Vulgatæ *hyſſopus* eſt, vertunt *roremmarinum* [7], aut *mentham* [8], aut *muſcum* [9], aut *origanum* [10], aut parietariam, aut amaracum, aut aliud quodpiam herbarum genus: ſed nos Vulgatæ, ac Se-

1 Vide Junium, & Bochartum.
2 אך אשר יאכל לכל נפש הוא לבדו יעשה לכם
3 Vide Virgil Georgic. l. 1. Columel. de re ruſtic. l. 2. c. 22. Macrob. Saturn. l. 1. c. 16.
4 [Hebrew text] 5 [Hebrew text]
a Auguſt. q. 46. in Exod. 7 Piſcat. 8 Ludov. de Dieu
9 Jun. & Tremell. 10 Rabb. Kimchi.

ac Septuaginta hæremus, qui ubicumque hæc vox occurrit, conſtanti verſione hyſſopum transferunt. Bochartus multis verſionem hanc probat de animal. t. 1. l. 2. c. 50.

NULLUS VESTRUM EGREDIATUR.] Hoc reſpicit ſolum noctem eam, quæ ipſorum de Ægypto exitum præceſſit. Quia in terra Chanaan ritus hic non obſervabatur. Media nocte Templum aperiebatur, inquit Joſephus; & Evangelium Matth. 26. 30. notat Jeſum Chriſtum egreſſum fuiſſe domo, poſtquam Paſcha manducaſſet.

℣. 23. TRANSIBIT DOMINUS.] Vide caput 11. ℣. 5.

℣. 24. CUSTODI VERBUM ISTUD LEGITIMUM TIBI.] Hebraicus textus verti poteſt: *Cuſtodies hos viros*, (vel [1], *has verba*,) *veluti præceptum æternum.* Quod cum reſtrictione quadam eſt intelligendum, uti ſupra adnotatum eſt, quoad ritus quoſdam, qui deinde nequaquam obſervari fuerunt. Samaritanus textus in hujus verſiculi fine hæc addit verba; *In menſe hoc.*

℣. 26. CUM DIXERINT VOBIS FILII VESTRI, QUÆ EST ISTA RELIGIO?] Sapientia Dei judicavit, ad ſervandam mirabilium potentiæ ſuæ effectuum memoriam, atque inſerendam in populi ſpiritum Religionem, opus fuiſſe, ut illorum imaginatio, & ſenſus ſenſibilibus ſignis applicarentur, atque filiorum curioſitas excitaretur rituum adminiculo, qui quotannis inſtaurarentur.

Ea eſt inter vetuſtiſſimas, & fortaſſe omnium vetuſtiſſima, ratio magnarum rerum memoriam ſervandi, Feſtivitatum inſtitutio. Deus Sabbatum conſtituit, ut perenne ſtatueret monumentum Orbis conditi. Hic jubet, Annum ſanctum vere inchoari, atque deinceps temporum decurſu Paſcha celebrari, ut factum adeo mirabile in memoriam revocaretur. Aliæ omnes feſtivitates ſimilibus fuere inſtitutæ rationibus. Filii plerumque ad Templum, vel ad Tabernaculum deducebantur, cum annum agerent duodecimum. Hac ipſa ætate Jeſus Chriſtus ductus fuit a S. Joſeph, Sanctaque Virgine; & Hircanus apud Joſephum l. 12. Antiq. c. 4. ait, lege cautum eſſe, ne pueri guſtent carnem victimarum, antequam ipſi per ſe ad Templum accedant, ibique ſacrificent. Duodecimo igitur ætatis anno tantum victima Paſchali veſcebantur. Hebræi non credunt filios ſuos ante id ætatis teneri ad præcepta obſervanda, ut Authores Judæi docent, & qui de illorum moribus, ac religione ſcripſerunt. Vide Leonem Mutinenſem de ritibus Judæorum parte 4. cap. 12. Buxtorfium de Synag. Jud. c. 21. Seldenum de jure Nat. & Gent. &c. Arbitrabantur autem pueros ſolum tredecim annos natos, puellas vero duodecim ad rationis, ac diſcretionis uſum pervenire.

℣. 27. VICTIMA TRANSITUS DOMINI EST.] Vel: Hoc eſt ſacrificium Paſchatis Domini. Agnus Paſchalis erat vera hoſtia, & verum ex ea ſacrificium fiebat, quoniam ſanguis illius offerebatur ſuper Altare Domini; in quo Hebræi Sacrificii eſſentiam conſtituunt. Arabica verſio transfert: *Hoc eſt Sacrificium propitiationis*; ideo fortaſſe, quod ſanguis agni Hebræos a morte ſubripuit. Conſiderari etiam poteſt veluti ſacrificium gratiarum actionis ob exitum de Ægypto, quandoquidem Deo gratiæ agebantur ob hanc liberationem, atque illius memoria in ipſo fiebat.

QUANDO TRANSIVIT SUPER DOMOS.] Septuaginta: *Protexit noſtras domos.* Chaldaice: Miſertus eſt domorum noſtrarum. Textus locutio [2] in hoc, & 23. verſiculo innuere videtur, Dominum pro Iſraelitarum domibus ſtaturum, atque ipſorum januas curaturum, ut ab ingreſſu Exterminatorem deterreat; vel etiam tranſiturum ſuper has domos, quin ibi immoretur, & illuc deſcendat.

℣. 29. A PRIMOGENITO PHARAONIS, QUI IN SOLIO EJUS SEDEBAT.] Quidam [3] id intelligunt de Rege eodem, qui tunc regebat, & ſedebat in ſolio Regis patris ſui, cui ille ſucceſſit. Sed præſtat intelligere de filio Pharaonis, qui illi erat ſucceſſurus; & ea verba, *qui ſedebat*, explicare, perinde ac diceretur, *qui aſſidere debebat*. Patet Pharaonem, Pharaonem eumdem qui ſæpius adeo in Dominum obduratus fuerat, in mari rubro abſorptum fuiſſe; & Deus præcipit Moyſi, Exod. 4. 23., ut illi dicat, niſi dimittis populum meum, *ego interficiam tuum primogenitum*. Ita eum devaſtator Angelus non interemit; ſed illum reſervavit Deus ad acerbius ſupplicium.

USQUE AD PRIMOGENITUM CAPTIVÆ, QUÆ ERAT IN CARCERE.] Hebraicè, בכור השבי *uſque ad Primogenitum captivitatis*. Locus hic perſimilis eſt illi capitis 11. 5. *uſque ad primogenitum ancillæ, quæ eſt ad molam*. Captivi in quibuſdam carceribus includebantur, ubi laborem impendere cogebantur ſegetibus molendis, brachiorum vi molam circumagendo. Liquet hoc ex Sanſonis hiſtoria Judic. 16. 21. & ex Veteribus. Claudebantur etiam ancillæ noctis tempore in tutis locis, ac aſperis, qui carceres, & *ergaſtula* dici queunt, ut illis fugiendi facultas adimeretur. Hoc hodie quoque in Hiſpania uſuvenit cum ſervis e Mauritania, uti quoque in Africa cum Chriſtianis captivis.

OMNE PRIMOGENITUM JUMENTORUM.] Ægyptii promiſcue cum animalibus ſuis victitabant, inquit Herodotus lib. 2. cap. 36. ea majori ex parte venerabantur; ſed angelus exterminator ne eos mulctaret, cum illis interfecit quoque hæc eadem animantia, quæ adeo colebant, & verebantur.

℣. 30. NEQUE ENIM ERAT DOMUS, IN QUA NON JACERET MORTUUS.] Videri poſſunt, quæ dicta ſunt in verſ. 12. hujus capitis.

℣. 32. ABEUNTES BENEDICITE MIHI.] Scilicet: *Rogate pro me*. Chaldaice: Iram Dei ſedate, antequam diſcedatis, & hanc plagam auferte. Vel: mihi gratias agite, atque exitum veſtrum mihi acceptum referte.

℣. 34. TULIT POPULUS CONSPERSAM FARINAM, ANTEQUAM FERMENTARETUR, ET LIGANS IN PALLIIS, POSUIT SUPER HUMEROS SUOS.] Quidam ita vertunt hebraicum textum [4]: *Populus accepit maſſam antequam fermentaretur, cum inſtrumentis ad ſubigendos panes in veſtibus ſuis*. Iſraelitæ farinam conſperſerant, atque pro itinere ſuo præſto erat, ut commeatus coquerent: ſed tempus illis defuit fermenta immiſcendo, & maſſæ excoquendæ; eam igitur abduxerunt cum inſtrumentis ſuis, ſicuti erat. Si fermentum maſſæ fuiſſet immixtum, eorum diſceſſus minime obfuiſſet, quin in itinere fermentaretur.

Verum cur non immiſcuerunt farinæ fermentum, eam ſubigentes, quandoquidem conſilium inierant fermentatum panem conficiendi? Si tempus illis fuiſſet ſubigendi, deerat fortaſſe tempus fermentum farinæ immiſcendi? Ita locum hunc vertere mallem: *Populus accepit farinam, antequam fermenta immiſceretur, & commeatus ſuos in humeris ſuis*. Hebraica vox *bezek* ſæpius maſſam, ſed quandoque farinam ſignificat, & Septuaginta [5] hoc in ſenſu intellexerunt. Eadem in ſignificatione uſurpatam invenimus 2. Regum 13. 8. *Veniteque Thamar in domum Amon fratris ſui . . . . . quæ tollens farinam commiſcuit*. Quoad hebraicam vocem *Miſaroth* משארות, quam Vulgata prætariit, & quam Septuaginta pro maſſa explicant

1 הדבר הזה לחק עד עולם.
2 פסח על בתי.
3 Druſius.
4 וישא העם את בצקו טרם יחמץ משארתם צררת בשמלתם על שכמם.
5 Ἀνέλαβε τὸ σταῖς αὐτῶν πρὸ τοῦ ζυμωθῆναι τὰ φυράματα αὐτῶν.

cant φ...., & quæ a pleriſque Interpretum recentiorum vertitur pro inſtrumentis ad panem conficiendum, eſculenta potius innuere mihi videtur. Verbum hebraicum שאר, unde vox hæc fluit, liquido reſervare ſignificat, atque de annuna tritici, ac panis prædicatur, Judic. 6. 4. In Deuteronomio 28. 5. Deus pollicetur ſe benedicturum horrea, & annonas (miſaroth) Iſraelitarum. Nec maſſa, nec inſtrumenta communiter aſportantur, aut reſervantur; ſed in via, præſertim itinere in longo, triticum, & farina aſportari poteſt; & hodie quoque in Oriente longiuſculum iter non ſuſcipitur ſine his commeatibus, ut Viatores narrant. Quoad hic legitur, quod *populus tulit farinam conſperſam ligans in palliis*; aliquando granum in palliis ligabatur, uti liquet ex hiſtoria Ruth 3. 15. & 4. Reg. 4. 39. quod facillimum erat, nam ipſorum pallia haud erant conciſa, ſed ſimplicia panni fruſta, vel quadrata, vel oblonga. Verſ. 39. huic verſioni favet. *Coxerunt farinam, quam dudum de Ægypto conſperſam tulerant, & fecerunt ſubcinericios panes azymos; neque enim poterant fermentari cogentibus Ægyptiis, & nullam facere ſinentibus moram; nec pulmenti quidquam occurrerat præparare*, Vide Joſephum lib. 2. cap. 6. Antiquitatum.

℣. 35. Petierunt ab Ægyptiis vasa argentea, et aurea.] Non illud tempus, quo exituri erant, expectarunt, ut peterent. Textus verti poteſt, *Petierant*. De exitu ſuo non ambigerunt amplius, poſtquam mandatum acceperunt agnum præparandi ob tranſitum Domini; quod accidit decima die menſis, quarta ante exitum ipſorum. Allatæ ſuntunt cap. 3. 22. & 11. 2. rationes, quæ juſtificare poſſunt Hebræos quoad ea, quæ ab Ægyptiis veluti mutua petiere, quæ reddendi ipſis nulla eſſet voluntas.

℣. 37. Profectique sunt de Ramesse in Socoth.] Urbs Rameſſes fuit veluti conventus omnis exercitus Iſrael. Urbs hæc erat plane caput urbis Geſſen, quæ aliquando etiam terra Rameſſe a Septuaginta appellatur. De urbe hac locuti ſumus in caput 1. verſ. 11. hujus libri.

Socoth.] Significat Tentoria. Idem fortaſſe eſt, ac illud, quod appellatur משכנות *Miſchenot* cap. 1. verſ. 11. hujus libri. Poſterior hæc vox eamdem excipere poteſt ſignificationem ac *Socoth*; & Vulgata videtur ita intellexiſſe, cum vertit *Urbes Tabernaculorum*. Locus prioris illius capitis ita verti poſſet: *ædificaverunt urbes*, ſcilicet, *Miſchenot*, *Phithom*, & *Rameſſes*. In itinerario Antonini invenitur urbs vocata, *Scena Veteranorum* ad triginta paſſuum millia ab Ægyptia Babylone Peluſium verſus, & ad quatuordecim millia ab Heliopoli. Urbs Socoth eo in tractu eſſe poterat. Nomen *Scena* idem eſt Græce, ac *Socoth* Hebraice.

Sexcenta fere millia peditum.] Moyſes non indicat, niſi præter propter numerum illorum, qui de Ægypto egreſſi ſunt: nondum ille eos recenſuerat, ſed in cenſu (Numeror. 1. 46.) qui factus eſt poſt treſdecim menſes ab exitu Ægypti, inventa fuerunt hominum ſexcenta, & tria millia, quingenti, & quinquaginta quinque, nulla habita Levitarum ratione, neque adoleſcentum, qui vigeſimum ætatis annum nondum attingerent.

Absque parvulis.] Septuaginta [1] vertunt: *præter ſarcinas*. Nomine parvulorum comprehenduntur infantes, ſenes, mulieres, iique omnes, qui non ſunt armis ferendis. Syriaca verſio habet [2] *abſque familia*; ſcilicet abſque fœminis, ſervis, & pueris. Pſalmiſta velut mirum ſuſpicit, quod nullus æger eſſet inter eos, cum de Ægypto exceſſerunt: *Et non erat in tribubus eorum infirmus*, Pſalm. 104. 37.

℣. 38. Sed et vulgus promiscuum innumerabile ascendit cum eis.] Hebraicus textus ad litteram: *Magna commixtio diſceſſit cum illis, pecudum, taurorum, & maxime divitiæ*. Hebraica vox ערב רב *Arob commixtio*, eſt eadem, quæ vertitur Cap. 8. 21. *omne genus muſcarum*. Moyſes addit, aſcendiſſe quoque cum Iſraelitis animantia, oves, & boves, & illos omni bonorum genere onuſtos fuiſſe. Onkelos [3] ait, quod advenæ plures cum iis ſe ſe immiſcuerint. Chaldæis appellatur ערבלא *Arbela*, populorum colluvies, quemadmodum invenitur in cœtibus itinerantium, quos *Caravanas* vocant. Arob, & Arbela aliquam habent ſimilitudinem. Lyranus, & alii nonnulli explicant de proſelytis juſtitiæ, vel de advenis, qui circumciſionem receperant. Philo de vita Moſ. l. 1. ait plures filios adfuiſſe ex Hebræo patre, Ægyptia matre ortos.

℣. 39. Coxerunt farinam.] Quam conſperſam attulerant, quin potuiſſent coquere, & fermento commiſcere. Hi panes ſine fermento erant argumentum ipſorum feſtinationis in diſceſſu, inquit Tacitus Hiſtor. l. 5. *Raptarum frugum argumentum, panis Judaicus nullo fermento detinetur*. Vide ℣. 34. ubi aliam proponimus ſententiam. *Dudum* non extat in Hebraico textu, nec in Septuaginta; nihil aliud ſignificat, quam *antea*.

Subcinericios panes azymos.] Hebraicus textus utitur vocabulo *Hugget* עגות quod ſignificat liba, de quibus locuti ſumus in Geneſ. cap. 18. 6. Hæc vero 3. Regum 19. 6. notata inveniuntur nomine *Huggot*, *carbones*. Et Oſeas 7. 8. comparat Ephraim his *Huggot*, qui nequaquam converſi fuerunt, & ſub carbonibus combuſti ſunt, vel qui ex alterutra tantum parte cocti ſunt. Bosbechius Itiner. Conſtantinopol. p. 36. ait id genus panes in Bulgaria communes eſſe. Hodie *quoque Hugacos* appellantur. Simul ac hoſpitem advenire vident, fœminæ illico panes hos ſine fermento conficiunt, ſubcinericos, quos advenis vendunt, quia in iis regionibus nulli piſtores adſunt.

Nec pulmenti quodquam occurrerat præparare.] Hebraica vox *zedah* צדה, Septuaginta Ἐπισιτισμὸν, quæ hic transfertur *pulmentum*, omne genus eſcæ crudæ, vel coctæ ſignificat. Chaldaice זודין *Viaticum*. Hebraice ad litteram: Nulla erat illis eſca.

℣. 40. Habitatio filiorum Israel, qua manserunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum.] Septuaginta, ac Textus Samaritanus locum hunc explicant aliquid addendo: *Habitatio filiorum Iſrael, qua manſerunt in Ægypto, & in terra Chanaan, ipſi, & patres eorum, fuit quadringentorum triginta annorum*. Joſephus Antiq. l. 2. c. 6. Euſebius in Chronic. S. Auguſtinus qu. 47. in Exod. & ii qui adhæſerunt Septuaginta, idem legerunt. Et equidem ſi recenſere velimus præciſe tempus, quo Iſraelitæ in Ægypto ſunt commorati, ducenti & quindecim tantum anni reperientur. Sed a vocatione Abrahæ de urbe Haran uſque ad exitum Iſraelitarum de Ægypto quadringenti, & triginta anni numerantur. S. Paulus Galat. 3. 16. 17. palam in hoc ſenſu intelligit, cum quadringentos annos & triginta recenſet a promiſſionibus, quas Deus fecerat Abraham, ad legem uſque Moyſi datam.

℣. 41. Quibus expletis, eadem die egressus est omnis exercitus.] Hebraicus textus, & Verſiones explicite notant poſt quadringentos, & triginta annos, & in corpore diei, (vide Geneſ. 7. 11.) ſeu mane Iſraelitas egreſſos fuiſſe de Ægypto. Septuaginta a Nobilio editi addunt ad finem hujus verſiculi, los egreſſos *noctu*: Sed Polyglottæ Antuerpianæ id non afferunt. Tantum initio verſiculi ſequentis habent: *Hæc nox eſt obſervabilis in honorem Domini*, juxta Textum, & verſiones; ubi Græca Lectio Nobili non habet, *nox*, initio verſiculi 42. Legitur in Deuteronomio 1. 16. Iſraelitas de Ægypto noctu fuiſſe egreſ-

1 Πλὴν ἀποσκευῆς. Aq. Χωρὶς ... Sym. Χωρὶς τοῦ ὄχλου.
2 ... גברין מבניין ,

ſe egreſſos: *Eduxit te Dominus de Ægypto nocte*: verum A intelligendum eſt, ut hic innuitur, de ſummo mane, *in corpore*, vel, *in Oſſe diei* [1], quod vulgata tranſtulit *eadem die*.

℣. 42. Nox ista est observabilis Domini;] Nox, cujus memoria religioſe eſt excolenda [2]; vel nox, qua Deus nos ſervavit, excubias quodammodo pro nobis agens [3], noſtræ invigilans incolumitati. Ita Fagius; Vatablus, & Bonfrerius.

℣. 43. Omnis alienigena non comedet ex eo.] Ni circumciſus erit, & Proſelytus juſtitiæ. Chaldaice: *Iſraelita apoſtata, qui Religioni abrenunciaverit, partem habere non poterit*. Jonathan: *Nullus advena, neque apoſtata comedet ex eo*.

℣. 44. Servus emptitius circumcidetur.] Suppoſito, quod ille aſſentiatur. Vide Geneſ. 17. 13. & B ſupra ℣. 19. Cajetanus credit, ſervos cogi potuiſſe ad circumciſionem accipiendam, non ita tamen veluti characterem, qui eos adigeret, ut Religionem Judæorum profiterentur; verum ſimpliciter velut munditiæ notam, & ſignum, quo agnoſcerentur ſervi ad Hebræum Dominum pertinentes.

℣. 45. Advena, et mercenarius [4].] Alienigenæ, qui ſedem ſtatuerunt in ea regione. Proſelyti domicilii, & qui ibi pertranſeuntes tantummodo ſunt, & qui ibi immorantur negotii cauſa dumtaxat. Quemadmodum nomen hoc alienigenæ ſæpius occurrit in libris veteris et novi Teſtamenti, operæ me pretium facturum puto, ſi nunc pro ſemper illud explicuero, & quænam eſſent diverſa alienigenarum genera, de quibus ſermo habetur identidem, oſtendero: quia quamquam Moyſes ſæpius hac utatur voce, ac permittat cuidam advenarum generi uſum rerum ſanctarum, & ea omnia fere, quæ Iſraelitis naturalibus concedit; alia nihilominus advenarum ſpecies eſt, quibus non impertit participationem feſtivitatum [5], & ſacrificiorum, quin toties quoties eos diſtinguat nominibus ſignificationis diverſæ, aut particulari explicatione. Orationis tantum decurſus, & natura rerum, de quibus ſermo, lumen præbere poſſunt, ut duo hæc advenarum genera ſecernantur. Exempli gratia hic ℣. 19. Moyſes ait, quicumque non comedet azymos panes tempore Paſchatis peribit de medio Iſrael, ſive Hebræus naturalis ille ſit, ſive advena. Et ℣. 43. & 44. ait; omnis alienigena non edet e victima paſchali. Neceſſario igitur ſecernendi ſunt duo alienigenarum D genera, ex quibus alii poterant, & debebant Paſcha celebrare, alii vero non ita.

Judæi duas agnoſcunt proſelytorum ſpecies, ſive advenarum, de quibus Seldenus de jure nat. & gent. l. 1. c. 2. & 3. l. 1. de Synedriis c. 3. Alii proſelyti juſtitiæ dicuntur, & alii proſelyti forium. Proſelyti nomen a Græco Proſelytos προσήλυτος fluit, quod ſignificet advenam, alienigenam.

Proſelyti juſtitiæ ii ſunt, qui Judæorum Religioni initiantur, legalibus, & circumciſioni ſubduntur. Rabbini docent, antequam illis circumciſio daretur, interrogari conſueviſſe de converſionis ſuæ rationibus, ut intelligerent, utrum timore, utilitate, ambitione, aliave ſimili cauſa ducti Religionem vellent immutare. Tradebantur illis deinde præcipui legis articuli, atque obligationes omnes ad eos obſervandos. E Poſtquam circumciſionis vulnus obductum erat, totum Proſelyti corpus in vaſe aqua pleno ſemel immergentes baptizabant. Hæc omnis cæremonia coram tribus Judicibus peragebatur; & quemadmodum hic Judiciarius actus erat, die feſto fieri non poterat. Baptiſmum ſemel collatum iterum innovare nefas erat, ſeu in proſelyto, etiamſi poſtquam tinctus erat, e fide defeciſſet, neque in filiis illius, qui poſtquam Judaicam Religionem profeſſus eſſet, orirentur; A niſi tamen hi filii ex Ethnica matre eſſent orti, quia tunc, quemadmodum matris conditionem ſequebantur, velut Ethnicis baptiſmus conferebantur. Ii autem, quibus nondum uſus rationis erat, ſcilicet fœminæ ante duodecimum expletum ætatis annum, & mares ante decimum tertium, & diem unam, ut proſelyti fierent, impetrare debebant parentum conſenſum, aut Judicum.

Mares circumcidebantur, & fœminæ baptiſmo abluebantur, qui eadem præſtabat in fœminis, ac in maribus circumciſio. Proſelyti ita de integro renaſcebantur; ita ut qui ante eorum converſionem parentes ipſorum fuiſſent, poſt hanc cæremoniam, poſtmodum minime haberentur. Qui vero ſervi erant, libertate donabantur. Proſelytorum filii, antequam patres renaſcerentur, geniti, hæreditate carebant. Si proſelyti occumberent, quin filios genuiſſent, poſtquam proſelyti eſſent facti, eorum bona non fiſco, ſed primo occupanti addicebantur. Denique Rabbini docent, quod Proſelyti tunc nova de cœlo anima demiſſa, & ſubſtantiali forma donabantur. Interpretes quidam credunt Dominum alluſiſſe ad hanc Judæorum novam nativitatem, cum ait Nicodemo, qui admirabatur audiens ipſum loquentem de nova ſecundum ſpiritum nativitate, Joan. 3. 10. *Tu es magiſter in Iſrael, & hæc ignoras*? En autem quinam eſſent juſtitiæ Proſelyti ſecundum Rabbinos. Vide inferius paulo verſ. 48.

Moyſes non aliud exigit hic (℣. 48.) ut quis C Paſchati celebrando admittatur, quam ſimplicem circumciſionem, & legalium uſum. Et Joſephus Antiquit. lib. 13. cap. 17. nihil præterea ab Idumæis exactum ait, qui Hircano imperante Judaicam Religionem erant amplexi. Rabbini vero tria requirunt, baptiſmum, circumciſionem, & ſacrificium. Deuter. 23. videri poſſunt Legis hujus quædam exceptiones, & quinam ii ſint, qui poſſint, & nequeant in cœtum Domini admitti.

Proſelyti forium ſolemniter coram tribus teſtibus pollicebantur, ſe obſervaturos ſeptem præcepta, quæ tradita fuerunt Adæ, & Noe; (Vide ad Gen. 9. 9.) ſcilicet jus naturale omnibus hominibus commune; & ſub his conditionibus illis permittebatur inter Judæos, & in Judæa commorari. Hos homines Scri- D ptura ſimpliciter vocat advenas, & non loquitur de hac promiſſione obſervandi præcepta filiorum Noe; neque neceſſe erat illos adigere juramento, ſuppoſito, quod hæc præcepta nihil continerent aliud, quam jus naturale, quod æque omnes obliget homines, alioquin æternam damnationis pœnam ſubituros. Sed videntur Hebræi nimis arctis limitibus clauſiſſe hæc præcepta. Deſiiſſe Proſelytos forium Rabbini dicunt, ex quo jubilæi obſervantia ceſſavit, & Tribus Ruben, Gad, & Manaſſe in ſervitutem a Teglathphalaſſar adductæ ſunt. Vide 4. Reg. 15. 29.

℣. 46. In una domo.] Onkelos: in uno, eodemque cœtu. Hoc nomen tribuebatur multitudini eorum, qui ſimul ad agnum comedendum convenie- E bant, ad numerum decem hominum, aut viginti. Plures eſſe poterant ex iis cœtibus in una domo.

Nec efferetis de carnibus ejus foras.] In aliis ſacrificiis pacificis poterant amicis ſuis victimæ *partes mittere*. Vide 2. Eſdr. 8. 10. 12.

Nec os illius confringetis.] Hæc verba in Septuaginta leguntur ſuperius verſ. 10. capitis hujus. Syriaca verſio ea legit etiam utrobique: ſed Hebraicus Textus, aliæque verſiones in hoc tantum loco reponunt. S. Auguſtinus, & S. Cyprianus ſecuti

---

1 בעצם היום

2 Aqu. Νὺξ παρατηρήσεων. Sym. Νὺξ παρατετηρημένη.

3 ליל שמרים הוא ליהוה. 70. Νὺξ προφυλακῆς ἐστὶ τῷ Κυρίῳ.

4 תושב ושכיר

5 גר ותורה. Et ℣. 19.

ænti ſunt Septuaginta, eaque legerunt cum verſ. 10. cum verſ. 46. Hoc præcepto videtur Deus ſignificare voluiſſe Iſraelitis, illis non obterendum tempus eſſe, neque eos detineri debere oſſium medullis inquirendis; ni potius hæc erat prophetia quædam eorum, quæ in Paſſione Domini erant eventura, ubi Evangeliſta animadvertit, non permiſiſſe Deum, ut ullum ex oſſibus ſuis frangeretur. Vide Joannem 19. 36.

℣. 48. QUOD SI QUIS PEREGRINORUM IN VESTRAM VOLUERIT TRANSIRE COLONIAM.] Hæc verba *in veſtram tranſire coloniam* ſignificant Judæorum Religionem amplecti, & fieri juſtitiæ proſelytos. Ad id opus erat, Rabbini inquiunt [1], ut ille non ſolum circumciſionem acciperet, ſed etiam iis omnibus eamdem conferrent, qui erant ſub ſua poteſtate; quemadmodum filii, ſervi infra ætatem decem & trium annorum, domi ſuæ nati, & qui domini ſui Religionem profiteri debebant. Demum opus erat, ut ſervis ſuis baptiſmum conferendum curaret. Alicujus ex his rebus omiſſio ſatis erat, ut ille Paſchatis particeps eſſe non poſſet, juxta ea, quæ hic innuuntur. Sed ſervi, qui trium & decem annorum ætatem excederent; & illi, qui empti fuerant, inviti cogi non poterant, ut circumciſionem acciperent; & illorum Dominus eos venumdare tenebatur, ſi noluiſſent circumcidi. Hebraicus textus ita verti poteſt: *Cum aliquis peregrinorum vobiſcum vixerit, & fecerit Phaſe, cogetur, ut circumcidatur ipſe, & omne*

A *maſculinum ejus*. Septuaginta hæc habent: Si Proſelytus ad vos acceſſerit, & Paſcha dominicum celebraverit, circumcidetis omne maſculinum ejus; atque tunc ſua poterit offerre ſacrificia, & veluti indigena habebitur. Chaldaica Verſio, & Arabica cum Vulgata conveniunt, cui adhærent Interpretum plerique. Hebraicus textus aliter nequit intelligi propter ea, quæ ſequuntur: *Circumcidetur omne maſculinum, & tunc accedet ad faciendum Paſcha*. Nemo poterat Religionis, aut privilegiorum nationis Judaicæ fieri particeps, qui antea circumciſionem non accepiſſet. Tacitus de illis, qui Judæorum Religionem amplectebantur, ita loquitur Hiſtor. lib. 5. *Circumcidere genitalia inſtituere Judæi, ut diverſitate noſcantur. Tranſgreſſi in morem eorum idem uſur-*
B *pant; nec quidquam prius imbuuntur, quam contemnere Deos, exuere patriam, parentes, liberos, fratres, vilia habere*. Maimonides More Nebochim part. 3. cap. 46. ait, Hebræos, dum in Ægypto immorabantur, circumciſionem neglexiſſe, ut ſe Ægyptiis ſimiles redderent; ſed Deum, cum ipſis præcepiſſet eſum Paſchatis, addidiſſe hanc conditionem, ne quis in hujus ſacrificii partem poſſet accedere, qui prius non circumcideretur, cum tota familia, filiis, & ſervis, quod arctare videretur preceptum hoc ad iſtam ſolam occaſionem. Sed hæc explicatio minime conformis videtur Textui loci hujus; qui naturaliter advenas tantum reſpicit, qui velint Judæorum Religionem amplecti.

1 Vide Selden. de jure nat. & gent. l. 2. c. 2.

CAPUT XIII.

Lex conſecrationis primogenitorum, & obſervandi paſchatis. Iſraelitarum iter per deſertum, qui eſt ad apicem maris rubri. Abducuntur oſſa Patriarchæ Joſeph. Caſtra ponuntur in Etham. Columna ignis noctu, & nubis interdiu.

℣. 1. LOcutuſque eſt Dominus ad Moyſen dicens: 2 Sanctifica mihi omne primo-
genitum, quod aperit vulvam in filiis Iſrael, tam de hominibus, quam de
jumentis: mea ſunt enim omnia. 3 Et ait Moyſes ad populum: Memen-
tote diei hujus, in qua egreſſi eſtis de Ægypto, & de domo ſervitutis, quoniam in ma-
nu forti eduxit vos Dominus de loco iſto: ut non comedatis fermentatum panem. 4
Hodie egredimini menſe novarum frugum. 5 Cumque introduxerit te Dominus in ter-
ram Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, & Hevæi, & Jebuſæi, quam juravit patribus
tuis, ut daret tibi terram fluentem lacte, & melle, celebrabis hunc morem ſacrorum
menſe iſto. 6 Septem diebus veſceris azymis: & in die ſeptimo erit ſolemnitas Do-
mini. 7 Azyma comedetis ſeptem diebus: non apparebit apud te aliquid fermenta-
tum, nec in cunctis finibus tuis. 8 Narrabiſque filio tuo in die illo, dicens: Hoc
eſt, quod fecit mihi Dominus, quando egreſſus ſum de Ægypto. 9 Et erit quaſi ſi-
gnum in manu tua, & quaſi monimentum ante oculos tuos: & ut lex Domini ſemper
ſit in ore tuo, in manu enim forti eduxit te Dominus de Ægypto. 10 Cuſtodies hu-
juſcemodi cultum ſtatuto tempore a diebus in dies. 11 Cumque introduxerit te Do-
minus in terram Chananæi, ſicut juravit tibi, & patribus tuis, & dederit tibi eam:
12 Separabis omne, quod aperit vulvam, Domino, & quod primitivum eſt in pecori-
bus tuis: quidquid habueris maſculini ſexus, conſecrabis Domino. 13 Primogeni-
tum aſini mutabis ove: quod ſi non redemeris, interficies: Omne autem primogeni-
tum hominis de filiis tuis pretio redimes. 14 Cumque interrogaverit te filius tuus
cras, dicens: Quid eſt hoc? reſpondebis ei: In manu forti eduxit nos Dominus de

terra

terra Ægypti , de domo ſervitutis. 15 Nam cum induratus eſſet Pharao , & nollet
nos dimittere , occidit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti , a primogenito
hominis uſque ad primogenitum jumentorum : idcirco immolo Domino omne, quod a-
perit vulvam maſculini ſexus, & omnia primogenita filiorum meorum redimo . 16 E-
rit igitur quaſi ſignum in manu tua, & quaſi appenſum quid, ob recordationem , inter
oculos tuos : eo quod in manu forti eduxit nos Dominus de Ægypto. 17 Igitur cum
emiſiſſet Pharao populum, non eos duxit Deus per viam terræ Philiſthiim , quæ vicina
eſt : reputans, ne forte pœniteret eum, ſi vidiſſet adverſum ſe bella conſurgere, & re-
verteretur in Ægyptum. 18 Sed circumduxit per viam deſerti, quæ eſt juxta mare ru-
brum : & armati aſcenderunt filii Iſrael de terra Ægypti. 19 Tulit quoque Moyſes
oſſa Joſeph ſecum : eo quod adjuraſſet filios Iſrael, dicens : Viſitabit vos Deus , effer-
te oſſa mea hinc vobiſcum. 20 Profectique de Socoth caſtrametati ſunt in Etham in
extremis finibus ſolitudinis. 21 Dominus autem præcedebat eos ad oſtendendam viam,
per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, ut dux eſſet itineris utro-
que tempore. 22 Numquam defuit columna nubis per diem , nec columna ignis per
noctem, coram populo:

℣. 1. LOCUTUS EST DOMINUS AD MOYSEN .] Deus dedit hæc præcepta in caſtris Socoth eadem die, qua Iſrael de Ægypto egreſſus eſt [1] .

℣. 2. OMNE PRIMOGENITUM , QUOD APERIT VULVAM .] Bochartus de animal. ſacr. tom. 1. lib. 2. cap. 30. ait vertendum eſſe : *Omne primogenitum initium omnis vulvæ* . Contendit enim hebraicam vocem פטר *patar* non ſignificare aperire , & hoc in loco accipi non poſſe in hunc ſenſum ; quoniam invenitur verſ. 19. *Peter chamor , primogenitus aſini* ; nullam autem rationabilem ſignificationem haberet , *hiatus aſini* . Malim ex Arabica voce *phatar* derivare , quæ inchoare ſignificat , & dicere , quod *Pheter* ſignificat initium filiorum , primogenitum ; verum nihil horum loci ſenſum immutat .

Hac lege tenebantur Hebræi offerre Domino primogenitos ſingularum ex uxoribus ſuis , dummodo maſculus eſſet . Si prior conjugii ſui fructus erat femina , non tenebantur neque pro ea , neque pro filiis , qui deinceps erant naſcituri . Viduæ , quæ pepererant filios ex priori viro, non tenebantur fructum offerre thalami alterius . Si mulier geminos enitebatur , qui prior in lucem prodibat , primogenitus cenſebatur , & Domino offerebatur . Hæc erat apud Hebræos conſuetudo , ut prior geminorum , qui in diem prodibat , primogeniti privilegio frueretur . Sed alibi diutius quæſitum eſt , utrum qui ſecundus naſcebatur , primogenitus habendus eſſet , & pro primum concepto ; & ſæpius in judiciis , quæ hac de re contigerunt , ſententiæ pro illo ſteterunt , qui ortus fuerat poſterior . Videri poſſunt apud Seldenum de ſucceſſ. in bona lib. 1. cap. 7. & 11. & Buxtorfium Synag. Jud. cap. 3. acutiſſima quædam argumenta Doctorum Judæorum ſuper Legis , quæ hic affertur , explicatione .

Quæritur , an Jeſus Chriſtus huic legi fuerit obnoxius ; qua primogeniti Domino offerri jubentur ? Liquet ex Evangelio , quod ipſe illi ſe ſubdere voluit , & Sancta Virgo ac Sanctus Joſeph obtulerunt eum Templo , ut ſatisfacerent legi , Luc. 2. 22. *Tulerunt illum in Jeruſalem , ut ſiſterent eum Domino , ſicut ſcriptum eſt in lege Domini ; quia omne maſculinum adaperiens vulvam , ſanctum Domino vocabitur* . Nonnulli tuentur , preſſius loquendo , Jeſum Chriſtum tantummodo huic legi ſubjectum fuiſſe , qui ſolus vere eſt *Sanctus Domino* , qui aperuit miraculoſa nativitate ſuæ ſanctæ Genitricis ſuæ uterum , quin ſigillum Virginitatis infringeret ; dum in aliorum

A hominum productione naturaliter matrum uterus in filiorum conceptione aperitur , antequam in ipſorum nativitate aperiatur . Lex igitur Moyſes erat prophetia modi illius miraculorum pleni , quo Salvator erat naſciturus . Hæc erat prædictio perfectæ illius conſecrationis , atque ſupereminentis ſanctificationis, quæ ne minimam umquam habuit fœditatis umbram, dum alii omnes homines filii iræ naſcuntur , atque odii divini objectum : *Natura filii iræ* . Origenes homil. 14. in Luc. palam pro hac pugnat ſententia ; *Omne maſculinum , quod aperit vulvam , ſacratum quidpiam ſonat . Quemcumque enim de utero effuſum marem dixeris , non ſic aperit vulvam matris ſuæ , ut Dominus Jeſus ; quia omnium mulierum non partus infantis , ſed viri coitus vulvam reſerat* . Tertullianus
B idem , ſed ſtrictius , ait in lib. de carne Chriſti , *Quis vere Sanctus , quam Dei filius ? quis proprie vulvam adaperuit , quam qui clauſam patefecit ?* Eadem videri ſententia poteſt apud Sanctum Ambroſium in Lucam lib. 2. art. 36. S. Hieronymum l. 2. contra Pelag. & alios plures .

Sanctus Hieronymus etiam occupaſſe videtur objectionem , quæ fieri poterat adverſus hanc Patrum opinionem , perinde ac illi non credidiſſent Ieſum Chriſtum natum fuiſſe infracto Mariæ Virginitatis ſigillo . Hic Pater objectioni occurrit , cum ait : Ieſum Chriſtum ſolum aperuiſſe clauſam uteri virginalis ſuæ genitricis januam , quæ ſemper clauſa fuit . Hæc Orientalis eſt janua , de qua loquuntur Scripturæ , quæ ſemper eſt clauſa , & nonniſi magno Pon-
C tifici aperitur , qui per eam ſolus ingreditur , & egreditur . *Solus Chriſtus clauſas portas vulvæ virginalis aperuit , quæ tamen clauſa jugiter permanſerunt . Hæc eſt porta Orientalis clauſa , per quam ſolus pontifex ingreditur , & egreditur , & nihilominus clauſa eſt* . Recentiorum Interpretum plerique hac in re priſcis adhærent .

Sed alii [2] intelligunt ſimpliciter locum hunc de naturali hominum , & animantium nativitate . Credunt illi locutionem hanc ; *Omne primogenitum , quod aperit vulvam* , innuere dumtaxat primogenitum abſque ulla diſtinctione modi , quo naſcatur . Hæc explicatio forte præ ceteris magis ad litteram accedit : illa amplectitur Ieſum Chriſtum intra limites Legis cum aliis omnibus primogenitis , nec diruit
D Patrum ſententiam , quæ invictis innititur probationibus e perpetua Mariæ Virginitate deductis . Quemadmodo etiam neceſſe erat , ut Salvator per obedientiam ſuam morem hunc ſanctificaret , qui Deo

1 Hieronym. manſione ſecunda .
2 Vide Cornel. a Lapide , Janſen. Marium , &c.

plargre non poterat, niſi propter relarionem, atqun unionem, quam olim habiturus erar eum obedienria, & ſacrificin Ieſu Chriſti. Videbimus alibi, an Lex, qua fœminæ tenentur ſe ſe præſentare in Templum, ut poſt partum purificentur, reſpiceret Sanctam Virginem, atque an ipſa illi ſe ſe ſubmittere debuerit.

℣. 4. MENSE NOVARUM FRUGUM.] Hebraice [1]: *menſe abib*. Ex poſtremæ hujus vocia hebraica conſtructione licet conjicere illam in ſenſu appellativo eſſe ſumptam. Re quidem vera neque Ægyptii, neque Hebræi nondum menſibus ſois parrioularia uomina indiderant. Regnante *Thaut* dumtaxat Ægyptii duodecim menſibua duodecim numinum tribuere uomina [2]; & apud Iſraelitas menſes tunc demum propria nomioa adepti ſunt, eum illi de Babylonica caprivirate ſunt reverſi. Plerique Interpretum hebraicam vocem *Abib* vertunt, *ariſtas virides*; quod nomen huic menſi dedere, quia tune hordeum marureſcentes haber ariſtas; & triticum quoque ſuas incipir germinare. Septuaginta [3] vertunt: *menſe novorum*. Syriaca, & manuſcripta Arabica a Bocharto eitara: *menſe florum*. Pagninus *Abib* vertit *Julium*, plane quod Iſraelitæ poſt captivitatem nomen *Ab* uni ex menſibus ſuis, qui reſpouder partim Julio, Auguſto partim, dedere: ſed nomen *Ab* poſitum pro Iulio, uſurpatum eſt a Chaldæis, qui *Niſan* appellabant eum menſem, eui Moyſes dedit nomen *Abib*.

℣. 5. IN TERRAM HEVÆI, ET IEBUSÆI.] Samaritanus textua habet, *Phereſæi*, & *Gerſæi* ante *Hevæi*. Septuaginta hæc eadem nomina ponunt ante *Jebuſæi*; & in Syriaca non adeſt *Gergeſæi*, ſed ſimpliciter *Phereſæi*. Animadverti hactenus jam potuit alibi, ſcripturam non ſemper diligenter recenſere omnium horum populorum nomina, terram Chanaan incolentium.

℣. 6. SEPTEM DIEBUS.] Samaritanus Textus, & Septuaginta ponunt ſex dies tantum in hoc verſiculo: ſed verſiculo ſequenti ſeptem ponuut, quemadmodum Hebraicus textua, Vulgata, aliæque verſiones.

℣. 8. HOC EST, QUOD FECIT MIHI DOMINUS.] Hebraice; בעבור זה; *Propter hoc*, vel *propterea quod fecit Dominus*. Perinde ac innuere vellet: Deus me de Ægypto liberavit, ut me ad feſtivitatem hanc celebrandam impelleret. Vel potius juxta Varablum: Feſtivitatem hanc celebramus, propterea quod Deus nos liberavit.

℣. 9. ET ERIT QUASI SIGNUM IN MANU TUA, ET QUASI MONUMENTUM ANTE OCULOS TUOS; ET UT LEX DOMINI SEMPER SIT IN ORE TUO.] Hæ omues locutiones figuratæ ſuut, atque hyperbolicæ. Significant autem maximam curam, quæ eſſe debebat Iſraelitis memoriam ſervandi ob miraculoſum adeo beneficium. Hæ loquendi rationes non ſemel occurrunt in Scripturis. Vide ℣. 6. hic Deut. 6. 8. & 11. 18. Innuere autem volunt: Præſens adeo hujus rei ſit tibi memoria, uti ſignum, & anulus, quem manu geris, & utnatus, qui tibi de fronte pendent, atque ante oculos tuos. De his frontis ornatibus locuti ſumus Geneſ. 24. 22. Videntur porro ex hoc loco tum hominibus, cum mulieribus fuiſſe communes.

Hæc locutio *eſſe quaſi ſignum*, vel potius, *quaſi ſigillum in manu*, ſignificat aliquaudo rem, majorem in modum nobis acceptam, & qua ægre orbari patimur. Hieremias *cap. 22. 24. Si fuerit Jechonias annulus in manu dextera mea, inde evellam eum, dicit Dominus*. Et Deus loquens de Zorobabel air Agg. 2. 24. *Ponam te quaſi ſignaculum, quia elegi te*, Rectius equidem hoc pacto locus iſte explicari poteſt: Ritus

A hie adeo acceptus tibi ſit, ac ſignaculum, quod geritur manibus, vel quod annulo inhæret. Textus [4] aliquando utitur verbis, ligare, adnectere, ſuſpendere ſignum de manu, vel digitis; & alibi [5] ponit veloti ſignum in manu. Ex quo conjici poſſet, tunc ſigillum annulo inſertum deferri minime conſueviſſe, ſed ligari, vel de manu ſuſpendi.

Iudæi hæc præcepta ad litteram intelligentea inſcribere conſueverunt; in vittis membraneis e corio confectis mundi animalis quoſdam legis locos depromptos ex 13. capite Exodi a ℣. 2. uſque ad decimum, & a ℣. 2. ad 16. ac a ℣. 4. Deuteronomii ex capite 6. uſque ad ℣. 9. atque a ℣. 13. Capitis undecimi libri ejuſdem uſque ad ℣. 21. Iimembranas has manui adnectunt, ac fronti ab una ad aurem alteram, ita tamen ut nodus, in quo Scriptura B claudirur, in fronte ſit medius, ut cum eam ſemper ob oculos præſeferant, illius numquam poſſint oblivíſci. Hebræi vittas has *Tephilim* [6] vocant, & Græci *Philacteria*, de nomine apud Ethuicos vulgato ad quodvis amuleti genus ſignificandum, aut characterum, quos ſuper ſe deferebant, ut ſe ab omni periculo tuerentur, atque ab ægritudinibus præſervarent. Salvator noſter Matthæi 23. 5. Phariſæos arguit, quod *dilatant Philacteria ſua, & magnificant fimbrias*, ut ſe ſe ab cæteris Iudæis ſecernant. S. Hieronymus in Matt. l. 4. aſſerit ævo quoque ſuo Iudæos Perſidis, Babylonis, atque Indiarum ea deferre conſueviſſe, cum majorem præ cæteris pietatem profiterentur. Indæi hodie quoque deferunt. Verum hæ conſuetudines pa- C lam abſunt longius a mente, atque Legiſlatoris ſententia. Quod ſi ad litteram verba hæc explicare volebant, cur non uri etiam ex his Tephilim adnectebant, & cordi; quandoquidem Deuteronomii c. 6. ℣. 6. Moyſes imperat, ut verba hæc ſint in corde, in memoria, atque ore: ut ea quiſquis teneat, mediretur, ſciat, & diligat? Antiquitus pauca ſcribebantur, ſed multa corde percipiebantur; quare fit, ut frequenter adeo loquatur Scriptura de meditatione, & memoria Legis Dei.


Mahometani in gymnaſiis ſuis non utuntur libris. Magiſter buxeæ cuidam tabulæ inſcribit, quidquid diſcipulis eſt addiſcendum; ipſi hanc rabellam perlegunt, & iu craſtinam diem aliquid recens inſcribitur. Hoc pacto Alcoranum ediſcunt, & ſuorum rituum D libros, & grammaticam; & facilius plerumque una in domo invenies, qui corde Alcoranum teneat, quam qui librum hunc poſſideat. Credibile eſt, Hebræos legem Dei hoc propemodum pacto didiciſſe; & cum Scriptura præcipit, ut Lex cordibus inſcribatur, intelligendum eſſe de eadem memoriter percipienda, ut quiſque eadem repleatur, eam fideliter memoria teneat, atque diligenter opere adimpleat.

℣. 10. A DIEBUS IN DIES.] Quotannis die ſtata. Hebraiee vox *Jamim* ימים ſæpius pro anno explicatur. Vide Levitic. cap. 25. ℣. 29. 1. Reg. cap. 1. 3. Amos 4. 4.

℣. 12. QUOD PRIMITIVUM EST IN PECORIBUS.] Non ſolum hominum primogeniti, verum etiam animantium Domino erant deſtinati: hi ipſi offerri de- E bebant, vel illorum pretium: *Quod primitivum eſt in pecoribus tuis*. Hebraica vox בהמה *behemah* ſignificat potius majora animalia, & doſſuaria, quam minuta armenta, & animantia, quæ a Latinis *pecora* plerumque appellantur. Sed Scriptura non ſemper voces diligenti adeo cura ſcrutatur; atque hic *behemah* in lato omnis ſenſu intelligitur.

Toſtatus, Cornelius a Lapide, Menochius, & alii quidam contendunt, Moyſem exigere tantum primogeni-

1 חדש האביב. 70. Ἐν μηνὶ τῶν νέων.
2 Vide Diſſertationem de Chronologia, quam Geneſi præfiximus.
3 Ἐν μηνὶ τῶν νέων.
4 Deuter. 11. 18. & Proverb. 7. 3.
5 Agg. 2. 24. Ezech. 49. 14.
6 Adiri poteſt Buxtorfius Synag. Judaic. c. 4.



TEPHILIM, seu PHYLACTERIA IUDÆORUM.

NAPOLI

Digitized by Google

genita maſculini ſexus e capris, ovibus, & vaccis; e camelis vero, equis, & jumentis non item. Atque ajunt, cum Deus perit peculiariter primogenita aſinorum, eam eſſe præcepti exceptionem. Sententiam porro ſuam confirmant ex eo, quod ſcriptum eſt ℣. 15. hujus capitis, quod immolabantur Domino cuncta animantia, quorum illi primogenita offerebantur. *Immolo Domino omne, quod aperit vulvam.* Verum jumenta non immolabantur, de quibus locuti ſumus; igitur hæc non ſunt conſtituenda in illorum numero, quorum Deus exigit primogenita. Addunt præterea, Scripturam, cum ait Num. 18. 15. *Omne animal, quod immundum eſt, redimi facies*; intelligere de illis quæ immunda ſunt propter accidentalem aliquam ægritudinem, veluti ſi cæca naſcerentur, claudicantia, aut infirma.

B Alii [1] e contra docent, Deo offerri conſueviſſe primogenita maſculini ſexus ex omnibus animantibus domeſticis, atque aſinorum nomine Moyſen intelligere voluiſſe belluas omnes doſſuarias, aut homini inſervientes; veluti camelos, mulos, & equos. Aſinos autem dumtaxat memoravit, quia magis communes ſunt, & ii ſoli ferme, quibus ea tempeſtatu Iſraelitæ uterentur. Sententia hæc roboratur eo Numerorum loco, quem pro ſententia contraria attulere. *Cap. 18. 15. Omne animal immundum redimi facies.* Quod intelligendum eſt de animalibus immundis ex natura ſua, uti liquet ex oppoſitione loci hujus ad ℣. 17. capitis ejuſdem, qui loquitur de animalibus immundis per accidens, atque idoneis, quæ in ſacrificium offerantur. His adde præterea, quod ait Philo l. de Sacerdotum honoribus, ſcilicet redimi generaliter conſueviſſe omnes primogenitos maſculini generis ex omnibus domeſticis animantibus; aſinis, equis, camelis &c. Non deſunt [2] qui excipiant canes, & æluros, atque inſuper animalia, quæ non edunt partus ſuos formatos, & viventes, ſed ovis involutos: atque hic fortaſſe poteſt ſenſus eſſe Legis illius in Deuteronomii capite 23. 18. *Non offeres pretium canis in domum Domini.*

Alii [3] aſſerunt primogenitos canum, & felium interfici conſueviſſe, atque ideo præcipue horum primogenitos non offerri, quod hæc animalia admodum inutilia ſunt, nullumque ex ipſis fieri poteſt negotium.

Rabbini quidam verſiculum hunc in hunc modum transferunt: Omnia animantium primogenita, quæ etiam ante tempus naſcentur, erunt Domino conſecrata. Verum quinam uſus fieri potuiſſet animantis ante ſuum tempus orti? Hæc animalia erant immunda, atque indigna, quæ Domino offerrentur.

℣. 13. PRIMOGENITUM ASINI MUTABIS OVE. QUOD SI NON REDEMERIS INTERFICIES.] Septuaginta non dicunt interficiendum eſſe primogenitum aſini, quem nolis redimere; ſed ſimpliciter [4], ove mutandum eſſe, vel ovis pretio redimendum. Si non mutaveris redimes. Hunc ſenſum loco iſti tribuit S. Ambroſius l. 2. de Cain. c. 2. Sed Hebraicus textus, quem Chaldaica verſio, & Vulgata ſequuntur, ait, primogenitum aſini perimendum eſſe, ni redimatur. Ex Numerorum libro c. 18. 16. videntur quinque ſiclorum pretio animalia immunda redimi vulgo conſueviſſe. *Omne*

A *animal, quod immundum eſt, redimi facias; cujus redemptio erit poſt unum menſem ſiclis argenti quinque.* Sed plerique [5] tuentur locum hunc Numerorum primogenitorum hominis tantum redemptionem reſpicere. Quod ſatis liquet, locum hunc conferendo capiti 3. 47. libri ejuſdem.

INTERFICIES.] Hebræus [6] *Caput abſcindes.* Vel; abſcindes colli tendones [7]. Chaldaice: *Mutabis ove;* vel capra. Vox textus שה, minutum pecus ſignificat, ovem, ut agnum, aut capram, aut hædum. Quæritur cum nolit Deus ſibi aſinorum primogenita offerri; atque illa interfici velit, ni redimantur? Præcepti hujus ratio, quæ magis naturalis videtur, ea eſt, quod aſinus eſt immundum animal; *Omne animal immundum redimi facies.* Et quemadmodum Deus eſt cunctorum animantium primogenitorum Dominus, non patitur, aliquem inde utilitatem percipere, niſi redimat ab illo; & vetat communibus, profaniſque operibus inſumi, quod ipſi fuit conſecratum.

B Qui [8] præcepti hujus rationem ſcrutantur in Priapi Religione, cui aſinus ſacer erat juxta Ovidium Faſt. 1.

Helleſpontiaco hoſtia grata Deo;

vel eam ex ſumma animantis hujus ſtupiditate deducunt, nihil inquiunt, quod ſatisfacere poſſit, nec quod minimum habeat ex Scripturis, cui innitatur, argumentum. Plutarchus de Iſide, & Oſiride aſſerit, Ægyptios aſinorum horrore percelli. Coptici aſinos rubri coloris præcipites agunt; & urbium Lycopolis, & Buſiridis cives nolunt tubis uti, quoniam

C illarum clangor ruditum horum animalium imitatur. Credunt autem aſinum referre colorem Typhæi damnoſi Numinis, & noxii: denique illum veluti immundum, atque abominabile animal deteſtantur. Veteres quidam accuſarunt Iudæos, eo quod aſini caput adorarent (vide Ioſephum contra Appionem:) & Tacitus hiſt. l. 5. ait, hoc factum, in grati animi ſignum, eo quod cum in deſerto animal hoc aquæ fontem pateféciſſet, eos a morte ſubduxit.

℣. 16. QUASI APPENSUM QUID.] Hebraica vox טוטפות *Totaphot* transfertur a Septuaginta, Symmacho, & Theodotione: *Quid immobile*, Ἀσάλευτον. Non ſecus & Aquila, Εἰς νυγμάτα. Vide novam editionem Hexaplorum. Chaldaica verſio hic *Totaphot* transfert *Tephilin* amuleta: verum alibi ponit תפילין *Totaphan*,

D & *Totaphot* pro tiara, vel corona; & aliquando [9] pro armilla. Verbum *Taaph* Arabice ſignificat circumdare, involvere. Syriaca verſio habet: Memoriale ante oculos. Arabica [10] vero; quid extenſum ante oculos. Pagninus; frontalia, vittas ante oculos. Videtur Moyſes hic de quodam ornatu loqui, qui de fronte inter utrumque oculum penderet, illis perſimilis, de quibus locuti ſumus Geneſ. 24. 22. Verum quænam eſſet horum ornatuum forma & natura, ſtatuere non licet; quin immo vera vocis *Totaphot* origo latet; nonnulli eam a Chaldaico *Toph* טוף deducunt, vel ab Arabico *Tapha* טאף, quod *reſpicere* ſignificat; quare quidam [11] exiſtimarunt *Totaphot* ſignificare ſpeculum. Alii [12] putant vocem hanc eſſe Ægyptiam, & ſignificare conſpicilla. Scaliger quoque aſſerit, vocem hanc eſſe Ægyptiam, ſed ſignificare *amuleta*. Samuel Petitus [13] per *Totaphot* intelli-

1 Bonfrerius, Rivetus, Junius, Piſcator, Malvenda, Menochius,
2 Vide ad Deut. 23. 17. & Rivet. hic.
3 Vatablus, Grotius, Bochartus ad Deuteron. 23.
4 Ἐὰν δὲ μὴ ἀλλάξῃς, λυτρώσῃ αὐτό.
5 Cornelius a Lapide, Bonfrerius, Menochius.
6 וערפתו. Sym. Ἀποκτενεῖς. Interficies. Samar. Παραδώσεις. 70. Λυτρώσῃ. Theodot. Νευροκοπήσεις. Decollabis.
7 Aquila. Τενοντώσεις.
8 Cornelius a Lapide.
9 Eſther. 8. 15. & Ezech. 24. 17. & 23.
10 2. Reg. 1. 10.
11 Rabbini quidam apud Munſterum.
12 Oleaſter, Munſterus, Mayer. Phil. ſacr. p. 120.
13 Petit. Var. lect. ... Pudenda e luto efformata. Idem ἀσάλευτα, reſcindenda, legit, pro ἀσάλευτα, apud 70.

git obſcœnas imagines, quæ in fronte, ut inquit ille, deferebantur. Nihil hac in re certum adfertur.

℣. 17. NE FORTE POENITERET EUM.] Iſraelitis bellandum fuiſſet ſimul contra Philiſtæos, Chananæos, Ægyptios fortaſſe, & Idumæos, atque Amalecitas, ſi facto impetu in terram Chanaan ingredi compendiario itinere voluiſſent, quod eſt Peluſio Aſcalonam verſus. Locus adeſt in libro primo Paralipomenon cap. 7. 21. ex quo liquet, Philiſtiim, antequam Iſrael de Ægypto egrederetur, certamen aliquod habuiſſe cum Tribu Ephraim. Populi Chanaan parati erant, ut ſe ſe Iſraelitis opponerent, ſi in eam regionem irrumpere fuiſſent adniſi, quæ diutius ante illis fuerat promiſſa.

℣. 18. CIRCUMDUXIT PER VIAM DESERTI.] Scilicet per agros deſertos, qui adhærent excultis Ægypti terris verſus Arabiam Petræam, Idumæam, & regionem Amalecitarum.

ARMATI ASCENDERUNT.] Oleaſter, Calvinus, & Fullerus ambigunt, an vere armati fuerint: Quia, inquiunt illi, unde nam Hebræi comparare ſibi poterant arma, quæ ſatis eſſent ſexcentis hominum millibus, ac ultra in ea regione præſertim, ubi oppreſſi erant, & habiti tamquam captivi? Joſephus lib. 2. Antiq. cap. 6. & Philo referunt, eos Pharaonem perſecutum fuiſſe, cum fatigati eſſent, atque inermes. Additur præterea, vocem hebraicam, quæ hic vertitur *armati*, ſignificare ſolum, quod illi non promiſcue, & confuſe, ſed ordinatim egreſſi ſunt; & veluti expeditum agmen, ubi quiſque ſuum C ordinem ſervat; vel ſimpliciter viatores *accincti*, & *expediti*.

Verum hæc ſententia a pleriſque veterum, recentiorumque Interpretum [1] refutatur. Vox חמשים *Chamuſchim*, quam Vulgata tranſtulit *armati*, ſignificat ad litteram *quinos*. Septuaginta [2] hic vertunt *ad quintam generationem*; quod innuere poteſt, Iſraelitas egreſſos fuiſſe quinto ſæculo peregrinationis ſuæ, quadringenteſimo, ac trigeſimo poſt Abrahæ vocationem anno; vel potius quinta generatione ab ingreſſu Iſraelitarum in Ægyptum. Hoc autem ita recenſentur [3]: Iacob, Levi, Caath, Amram, Moyſes; vel omiſſo Iacob ſubrogari poteſt Gerſon filius Moyſis, ut quinarius numerus repleatur. Sanctus Hieronymus ad Damaſ. quinque hos viros nu- D merat in Tribu Iuda, tali pacto: Phares, Eſron, Aram, Abinadab, Naaſſon: ſed hæc explicatio locis aliis non convenit, ubi eadem vox occurrit; atque præterea cum generatio una apud Ægyptios triginta & triginta eſſet annorum, ut docet Herodotus l. 2. qui ait, tribus generationibus ſæculum compleri; quinque generationes centum, & ſexaginta annos tantum efficerent, qui numerus longe abeſt a quadringentis, & triginta peregrinationis annis, atque etiam a ducentis & quindecim incolatus in Ægypto conſtituti.

Plures Interpretes Recentiores [4] hebraicam vocem vertunt: *Accincti ad quintam coſtam*: quod intelligi poteſt de coſtarum defectu, aut ſub quintam coſtam, aut de loco eodem, ubi quinque ſunt falſæ E coſtæ; vel denique de eo, quod eſt ſub his coſtis. Dicunt antiquitus gladium altius accinctum, quam nunc aſſolet, conſueviſſe deferri. Videntur Romæ ſtatuæ antiquæ, quæ Heroas referunt, quarum gladius de baltheo vehementer adſtricto ſuſpenſus ſub axilla pendet eam partem verſus, ubi coſtæ deficiunt, modo ad dexterum latus, modo ad ſiniſtrum; ſed ad dexterum ſæpius. Animadvertendum tamen eſt, aſſeri nequaquam poſſe, quod hæ ſtatuæ ad quintam coſtam ſint accinctæ, ſed tantummodo quod pendeat verſus quintam coſtam; alioquin hoc nihil conferre

A poteſt ad locum hunc explicandum, quia liquet ex Scriptura, Hebræos deferre conſueviſſe gladium ſuper femur. Moyſes ipſe id palam innuit in hoc libro cap. 32. 27. *Ponat quiſque gladium ſuum ſuper femur ſuum &c.* Et Pſalmiſta pſalm. 64. 4. *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum*. Et Sponſa in Canticis 3. 8. *Omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi: uniuſcujuſque enſis ſuper femur ſuum &c.*

Aquila, & Symmachus [5] verterunt, quemadmodum Vulgata: *Armati aſcenderunt*. Septuaginta alicubi vertunt Εὔζωνοι; Accincti veluti bellatores; & alibi Διατεταγμένοι: ordinati, veluti in aciem diſpoſiti. Sanctus Hieronymus epiſt. ad Damaſ. aſſerit, quod omnes Judæorum Synagogæ conveniunt, hoc in loco Scripturam innuere velle, Iſraelitas de B Ægypto exceſſiſſe, veluti in aciem diſpoſitos; atque ita Rabbini, & plerique [6] Interpretes explicant; ſed nemo, quem ſciam, oſtendit hactenus, Hebræos, vel Ægyptios in agminibus ſuis quinos, & quinos procedere conſueviſſe. Hoc autem ſupplere adnitar, eaque proferre argumenta, quibus hæc valeat ſententia fulciri.

Homerus Odyſſ. Δ. verſ. 427. narrat, Menelaum, cum in Ægyptum profectus fuiſſet a Trojano bello reverſus, ibi vidiſſe Protheum, qui tunc imperitabat. Princeps hic, cui Fabula omnia figurarum, formarumque genera tribuit, medius erat inter marinos vitulos; illorum percenſebat copiam, numerum inquirebat, eos quinos in ordinem cogebat, vel quinos in ſingulos ordines diſtribuebat, atque inter eos C veluti paſtor inter pecudes quieſcebat. Non admodum difficile reor ex hac narratione modum percipere, quo ordine Ægyptii milites proficiſcerentur. Fabula diverſas Regi Protheo formas tribuit; ſeu propter hujus principis aſtum, atque ſapientiam; ſeu quod modo caput ſuum pelle capitis leonini, modo plumis aquilæ obtegeret, vel galeam ſuam aliorum quorumdam animalium ſpecie exornaret. Hanc Diodorus Siculus rationem adfert lib. 1. cap. 2. eorum, quæ dicuntur de Prothei immutatione. Quoad milites Homerus eos marinos vitulos appellare potuit eodem pacto, quo Scriptura Ezech. 29. 3. Ægypti Regem vocat Draconem magnum, aut Crocodilum: *Ecce ego ad te, Pharao Rex Ægypti, Draco magnus, qui cubas in medio fluminum tuorum*. Protheus igitur D ſuos recenſet milites, ſeu marinos vitulos, eos quinos, & quinos diſtribuit, inter eos quieſcit, veluti paſtor inter oves ſuas, veluti Imperator in medio exercitus ſui. Narratio hæc quamvis fabuloſa videatur, lucem tamen iis, quæ a nobis quæruntur, conferre non ceſſat; nam cur Homerus deſcriberet Ægypti Regem milites ſuos quinos, & quinos digerentem, ſi mos hic inter Ægypti copias minime invaluiſſet?

Animadverti poteſt in iis, quæ Fabula de Cadmo commenta eſt, quiddam quod inſervire poteſt iis, quæ dicta ſunt, confirmandis. Cadmus cum ſeviſſet dentes ſerpentis, quem interfecerat, germinavit inde plurimorum militum meſſis, qui cum infeſtis irruiſſent armis, quinque tantum ſuperfuerunt, qui E Bœotiam univerſam ſubegere. Hi quinque Cadmi bellatores nonne naturaliter ſatis innuere poſſunt illius exercitum in quinque ordines diſpoſitum? Dicitur Cadmus e Phœnicia, aut etiam ex Ægypto in Græciam appuliſſe. In Levitico dicit Deus, a quinque Iſraelitis centum ex hoſtibus cædendos eſſe, atque ab Iſraelitis centum hoſtium decem millia cædenda; videlicet ordinem militum Iſraelitarum cæſurum eſſe centuriam de hoſtibus ſuis, & centuriam Iſraelitarum profligaturam exercitum aliorum populorum. Videbimus infra Iſraelitarum manipulos e centum militibus conſtitiſſe. Liquet ex Homero Iliad. M Græco-

1 Chald. Rabb. Hieron. Syr. Munſt. Vatab. Grot. Menoch. &c.
2 Πέμπτῃ γενεᾷ.
3 Vide Auguſtinum qu. 50. in Exod.
4 Munſter. ex Kimchi, Fagius, Vatablus, Lyranus, Menochius &c.
5 Καθωπλισμένοι.
6 Junius, Rivetus. Amama, Varen. Pfeiffer.

Græcatum exercitum æque ac Ægyptium fuiſſe diſpoſitum in ordines quinque, aut in quinque agmina diviſum.

Xenophon Cyroped. l. 6. loquens de ratione, qua diverſi populi in exercitu Cyri copias ſuas diſtribuebant, ait, exercitum Ægyptiorum compoſitum fuiſſe ex pluribus legionibus, quarum ſingulæ decem hominum millia complectebantur, has vero legiones in centurias plures fuiſſe digeſtas. Hic ipſorum communis erat modus copiarum diſponendarum. Eadem exercitus Iſraelitarum diſpoſitio videtur, duce Moyſe, in eo, quem attulimus Levitici loco, ac David regnante 2. Regum cap. 18. 4. *Egrediebatur populus per turmas ſuas centeni, & milleni*. Scriptura paſſim ubique memorat Duces militum mille, ac Centuriones Numeror. 31. 14. & Deuteron. 1. 15. & 1. Regum 22. 7. Alicubi inveniuntur quinquaginta militum duces [1]; ſed fortaſſe in iis locis pro *chamiſchim*, quod ſignificat quinquaginta, legendum eſſet *Chamuſchim* [2] milites quinos, & quinos. Litteræ in duabus his vocibus eædem ſunt, pronunciatio tantum eſt varia. Hæc adnotata inſervire poterunt quibuſdam aliis locis explicandis, ubi eædem voces occurrunt; veluti Joſ. 1. 14. & 4. 13. Jud. 8. 11. & 2. Reg. 2. 23.

℣. 19. TULIT MOYSES OSSA JOSEPH.] Creditur Moyſes de Ægypto devexiſſe aliorum Patriarcharum oſſa, qui ibi occubuerant, non ſecus ac illa Joſeph. Legimus in Actis Apoſtolorum 7. 16. quod oſſa Patriarcharum tumulata fuerint in Sichem; neque ulla alia magis propria inveniri poteſt occaſio, quam hæc, qua ea in Terram Chanaan fuerint translata. Princeps cujuſque Tribus Patriarchæ ſui oſſa tulerunt, Moyſes autem tulit oſſa Joſeph. Author Eccleſiaſtici 49. 18. ait, oſſa Ioſeph poſt ipſius funera prophetaſſe: *Oſſa ipſius viſitata ſunt, & poſt mortem prophetaverunt*. Græcus textus non loquitur de hac prophetia cinerum Joſeph; atque intelligendus eſt ſolum de earum rerum, quas prædixerat, perfectione; poſt mortem ſcil. ipſius Deum viſitaturum eſſe populum ſuum; atque rerum earum, quas popoſcerat, executione, quandoquidem petierat, ut abeuntes Iſraelitæ ipſius oſſa in terram Chanaan deferrent, Geneſ. 50. 23. *Poſt mortem meam Deus viſitabit vos, & aſcendere vos faciet de terra iſta &c. aſportate oſſa mea vobiſcum de loco iſto*. Rabbini [3] plurimas comminiſcuntur fabulas quoad modum, quo Moyſes corpus, & Joſeph tumulum detexit, atque miraculoſam rationem, qua loculus, licet plumbeus, Nili aquis innavit, & fluvium illum tranavit, ut in caſtra Iſrael tranſgrederetur. Non deſunt, qui aſſerant, Ioſeph in ipſo fluminis alveo fuiſſe tumulatum, cum data opera Ægyptii ſub aquis celaſſent, ne Hebræi de regione illa egredi poſſent; ſciebant enim nequaquam futurum, ut ſine Patriarchæ hujus corpore egrederentur.

℣. 20. CASTRAMETATI SUNT IN ETHAM.] Septuaginta vertunt: *Caſtrametati ſunt in Othom prope deſertum*; & Numerorum cap. 33. 6. inquiunt Iſraelitas tribus diebus in deſertum Buthan proceſſiſſe, antequam ad *Maram* pervenirent. Videtur igitur E-

A tham poſtremam Ægypti urbem fuiſſe, Arabiam verſus, & deſertum, quod erat ad rubri maris oras, ab hac urbe nomen arripuiſſe. Plinius lib. 6. cap. 29. refert, Arabes rubri maris ſinum *Æant* appellaſſe, qui Heroopolites appellatur a Græcis, & prope quem Heroum urbs eſt conſtituta. Ne minimum quidem ambigo, quin *Æans* hoc in loco ſit idem, ac *Etham*. Ignoro autem, unde didicerit Ioſephus Antiq. lib. 2. cap. 5. Iſraelitas de Ægypto egreſſos iter ſuum inſtituiſſe per urbem *Letho*, quæ tunc temporis erat deſerta, ubi deinde Cambyſes Babylonem Ægyptiam ædificavit.

℣. 21. PER DIEM IN COLUMNA NUBIS, ET PER NOCTEM IN COLUMNA IGNIS.] Hebræi quidam voluerunt duas fuiſſe columnas diverſas, quarum una

B luminoſa erat, ut Iſraelitis noctis tempore præluceret, alia vero obſcura, & denſa, veluti nubes, ut eoſdem interdiu a ferventibus Solis radiis protegeret. Sententia communior ea eſt, unam tantummodo nubem fuiſſe, quæ ſucceſſive duobus his uſibus inſerviret, ut noctu collucerct, interdiu vero Iſraelitas obtegeret. Hoc ipſum palam ex Numerorum libro innoteſcit cap. 9. 16. *Per diem operiebat illud (tentorium) nubes, & per noctem quaſi ſpecies ignis*. Et ℣. 21. *Si fuiſſet nubes a veſpere uſque mane, & ſtatim diluculo tabernaculum reliquiſſet, proficiſcebantur*. Nubes eadem, quæ interdiu denſa erat, ac umbram projiciebat, accendebatur noctu, atque inde ea lux micabat, quæ ſatis eſſet, ut populum in agminibus ſuis dirigeret, cum quandoque noctis tem-

C pore progrederetur [4] propter nimium regionis calorem, atque ut ſe ab hoſtium tueretur injuriis, qui tenebrarum auxilio ex inſidiis in incautos invadere potuiſſent. Nubes eadem motu ſuo ſignum præbebat Iſraelitis caſtra & metandi, & divellendi. Populus ſubſiſtebat, ubi illa morabatur; caſtra vero movebat, eamque ſequebatur, ubi illa ſe ſe extollebat, Numer. 10. 34. 35. Scriptura eam columnam vocat propter quamdam ſimilitudinem columnæ in aerem elatæ, cujus baſis eſſet in mediis caſtris tabernaculum. Ita quoque in libro Judicum 20. 40. vocatur *columna fumi* ea, quæ ex urbe Gabaa conſurgebat, cum illi flammæ eſſent injectæ. Hæc columna Iſraelitas deduxit a Socoth juxta D. Hieronymum epiſt. ad Fabiol. aut a Rameſſe, ſi fides eſt

D Bonfrerio, vel ab Ethan ſecundum alios, uſque ad Jordanem; quia tunc Scriptura [5] ait, populum ſecutum eſſe arcam, quæ iter oſtendit. Hebræi in Seder Olam credunt, columnam evanuiſſe ſtatim poſt mortem Aaronis. Data columnæ hujus vel nubis, vel ignis occaſione adnotari poteſt, quod Gentiles deos in apparitionibus eorum ſemper deſcribunt nubibus, & denſo aere circumſeptos. Sanctus Paulus 1. Corinth. 10. 1. innuere videtur, nubem Baptiſmatis ſignum fuiſſe. Origenes homil. 27. in Num. & Sanctus Ambroſius de Sacr. cap. 6. pro igne Ieſum Chriſtum intelligunt, pro nube Spiritum Sanctum. Profani (Vide Clem. Alex l. 1. ſtromat. pag. 348.) tribuebant etiam Baccho columnam, quem ſæpius cum Moyſe confoderunt, uti alibi demonſtratum eſt. Vide infra Exod. 34. 29. & ſeq.

---

1 שרי חמשים. 1. Reg. 8. 12. & 4. Reg. 1. 9. 10.
2 חמשים *Armatos*.
3 Vide Moyſis vitam a Gaulmino editam 38. 39.
4 Lyranus ex Hebræis.
5 Philo Vit. Moſ. l. 1.
6 Joſue 3. 13.

CAPUT XIV.

Pharao Iſraelitas perſequitur. Horum murmur adverſus Moyſen. Nubes ſeparat exercitum Ægyptiorum a caſtris Iſrael. Aquæ maris rubri dividuntur ut tranſitum aperiant Hebræis, qui ſicco pede mare tranſeunt. Ægyptii aquis immerguntur.

v. 1. LOcutus eſt autem Dominus ad Moyſen, dicens: 2 Loquere filiis Iſrael: Re-
verſi caſtrametentur e Regione Phihahiroth, quæ eſt inter Magdalum, & mare
contra Beelſephon: in conſpectu ejus caſtra ponetis ſuper mare. 3 Dictu-
ruſque eſt Pharao ſuper filiis Iſrael: Coarctati ſunt in terra, concluſit eos deſertum.
4 Et indurabo cor ejus, ac perſequetur vos: & glorificabor in Pharaone, & in omni
exercitu ejus: ſcientque Ægyptii, quia ego ſum Dominus: Feceruntque ita. 5 Et
nuntiatum eſt regi Ægyptiorum, quod fugiſſet populus: immutatumque eſt cor Pharao-
nis, & ſervorum ejus ſuper populum, & dixerunt: Quid voluimus facere, ut dimitte-
remus Iſrael, ne ſerviret nobis? 6 Junxit ergo currum, & omnem populum ſuum aſſum-
pſit ſecum. 7 Tulitque ſexcentos currus electos, & quidquid in Ægypto curruum fuit:
& decus totius exercitus. 8 Induravitque Domiuus cor Pharaonis regis Ægypti, &
perſecutus eſt filios Iſrael: at illi egreſſi erant in manu excelſa. 9 Cumque perſeque-
rentur Ægyptii veſtigia præcedentium, repererunt eos in caſtris ſuper mare: omnis equi-
tatus, & currus Pharaonis, & univerſus exercitus erant in Phihahiroth contra Beelſe-
phon. 10 Cumque appropinquaſſet Pharao, levantes filii Iſrael oculos, viderunt Ægy-
ptios poſt ſe: & timuerunt valde: clamaveruntque ad Dominum. 11 Et dixerunt ad
Moyſen: Forſitan non erant ſepulchra in Ægypto, ideo tuliſti nos, ut moreremur in ſo-
litudine: quid hoc facere voluiſti, ut educeres nos ex Ægypto? 12 Nonne iſte eſt
ſermo, quem loquebamur ad te in Ægypto, dicentes: Recede a nobis, ut ſerviamus
Ægyptiis? multo enim melius erat ſervire eis, quam mori in ſolitudine. 13 Et ait
Moyſes ad populum: Nolite timere: ſtate, & videte magnalia Domini, quæ facturus
eſt hodie: Ægyptios enim, quos nunc videtis, nequaquam ultra videbitis uſque in ſem-
piternum. 14 Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis. 15 Dixitque Dominus
ad Moyſen: Quid clamas ad me? Loquere filiis Iſrael, ut proficiſcantur. 16 Tu au-
tem eleva virgam tuam, & extende manum tuam ſuper mare, & divide illud: ut gra-
diantur filii Iſrael in medio mari per ſiccum. 17 Ego autem indurabo cor Ægyptiorum,
ut perſequantur vos: & glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu ejus, & in cur-
ribus, & in equitibus illius. 18 Et ſcient Ægyptii, quia ego ſum Dominus, cum glo-
rificatus fuero in Pharaone, & in curribus, atque in equitibus ejus. 19 Tollenſque ſe
angelus Dei, qui præcedebat caſtra Iſrael, abiit poſt eos: & cum eo pariter columna nubis,
priora dimittens, poſt tergum. 20 Stetit inter caſtra Ægyptiorum, & caſtra Iſrael: &
erat nubes tenebroſa, & illuminans noctem, ita ut ad ſe invicem toto noctis tempore
accedere non valerent. 21 Cumque extendiſſet Moyſes manum ſuper mare, abſtulit il-
lud Dominus flante vento vehementi, & urente tota nocte, & vertit in ſiccum: divi-
ſaque eſt aqua. 22 Et ingreſſi ſunt filii Iſrael per medium ſicci maris: erat enim aqua
quaſi murus a dextera eorum, & læva. 23 Perſequenteſque Ægyptii ingreſſi ſunt poſt
eos, & omnis equitatus Pharaonis, currus ejus, & equites, per medium maris. 24
Jamque advenerat vigilia matutina, & ecce reſpiciens Dominus ſuper caſtra Ægyptiorum
per columnam ignis, & nubis, interfecit exercitum eorum: 25 Et ſubvertit rotas cur-
ruum, ferebanturque in profundum: Dixerunt ergo Ægyptii: Fugiamus Iſraelem: Do-
minus enim pugnat pro eis contra nos. 26 Et ait Dominus ad Moyſen: Extende ma-
num tuam ſuper mare, ut revertantur aquæ ad Ægyptios ſuper currus, & equites eo-
rum. 27 Cumque extendiſſet Moyſes manum contra mare, reverſum eſt primo dilu-
culo ad priorem locum, fugientibuſque Aegyptiis occurrerunt aquæ, & involvit eos Do-
minus in mediis fluctibus. 28 Reverſæque ſunt aquæ, & operuerunt currus, & equi-
tes cuncti exercitus Pharaonis, qui ſequentes ingreſſi fuerant mare: nec unus quidem
ſuperfuit ex eis. 29 Filii autem Iſrael perrexerunt per medium ſicci maris, & aquæ

eis

eis erant quaſi pro muro a dextris, & a ſiniſtris:
30 Liberavitque Dominus in die
illa Iſrael de manu Aegyptiorum.
31 Et viderunt Aegyptios mortuos ſuper litus maris, & manum magnam, quam exercuerat Dominus contra eos: timuitque populus Dominum, & crediderunt Domino, & Moyſi ſervo ejus.

℣. 2. REVERSI CASTRAMETENTUR E REGIONE PHIHAHIROTH.] Quemadmodum Iſraelitæ iter ſuum peregebant communi via, quæ ex Ægypto inferiori ducit ad Montem Sinai, Deus dixit Moyſi, ut populum e Septentrione Meridiem verſus converteret, atque caſtra metaturus ad mare rubrum accederet, contre *Beelſephon*. Locorum horum ſitum detegere eduiſi ſumus in ea Diſſertatione, quam de tranſitu rubri maris hebuimus, quam conſulere potes.

℣. 3. COARCTATI SUNT IN TERRA; CONCLUSIT EOS DESERTUM.] Hebraica vox נבכים, quæ a Vulgata *Coarctati* transfertur, ſignificare poteſt: *Sunt in dubio*; ſunt in perpleaitate, ac ſollicitudine, nec quo ſe vertant, ſatis ſciunt. Septuaginta; Πλανῶνται, illi errantes ſunt, atque viarum errore decepti. Alii vertunt: Irretiti ſunt, atque involuti in loco quodam difficili, in rupibus periculoſis; atque veluti feræ laqueis captæ: *Conclusit eos deſertum*, ita ut egredi non poſſint. Hebraice vox מדבר *Middebar*, quæ plerumque vertitur *deſertum*, propriemontem ſignificat, eam ex Æthiopico ſermone deducendo, ut obſervat Ludovicus de Dieu. In hoc loco aliter nequit intelligi. Hebræus: *Conclusit ſuper eos deſertum*. Illi in montibus incluſi ſunt, neque inde egredi valent. Si *deſertum* ſumitur pro vaſtis, ac ſterilibus agris Arabiæ, dici nequaquam poteſt Iſrael ibi fuiſſe concluſum; quoniam e contra ibi omnino integrum eſt, quocumque velis pedem proferre. Certum eſt ad rubri maris Occidentem inhoſpitales propemodum montes eſſe, atque invios, præſertim magnæ adeo multitudini quæ erat Iſraelitarum. Joſephus Antiq. l. 2. cap. 6. aſſerit, Pharaonem omnes circumquaque aditus clauſiſſe, atque montium juge militibus occupaſſe, ut impediret, quominus Iſraelitæ poſſent effugere.

℣. 5. NUNTIATUM EST QUOD FUGISSET POPULUS.] Poteratne Pharao illorum exitum ignorare, quandoquidem illus expulerat? Sed nuntiatum eſt Regi, quo pacto illi fuiſſent egreſſi, narrataeque circumſtantiæ, quæ palam innuebant, illis conſilium fuiſſe non iterum in Ægyptum redeundi. Artepanus addit, Regem ideo eos fuiſſe perſecutum, ut argentum, & opes, quas abſtulerant, recuperaret.

℣. 7. TULIT SEXCENTOS CURRUS ELECTOS.] Curruum ad belli uſum conſuetudo vetuſtiſſima eſt, & in Aſia maxime, præſertim apud Medos, Syros, atque Arabes. In Trojano bello communes erant tum Græcis, cum Trojanis, Ægyptiis olim eorum maximus erat uſus, antequam ipſorum regio plurimis canalibus diſtingueretur, quibus equitatus, & currus inutiles in iis terris effecti ſunt, quod poſt Moyſen contigit. Joſue 17. 6. loquitur de armatis curribus Chananæorum. Xenophontis [1] ævo etiam tunc illorum uſus obtinebat in Cyrenaice, quantumvis Ægypto proxima, atque hic Author ait ſingulis curribus binos fuiſſe homines, quaternos equos. Qui currum aſcendebat, ſolus erat, qui præliabatur; habebat ille aurigam undequaque armis præcinctum, habilem, expertumque, & in quo ſumma illius fides eſſet repoſita. Auriga hic numquam certabat, verum equos tantummodo agebat.

Sexcenti hi Pharaonis currus mille, ac ducentos homines continebant, juxta Xenophontis calculos; ſcilicet ſexcentos milites, & aurigas totidem, & bis mille equos, & quadringentos; qui numeroſum adeo exercitum conſtituere non poterant. Verum huic numero addendi ſunt totius Ægypti currus, & omnium Ducum copiæ: *Quidquid in Ægypto curruum fuit, & duces totius exercitus*. Quod proculdubio majorem adhuc exercitum compoſuit. Joſephus in his Pharaonis copiis quinquaginta mille equites recenſet, vel totidem milites de curribus bellantes, ac ducenta peditum millia. Poeta Ezechiel apud Euſeb. Præpar. lib. 9. cap. 29. in exercitu Pharaonis hominum myriadem fuiſſe ait. Philo lib. 1. de vita Moſ. inquit, Regem hunc Iſraelites inſecutum fuiſſe cum omni equitatu ſuo, funditoribus, ſagittariis equitibus, copiiſque leviter armatis, & ſexcentis curribus electis. Interpretes quidam hos currus præfixis falcibus armatos fuiſſe exiſtimant; ſed hoc ea textu non liquet. De bellicorum curruum forma ſermo erit in Commentariis in Ioſue capite
B 17. 16.

TULIT DUCES TOTIUS EXERCITUS.] Hebraica vox שלישים *Schaliſchim*, quam Vulgata hic vertit *Duces*, ad litteram ſignificat *tertios*, quemadmodum Septuaginta tranſtulere τριστάτας ἐπὶ πάντων; & Hebraicus textus verti poſſet: *Tulit tertium quemque ex his omnibus*, vel *ex omni exercitu*. Chaldaice; tulit prævalidos milites, quos habebat, ut illis totius exercitus traderet imperium. Sanctus Gregorius Nyſſenus in vita Moſ. lib. 1. Origenes, & Euthymius apud Druſium hic, & in cap. 15. 4. credunt *tertios* hos, qui *Triſtatæ* a Septuaginta vocantur, & de quibus hic ſermo, ſignificare tres illos homines, qui currus bellicos aſcendebant. Primus currum a-
C gebat, alter tutabatur, tegebatque aurigam, tertius autem præliabatur. Vel *Triſtatæ* iidem ſunt, ac Romanorum *Triarii*, qui veterani erant milites, atque poſt duos primos militum ordines collocabantur, neque arma conſerebant, ni qui ante ipſos pugnabant, impetum hoſtium ſuſtinere non poſſent. Heſychius ait *Triſtatem* eſſe principis ſatellitem terna deferentem ſpicula, quæ in hoſtes ejaculetur.

Sed veriſimilius eſt hebraicam vocem *Schaliſchim* apud Ægyptios fuiſſe officii nomen, ac dignitatis, quo deinde Hebræi uſi ſunt, atque Chaldæi. De his ſermo habetur in David hiſtoria, & Salomonis 2. Reg. 23. 8. & 3. Reg. 9. 22. & in Ezechiele 23. 15. cum loquitur de Chaldæis; atque in Daniele 5. 7. & 6. 2. ſub Balthaſſar Babylonis Rege, ac Da-
D rio Medo. Hi, mea quidem ſententia, tres primi miniſtri erant Imperii, quibus plurimi alii ſuberant miniſtri, ipſi quoque nomine eodem *Schaliſchim* vocati, ſed qui longe prioribus tribus dignitate cederent. Ex Regum libris patet, *Schaliſchim*, ſeu tres præcipuos David miniſtros fuiſſe *Hadino*, *Eleazar*, & *Semmam*, qui pluribus aliis in inferiori gradu conſtitutis miniſtris præerant, qui *Schaliſchim* ipſi etiam nuncupabantur. Triginta ſeptem Scripture memorat vigeſimo tertio capite libri ſecundi Regum; longe plures 1. Paralipomenon cap. 11. 10. & ſeq. recenſet. Daniel fuit unus ex tribus majoribus Chaldæorum imperii miniſtris cum Balthaſſar regnaret. Darius Medus eumdem illi honorem detulit. In Chaldæorum, Perſarumque imperio tres hi miniſtri con-
E ſtituti erant ſuper Satrapas, vel Provinciarum Præſides. Verum ut ad *Schaliſchim* Pharaonis revertamur, ii plane erant Duces copiarum Ægypti, ac precipui imperii illius Principes.

Plures ex Interpretibus poſt Sanctum Hieronymum [a] per *Schaliſchim* eos intelligunt, qui in dignitate, atque authoritate ſecundum ab Rege obtinent locum; vel potius tres priores Regni dignitates, quæ

ſunt

[1] Cyroped. l. 6.
[a] Hieronym. in cap. &c.

ſunt magiſtri Equitum, & copiarum pedeſtrium Ducis, atque vectigalium Præſidis [1]. Hoc autem *Triſtatæ* nomine intelligitur, quo uſi Septuaginta. *Principes equitum, peditumque erant, & tributorum.*

℣. 8. AT ILLI EGRESSI ERANT IN MANU EXCELSA.] Capite elato, audacter, libere; non autem veluti transfugæ, ab Ægyptiis ejecti, aut veluti meticuloſi, & qui clam ſe ſe recipiunt. Chaldaica verſio transfert, *capite adaperto*, veluti qui minime vererentur agnoſci. Orientales hoc obſervantiæ defectum exiſtimant. Non enim detegunt caput, niſi coram inferioribus [2]. Scriptura hoc utitur loquendi modo, peccare *manu elata* Numer. 15. 30. ut ſuperbam peccatoris oſtendat audaciam, qui Legem contemnit, ac pedibus obterit juſtitiam, per oppoſitionem ad fragilitatem, vel infirmitatem illorum, qui in criminibus vitii detinentur illecebris, aut affectuum impotentia.

℣. 9. OMNIS EQUITATUS, ET CURRUS PHARAONIS ERANT IN PHINAHIROTH.] Iſraelitæ naturaliter ex illius manu elabi non poterant. Illis vel in Ægyptum redeundum erat, vel mare tranandum, ut ſe in Arabiam tuti reciperent, vel cum Pharaonis exercitu manus erant conſerendæ. Ex hoc loco infertur, præter currus, adfuiſſe & equitatum in exercitu Pharaonis. Hebraica vox *paraſchim* פרשים ſignificat vel equitatum, vel bellatores, qui aſcendunt, & agunt equos, & bellicos currus. Omnes igitur Pharaonis copiæ metatæ erant caſtra prope Hiroth; Hebraicæ vero turmæ inferius ad mare rubrum. Pharao eas quodam modo obſidebat intra mare, rupes, atque exercitum ſuum poſitas.

℣. 10. CLAMAVERUNT AD DOMINUM.] Sapientiores ad Deum coeſugerunt, dum alii in Moyſem obmurmurabant verſ. 2.

℣. 13. VIDETE MAGNALIA DOMINI.] Hebraice, *Videte Salutem Domini*. Videte potens auxilium Domini, qui vos eſt liberaturus, conſiderate mirabilia, quæ, ut vos liberet, eſt patraturus.

ÆGYPTIOS ENIM, QUOS NUNC VIDETIS, NEQUAQUAM ULTRA VIDEBITIS.] Hebræus [3]: *Nequaquam ultra videbitis, quemadmodum nunc videtis*: ſcilicet non videbitis eos amplius armatos, & formidabiles, uti hodie ſunt. Re quidem vera eos non viderunt niſi in ulteriori rubri maris ripa, quo fluctibus abjecti fuerunt poſt illorum cladem, & naufragium.

℣. 14. VOS TACEBITIS.] *Vos interim quieſcetis*. Ad litteram [4]: *Vos tacebitis*. Syriaca verſio ad hujus verſiculi finem addit: *De hoc autem Moyſes rogavit Dominum*. Quod ſenſum perficit, qui in Textu videtur deficere, ubi videtur Dominus Moyſi dicens: *Quid clamas ad me?* Quin Moyſes antea ad Deum confugiſſe videatur.

℣. 15. QUID CLAMAS AD ME?] Intelligitur [5] plerumque de interiori clamore, & ſecreta Moyſis oratione. Onkelos: *Audivi precem tuam*. Nonnulli, Vatablus inquit, volunt hæc verba, *Quid clamas?* ſignificare: cur hic populus, cujus dux es, adverſus me clamat. Author hic de ſeditioſo clamore intelligit. Patres communiter de clamore cordis explicant, atque ardore precum Moyſis. *Clamor in Scripturis non vocis, ſed cordis eſt. Quando gemitus noſter, & conſcientia deprecatur, iſtum clamorem intelligit Deus.* Hieronym. ſeu Author ſub ejus nomine in Pſalmos.

℣. 19. TOLLENSQUE SE ANGELUS DEI.] Nubes, quæ ab angelo Domini agebatur, poſuit ſe mediam inter Iſraelitarum caſtra, & Ægyptiorum. Illa prima Iſraelitarum ſigna reliquit, atque poſt illorum caſtra receſſit. *Priora dimittens, poſt tergum ſtetit, inter caſtra Ægyptiorum, & caſtra Iſrael*. Verbum *ſtetit*, quod eſt initio verſiculi vigeſimi, addendum eſt verſ. 19.

℣. 20. ET ERAT NUBES TENEBROSA, ET ILLUMINANS NOCTEM.] Onkelos ita vertit textum [6], qui obſcurior eſt: *Nubes ex ea parte, qua reſpiciebat Iſrael, erat luminoſa; qua vero caſtra Ægyptiorum denſa erat, ac tenebroſa*. Symmachus [7], & Syriaca verſio eodem intelligunt modo. Septuaginta, & Arabica neque de die, neque de lumine loquuntur; nihil enim aliud conceperunt, quam nubem undequaque tenebroſam. Septuaginta [8]: *Et erant tenebræ, & obſcuritas, & venit nox*. Chaldaicæ hærere poſſumus verſioni, quæ optimum adfert ſenſum. Textus ita verti poteſt; *Et nubes tenebroſa illuminavit noctem*: videlicet nubes, quæ interdiu obſcura erat, & tenebroſa, clara facta eſt, atque illuxit hac nocte, æque ac noctibus aliis. Roor conjunctionem *&* ante vocem *tenebræ* eſſe ſuperfluam.

℣. 21. ABSTULIT ILLUD DOMINUS FLANTE VENTO VEHEMENTI.] Septuaginta [9]: *flante vento Meridionali admodum vehementi*. Hebraice [10]: *flante vento Kadim vehementi*. Oſtendimus Geneſ. 41. 27. & Exod. 10. 13. ventum Kadim ſignificare, juxta pleroſque Interpretes, ventum Orientalem, qui ab Arabia in Ægyptum perflat. Non eſt, cur aliud concipiamus, ventum diviſiſſe aquas maris rubri; patet enim, neque ventum Orientalem, neque alium quempiam hoc efficere potuiſſe; ſed poſtquam Moyſes miraculoſam virgam extendit ſuper aquas, atque illæ ſejunctæ fuerunt, Deus ab Oriente ventum exeivit, qui diſſipavit aquas, quæ in foveis erant, atque maris hujus ima exſiccavit. Qui contendunt, Hebræos maris æſtus occaſionem arripuiſſe, ut tranſirent, ſuper idem litus in aliqua a loco, ubi erant, diſtantia, errorum ſuorum hic confutationem inveniunt. Ventus Eous æſtum impedire debebat, atque fluctus in occiduum litus repellere, qua ipſi Iſraelitas tranſiiſſe arbitrantur.

VERTIT IN SICCUM, DIVISAQUE EST AQUA.] Vetus hæc eſt Hebræorum traditio a pluribus allata Patribus, Origene Homil. 5. in Exod. & Euſebio in Pſalmos, Epiphanio hæreſ. 64. &c. quod rubrum mare in duodecim locis fuerit diviſum, ut illac ſeorſim Iſraeliticæ tribus prætervehi poſſent. Innititur autem Pſalmo 135. *Qui diviſit mare rubrum in diviſiones*. Sed locus hic non innuit neceſſario magnum diviſionum numerum [11], & maxime naturaliter explicari poteſt de mari bifariam diviſo. Moyſes ante populum ſuum proceſſit, inquit Joſephus, ut illi animos adderet. Hebræi apud Hieron. in Oſeæ 11. 12. aſſerunt

Abi-

---

1 Hieron. in Cap. 23. Ezech. *Triſtatus, quos nos Principes Principum interpretati ſumus. Idem Triſtatæ nomen eſt ſecundi gradus poſt regiam dignitatem.*
2 Chardin. in itin. Perſidis t. 2. p. 37.
3 לא תוספו לראותם עוד עד עולם. *Non adjicietis ultra videre eos in ſæculum*, Ita 70.
4 ואתם תחרישון.
5 Eſtius, Menochius, Piſcat. &c.
6 ויהי הענן והחשך ויאר את הלילה.
7 Καὶ ἦν ἡ νεφέλη σκότος, μὲν ἐκεῖθεν, φαίνουσα δὲ ἐντεῦθεν.
8 Καὶ ἐγένετο γνόφος, καὶ σκότος, καὶ διῆλθεν ἡ νύξ. Scholiaſt. Παρῆλθεν ἡ νὺξ διὰ μέσου τῶν δύο στρατοπέδων, σκοτίζουσα μόνους Αἰγυπτίους.
9 Ἐν ἀνέμῳ νότῳ βιαίῳ.
10 ברוח קדים עזה.
11 Theodoret. qu. 1. in Exod. & Pſ. 135. & Euthym. in Pſalm.

Abinadab Principem Tribus Juda priorem in maris alveum deſcendiſſe.

℣. 24. Jamque advenerat vigilia matutina.] Alibi [1] oſtendimus, Hebræos dividere conſueviſſe in tres partes æquales noctem. Cum illi egreſſi fuerint de Ægypto ſub Æquinoctium vernum, vigilia matutina, vel, juxta Hebraicum textum, vigilia diluculi congruere poterat Italicæ horæ decimæ. Ægyptii ingredi potuerant hiatum, quem aquæ diviſæ vacuum reliquerant, aliquamdiu ante: ſed Angelus Domina vigilia matutina dumtaxat maris aquas in priſtinum ſtatum juſſit reverti.

Respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis.] Artapanus apud Euſebium Præp. lib. 9. c. 27. ait Ægyptios fuiſſe fulmine percuſſos, atque igne de cœlo tactos, eodem tempore quo maris aquæ ſuper eos deciderunt. Aliquid ſimile videtur Moyſes innuere velle, cum ait, Angelum, qui erat in Nube, cum reſpexiſſet illorum exercitum, injeciſſe confuſionem, illum obruiſſe, & illius currus perfregiſſe; & Deum deinde Moyſi imperaſſe, ut virgam ſuper maris aquas extenderet, ut in priſtinum ſitum reverterentur. Scriptura eadem [2], & Joſephus Antiqu. l. 2. c. 7. ſatis aperte de procella, & fulminibus loquuntur.

Interfecit exercitum eorum.] Hebraica vox *Jaham* ויהם ſignificat, turbavit, terrorem injecit, & confuſionem in exercitum eorum. Septuaginta: Συνετάραξε.

℣. 25. Et subvertit rotas eorum.] Hebraicus textus [3] transferri poteſt; *Abſtulit rotas*; vel: *ligavit rotas*. Septuaginta [4], & Syriaca intellexerunt in ſenſu poſteriori, Symmachus in priori. Aquila vertit: *Rotæ curruum impeditæ fuerunt*. Verti etiam poteſt: Rotæ ab axibus ſuis ſejunctæ ſunt.

Ferebanturque in profundum.] Hebræus [5]: *Rotæ prægraves*, & impeditæ *lente incedebant*, ſenſim, difficile. Septuaginta [6], & Arabica ita intelligunt: ſe ſe *præcipites egerunt cum impetu*, cum vehementia. Syriaca ſingularem admodum ſenſum habet: Adnectent rotas curribus ſuis, *eaſque agentes cum impetu, dicebant: Fugiamus Iſrael*.

℣. 27. Reversum est primo diluculo ad priorem locum.] Tres ſenſus hebraico textui [7] poſſunt tribui. Primo, Moyſes extendit manum ſuam ſuper mare, *& mare primo diluculo ad vires ſuas eſt reverſum*. Secundo, Moyſes cum extendiſſet manum ſuam ſuper mare, *mare in ſe reverſum eſt* (*ubi prius*) *cum mane eſſet in vi ſua*; ſed hæc explicatio conformis non videtur ſignificationi ordinariæ hebraicæ vocis *Ethan*, quæ dicitur tantummodo de munitiſſimis locis, atque inacceſſis, ac de rapiditate, vel aquarum vi. Vide Deut. 21. 4. Tertio denique, *mare eſt reverſum in locum fortem ſuum*, in locos prius inacceſſos, in abyſſos ſuas, quas reliquerat, cum diluculum illuceſcere inciperet. Vide Geneſ. 24. 63. לפנות ערב.

Et involvit eos Dominus.] Hebraica vox וינער verti poteſt cum Septuaginta: ἐξετίναξε, *Subvertit, excuſſit*; vel cum Aquila ἀνέβρασε, *vi æſtus ejecit*, vel cum aliis, *exagitavit, demerſit, præcipitavit*.

℣. 28. Nec unus quidem superfuit ex eis.] Manethon apud Joſephum lib. 1. contra Appionem aſſerit Ægypti Regem ex eo evaſiſſe periculo, atque deinde regnaſſe. Poeta Ezechiel apud Euſeb. Præp. lib. 9. nobis exhibet Ægyptium ex aquis emerſum, qui aufugit in Ægyptum, eo nuntium allaturus: ſed hæc fictio eſt Poetica, cui palam Moyſes adverſatur. Adſunt ex Hebræis tamen, qui vertant [8]: *Unus tantum ſuperfuit*: ſolus Pharao. Joſephus ait in hoc naufragio quinquaginta equitum, peditum vero ducenta millia periiſſe. Artapanus apud Euſebium, ponit ipſe quidem univerſale, integrumque Ægyptiorum excidium.

℣. 31. Viderunt Ægyptios mortuos super littus.] Non contigit hoc abſque mirabili Divinæ potentiæ effectu, ut Ægyptiorum corpora ſtatim ad maris littus abjicerentur; quoniam naturaliter cadavera aliquot diebus in aquis ſubſiſtunt, antequam ad littus accedant. Motus aquarum maris, qui Ægyptios obruit, cum ſe ſe eo vellent recipere, unde diſceſſerant, non parum contulit, ut ad oppoſitum littus, ubi erant Iſraelitæ, cadavera impellerentur. Hi armis, atque opulenta ex tanto exercitu præda potiti ſunt.

Crediderunt Domino, et Moysi servo ejus.] Tunc penitus intellexerunt, Deum fuiſſe authorem exitus ipſorum de Ægypto, & Moyſem eſſe ſervum illius, & miniſtrum fidelem. Magis crediderunt iis, quæ Deus per Moyſem pollicitus fuerat, omnemque fiduciam ſuam in Dei protectione, ac Moyſis interceſſione collocarunt. Qui in Deum credit, credit in ſervos illius; & qui ſervis Dei fidem habere nollet, non gloriari poſſet ſe credere in Deum, cujus illi miniſtri ſunt. Hieronymus in Epiſt. ad Philemonem verſ. 5. *Una, atque eadem credulitas in Moyſem refertur, ac in Deum, ut populus, qui credebat in Dominum, æque crediſſe dicatur & in ſervum . . . Non eſt enim in Deum perfecta dilectio, & fides, quæ in miniſtros ejus odio, & infidelitate tenuatur*. Patres [9], atque Interpretes in liberatione Hebræorum obſervandum proponunt genus humanum e peccati ſervitute liberatum ductu, & meritis Jeſu Chriſti, cujus Moyſes erat figura. Tranſitus maris rubri repræſentabat Baptiſma, ubi dæmon, & peccatum a Pharaone, atque exercitu illius repræſentata ſubmerſa fuerunt, & profligata. S. Paulus in Epiſt. 1. ad Corinth. c. 10. verſ. 1. 2. 3. & ſeq. aditum nobis aperit ad ſenſum hunc ſpiritualem: *Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt &c. Hæc autem in figura facta ſunt noſtri*.

---

1 In Diſſert. de Chronologia. 2 Confer verſ. 6. 10. 12. ſequentis capitis, cum verſ. 16. 17. 18. Pſal. 76. ubi palam ſermo eſt de grandine, tonitruis, fulgoribus &c. 3 ויסר את אפן. 4 Συνέδησε, deducto ויסר a אסר *ligavit*. Sym. μετέστησε *tranſtulit, abſtulit*, a סור quod magis eſt ad litteram. 5 וינהגהו בכבדת.
6 Ἤγαγεν αὐτοὺς μετὰ βίας. 7 וישב הים לפנות בקר לאיתנו. Aq. Sym. Εἰς τὸ ἀρχαῖον αὐτῶ.
8 לא נשאר בהם עד אחד. In vita Moyſis a Gaulmino edita an. 1629. dicunt Hebræi, Pharaonem evaſiſſe; verum non ultra in Ægypto regnaſſe, S. Michael, & S. Gabriel eum ſuſtulerunt, ac Ninivem tranſtulerunt, ubi diutius regnavit, Quæ commenta! 9 Vide Origen. in Exod. hom. 5. Nyſſen. l. 1. de vita Moſ. Cyprian. exhort. ad Martyr.

CAPUT XV.

Canticum gratiarum actionis poſt tranſitum maris rubri. Caſtra ponuntur ad Mara, ubi Moyſes aquarum amaritudinem in dulcedinem vertit. Inde ad Elim caſtrametantur, ubi duodecim fontes, & ſeptuaginta palmæ erant.

v. 1. TUnc cecinit Moyſes, & filii Iſrael carmen hoc Domino, & dixerunt: Can-
temus Domino: glorioſe enim magnificatus eſt, equum, & aſcenſorem de-
jecit in mare. 2 Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus eſt mihi
in ſalutem, iſte Deus meus, & glorificabo eum: Deus patris mei, & exaltabo eum.
3 Dominus quaſi vir pugnator, omnipotens nomen ejus. 4 Currus Pharaonis, & e-
xercitum ejus projecit in mare: electi principes ejus ſubmerſi ſunt in mari rubro. 5
Abyſſi operuerunt eos, deſcenderunt in profundum quaſi lapis. 6 Dextera tua, Do-
mine, magnificata eſt in fortitudine; dextera tua, Domine, percuſſit inimicum. 7
Et in multitudine gloriæ tuæ depoſuiſti adverſarios tuos: miſiſti iram tuam, quæ de-
voravit eos ſicut ſtipulam. 8 Et in ſpiritu furoris tui congregatæ ſunt aquæ: ſtetit
unda fluens, congregatæ ſunt abyſſi in medio mari. 9 Dixit inimicus: Perſequar, &
comprehendam, dividam ſpolia, implebitur anima mea: evaginabo gladium meum,
interficiet eos manus mea. 10 Flavit ſpiritus tuus, & operuit eos mare: ſubmerſi
ſunt quaſi plumbum in aquis vehementibus. 11 Quis ſimilis tui in fortibus Domine?
quis ſimilis tui, magnificus in ſanctitate, terribilis, atque laudabilis, faciens mirabi-
lia? 12 Extendiſti manum tuam, & devoravit eos terra. 13 Dux fuiſti in miſericor-
dia tua populo, quem redemiſti, & portaſti eum in fortitudine tua ad habitaculum ſan-
ctum tuum. 14 Aſcenderunt populi, & irati ſunt: dolores obtinuerunt habitatores
Philiſthiim. 15 Tunc conturbati ſunt principes Edom, robuſtos Moab obtinuit tre-
mor: obriguerunt omnes habitatores Chanaan. 16 Irruat ſuper eos formido, & pa-
vor, in magnitudine brachii tui: fiant immobiles quaſi lapis, donec pertranſeat popu-
lus tuus, Domine, donec pertranſeat populus tuus iſte, quem poſſediſti. 17 Intro-
duces eos, & plantabis in monte hæreditatis tuæ, firmiſſimo habitaculo tuo, quod ope-
ratus es, Domine: ſanctuarium tuum, Domine, quod firmaverunt manus tuæ. 18
Dominus regnabit in æternum, & ultra. 19 Ingreſſus eſt enim eques Pharao cum cur-
ribus, & equitibus ejus in mare: & reduxit ſuper eos Dominus aquas maris: filii au-
tem Iſrael ambulaverunt per ſiccum in medio ejus. 20 Sumpſit ergo Maria prophe-
tiſſa, ſoror Aaron, tympanum in manu ſua: egreſſæque ſunt omnes mulieres poſt eam
cum tympanis, & choris, 21 Quibus præcinebat, dicens: Cantemus Domino; glo-
rioſe enim magnificatus eſt, equum, & aſcenſorem ejus dejecit in mare. 22 Tulit au-
tem Moyſes Iſrael de mari rubro, & egreſſi ſunt in deſertum Sur: ambulaveruntque
tribus diebus per ſolitudinem, & non inveniebant aquam. 23 Et venerunt in Mara,
nec poterant bibere aquas de Mara, eo quod eſſent amaræ: unde & congruum loco no-
men impoſuit, vocans illum Mara, id eſt, amaritudinem. 24 Et murmuravit popu-
lus contra Moyſen, dicens: Quid bibemus? 25 At ille clamavit ad Dominum, qui
oſtendit ei lignum: quod cum miſiſſet in aquas, in dulcedinem verſæ ſunt. Ibi conſti-
tuit ei præcepta, atque judicia, & ibi tentavit eum, 26 Dicens: Si audieris vocem
Domini Dei tui, & quod rectum eſt, coram eo feceris, & obedieris mandatis ejus,
cuſtodieriſque omnia præcepta illius, cunctum languorem, quem poſui in Ægypto,
non inducam ſuper te: ego enim Dominus ſanator tuus. 27 Venerunt autem in E-
lim filii Iſrael, ubi erant duodecim fontes aquarum, & ſeptuaginta palmæ: & caſtra-
metati ſunt juxta aquas.

℣. 1. Cantemus Domino, glorioſe enim magnificatus eſt.] Hebræus [1]: *Cantabo Domino, quoniam ad ſummum elevatus eſt.* Septuaginta [2]: *Cantemus* (canticos) *Domino, glorioſe enim glorificatus eſt.* Author Sapientiæ x. ult. dicit quod hac in occaſione: *Sapientia aperuit os mutorum, & linguas infantium fecit diſertas;* ſcilicet quod nemo erat, qui minime adniteretur, ut Deo grati animi ſigna promeret, & gaudii, ob felicem hanc liberationem. Vetus Author de mirab. Script. inter Auguſt. opera credidit Deum particulari quodam afflatu docuiſſe Canticum hoc omnes Iſraelitas.

Canticum hoc Moyſis, vetuſtiſſimum eſt, quod habeamus [3], Poema; quamquam plane primum, quod factum fuerit, nequaquam ſit. Eruditi viri quoad naturam, & metrum verſuum apud Hebræos veteres in diverſa diſcedunt. Joſephus Antiq. l. 2. c. ult. aſſerit cantici hujus carmina eſſe hexametra; verum ſi ille intellexit, hæc idem habere metrum, ac hexametri verſus Græci, & Latini, palam fallitur; quoniam in toto hoc cantico ne unus quidem hexameter invenitur, uti facillimum eſt illud perlegendo ſcrutari. Vide noſtram Diſſertationem de veterum Hebræorum Poeſi. Obſervari hic poteſt Canticorum antiquitas ad illuſtrium factorum monumenta ſervanda. Uſus hic in Scriptura univerſa dignoſcitur, atque communis fuit apud plures veteres populos, videlicet Gallos, Germanos, Britannos &c.

B

℣. 2. Iſte Deus meus, & glorificabo eum.] Hebraicus textus [4], a pluribus Interpretibus, atque Chaldaica verſione transfertur: *Iſte Deus meus, & ædificabo illi Tabernaculum.* Arabica: *& ego ad eum me recipiam.* Sed Septuaginta, & Syriaca ita vertunt, ut Vulgata: *Iſte Deus meus, & glorificabo eum;* vel laudabo; quæ verſio videtur melior, propter geminum, quod ſequitur, membrum: *Deus Patris mei, & exaltabo eum.*

℣. 3. Dominus quaſi vir pugnator.] Septuaginta [5]: *Hic eſt Deus, qui infringit* (diſſipat) *bella.* Chaldaice; *Bellorum victor,* aut victor in bellis, victoriarum author, Deus exercituum.

Omnipotens nomen ejus.] Hebraice: nomen ejus eſt Jehovah.

℣. 4. Projecit in mare.] Hebræus [6]: Jaculatus eſt in mare, non ſecus ac telum, quod in hoſtes contorquetur, vel ſicuti ſagitta, quæ emittitur, & perniciſſime fertur.

Electi principes ejus.] Vel; *Delectus ducum ejus.* Hebraice: delectus *Schaliſchim* ejus. Septuaginta [7]: *Homines electi, qui aſcendebant currus* (vel equos) *terni.* Vide ℣. 7. Capitis 14.

℣. 7. In multitudine gloriæ tuæ depoſuiſti adverſarios tuos.] Per hæc intelligit fulgura, & tonitrua, quæ in Ægyptios erant immiſſa ex ea parte nubis, quæ illos ab Iſraelitis dividebat. Hæc phenomena, quæ perterrent homines, aliquando gloria Dei nuncupantur. Ita dicitur gloria Dei apparuiſſe in Sina, cum audita fuerunt tonitrua, & viſa fulgura, & ignis; & fortaſſe Deus efficiebat, ut reboarent tonitrua, micarent fulgura, quotieſcumque dicitur in Scripturis gloria Dei apparuiſſe in columna nubis. Iſajas 63. 11. 12. 13. ita loquitur de

A

rubri maris mirabili tranſitu: *Ubi eſt, qui eduxit eos de mari cum paſtoribus gregis ſui? ubi eſt qui poſuit in medio ejus ſpiritum ſancti ſui? qui eduxit ad dexteram Moyſem brachio majeſtatis ſuæ; qui ſcidit aquas ante eos, ut faceret ſibi nomen ſempiternum? Qui eduxit eos per abyſſos, quaſi equum in deſerto non impingentem?*

Miſiſti iram tuam.] Videlicet fulmina, fulgura, ignem de cœlo, quæ ſunt ſigna, atque effectus iræ tuæ, atque eos abſumpſiſti, ut ignis paleam cum facilitate, præcipitatione, rapiditate.

℣. 8. In ſpiritu furoris tui congregatæ ſunt aquæ.] Hebræus ad litteram [8]: *Ad narium tuarum flatum aquæ cumulatæ ſunt* [9]. Septuaginta [10]: *aquæ diviſæ ſunt.* Locutio hæc, *flatus narium tuarum,*

B

plerumque iram Dei ſignificat; Deut. 29. 20. 2. Reg. 22. 6. Pſal. 17. 16. Job 4. 9. Syriaca verſio explicavit de vento vehementi, qui conſurgens in cumulum maris aquas congregavit. Chaldaice: *Tu ordinaſti aquas modo ſapientiæ pleno virtute verbi tui.* Habacuc 3. 15. innuere videtur Deum ipſum curru ſuo per medium mare prætervectum fuiſſe, ut viam aperiret populo ſuo. *Viam feciſti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum.* Patet in Scripturis nubes vocari currum Domini, ventos autem equos illius.

Stetit unda fluens.] Chaldaice: *Aquarum curſus ſtetit, veluti murus.* Septuaginta: *Aquæ hæſerunt ſibi* (ſimul ligatæ) *veluti murus.* Syriace, *aquæ ſteterunt velut in utribus.* Arabice, *veluti montes.* Recentiorum plerique, *Aqua ſtetit in cumulum.* Hebraicus textus habet כמו נד, ſed Syriaca verſio legit כנאד *nod utrem,* pro נד *nod, cumulum.* Septuaginta legiſſe videntur ℣. 13. Pſal. 77. uti legit hic Syriaca; vertunt enim: *miſit aquas velut in utrem.*

C

Congregatæ ſunt abyſſi in medio mari.] Chaldaica verſio, ac Septuaginta: *aquæ obduruerunt* [11] (veluti glacies) *in medio mari.* Recentiorum Interpretum plerique in eumdem explicant ſenſum: Aquæ pendulæ ſteterunt, veluti glacies craſſa, & ſolida. Aliqui intelligunt de arena, quæ in maris imo ſubſidit, quæ obduruit, exaruitque in Iſraelitarum gratiam, ut incedere poſſent, quin pes hæreret in ſabulo. Author libri Sapientiæ 19. 7. ait, cum per mare tranſierunt, ubi prius aqua fuerat, terram illico aridam apparuiſſe, & in mari rubro viam fuiſſe

D

ſine impedimento, veluti campum germinantem de profundo nimio.

℣. 9. Dixit inimicus.] Moyſes hic exprimit ſermonem cordis; ipſorum delineat affectus.

Implebitur anima mea.] Adimplebo ſuper eos iram, & ultionem meam; vel adimplebo voluptates meas; tot opes rapiam, quot paſſim optate.

Interficiet eos manus mea.] Hebraicus textus תורישמו diverſimode tranſlatus eſt; *delebit eos manus mea;* vel, ipſos ſpoliabit, vel de hæreditate eorum deturbabit. Septuaginta [12]: *Manus mea dominabitur, ego fortior ero, eoſque confringam.*

℣. 10. Flavit ſpiritus tuus, et operuit eos mare.] Hebræus [13]: *Flaſti ſpiritu tuo.* Ventus, quem excitaverat Deus, ut maris ima exſiccaret, aliter flavit, atque dejecit ſuper Ægyptios aquas maris. Septuaginta [14] vertunt: Miſiſti ſpiritum tuum. S. Auguſtinus qu. 55. in Exod. & S. Ambroſius l. 3. de

1 אשירה ליהוה כי גאה גאה
2 Ἄσωμεν τῷ Κυρίῳ, ἐνδόξως γὰρ δεδόξασται.
3 Origen. homil. 6. in Exod.
4 זה אלי ואנוהו
5 Συντρίβων πολέμους.
6 ירה. 70. Ἔρριψε.
7 70. Ἐπιλέκτους ἀναβάτας τριστάτας.
8 וברוח אפיך נערמו מים
9 Aquil. Sym. Theodot. Ἐσωρεύθη.
10 Διέστη τὸ ὕδωρ.
11 קפאו תהמות. 70. Ἐπάγη καὶ τὰ κύματα.
12 Κυριεύσει ἡ χείρ μου.
13 נשפת ברוחך
14 Ἀπέστειλας τὸ πνεῦμά σου.

de Spiritu Sancto c. 2. & 4. hic intelligunt de Spiritu Sancto. Chaldaica verſio, & Syriaca: *Locutus es per verbum tuum*. Vide ℣. 8.

℣. 11. QVIS SIMILIS TUI IN FORTIBUS DOMINE?] Hebraicus textus transferri poteſt, uti Septuaginta vertunt [1]: *Quis ſimilis tui in Diis Domine?* Ea, quæ ſequuntur, huic explicationi favere videntur: *Magnificus in ſanctitate, Terribilis*: Deus infinitæ ſanctitatis, & potentiæ; Deus terribilis, & infinite ſuper falſos Deos. Hebraicus textus pro his vocibus, *terribilis, atque laudabilis*, habet *terribilis in laudibus*, נורא תהלות, qui cum terrore laudari debet; vel juxta Septuaginta [2]: *admirabilis in laudibus*, qui infinitas, atque ineffabiles laodes meretur. Dicitur [3] Judas Machabæus vexillis ſuis priores vocum harum Hebraicas litteras inſcripſiſſe: *Quis ſimilis tui in fortibus Domine?* ex quibus extitit vox מכבאי MCBAI Macchabæi, quod nomen in Aſmonæorum familia permanſit.

MAGNIFICUS IN SANCTITATE.] Cujus Sanctitas Majeſtatem, ac potentiam exæquat. Septuaginta [4]: *Glorificatus in Sanctis ſuis*, vel in Sanctuario ſuo, vel etiam in cœlo qui quandoque locus ſanctus vocatur, *Sancta*; Pſalm. 150. 1. Onkelos, *fortis in ſanctitate ſua*: vel conſtans, immobilis in ſanctitate ſua. Infinitam Dei Sanctitatem inanium Deorum impuritati opponit, & corruptioni.

℣. 12. EXTENDISTI MANUM TUAM, ET DEVORAVIT EOS TERRA.] Aſſeri merito poteſt, terram eos devoraſſe; videlicet, fluctibus abreptos ad littus fuiſſe, atque ſabulo ſubmerſos. Intelligi hæc quoque poteſt locutio in ſenſu figurato. Deus extulit manum ſuam, atque eos dejecit, fregit, in terram impegit; perierunt in imo mari Dei manu protriti; vel denique, devoraverunt eos aquæ perinde ac hiaſſet terra, ut eos viventes ſepeliret. Ita quoque Pſalmo 104. 30. dicitur: *Edidit terra eorum ranas*, quamvis re vera eas aquæ Ægypti edidiſſent; Exod. 8. 5. 6. *Extendit Aaron manum ſuper aquas, & aſcenderunt ranæ*. Numerorum libro 13. 33. legimus, terram Chanaan devoraſſe habitatores ſuos; & 2. Regum 18. 8. ſaltum Ephraim plures conſumpſiſſe de populo, quam quos gladius voraverat. Locutiones hæ innuunt tantummodo; prior, regionem Chanaan frequentem eſſe bellatoribus viris, & violentis; altera vero, plures periiſſe in præcipitibus arduiſque locis ſaltus Ephraim. Poteſt igitur pariter dici abyſſos rubri maris conſumpſiſſe, ac enecaſſe Ægyptios; & terram eam ipſos devoraſſe, & deglutiſſe.

℣. 13. PORTASTI AD HABITACULUM SANCTUM TUUM.] Plures eruditi Interpretes [5] credunt hunc verſiculum, & ſequentes uſque ad decimum octavum continere prophetiam rerum earum, quæ ſunt eventuræ Iſraelitis in itineris eorum decurſu uſque ad ipſorum ingreſſum in Terram promiſſam, quæ vocatur, *Habitaculum ſanctum tuum*, Sanctum Domini habitaculum: & Textum per futurum tempus verti poſſe: *Portabis ad habitaculum ſanctum tuum*, in terram promiſſam, vel etiam ad templum tuum; *ita Lyranus Vatablus &c.* Alii docent iſtic *habitaculum ſanctum tuum*, ſignificare ſolum montem Sinai, & Moyſem ipſis in ſpiritu Prophetiæ illis promittere, futurum ut eos ſine periculo Deus deducat. Pro Hebraica voce

A נהלת *Nahaleta portaſti*, quam Vulgata, & Symmachus legerunt; Samaritanus textus legit נחלת *Nachalcta poſſediſti*. Septuaginta [a] legiſſe videntur *Nachamta*, *Conſolatus eſt in virtute tua, in requie ſancta tua*, Origen. Homil. 6. in Exod. Sed meliorem adfert ſenſum Vulgatæ locutio, & textus hebraici.

℣. 14. ASCENDERVNT POPVLI, ET IRATI SVNT.] Hebraicus textus [7], Chaldaica Verſio, & Septuaginta habent: *Populi audiverunt, atque ira exarſerunt*: Symmachus [8]: *Audiverunt, & turbati ſunt*: Syriaca, & Arabica, *terror inceſſit eos*. Hæc omnia in futurum tempus transferri poſſunt, ut jam adnotavimus: *Populi intelligent hæc mirabilia, & dolore afficientur, vel irateſcent*. Ex hiſtoria Rahab Ioſue 2. 10. & 6. 1. ac Gabaonitarum, ibid. 9. 9. liquet, quanam eſſet B Chananæorum formido, cum accederent Iſraelitæ.

℣. 15. PRINCIPES EDOM.] In Idumæa imperitabant Duces, vel principes, *Aluphim* אלפים vocati hic, & capite 36. Geneſis.

CONTVRBATI SVNT.] Septuaginta [9]: *Feſtinaverunt*, velut ii, quos timor corripuit.

OBRIGVERVNT.] Hebræus נמגו, & Septuaginta Ετακησαν. *confuſi ſunt*, animis deſponderunt. Onkelos אתברו, *Perculſi ſunt*, cor illis excidit, timore correpti ſunt.

℣. 16. FIANT IMMOBILES, QVASI LAPIS,] Hebraicus textus a Chaldaica lectione; & pluribus Interpretibus ita transfertur: *Sileant veluti lapis*. Ab aliis. *Obſtupeſcant veluti lapis* [10]. *Statua taciturnior*, ait Horatius. C Septuaginta [11] hæc ſuperioribus addunt: *In magnitudine brachii tui fiant ſicut lapis*. Per hæc verba *in magnitudine brachii tui* intelliguntur prodigia, quæ Deus fecerat in Ægypto, & quæ paulo ante in mari rubro patrarat. Superius ſimilem offendimus locutionem cap. 14. 31. *Et viderunt Ægyptios mortuos, & manum magnam, quam exercuerat Dominus contra eos*.

℣. 17. PLANTABIS IN MONTE HÆREDITATIS TVÆ.] Intelligi poteſt de Sinai, aut de monte Sion, de quo prophetico afflatus ſpiritu loquitur; vel fortaſſe de Judæa, & regione Chanaan, quæ erat regio montibus impedita. Vide Pſal. 78. 54. & 3. Reg. 20. 28. & præſertim Deut. 3. 25. *Videbo terram hanc optimam . . . , & montem iſtum egregium &c.* Moyſes regionem D hanc Ægypto opponit, quæ plana erat, & æqua.

FIRMISSIMO HABITACVLO TVO, QVOD OPERATVS ES, DOMINE.] Textus ſimpliciter habet: *loco eo, quem conſtituiſti habitaculum tuum*. Chaldaice, *præparaſti, Domine, locum majeſtatis tuæ*. Septuaginta: *in habitaculo præparato, quod tu perfeciſti tibi*.

℣. 18. DOMINVS REGNABIT IN ÆTERNVM, ET VLTRA.] Rex agnoſcetur, exercebit imperium ſuum in tempore, atque æternitate. Hebraicus textus [12] verti poteſt: *in ſeculum, & ultra*; vel, in ſæculo, atque æternitate; vel, in ſæculum ſæculorum, ſcilicet in infinitum, quod eminenter complectitur omnia ſæcula, & tempora. Videtur hic Moyſes ſignificare regnum Dei ſuper Iſrael ſub Lege; atque in ſenſu remotiori regnum in Eccleſia Jeſu Chriſti, denique regnum ſuper electos in æternum.

℣. 20. MARIA PROPHETISSA.] Maria Propheriſſa vocatur, quia revelationes habebat; ut patet ex libro

1 מי כמכה באלים יהוה. 70. Τίς ὅμοιός σοι ἐν θεοῖς. Sym. Οὔτε ἐν δυνατοῖς, οὔτε ἐν ἁγιασμῷ ἐξισωθῆναι, τοῦ δυνήσεται, ἢ καί τι ἐν γῇ ὁμοιωθῆναι. Nemo tibi comparari poterit in potentia, ſanctitate, aut alia quappiam re.
2 Θαυμαστὸς ἐν δόξαις. Sive θαυμαστοί, ἔνδοξοι ποιῶν τέρατα.
3 Genebr. Chron. l. 2.
4 נאדר בקודש. 70. Δεδοξασμένος ἐν ἁγίοις.
5 Eſtius, Menochius, Janſenius, Vatablus.
6 Παρεκάλεσας. נחמת
7 שמעו עמים ירגזון
8 Ἐκλονήθησαν. Videlicet juxta Scholiaſten. ἐταράχθησαν, turbati ſunt.
9 Ἔσπευσαν. Alius, ἐθορυβήθησαν: Turbati ſunt.
10 ידמו כאבן
11 Μεγέθει βραχίονός σου ἀπολιθωθήτωσαν.
12 יבלוך לעולם ועד

bro Numerorum 12. 2. *Numquid & nobis ſimiliter eſt locutus Dominus?* Scriptura quandoque Prophetas vocat eos, qui canunt laudes Dei; atque in hoc ſenſu Maria vocari poteſt Propheriſſa, quia videtur hic ducere choros mulierum Iſraelitarum, & magnitudinem Dei celebrare cum voce, ac muſicis inſtrumentis. Nomen *Maria*, vel *Mariam*, uti habetur in textu, & quommodo Veteres legerunt, quamvis Maſſorethæ hodie legant *Miriam*, derivare potaſt a Chaldaico *Marah* מָרָה יָם, quod ſignificat Dominam, & *jam* mare, *Dominam maris*. Alii deducunt a *mor*, quod amaritudo, & *jam*, mare, *amaritudo maris*. S. Hieronymus libro de nominibus Hebræis ait, *Mariam* (quoniam littera *m* in fine legenda eſt) ſignificare illuminantem me, vel illuminantem illos, vel myrrham maris, vel maris Stellam. Poſtrema hæc etymologia confirmari poteſt, quia apud Ægyptios *Mara*, vel *Mera* ſignificat aſtrum, & *jam* apud Hebræos mare ſignificat. Hyginus, & author Dionyſiacorum l. 5. vocant *Maram* ſtellam Iſidis, quæ in ſigno canis micat. Angelus Caninius contendit *Mariam* eſſe participium a *Ram*; quod *elevare* ſignificat, ita ut hoc nomen ſignificet *elevatam*. Maria vocatur Aaronis ſoror potius, quam Moyſis, vel quod Aaron frater illius erat primogenitus, vel quod Moyſes modeſtiæ ergo laudare noluit ſororem ſuam, ne ideo aliquid ſibi auctoritatis velle tribuere videretur. S. Gregorius Nyſſenus l. de Virgin. c. 6. & S. Ambroſius Exhort. ad virg. aſſerunt Mariam Virginitatem ſervaſſe, quandoquidem Scriptura viri illius non meminit, eaque ſemper Aaronis fratris ſui nomine eſt deſignata. Joſephus Antiq. l. 3. c. 2. ait, Hur, de quo ſermo eſt infra Exod. c. 24. 14. illius virum fuiſſe, ſed contraria ſententia prævaluit, & creditur Maria nemini umquam nupſiſſe.

CVM TYMPANIS.] Tympanum Hebraice תֹּף *toph* appellatum, fuit, ut perhibent, cymbalum, vel potius quodam genus tympani minoris eo, quo hodie utimur. De Muſicis Hebræorum inſtrumentis prolixius ſermonem habebimus in Commentariis ſuper Pſalmos.

CHORVS.] Hebraice *Mechelah* מְחוֹלָה ſignificat aliquando choreas, aliquando vero cantorum cœtum, vel etiam Muſicum inſtrumentum; quod aliqui pro ſiſtro intelligunt, aliqui vero pro utre muſico vulgo cornamuſa; ſaltem hanc illius ideam concipere licet ex deſcriptione, quam tradit Strabo: Pellis ſimplex, cum duabus cicutis, per alteram quarum inſpiratur, & per alteram ſonus redditur. Sed plerique Interpretum arbitrantur Hebraicam vocem hoc in loco ſignificare pſallentium mulierum chorum, atque ſaltantium, quem duceret Maria, quæ verſiculum canebant cantici a Moyſe compoſiti, quem ſubinde intercalari quadam repetitione aliæ e choro comites occinebant; vel fœminæ in fine cujuſque verſiculi, quem Maria canebat, hæc repetebant verba: *Cantemus Domino; glorioſe enim magnificatus eſt*. Philo ait de vita Moſ. l. 1. mulieres has ſejunctam chori partem ab hominum choro, quem Moyſes ducebat, compoſuiſſe. Ea quæ ſequuntur illius favent ſententiæ.

℣. 21. QUIBUS PRÆCINEBAT DICENS: CANTEMUS E DOMINO.] Hebraice תַּעַן לָהֶם: *Ipſa illis reſpondebat*; ſcilicet hominibus, ut textus innuit: repetebat illa, quidquid homines cum Moyſe cecinerant. Chaldaica lectio hunc ſequitur ſenſum: ſed Syriaca, & Septuaginta [1] explicant de mulieribus, cum quibus ſubcinebat, & repetebat hoc canticum: *Cantare faciebat eos Maria*. Sermonis contextus naturaliter innuit, Mariam ſolemnitati præfuiſſe, atque aliorum mulierum duxiſſe chorum; & Hebraicus textus, qui ait illam hominibus reſpondiſſe, ſignificare poteſt,

A ipſam cum mulierum choro repetiſſe, quidquid Moyſes cum hominum choro præcinebat. Homerus Iliad. A ad finem, Deorum convivium deſcribens, ait, quod Apollo perſonabat lyra, & Muſæ liquidis ſuis vocibus accinebant. Scriptura plerumque utitur verbo *reſpondere*, ut ſignificet, canere cum intercalari repetitione, aut ad ſonum inſtrumentorum.

℣. 22. EGRESSI SUNT IN DESERTUM SUR.] Ingreſſi ſunt in deſertum, quod proximum erat deſerto Etham: Ita Numerorum capite 33. 8. hoc ipſum deſertum nomine Etham vocatur. Traductores Orientales non conveniunt in verſione nominis *Sur*. Chaldæus ſemper transfert *Agar*; Syriacus *Gedar*, quod reor idem eſſe ac Geraram; & Arabs *Geſar*, aut *Mecham*. Vide Geneſ. 16. 7. 20. 1. 25. 18.

B ℣. 23. VENERVNT IN MARA.] Poſt tres itineris dies in deſerto Sur. Traditio regionis illius ſtatuit aquas Mara ad viginti, aut viginti quinque leucas ab Arſinoe, vulgo Suez deſcendentibus per littus Tauri, ſeu Tor ad mediam præter propter viam ab Arſinoe ad Sinai. Hebræi poſt ipſorum tranſitum triduo manſerunt in deſerto Sur, antequam ad *Mara* pervenirent. Dicuntur hæ aquæ eſſe adhuc potabiles, quamquam aliquandiu poſt acredinem quandam contraxerint palato injucundam propter maximam nitri copiam, quo ſolum ſcatet.

℣. 25. QVI OSTENDIT EI LIGNVM.] Rabbini apud Cornelium a Lapide & alios docent lignum hoc vocari *adelpha*; quod lethiferæ eſt amaritudinis, atque miraculoſe tantum effectum illum peperiſſe, de quo hic C ſermo. Glaſſius credit Hebraicam vocem *Hez* עֵץ, hic ſignificare venenum, quemadmodum in aliis Scripturæ locis; & Moyſen, cum illud in aquas projeciſſet, naturaliter eaſdem veneno inficere debuiſſe, niſi Deus tunc contrariam illi virtutem tribuiſſet. Alii [2] credunt effectum hunc edulcandi, ligno connaturalem fuiſſe; nam cur oſtendiſſet Moyſi Dominus, inquiunt, ſingulare lignum, niſi ligno ſingularis virtus extitiſſet? Author Eccleſiaſtici ſententiæ huic videtur addere auctoritatem, cum ait 38. 4. 5. *Altiſſimus creavit de terra medicamenta, & vir prudens non abhorrebit illa. Nonne a ligno indulcata eſt aqua amara? ad agnitionem hominum virtus illorum &c.* Joſephus Antiq. l. 3. c. 1. ait, Moyſen accepiſſe fruſtum ligni, quod illi præ pedibus erat, illudque ſe-D ctum in puteos jeciſſe; ſed aquas non edulcatas fuiſſe, antequam magna vis hauſta fuiſſet. Harum aquarum magnitudo oriebatur proculdubio a magna nitri copia, qua ſolum prope rubri maris littora abundat; neque mirum eſt, ſi priſtinæ amaritudinis partem poſt diuturnum adeo tempus iterum conceperunt; cum cauſa, ex qua hic oriebatur effectus, nequaquam penitus e Moyſe fuerit adempta.

CONSTITUIT EI PRÆCEPTA, ET JUDICIA.] Duo Textus [3] vocabula varie admodum transferuntur. A Septuaginta [4]: *juſtificationes, & judicia*: Syriace: *leges, & judicia*; Chaldaice: *fœdus, & judicium*. Rabbini apud Seldenum de jure nat. & gent. l. 3 c. 9. communiter docent, patres eorum accepiſſe in Mara præcepta obſervandi Sabbathi, obſervantiæ erga parentes, ſacrificii vaccæ rufæ, & formæ judiciorum. Gemarra Babylonica tit. Sanhedrin. c. 7. dicit præterea, ipſum recepiſſe ſeptem Noachidarum præcepta, aut filiorum Noe, de quibus locuti ſumus Geneſ. 9. 9. ſed omnes hæ traditiones parum conſtant, & recentiores quidam Hebræi eas reſpuere minime verentur.

Videtur, *præcepta, ac judicia* hoc loco ſignificare ſolum id, quod habetur verſiculo vigeſimo ſexto, quemadmodum orationis decurſus poſcere videtur, æque ac vox *dicens* verſiculi 26. quæ eſt veluti con-

cluſio,

1 Ἐξῆρχε δὲ αὐτῶν Μαριάμ. Textus loquitur de mulieribus ℣. 20. ideoque αὐτῶν referri debet ad γυναῖκας.
2 Lyranus, Menochius, Tirinus, Valeſius, Cajetanus. Vide etiam Auguſt. qu. 57. in Exod.
3 חק ומשפט
4 Δικαιώματα κ' κρίσεις.

cluſio eorum, quæ tribus ſuperioribus verſiculis dicta fuerunt. Deus igitur in Mara quædam generatim propoſuit ad fœdus, quod cum Iſrael initurus erat ſpectantia; de eo locutus eſt fœdere, quod cum patribus eorum percuſſerat, illoſque admonuit, ne ea quam modo receperant, libertate abuterentur. *Ibi tentavit eum*. Scire voluit, utrum præſto eſſet huic fœderi ineundo. Intuemur in Ioſue locutionem huic omnino geminam. Poſtquam populo propoſuit, quidquid pro illo patraverat Deus, & quot illi incumberent munia, addit ex Joſue cap. 24. 15. *Ut Domino ſerviatis optio vobis datur: eligite hodie, quod placet cui ſervire potiſſimum debeatis, utrum Diis, quibus ſervierunt Patres veſtri; an Diis Amorrhæorum in quorum terra habitatis* &c. Univerſum ſermonem hunc ſcriptura concludit, dicens Joſue pepigiſſe fœdus cum populo: *propoſuit populo præcepta, atque judicia*. Credibile admodum eſt, Joſue tunc idem feciſſe, quod Moyſes fecerat in Mara.

Ita quoque locus hic poteſt explicari: Deus tunc incœpit regere Hebræos, illis Reipublicæ formam conſtituere, ipſorum regimen moderari, ac formam judiciorum: *Propoſuit præcepta, & judicia*; atque experiri cœpit ipſorum obedientiam, ac fidelitatem: *Ibi tentavit eum*. Ecce autem Jeremiæ locus c. 7, 22. 27. apud Grot. qui cum hoc maxime congruit. Dicit per hunc Prophetam Deus: *Non ſum locutus cum patribus veſtris, & non præcepi eis in die, qua eduxi eos de terra Ægypti de verbo holocautomatum, & victimarum. Sed hoc verbum præcepi eis, dicens; Audite vocem meam, & ero vobis Deus, & vos eritis mihi populus: & ambulate in omni via, quam mandavi vobis, ut bene ſit vobis.*

℣. 27. VENERUNT IN ELIM, &c.] Si fides aliqua merito haberi poteſt popularibus Arabum traditionibus, ſtatui poſſet hæc ſtatio, & palmorum locus, quem viatores nonnulli propius mare rubrum eſſe inquiunt; ſed hæc præterire præſtat, quam aliquid nulli fundamento innixum adferre. Strabo l. 16. p. 511. & 513. loquitur de luco palmis conſito in ea regione ad quinque itineris dies ab Hierico. Lucum hunc earum regionum homines venerantur propter aquarum fontes, qui ibi paſſim exiſtunt, quamquam circumquaque terræ omnes aridæ ſint, ac ſteriles. Diis ſacer eſt, illiuſque vir quidam, ac mulier cuſtodes adſunt. Hic palmæ Elim ſtatuuntur.

CAPUT XVI.

Hebræorum murmur. Deus illis demittit coturnices, & pluit manna. Præcepta ad Sabbathi obſervantiam ſpectantia, & modus colligendi mannam.

1. PRofectique ſunt de Elim, & venit omnis multitudo filiorum Iſrael in deſertum
Sion, quod eſt inter Elim, & Sinai: quinto decimo die menſis ſecundi, poſtquam egreſſi ſunt de terra Ægypti. 2 Et murmuravit omnis congregatio filio-
rum Iſrael contra Moyſen, & Aaron in ſolitudine. 3 Dixeruntque filii Iſrael ad eos.
Utinam mortui eſſemus per manum Domini in terra Ægypti, quando ſedebamus ſuper
ollas carnium, & comedebamus panem in ſaturitate: cur eduxiſti nos in deſertum iſtud,
ut occideretis omnem multitudinem fame? 4 Dixit autem Dominus ad Moyſen: Ecce
ego pluam vobis panes de cœlo: egrediatur populus, & colligat, quæ ſufficiunt per
ſingulos dies: ut tentem eum, utrum ambulet in lege mea, an non. 5 Die autem ſex-
to parent, quod inferant: & ſit duplum, quàm colligere ſolebant per ſingulos dies. 6
Dixeruntque Moyſes, & Aaron ad omnes filios Iſrael: Veſpere ſcietis, quod Dominus
eduxerit vos de terra Ægypti: 7 Et mane videbitis gloriam Domini: audivit enim
murmur veſtrum contra Dominum: nos vero quid ſumus, quia muſſitaſti contra nos? 8
Et ait Moyſes. Dabit vobis Dominus veſpere carnes edere, & mane panes in ſaturitate:
eo quod audierit murmurationes veſtras, quibus murmurati eſtis contra eum, nos enim
quid ſumus? nec contra nos eſt murmur veſtrum, ſed contra Dominum. 9 Dixit quo-
que Moyſes ad Aaron: Dic univerſæ congregationi filiorum Iſrael: Accedite coram Do-
mino: audivit enim murmur veſtrum. 10 Cumque loqueretur Aaron ad omnem cœtum
filiorum Iſrael, reſpexerunt ad ſolitudinem: & ecce gloria Domini apparuit in nube.
11 Locutus eſt autem Dominus ad Moyſen, dicens. 12 Audivi murmurationes filio-
rum Iſrael, loquere ad eos: Veſpere comedetis carnes, & mane ſaturabimini panibus: ſcie-
tiſque, quod ego ſum Dominus veſter. 13 Factum eſt ergo veſpere, & aſcendens co-
turnix cooperuit caſtra: mane quoque ros jacuit per circuitum caſtrorum. 14 Cum-
que operuiſſet ſuperficiem terræ, apparuit in ſolitudine minutum, & quaſi pilo tuſum,
in ſimilitudinem pruinæ ſuper terram. 15 Quod cum vidiſſent filii Iſrael, dixerunt ad
invicem: Manhu? Quod ſignificat: Quid eſt hoc? Ignorabant enim, quid eſſet. Quibus
ait Moyſes: Iſte eſt panis, quem Dominus dedit vobis ad veſcendum. 16 Hic eſt ſer-
mo, quem præcepit Dominus: Colligat unuſquiſque ex eo quantum ſufficit ad veſcen-
dum: gomor per ſingula capita; juxta numerum animarum veſtrarum, quæ habitant in
tabernaculo, ſic tolletis. 17 Feceruntque ita filii Iſrael, & collegerunt, alius plus, a-
lius minus. 18 Et menſi ſunt ad menſuram gomor: nec qui plus collegerat, habuit
amplius: nec qui minus paraverat, reperit minus: ſed ſinguli juxta id, quod edere po-
terant, congregaverunt. 19 Dixitque Moyſes ad eos: Nullus relinquat ex eo in mane.

20 Qui

20 Qui audierunt eum, ſed dimiſerunt quidam ex eis uſque mane, & ſcatére cœpit ver-
mibus, atque computruit: & iratus eſt contra eos Moyſes. 21 Colligebant autem ma-
ne ſinguli, quantum ſufficere poterat ad veſcendum: cumque incaluiſſet ſol, liquefiebat.
22 In die autem ſexta collegerunt cibos duplices, id eſt, duo gomor per ſingulos ho-
mines: venerunt autem omnes principes multitudinis, & narraverunt Moyſi. 23 Qui
ait eis: Hoc eſt, quod locutus eſt Dominus: Requies ſabbati ſanctificata eſt Domino
cras: quodcumque operandum eſt, facite: & quæ coquenda ſunt, coquite; quidquid
autem reliquum fuerit, reponite uſque in mane. 24 Feceruntque ita, ut præceperat
Moyſes, & non computruit, neque vermis inventus eſt in eo. 25 Dixitque Moyſes:
Comedite illud hodie, quia ſabbatum eſt Domini: non invenietur hodie in agro. 26
Sex diebus colligite; in die autem ſeptimo ſabbatum eſt Domini, idcirco non invenie-
tur. 27 Venitque ſeptima dies, & egreſſi de populo ut colligerent, non invenerunt.
28 Dixit autem Dominus ad Moyſen: Uſquequo non vultis cuſtodire mandata mea, &
legem meam? 29 Videte, quod Dominus dederit vobis ſabbatum, & propter hoc die
ſexta tribuit vobis cibos duplices: maneat unuſquiſque apud ſemetipſum, nullus egre-
diatur de loco ſuo die ſeptimo. 30 Et ſabbatizavit populus die ſeptimo: 31 Ap-
pellavitque domus Iſrael nomen ejus Man: quod erat quaſi ſemen coriandri album, gu-
ſtuſque ejus quaſi ſimilæ cum melle. 32 Dixit autem Moyſes. Iſte eſt ſermo, quem
præcepit Dominus: Imple gomor ex eo, & cuſtodiatur in futuras retro generationes: ut
noverint panem, quo alui vos in ſolitudine, quando educti eſtis de terra Ægypti. 33
Dixitque Moyſes ad Aaron: Sume vas unum, & mitte ibi Man, quantum poteſt cape-
re gomor: & repone coram Domino ad ſervandum in generationes veſtras. 34 Sicut
præcepit Dominus Moyſi, Poſuitque illud Aaron in tabernaculo reſervandum. 35 Fi-
lii autem Iſrael comederunt Man quadraginta annis, donec venirent in terram habita-
bilem: hoc cibo aliti ſunt, uſquequo tangerent fines terræ Chanaan. 36 Gomor au-
tem decima pars eſt Ephi.

℣. 1. VENIT OMNIS MULTITUDO .... IN DESERTUM SIN.] Moyſes non refert hic ſtationem, de qua locutus fuit Num. 33. 10. & quæ fuit ad mare rubrum inter Elim, & Sin. Hoc deſertum Sin [1], omnino aliud eſt ab alio deſerto cognomine [2], ubi trigeſima tertia ſtatio facta eſt. Hæc duo Sin diverſimode in Textu ſcribuntur.

QUINTO-DECIMO DIE MENSIS SECUNDI.] Menſe uno poſt ipſorum exitum de Ægypto. Menſis hic appellatus fuit *Jar* a Chaldæis, & deinde a Judæis, poſtquam Babylone reverſi ſunt.

℣. 4. UT TENTEM EUM, UTRUM AMBULET IN LEGE MEA, AN NON.] Verti poteſt: *Ut ſciam, utrum ambulabis in lege mea, an non.* Deus periculum facere voluit fidelitatis populi ſui in minimis rebus, B ut cognoſceret, utrum fidelis eſſet futurus in majoribus. Deus hic humano more loquitur, perinde ac ignoraret humani cordis diſpoſitiones. Fecit, ut plueret manna, præcepitque, ut pro una tantum die quæ opus eſſet colligeretur, ut intelligeret, an populus Dei promiſſis ſatis confideret, quæ pro die præſenti tantum ſufficeret colligendo. Vult, ut Iſraelitæ propriam infirmitatem, atque imperfectionem cognoſcant, ut illorum ambitioni, ac ſuperbiæ mederetur, ait S. Auguſtinus qu. 53. in Exod.

℣. 5. DIE SEXTO PARENT, QUOD INFERANT.] Seu, quod ſervent in craſtinum; vel parent vaſa ad colligendam mannam; vel hac die duplo majorem ſibi comparent eſcam. Ex loco hoc Veteres plures [3] arguerunt; mannam decidere inchoaſſe die Dominico, ſexto C ante ſabbathum die. Verſiculus 22. huic favet ſententiæ. Narratur ſexta hebdomadæ die, cum populus duplum mannæ collegiſſet, quam aliis diebus colligere conſueverat, ſeniores certiorem feciſſe Moyſem. Quod ſupponere videtur, ipſos uſos fuiſſe man- A na aliquot diebus ante. Sed Verſiculus 20. penitus adverſari videtur: ſaltem ni dicatur, quod ea, quæ narrantur de quibuſdam, qui mannam ſervarunt in craſtinum, quam corruptam invenere, acciderint quibuſdam diebus, poſtquam primum ceciderit.

Credimus coturnices in caſtra *Sin* fuiſſe demiſſas feria quinta, veſpere decima quinta die menſis, & poſtridie mane, menſis ſextadecima mannam pluiſſe, ita ut Moyſes hic, ut primum deciderit, præcipiat, ut duplum colligeretur, cum in craſtinum decidere non deberet, quæ erat dies Sabbathi; quam regulam in totius itineris decurſu obſervarunt. Hebraicus Textus [4] ita verti poteſt: *Die ſexto præparent (excoquant) mannam quam ea collegerint die, ut poſtridie occupati ſint* præparando quod manducent: *Parent, quod attulerint.* Vide ℣. 23. Philo de Vita Moyſis lib. 1. p. 634. credit tunc Deum Iſraelitis revelaſſe diem, qua mundi opus perfecerat, illis præcipiendo, ut ſeptima quaque die ab opere quieſcerent.

℣. 6. VESPERE SCIETIS, QUOD DOMINUS EDUXERIT VOS DE TERRA ÆGYPTI (℣. 7.) ET MANE VIDEBITIS GLORIAM DOMINI.] Deus probare vult Iſraelitis, ſe deduxiſſe eos de Ægypto, duobus miraculis, quæ iſtic peragit: veſpere illis coturnices demittens: mane vero illis pluens mannam. *Gloria Domini* ſignificat admirabiles divinæ effectus potentiæ. (Vide Num. 16. 21. & Ioan. 1. 14. & 11. 40.) vel potius Domini præſentiam in nube Angelus in illa, dum intererat, extraordinarie deſcendebat. Vide verſ. 9.

℣. 9. DIXIT MOYSES AD AARON.] Moyſes, & Aaron cum Dei nomine populo eſcam eſſent polliciti, Moyſes dixit ad Aaron, ut homines Deo ſe ſe offerre juberet; ſcilicet ſe in eam partem convertere, ubi nubes erat, quæ eos ſequebatur, at-

1 סין hic & Num. 33. 12.
2 צין Numer. 20. 1. & 33. 36.
3 Origen. hom. 7. in Exod. Synod. Cæſar. apud Bedam, Ambroſiaſter in c. 10. 1. ad Cor. v. 15. Author Serm. 25. de temp. apud Aug. 4 והכינו את אשר יביאו

que ad eam accedeſe, ut audirent exprobrationes, quibus Deus caſtigare debebas ipſorum obmurmurationes; vel, Aaron dixit ad eos, ut ſe converterent in faciem tentorii, ubi cœtus plerumque habebantur pro rebus ad Religionem, regiminemque ſpectantibus; nam antequam Tabernaculum Domini conſtrueretur, tentorium aderat, quod *Tabernaculum totus* vocabatur, quodque extra caſtra delatum fuit poſt crimen in aurei vituli adoratione patratum. Vide Exod. 33. 7. Donec Aaron illis adhuc loquebatur, ſe ſe ad deſerti latus converterunt, atque extra caſtra reſpexerunt, ubi nubem ſunt intuiti, quæ erat ſymbolum præſentiæ Domini: *Cumque loqueretur Aaron . . . . reſpexerunt ad ſolitudinem, & ecce gloria Domini apparuit in nube.*

℣. 12. VESPERE COMEDETIS CARNES.] Hebraice בין הערבים: *Inter duas veſperas* Septuaginta, Τὸ δὲ πρὸς ἑσπέραν: *ſub veſperam*. Verſiculo 13. cum Deus ea præſtitit, quæ hic ſe facturum receperat, Moyſes ſimpliciter ait: *Factum eſt ergo veſpere, & aſcendens coturnix cooperuit caſtra.*

℣. 13. FACTUM EST ERGO VESPERE, ET ASCENDENS COTURNIX COOPERUIT CASTRA.] Veſper hic erat finis quintædecimæ diei, initium vero decimæ ſextæ menſis ſecundi juxta Hebræorum enumerandi rationem. Hebraicam vocem שלו *Schelau*, quam Septuaginta Ὀρτυγομήτρα, & Vulgata vertunt *coturnices*, Jonathan transfert, *Phaſianos*. Rabbini Kimchi, & Salomon intelligunt de pinguibus quibuſque volucribus, quin aliquid addant peculiare. Ludolfus apud Joannem Clericum hic plures adfert conjecturas, ut probet has locuſtas fuiſſe. Grotius adduci nequit, ut has fuiſſe coturnices credat. Nihilominus linguæ omnes Orientales, quæ relationem habent ad hebraicam, eodem vocabulo utuntur, aut ferme ſimilibus, ut id avium genus appellent. Joſephus Antiquit. lib. 3. cap. 1. docet in ora ſinus Arabici, maximam coturnicum videri copiam. Ægyptii teſte Herodoto lib. 2. cap. 77. eas ſale condiſe conſueverant in ſuum uſum. Heſychius voce χυρίοι quaſdas parvulas fuiſſe coturnices teſtatur, quæ ſale conditæ ad Solem exponebantur, ut exſiccarentur. Ita quoque Iſraelitæ fecerunt, cum ſecundo illas ipſis demiſit Dominus; Numer. 11. 32. In quibuſdam Archipelagi inſulis ſtatis temporibus maxima coturnicum vis reperitur, quæ ab auſtralibus regionibus migrant in noſtrum clima, atque inde illuc revertuntur, cum frigus illas a borealibus regionibus pellit. Ortygia inſula, cycladum una, nomen ſuum deſumpſit ab harum volucrum vi, quæ ibi reperitos. Cum coturnices in Europam redeunt ſub vernum tempus, in aliqua ex his inſulis, tanta earum capitur copia, ut eas exenterare debeant, ſalire, & in doliolis conſtipare, velut haleces, uti a quodam intellexi, qui hæc ſuis oculis fieri conſpexerat. Diodorus Siculus dicit, populos Rinocoruri finitimos, qui non admodum longius abſunt a deſerto, ubi tunc erant Iſraelitæ, in ora maris laqueos tendere ſub illud tempus, quo ſolent coturnices prætervehi, earumque magnam vim capere in ipſorum eſcam, atque annonam. Facillimum eſt quaſdam harum avium nubes, quæ Rinocorure tranſeunt, aut eorum, quæ ſunt ad rubri maris oram, a vento vehementi in Iſraelitarum caſtra abreptas fuiſſe. Tempus, quo in Europam coturnices redeunt [1], apprime congruit tempori illi, quo in Hebræorum caſtra delapſæ ſunt; nam quintadecima die *Jar* initio Maii ex æquo reſpondet. Hoc tempore coturnices a meridie deferuntur ad Boream, & autumno a Borea in meridiem revertuntur. Miraculum in eo poſitum eſt, quod coturnices in illud deſertum, & tanta in copia fuerint delatæ.

MANE QUOQUE ROS IACUIT PER CIRCUITUM CASTRORUM.] Hebraicus textus verſiculorum 13. & 14. hoc pacto poteſt transferri: *Mane ros decidit* (aut jacuit) [2] *in circuitu caſtrorum, & cum diſſipatus fuit, univerſa terræ ſuperficies in deſerto extra caſtra tecta apparuit quibuſdam rotundis globulis, veluti guttis roris*. Ros noctu deſcendebat, uti narratur, Numerorum cap. 11. 9. ac ſuper rorem manna. *Cum deſcenderet noctu ſuper caſtra ros, deſcendebat manna ſuper eum*; nam hic loci hujus in hebraico textu eſt ſenſus. Rabbini apud Munſterum dicunt rorem inferius, ſuperiuſque involviſſe mannam, atque cum Sol diſſipaſſet rorem, quo manna cooperiebatur, tunc illam detectam apparuiſſe; verum arbitror, rorem ſubter mannam fuiſſe tantummodo, atque ipſum (juxta textus locutionem) effeciſſe, veluti ſtratum quoddam, ſuper quo illa quieſcebat. Sol oriens diſſipabat rorem, ita ut manna ſola ſuper herbam, aut arenam remaneret, & cum Sol vehementius ferveret, ipſa quoque manna diſſipabatur, uti verſ. 21. refertur: *Cumque incaluiſſet Sol, liquefiebat*. Ideo neceſſum erat, ut ſtatim colligeretur manna, antequam liqueſceret, & antequam diei calor vehementius arderet. Septuaginta ita vertunt locum, quem explicamus: *Cum mane illuxiſſet & ros in circuitum caſtrorum fuiſſet diſſipatus* [3] (℣. 14.) *tunc viſum fuit in ſuperficie deſerti minutum quid ſimile coriandri, candidum velut pruina ſuper terram.* Hebraicæ voces דק מחספס, quas Sanctus Hieronymus tranſtulit *minutum, & quaſi pilo tuſum*, a Chaldaica verſione, & Syriaca ſimili propemodum ratione, ac in Vulgata tranſlatæ ſunt, *granum ſiliquis exutum, vel pilo, aut mola tuſum*. Septuaginta verterunt *coriandrum candidum*; quod deſumptum videtur ex verſ. 31. ubi manna comparatur coriandro forma, colore vero non item; nam mannæ color erat albus ad inſtar nivis, ut ait Philo lib. de profugis. Septuaginta iidem eam alibi comparant criſtallo, vel glaciei, Numer. 2. 7. atque hic pruinæ comparatur, vel potius candido gelu, & guttis roris glacie adſtricti ad apicem foliorum, in arboribus, ac in herbis. Plerique Interpretum vertunt *rotundum* hebraicam vocem *Mechuſpbas* מחספס. Clericus vertit *molle*, vocem eam ex Chaldaico [4] *chaſapes* deducens, quod argillam ſignificat, vel ex Arabico *Chaſipes* חסיף, quod ſignificat terram mollem.

℣. 15. DIXERUNT AD INVICEM: MANHU? QUOD SIGNIFICAT: QUID EST HOC?] Verſionem hanc tum veteres omnes, cum majori ex parte recentiores [5] Interpretes ſequuntur. Hebræi rei novitate capti, eo quod terram uſquequaque tectam viderent ſpecie quadam grani, vel globulorum albentium, ac pellucidorum, ſibi invicem mirabundi dicebant; *Quid eſt hoc* מן הוא? Manhu? Moyſes illis reſpondit: Hæc eſt eſca, quam Deus vobis conſtituit. Nomen *Man*, quod forte illi tradiderant, illi deinceps remanſit, neque deinceps aliter, niſi *Man* fuit appellata.

Alii [6] nonnulli pro *quid eſt hoc?* vertunt: *Man iſtud*. Contendunt autem, quod Iſraelitæ naturalem mannam agnoſcentes, quæ communis eſt in Arabia, & nondum ſcientes, quidnam eſſet hæc nova productio, quam intuebantur, confeſtim dederint illi mannæ nomen propter ſimilitudinem, quæ illi cum Vulgara manna intercedebat. Dicunt autem *Man* apud He-

1 Vide Bellon. obſerv. l. 2. c. 57.
2 שכבת הטל.
3 Τὸ πρωὶ δὲ ἐγένετο καταπαυομένης τῆς δρόσου.
4 חסף Chaldaice ſignificat argillam.
5 Lyranus, Cajetanus, Fagius, Montan. Druſ. Piſcat. Grotius.
6 Oleaſter, Munſterus, Clericus.

Hebræos nequaquam ſignificare *quid* : cum alioquin Chaldæis in uſu ſit poſitum : ſed potius ut ſignificet *quis*, quam *quid*. Verum hanc animadverſionem futilem, inanemque reor. Videmus enim *Man* pro *quis*, Pſal. 60. 7. [1]. Alii [2] credunt *Man* eſſe vocem Ægyptiam, quæ idem ſignificat ac *Mah* hebraice ; ſcilicet *Quid*. Alii [3] transferunt : *Donum hoc eſt*. Ecce donum, quod Deus nobis promiſit, vel, *cibus*, aut *pars*, aut *præparatum eſt hoc*. Hæc eſt eſca, quam nobis præparavit Deus ; hæc eſt pars, quam nobis tradidit in cibum. Vel per irriſionem : Hæccine igitur eſt eſca, quam nobis largiri voluit, quam ſe nobis daturum ſpopondit ?

Pluribus eſcarum generibus, quæ in variis regionibus inveniuntur, nomen mannæ tribuitur. Communior eſt manna Arabica, quæ ſpecies eſt mellis concreti, quæ æſtate reperitur ſuper arbores, lapides, herbas, ac etiam ſuper arenam in deſertis Arabiæ Petrææ. Vide Boechartum in diſſertatione de manna fol. 871. Geograph. edit. Lugd. Batav. an. 1682. Saccharum vocatum *Sacamembs* eſt ipſum quoque mannæ ſpecies, atque huc ex Indiis adfertur ; hoc eſt ſaccharum, quod veteres coguovere, & de quo ſub hoc nomine in operibus ſuis ſunt locuti. Avicenna loquitur de mannæ liquentis velut mellis ſpecie, cui duplo minor eſt virtus, ac mannæ Arabicæ, & quæ defertur a provinciis Aria Choraſmiorum regione, & Sogdiana. Extat in Arabia, in Ægypto, ac prope Tripolim in Africa aliud mannæ genus ſuper arborem, quam vocant *alhuſar*, cujus arboris umbra noxia, atque lethalis eſſe perhibetur. Vulgata manna eſt Arabica ; alba, atque dura eſt, & manna ſimpliciter vocatur Cairi in Apotheeis, ubi proſtat. In Arabia decidit illa menſe Julio, & Auguſto ; magnitudine piſum refert, albedine nivem, cum dilabitur, ſed potius ad planam figuram accedit, quam rotundam. Ad Solem liqueſcit, & cum arena immiſcetur ; quare ante diei fervorem eſt colligenda. Cum quis ab arena eam cupit ſecernere, cum qua eſt immixta, iterum liquefit, atque panno lineo percolatur, atque deinde velut cera obdureſcit [4].

Alia quoque mannæ ſpecies [5] eſſe perhibetur, quam Libani rorem Græci nuncupant, & Hippocrates *Mel cedri*, & Galenus Δροσόμελι drosomeli, vel *Aſphatk Arromeli*, qua Libani montis incolæ utres implent. Addunt quoque arboribus pelles ſubtendi, ut liquor hic excipiatur. Dioſcorides loquitur de ſucco, quem *Elaiomeli elaiomeli* vocant, qui ab arbore quodam in Syria educebatur. Hic profecto idem liquor eſt ac *droſomeli* Galeni. Salmaſius arbitratur, mel, quo Sanctus Joannes Baptiſta in deſerto alebatur, fuiſſe rorem denſum, concretumque. Svidas in voce *ακρίς* in eamdem ſententiam videtur abiiſſe. Author Recentior [6] aſſerit mannam montis Libani, ac Perſidis, neque albam eſſe, neque in minuta fruſta conciſam, uti Europæam, ſed vireſcentem veluti vitriolum, atque denſam veluti mel colligi ex herbis, ac frondibus, qua ſcatent. Hircinis utribus inſeritur, ut tradnctur, atque adeo obdureſcit, ut dolabra opus ſit ad eam infringendam, ſi velis uti.

Maxima ex Calabria mannæ vis adfertur, ut docet Altomarus tractatu de manna. Invenitur ſuper fraxinis, vel ſuper ulmis, quæ ſunt ſylveſtres fraxini. Scatet illa ex harum arborum cortice ſub Caniculæ tempus. Manna hæc ad Solem minime liqueſcit, quin immo obdureſcit, atque ad illius radios exponitur, ut ſuperflua humiditas adimatur. Altomarus vult, mannam hanc nequaquam eſſe rorem, qui ſuper hos arbores decidit, ſed liquorem, qui ex trunco, ac foliis manat. Matthiolus huic ſententiæ minime ſubſcribit, quippe verum eſſe rorem autumat ; & Abbas Rouſſeau ipſius ſententiam confirmat, quia manna non ſuper arbores ſolum, ſed ſuper lapides quoque, & ſolum reperitur. Grana mannæ Italicæ parva ſunt, clara, pellucida, candida, guſtatu admodum dulcia, atque maſticum granis ſimilia. Arabica manna huic eſt propemodum ſimilis ; porro mannam intelligo proprie dictam, quam *maſticinam* nuncupant. Matthiolus teſtatur ſe prope Forum Voconii, ac Tridentum mannam Calabricæ perſimilem conſpexiſſe. Levinus Lemnius idem aſſerit de quodam concreto, quem prope Lovanium invenit ; & Buſtamantius etiam loquitur de manna, quæ ſuper pinos, ac juniperos prope Brigantium in Delphinatu reperitur.

Manna quoque invenitur in Polonia, ſed illius natura penitus alia eſt ab iis omnibus, de quibus locuti ſumus. hæc verum eſt granum, quod contunditur, ut ſiliquis exuatur, uti de oriza fieri aſſolet, atque hordeo. Creditur vulgo, ipſam e cœlo decidere ſtatis temporibus, atque linteis colligi ante Solis ortum, qui alioquin eam liquefaceret. Verum neceſſitas eam ante ſolis ortum colligendi non oritur ex metu, ne ipſa liqueſcat ; ſed quod cum granum eſt in maturitate perfecta, ſolis calor corticem illius aperit, & granum delapſum amittitur. Hujus mannæ granum eſt ferme milio perſimile, ſed oblongius, atque rubro colore. Cribratur, molitur, atque in pultem concoquitur.

Salmaſius credit, mannam, qua Deus aluit Iſraelitas, non fuiſſe novam mannæ ſpeciem, quam pro ipſis tunc creaverit Deus : ſed ea, inquit, erat manna, quæ paſſim in Arabia decidit : omnes illas præferebat qualitates, ſcilicet mane in minuta grana cum rore deferebatur, ad Solis radios liqueſcebat, mellis ſaporem habebat. Medica mannæ qualitas, quæ ſumentes illam depurgat, minimum huic Authori negotium faceſſit ; credit enim, futurum ut hæc eum effectum haud gigneret, ſi ſæpius homines veſcerentur ; & equidem experientia docet frequentem rei alicuius uſum, illius effectum, vel omnino, vel partim ſaltem impedire. Viri extiterunt quidam, in quos nullam virtutem habuere venena ; & alii, quibus cicuta, vel helleborum nihilum contulerunt. Joſephus Antiquit. lib. 3. cap. 1. fatetur, ad hanc uſque diem in Arabia pluere ex manna eadem, quam olim Deus dedit Iſraelitis. Sanctus Ambroſius epiſt. ad Irenæum 64. nov. edit. teſtatur, ex manna eadem paſſim in terris inveniri. Franciſcus Valeſius Philoſoph. ſacræ cap. 59. & Levinus Lemnius lib de Sacræ Scripturæ herbis, Cardanus, & alii plures authores in eamdem ſententiam abiere.

Viator recentior [7] contrariam penitus ſententiam init, & credit Arabiæ mannam nimis eſſe levem, quam quæ naturaliter alere queat. Cum ille eſſet prope montem Sinai, colligendam curavit magnam mannæ hujus vim, ubi ſuper lapides, & quaſdam aridas herbas invenitur, quæ in vallibus creſcunt, & quæ acutiſſimo, ac vehementi præſtant odore, quem huic mannæ communicant, quæ decidit, dum fervidior incaleſcit æſtas. Ipſa ejus eſt figuræ, quam Moyſes deſcribit, cum hac proprietate, quæ illi ſingularis eſt, quod confeſtim ferme evaneſcat ; ita ut ſi triginta libras illius in aperto vaſe conſerves, quindecim dierum intervallo, decem tantum ſint reliquæ.

1 Pſalm. 60. 7. חסד ואמת מן ינצרהו. *Miſericordiam, & veritatem ejus quis*.
2 Hiſkun. Grot. Druſius.
3 Vatablus, Pagninus, Mercerus.
4 Morizon. Itiner. Syr.
5 Petrus Bellon. Obſerv. l. 2. c. 65.
6 Secrets de l'Abbé Rouſſeau.
7 Abbas Rouſſeau in libro, cui titulus, *Secrets*, &c.

liquæ. Ex quo arguit, nequaquam fieri poſſe, ut ſubſtantia ſubtilis adeo alere potuerit Iſraelitas. His rationibus addi poteſt, mannam, quam Hebræis demittebat Deus in Arabia, magnam mirabilium qualitatum jactare vim, quæ eam a vulgata regionis illius manna longe diſtinguunt; nam decidebat illa omnibus anni diebus, ſi ſabbatum demas; & omnibus in locis, ubi Iſraelitæ caſtra fuiſſent metati. Ne unum quidem ceſſavit diem a ſtatione in deſerto Sin, uſque ad populi ingreſſum in terram promiſſam, annorum quadraginta decurſu. In circuitu vero caſtrorum Iſrael ea in copia defluebat, ut frequentia adeo exercitus in eſcam ſufficeret, & ſinguli gomor colligerent, hoc eſt, libras octo; & miro effectu adoleſcentibus alendis, ſenibus, infirmis, ac fortibus, ſanis, atque ægris inſerviebat, quin aliquis ex ea quid incommodi pateretur. Die Veneris in duplici ab aliis diebus copia dilabebatur; & ſabbato nihil penitus decidebat; & cum aliis diebus putreſceret, ſi in craſtinum ſervaretur, die Sabbati nullam patiebatur naturæ ſuæ corruptionem. Alius quoque mirabilis mannæ, de qua loquimur, effectus fuit ad Solem liqueſcere; & tamen ea, quæ colligebatur, erat dura adeo, ut pilo contunderetur, ac ignis vim ferret; ita ut excoqui in patellis poſſet, ſubigi, atque ex ea placentas formari; quas qualitates in Arabica vulgata manna minime inveneris, & quæ Moſaicam reddunt eſcam undequaque miraculoſam, cui merito Scriptura tribuit nomen panis cœleſtis, ac angelici cibi; ſeu quod angelorum miniſterio præpararetur, ſeu propter illius dulcedinem, ac ſupernaturalem ſaporem; ex quo licet conjicere angelos non alia uſuros fuiſſe eſca, ſi corporeo cibo uterentur.

Buxtorfius in diſſertatione de manna poſt Rabbinos magnum refert qualitatum numerum eſcæ hujus cœleſtis, quas in Scriptura nequaquam invenimus, & quæ ideo ſuſpicione non vacant.

Prætereo autem mirabilem aliam mannæ qualitatem, cujus meminit author libri Sapientiæ, cum ait mannam hanc adaptatam fuiſſe manducantium cupiditati, ita ut ibi quiſque ad appetitum explendum eſcam inveniret; atque panem hunc angelorum in ſe ipſo habuiſſe omnem ſaporem, & cujuſque ſuaviſſimi cibi voluptatem. Sap. 16. 20. *Angelorum eſca nutrivisti populum tuum, & paratum panem de cælo præstitiſti illis ſine labore, omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuavitatem, & deſerviens uniuſcujuſque voluntati, ad quod quiſque volebat, convertebatur.* Recentiores quidam Interpretes hæc omnia ad litteram intelligunt. Vide Cantacuzen. in Sapient. Heſſel. de Euchariſtia, Claud. de Seintes repetit. 7. Valentiam lib. 4. diſp. 6. qu. 3. Thom. Boſium de notis Eccleſ. lib. 13. cap. ult. Nec deſunt, qui aſſerant, quod manna indueret non ſolum ſaporem, ſed & formam, ac ſubſtantiam rei, quæ poterat deſiderari. Joſephus Antiquit. lib. 3. cap. 1. refert eos, qui illa veſcebantur, deliciis adeo affluentem fuiſſe expertos, ut nihil præterea in optatis haberent. Verum melioris notæ viri, omnes has locutiones nequaquam proprie ſumendas eſſe, ſed ad ſolos juſtos coarctandam eſſe immutationem, quæ in ſapore mannæ uſuveniebat, & ad Dei filios, pro quibus Deus hoc miraculum efficiebat, ut ibi omnium epularum ſaporem invenirent. Scriptura quoque hanc ſuggerit diſtinctionem, cum ait, Deum miraculum hoc patraſſe, ut filiis ſuis amoris argumenta præberet: *Ut dulcedinem tuam in filios demonſtrares.* Et Sanctus Auguſtinus lib. 2. retract. c. 20. (Vide & Greg. lib. 6. Moral. cap. 9.) merito quidem animadvertit, ſi hæc immutatio pro Iſraelitis omnibus indiſcriminatim fuiſſet, futuros fuiſſe non injuſtos modo, verum etiam ridiculos que-

A ſtus, ab illis editos, quod mannæ tædio afficerentur, nihilque aliud præter mannam viderent. *Anima noſtra arida eſt; nihil aliud reſpiciunt oculi noſtri, niſi Man.* Origenes homil. 7. in Exod. ad finem in ſenſu figurato pro manna intelligit verbum Dei, quod ſe ſe aptat neceſſitati, guſtui, & diſpoſitionibus audientium omnium, & ſingulorum.

℣. 16. GOMOR PER SINGULA CAPITA.] Gomor, ut diximus, erant libræ octo; quæ helluonibus ipſis ſufficere poſſunt. Plures erant, qui tanta copia non indigebant; ſed Deus ſtatam menſuram decrevit, ut populo omnem queſtus adimeret occaſionem; tantum cuique tribuit, quantum poteſt comedere; verum non prohibet, quin aliquis ſibi minus ſumat,
B quam Gomor, ſi quis minus ſibi ſumere velit.

℣. 17. COLLEGERUNT ALIUS PLUS, ALIUS MINUS.] Quiſque tantumdem collegit mannæ, quantum potuit; alii acceperant plus, alii minus. Illi qui ultra Gomor collegerant, eis reddiderunt, qui minus habuerant. Ita omnis, quſntom ſatis eſſet, habuerunt. Qui prius nimium haboerant, nihil ſupra Gomor habuerunt; qui vero minus, nihil infra. Apoſtolus in hunc ſenſum intellexiſſe videtur 2. Cor. 8. 15. *Ut fiat æqualitas, ſicut ſcriptum eſt. Qui multum non abundavit, & qui modicum non minoravit.* Aliter; quiſque in ſuo Gomor ad libitum, & pro cujuſque appetitu mannam collegit; ita ut voti factus ſit compos. Qui plus collegerat, & præ ceteris magis indigebat, tantumdem habuit, quantum
C opus erat; & illi, qui collegerant minus, illis non defuit id, quo indigebant. Ut verbo me expediam: quiſque quantum voluit, tantumdem collegit, ita tamen ut non excederet Gomor. Ita agnoſcitur Deus illis ſatis, & abunde mannam dediſſe. Hebraicus ad litteram [1]: *Et collegerunt multiplicans, & diminuens, & menſi ſunt in Gomor: & non abundare fecit multiplicans, & minuens non minoravit.*

Plures tum Patres [2], cum Interpretes [3] contenderunt, Deum continuo quodam miraculo aliquid ex eorum copia ademiſſe, qui mannæ collegerant nimium, atque illis addidiſſe, qui minus habebant. Aliqui præterea aſſerunt, angelum mannam rarificaſſe illis, quibus gomor nocere potuiſſet, atque
D condenſando augmentaſſe illorum ſubſtantiam, quibus in cibum gomor ſatis eſſe nequiret. Inanes ſubtilitates; perinde ac aperte Scriptura innueret, cuicumque plenum Gomor fuiſſe accipiendum. Permittebat illa, ut hæc menſura colligeretur, ſi illius opus fuiſſet; verum per illam integrum erat omnibus minus accipere, ſi minor copia cui potuiſſet ſufficere.

℣. 21. CUMQUN INCALUISSET SOL, LIQUEFIEBAT.] Chaldaica verſio opportune animadvertit hoc intelligendum eſſe de ea manna tantum, quæ in agris ſupererat; nam ea, quam Iſraelitæ in tabernaculis ſuis conſervaverant, non ſolum ad Solem minime liqueſcebat, verum ad ignem excoquebatur, uti ſuperius dictum eſt. Rabbini quidam poſt Tar-
E gum Jonathan filii Uzielis referunt mannam liqueſcere incœpiſſe duabus ante meridiem horis, atque inde maximam aquæ copiam emanaſſe. Sed author libri Sapientiæ docet cap. 16. 27. *Quod* (ex hac eſca) *ab igne non poterat exterminari, ſtatim ab exiguo radio Solis calefactum tabeſcebat.*

℣. 22. IN DIE AUTEM SEXTA COLLEGERUNT CIBOS DUPLICES . . . . VENERUNT AUTEM OMNES PRINCIPES MULTITUDINIS, ET NARRAVERUNT MOYSI.] Ignorabantne hi principes, quod Moyſes præceperat, ut ſexta die mannæ copiam duplo majorem colligerent? An neſciebant eam ſextam diem fuiſſe? An denique verebantur, ne populus perperam

1 וילקטו המרבה והממעיט וימדו בעמר ולא העדיף המרבה והממעיט לא החסיר.
2 Vide Philon. l. 2. Allegor. p. 90. 91. Chryſoſt. Theodoret. Theophyl. in 2. Cor. 13. Nyſſen. vita Moſ.
3 Rabb. Salom. hic. Cornel. a Lapide, & in 2. Cor. 8. 15. Herv. Vat. ibid.

ram Moyſis mandatum intellexiſſet ? Dubium reſpicere poſſe tantum videtur rationem Legis obſervandæ, & ſenſum, qui illi erat tribuendus. Crediderunt forte, quod mandatum hoc mannam colligendi die ſexta duplo plurem, quam diebus aliis non reſpiceret priorem hebdomadam, qua decidit, ſed ſextum quemque diem ſequentium hebdomadarum. Arbitror autem hoc accidiſſe prima die, qua manna pluit. Vide verſ. 5 hujus capitis. Verum nonne præſtaret dicere circumſtantiam hanc data occaſione iſtic eſſe enarratam, ceteroquin contigiſſe aliquandiu, poſt quam manna cœpit depluere? Moyſes huc varia quædam incidenter colligit, quæ ad ſequentes tantummodo dies poſſunt pertinere; exempli gratia verſ. 21. loquitur eo pacto, ut innuere videatur, populo jam aliquot diebus ante uſum mannæ fuiſſe: verſ. 22. idem proſequitur.

℣. 23. Hoc est, quod locutus est Dominus: Requies Sabbati.] Hebræi aſſerunt, præceptum Sabbati obſervandi impoſitum fuiſſe in caſtris Mara, aliquot diebus antequam deſertum Sin aſſequerentur. Sacerdotes, & Levitæ 2. Eſdræ, qui dicitur etiam Nehemias, cap. 9. 14. fatentur, Dominum detexiſſe Sabbatum ſuum populo ſuo, quod in illos facit, qui credunt in ipſis mundi primordiis Sabbati obſervantiam conſtitutam fuiſſe; ni autem Sacerdotes, hoc in Mara contigiſſe prætereunt; ad Sinai vero factum fuiſſe dicunt. Philo de vita Moſ. l. 1. pag. 634. uti alibi oſtendimus, credit, Judæos oblitos, quanam die creationis opus Deus perfeciſſet, tunc rurſus didiciſſe; quia manna eo die minime depluit. Juſtinus lib. 36. & Tacitus hiſt. lib. 5. crediderunt, Judæos requiem Sabbati celebraſſe, ut memoriam recolerent, quod ea die laboribus, atque itineri ipſorum finis fuiſſet poſitus, quod in hac hiſtoria aliquo fundamento non caret, ubi liquet, eos accepiſſe manna, & primam Sabbati diem celebraſſe prope Sinai, qui erat primus ipſorum itineris terminus.

Quodcumque operandum est, facite; et quæ coquenda sunt, coquite.] Omne operum genus vetitum erat die Sabbati, etiam eſcas præparare; ſed omnia die ſuperiori erant præparanda.

℣. 29. Maneat unusquisque apud semetipsum.] Sabbati die nemo e caſtris egrediatur, neque ut mannam colligat, neque ut aliud quidpiam peragat. Paraphraſtes Onkelos, & Jonathan ad duo cubitorum millia die Sabbati progredi poſſe arbitrantur. Vide Exod. 20. 8. & 31. 14. Hæretici quidam proprie, ac preſſe Textus verba explicantes contendunt, tota die Sabbati in eodem loco, ſtatu, ac ſitu permanere quemque debuiſſe, in quo quiſque hujus feſtivitatis initio fuiſſet.

℣. 31. Man, quod erat, quasi semen coriandri album, gustusque ejus, quasi similæ cum melle.] Mannæ forma, ut ſuperius dictum eſt, coriandro ſimilis erat; Samaritanus textus [2]; *quaſi granum orizæ*; ſed color illius erat candidus. Candor illius comparatur ſupra candori pruinæ, verſ. 4. *in ſimilitudinem pruinæ*; & in Numeris 11. 7. bdellio: *Quaſi ſemen coriandri, coloris bdellii*. Mannæ guſtus erat ſimilis melli, vel placentæ cum melle ſubactæ. In Numeris 11. 8. ea guſtum dicitur habuiſſe *panis oleati*, vel in oleo excocti, vel cum oleo ſubacti, vel oleo aſperſi, antequam excoquatur.

℣. 32. Dixit autem Moyses: Iste est sermo, quem præcepit Dominus: Imple Gomor ex eo.] Ex ſequenti verſiculo videtur Deus mandatum hoc dediſſe Moyſi, ut opere ab Aarone adimplendum curaret.

Imple;] Fac, cura, ut impleatur. Samaritanus textus legit in plurali: *implete*. Arabica, & Syriaca verſiones per paſſivum transferunt: Impleatur gomor, ac manna plenum ſervetur.

℣. 33. Sume vas unum, et mitte ibi man... et repone coram Domino.] Septuaginta Στάμνον χρυσοῦν: *Sume vas aureum*. Author epiſtolæ ad Hebræos, ipſe quoque urnam auream ponit cap. 9. verſ. 4. *In qua urna aurea habens manna*. Rabbini quidam hebraicum צנצנת *Zinzenet* explicant de teſtaceo vaſe, vitreo, vel æreo. Alii vertunt *lancem*. Gomor manna plenum poſuit Aaron in Tentorio cœtus, vel in ipſo ſuo Tabernaculo, vel Moyſis, expectans, donec Fœderis tabernaculum construeretur. Moyſes dicens: Repone mannam hanc coram Domino, loquitur, perindeac iſtud illi mandatum fuiſſet poſt Tabernaculi conſtructionem. Hæc prolepſis eſt, inquiunt Vatablus, Eſtius, & Menochius. Manna, quæ in vaſibus Iſraelitarum putreſcens in vermes immutabatur, cum ſupra gomor collegerant, in urna hac plurium ſæculorum intervallo incorrupta permanſit.

Qualitates tum naturales, cum ſupernaturales mannæ, quas hoc perpendimus capite in figurato ſenſu referunt panem cœli, quem Jeſus Chriſtus nobis eſt elargitus, in Corporis, ac Sanguinis ſui Sacramento, ut idem ipſe nos docuit Joan. 6. 31. 49. 59. Hanc primam in manna ſuſpicimus qualitatem, quod de cœlo deſcendit juxta Scripturæ verba; atque panis ſit angelorum; qua in re nobis exhibet Chriſtum Jeſum, qui de Patris ſinu propter noſtram ſalutem deſcendit, mirabili potentiæ, & amoris effectu hominum eſca factus ſub ſpeciebus panis; qui divinus plane cibus abditam, atque ineffabilem vim, ac dulcedinem continet pro filiis Dei, ac populo electo, dum interim Hæretici, increduli, improbique Chriſtiani nihil abjectius habent, & quo majori faſtidio afficiantur; quemadmodum Iſraelitis evenit carnalibus, quibus manna, quamvis deliciis omnibus afflueret, tædium, contemptumque afferebat.

Manna decidebat noctu, eam ros proſequebatur, atque mellis ſaporem præſeferebat; quibus innuitur occulta, inviſibilis, ac myſtica ratio, qua Dei filius ſuper aras deſcendit, ut ibi digne accipientibus gratias, ac benedictiones ſuas large, effuſeque elargiatur.

Manna pluit in deſerto, populum alit. Dei imperio promiſſam terram quærentem: depluere ceſſat, ſtatim ac populus hanc terram aſſequitur, atque illius regionis fructu perfruitur. Caro, & Sanguis Filii Dei, quem in Sacramento ſumimus, nobis eſt ſolidus cibus, ac vivificans, qui in hac nos vita ſuſtentat, quæ nobis exortibus eſt iter, & exilium.

Manna, quæ humi ſupererat, ad Solem liqueſcebat, atque illi, qui nimis colligebant, in vermes immutatam in vaſibus ſuis inveniebant. Sanctiora Myſteria noſtra ſcandalum illis fiunt, & confuſio, qui periculoſa curioſitate ipſorum cupiunt profunditatem ſcrutari. Qui mannam collegerunt, pluſquam indigerent, numquam nimis habuere, qui vero minus, numquam, quod ſatis eſſet, iis defuit. In Euchariſtiæ Myſterio ii omnes, qui Jeſum Chriſtum ſumunt, æque ſumunt quoad Sacramenti ſubſtantiam; quamquam Sacramenti virtus alia admodum ſit, atque alia pro diverſitate diſpoſitionum illorum, qui ex illa participant.

Denique nobis obſervandam præbet Dominus differentiam inter mannam Iſraelitarum, & Corporis ſui, atque poſtremam hanc eſcam in immenſum attollit ſuper eam, qua in deſerto veſcebantur Iſraelitæ: videlicet illam minimum obſtare potuiſſe, quin ex ea comedentes occumberent, cum Euchariſtia, panis hic de cœlo, æternam vitam communicet.

C A-

1 Doſithæus Samarit. apud Origenem Philocalia c. 1.
2 Samarit. Ὡς σπέρμα ὀρύζης. Ita Baſil. Cod. & Druſ.

Digitized by Google

CAPUT XVII.

Iſraelitarum murmur in Raphidim. Deus educit aquas de ſaxo Horeb. Amalecitæ delentur.

v. 1. IGitur profecta omnis multitudo filiorum Iſrael de deſerto Sin per manſiones
ſuas, juxta ſermonem Domini, caſtrametati ſunt in Raphidim, ubi non erat a-
qua ad bibendum populo. 2 Qui jurgatus contra Moyſen, ait: Da nobis a-
quam, ut bibamus. Quibus reſpondit Moyſes: Quid jurgamini contra me? cur ten-
tatis Dominum? 3 Sitivit ergo ibi populus præ aquæ penuria, & murmuravit contra
Moyſen, dicens: Cur feciſti nos exire de Ægypto, ut occideres nos, & liberos no-
ſtros, ac jumenta ſiti? 4 Clamavit autem Moyſes ad Dominum, dicens: Quid faciam
populo huic? adhuc paululum, & lapidabit me. 5 Et ait Dominus ad Moyſen: An-
tecede populum, & ſume tecum de ſenioribus Iſrael: & virgam, qua percuſſiſti flu-
vium, tolle in manu tua, & vade. 6 En ego ſtabo ibi coram te, ſuper petram Ho-
reb: percutieſque petram, & exibit ex ea aqua, ut bibat populus. Fecit Moyſes ita
coram ſenioribus Iſrael: 7 Et vocavit nomen loci illius, Tentatio, propter jurgium
filiorum Iſrael, & quia tentaverunt Dominum, dicentes: Eſtne Dominus in nobis, an
non? 8 Venit autem Amalec, & pugnabat contra Iſrael in Raphidim. 9 Dixitque
Moyſes ad Joſue: Elige viros: & egreſſus, pugna contra Amalec: cras ego ſtabo in
vertice collis, habens virgam Dei in manu mea. 10 Fecit Joſue, ut locutus erat Moy-
ſes, & pugnavit contra Amalec: Moyſes autem, & Aaron, & Hur aſcenderunt ſuper
verticem collis. 11 Cumque levaret Moyſes manus, vincebat Iſrael: ſin autem pau-
lulum remiſiſſet, ſuperabat Amalec. 12 Manus autem Moyſi erant graves: ſumentes
igitur lapidem, poſuerunt ſubter eum, in quo ſedit; Aaron autem, & Hur ſuſtentabant
manus ejus ex utraque parte. Et factum eſt, ut manus illius non laſſarentur uſque ad
occaſum Solis. 13 Fugavitque Joſue Amalec, & populum ejus in ore gladii. 14 Di-
xit autem Dominus ad Moyſen: Scribe hoc ob monimentum in libro, & trade auribus
Joſue: delebo enim memoriam Amalec ſub cœlo. 15 Ædificavitque Moyſes altare:
& vocavit nomen ejus, Dominus exultatio mea, dicens: 16 Quia manus ſolii Domi-
ni, & bellum Domini erit contra Amalec, a generatione in generationem.

℣. 1. DE DESERTO SIN .... CASTRAMETATI SUNT IN RAPHIDIM.] De deſerto Sin Iſraelitæ venerunt Dapheam, ut adnotatur Numerorum capite 33. 11. & de Daphea in Raphidim. Quidam ponunt etiam *Mara* inter Dapheam, & Raphidim. Moyſes non retulit hanc ſtationem; quia plane erant in deſerto Sin, de quo locutus eſt, neque aliquid memoriæ dignum contigerat.

℣. 2. QUID JURGAMINI CONTRA ME? CUR TENTATIS DOMINUM?] Cur me impetitis obmurmurationibus veſtris, quemadmodum ſi de potentia, ac bonitate Dei ambigeretis? cur ad illum minime voſmet convertitis? Dubium, ac tentatio de potentia Dei referuntur verſ. 7. *Eſtne Dominus in nobis, an non?*

℣. 5. VIRGAM, QUA PERCUSSISTI FLUVIUM, TOLLE.] Scriptura non retulit, quod Moyſes mare rubrum percuſſerit, ſed tantum extendiſſe virgam ſuam ſuper aquas, ut eaſdem divideret. Itaque hic mare minime intelligi poteſt pro *fluvio*, uti nonnulli malA lent: Vide Menochium; ſed de Nilo hic ſermo eſt.

℣. 6. STABO IBI CORAM TE SUPER PETRAM HOREB.] Septuaginta [1], Philo, aliique legunt: *Ego ſteti ſuper petram, antequam venireris*. Deus præterito exprimit tempore, quod facturus erat. Hebraicus textus [2] transferri poteſt: *Ego ſum coram te*; vel: *Ego ſum ante te*. Ego ibi apparebo ſimul ac tu illuc adveneris; tu me videbis ſuper petram ſtatutam; vel generatim, petram montis Horeb, quem Deus deſignare debebat Moyſi pro gloriæ ſuæ apparitione, atque ut inde aquam eliceret. Perge, inquit, ad montem Horeb, ibi tibi rupem oſtendam, ut inde aquam educas. Arabice [1] Ego extollam ſignum ante te. Mons Horeb prope erat, atque ad B occaſum Sinai. Hic viderat Moyſes rubum ardentem; atque miſſionem acceperat, ut de Ægypto Iſraelitas educeret. Rupes Horeb Moyſi cognita eſſe debebat, & admodum caſtris Sinai proxima, ubi multos dies populus eſt immoratus. Fons, quem Moyſes de rupe elicoit, ad hanc uſque diem videtur, atque

1 [illegible]
2 הנני עמד לפניך.

que uberem reddit agrum, qui huic adjacet monti, ſi penes quoſdam viatores eſt fides. Sed alii [r] aſſerunt aquam amplius ex hac rupe non fluere. Levia tantum adſunt aquæ veſtigia, quæ olim per duodecim ora aperta perpendiculariter a ſuperiori parte ad inferiorem, unum ſuper aliud æquis diſpoſita intervallis, erumpebat. Poſtrema hæc rupes, de qua locuti ſumus, abeſt a monte Sinai circiter leucæ dimidium. Verum alii ſunt fontes in Horeb. Vide ſupra c. 3. ℣. 1.

S. Paulus 1. Cor. 10. 4. obſervat, Petram hanc fuiſſe figuram Jeſu Chriſti, & aquam, quæ defluebat, Iſraelitas in ipſorum itinere fuiſſe ſubſecutam: *Bibebant de ſpirituali conſequente eos petra. Petra autem erat Chriſtus.* Aliqui Divi Pauli explicant verba dicentes, quod Petræ aqua Iſraelitas ſequebatur, quia hi ex ea in itinere ſuo deferebant; eodem ferme pacto quo poſt Regem Perſarum Choaſpis aqua ferebatur, ex qua una plerumque Rex ipſe bibebat. Ælianus porro hiſtor. l. 12. c. 40. iiſdem fere vocibus ad id ſignificandum utitur, quibus uſus eſt Paulus, cum ait, quod *aquæ ſemper Regem Perſidis conſequebantur*. Sed hæc explicatio litteræ adverſari videtur. Quomodo enim potuiſſent diutius adeo deferre, ac adeo longinquius aquam haurire, quæ tot hominibus, armentiſque ſufficeret? Fieri quidem potuit, ut ex illa in quaſdam Sinai proximas ſtationes detulerint, ſed idem fieri nequaquam potuit uſque ad Cadeſbarnè.

Ii vero, qui S. Pauli verba explicaturi contendunt, aquam eos fuiſſe conſecutam, ſcilicet, Deum illis in omni occaſione aquam oſtendiſſe, minimum advertunt, quod S. Paulus non ait ſimpliciter *aquam*, ſed *aquam Petra* eos ſecutam fuiſſe. Quod non niſi de petra Horeb eſt intelligendum. Videtur autem naturaliter interpretari poſſe Apoſtoli verba, dicendo, Hebreos ſubſecutos fuiſſe flumen, quod efformabant aquæ Horeb, ad eum uſque locum, qua in mare defluebat. Uſſerius credit ad Aſiongaber aquas has defeciſſe. Vetus eſt Hebræorum traditio, aquam hanc numquam illis defuiſſe totis itineris illorum annis quadraginta; ſed quod aſſerunt, refellitur ab iis, quæ leguntur *Num. 20.* 1. 2. de murmure populorum aqua carentium. Vide locum hunc.

Hebræorum nonnulli credunt, petram, quam Moyſes percuſſerat, plauſtro impoſitam per Deſertum quocumque devectam fuiſſe, abſque eo quod aqua inde perenniter fluens uſpiam deficeret. S. Chryſoſtomus, Ambroſiaſter, & Photius apud Oecumenium, D. Thomas in 1. Cor. 10. 4. Cantacuzenus in Sap. 11. 4. idem videntur innuere. Addunt præterea Hebræi, aquam Mariæ Moyſis ſororis meritis permiſſam ſtatim a mortu illius ceſſaſſe; columnam luminis poſt Aaronis obitum evanuiſſe, & mannam poſt deceſſum Moyſis non amplius fuiſſe delapſam.

℣. 7. VOCAVIT NOMEN LOCI ILLIUS, TENTATIO, PROPTER JURGIUM FILIORUM ISRAEL.] Hebraice: *Moyſes locum hunc appellavit Maſſa, & Meribah propter contentiones Iſraelitarum, & propter tentationem, qua tentaverunt Dominum.* *Maſſa* Hebraice ſignificat tentationem, & *Meriba*, contentionem, aut queſtum. Hæc tentatio, vel hæc contradictio, uti quoque Miraculum, quod hic narratur, alia admodum ſunt ab iis, quæ leguntur capite 20. libri Numerorum, ubi Moyſes loquitur de aquis contradictionis.

℣. 8. VENIT AUTEM AMALEC.] Amalecitæ ab Amalec originem duxerant, filio Eliphas, qui fuit primogenitus Eſau, Geneſ. 36. 12. Ipſorum regio erat in finibus Chananæorum, atque Idumæorum in Arabia Petræa verſus mare rubrum. Regionis illius extenſio, vel limites non ſatis exacte conſtitui poſſunt.

℣. 9. CRAS EGO STABO IN VERTICE COLLIS;] In ſuperiori montis parte, ad cujus radices Iſraelitæ fuerant caſtrametati. Ipſi erant in Raphidim, propius montem Horeb; itaque montis hujus apicem occupare potuit, unde duos exercitus detegere poterat. Moyſes pollicetur, ſe in cacumen illud evaſurum cum miraculoſa virga; ut inde prælium deſpiciens, populo ferre opem queat precibus ſuis, ac virtute virgæ ſuæ, quam elatam geſtabat.

℣. 10. FECIT JOSUE, UT LOCUTUS ERAT MOYSES.] Joſue, de quo paſſim deinceps occurret ſermo, erat filius *Nun*, non autem *Nave*, uti Septuaginta, ac poſt eos Priſci vocarunt. Vox *Nun*, Hebraica non eſt, ſed Ægyptia; in hac autem lingua ſignificat Novum, aut Nilum [2]. Joſue erat ex Tribu Ephraim; primum illius nomen fuit *Oſeas*; vel quemadmodum Septuaginta legunt *Auſem*: ſed poſt victoriam, quam de Amalecitis retulit, ſemper *Jeſue* vocatur, vel *Jehoſuah* יהושע, quod Salvatorem ſignificat, atque idem eſt ac nomen *Jeſu* in Orbis terrarum Salvatoris perſona conſecratum. Ioſue adhæſit Moyſi, & plurumque *famulus Moyſis* nuncupatur. Hujus famulatus liber erat omnino, ac penitus voluntarius. Ioſue a Moyſe inſtitutus eſt, atque ſub Præceptore tanto didicit regere populum Iſrael, quam provinciam poſt Magiſtri mortem ſubiturus erat diſcipulus. Alibi oſtendemus, quo pacto Ioſue fuerit Ieſu Chriſti figura.

Heroicis Temporibus plures magnos viros invenimur, qui Heroibus adhærebant, illorumque famuli vocabantur. Hæc autem ſubmiſſio, ac obedientia amicitiæ potius erat, quam neceſſitatis. Patroclus una erat, & famulus, & omnium amicorum Achillis fideliſſimus apud Homerum Iliad. ψ. Merionem quoque hic Poeta Idomenæi famulum vocat.

℣. 11. CUMQUE LEVARET MOYSES MANUS VINCEBAT ISRAEL.] Moyſes qui extollit manus ad Cœlum, & qui hoc pacto dat victoriam Iſraelitis, eſt figura Ieſu Chriſti de Cruce pendentis, qui pro nobis victoriam obtinet de dæmone, ac morte. Actionem hanc Moyſes precibus proſequebatur. S. Hieronymus addit præterea populi jejunium uſque ad veſperam, l. 2. contra Iovinian. *adverſus Amalec, oratione Moyſi, & totius populi uſque ad veſperam jejunio dimicatum eſt*; quæ omnia opem Dei ſuper Iſrael obtinebant. Elevare, vel extendere manus in Scriptura, eſt actus orantis. Vide pſal. 27. 2. Iſai. 42. 22. Quidam [3] credunt, Moyſem utraque manu elatam tenuiſſe virgam, veluti ſignum, aut vexillum: ſed plerique [4] arbitrantur, ipſum manus ſuas diſtentas tenuiſſe in crucis formam. Hæc eſt Patrum communis ſententia, qui docent eo in ſtatu repræſentaſſe Ieſum Chriſtum de Cruce patientem. S. Barnabas in epiſtola ſua innixus veteris cujuſdam traditionis fidei, Moyſem, ait, extruxiſſe ſcutorum cumulum in monte, atque illi inſediſſe.

℣. 12. AARON, & HUR.] Aaron ſatis cognoſcitur. Hur erat filius Caleb, filii Eſron, alius a Caleb filio Iephonis. Hur filium habuit Uri, & Uri pater fuit Beſeleel 1. Paralip. 2. 19. 20. Vidimus jam, Ioſephum Antiq. l. 3. c. 3. referre, Hur virum fuiſſe Mariæ ſororis Moyſis. Alii credunt, Hur illius fuiſſe filium: ſed poſterior hæc ſententia longius quam prior, a verisſimilitudine abſcedit.

UT MANUS ILLIUS NON LASSARENTUR.] Hebræus [5] *Ut manus illius fideles permanerent*, aut conſtantes, ne mentirentur, aut laſſarentur.

℣. 14. SCRI-

[r] Murizon l. 1. c. 16. Thevenot, itinere Orientis parte 2. c. 16. p. 316.

[2] Orus Ægypt. Hieroglyph. l. 5. Hierogl. 21.

[3] Cajet. Rivet. Tir. & ex antiq. Origen. hom. 11. in Exod. & ex eo Author ſerm. 26. in Appendice tomi 5. nov. edit. S. Aug. *Moyſes quidem manus elevat, non tamen extendit &c.*

[4] Aug. Serm. 352. de temp. nov. edit. & lib. 12. contra Fauſtum c. 30. & l. 4. de Trinit. c. 15. Juſtin. Dialog. contra Tryphon. Irenæus l. 4. Nazianz. orat. ad Patrem, & Apologet. 1. & alibi, Tertull. l. 5. adverſus Marcionem c. 18. Hieron. in Oſeæ 12.

[5] ויהי ידיו אמונה. 70. Αἱ χεῖρες ἐστηριγμέναι. Aqu. Αἱ χεῖρες αὐτοῦ πίστις.

℣. 14. SCRIBE HOC OB MONIMENTUM IN LIBRO.] Vel ſcribe factum hoc in monumentis tuis, refer in annales tuos. Vel ſimpliciter: Scriptis hanc hiſtoriam manda, ut poſteritati commendetur. Moyſes nondum plane aliquid ſcripſerat. Vox libri generatim accipitur pro Tabulis, quibus tunc ſcribebatur, & pro quocumque ſcripturæ genere.

ET TRADE AURIBUS JOSUE.] Syriace: *Scribe hoc coram Joſue, & dic ei, ut reminiſcatur.* Prævidebat Deus futurum, ut Moyſi ſuccederet Joſue.

DELEBO MEMORIAM AMALEC.] Hanc prædictionem adimpletam invenimus 1. Regum 15. 3 ubi Deus imperat Saul, ut populum hunc penitus deleat. Quamquam Rex hic perperam Dei præceptum fuerit executus, tamen Amalecitæ poſt illud tempus ita cæſi fuerunt, ut ſe ſe recipere deinceps, & Iſraelitis obeſſe nequaquam potuerint; neque illorum ulla fiat mentio poſtremis Reipublicæ Judæorum temporibus. Illi cum Idumæis, & Arabibus fuere confuſi. Moyſes in Deuteronomio 25. 18. circumſtantiam memorat, quæ hic non adfertur, & quæ inviſum magis facinus Amalecitarum demonſtrat; videlicet quod ipſi eos Iſraelitarum aggreſſi fuerint, qui præ nimia laſſitudine poſt terga remanſerant; eoſque impotentes, ac inhumaniter trucidarint. Philo l. 1. de Vita Moyſis ait, Amalecitarum Regem, veritum, ne Iſraelitæ in ipſius agro omnia igni, ferroque vaſtarent, id conſilii cepiſſe, ut eos occuparet, atque ipſum copias ſuas agentem deſcendiſſe, ut illorum tranſitum præpediret, eo conſilio, ut ſi obſiſterent, eos omnibus viribus ſuis aggrederetur. Iudith c. 4. 13. 24. hunc Amalecitarum exercitum formidabilem deſcribit, ex frequenti equitatu compactum, magnaque curruum caterva, quorum milites perfectiſſimis armis erant communiti, atque ſuis viribus maxime freti.

℣. 15. ÆDIFICAVITQUE MOYSES ALTARE, ET VOCAVIT NOMEN EIUS: DOMINUS EXALTATIO MEA.] Verti poteſt: *Dominus ſignum meum*, vel, vexillum meum. Septuaginta [2], *refugium meum*. Ioſephus: *& vocavit altare, Deum victorem* [3]. Duce illo præliatus ſum, ac vici, ſub illius imperio, ac protectione. Creditur Moyſes Altare hoc ædificaſſe in ipſo monte Horeb, atque in nomine hoc, quod victoriæ ſuæ monumento tribuit, ad virgam alludere, quam dum conflictus deſæviret, elatam manibus tenuit: *Dominus* A *vexillum meum*. Joſephus, & Philo aſſerunt Moyſem cum Altare hoc extruxiſſet, hoſtias ibi immolaſſe *Evinima*, ut Deo gratias ageret ob victoriam, quam reportarat.

℣. 16. DICENS, QUIA MANUS SOLII DOMINI, ET BELLUM DOMINI ERAT CONTRA AMALEC.] Hæc locutio ſingularis eſt: aliqua ineſt difficultas, cui ſatis claram afferre lucem operoſum admodum eſt. Hebraicus textus [4] adhuc eſt obſcurior; ita autem verti poteſt: *Quia manus ſuper ſolium Domini, bellum Domini contra Amalec.* Perinde ac vellet innuere: Quandoquidem manus Amalecitarum aggreſſa eſt ſolium Domini, Dominus inferet bellum Amalec, uſque ad omnimodam internecionem. Hic plane vocat Iſrael ſolium Domini, quandoquidem illum elegerat Deus, B ut in ipſo regnaret. Septuaginta [5]: *Quia Dominus occulta manu præliatur* (modo inviſibili) *contra Amalec in omnes generationes*. Patet porro illos aliter Textum legiſſe, ac nos. Legerunt enim כסיה *ceſuiah* occultum, pro *ces jah* כס יה Solium Domini. Hæc etiam verba *manus ſuper ſolium Domini, & bellum Domini erit contra Amalec*; intelligi poſſunt, perinde ac innuere vellent, Deum elevaſſe manum ſuper ſolium ſuum, ut ſolemne ederet jusjurandum delendi Amalec. Chaldaica verſio ita explicat: Moyſes ait; *Sententia prolata eſt, vel cum juramento enunciata nomine* (Dei) *terribilis; cujus majeſtas ſedet ſuper ſolium gloriæ ſuæ, futurum ut Dei nomine bellum inferatur in Amalec*. Clericus in textu legit *nes* נס, ſignum, pro *ces* כס ſolium. Litterarum Hebraicarum C *nun*, & *caph* differentia minima eſt. Juxta conjecturam hanc locus iſte hoc pacto explicari poteſt: Quia Amalec elevavit manum ſuam, contra ſignum, (contra vexillum) Domini, manus Domini ſemper contra Amalec elevabitur: *Quia manus contra vexillum Domini, bellum Domini in Amalec.* Senſus hic ſatis eſt aptus, & complectitur alluſionem inter minas Domini, ac nomen Altaris, quod Moyſes poſt victoriam conſtituit, appellavitque: *Dominus vexillum meum*. Caſtallionæus idem animadverterat in verbo *ces*, pro *nes* uſurpato; ſed hunc alium ſenſum textui tribuerat: *Dominus accepit vexillum manu, ut in perpetuum deleret Amalecitas*; veluti Imperator, qui infeſto agmine in hoſtes progreditur, vexillum manu præſeferens.

1 יהוה נסי
2 Κύριος καταφυγή μου. 3 Νικαῖον ὀνομάσας τὸν Θεόν.
4 כי יד על כס יה מלחמה ליהוה בעמלק מדר דר
5 Ὅτι ἐν χειρὶ κρυφαίᾳ πολεμεῖ Κύριος ἐπὶ Ἀμαλὴκ ἀπὸ γενεῶν εἰς γενεάς.

CAPUT XVIII.

Adventus Jethro in caſtra Iſraelitarum. Moyſes illius conſilio judices minores conſtituit, ac Populi magiſtratus.

1. Cumque audiſſet Jethro, ſacerdos Madian, cognatus Moyſi, omnia, quæ fecerat Deus Moyſi, & Iſraeli populo ſuo, & quod eduxiſſet Dominus Iſrael de Ægypto: 2 Tulit Sephoram uxorem Moyſi, quam remiſerat: 3 Et duos filios ejus: quorum unus vocabatur Gerſam, dicente patre: Advena fui in terra aliena. 4 Alter vero Eliezer; Deus enim, ait, patris mei adjutor meus, & eruit me de gladio Pharaonis. 5 Venit ergo Jethro cognatus Moyſi, & filii ejus, & uxor ejus, ad Moyſen in deſertum, ubi erat caſtrametatus juxta montem Dei. 6 Et mandavit Moyſi, dicens: Ego Jethro cognatus tuus venio ad te, & uxor tua, & duo filii tui cum ea. 7 Qui egreſſus in occurſum cognati ſui, adoravit, & oſculatus eſt eum: ſalutaveruntque ſe mutuo verbis pacificis. Cumque intraſſet tabernaculum, 8 Narravit Moyſes cognato ſuo cuncta, quæ fecerat Dominus Pharaoni, & Ægyptiis propter Iſrael, univerſumque

que laborem, qui accidiſſet eis in itinere, & quod liberaverat eos Dominus. 9 Lætatuſ-
que eſt Jethro ſuper omnibus bonis, quæ fecerat Dominus Iſraeli, eo quod eruiſſet eum
de manu Ægyptiorum. 10 Et ait: Benedictus Dominus, qui liberavit vos de manu Æ-
gyptiorum, & de manu Pharaonis qui eruit populum ſuum de manu Ægypti. 11 Nunc
cognovi, quia magnus Dominus ſuper omnes deos: eo quod ſuperbe egerint contra il-
los. 12 Obtulit ergo Jethro cognatus Moyſi holocauſta, & hoſtias Deo: veneruntque
Aaron, & omnes ſeniores Iſrael, ut comederent panem cum eo coram Deo. 13 Alte-
ra autem die ſedit Moyſes, ut judicaret populum, qui aſſiſtebat Moyſi a mane uſque ad
veſperam, 14 Quod cum vidiſſet cognatus ejus, omnia ſcilicet, quæ agebat in populo,
ait: Quid eſt hoc, quod facis in plebe? cur ſolus ſedes, & omnis populus præſtolatur
de mane uſque ad veſperam? 15 Cui reſpondit Moyſes: Venit ad me populus quærens
ſententiam Dei. 16 Cumque acciderit eis aliqua diſceptatio, veniunt ad me, ut judi-
cem inter eos, & oſtendam præcepta Dei, & leges ejus. 17 At ille: Non bonam, in-
quit, rem facis. 18 Stulto labore conſumeris & tu, & populus iſte, qui tecum eſt:
ultra vires tuas eſt negotium, ſolus illud non poteris ſuſtinere. 19 Sed audi verba mea,
atque conſilia, & erit Deus tecum. Eſto tu populo in his, quæ ad Deum pertinent, ut
referas, quæ dicuntur ad eum: 20 Oſtendaſque populo cæremonias, & ritum colendi,
viamque, per quam ingredi debeant, & opus, quod facere debeant. 21 Provide au-
tem de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui ode-
rint avaritiam, & conſtitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & de-
canos. 22 Qui judicent populum omni tempore: quidquid autem majus fuerit, referant
ad te, & ipſi minora tantummodo judicent: leviuſque ſit tibi, partito in alios onere.
23 Si hoc feceris, implebis imperium Dei, & præcepta ejus poteris ſuſtentare: & omnis
hic populus revertetur ad loca ſua cum pace. 24 Quibus auditis, Moyſes fecit omnia:
quæ ille ſuggeſſerat; 25 Et electis viris ſtrenuis de cuncto Iſrael, conſtituit eos princi-
pes populi, tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos: 26 Qui judi-
cabant plebem omni tempore: quidquid autem gravius erat, referebant ad eum, faci-
liora tantummodo judicantes. 27 Dimiſitque cognatum ſuum: qui reverſus abiit in ter-
ram ſuam.

℣. 1. JETHRO SACERDOS MADIAN, COGNATUS MOYSI.] Quinam eſſet Jethro, perpendimus Exod. 2. 18. an idem eſſet ac Raguel, & an ſocer eſſet Moyſis. Hebraicum [1] *Choten pro ſocero* a Septuaginta vertitur, & a Symmacho; ſed Aquila legit, *qui præſidet connubiis*. S. Hieronymus uſus eſt nomine *cognati*, quod generatim conſanguineum ſignificat.

Creditur adventus Jethro hic extra ſuum locum referri, atque ipſum adveniſſe tantum ſub finem anni primi poſt exitum de Ægypto, cum jam Tabernaculum eſſet conſtructu, & Hebræorum Reſpublica civili, ac ſacro regimine eſſet conſtituta. Iethru inviſit Moyſen cum Sephora, quæ in Madian fuerat reverſa poſt Angeli occurſum, qui Eliezerum filium ipſius erat interfecturus. Sententia hæc innititur I. verſiculo quinto hujus capitis, ubi dicitur Iethro in caſtra veniſſe, cum caſtra eſſent poſita prope montem Domini: *Venit Jethro ad Moyſen in deſertum .... ubi erat caſtrametatus juxta montem Dei*. II. In Deuteronomio c. 1. ℣. 6. 9. 10. 15. Moyſes narrat ſe, cum in proximo eſſet, ut a Monte Sinai moveret caſtra, populo dixiſſe, ſe non poſſe amplius ſolum regiminis labores ferre; atque tunc conſtituiſſe judices minores, ut in tanta negotiorum cura pondere aliquo levaretur. Quod fecit, conſilio Iethro adhærens, uti refertur ℣. 21. III. In Numerorum libro 10. 29. cum nubes ſeſe elevaſſet, & populus iter eſſet aggreſſurus, videmus Moyſen orare Hobab, qui idem, ac A Iethro fuiſſe exiſtimatur, ne Iſraelitas deſerat, ſed ut cum ipſis permaneat, ut ipſis dux ſit in deſerto. Videtur igitur narratio hæc de adventu Iethro collocari poſſe capite 10. Numerorum inter decimum verſiculum, atque undecimum. IV. Adnotari poteſt, paulo poſtquam populus de Sinai moveret caſtra, quæſtionem ortam eſſe inter Aaronem, Mariam, ac Sephoram duodecimo Numerorum capite enarratam, ex quo licet conjicere non magnum abiiſſe temporis intervallum, ex quo Sephora in caſtra pervenerat. V. Denique in Moyſis ſermone ad Iethro ℣. 16. capitis hujus, Moyſes loquitur de Legibus, & præceptis Domini, veluti jam in vulgus editis.

℣. 2. TULIT SEPHORAM UXOREM MOYSI, QUAM REMISERAT [2].] S. Epiphanius hæreſ. 78. aſſerit B Moyſen cælibem vixiſſe, ex quo Deus illi ſe prodidit, atque illi prophetiæ donum conceſſit. Quidam credunt, Sephoram a Moyſe fuiſſe repudiatam. Vide Num. 12. 1. Alii ita textum Hebraicum transferunt: *Jethro reduxit Sephoram, poſtquam Moyſes ad ipſum munera miſiſſet*. Ita Fagius, & Vatablus.

℣. 7. CUMQUE INTRASSET TABERNACULUM.] Ingreſſus eſt plane confeſtim Tabernaculum Domini, quod jam ædificatum fuiſſe ſupponitur; & deinde Moyſes illum in Tabernaculum ſuum introduxit.

℣. 9. LÆTATUS EST IETHRO.] Septuaginta [3] magnitudinem gaudii illius ſignificant, dicentes, illud præ lætitia ſui compotem non fuiſſe, extra ſe raptum atque ſtupore perculſum [4].

℣. 11. Eo

1 חתן. 70. Γαμβρός. Sym. Πενθερός. Aqu. Νυμφευτής.
2 אחר שלוחיה
3 Ἐξέστη.
4 ויחד

℣. 11. EO QUOD SUPERBE EGERINT CONTRA ILLOS.] Hebræus [1] ad litteram; *quia in re, in qua ipſi elevati ſunt contra illos*. Hæc ratio loquendi conciſa nimis ſuſpenſum reddit ſenſum, atque indefinitum, & neceſſario res aliqua ſupplenda eſt. Septuaginta [2] vertunt: *Fateor Deum, præ cæteris Diis maximum eſſe, quia hi illis impoſuerunt &c.: vel, quia ipſi elevati ſunt contra illos*. Chaldaica lectio ita explicat: *Agnoſco Dominum eſſe magnum, quia judicavit* (vel mulctavit) *Ægyptios in eadem re, qua uti volebant in Iſrael*. Syriaca vertit: *Nunc cognoſco, Dominum elevatum eſſe ſuper omnes Deos propter conſilium quod illi in Iſraelem inierunt*; perinde ac innueret: Cognoſco magnitudinem Dei, in eo conſilio, quod permiſit, Ægyptios inire adverſus Iſrael, quia eorum prava conſilia in eorumdem exitium convertit. Hebraicus textus in hunc quoque modum poſſet intelligi: Quia illi ſuperati fuerunt in eo, in quo nimium ſe ipſos evehebant. Ægyptii virium ſuarum magnitudine elati, ac armorum ſuorum virtute, & magno curruum numero, ſapientiam ſuam jactitabant: Deus prodigiis ſuis illos afflixit; eorum currus ſubmerſit, arma ſubvertit; Sapientes, & Magos confudit. Nonnulli [3] ita explicant: Ut illi ſubmerſerunt Hebræorum filios, ita eos Deus in rubro mari ſubmerſit.

℣. 12. OBTULIT ERGO JETHRO ... HOLOCAUSTA, ET HOSTIAS DEO.] Hebræus [4] habet: *Accepit holocauſta, & victimas pro Domino*; ſcilicet accepit de manu Moyſis, aut alius cujuſpiam, animalia, quæ immolavit Domino. Vel ſimpliciter, accepit, & immolavit hoſtias Domino. Interpretes quidam [5] contendunt, Jethro non immolaſſe has victimas, ſed obtuliſſe Aaroni, ut hic nomine ipſius Deo Iſrael ſacrificaret: Sed plerique [6], pugnant in contrarium, & aſſerunt Jethro per ſe ipſum ſacrificium illud abſolviſſe. Nulla adeſt ratio, quæ probet ipſum idololatram fuiſſe; at vero non fuiſſe, haud inanes probant conjecturæ. Moyſes Exod. 2. 16. docet ipſum fuiſſe Sacerdotem Madian; atque mihi perſuaſum eſt ipſum vero Deo fuiſſe famulatum. Verum quidem eſt, eos, qui aiunt ipſum per ſe ſacrificaſſe, ſupponere, tunc tabernaculum fœderis nondum fuiſſe ædificatum, neque Sacerdotium in familia Aaronis conſtitutum. Verum contrarium probare adniſi ſumus priori capitis hujus verſiculo; neque ideo minus verum eſt, hic Sacerdotis munera Jethro functum fuiſſe. Neque enim ceor, ipſum, quippe advenam, obnoxium fuiſſe Legi, quæ Aaroni dumtaxat Sacrificia Domino offerendi jus deferabat.

UT COMEDERENT PANEM CUM EO CORAM DEO.] Pietatis convivium celebrarunt cum immolatarum victimarum carnibus, quæ de holocauſtis non erant. S. Auguſtinus qu. 60. Vatablus, Fagius, aliique qui credunt, nondum Tabernaculum tunc extructum fuiſſe, hæc verba *coram Deo* explicant in honorem Domini.

℣. 15. VENIT AD ME POPULUS QUÆRENS SENTENTIAM DEI.] Hebræus [7]: Venit ut quæreret Deum: Septuaginta [8], *ut poſceret judicium ex parte Dei*, vel, ex ore Dei; Syriace, ut poſceret, quid placeat Deo, ut eum interrogaret; duo Interpretes Chaldæi; ut poſceret documenta ex parte Dei. Moyſes cum eſſet Propheta, judicabat, ac ſententias ferebat juxta Leges Dei, quarum erat Interpres. Supponimus autem, uti dictum eſt, tunc temporis legem jam tra-

A ditam fuiſſe, & Tabernaculum ædificatum. Sanctus Auguſtinus quæſt. 66. in Exod. qui adverſæ favebat ſententiæ, dicit, Moyſen tunc conſuluiſſe æternam Legem in imo cordis ſui impreſſam, ut populum judicaret, cum poſſibile nequaquam ſit, ut in ſingularibus quibuſque occaſionibus opus fuerit, ſemper confugere ad extraordinarias revelationes.

℣. 18. STULTO LABORE CONSUMERIS.] Hebraicus textus נבל תבול plures admittere poteſt explicationes. Septuaginta [9]: intolerabili labore conſumeris: opus ſuſcepiſti, quod perficere nequaquam poteris. Alii ita vertunt: *cadendo cades*: tu proculdubio tanto labore ſuccumbes. Alii: *Marceſcendo marceſces*: Tædio, ac moleſtia afficieris. Alii, *deficiendo deficies*; Conſilium hoc derelinquere cogeris. Syriaca: B tu te certe ignominiæ objeciſti. Moyſes hic humilitatem ſuam oſtendit, ſuamque ſolidam ſapientiam, cum ſe admoneri paſſus ſit ab homine, qui dubio procul non æqua ac ipſe callebat. Eum porro hæc ſapientis verba commendant Prov. 1. 5. Audiens ſapiens ſapientior erit.

℣. 19. ESTO TU POPULO IN IIS, QUÆ AD DEUM PERTINENT, UT REFERAS, QUÆ DICUNTUR AD EUM.] Hebræus [10]: *Eſto tu populo coram Deo*: Eſto interpres precum populi ad Dominum; populus hic ad te dirigatur, & tu mediator ſis illius apud Deum; & referas ad Deum verba populi: Conſule Deum de iis, quæ ex te populus quæret. Hic eſt ſenſus verſionum Chaldaicæ, Syriacæ, & Arabicæ. Tibi rerum earum, quæ Religionem reſpiciunt, curam, atque C Legis interpretationem reſerva: verbo, quod ad Deum directe ſpectat, & quod divino lumine, ac ſupernaturali indiget inſpiratione. Hoc autem in verſiculo ſequenti refertur.

℣. 20. OSTENDASQUE POPULO CEREMONIAS, ET RITUM COLENDI.] Hebræus [11]: *Explicabis populo præcepta, & leges*. Prior vox ſignificare videtur ceremonialia præcepta, & judicialia, altera vero leges morales.

℣. 21. VIROS POTENTES.] Eos *firmos* appellat ℣. 25. Autographi vocabula אנשי חיל ſignificare poſſunt homines generoſos, vel viribus, ac virtute præditos, conſtantes, firmos, atque in bono immobiles. Vide Geneſ. 47. 6. In Deuteronomio 1. 13. Eos *Viros ſapientes, & gnaros* vocat. Hebraicæ voces D verti quoque poſſunt, divites, ac potentes. Ita Grotius. Non enim parum intereſt, utrum Iudex ſit dives; ipſe enim minus avidus eſt, minus timidus, minus facilis, qui ſe corrumpi ſinat; magis conſtans, magis ab utilitatis amore alienus, magiſque aptus, qui nefariorum hominum facinoribus obſiſtat, & innocentiam, ac juſtitiam tueatur.

Indi regimen ditioribus deferebant, ut referunt Plinius l. 16. c. 19. & Solinus c. 60. Solon legem rogarat, ne ad Magiſtratus aſſumerentur niſi qui magis in Republica opibus florerent teſte Plutarcho in Solone & Ariſtotele l. 3. Politic. c. 10. Pœnis eadem erat conſuetudo, quam ob rem ab Ariſtotele commendantur Politic. l. 3. c. 9. Lacedæmones vero damnat l. 2. c. 9. Polit. eo quod ad Reipublicæ gradus nimis egenos evehebant. Scipioni numquam placuit, ut in Hiſpaniam mitteretur vel Servius Sulpicius, vel Aurelius Cotta, quod alteri nihil ſuppeteret; alteri nihil ſufficeret. Valer. Max. l. 6. c. 4. *Neutrum mihi mitti placet: quia alter nihil habet, alteri nihil ſatis.*

1 כי בדבר אשר זדו עליהם
2 Ἕνεκα τούτου ὅτι ἐπέθεντο αὐτοῖς. Alii: Ὑπερηφανεύσαντο. Superbierunt.
3 Abenezra, Vatablus, Munſterus, Fagius.
4 ויקח יתרו עלה וזבחים לאלהים
5 Hugo Card. Valter. &c.
6 Menoch. Janſen. Marius, Junius, Druſius &c.
7 לדרש אלהים
8 Ἐκζητῆσαι κρίσιν παρὰ τοῦ Θεοῦ.
9 Φθορᾷ καταφθαρήσῃ ἀνυπομονήτῳ.
10 היה אתה לעם מול האלהים והבאת אתה את הדברים אל האלהים
11 חקים ואת התורות

Digitized by Google

tis eſt. Sapiens in Proverbiis 28. 16. juxta Græcam lectionem habet: *Qui caret bonis, major eſt calumniator*; & in Iſaia 3. 7. ille, quem ſibi principem volebant aſſumere, ait: *In domo mea non eſt panis, neque veſtimentum, nolite me conſtituere principem populi*, Vide Eccle. 10. 6. & 20. ubi dives pro magiſtratu uſurpatur.

IN QUIBUS EST VERITAS.] Quos juſtos viros, & æquos agnoſcis; fideles homines, & ſinceros. Septuaginta: homines juſtos.

QUI ODERINT AVARITIAM.] Septuaginta [1]: *Qui oderint ſuperbiam*. Syriaca lectio, *munera, & fraudes*. Duo Chaldæi: Qui ſint incorruptibiles, qui argento ſe corrumpi non ſinant. Hebraicum בצע *Beza* ſignificat avaritiam, & omnes illicitos quæſtus.

℣. 23. SI HOC FECERIS, IMPLEBIS IMPERIUM DEI, ET PRÆCEPTA EIUS POTERIS SUSTENTARE.] Hebraicus textus ad litteram translatus hæc habet: *Si facere volueris, quod tibi ſuadeo, atque ſi Dominus id tibi præcipit* [2], *laborem hunc poteris ferre*. Jethro non exigit, ut Moyſes ipſius monita auſcultet, niſi prius Dei voluntatem conſuluerit. Syriaca verſio, ac Septuaginta [3] ita explicant: *Si meum conſilium amplexus fueris, Deus ſuſtentabit te, atque tu ſubſiſtere poteris* (oneri ferendo eris, quod ſubiiſti)

ET OMNIS HIC POPULUS REVERTETUR AD LOCA SUA CUM PACE.] Quin expectare cogatur a mane, uſque ad veſperam [4]. Textus alium quoque ſenſum pati poteſt: *& feliciter pervenies tu, quo contendis*: videlicet in terram Chanaan.

℣. 25. CONSTITUIT EOS PRINCIPES POPULI TRIBUNOS, ET CENTURIONES, ET QUINQUAGENARIOS, ET DECANOS.] Hebraice ad litteram: *Conſtituit eos capita populi, Principes* (virorum) *mille, Principes centum, Principes quinquaginta, Principes decem*. Vel: *Conſtituit capita ſuper populum, ſuper millenos, centenos, quinquagenos, & denos*. Verſiones Orientales ſenſum hujus loci in eadem ambiguitate relinquunt, ac in Hebraico: ſed Septuaginta, & Ioſephus determinant hunc ſenſum, eo pacto, quo primum expoſuimus: ita ut Moyſes non conſtituat hic numerum Judicum, aut Præfectorum, ſed tantum illorum munus, & hominum numerum ab ipſis judicandorum; & hæc explicatio juſtior, & communior videtur. Quædam Græca exemplaria addunt quoſdam miniſtros, quos vocant Γραμματοεισαγωγεῖς *Grammatoiſagogeis*; Scribas verteres: ad litteram: *Scriptorum Introductores*, qui Judicibus præſentabant poſtulata, vel partium reſponſa ſcriptis exarata. Hoc autem ex Deuteronomio deſumptum eſt cap. 1. 15. ubi Moyſes enarrans, quæ hoc in loco feciſſet, ait, a ſe conſtitutos fuiſſe Principes virorum mille, centum, quinquaginta, ac decem, ac præter hos, & *Schoterim*, quos plerique vertunt *Lictores*, vel Janitores, quod hic non legitur, & Septuaginta ſupplevere. Textus Samaritanus huc adfert decem verſiculos integros, qui ſunt in Deuteronomii cap. 1. a verſ. 9. ad 19.

Joſephus lib. 3. Antiquit. cap. 3. credit, Moyſen diviſiſſe populum in plures turmas decem mille virorum, quarum quælibet in alias diviſa eſſet virorum mille, quingentorum, centum, quinquaginta, triginta, viginti, & decem; & ſingulis his copiis præfeciſſe caput, qui nomen ſuum a numero eorum, qui ipſi audientes eſſent, deſumebant. Ita ut recenſentes numerum Judicum, aut Præfectorum, quos Moyſes conſtituit, juxta mentem Joſephi, progrederemur uſque ad centum viginti novem mille, octingenta, ac ſeaaginta capita. Verum aliam ſupputandi rationem ineuntes in numero ſexcentorum mille hominum, qui de Ægypto egreſſi fuerunt, *ſexcentos* inveniemus Principes virorum mille; ſex mille principes virorum centum, *duodecim mille* principes virorum quinquaginta; & *ſexaginta mille* Decuriones, ſeu principes virorum decem: in ſumma *ſeptuaginta octo mille, & ſexcentos* miniſtros, juxta Talmudiſtas.

Abenezra rem aliter ſumit. Credit numerum hunc capitum populi nimis magnum eſſe; atque dicendum eſſe in ſingulis ceibubus cœtum conſtitutum fuiſſe mille Judicum, alium vero centum, tertium quinquaginta, quartum decem, nulla habita ratione hominum, qui Tribus componerent, atque a Tribunis his judicarentur.

Alii putant, nomina hæc *capita mille, capita centum* &c. haud eſſe preſſius intelligenda, perinde ac ſi hæc capita mille tantum ſub imperio habuerint, vel centum; ſed populum primo diviſum fuiſſe in Tribus, deinde in magnas familias, quæ erant particularium familiarum ſtipites. Magnæ illæ familiæ caput habebant, qui princeps dicebatur virorum mille, cui ſuberant alii quidam miniſtri, qui principes centum, aut quinquaginta vocabantur pro familiarum particularium numero, ac hominum, qui illorum dicto parebant. Occurrunt in Scriptura urbes quædam, urbes mille nuncupatæ [5]; propterea quod profecto ipſæ veluti Metropoles erant, quibus aliæ minores urbes ſubdebantur, quæ veluti ipſarum coloniæ habebantur, & filiæ, vel quia ſatis erant magnæ, cum haberent caput virorum mille.

℣. 26. QUI JUDICABANT PLEBEM OMNI TEMPORE: QUIDQUID AUTEM GRAVIUS ERAT, REFEREBANT AD EUM.] Plures aſſerunt judices hos Moyſi ſubditos in rebus mere civilibus, ac temporalibus dumtaxat tuliſſe judicium, ad Moyſem vero legaſſe quidquid ad Religionem ſpectaret. Sententia hæc innititur præſertim verſ. 19. *Eſto tu populo in his, quæ pertinent ad Deum*. Sed hic Scriptura nihil interfuiſſe aliud ait inter authoritatem Moyſis, aliorumque judicum, niſi quod Legiſlatori huic reſervabatur maximarum, difficillimarumque rerum judicium, ſeu Religionem, ſeu Politicum regimen reſpicerent. Credibile eſt, poſt Legem ſubalternos Judices juxta Legem hanc judicaſſe in iis omnibus cauſis, quæ ad eos deferebantur, quæcumque illæ forent, & ad Moyſem eas tantummodo cauſas miſiſſe, quæ impeditiores eſſent, & quarum deciſio non ſatis palam in Lege reperiretur. Quatuor plerumque diſtinguuntur [6] cauſarum genera, quæ Moyſi eſſent reſervata. Primo, ea, quæ Deum, ac Religionem reſpicerent. Secundo, ea, in quibus juris ſeveritas æquitate eſſet delinienda. Tertio, cauſæ capitis, ubi de mortis ſupplicio ageretur. Quarto, provocationes a ſubalternis judicibus ad Moyſem. Non liquet ex Scriptura, provocari conſueviſſe ab inferioribus Tribunalibus, ad ſuperiora; exempli gratia a tribunali capitis centum, ad tribunal Principis mille; ſed cujuſcumque Iudicis provocationes ad Moyſem immediate deferebantur. Hæc tamen eſt Ioſephi mens Antiq. lib. 3. cap. 3. ad Principes populi delatas fuiſſe cauſas, quas inferiores judices judicare non potuerant, Sed Moyſes nihil hic ſimile præcipit.

℣. 27. DIMISITQUE COGNATUM SUUM.] Locus hic adverſari videtur libro Numerorum cap. 10. 29. ubi Moyſes orat Iethro, vel Hobab ſocerum ſuum, ut in Iſraelitarum ſocietate permaneat, illiſque dux

1 Μισοῦντας ὑπερηφανίαν. Alius, πλεονεξίαν.
2 וצוך אלהים.
3 Ἐὰν δὲ τὸ ῥῆμα τοῦτο ποιήσῃς, καὶ κατισχύσει σε ὁ Θεός, καὶ δυνήσῃ παραστῆναι.
4 ℣. 13. *Cur ſolus ſedes, & omnis populus præſtolatur de mane uſque ad veſperam.*
5 Mich. 5. 2. *Et tu Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda*. Vide & Matth. 2. 6.
6 Abulenſ. in Exod. 18. q. 11. Salian. an. 2544. Petr. Comeſtor. in hiſtor. Scholaſt. l. 2. c. 37.

ſit in deſerto. Hobab confeſtim cauſatur ; ſed ex decurſu patet, ipſum precibus Moyſis victum ceſſiſſe, quamquam id aperte non referatur. Nam in ſacra Judicum hiſtoria cap. 1. 16. videmus Cinæos, qui creduntur eſſe poſteri Hobab, ingreſſos eſſe cum Iſraelitis in terram promiſſam, atque in terra hac partem ſuam obtinuiſſe.

Ut loci hi inter ſe concilientur, dici poteſt ; primo, Jethro, cum in Iſraelitarum caſtra veniſſet, poſtquam illi ad montem Sinai acceſſerunt, quamprimum inde fuiſſe reverſum, uti hic adnotatur ; ac deinde cum iterum in caſtra profectus eſſet, ibique tunc temporis adfuiſſet, cum caſtra moverentur, ut in promiſſam terram ingrederentur, a Moyſe precibus coactum fuiſſe, ut in illo itinere ſequeretur Iſrael, quemadmodum in lib. Num. adfertur.

Secundo, poteſt quoque aſſeri verſ. 27. hujus capitis hic eſſe extra locum ſuum, atque hoc pacto eſſe intelligendum : Iethro non permanſit jugiter cum A Moyſe ; & cum Iſraelitæ caſtra moverunt a Sinai, (Numer. 10. 29.) Moyſes illud relinquere debuit, & pati, ut in regionem ſuam reverteretur. Alii credunt, ea, quæ referuntur in Numeris, hic, veluti in naturali ſuo loco eſſe collocanda ; & profecto ex Moyſis prece, qua orat Jethro, ut populo ſuo in deſerti itinere dux eſſe velit, conjicere licet, Iethro noluiſſe reverti, niſi cum Iſraelitas jam jam a Sinai moventes caſtra conſpexiſſet.

Tertio, alii [1] aliam proponunt hypotheſim, quæ ſatis juſta videtur. Supponunt, Raguelem, Ceni, & Jethro eumdem eſſe virum, Moyſis ſocerum, & patrem Hobab. Jethro reverſus eſt in Madian, ſed cum Moyſe filium ſuum Hobab reliquit, ut illi adeſſet per deſertum populum deducturo. Ex hoc autem B Hobab Cinæos fluxiſſe dicunt, de quibus alibi Scriptura loquitur ; & qui cum Iſraelitis terram promiſſam ſunt ingreſſi. Hæ omnes explicationes ferme ſunt æque probabiles.

1 Vide Bonfrer. ad Num. 10. 29.

CAPUT XIX.

Iſraelitæ aſſequuntur Sinai. Moyſes hunc montem aſcendit ; inde vero deſcendit, & populo præcipit, ut ſe ſanctificet. Deus montem totum gloria ſua tegit.

℣. 1. MEnſe tertio egreſſionis Iſrael de terra Ægypti, in die hac venerunt in ſoli-
tudinem Sinai. 2 Nam profecti de Raphidim, & pervenientes uſque in
deſertum Sinai, caſtrametati ſunt in eodem loco, ibique Iſrael fixit tento-
ria e regione montis. 3 Moyſes autem aſcendit ad Deum, vocavitque eum Dominus
de monte, & ait : Hæc dices domui Jacob, & annuntiabis filiis Iſrael: 4 Vos ipſi vi-
diſtis, quæ fecerim Ægyptiis, quomodo portaverim vos ſuper alas aquilarum, & aſ-
ſumpſerim mihi. 5 Si ergo audieritis vocem meam, & cuſtodieritis pactum meum,
eritis mihi in peculium de cunctis populis : mea eſt enim omnis terra. 6 Et vos eri-
tis mihi in regnum ſacerdotale, & gens ſancta : hæc ſunt verba, quæ loqueris ad filios
Iſrael. 7 Venit Moyſes ; & convocatis majoribus natu populi, expoſuit omnes ſermo-
nes, quos mandaverat Dominus. 8 Reſponditque omnis populus ſimul: Cuncta, quæ
locutus eſt Dominus, faciemus. Cumque retuliſſet Moyſes verba populi ad Dominum,
9 Ait ei Dominus : Jam nunc veniam ad te in caligine nubis, ut audiat me populus lo-
quentem ad te : & ut credat tibi in perpetuum. Nuntiavit ergo Moyſes verba populi
ad Dominum. 10 Qui dixit ei : Vade ad populum, & ſanctifica illos hodie, & cras,
laventque veſtimenta ſua. 11 Et ſint parati in diem tertium : in die enim tertia de-
ſcendet Dominus coram omni plebe ſuper montem Sinai. 12 Conſtitueſque terminos
populo per circuitum, & dices ad eos : Cavete, ne aſcendatis in montem, nec tanga-
tis fines illius : omnis, qui tetigerit montem, morte morietur. 13 Manus non tanget
eum, ſed lapidibus opprimetur, aut confodietur jaculis : ſive jumentum fuerit, ſive
homo, non vivet : cum cœperit clangere buccina, tunc aſcendant in montem. 14
Deſcenditque Moyſes de monte ad populum, & ſanctificavit eum. Cumque laviſſent ve-
ſtimenta ſua, 15 Ait ad eos : Eſtote parati in diem tertium, & ne appropinquetis u-
xoribus veſtris. 16 Jamque advenerat tertius dies, & mane inclaruerat : & ecce cœ-
perunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes denſiſſima operire montem, clan-
gorque buccinæ vehementius perſtrepebat : & timuit populus, qui erat in caſtris. 17
Cumque eduxiſſet eos Moyſes in occurſum Dei de loco caſtrorum, ſteterunt ad radices
montis. 18 Tunc autem mons Sinai fumabat : eo quod deſcendiſſet Dominus ſuper
eum in igne, & aſcenderet fumus ex eo quaſi de fornace : eratque omnis mons terribi-
lis.

lis. 19 Et ſonitus buccinæ paulatim creſcebat in majus, & prolixius tendebatur: Moy-
ſes loquebatur, & Deus reſpondebat ei. 20 Deſcenditque Dominus ſuper montem Si-
nai in ipſo montis vertice, & vocavit Moyſen in cacumen ejus. Quo cum aſcendiſſet,
21 Dixit ad eum: Deſcende, & conteſtare populum: ne forte velit tranſcendere ter-
minos ad videndum Dominum, & pereat ex eis plurima multitudo. 22 Sacerdotes quo-
que, qui accedunt ad Dominum, ſanctificentur, ne percutiat eos. 23 Dixitque Moy-
ſes ad Dominum: Non poterit vulgus aſcendere in montem Sinai, tu enim teſtificatus
es, & juſſiſti, dicens: Pone terminos circa montem, & ſanctifica illum. 24 Cui ait
Dominus; Vade, deſcende: aſcendeſque tu, & Aaron tecum: ſacerdotes autem, &
populus ne tranſeant terminos, nec aſcendant ad Dominum, ne forte interficiat illos.
25 Deſcenditque Moyſes ad populum, & omnia narravit eis.

℣. 1. MENSE TERTIO EGRESSIONIS ISRAEL DE TERRA ÆGYPTI, IN DIE HAC, VENERUNT IN SOLITUDINEM SINAI.] A Tertia die menſis tertii, poſtquam de Ægypto egreſſi ſunt, filii Iſrael pervenerunt in deſertum Sinai: *In die hac*, videtur innuere Moyſem tunc itineris ſui diarium conſcripſiſſe, atque in ſingulos dies ſcriptis mandaſſe, quidquid memorandum occidiſſet. Noſtrorum Interpretum plerique [1] *in die hac* explicant pro in die eadem, videlicet die numeri ejuſdem, ac tertii menſis: *Tertio menſe, & tertia die menſis*: Ribera hoc probandum aggreſſus eſt, locutionem hanc *in die hac* eamdem eſſe, ac *in die eadem*.

Sanctus Auguſtinus quæſt. 70. in Exod. & alii quidam [2] contendunt *in hac die*, ſignificare primam B diem menſis; & illud, quod inferius dicitur verſ. 11. *Sint parati in diem tertium*, aliter intelligi non poſſe, niſi; Sint parati in diem tertium menſis. Clericus contendit in die hac referri ad diem exitus de Ægypto; & ſicuti egreſſi ſunt die decima quinta primi menſis, ita intelligendum eſſe de quintadecima tertii menſis die.

Denique *in die hac* juxta Fagium, & Vatablum ſignificat, die una a Raphidim migraſſe ad *Sinai*, uti refertur verſ. 2. capitis hujus. *Profecti de Raphidim, pervenerunt uſque in deſertum Sinai*. Verum liquet non una die, neque immediate a Raphidim ad Sinai fuiſſe profectos, quoniam caſtrametati ſunt ad Horeb, antequam ad Sinai pervenirent. Atque ut quinquageſima dies ab exitu de Ægypto, ei C congruat diei, qua Lex data fuit, neceſſario ſtatuere oportet, adventum ad Sinai contigiſſe tertia die menſis tertii, quæ erat undequinquageſima ab exitu de Ægypto. Triduo poſt Lex eſt accepta verſic. 10. 11. *Sint parati in diem tertium*, ſeu in hujus menſis diem ſextum.

℣. 3. MOYSES AUTEM ASCENDIT AD DEUM. [3]] Septuaginta vertunt [4]: Aſcendit ad montem Dei. Hebræi quoque apud Vatablum ita explicant. Contendunt enim hic *montem* ſupplendum eſſe. Chaldaice: aſcendit coram Domino. Arabice: aſcendit verſus angelum Domini. Bonfretius, & Pagninus vertunt; Aſcendit ad montem: quoniam Deus vocaverat illum; verum hæc immutatio non eſt neceſſaria. Intelligi ſimpliciter poteſt, ſicuti eſt in He- D braico textu, atque in Vulgata: Moyſes aſcendit Sinai, ut loqueretur cum Deo, & Deus illum vocavit; & illi elata voce, dixit, *vocavit*, vel *clamavit* de montis vertice: Hæc dices domui Iacob.

℣. 4. QUOMODO PORTAVERIM VOS SUPER ALAS AQUILARUM.] Quomodo portaverim vos, ſicuti aquila portet pullos ſuos ſuper alas. Chaldaica verſio, ac Septuaginta habent: *Ego tuli vos, veluti ſuper alas aquilarum*. Vos tranſiiſtis mare, majora itineris pericula effugiſtis eadem facilitate, perinde ac delati fuiſſetis ſuper alas aquilarum; vel, ego tuli vos, ſicuti aquila fert pullos ſuos ſuper alas. Vide ad Deuteronomii caput 30. 11. ſimilem loquendi rationem.

ET ASSUMPSERIM MIHI.] Hebraicus textus [6]; *Et vos ad me accedere fecerim*. Chaldaice; *atque, ut mihi ſerviretis, elegerim*. Arabice: *& vos ad montem hunc, qui meus eſt, deduxerim*. Intelligi etiam magis naturaliter poteſt veluti comparationis cum aquila ſuper alas ſuas pullos deferente decurſu, cum eos in priori nido periculum aliquod ſubire poſſe, cognoverit: *Ego vos aſſumpſerim ſuper me, vel mihi*. Ita Oleaſter.

℣. 5. SI ERGO AUDIERITIS VOCEM MEAM.] Deus poſtquam expoſuit prodigia, quæ pro Iſraelitis patraverat, & potentem protectionem, qua eos tutatus fuerat, per Moyſen iiſdem ait, ſe velle cum ipſis ſolemne fœdus percutere, eoſque in ſuum populum aſſumere, ſuamque particularem hæreditatem; ex univerſa illorum natione populum ſibi electum, devotum, ſuoque ſervitio deſtinatum conſtituere, ea conditione, ut decreta ipſius obſervarent, & legibus fœderis, quas erat laturus, obtemperarent. Hæc autem Moyſi dicit verſiculis 3. 4. 5. 6. Moyſes de monte deſcendit, atque hæc omnia Dei nomine propoſiturus in cœtum capitum nationis accedit verſ. 7. Populus omnis, de hac Moyſis legatione, & propoſitionibus, quas ille tulerat, certior factus, reſpondit, id ſibi vehementer placere; & Moyſi provincia mandata eſt, ut Deo de Iſraelitarum diſpoſitionibus rationem redderet, quod ipſe die eadem peregit, cum iterum montem aſcendiſſet verſ. 8 & 14. Tunc illi imperavit Deus, ut populum ad Legem accipiendam, quam triduo erat daturus, præpararet verſ. 9. 15. 16.

Animadverti hic peculiariter debet Dei bonitas erga Iſraelitas. Nihil per vim exigit; nihil poſtular per auctoritatem, minimum Domini, ac ſupremi Imperii jura exercet, atque cum populo ſuo veluti cum æquali quodammodo agit: ne illi præbeatur anſa, ut aliquando fœderis, quod olim pepigiſſent, illos pœniteat. Quidquid optari poteſt pro fœderis, & contractus validitate, hic invenitur. Dominus non proponit Legem ſuam Iſrael, niſi poſtquam illi conſtitit, futurum ut eam libenter Iſrael acciperet, illique ſe ſe ſubmitteret. Moyſes triduo poſt concionem tum demum redit in montem, ut populo tempus cogitandi præberetur ſuper iis, quæ illis dixerat.

Tertia die majeſtas Domini apparuit in monte, & Moyſes comitante populo venit ante Dominum uſque ad radices Sinai. Sed aſcendenti imperavit De-

1 Ribera l. 5. de Templo c. 7. Vide & Hug. de S. Victore, Menoch. Tirin. Cornel. &c.
2 Rupert. Dionyſ. Carthuſ. Lyr. Abulenſ. Jun. Tremell. Piſc. Rivet. Maly. Hab. in Muoſter.
3 עלה אל אלהים.
4 Εἰς τὸ ὄρος τοῦ Θεοῦ.
6 ואביא אתכם אלי.

us, ut deſcenderet, ac rurſus populo diceret, ne ad montem accedere auderet. Deinde cum Moyſes uſque ad Sinai cacumen evaſiſſet, Deus illi conditiones fœderis, quod cum Iſrael icturus erat, declaravit. Eæ porro capitibus 20. 21. 22. 23. continentur. Moyſes eas tulit ad populum, qui illas accepit, & ſe eaſdem pollicitus eſt obſervaturum. Moyſes has ſcripto exaravit, ſubſcripto populi conſenſu, & poſtero die aram conſtruxit, ut ibi offerret victimas, ut fœdus animantium ſanguine ratum fieret; quemadmodum tunc mos obtinuerat. Hoc autem ennarratur capite vigeſimo quarto uſque ad verſ. 12.

Porro ſicuti per fœderis conditiones, de quibus locuti ſumus, populus ſe ſe adegerat, ut Deum in Regem ſuum acciperet, atque illi religionis cultum præſtaret; Deus iterum præcepit Moyſi, ut montem aſcenderet, eo quod ipſi traditurus erat Tabernaculi deſcriptionem, quod ſibi ædificari cupiebat, velut Regi in exercitu ſuo. Refert autem, quæ ſibi veluti Deo præſtari velit ſervitia; familiam Aaronis eligit in miniſterium publici cultus, quem a ſuo populo petit; atque dimittit Moyſen tradens illi duas tabulas lapideas manu Domini ejuſdem excuſas; in quibus decem præcepta continebantur, quæ ſtrictim Legem complectuntur univerſam, & quæ eſſent ad inſtar chirographorum authenticorum fœderis, de quo locuti ſumus. Hoc autem refertur capite 25. 26. & ſequentibus uſque ad 32. Poſthæc aurei vituli continget adoratio, ac prævaricatio populi, quæ deinde videbuntur. Hic autem ordo eſt rerum omnium, quæ actæ, tranſactæque ſunt in fœdere hoc adeo ſolemni inter Deum, ac progeniem Iſrael. Sed ad Moyſis textum explicandum denuo revertamur.

ERITIS MIHI IN PECULIUM DE CUNCTIS POPULIS.] Eritis mihi in populum peculiarem de cunctis populis. Eritis ſtudii mei, & amoris objectum præ omnibus populis. Ita Oleaſter, Vatablus, Fagius, Piſcator. Eritis accepta mihi hæreditas, bonum meum, poſſeſſio mea præ omnibus populis. Hebraica vox סגלה *Segulah* non ſatis agnoſcitur quoad ſignificationem. Septuaginta [1], quos ſequuntur S. Petrus [2], & S. Paulus [3] in epiſtolis ſuis vertunt, populum meum peculiarem. Symmachus: *Λαὸν ἐξαίρετον*, *Populum meum diſtinctum*, electum. Chaldaice: *Eritis mihi ſuper alios omnes cariſſimi*. Recentiores quidam [4]: Theſaurum mihi acceptiſſimum. Salomon Eccleſ. 2. 8. ait ſe collegiſſe divitias (*ſegulah*) Regum.

Vox *peculium*, qua utitur Sanctus Hieronymus, ſignificat nummos, qui proprie ad ſervum, aut familiæ filium pertinent, & quibus, prout libitum eſt, uti poſſunt, quin patrifamilias rationem reddere cogantur. Sed hoc in ſenſu hic accipi nequit. Significat quoque, quidquid paterfamilias induſtria ſua colligit, & ordinariis ſumptibus parcens lucratur, & in hoc ſenſu fortaſſe Author Vulgatæ uſurpavit. Deus velut totius terrarum orbis, cunctorumque hominum Dominus conſideratur; & dum alios omnes deſerit, Hebræos ſibi reſervat, illis quodammodo parcit, eos ſeponit, veluti bonorum ſuorum partem electam, veluti partem ſuam, atque hæreditatem, Deut. 32. 9. *Pars autem Domini populus ejus, Jacob funiculus hæreditatis ejus.*

℣. 6. ERITIS MIHI IN REGNUM SACERDOTALE.] Eritis regnum Sacerdotum; vos eritis mihi ſubditi: ego ero vobis Rex: ſed quemadmodum ego ſimul & Rex, & Deus veſter ſum; ita ſimul mei eritis, & ſubditi, & Sacerdotes. Septuaginta [5] vertunt: Regale Sacerdotium, & S. Petrus (1. Pet. 2. 9.) verſionem hanc eſt ſecutus. Sanctus Joannes in Apocalypſi 1. 6. ait, quod Jeſus Chriſtus *Fecit nos regnum, & Sacerdotes Deo & Patri ſuo*. Chaldaice: Eritis coram me Reges, & Sacerdotes.

In Ægypto, unde recens adeo Hebræi diſceſſerant, Sacerdotes erant capita Reipublicæ una cum Rege. Vide Plutarchum de Iſide, & Ælianum lib. 14. Juſtitiæ caput Sacerdos erat; omnibuſque Religionis negotiis præerant Sacerdotes. Reges iidem ſimul, & Reges erant, & Sacerdotes, ſi Platoni fides eſt, l. de regno. Verbo; Regalis dignitas proprie illis erat Sacerdotium Regale, aut Regnum Sacerdotale. Hebræi has ideas animo conceperant. Deus illis pollicetur, ſe eos facturum Reges, ac Sacerdotes; videlicet, ſe eos bonis, honoribus, ac dignitatibus cumulaturum; perinde ac illis diceret: non ultra Reges advenæ dominabuntur vobis, neque Sacerdotes, qui vos in idolorum cultum, & errores impellant; Vos me tantum habebitis Regem, & veſtrum unuſquiſque mihi famulus erit, ac Sacerdos. Nomen hebraicum *Cohen* כהן *Principem* ſignificat, ac *Sacerdotem*. Verum loco huic ſenſum iſtum tradere mallem: Ego conſtituturus ſum in medio veſtri regnum meum, cujus Sacerdotes Rectores erunt, ac Miniſtri. Nulli vobis Judices erunt præterquam mei Sacerdotes, qui regent vos juxta meam Legem. Videtur revera primum Dei conſilium fuiſſe, tradendi Sacerdotibus regimen populi ſui, uti liquet ex ordine judiciorum, quæ in Deuteronomio conſtituit cap. 17. 9. 10. & ſeq. *Venies ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem, qui fuerit illo tempore.... Et facies quodcumque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus, ſequeriſque ſententiam eorum.* Et Philo in libro ſuo de prærogativis, ac remunerationibus Sacerdotum merito ait, ipſos a Lege æquari Regibus, & Potentatibus propter magnos reditus, & honores, quos illis tribuit.

Ægyptus nihil auguſtius, aut venerabilius, aut in hominum æſtimatione altius poſitum jactabat, quam ordinem Sacerdotum. Deus, ut Hebræi facilius intelligerent felicitatem, & gloriam, qua in ipſius dominatu erant perfruituri, tribuere nullam commodiorem ideam poterat, quæ magis ipſorum mentes afficeret, quam dicens: Eritis mihi veluti Sacerdotes honoribus, ac bonis referti; toto cœlo ab infelicibus ſubditis Ægyptii Regis diverſi, qui onera tantum habent, ac pœnas Imperii; vos felices eritis æque ac Sacerdotes, & adeo in dignitatibus elati æque ac aliarum nationum primores.

GENS SANCTA.] Natio mihi inſerviendo devota, & qualitate populi Dei ſanctificata; ab aliis omnibus populis ſegregata &c. Apud Iſraelitas non extiterunt, ſicuti apud Ægyptios homines, qui artem aliquam profiterentur, quæ cenſeretur immunda, & quibus interclusus eſſet ad Religionis cæremonias aditus, neque ad Reipublicæ gubernaculum; & qui ad munia, & dignitates evehi non poſſent. His omnibus diſtinctionibus in Hebræorum Republica igni, & aqua erat interdictum. *Gens ſancta*, quam Deus plurimis privilegiis ornarat. Hæ vero prærogativæ habita ratione majores quidem ſunt, ac magis glorioſæ in Chriſti fidelium religione; & aſſeri poteſt in hac nova Lege præſertim, atque in Jeſu Chriſti regno fideles eſſe Sacerdotium Regale, & genus ſanctum, uti Sancti Apoſtoli Petrus, & Paulus docuere.

℣. 9. JAM NUNC VENIAM AD TE IN CALIGINE NUBIS.] Ex verſ. 14. liquet, Moyſem rurſus montem

1 *Λαὸς περιούσιος.*
2 Petr. 2. 9. *Populus acquiſitionis.*
3 Paul. ad Tit. 2. 15. *Populum acceptabilem.* Græce *Λαὸν περιούσιον.*
4 Ainſv. Vat. Fag.
5 *Βασίλειον ἱεράτευμα.*

tam aſcendiſſa, ut legationis ſuæ effectuum rationem redderat Deo; & tunc dixit illi Deus: Hactenus ſecreto dumtaxat ad te locutus ſum, atque ad unum te; ſed deinceps deſcendam in montem, & tacum ita loquar, ut ab univerſo populo intelligar. Donec Deus locutus eſt ſuper Sinai, & ibi majeſtaram ſuam prodidit, Iſtaalitæ Moyſi plenam non habuerant fidem: nunc tantum perfecte credidarunt in ipſum, Maimonidas inquit in libro ſuo de fundamentis lagis c. 8. §. 2. & 3.

℣. 10. VADE AD POPULUM, ET SANCTIFICA ILLOS HODIE, ET CRAS.] Hi dies arant quartus, & quintus menſis tertii; nam ſexta die, quæ illos eſt ſubſecuta, dedit Deus legem Moyſi. Habraica vox קדש *Kaddeſch*, quæ vertitur pro *ſanctificare*, ſæpius ſignificat ad actum Religionis præparare. Septuaginta; *ἁγνισον αὐτούς*, *purifica illos*. In hoc ſenſu intelligendum eſt verbum illud *ſanctifica*. Lex naturalis, quam Deus in imo hominum omnium corde inſculpſit, eos docuit, ut nonniſi cum diſpoſitionibus ſanctis, & aliqua cum præparationa ante Divinitatem apparerent. Veſtes lavara, ſa abluere, a connubii commercio abſtinera præcipuæ purificationes erant, quæ a Judæis, Chaldæis, Græcis, ac Romanis adhiberentur. Quoad Judæos hic aliquot habentur argumenta, plura habebuntur prærarca inferius. Facile erat Iſraelitis concipere, externam hanc puritatem eſſa dumtaxat ſymbolum, ac diſpoſitionem ad interiorem puritatem.

Doctores Judæi apud Seldenum de Synadr. lib. 1. cap. 3. docent, ſamper corpus eſſe abluendam, cum Scriptura præcipit, ut veſtes laventur. Alterum ſina altero nequaquam fieri decet. Contendunt autem id, quod iſtic præcipit Deus populo ſuo, utriuſque ſexus Iſraelitas indiſſolubili obligatione adſtrinxiſſe; ita ut quemadmodum circumciſio fuit ſymbolum, & character fœdaris Abraham cum Deo, ita ablutio hic notata fuerit neceſſaria præparatio ad accipiendam Lagam; cum hoc diſcrimine tamen; quod circumciſionem omnes Abraham poſtari ſæculorum decurſu debebant recipere; ſed veſtium, & corporis ablutio præſenter tantum Iſraelitas obligat, & pro illa circumſtantia tantummodo.

Operæ pretium reor hoc adferra aliquot Idololatrarum populorum conſuetudines, quæ aliquam habeant rationem ad ea, quæ iſtic Lex imperat. Herodotus lib. 1. cap. 198. loquitur de purificationibus Babyloniorum, & Arabum; prolixius vero ſermonem habet da Ægyptiorum expiationibus, & Græcorum: maxima, inquit ille lib. 2. cap. 37. adnitebantur cura Sacerdotas Ægyptii, ut ſe mundos ſemper ſervarent. Bis quotidie ſa frigida abluebant, & bis noctu. Chæremon apud Porphyrium da Abſtinent. lib. 4. cap. 7. æque ac Herodotus referunt, eoſdem ab ſuarum uxorum conſpectu temperaſſe, antequam ſua offerrent ſacrificia. Sanctus Clemens Alexandrinus Strom. 14. ait, ab ipſis primum cautum fuiſſe, ne quis, cum rem habuiſſet cum conjuge, in templum illorum ingrederetur. Aliud quoque purificationis arat genus, jejunare, atque abſtinere ab aſu rei cujuſcumque, quæ vixiſſet. Apulejus Metamorph. lib. 9. narrat, eos, qui ſacris Iſidis erant initiati, ſeu viros, ſeu mulieres cujuſcumqua ætatis, ac condiſionis in conſecrationis ſuæ celebritate mundis veſtibus, & collucenta prorſus albedine incadere conſuuviſſa. Pythagoras apud Laertium l. 7. verat, ne quis impuro corpora, immundiſque veſtibus ad daos laudaturus accedat; præcepitque, ut quiſqua ſe expiationibus præparet, ablutionibus, adſperſionibus, atque continentia, a funeribus procul recedens, & quodvis pollutionum genus evitans, abſtinando ab aſu carnium eorum animantium, quæ per ſe ipſa occubuerint.

Tertullianus da Baptiſmo cap. 1 aſſerit, ab Ethnicis purificari balneis, atqua ablutionibus illos, qui ad Iſidis, & Mitræ myſteria aſſumebantur, & ab iiſdem deos quoque ſuos, quos in publicis ſupplicationibus

A deferebant, adſpergi. In Ethnicorum myſteriis [1] ita accerſebantur, qui erant initiandi: *Qui mundi ſunt manibus ſuis, ac verbis ſuis ſapientes*; val: *Qui ab omni ſsimiaum labe ſunt integri, & quorum conſcientia munda eſt: Qui in innocentia vixerunt, atque juſtitia, accedant*. Deinde vero eos aqua aſpergendo initiabantur. Domus quoque, villæ, Templa, urbes &c. expiabantur.

Hæc ſemper fuit Græcorum mens, ut mundus eſſa deberet, qui diis vellet operari. Vide Heſiodum lib. 1. oper. ad finem. Homarus Iliad. Γ inducit Hectora dicentem, ſa non audare vinum libare Jovi, quia manibus eſſat immundis; nequa enim fas erat orare manibus cruentis. Vidamus Ulyſſem, & Ajacem, manus ſuas abluentes, antequam vinum in B Jovis honorem effundant. Iliad. A. Talemachus manus lavat, antequam preces ſuas Minervæ offerat. Odyſſ. M. Penalopes abluitur, ac puris induitur veſtibus Palladem exoratura. Ulyſſes quoque oraturus manus lavat. Odyſſ. M. Euripides ait Alceſtidam antequam poſtremum ſacrificium offerrat, quod pro filiis ſuis aſt operata, corpus abluiſſe, atque honeſtioribus veſtibus indutam fuiſſe. Draconis Lex interdicebat interfectoribus uſum ſacrificiorum, libationum, Templorum, atque concionum. A myſteriorum adſpectu ii arcebantur omnas, qui criminibus aſſent obnoxii. Virg. Æneid. 6.

Procul, o procul eſto profani,
Exclamat Vates, totoque abſiſtite luco.

Sæpius etiam a ſanctarum rerum adſpectu arcaban-C tur propter ſecrera crimina, val ſimplicitar ob prava conſilia. Gratius Faliſc. in cynegetic.

Procul hinc extorribus ite,
Edico præſente Deo, præſentibus aris
Quis ſcelus, aut manibus ſumptum, aut in pectore motum eſt.

Vida etiam Hetruſc. apud Statium Papin. in Parental. Prolog.

Sacris procul hinc, procul ite nocentes,
Si cui corde nefas tacitum, ſeſſique ſeneſtue
Longa patris.

Demuſthenes Orat. adverſ. Androtion. ad fin. docat, illum, qui Templum ingradi valit, ac crateras, ſacroſque labetes tangera, dabere eſſa caſtum ſtatuto dierum numero. Dicit quoque in Orat. con-D tra Neræum, mulieras, quæ calathos ferre debent ad aram Bacchi in vetuſtum ipſius Athanarum templum, quod ſemel quotannis aperiabatur, has mulieres, inquam, in ſequentia varba adjurara: *Pura ſum, atque ab omni ſorde munda, nulla cum ullo homine mihi rei ſuit, & Baccho hæc Feſta celebro juxta ritus patrios* &c. Verum neque illud putandum aſt hæc univerſalia, aut communia fuiſſe. Græcoram ſolemnitates, ac caremoniæ plerumque impuritatibus polluebantur; & ſamper ſapientia plenum habitum fuit Theanæ Pithagoræ illud reſponſum, vetira ſolum commercia arcere debera ab ara Cereris. Vide Clementum Alax. Strom. lib. 4.

Latini non ſecus ac Græci erant religioſi, quoad puritatem, quæ requiritur, ut quis ad Deos acce-E derer. Servius in hæc duodecimi Æneidos libri verba: *Puraque in veſte Sacerdos*, ait: *Pura dicitur veſtis, qua feſtis diebus uti conſueverunt ſacra celebraturi . . . . ideo magiſtratus, & ſacrificaturi togam prætextam habent, & manus ablutas detergere lineis mantilibus curant*. Feſtus clarius adhuc axplicat, quid hæ puræ veſtes eſſent. Hæc ſunt, inquit ille Sacerdotum veſtimenta, quæ eſſe dabent: *Non obſita, non fulgurita, non funeſta, non maculam habentia*. Plautus in Aulularia quemdam ex Actoribus loquentem indocia: *Eo lavatum, ut ſacrificem*. Lampridius de Alexandro Severo loquens ait: *Si facultas eſſet, id eſt, ſi non cum uxore cubuiſſet, matutinis horis in larario ſuo rem divinam faciebat*? Optimum factu ſumus arbitrati, ſi ſemel huc pro ſemper attuliſſemus ea, quæ Veterum purificationem re-

Tom. I. Ll 3 ſpiciunt

[1] Celſus apud Origen. l. 3. contra Celſum.

ſpiciunt ente ſacrificie, & myſteriorum participationem. Hæ ideæ, ac veteres, omnibuſque populis commones uſus, argumentum ſunt naturalis Religionis, qua agnoſcunt Homines ſupremum Ens edeſſe, qui obſequii noſtri ſenſibiles notas exquirit, neque ſinit aliquem ad ipſum accedere, niſi in puritate perfecta.

ỹ. 11. SINT PARATI IN DIEM TERTIUM.] Tertius hic dies varie conſtituitur, prout ſtatuitur primus, quo Deus ad Moyſen locutus eſt. Vide v. 1. Credimus tertium hunc diem ſextum fuiſſe menſis tertii, ac quinquageſimum ſecondum ab exitu de Ægypto. Deus hac die Legem tradidit, in cujus memoriam deinceps quotannis Pentecoſtes Feſtivitas eſt celebrata. Magna Hebræorum Chronica hunc diem Sabbati fuiſſe dicunt: juxta vero Uſſerii ſupputationem dies Mercurii eſſe debebat.

ỹ. 13. MANUS NON TANGET EUM.] Nemo ad locum accedat, ubi ille eſt, ut eum inde deducat, ne ipſe quoque in illius temeritatis pœnam incurrat; ita Vatablus; vel: Nemo eum tangat, atque veluti abominabilis, & ſacrilegus habeatur, eodem in loco lapidibus obruatur, aut jaculis confodiatur, quin attingatur manibus. Rabbini ita explicant: Manibus non tangatur, ſed lapidibus petatur, ac deturbetur; videlicet ex Judicum ſententia, lapidibus obruatur, aut a loco lapidationis nuncupato, qui duorum hominum altitudine, ut illi inquiunt, eminebat, dejiciatur. Niſi reus caſu ſuo moriebatur, lapidum ictibus impetebatur. Vide Seldenum de Synedr. lib. 1. cap. 5. Sed prior loci hujus explicandi ratio magis eſt naturalis. Quidam hæc verba; *Manus non tanget eum*, ad montem referunt. Nemo eum tangat, ad illum accedat.

CUM COEPERIT CLANGERE BUCCINA, TUNC ASCENDANT IN MONTEM.] Videlicet cum Deus de ſuperiori montis vertice exaudire faciet ſonum tubæ ſono perſimilem, omnes uſque ad radices montis procedant [1], uſque ad vallum, quod poſitum fuerat, ne homines, aut armenta ultius progrederentur. Hoc autem liquet ex verſiculis 14. & 21. ubi Moyſes deducit populum uſque ad radices montis, & ubi Deus per Moyſen populo edicit, ne quis prætergrediatur.

Aliter: *Cum cœperit clangere buccina, tunc aſcendant in montem*; ſi adeo audacie prævalent, ut hoc efficiant [2], illis permitto, ut accedant: ſed terror, qui illos incedet, hoc vetabit: *Cum cœperit clangere buccina*. Hebræus [3]: *Cum tuba longis tractibus canet*. Septuaginta, Chaldaica verſio, & Syriaca, ac plures melioris notæ Interpretes in penitus oppoſito ſenſu intellexerunt: *Cum buccina clangere ceſſabit, cum diutius cecinerit*; Septuaginta Romanæ editionis [4]: *Cum voces* (aut tonitrua) *& tuba* (ceſſaverint) *& nubes tranſierit*; videlicet cum nihil aliud de monte audietis, tunc vobis integrum erit aſcendere, non autem prius. In aliis Septuaginta editionibus vox hæc *nubes* non adeſt. Quod hic Scriptura *Buccinam* vocat, hebraice *Jobel*, ſimpliciter ſignificat ſonitum clarum, veluti cornu, aut tubæ, quæ de montis vertice canit, non autem ipſum cornu, vel tubam. Videri poteſt in Levitico capite 25. 10. varia ſignificatio hebraicæ vocis *Jobel*.

ỹ. 15. NE APPROPINQUETIS UXORIBUS VESTRIS.] A Vide verſ. 10. Ethnicis eadem erat religio. In aditu Templi Epidauri hæc erat epigraphe: *Qui ingrediuntur, caſti ſint*. Vide Clementem Alex. Strom. lib. 5.

ỹ. 18. TOTUS MONS SINAI FUMABAT.] Deuteronomii 4. 11. & 24. dicitur, quod; *Mons ardebat uſque ad cœlum*: ex quo lex vocatur, *ignea lex*, & Deus ſæpius appellatur ignis abſumens.

ERATQUE OMNIS MONS TERRIBILIS.] Hic ſenſus eſt hebraicæ lectionis, Chaldaicæ, Syriacæ &c. Pſalmiſta Pſalm. 67. 9. his vocibus deſcribit, quid hac in re contigit: *Terra mota eſt; etenim cœli diſtillaverunt a facie Dei Sinai, a facie Dei Iſrael*; & verſic. 18. ait, Dominum in monte hoc apparuiſſe veluti in ſuo Tabernaculo: innumeris comitantibus angelis. B Moyſes Deuteronomii 33. 2. eodem pacto loquitur de angelis, qui Dominum comitabantur, cum legem igneam tulit. Septuaginta [5], & Arabica verſio: Omnes perterriti erant, ac ſumma capti formidine. Sanctus Paulus conferens modum, quo Lex Moyſis tradita fuerat Judæis cum eo, quo Jeſus Chriſtus legem ſuam tradidit Eccleſiæ, hæc habet, ad Hebr. 12. verſic. 18. 19. &c. *Non acceſſiſtis ad montem tractabilem, & accenſibilem ignem, & turbinem, & caliginem, & procellam, & tubæ ſonum, & vocem verborum, quam qui audierunt, excuſaverunt ſe, ut iis fieret verbum: non enim portabant, quæ dicebantur; Et ſi beſtia tetigerit montem, lapidabitur, & ita terribile erat, quod videbatur: Moyſes dixit: Exterritus ſum, & tremebundus. Sed acceſſiſtis ad Sion mon-* C *tem, & civitatem Dei viventis, & Jeruſalem cœleſtem .... & Eccleſiam primitivorum, qui conſcripti ſunt in cœlis, & judicem omnium Deum .... & teſtamenti novi mediatorem Jeſum, & ſanguinis aſperſionem &c.*

ỹ. 19. MOYSES LOQUEBATUR, ET DEUS RESPONDEBAT EI.] Hebraicus textus [6], Chaldaica verſio, Septuaginta [7], ac Syriaca addunt *in voce*, Deus loquebatur illi modo ſenſibili, atque intelligibili; neque enim erat interior vox, aut ſecreta revelatio. Deus voce articulata locutus ab univerſo populo intelligebatur. Veteres omnes legiſlatores adniſi ſunt, ut leges ipſorum e cœlo delapſæ putarentur, ipſoſque eas divino afflatos Numine ſcripſiſſe. Verum commentitiæ hæ deorum revelationes, num- D quam coram hominibus factæ fuerunt; aliquorum fraus detecta fuit, & ſola hominum credulitas, & ſimplicitas illis audaciam præbere potuerunt, ut palam adeo, aperteque mentirentur. Hic Moyſes omnie inſpectante populo agit, tranſigitque. Leges ipſius prodigia præcedunt, comitantur, ac ſubſequuntur, eorumque tot adſunt oculati teſtes, quot Legibus iiſdem ſe ſe ſubmiſere.

ỹ. 20. DESCENDIT DOMINUS.] Scilicet angelus Domini. Vide verſ. 2. c. 3.

ỹ. 21. NE FORTE VELIT TRANSCENDERE TERMINOS.] Hebraice ad litteram [8]: *ne forte evellat*, (aut frangat) *vallum*. Chaldaice: *ne tranſgrediatur* (tranſeat) *vallum, ut Dominum videat*. Septuaginta [9]: *Ne accedat viſurus Deum*.

E ỹ. 22. SACERDOTES QUOQUE, QUI ACCEDUNT AD DOMINUM, SANCTIFICENTUR, NE PERCUTIAT EOS.] Septuaginta [10]: *Ne Dominus recedat ab eis*. Hebræus [11]: *ne eos diſſipet*, ne eos dividat, ne eos bifariam ſecet; ne inter eos tumultum, ac confuſionem

1 Ita Hugo a S. Victore, Menochius, Lyranus, Eſtius.
2 Salian. an. 2544.
4 במשך היובל.
4 Ὅταν αἱ φωναὶ, καὶ αἱ σάλπιγγες, καὶ ἡ νεφέλη ἀπέλθῃ.
5 Ἐξέστη πᾶς ὁ λαὸς σφόδρα.
6 יעננו בקול.
7 Ἀπεκρίνατο αὐτῷ φωνῇ.
8 פן יהרסו אל יהוה.
9 Μήποτε ἐγγίσωσι πρὸς τὸν Θεὸν κατανοῆσαι.
10 Μή ποτε ἀπαλλάξῃ ἀπ᾽ αὐτῶν Κύριος.
11 פן יפרץ בהם יהוה. Aq. Μήποτε διακόψῃ ἐν αὐτοῖς ὁ Κύριος. Sym. Μήποτε διαφθείρῃ.

nem immittat, veluti in exercitum palantem, & in fugam conjectum. Chaldaice: *Ne adverſus illos ſucccenſeat*. Videtur Deus poſcere etiam ſanctificationem, vel puritatem majorem in Sacerdoribus, quam in reliquis: alioquin inane foret hic ſe ſe purificandi edictum repetere.

Quæritur, quinam ſint hi Sacerdotes, de quibus hic ſermo? Sanctus Auguſtinus quæſt. 22. in Levit. credit, hos eſſe filios Aaron, & Levitas. Nempe: *Non quia jam erant, ſed quia futuri erant* (Sacerdotes) *hos eos jam tunc Scriptura appellavit per anticipationem*. Ita quoque Eſtius.

Sed plerique 1 contendunt, hos fuiſſe primogenitos e præcipuis familiis Iſrael, quibus jus ſacrificia offerendi detulerat conſuetudo, antequam Dominus in hoc miniſterium Levi familiam elegiſſet. Quem- B admodum declaraverat Deus, in fœderis virtutem, quod cum Iſrael percutiebat, futurum ut populus hic fieret gens ſancta, & Regale Sacerdotium, Exod. 19. 6. credibile eſt ex univerſo populo electos fuiſſe juvenes robuſtos, altiori corporis proceritate præſtantes, integros vitæ, ac irreprehenſibiles, qui offerrent Moyſi victimas Deo immolandas, quod ipſum præſtiterunt in ceremonia rati faciendi fœderis cum Deo, Exod. 24. 55. Quemadmodum fieri non poterat, ut populus univerſus ſacrum miniſterium exerceret, præſertim in publicis ceremoniis, atque omnibus, & ſingulis indiſcriminatim, & ſine ulla electione hoc relictum fuiſſet, hæc ſane origo extitiſſet diviſionum, & certaminum; Deus ſapientia ſua de-

A inde Tribum Levi elegit, ut offerret ſacrificia, atque illi in Tabernaculo, & Templo deſerviret.

℣. 23. NON POTERIT VULGUS ASCENDERE.] Moyſes ſe excuſat, ne de monte deſcendat, dicens non eſſe timori locum, ne populus aſcendere ſit auſurus, cum illi prohibuerit Deus. Vel juxta Glaſſium: *Non poterit ullus aſcendere?* Edictum tuum nullam patitur exceptionem!

PONE TERMINOS CIRCA MONTEM, UT SANCTIFICA ILLUM.] Ut populus ſciat, quo uſque fas eſt aſcendere: *Sanctifica illum*. Mons hic veluti res ſacra, atque inviolabilis habeatur, quo non deceat aliquem accedere. *Sanctificare* ſignificat paſſim rem a vulgari uſu ſegregare, eamque ſanctam declarare.

℣. 24. ASCENDESQUE TU, ET AARON TECUM.] B Moyſes, & Aaron ſoli aſcenderunt in montem, ut ex ore Dei ipſius Legem acciperent, & conditiones fœderis, quod initurus erat cum Iſrael. Fœderis hujus Mediator erat Moyſes: loquebatur ad Deum, & Deus reſpondebat illi, inquit Scriptura. Aaron vero erat veluti Orator, ac Interpres Moyſis ad populum. Deus voluit, ut ille teſtis adeſſet eorum, quæ dicturus erat Moyſi, ut exacte magis populo poſſet referre. Præceperat Deus Hebræis, ut lapidibus illos obruerent, qui prope nimis ad montem accederent, eo biduo, quo ipſius adventum opperiebantur; ſed tertia die, cum majeſtas illius apparuit in monte, minitatus eſt ſe ipſum interfecturum, quicumque accedere auderet.

1 Onkelos, Rabbin. Grot. Menoch. Bonfrer. & plerique.

CAPUT XX.

Decalogus. Perterritus populus Moyſen obteſtatur, ut a Deo petat, ne ipſe loquatur ad illos. Altare terreum, ac lapideum, de lapidibus infectis.

1. LOcutuſque eſt Dominus cunctos ſermones hos: 2 Ego ſum Dominus Deus
tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo ſervitutis. 3 Non habebis deos
alienos coram me. 4 Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem,
quæ eſt in cœlo deſuper, & quæ in terra deorſum, nec eorum, quæ ſunt in aquis ſub
terra. 5 Non adorabis ea, neque coles: ego ſum Dominus Deus tuus fortis, zelotes,
viſitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam, & quartam generationem eorum, qui
oderunt me: 6 Et faciens miſericordiam in millia his, qui diligunt me, & cuſtodiunt
præcepta mea. 7 Non aſſumes nomen Domini Dei tu in vanum: nec enim habebit in-
ſontem Dominus eum, qui aſſumpſerit nomen Domini Dei ſui fruſtra. 8 Memento, ut
diem ſabbati ſanctifices. 9 Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. 10 Se-
ptimo autem die ſabbatum Domini Dei tui eſt: non facies omne opus in eo, tu, & filius
tuus, & filia tua: ſervus tuus, & ancilla tua, jumentum tuum, & advena, qui eſt in-
tra portas tuas. 11 Sex enim diebus fecit Dominus cœlum, & terram, & mare, &
omnia, quæ in eis ſunt, & requievit in die ſeptimo, idcirco benedixit Dominus diei
ſabbati, & ſanctificavit eum. 12 Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut ſis lon-
gævus ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi. 13 Non occides. 14 Non
mœchaberis. 15 Non furtum facies. 16 Non loqueris contra proximum tuum falſum te-
ſtimonium. 17 Non concupiſces domum proximi tui, nec deſiderabis uxorem ejus,
non ſervum, non ancillam, non bovem, non aſinum, nec omnia, quæ illius ſunt. 18
Cunctus autem populus videbat voces, & lampades, & ſonitum buccinæ, montemque
fumantem, & perterriti, ac pavore concuſſi, ſteterunt procul. 19 Dicentes Moyſi:
Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus ne forte moriamur. 20

Et ait

Et ait Moyſes ad populum: Nolite timere: ut enim probaret vos, venit Deus, & ut
terror illius eſſet in vobis, & non peccaretis. 21 Stetitque populus de longe. Moy-
ſes autem acceſſit ad caliginem in qua erat Deus. 22 Dixit propterea Dominus ad Moy-
ſen: Hæc dices filiis Iſrael: Vos vidiſtis, quod de cœlo locutus ſum vobis. 23 Non
facietis deos argenteos, nec deos aureos facietis vobis, 24 Altare de terra facietis
mihi, & offeretis ſuper eo holocauſta, & pacifica veſtra, oves veſtras, & boves, in o-
mni loco in quo memoria fuerit nominis mei: veniam ad te, & benedicam tibi. 25
Quod ſi altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de ſectis lapidibus: ſi enim
levaveris cultrum ſuper eo, polluetur, 26 Non aſcendes per gradus ad altare meum,
ne reveletur turpido tua.

℣. 1. LOCUTUS EST DOMINUS.] Hactenus nihil Iſraelitæ perceperant præterquam tonitruum ſtrepitum, & terribilem ſonum, qui populum poſſet perterrefacere; nunc Angelus, qui Domini nomine loquitur, ac perſonam illius repræſentat, voces articulatim edit, & populo prodit Decalogum, qui eſt naturalium legum epilogus [1], ad quas regulæ eæ omnes referuntur, quæ reſpiciunt ceremonias, aut ordinem judiciorum, quæ leguntur in Moyſe. Decalogus omnes alias leges complectitur, quemadmodum illum duo præcepta amoris Dei, & Proximi complectuntur. Matt. 22. 40. & 7. 12. Marc. 12. 31. &c.

Omnes conveniunt quoad numerum præceptorum decem, quæ in Decalogo continentur; numerus hic luce clarius in Scripturis exprimitur: verum neque Veteres, neque Recentiores Interpretes conveniunt, quoad ordinem eorumdem. Ioſephus l. 3. Antiq. c. 4. Philo de decalog. Origenes homil. 8. in Exod. Author Synopſis inter opera S. Athanaſii, Heſychius, interpretes in Epiſtulam ad Epheſios nomine S. Ambroſii, ac S. Hieronymi recenſent quatuor præcepta, quæ Deum reſpiciunt, & ſex, quæ proximum. Hæc autem verba: *Non habebis Deos alienos coram me*, veluti diſtinctum præceptum continentia ab hoc: *Non facies tibi ſculptile*, explicant. Judæi vulgo diviſionem hanc ſequuntur: ſed S. Auguſtinus Quæſt. 71. in Exod. & Epiſt. 55. novæ edit. Clemens Alexandrinus l. 6. Strom. S. Hieronymus in Pſal. 32. aliique tria tantum ad Deum ſpectantia præcepta cognoſcunt, ad Proximum vero ſeptem. Illa verba: *Non habebis Deos coram me*, ſequentibus adduur: *Non facies tibi ſculptile*; & unum tantum præceptum conſtituunt. Ab his autem verbis: *Honora patrem tuum, & matrem tuam*, uſque ad finem, ſeptem præcepta recenſent, præceptum illud: *Non concupiſces Domum proximi tui* a ſequenti ſejungentes; *Nec deſiderabis uxorem ejus*; perinde ac duo eſſent præcepta. Sed revera fatendum eſt omnem hanc diſtinctionem eſſe arbitrariam.

℣. 2. EGO SUM DOMINUS DEUS TUUS.] Verba hæc ſunt quædam præfatio legis, quam Dominus traditurus eſt [2]. Populum præparat, ut reverenter illam accipiat, illius in memoriam revocans, hanc procedere a Deo ſuo, Domino ſuo, ac ſuo Liberatore.

℣. 3. NON HABEBIS DEOS ALIENOS CORAM ME.] Deus edicit, ne quis Deos alienos coram ipſo [3] conſtituat; non permittit, ut cultus ſuus cum inanium Deorum cultu immiſceatur, neque in Hebræorum Religione Deorum pluralitas admittatur. Septuaginta vertunt: *Non habebis alios Deos, niſi me*, vel, excepto me, Πλὴν ἐμοῦ. Ita quoque transferunt Onkelos, Syriaca verſio, & Arabica. S. Cyprianus legit

A *abſque me*; S. Auguſtinus *præter me*. Hebraice [4] eſt ſicuti & in Vulgara.

℣. 4. NON FACIES TIBI SCULPTILE, NEQUE OMNEM SIMILITUDINEM.] Deus cum ℣. 3. prohibuerit nomen Dei, ac ipſius qualitates rebus creatis tribuere, quæcumque illæ ſint; modo prohibet Hebræis, habere figuras ſculptiles, aut imagines pictas, aut anaglyptico opere elaboratas, alieni cujuſpiam Numinis; neque ſe ita patitur repræſentari. Hoc pacto vult Judæis demonſtrare, ſe inviſibilem eſſe, ac ſpiritualem, nulla materia involutum, & ſenſibili forma carentem.

Verum quemadmodum noluit quodvis genus obſequii, ac reverentiæ erga creatas res interdicere, pluralitatem Deorum prohibens, & moderans cultum,
B qui proprius eſt Divinitatis, & quem uni ſibi reſervavit; dicendum quoque eſt, cum ipſe imagines, ac repræſentationes condemnat, eas tamen reſpuere tantum, quæ fiunt, ut adorentur [5]: *Non adorabis ea* ℣. 5. Nam in Scripturis (Ioſue 5. 15. 4. Reg. 2. 13. Dan. 10. 9.) intuemur quoſdam ſanctos viros ante Angelos procubuiſſe, cum ipſis apparuerunt. Honor idem Sanctis, & Prophetis habitus eſt, & dum viverent, & dum occubuiſſent.

Quoad figuras Moyſes idem Cherubin elaborandos curavit, quos arcæ impoſuit, Exod. 25. 18. 19. Salomon plures ponit Cherubin in Sanctuario Templi Jeruſalem 3. Reg. 6. 24. 25. 26. æneas taurorum figuras ſuppoſuit vaſi, quod mare appellatum fuit Ibid 7. 44. & vaſa quæ erant in Templo variis fi-
C guris ornavit, Ibid. 7. 28. Velamina quoque Tabernaculi figuris acu pictis decorabantur.

Non igitur hinc licet inferre, quodvis imaginum, & figurarum genus fuiſſe interdictum. Patet quidem, Deum, qualis eſt, ſub aliqua corporali forma repræſentari non poſſe: verum uti poſſumus ſenſibilibus quibuſdam figuris, quæ nobis ipſis memoriam excitent, ac ideam Divinitatis ſuggerant, ut inde elevemur ad illi eam, quæ debetur, adorationem præſtandam. Quod ſi hoc umquam licuit, id nunc temporis præcipue licet, quo craſſioris Idololatriæ periculum longius videtur abeſſe. Quoad Divinitatis imagines, quas conſuetudo conſtituit, relativo cultu honorandæ ſunt, qui non ſolum minime derogat reali, ac abſoluto cultui, qui Deo debetur, quin immo e contra illum
D magis conſtituit, ac ſupponit. Quoad vero Angelos, & Sanctos, ipſis denegari nequit honor, & cultus, qui ipſorum deceat merita, & gloriam, qua perfruuntur. Deus non vetat, eos ſenſibilibus repræſentari imaginibus, dummodo ne quis religioſi, ac relativi cultus fines excedat, neque Latriæ cultu adorentur.

Interpretes quidam per *ſculptile* [6], figuras omnes ſeu diaglypticas, ſeu anaglypticas cujuſque naturæ, ac materiæ, intelligunt; per alia vero verba, *omnem*

ſimilitu-

1 Auguſt. qu. 140. in Exod.
2 Lyran. Bonfres. Rivet. Junius, Grotius.
3 Oleaſter, Sa, Rivetus, Junius, Tremellius.
4 לא יהיה לך אלהים אחרים על פני
5 Grotius in hunc locum.
6 פסל. 70, Εἴδωλον. Alii, γλυπτόν.

ſimilitudinem [1], omnia picturarom, ac planarum repræſentationum genera. Conſtat profecto temporibus Moyſis in Ægypto ſculptores, æris conflatores, aurifices, periſtromatum, atque veſtium acu pingendarum opere phrygio artifices paſſim extitiſſe. In ea tantum regione, qui Tabernaculo conſtruendo, exornandoque adlaborarunt, artem poterant edidiciſſe; & præcipuum legislatoris in his legibus conſilium erat evellendi ex Iſraelitis Ægyptiorum conſuetudines, ac ſuperſtitiones.

Hebraicum *peſel*, quod vulgata vertit *ſculptile*, Septuaginta hic vertunt, Εἴδωλον, Idolon; ſed Deuteronomii ℣. 8. vertunt γλυπτὸν *ſculptile*. Græca autem vox Idolon, juxta Theodoretum in Exod. qu. 10. & Origen. homil. 8. in Exod. & in catenis MSS. ſignificat figuram rei, quæ in rerum natura minime exiſtit; tales apud Ethnicos erant Sphynges, Tritones, Centauri, & animalia, quæ depingebant Ægyptii cum bovis, aut canis capite. Vox *ſimilitudo* [2], ſignificat res, quæ in natura ſubſiſtunt, veluti ſolem, Lunam, ſtellas, animalia, plantas, fluvios, quæ omnia venerabantur Ægyptii. Deus has omnes repræſentationes prohibet, verumtamen cum hac reſtrictione, quæ hic, & in Levitico c. 26. 1. adnotatur: *Non adorabis ea*. Onkelos Hebraicum *peſel* legit *zelem* צלם, quod proprie pictam imaginem ſignificat.

Neque omnem similitudinem, quæ est in coelo desuper.] In hunc ſenſum plerumque explicatur: Non habebis ullam figuram aſtrorum. Ægyptii ſolem adorabant nomine Oſiridis, & Hammonis, Lunam vero nomine Iſidis, & ſub mulieris ſpecie cornua fronte præferentis. Quod Scriptura Cæli Reginam appellat, erat Lunæ idolum: Deus Moloch, cujus Tabernaculum in deſertum Iſraelitæ detulerant (Amos 5. 26. Act. 7. 43.) erat plana figura Solis. Moloch ſignificat *Regem*. Per hæc verba, *Omnem ſimilitudinem, quæ eſt in cælo deſuper*, intelligi quoque poſſunt Angeli, vel potius volucres. Ægyptii phœnicem colebant, accipitrem, ibim, volucres omnes Soli dicatas. Ea, quæ ſequuntur, poſtremæ huic favent ſententiæ.

Et quæ in terra deorsum.] Deus hominum, animaliumque figuras interdicit, veluti bovis, vituli, arietis, æluri, canis, leonis, quæ apud Ægyptios ſacra erant animantia. Denique vetat Deus ea coli, *quæ ſunt in aquis ſub terra*, veluti piſces, animalia aquatilia, crocodilum, Deum Dagonem. *Ægyptii*, Tacitus hiſt. l. 5. inquit, *pleraque animalia effigieſque compoſitas venerantur. Judæi mente ſola, unumque Numen intelligunt; profanos, qui Deum imagines mortalibus materiis in ſpecies hominum effingunt: ſummum illud, & æternum, neque mutabile, neque interiturum*.

Prius hoc præceptum non eſt ſimplex Idololatriæ interdictum craſſæ, atque exterioris; verum complectitur quoque præceptum Amoris Dei ſuper omnia; quod exprimitur Deuteronomii c. 6. 5. Vetat etiam interiorem Idolorum cultum, cavetque, ne creatori alia creata res præferatur; Sortilegia damnat, Maleficia, divinationes, incantationes, omniaque magiæ genera; Deut. 18. 10. & ſeq. Mortis ſupplicium illis erat indictum, qui præcepto huic minime obtemperaſſent, Deut. 17. 2. 5. Exod. 22. 20. Magis, Exod. 22. 18. Divinatoribus, Levit. 20. 6. atque illis, qui alios ad Idololatriam excitarent, Deut. 13. 6. Rabbini docent, ſub hoc præcepto, quod repræſentationem aliquam fieri vetat, nequaquam comprehendi debere Cherubin, qui pro Tabernaculo, & Templo effecti fuerunt; quia nequaquam e-A xiſtentis in natura rei imagines ſint [3]. Verum nonne ſub genericis figurarum, imaginum, ac repræſentationum nominibus comprehenduntur? Tertullianus l. 2. contra Marcion. potiori quidem jure ait: *Non videntur ſimilitudinum prohibitarum Legi refragari, non in eo ſimilitudinis ſtatu deprehenſa, ob quem ſimilitudo prohibetur*.

℣. 5. Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes.] Vox fortis non adeſt in textu. Hebraicus textus, & Samaritanus, cum Syriaca verſione legunt: *Quoniam ego ſum Dominus Deus tuus, Deus zelotes* [4]. Deus ait, ſe zelotem eſſe fidelitatis populi ſui, veluti ſponſus conjugis ſuæ: quæ locutio ſummum ipſius erga illum amorem ſignificat. Fœdus, quod init cum Iſrael, connubii ſimilitudine in ſcri-B pturis repræſentatur, Ezech. 16. 8. 9. & paſſim; atque populi hujus infidelitates vocantur adulteria (Ezech. 23. 3. 15. 16. & ſeq. Oſee 4. 10.), ſeu fornicationes; & cum Deus ſe populum ſuum derelicturum minatur, ait, ſe illi repudii libellum daturum, eumque dimiſſurum. Jerem. 3. 2. Iſaiæ 50. 1. *Quis eſt libellus repudii matris veſtræ, quo dimiſi eam ..... Ecce in ſceleribus veſtris dimiſi matrem veſtram*. Vatablus contendit Hebraicam vocem *Kana* non ſignificare ſolum zelotypiam inter amantes, & conjuges, verum etiam alicujus indignationem, qui injuriis affectus doleat, ac pro injuriis etiam proximorum ſuorum vehementer exardeſcat. S. Chryſoſtomus hom. 55. in Joan. ait, hæc Moyſis verba: *Deus viſitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam, & quartam* C *generationem*, intelligenda eſſe tantummodo de filiis patrum, qui de Ægypto cum Moyſe fuerunt egreſſi; qui cum teſtes fuiſſent prodigiorum, quæ Deus pro illis, & coram patribus eorum patraverat, non erant ideo obedientiores facti, ſed duritiam, & defectionem patrum ſuorum imitari perſequebantur.

Visitans iniquitatum patrum in filios, in tertiam, et quartam generationem.] Patrum plerique [5], ac Theologorum explicant vulgo de filiis impiis, qui patrum ſuorum nequitias imitantur. Onkelos, ac plures eruditi Interpretes eodem pacto intelligunt; & Scriptura hanc inſinuat explicationem, cum adjicit, *eorum, qui oderunt me*. *Quia paternum extiterunt æmulatores*, inquit S. Hieronymus in Ezech. lib. 6. cap. 18. initio: *& oderunt Deum, hæ-* D *reditario malo, & ramos quoque de radice creſcentes*.

Alii patres ſimplicius id intelligunt, & magis ad litteram videntur accedere. Deus quandoque filios plectit, licet innocentes pro noxiis patribus, uſque ad tertiam, & quartam generationem. Ita quoque filii Iſraelitarum, qui contra Dominum in deſerto obmurmuraverant, quadraginta annorum exilio mulctati ſunt propter patrum ſuorum inobedientiam, Numer. 14. 33. *Filii veſtri erunt vagi in deſerto annis quadraginta, & portabunt fornicationem veſtram*. Ob ſcelus Acham nonne Deus pœnas ſumpſit de eodem, de univerſa familia ipſius, & de cuncto etiam Iſrael? Et tamen unum illum noxium fuiſſe Scriptura teſtatur, Joſue 22. 20. *Et ille erat unus homo, atque utinam ſolus periiſſet in ſcelere ſuo*. David ob E adulterium punitus fuit morte filii, quem primum ex Bethſabea genuerat 2. Reg. 12. 15. Ob Regis hujus ſuperbiam, propter quam populi ſui cenſus initus eſt, Dei ſupplicia ſuper univerſum Iſrael cecidere 2. Reg. 24. 15. Adoleſcentes Chananæorum filii, quibus non erat rationis uſus, cum illuc ingreſſi ſunt Iſraelitæ, cum profecto patrum ſuorum ſceleris participes non eſſent, non ideo pepercit Deus, quin Iſraelitarum gladiis perimerentur, ut Sanctus Auguſtinus animadvertit lib. 3. operis imperfecti con-

[1] כל תמונה
[2] Ὁμοίωμα. Vide Origen. ibidem.
[3] Rabb. apud Selden. de jure nat. & gent. c. 6.
[4] כי אנכי יהוה אלהיך אל קנא
[5] Aug. contra Adimant. c. 7. n. 1. & 2. & qu. 42. in Deut. & Author. quæſt. Veter. Teſtam. qu. 14. apud Aug. Greg. Mag. l. 15. Moral. c. 22. &c.

contra Julianum cap. 22. : *Nonne per ſuorum parentum peccata, quorum nec conſcii, nec imitatores eſſe adhuc poterant, divino judicio, pœnam ſubiere communem?* Deus ſæpius in principes nequam animadvertit, innoxiis eorum populis mala immittens, neque injuria, inquit Auguſtinus quæſt. ad orthodoxos qu. 138. *Non injuſte Deus facit, ſi propter Regum lapſus populum ulciſcitur; ſolet enim maxime angere Reges clades populi*. Eodem ferme pacto, inquit ille, quo injurium nequaquam eſt, ſi hominis, qui manibus ſcelus patrarit, aliæ corporis partes plectuntur; ita Deus principem puniens ſubditorum illius calamitatibus, & infortuniis, quibus eas terras objicit, quibus ille dominatur, & quarum caput eſt, nihil non juſtiſſimum peragit. Duritia, & prava cordis Judæorum diſpoſitio ea erat, Tertullianus ait lib. 2. contra Marcion. cap 15. quæ merebatur, ut Deus illos ſibi obnoxios ſervaturus minitaretur, ſe ulturum eſſe in filios eorum uſque ad tertiam, & quartam generationem, ut ſi propriis non afficerentur malis, iis ſaltem affligerentur, in quæ poſteritatem ſuam agebant præcipitem. *Duritia populi talia remedia compulerat, ut vel poſteritatibus ſuis proſpicientes, legi divinæ obedirent*. Sæpius evenit, ut filii occumbant, non ita tamen propter ipſorum peccata, ſed propter parentum ſuorum ſcelera, inquit Sanctus Athanaſius lib. quæſt. ad Antioch. princip. qu. 68. 69. Deus hoc pacto duo ſibi majora bona proponit: alterum quidem, nam filios educit de corruptione, ipſiſque beatitudinem impertit; alterum vero, quod genitoribus locum tribuit pœnitentiæ: ſed hac in re alia arcana poſſunt illi eſſe conſilia, quæ nos maxime fugiant.

Theodoret. quæſt. 40. In Exod. & Sanctus Hieronymus aliam etiam loci hujus tradunt explicationem. Deus miſericors impiorum patrum crimina, ad tertiam uſque, & quartam generationem ſibi mulctanda reſervat in filios ipſorum, qui parentum referunt impietatem. Iſraelitæ idola in Ægypto adoraverant; eorum filii ipſorum veſtigiis inſtiterant uſque ad quartam generationem: qui de Ægypto ſunt egreſſi quinta generatione majorum ſuorum ſuperſtitiones non reliquerunt; vitulum aureum in deſerto adoravere; quamquam plurimorum miraculorum, quæ pro illis patraverat Deus, teſtes fuiſſent: denique eorum ingrati animi vitio pertæſus Deus in eoſdem ſumma iræ ſuæ ſeveritate animadvertit. Deus expectat, ut criminum in impiis menſura adimpleatur, ait Sanctus Hieronymus ad Demetriadem, quare dicit in Amos cap. 1. 6. & 2. 1. *Super tribus ſceleribus Gazæ, & ſuper quatuor non convertam eum*; & Jeſus Chriſtus in Evangelio Matth. 23. 32. *replete menſuram patrum veſtrorum*.

Origenes hom. 8. in Exod. hoc explicat moraliter, ac ſpiritualiter. *Deus viſitat iniquitatem patrum in filios, in tertiam, & quartam generationem*; videlicet punit authores mali, eos, qui illud patrarunt, qui conſilium dederunt, qui opus locarunt. Punit non ſolum immediatos authores, qui ſunt veluti criminis patres; ſed eos quoque, qui indirecte magis & procul vel patrarunt, vel, ut aliquis patraret, effecerunt. Grotius in explicat. Decal. ut græca extat, aſſerit, Deum minitari ob idololatriæ crimen, in patres, & filios, uſque ad tertiam, & quartam generationem eſſe animadverſurum. Obſervat autem ea omnia, quæ præcedunt reſpicere hoc ſcelus. Alibi vero (lib. 2. de jure belli, & pacis cap. 21. §. 14.) ait, in his ſuppliciis Deum ſupremo abſoluti dominii jure uti, quo in hominum vitam, ac bona dominatur.

Huic Moyſis, quem explicamus, loco, alii ex iiſdem libris, ac Prophetis objiciuntur loci, qui illi adverſari videntur. Exempli gratia, Deuter. 24.16. Deus vetat Judicibus populi ſui; *Ne occidantur patres pro filiis, nec filii pro patribus*: ſed jubet, ſontem noxæ pœna mulctari: *Unuſquiſque pro peccato ſuo morietur*. Poteſtne Deus alias ſequi Leges in ſuppliciis, quibus homines plectit, quam quas populi ſui judicibus præſcribit? Ieremias 31. 29. 32. & Ezechiel. 18. 4. (*anima, quæ peccaverit, ipſa morietur*) Iudæorum queſtus exponunt, qui dicebant olim: *Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obſtupuerunt*. Verum queſtibus illorum reſpondit Deus per prophetas eoſdem, proverbium hoc non amplius abiturum in Iſrael; ſed quemcumque in iniquitate ſua moriturum, neque filium patris ſui, neque filii patrem criminum pœnas eſſe ſubituros. Denique conſtans hoc dogma eſt, quod univerſa probat Scriptura, Deum numquam noxios plectere cum innoxiis. Huic innititur argumento Abraham, cum urbes Sodomam, & Gomorrham ab ipſarum univerſali excidio conatur eripere, Geneſ. 18. 25. Moyſes dicit Deo in Numerorum libro 16. 22. *Num per unum contra omnes ira tua deſæviet?* Denique Jeſus Chriſtus in Evangelio Matth. 16. 27. ſe redditurum pollicetur, *Unicuique ſecundum opera ejus*. Quomodo igitur fieri poteſt, ut Deus ulciſcens contra innocentes impiorum patrum filios deſæviat?

Verum iis omnibus occurrere poſſumus. Primo, Deum numquam mulctaſſe innocentem uti ſontem, ſuppliciis realibus, atque effectivis. Si quando patitur innocentem opprimi, ac publicis involvi calamitatibus propter patrias iniquitates, ſupplicia hæc viris juſtis, ac pietate præditis, origo ſunt, ac fons beatitudinis, & gloriæ. Calamitatis, & afflictionum tempore illi patientia ſua magis in dies expiantur, atque his infelicitatibus ad æterna gaudia evehuntur. Itaque illorum habito reſpectu dici nequit, ſupplicium hoc malum eſſe, vel pœnam, quoniam nullo eos bono ſpoliat, ſummis vero auget felicitatibus.

Secundo, cum Deus populi ſui judicibus prohibet innocentem cum impiis involvere, nos cognoſcere cupit, quodnam diſcrimen interſit inter hominum judicia, ac ſua. Deus, quemadmodum ſupremus judex, infinite ſapiens, omniaque a longe cognoſcens, criminum magnitudinem ſuppliciis novit æquare. Pœnam ſenſibilem, atque exteriorem in res dumtaxat temporales immittere tum ſuper noxios, cum ſuper inſontes cognovit ob eas rationes, quæ, quamquam nobis lateant, non ideo tamen juſtæ minus ſunt, minuſve ſapientes; ſed non id de temporali Judice dixeris, qui cum circumdatus ſit infirmitate, atque inſcitia, illique affectus, ac præjudicia dominentur, in juſtorum ſuppliciis excedere poteſt, inſontibus autem forſitan condonare. Non licet homini malum agere, ut inde fluant bona, Roman. 3. 8. & ſi aliquando Leges civiles permittunt, ut inſontes filii ob patrum ſcelera mulctentur, hoc tantum eſſe poſſet in caſu extraordinario, & eo conſilio, ut magnum aliquod malum evitaretur, magnum vero bonum compararetur; exempli cauſa, ut pravi exempli arcerentur effectus, pax in Imperio quodam ſtatueretur, publicæque populorum conſuleretur utilitati. Demum ſemper e Republica, atque ſocietate eſt innoxii alicujus pœnam pati, potiuſquam ſontes pœna vacent, vel pravis detur licentia graſſandi exemplis, quæ nefarii homines imitentur. Iis in cauſis nequaquam aliter acturus videtur ſupremus Iudex, atque ipſius mentem aſſequi, ac veſtigiis inſiſtere credunt homines innocentem, nocentemque ſimul plectendo.

Tertio, promittit Deus, futurum ut non dicatur amplius in Iſrael, quod olim dicebatur; nec queſtibus locum fore, eo quod pro filio pater, pro patre filius mulctetur; verum ſupponit, filios in parentum ſuorum crimina non abituros, neque ullam patribus partem futuram in filiorum ſuorum peccatis. Senſus hic apparet ex Ezechielis citati loci decurſu 18. 25. *Et dixiſtis: Non eſt æqua via Domini. Audite ergo domus Iſrael: Numquid via mea non eſt æqua? & non magis viæ veſtræ pravæ ſunt?* &c. Deus non fatetur, ſe pro patribus nequam juſtos percuſſiſſe filios; diluit e contra criminationem hanc verſ. 25. & ſeq. verum illud non inficiatur, filium impium aliquando fuiſſe mulctatum propter patris iniqui-

iniquitates ſeverius, quam pœna propter crimina ſua fuiſſet affectus; atque iſtud intelligendum eſt de communibus, ac publicis punitionibus, veluti bellis, totius populi captivitate, quæ bonum cum homine nequam involvunt. Deus plerumque hæc mala non immittit in eos, qui primi malorum authores extitera, & qui magis nocentes ſunt; pluses ſæpius generationes operitur, antequam ſenſibili ratione juſtitiæ ſuæ prodat ultionem. Tunc animadvertit in peccata non modo viventium, verum quodammodo etiam defunctorum, eos, ut ita dicam, cum fœnore plectens: *Tarditatem ſupplicii gravitate compenſat*. Hæc autem in Sodomæ, ac Gomorrhæ excidio contigiſſe liquet, & deinceps in ea ultione, quam in Chananæos in Hebræorum manus traditos exercuit; & demum in Iſraelitarum diſperſione, & captivitate. Qui ex ipſis in ſervitutem Babylonem abducti fuere, re quidem vera non omnino culpa vacabant; ſed ipſis fortaſſe patres eorum nocentiores fuere, qui pacifice in terra Iſrael occubuerant.

Quod autem Deus filios propter parentum ſuorum delicta puniat; id toties, atque paſſim adeo repetunt Scripturæ, ut ambigi nequeat, quod noluerit hoc pacto Deus Judaico populo ſupremæ juſtitiæ ſuæ ſpecimen præbere, quæ merito ſemper plectit, quamvis illius rationes non ſatis ſemper appareant. *Nullus apud te* (Domine) *per ſe innocens eſt: qui reddis iniquitatem patrum filiis, ac nepotibus in tertiam, & quartam progeniem*, inquit Moyſes Exod. 34. 7. & Job. 9. 17. *In turbine conteret me, & multiplicabit vulnera mea etiam ſine cauſa*. Et Pſalmiſta pſal. 18. 14. *In memoriam redeat iniquitas patrum ejus in conſpectu Domini, & peccatum matris ejus non deleatur*. Et Tobias 3. 3. *Non reminiſcaris delicta mea, vel parentum meorum*. Et Jeſus Chriſtus in Evangelio Matth. 23. 35. *Ut veniat ſuper vos omnis ſanguis juſtus, a ſanguine Abel juſti, uſque ad ſanguinem Zachariæ*. Quando permittit Deus, ut nobis vel corporis vita, vel fortunæ bona eripiantur, nihil nobis adimitur, quod proprie, ac abſolute noſtrum ſit: habet ille in hæc omnia perfectum, abſolutumque dominium.

Sanctus Auguſtinus Enchiridion cap. 46. & epiſt. 98. nov. edit. locum hunc explicat de filiis, qui oriuntur ſontes, non ſolum criminis Adam, verum ſcelerum quoque parentum propriorum, unde vitam arripuere. Hos ſententiæ illi putat obnoxios: *Viſitabo iniquitatem patrum in filios in tertiam, & quartam generationem*, donec in novum fœdus per regenerationem minime ingreſſi fuerint; atque hanc eam eſſe felicem regenerationem, quam Ezechiel prævideràt, dicens, *parabolam illam non ultra futuram in proverbium in Iſrael: Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt*. Nam in Baptiſmate criminis hujus, cum quo naſcimur omnes, remiſſionem accipimus.

℣. 6. FACIENS MISERICORDIAM IN MILLIA HIS, QUI DILIGUNT ME.] Nequimus ſine repugnantia quadam audire, Deum ultricis juſtitiæ ſuæ effectus in filios eorum extendere, qui eum læſerunt, uſque ad tertiam, & quartam generationem: quoniam ſententia hæc injuſtitiæ ſpecimen quoddam complecti videtur, cujus haud capacem Deum arbitramur. *Sub Deo juſto nemo miſer eſſe, niſi mereatur, poteſt*, inquit Sanctus Auguſtinus. Quoad miſericordiam vero res non ita ſe habet. Quemadmodum ea ſimpliciter eſt gratuita, & Deus quos vult, illius effectus experiri facit, facile intelligimus, ipſum eam quouſque lubet extendere erga illos, a quibus amatur, atque erga poſteros illorum. Scripturæ omnes de bonitatis Dei loquuntur exceſſu. Neque enim illi ſatis eſt amicos ſuos beneficiis omnibus cumulare; verum large, effuſeque in eorum filios habita meriti patrum ratione liberaliſſima impertit. Quot enim beneficia ob ſanctos Patriarchas Abraham, Iſaac, & Jacob, eorum poſteri non acceperunt? Quoties Veteris Teſtamenti viri ſancti in precibus ſuis ad Deum non invocarunt amicorum ſuorum nomina: horum Patriarcharum, de quibus locutus ſum: David, qui fuit vir juxta cor illius? Hebræi, ut Dei miſericordiæ magnitudinem oſtendant ſuper juſtitiam, hac utuntur ratione loquendi. Sanctus Michael, qui ultionem ſignificat, una tantum ala volat; ſed Gabriel duabus. Sanctus Paulus melius cap. 2. 4. ait: *Deus, qui dives eſt in miſericordia*; & Pſalmiſta pſal. 144. 9. *Miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus*.

℣. 7. NON ASSUMES NOMEN DOMINI DEI TUI IN VANUM.] Sine juſta cauſa non aſſumes illud; non inaniter, & abs re divinum nomen hoc enunciabis. Hebraicus textus [1] *Non aſſumes nomen Domini Dei tui, ne falſum affirmes*. Plures inveniuntur loci [2], ubi Hebraicum *Schave* mendacium ſignificat. Et Moyſes ipſe in Deuteronomio utitur voce *Schave*, ubi Legem repetit, quæ falſum teſtimonium interdicit. Chaldaica verſio habet: *Non jurabis inutiliter nomen Dei; quia apud Deum non erit innocens, qui pejeraverit*. Ubi videmus, inutiliter jurare poſitum, perinde ac æquipolleat verbo pejerare.

Melioris notæ Interpretes [3] conveniunt, Deum hic non prohibere ſimpliciter inania, ac cum levitate peracta juramenta; verum etiam mendacium, ac perjurium condemnare. Judæi, qui Domini noſtri ævo [4] aderant, ſibi fas eſſe arbitrabantur per cœlum, per terram, per urbem Hieruſalem, per proprium caput jurare. Putabant, quod per Templum jurare, minimum adſtringeret; ſed per aurum Templi jurantes tenerentur; uti quoque per altare [5] jurare, nihilum eſſet; juramentum vero per oblationes, quæ ſuper aras fiebant, obligaret. Jeſus omnes has explicationes ſubvertit; & Pſalmiſta eorum, qui benedictionem Domini accipiunt, albo illum adſcribit, *qui non accepit in vano animam ſuam, nec juravit in dolo proximo ſuo*. Pſalm. 23. 4. Vulgatum apud Hebræos jurandi genus erat: *Vivit Dominus, & vivit anima tua*. Philo de ſpecial. legib. ſuadet, ſi quis jurare velit, adhibere potius terræ nomen, Solis, aſtrorum, cœli, ac mundi totius, potiuſquam omnipotens Nomen Dei. Addit quoque quoſdam proclives adeo eſſe ad jurandum, ut minimum attendant, vel ad locum, utrum ſacer ſit, an profanus; neque ad tempus, utrum deceat, nec ne; neque ad ſe ipſos, utrum mundi ſint corpore, & ſpiritu; neque ad negotia, utrum magni momenti ſint, necne. Minimum animum advertunt, quod frequentia juramenta non ſunt ſigna, quæ bonam ipſorum fidem probent: ſed eſſe in contrarium argumenta. Dei nomen tripliciter in vanum aſſumitur. Primo, jurejurando aſſerendo factum iri, quod fieri nequit. Secundo, affirmando id, quod ſcis eſſe falſum. Tertio, Nomen Dei temere, audacter, & ſine cauſa enunciando.

Theodoretus q. 41 in Exod. aliique plures [6] contendunt lege hac cautum eſſe, ut ſanctum Dei nomen adhibeatur in aliis rebus, præterquam ſanctis, utili-

---

1 לא תשא את שם יהוה לשוא.
2 Vide Deuteronom. 5. 20. Exod. 20. 16. Levitic. 19. 12. Pſalm. 4. 5. 37. 13. 61. 10. Ezechi. 12. 24. & 13. 6. Oſee 10. 4. & 12. 2. Jonas 2. 9. Zach. 10. 2. Matth. 5. 33.
3 Vatablus, Grotius, Eſtius &c.
4 Matth. 5. 33. 34. 35. 36.
5 Matth. 23. 16. 18.
6 Munſterus, Marianus, Rivetus, Bonfrerius, Menochius &c.

utilibus, ac neceſſariis; quis illud enunciet, niſi ... rando, docendo, aut in aliis id genus occaſionibus; ne quit ludens, irridens, loquendi gratia, quod nimis frequens eſt, illud appellet. Tertullianus de Idol. c. 20. & alii quidam Patres [1], credidere Deum hic interdicere, ne quis nomen illius Idolis tribuat, ac inanibus Diis, qui quandoque in ſcriptura *vanum*, aut *vanitas* nuncupantur. Lex quoque hæc continet edictum, nequaquam Deorum alienorum nomina in juramentis adhibendi (Exod. 23. 13.) & nomen Dei blaſphemandi. *Levit.* 24. 16.

Nec enim habebit insontem, qui assumpserit nomen Domini Dei tui frustra.] Non excipiet illum Dominus tanquam innocentem, verum in ipſum ſeveriſſimis [2] aget ſupliciis. Hæc eſt *Lyteti* ſermonis figura, quæ rem inviſam imminuit. Chaldaice; *non juſtificabit illum*; videlicet, *veluti ſontem* B *pleſtet*. Infert hinc Eſtius præceptum hoc alia prohibere præter ſimplicem facilitatem uſurpandi nomen Dei, ut in rebus levibus veritas aſſeratur. Ex pœnæ ſeveritate conjicitur intelligendum eſſe de perjurio. Hebræi [3] docent, ſi quis alium audit nomen Dei fruſtra jurantem, aut falſo, aut cum blaſphemia, debere illud anathemate ferire: quod ſi illum non ferit, debere ſe ipſum huic pœnæ ſubmittere. Si quis coarguebatur eo quod ſciens juraſſet, flagellis damnabatur: ſin autem inconſultus juraſſet, nulli pœnæ tenebatur, nullique ſacrificio.

℣. 8. Memento, ut diem Sabbathi sanctifices.] Oſtendimus ad Gen. 2.3. Sabbathi obſervantiam temporibus Moyſis tantum cognitam fuiſſe. Ad- C notavimus etiam Exod. 16. 23. præceptum hoc traditum fuiſſe in Sinai. Hic reliquæ nobis partes ſunt, ut oſtendemus in quo hæc Sabbathi obſervantia conſiſtat. Deus hunc diem jubet ſanctificari, atque die hac ab omnibus operibus ſervilibus abſtineri, atque ab iis omnibus, quæ ab Creatoris cultu poſſunt avertere, qui ſeptima die poſt mundi creationem quieverat. *Deus ſanctificat ſeptimam diem*; ſcilicet ſeparat, ab aliis diebus diſtinguit, eam ſuo cultui, ac venerationi deſtinat.

Homo naturali lege tenetur omne tempus ſuum Deo tribuere, atque ad illud ſe ipſum, omneſque actiones referre. Verum in ea neceſſitate in plurima neceſſaria negotia ad vitam ſervandam, atque ad legibus ſocietatis, cui tenetur, ſatisfaciendum tem- D pus dividendi, Deus unum in hebdomada ſtatuit diem, quo vult, ut quiſque ſæcularibus exutus curis magis peculiari ratione illi vacet. Itaque lex Sabbathi legem naturalem determinat, quæ determinatio cum ſit de jure poſitivo dumtaxat, in Dominicum diem, quo Eccleſia Chriſtiana colit Jeſu Chriſti reſurrectionem, transferre potuit obligationem conſecrandi in Domini cultum unius diei in hebdomada.

Prior, atque magis indiſpenſabilis hujus præcepti obligatio eſt cultui, ac Domini ſervitio vacare eo pacto, quo ille præcepit. Vera Feſtivitas in eo ſtat præcipue, ut quiſque debitum ſuum perſolvat, *Thucydides ait* l. 2. Secunda obligatio, quæ ex priori conſequitur, in eo eſt, ut generatim ab iis omnibus noſmet abſtineamus, quæ a Dei cultu nos dimovere poſ- E ſent; & præſertim ab omnibus ſervilibus operibus, quæ cum ſpiritus requie, & pace cordis ſimul eſſe non poſſunt, quæ neceſſaria ſunt, ut cultus noſter Deo fiat acceptus. Hoc autem notatur ℣. 10. *Non facies omne opus in eo*.

Primum Dei in hoc præcepto conſilium eſt ſervandi in homine orbis conditi memoriam. Infundere quoque conatur in Iſraclites humanitatem, erga ſervos ſuos, alienos, ac etiam animantia, illis requiem Sabbathi indicens: *Sanctificabis*, ait, *diem Sabbathi*

A *tu, & filius tuus, & filia tua, ſervus tuus, & ancilla tua, jumentum tuum, & advena, qui eſt intra portas tuas*.

Judæorum ſententiæ quoad modum, quo ſe teneri ad Sabbathi obſervantiam arbitrabantur, non uſquequaque uniformes fuere. Id ſibi alio tempore quædam licere cenſuerunt, quæ alio nefas putarunt. Vide Buxtorfium Synag. Iud. c. 11. Macchabæis imperitantibus ea reverentia Sabbathum coluere, ut ea die ne ſe defendere quidem auderent, etiam juſto in bello, atque cum maxime urgeret neceſſitas; ſed deinde nulla eos vetuit religio, quin ſe ſe tutaturi ad arma confugerent. 1. Macc. 2. 34. &c. Maimonides apud Cunæum de rep. Hebræorum l. 2. c. 22. docet quoque Hebræis licere Æthnicorum urbes obſidione B vallere, ac præliari adverſus illos die Sabbathi. Tempore Jeſu Chriſti armentum agebant potum, e foveis eruebant, ſi forte illuc Sabbatho ciciderat, Matt. 12. 10. 11. 12. ſed irridenda prorſus religione, Dominum arguebant, quod ea die curaret infirmos. Hodie, ſi quod animal in foveam cecidiſſet, eum Sabbatho nolunt educi, ſed tantum illi eſcam deferri illuc, ubi reperitur.

Liquet ex Moyſe die Sabbati iter aliquod peragi potuiſſe. Unuſquiſque a tentorio ſuo ad Tabernaculum Domini poterat proficiſci, & qui magis abeant, ad duo paſſuum millia ſaltem diſtabant. Rabbini docent [4], licuiſſe ad duodecim millia paſſuum proficiſci; ſed deinde ſpatium hoc imminutum fuit, ut videbimus infra. In Deuteronomio c. 16. 7. dicitur, quod C Paſchalis agnus veſpere Paſchatis immolabitur, & mane in craſtinum quicumque abire poterit: quin itineris, quod inire poſſint, longitudo determinetur. *Et coques, & comedes, maneque conſurgens vades in tabernacula tua*. Eliſæi hoſpita 4. Reg. 4. 23. cum vellet hunc Prophetam inviſere, eumdem efflagitatura, ut defunctum filium ab inferis excitaret, vir ipſius dixit illi: *Quam ob cauſam vadis ad eum? hodie non ſunt calendæ, neque Sabbathum?* Illa igitur eo aliquando die Sabbathi proficiſcebatur, aut diebus Neomeniæ; & via non adeo erat brevis. A *Sunam* ad Montem Carmelum, ubi Eliſæus morabatur, tres ſaltem intercerant leucæ. Non igitur hactenus conſtitutum erat, ut deinceps, iter Sabbathi duorum mille cubitorum ab urbis porta, qui ſunt paſſus mille, vel D octo ſtadia. Legimus in Actis 1. 12. Montem Olivarum abeſſe ab Ieruſalem, quantum itineris Sabbatho fieri licet. Interpres Syrus ſeptem intereſſe inquit ſtadia, videlicet octingenti, & ſeptuaginta quinque paſſus: ſed Ioſephus Antiq. l. 20. c. 6. quinque tantum ſtatuit, ſcilicet ſexcentos paſſus, & viginti quinque. Itaque videtur ſpatium itineris in Sabbatho, non ſatis eſſe conſtitutum. Ut hæc minuta ſcrutemur, non prolixius adlaborabimus: hoc profecto conſtat, itinera longa die Sabbathi expleri non potuiſſe: Cavete ne fiat *fuga veſtra hieme vel Sabbatho*; Salvator ait in Evangelio Matt. 24. 20. & Ovidius;

Invitos currere coge pedes.

Nec pluvias opta ures ſi peregrina morentur Sabbatha.

E Lex Sabbathi requiem ſeverius imperabat, quam aliarum feſtivitatum, uti oſtendimus cum de Paſchate diſſereremus. Ignem accendere, eſcas præparare diei Sabbathi nefas erat: hoc autem erat fas die Paſchatis, Exod. 12. 16. Ob Sabbathi violationem ſupplicium mors erat Exod. 25. 2. idque contigiſſe in eo videmus homine, qui Sabbatho ligna colligebat Num. 15. 32. & ſeq. Philo l. 3. de vita Moſ. aſſerit, diebus Sabbathi Moyſen conſueviſſe populi concionem indicere, eum de iis, quæ ipſi agenda eſſent, vel dicenda, edocere, & illis vias præſcribere, quibus virtu-

1 Clem. Alexandr. & Cyrillus.
2 Grotius, Menochius, Riverus &c.
3 Maimonid. tract. Schebuoth c. 12.
4 Talmudici, Maimonid. & Mikotzi &c. apud Selden. de jure nat. gent. l. 3. c. 9.

virtutem adipiſcerentur, in dies proficerent magis, & vitam, moresque melius inſtituerent: quare fit, ut ad hanc uſque diem, inquit ille, Judæi Sabbathum ſanctificent legibus patrum ſuorum ſtudentes, & naturales res meditantes.

Samaritani præ Judæis magis religioſi ſunt, vel ſi lubet, ſuperſtitioſi Sabbathorum obſervatores. Ignem non accendunt, connubia non exercent, a loco ſuo non moventur, niſi ut in domum Domini proficiſcantur; atque nihil aliud tota illa die peragunt, niſi Legem lectitare, Deum rogare, illi gratias agere [a].

Sabbathum incipiebat die Veneris veſpere, & Sabbatho eadem hora deſinebat. Levit. 23. 32. *A veſpera uſque ad veſperam celebrabitis Sabbatha veſtra*. In unaquaque domo lampas accendebatur ſub noctis initium, qua hæc feſtivitas incipit. Id liquet ex Seneca. Judæi id nunc quoque facere conſueſcunt. Vide Leonem Mutinenſem par. 3. c. 2. de cerem. Judæor. Ethnici authores de Sabbathi jejunio ſæpius loquuntur; perinde ac ea die regulariter jejunia ſervaſſent: *Recutitaque Sabbatha palles*, ait Perſius ſat. 5. Et Petronius: *& non jejuna Sabbatha lege premet*. Et Iuvenalis de Iudæa loquens ait, Reges ibi diem Sabbathi nudis pedibus tranſigere

Obſervant ubi feſta mero Sabbatha Reges.

Verum Scaliger ad Euſeb. Can. Iſagog. l. 2. obſervavit jure, Ethnicos appellare Sabbatha, quaſcumque Judæorum feſtivitates. Horatius Noemeniam vocavit Sabbatha triceſima.

.... Hodie triceſima Sabbatha; vin tu
Curtis Judæis oppedere?

& quemadmodum quadam e feſtivitatibus ſuis illi jejunabant, exempli cauſa, die Expiationis ſolemnis, Ethnici retulere, illos Sabbathis jejunare conſueviſſe. Seldenus de jure nat. & gent. l. 3. c. 15. obſervat etiam, quemadmodum judæi pleromque bis in hebdomada jejunabant, Luc. 18. 12. *Jejuno bis in Sabbatho*; ſcilicet feria ſecunda, & quinta; & duo hi dies, uti & Sabbathum poſt ſeptenos orbes revertebantur, inde occaſionem arreptam fuiſſe dicendi, quod Judæi Sabbatho jejunarent; quod omnes Hebræi refellunt, qui unioni conſenſu docent, ea die jejunium eſſe interdictum.

Profani authores, qui de Iudæorum Sabbatho locuti ſunt, invidiam, ac inſcitiam ſuam detexere, cum feſtivitati huic originem tribuere voluerunt. Diodorus Siculus credit Hebræos diem Sabbathi in honorem Saturni celebraſſe, quia apud Ethnicos dies illa falſo huic numini erat dicata, atque dies Saturni appellabatur. Sed Plutarchus in Sympoſ. l. 4. ait Hebræos in honorem Bacchi Sabbathum coluiſſe, quia in Bacchi ſolemnitatibus, clamabatur; *Saboi*. Author hic addit Iudæos diebus Sabbathi ebrietati, & ſolatiis vacaſſe, & maximum illorum Pontificem ea die apparere conſueviſſe mitra exornatum, & cothurnis, & caprina pelle tectum, vel oblonga veſte indutum, cujus imam partem crepitacula ornarent. Refert autem in ipſorum ſacrificiis cymbala perſonare, neque umquam mel offerri. Ex hac narratione lumen aliquod veritatis apparet, plurima fabuloſarum circumſtantiarum turba involutum.

Appion Grammaticus neque præ ceteris æquus erat Iudæis, neque de ipſorum ritibus magis edoctus, quamquam ævi ſui ſapientiſſimus haberi voluerit. Exprobrat autem Iudæos, perinde ac Sabbathum celebrarent, quod die illa turpi infirmitate eſſent liberati, quam Ægyptii *Sabbo* nuncupant. Lactantius Sabbathi nomen a voce *ſeptem* derivat. Sed conſtat fluere ex Hebraico *Schabbat* שבת, quod ſignificat requiem.

℣. 10. NON FACIES OMNE OPUS IN EO.] Nullam artem exercebis; nullum opus ſervile operaberis, ut temporale aliquod lucrum acquiras. Veteres ſæpius legem hanc cum exceptione recitant: Tertullianus

A adverſus Iudæos 4. *Omne opus ſervile non facietis in eo, præterquam quod ad animam pertinet*; & l. 4. contra Marcionem: *Non facietis omne opus in ea, niſi quod fiet omni animæ*. Hieronymus ad cap. 58. Iſajæ: *Lege præceptum eſt ne in Sabbatho opus ſervile faciamus .... ut illa tantum faciamus, quæ ad animæ ſalutem pertinent*; ita alii alites, perinde ac Lex ita eſſet lata: *Non facies omne opus ſervile in eo, niſi in iis rebus ubi periculum vitæ immineret*. Quod a vetuſtiſſima gloſſa deſumptum eſt, cui ſumma acceſſit authoritas, & ex veteribus Iudæorum libris, & ex Ieſu Chriſti ipſius teſtimonio in Evangelio Matth. 12. 35. ubi docet eruendum e fovea animal, quod illuc die Sabbathi deciderit. Sed recentiores Rabbini aliter conſueſcunt, cum nihil illis ſit antiquius, quam

B Scripturarum noſtrarum authoritatem imminuere, atque a noſtris dogmatibus quam longe diſcedere. Doctores Iudæi Sabbathi obſervantiam quamplurimis adeo minuſculis obligationibus onerarunt, ut eas penitus exequi impoſſibile videatur, ita ut conſiteri minimum ambigant; ſi populus Iſrael duo Sabbatha obſervare poſſet, uti decet, eſſe futurum, ut ſtatim omnibus iis malis, quibus obnoxius eſt, liberaretur. Vide Buxtorfium Synagog. Iud. c. 11. Eorum religio eo uſque pervaſit, ut pomum vel coquere, vel mundare, pulicem, vel muſcam, vel aliud quodpiam inſectile, cujus ſonus notari queat, interficere; cantare, vel fidibus pulſare, ita ut infans obdormiens excitari queat, ſummum ſit nefas.

SERVUS TUUS, ET ANCILLA TUA, JUMENTUM

C TUUM.] Deus hoc præcepto dominorum in ſervos duritiam moderatus eſt; atque ut illis majorem inſtillet humanitatem erga ipſorum ſimiles, vult, ut eamdem in beſtias ipſas exerceant, quæ ipſis in laboribus eorum inſerviunt. Veteres velut expiandum crimen cenſuerunt, animalia, quæ nobis inſervierunt, perimere. Porphyrius de abſtinen. l. 4. de Eſſæis aſſerit Eſſæos numquam eis necem intuliſſe, neque in gravioribus belli neceſſitatibus. Lex Triptolemi (idem de abſt'n. l. 4. [illegible]) vetabat percutere, atque excruciare animalia. Apud Romanos numquam, neque feſtivis diebus requies permittebatur mulis, equis, & aſinis. Cato de re ruſtica c. 138. *Mulis, equis, aſinis feriæ nullæ, niſi in familia ſunt*.

SERVUS TUUS, ET ANCILLA TUA.] Hebræi domi-

D ni ſervos ad Sabbathi obſervantiam cogere non poterant, niſi Iudaica Religione per circumciſionem eſſent initiati, ſi homines erant, vel baptiſmate, ſi mulieres. Non poterant autem adhibere ſervos ſuos, neque animalia, neque hos advenas, qui ad Sabbathi obſervantiam minime tenebantur, ut pro ipſis die Sabbathi adlaborarent. Vide Seldenum l. 3. c. 12. de jure nat. Neque Domino licebat ſervum, aut bovem Ethnico commodare, ut illorum opera die hac uteretur.

ET ADVENA QUI EST INTRA PORTAS TUAS.] Duo advenarum genera in Iſraelitarum urbibus immorabantur. Alii *Proſelyti juſtitiæ* vocabantur, alii vero *Proſelyti forium*. Proſelyti juſtitiæ, & liberti; ii videlicet, qui e Servis Iudæi fiebant, & hoc pacto in

D libertatem manumittebantur; atque ut uno me expediam verbo, qui in Iudæorum Eccleſiam erant ingreſſi per circumciſionem, ac Iudaicæ legis profeſſionem; Sabbathum obſervare iis conditionibus, quibus Iudæi indigenæ, tenebantur. Sed Proſelyti forium, qui in Iudæorum regione incolebant, quin judaicam religionem profiterentur, ea tantum obligatione adacti, ut naturale Ius obſervarent; hi non ſolum Sabbathi lege minime tenebantur, quin etiam gravibus erant ſuppliciis obnoxii, ſi illum obſervaſſent: *Gentilis, qui Legem obſervabat, reus erat mortis*, ait Maimonides. Nihilominus id non eo rigore obſervari conſueverat; verum ſatis erat, ſi virgis addicerentur, Maimonides inquit; quod tamen omni caret veriſimilitudine. Veriſimilius autem arbitramur, juxta Legis verba,

[a] Epiſtola Samarit. ad Huntington.

advenas omnes e quacumque eſſent Religione, qui in Judæorum erant regionibus, Sabbathi requiem obſervare debuiſſe. Rectus ordo, ac reipublicæ utilitas hoc expoſcebant. Vide Grotium in explic. Decal. ut Græce extat.

℣. 12. HONORA PATREM TUUM, ET MATREM TUAM.] Præceptis, quæ Deum reſpiciunt, Scriptura immediate ſubjicit ea, quæ reſpiciunt parentes; quia poſt Deum hi præ cæteris amorem noſtrum ac reverentiam merentur. Lex ad litteram hic præcipit tantum honorem, ac reverentiam, quæ genitoribus debetur: verum conveniunt Interpretes ſub iis verbis omnia intelligenda eſſe officia, quæ natura, & humanitas e filiis expetunt erga parentes ipſorum, obedientiam, ſubmiſſionem, reverentiam, amorem, gratitudinem, in ipſorum temporalibus, ac ſpiritualibus egeſtatibus opem: & nihil explicite magis in Scripturis commendantur, quam hæ obligationes. Vox Honorare Num. 24. 11. 1. Timoth. 5. 3. 17. accipitur pro benefacere, gratificari, vitæ neceſſaria ſuggerere.

Deus morte mulctari eos jubet Exod. 21. 15. 17. qui percuſſerint, aut maledixerint parentes ſuos; & maximum inter temporalia bona, quæ eſt vitæ longitudo, iis pollicetur, qui eos debito honore fuerint proſecuti: *Ut ſis longævus ſuper terram*: quæ promiſſio legis totius adhæret obſervantiæ. Levit. 25. 18. & Deut. 4. 40. 6. 2. 11. 9. & Ezech. 20. 11. &c. Philo de decem præceptis merito ait parentes Dei eſſe miniſtros, quibus utitur ad filiorum productionem. Qui miniſtrum contemnit, contemnit & eum, cujus miniſter eſt. Genitores ſunt veluti viſibiles Divinitates, qui quodammodo creatorem in filiorum productione imitantur; cum hoc porro diſcrimine, quod Deus totius mundi creator eſt, & parentes ſuos tantum filios producunt. Fieri autem nequaquam poteſt, ut qui Deos hos viſibiles contempſerint, quibus plurimum debent, honorare queant, uti fas eſt, Deum inviſibilem Creatorem univerſorum. Hebræi volunt, quod diſcipulus magiſtrum ſuum, a quo Legem didicit, parentibus ſuis præferat in officiis, ac reverentia, quæ illi debetur.

Videmus in Evangelio Matth. 15. 4. 5. Judæos olim, ut præcepti hujus eluderent vim, dixiſſe parentibus ſuis, ſe omnia bona ſua Domino dicaſſe, neque amplius ſibi integrum eſſe, ut ipſa diſponerent, iiſque uterentur, ut, quâ indigerent, ferrent opem: *Munus quodcumque eſt ex me, tibi proderit &c.* Sed Rabbinorum [1] hodie ſenſus æquiores ſunt, ac magis humani; quandoquidem docent, filiis durisſima quæque eſſe ſubeunda, ut parentes ſuos alant. Dicunt etiam filios patribus ſuis victum comparare debere ex iis artibus, quas patrum cura perceperint; ſin autem nullam ipſos vel edocuerint, vel edocendos curaverint, filios patribus alendis nequaquam teneri; Dogma periculoſum ſane, ac penitus crudele. Addunt etiam, filiis patres alendos, ſeu his filiis res bene cedat, ſeu male. Etenim ſi res filio non ſuppetit, ad mendicitatem uſque redigi debet, ut patri præſtet alimenta [2]. Inter Ægyptios [3] filii non tenebantur patribus ſuis ad victum neceſſaria conferre, cum hi ſumma laborarent inopia. Sed lex filias obligabat. Quidam extiterunt populi, qui pietate barbara, inauditaque miſericordia adducti parentes ſuos enecabant; ſi capularis ſenectus, aut gravis infirmitas vitæ reliquum illis moleſtum effeciſſet. Nec defuerunt alii, qui pa- A tribus vitam eripere maluerunt, quam in ſervitutem abduci paterentur.

Scriptura nihil iſtic patribus præcipit erga filios; ſupponit enim, patriam charitatem legum omnium loco futuram: & quemadmodum parentum, ac filiorum officia mutua ſunt, videtur, præcipiens filiis, ut parentes ſuos colant, innuere quoque patrum munia erga filios: namque ideo filiorum obſervantiam, amorem, ac obedientiam merentur patres præſertim, quia ſumma benevolentia filios ſuos complectuntur, atque in id maxime adnituntur, ut optimis præceptis, ac diſciplinis inſtituantur. Græcus quidam Auctor (Alexis apud Vitruvium Præf. in lib. 6.) dicebat, ſummas laudes Athenienſes mereri, ex eo quod, cum cæteri Græci ſine exceptione præciperent B filiis patres alere, Athenienſes id illis imperabant ſolum, quos patres illorum aliqua arte, aut diſciplina curaſſent imbuendos.

[UT SIS LONGÆVUS SUPER TERRAM.] Septuaginta [4] vertunt: *Ut felix ſis, ac diu in bona terra vivas.* Hebraicus textus [5] verti poteſt; *Ut prolongent dies tuos &c.* Ut parentes tui precibus diuturnam tibi vitam obtineant. Hæc veterum erat ſententia, Deos imminuere vitam illorum, qui parentibus ſuis victum negarent. Vide Homerum Iliad Δ, & Iliad P. Demoſthenes in Orat. in Ariſtog. ait, hominem ſine fide, ac Deorum hoſtem habendum eſſe, qui ſancta adeo negligit officia.

Patres [6] animadvertunt, Scripturam ad litteram hic temporalia tantum polliceri bona legis hujus obſer- C vatoribus: verum illa minime excludit æterna bona, quorum figura, & pignus eſt vitæ, quam ſpondet, diuturnitas. Neque hæc longæ vitæ promiſſio juxta litteræ preſſam ſignificationem eſt intelligenda: quandoquidem experientia conſtat, plures filios patrum ſuorum cultores non diutius in hoc orbe degere, ſicuti S. Ambroſius obſervat in Pſalmum 63. n. 8.

℣. 13. 14. 15. NON OCCIDES, NON MOECHABERIS, NON FURTUM FACIAS.] Septuaginta, & veteres quidam [7] tria hæc præcepta ſequenti ordine digerunt: *Non Mœchaberis, non occides, non furtum facies.* S. Lucas 18. 20. & S. Marcus 10. 19. in textu Græco, Septuaginta diſpoſitionem ſequuntur.

NON OCCIDES.] Quidam [8] præceptum hoc ad homicidium dumtaxat coarctant, ita ut plagæ, & vulnera, D quæ mortem non inferunt, præcepto hoc minime prohibeantur: verum notæ melioris Interpretes [9] credunt Decalogi præcepta in omni eorum extenſione eſſe capienda; & non reale Homicidium dumtaxat, verum etiam vulnera, omnem vim, odium, contumelias, inimicitias, ultionem privata authoritate peractam &c. præcepto non occidendi contineri: & præterea non interfectorem modo, verum etiam eum, qui vel conſilium præſtat, vel opem, vel quoquo modo criminis illius particeps fit, reum eſſe homicidii.

Deus reſervavit ſibi jus vitæ, ac mortis in homines; Noe poſt diluvium Geneſ. 9. 5. 6. declaravit futurum, ut, quicumque humanum effunderet ſanguinem, ſanguis illius effunderetur. Cum reipublicæ intereſt, aliquem tolli, confugere neceſſe eſt ad Prin- E cipes, quos Deus conſtituit; nec ulli uſpiam jus eſt, ut a ſe ipſo ſibi juſtitiam adminiſtret. Si ut vitam, ac honorem tuum tuearis, neceſſe fuerit vim vi repellere, atque adverſarium occidas, ut juxta leges hoc homicidii crimine excuſari valeas, neceſſe eſt, 1. ut nihil, niſi vitam tuam tutaturus, pro tua incolumi-

1 Maimonides, Halac. Memarim. c. 6. &c. apud Selden. de jure nat. & gent. l. 7. c. 2.
2 Druſius in Levit. 19. 3.
3 Diodor. l. 1. & Herodot. l. 2. c. 35.
4 Γνα μακροχρόνιος γένῃ ἐπὶ τῆς γῆς τῆς ἀγαθῆς, &c.
5 למען יאריכון ימיך
6 Hieron. l. 3. in Ep. ad Galat. & Dialog. contra Pelag. Aug. qu. 93. in Exod. & in caput 3. Ep. ad Galat. & lib. 2. contra adverſ. Legis, & Prophetarum.
7 Philo de Decalog. Tertull. l. 3. de pudicitia.
8 Rabb. Salom.
9 Menochius, Grotius, Rivetus.

colimitate peregeris; *II.* ut hoſtem nequaquam fueris aggreſſus; III. ut nulla tibi ulkiſcendi, aut inimicum enecandi, libido fuerit: IV. denique ut juſtæ defenſionis regulas nequaquam fueris prætergreſſus. Has autem conditiones requirunt Patres [1], ut te neceſſariæ defenſionis cauſa aliquem probes interemiſſe.

Leges civiles permittunt vim vi repellere, neque capite damnant eos qui vitam ſuam ſervaturi, aut eas, quæ ſervaturæ caſtitatem homicidium patrarint. Lex Moyſis nocturnum furem enecari permittit Exod. 22. 2. eos tolerat, qui proximi ſui mortem ulturi ſanguinem effundunt Deut. 19. 6. patitur denique Talionis legem Deuter. 19. 6. verum exceptiones hæ intra eos fines ſunt revocandæ, quos illis Evangelium, ac Patres conſtituerunt: *His igitur exceptis quod vel lex juſta generaliter, vel ipſe fons juſtitiæ, Deus, ſpecialiter occidi jubet; Quiſquis hominem, vel ſeipſum, vel quemlibet alium occiderit, homicidii crimine innectitur.* Aug. l. 1. de Civit. Dei c. 21.

Lex Moyſis, æque ac Ægyptiorum leges [2], non permittunt dominis ſuos ſervos occidere; ſed aliorum populorum leges illis hanc deferunt facultatem. Viræ olim vitæ mortiſque jus erat in mulieres apud quoſdam populos. Græci, ac Romani permittebant, vel patiebantur ſaltem, filios recens natos exponi; quod neque apud Judæos [3], neque apud Ægyptios, teſte Diodoro lib. 1. fas erat. De abominabili offerendi homines conſuetudine, quæ paſſim apud Phœnices, Ægyptios, Arabes, Idumæos, Moabitas, Cretenſes, Gallos, Carthaginienſes invaluit, alibi loquemur. Conſuetudinem hanc Hebræi quoque ſæpius imitati ſunt, ſed non ſemel a Scriptura prohibetur.

NON MOECHABERIS.] Judæi quidam interdictum hoc ad ſolum adulterium reſtringunt, ac credunt Decalogi præcepta complecti eas obligationes tantum, quæ præciſe per ea exprimuntur vocabula, per quæ vulgo appellantur; & explicationes, atque exceptiones, quæ deinde poſſunt occurrere, judicialia eſſe præcepta, vel moralia a primis diverſa. Verum nobis perſuaſum eſt ad præceptum hoc ea omnia eſſe referenda, quæ vel ab ipſo manant, vel ipſius explicationes exiſtunt. Cum S. Auguſtino qu. 71. in Exod. & celeberrimo quoque Interpretum [4] credimus, quod *nomine Mœchiæ omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus uſus prohibitus debet intelligi.* Itaque non adulterium ſolum tum ex viri, cum ex mulieris parte, verum etiam quodcumque contra naturam ſcelus, inceſtum, raptum, fornicationem, tactus, adſpectus, oſcula impudica, cogitationes, & deſideria caſtitati contraria præcepto hoc prohiberi certum eſt: quamquam non omnia iiſdem pœnis propoſitis, eodemque rigore prohibeantur: cum enim non omnia ſint æque deformia, ita ſub eadem ſpecie ſtrictim non comprehenduntur.

Aore legem adulterii pœna ignis fuiſſe videtur, quod ex hiſtoria Thamar Geneſ. 38. 24. poteſt inferri. Poſt Legem adulterium morte plectebatur [5], tum in homine, cum in muliere. Imperatores Conſtans, & Conſtantinus [6], eamdem in adulteros pœnam conſtituere. Ægyptii teſte Diodoro l. 1. Bibl. non adeo erant ſeveri: *Qui vim ingenuæ attuliſſet, huic genitalia præcidi jubebant. Si perſuaſu eſſet adulterium commiſſum, viro mille plagæ fuſtium, mulieri naſium detruncatio irrogabatur.* Populi omnes probe inſtituti crimen hoc uſquequaque ſunt abominati. Illud enim cenſuerunt maximam, quæ conjugali fidei inuri queat, contumeliam, veluti irreconciliabilium inimicitiarum in familiis originem, turpitudinis, & con-

A fuſionis fontem; quod ſæpius foras emergit, quod civilis ſocietatis vincula diſſolvit, quod odium, diſſenſionem, ac zelotypiam in conjuges immittit. Denique hoc ſcelus eſt, quod æque & Religio, & civium leges horrent, quoniam utrarumque diruit fundamenta: Job. 31. 11. 12. *Hoc enim nefas eſt, & iniquitas maxima; ignis eſt uſque ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina.*

NON FURTUM FACIES.] Præceptum hoc furtum rerum cujuſcumque generis prohibet: uſurpationem, ac alienorum bonorum detentionem, ſeu fraude, aut dolo malo peractam, ſeu aſtu, ſeductione, aut violentia. Itaque furtum, rapina, peculatus, fœnus, fraudes in commerciis, in artificum perſolvendis operibus, & creditoribus reddenda pecunia, æque præcepto hoc interdicuntur.
B

Hebræi plures apud Munſterum falſo opinantur, præcipue intelligendum eſſe de Hominum latrocinio, quod latine proprio vocabulo *plagium* nuncupamus; ſcilicet cum emitur, aut venumdatur homo liber pro ſervo, vel cum ſervum vendimus, qui noſtra minime intereſt. Furtum hoc inferius notatur cap. 21. 16. *Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum, convictus noxæ morte moriatur*; illudque capitis ſupplicio conſtituto prohibetur. Aliæ furti ſpecies alibi peculiariter cum proprio quæque ſupplicio referuntur, quæ ſingulæ locis ſuis explicabuntur. Obſervandum eſt, quod Salomon ait; ſimplex furtum nequaquam eſſe turpe, neque alicui turpi, vel afflictivo obnoxium eſſe ſupplicio; Proverb. 6. 30. *Non gran-*
C *dis eſt culpa, cum quis furatus fuerit: furatur enim, ut eſurientem impleat animam: Deprehenſus quoque reddet ſeptuplum, & omnem ſubſtantiam domus ſuæ tradet.* Lex nullam corpori infligebat pœnam, & actio illius nequaquam ipſum infamem efficiebat.

℣. 16. NON LOQUERIS CONTRA PROXIMUM TUUM FALSUM TESTIMONIUM.] Præceptum hoc nequaquam coarctandum eſt ad falſum teſtimonium, quod quis coram Iudice reddit Dei nomine interpoſito. Crimen hoc ſeptimus jam damnavit verſiculus. Verum Lex hæc omnia falſitatis crimina reſpicit, mendacia, calumnias, accuſationes in proximum, ſive coram Iudice, ſive ſecus: Iudicum corruptionem, Patronorum, teſtium, delatorum, epiſtolarum, inſtrumentorum; verbo, quodcumque bonam fidem, ac Iuſti-
D tiam lædit, quæ in vitæ commercio regnare debent. Præceptum hoc Exod. 23. 1. Levit. 19. 2. latius exponitur. Lex in illos maledictiones enunciat, qui injuſte in viduam agunt, & in orphanos. Ægyptii ea damnabant pœna calumniatores, quam illi aliis infligi volebant; & lex hæc viguit, vigetque apud pleroſque populos

℣. 17. NON CONCUPISCES DOMUM PROXIMI TUI, NON DESIDERAAIS UXOREM EJUS.] Septuaginta hic ante domum præferunt uxorem, uti quoque Hebraicus textus, & Vulgata Deut. 5. 21. & pro, *nec bovem, nec aſinum, nec omnia quæ illius ſunt*; Græca lectio habet [7]: *nec bovem, nec jumentum, nec aliquid ex mobilibus, aut rebus, quæ ad illum ſpectant.* Samaritanus textus affert huc prolixam ſatis additionem
E partim ex Deuteronomio c. 27. 2. deſumptam. Hic integram habes: *Cum Dominus introduxerit te in terram Chananæorum, ad cujus poſſeſſionem proficiſceris, eriges diu ingentes lapides, & calce levigabis eos, ut poſſis in eis ſcribere omnia verba legis hujus: Jordane autem tranſmiſſo lapides hos, de quibus loquor, conſtitues in monte Garizim* (in Hebraico Judæorum textu, & in Vulgatæ Deuteronomio habetur, in monte Hebal) *& ædi-*

1 Lactant. l. 6. Divin. inſtit. Baſil. Ep. Canon. c. 55. Ambroſ. l. 3. de officiis c. 4. Aug. l. 1. de libero Arbitriu c. 5. & alibi. D. Thomas 2. 2. qu. 64. art. 7

2 Diodor. Biblioth. l. 1.

3 Philo de ſpecial. legib. præcept. 6. & 7. ac Tacitus l. 5. *Augendæ multitudini conſulitur, nam & necare quemquam ex genitis nefas.*

4 Grotio, Eſtio, Abenexra, Menochio, Junio, Riveto, Cornelio a Lapide &c.

5 Levit. 20. 10. & 18. 20. 29. Deut. 22. 23. 24.

6 Cod. Theodoſ.

7 Οὔτε τὸν βοῦν αὐτοῦ, οὔτε τὸ ὑποζύγιον αὐτοῦ, οὔτε παντὸς κτήνους αὐτοῦ, οὔτε ὅσα τῷ πλησίον σού ἐστι.

& ædificabis ibi altare Domino Deo tuo, de lapidibus, quos ferrum non tetigit, & de ſaxis informibus, & impolitis; & offeres ſuper eo holocauſta Domino Deo tuo, & immolabis hoſtias pacificas, & epulaberis Domino Deo tuo, & lætaberis coram Domino in monte hoc trans Jordanem, trans viam Occidentis in terra Chananæi, qui immoratur in agro, e conſpectu Galgal prope quercum More, Sichem verſus.

Non eſt difficile conjicere, quapropter locum hunc addiderint Samaritani; ſatis palam illorum cauſæ favet pro monte Garizim contra Judæos.

Præceptum, quod hic explicamus, quæcumque injuſta alienorum bonorum prohibet deſideria. Complectitur autem quamdam ſupplementi ſpeciem ad præcepta, quæ præceſſerunt, quibus malum perpetrare interdicitur. Aliquis arbitrari potuiſſet, ſe culpa vacare, ſi ab iis pravis actionibus, quæ vetantur, temperaſſet: verum hic docet Deus nequaquam ſatis eſſe, non committere adulteria, non furari, non interficere: vult præterea, ut a pravis cupiditatibus abſtineas, quæ noxium conſtituunt, non ſecus ac ea patraſſes facinora, ad quæ tuæ te rapiunt cupiditates.

Joſephus, & Judæi, qui temporibus Jeſu Chriſti degebant [1], & alii quidam Judæi etiam deinde, quemadmodum Rabbinus David Kimchi [2], crediderunt nulli peccato obnoxiam eſſe cogitationem, aut voluntatem peccandi, niſi actio ſubſequeretur; quia lex, inquiunt illi, nullum ſupplicii genus huic cogitationum, & cupiditatum generi infligit. Sed Salvator noſter docuit in Evangelio Matth. 5. 27. 28. deſideria, ac deliberatam malum operandi voluntatem ſufficere, ut quis ante oculos Dei noxius habeatur. Sola ratio quibuſdam priſcis Philoſophis [3] rei hujus veritatem aperuit. Non ille ſolum, qui malum agit, iniquus eſt, verum ille quoque, qui illud agendi iniit conſilium. Ælianus ait: Qui a malo patrando temperat, quia illud patrare nequeat, æque iniquus eſt, ac ſi patraſſet. Ita Ovidius.

Quæ, quia non licuit, non facit, illa facit.

Concupiſcentia, ac naturalis in malum proclivitas, peccata non ſunt, uti neque cogitationes, ac primi motus, quos concupiſcentia in voluntate, aut in corpore parit, dummodo attentionem noſtram, & conſenſum præveniant. Hæc deſideria non damnat Lex, ſed illa tantum, quæ libera ſunt, deliberata, ac voluntaria. Concupiſcentia in nobis eſt, illiuſque etiam inviti vim experimur: ſed in noſtra eſt poteſtate poſitum, ut gratiæ auxilio nequaquam aſſentiamur.

℣. 18. POPULUS VIDEBAT VOCES, ET LAMPADES.] Samaritanus Textus hoc in loco legit, *percipiebat*; at Hebraicus, & Vulgata ad litteram habent: *videbat voces, & lampades*. Verbum *videre* pro quovis ſenſu accipitur, uti obſervat Sanctus Auguſtinus in confeſſ. lib. 10. cap. 15. *Videndi officium, in quo primatum oculi tenent, etiam cæteri ſenſus ſibi de ſimilitudine uſurpant, cum aliquid cognitionis explorant*. Dicimus: Vide ſonum illum; vide illum odorem, vide illam duritiem, illum ſaporem &c. Hoc in loco dici poteſt, populum vidiſſe quodammodo vocem Dei, juxta mentem Philonis de decem præcept. Vox hominis auditu tantum percipi poteſt; ſed Dei vox oculis etiam percipitur; quia verba illius ſemper efficacia ſunt, & cum realibus conjuncta actionibus, quarum oculi potius, quam aures teſtes ſunt. Nomine *vocum* intelligi poſſunt tonitrua, quæ ſæpius nomine hoc in Scriptura innuuntur. Hieremias c. 2. 31. idem ferme ait, ac Moyſes: *Videte verbum Domini*. Videtur hactenus Deus Moyſi locutus voce diſtincta, atque articulata, quam populus univerſus percepit: ſed ea, quæ ſequuntur uſque ad cap. 24. ea Moyſes, & Aaron tantum intellexere: atque alia ceremonialia præcepta, quæ a capite 25. ad finem uſque capitis 31. leguntur, uni tantum Moyſi revelata fuere. Vide Exod. 24. 15.

℣. 19. LOQUERE TU NOBIS, ET AUDIEMUS: NON LOQUATUR NOBIS DOMINUS, NE FORTE MORIAMUR.] Septuaginta ſimpliciter habent: Loquere tu nobis: non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur. Chaldaice 4: *Loquere nobis, & obtemperabimus*. Samaritanus textus hæc addit: *Diximus ad Moyſen: Ecce oſtendit nobis Dominus Deus noſter majeſtatem, & magnitudinem ſuam, vocem ejus audivimus de medio ignis, & probavimus hodie, quod loquente Deo cum homine, vixerit homo. Cur ergo moriemur, & devorabit nos ignis hic maximus? Si enim audierimus ultra vocem Dei noſtri, moriemur. Quid eſt omnis caro, ut audiat vocem Dei viventis, qui de medio ignis loquitur, ſicut nos audivimus, & poſſit vivere? tu magis accede, & audi cuncta, quæ dixerit Dominus Deus noſter tibi: loquerïſque ad nos, & nos audientes faciemus ea*. Quod ex Deuteronomio deſumptum eſt cap. 5. ℣. 24. & ſeqq.

℣. 22. VIDISTIS, QUOD DE COELO LOCUTUS SIM VOBIS.] Ego vocem meam de nube oſtendi vobis. Vide cap. 19. 20. 21. Cœlum pro aere uſurpatur. Deus proponit animadvertendum Iſraelitis, ſe noluiſſe illis ſub viſibili ſpecie apparere, ne arriperent occaſionem illius imaginem auream, vel argenteam conflandi; quare ait verſiculo 23. *Non facietis Deos argenteos, nec deos aureos facietis vobis*.

℣. 23. NON FACIETIS DEOS ARGENTEOS &c.] Hebraice: *Non facietis mecum &c.* Non habebitis deos aureos, & argenteos cum me. Quod ipſum eſt ac *coram me* ſuperius ℣. 3.

℣. 24. ALTARE DE TERRA FACIETIS MIHI.] Deus poſcit altare de terra, ne populus altaribus his magis ſolidis, quæ exſtruxiſſet, adhæreret. Arbitrari aliquando potuiſſet, altaria hæc olim conſecrata, peculiarem cultum mereri; & quemadmodum in deſerto ſæpius ſedes erat immutanda, Altaria multiplicata fuiſſent, cum hoc periculo, ut populus in idololatriam prolaberetur. Quidam volunt, nomine Altaris e terra intelligi lateritias aras: ſed explicare præſtat de Altari e ceſpitibus. Veteres ſæpius de his Altaribus loquuntur feſtinanter exſtructis.

Lucanus Phaſal. 9.

Erexit ſubitas congeſtu ceſpitis aras.

Ovidius Triſt. 5. Eleg. 6.

Araque gramineo viridi de ceſpite fiat.

Virgilius Æneid. 12. verſ. 18.

... & Dis communibus aras
Gramineas

Horatius l. 1. Od. 19.

Hic vivum mihi ceſpitem
Hic verbenas pueri ponite.

Et Apulejus lib. 7. *Aram ceſpite virenti Marti Deo faciunt*. Tertullianus Apologet. cap. 25. loquitur de veteribus aris e ceſpite, quæ in uſu erant poſita apud Romanos primis reipublicæ temporibus: *Nulla capitolia cœlo certantia, ſed temeraria de ceſpite altaria, & vaſa adhuc Samia, & Deus ipſe nuſquam*. Capitolinus de ſacrificio Hecatombe diſſerens, ait, conſtitui conſueviſſe centum altaria e ceſpitibus, ſuper quibus centum ſues immolabantur: *Centum aræ uno in loco ceſpititiæ exſtruuntur, & ad eas centum ſues mactantur*. Alii Moyſis verba intelligunt de Altari e terra ſimpliciter. Hæc terra autem in Ara excavata fuiſſe perhibetur in ſimilitudinem æreæ capſæ, ſuper qua ſacrificabatur. Vide inferius verſ. 25. qui hanc opinionem evertit.

IN OMNI LOCO, IN QUO MEMORIA FUERIT NOMI-
NIS

1 Vide ad Matth. 5. 28.
2 In Pſalm. 66. 18. excipit voluntatem nocendi Religioni.
3 Vide apud Grot. in Decal.
4 מליל את עמנא ונקביל.

NIS MPI, VENIAM AD TE.] Hebræus [1]: *In omni loco, in quo nominis mei memoriam excitabo*: vel, ubicumque conſecrare faciam, vel celebrare, aut invocare nomen meum; vel denique, in iis locis, ubi tlius nomini meo offerri jubebo. Verbum זכר *facar* in hoc ſenin paſſim in Scripturis uſurpatur. Vide Iſai. 66. 3. Amos 6. 6. & 1. Paralipomen. 16. 4. & Ludovicum de Dieu in Levitic. 2. 2. Locus hic intelligendus præſertim videtur de locis, ubi poterant Domini altaria ædificari, antequam Tabernaculum conſtrueretur; verbo, de Aris feſtinanter exſtructis, & cum extraordinaria res ferret. Denique textus in hunc ſenſum explicari poteſt; *Veniam ad vos, & benedicam vos in loco, quem elegero pro habitaculo meo, ut ibi adorationes veſtras excipiam*: videlicet in Tabernaculo meo.

℣. 25. QVOD SI ALTARE LAPIDEVM FECERIS MIHI, NON ÆDIFICABIS ILLVD DE SECTIS LAPIDIBVS.] Textus hic ſatis per ſe patet; verum quæritur, cur Deus ſibi de ſectis lapidibus aram conſtitui noluerit; & quare profiteatur, altare pollutum fore, ſi ad lapides cædendos ferrum adhiberetur? Rabbini [2] rationes afferunt plane irridendas: exempli gratia, ut omnem tolleret irreverentiam, quæ contigiſſet, ſi pedibus obtrita fuiſſent ex ſectis his lapidibus fruſta; vel ſi lapidibus Altaris idola, aut magicæ figuræ fuiſſent inſculptæ. Alii apud Hottingerum de jure Hebræor. indecens eſſe putant ferro uti in altaris conſtructione, quia metallo hoc in bellis homines utuntur; ideoque Plato lib. 12. de legibus noluis us ferrum, vel æs in Templis adhæretur. Eadem de cauſa, inquiunt, in Templo Salomonis (3. Regum 6. 7.) ferrum non vitum fuit; verum de rationum harum imbecillitate faciliimum eſt ferre judicium. Oleaſter credit, Moyſen hic prohibere, ne ſuper hoc altari victimæ immolentur: *Si enim levaveris cultrum ſuper eo polluetur*, videlicet juxta hunc Authorem. Si levaveris cultrum, ut victimam jugules, pollues altare hujus hoſtiæ ſanguine.

Spencerus de legibus ritualibus lib. 2. cap. 5. veriſimilius credidit, Deum noluiſſe, quod altaria, quæ tunc illi exſtruebantur, permanerent; ſed ea ſine ullo ornatu voluiſſe, atque ea ſimplicitate, ne populi attentionem, atque reverentiam non allicerent. Cum ſimplici informium lapidum cumulo eſſent ædificata, facile dirui poterant, vel ex ſe ipſis brevi corruere: & hac ipſa fortaſſe de cauſa præceperat per Moyſen Deus, ut aræ e terra, vel ceſpitibus, uti ſuperius dictum eſt, conſtruerentur. Neque eſt, cur ſolida inquiramus pollutionis argumenta, qua lapides hi ferri contactu fuiſſent fœdati. Sola populi idea, quem hæc cogitatio occupaverat, vel potius edictum Dei, qui pollutas aras declaraverat, efficere debuit, ut tamquam pollutæ haberentur. Ferrum ex ſe, quid conferre poterat, ut eas pollueret? Fateor quidem neque in Tabernaculo, neque in Templo ferri ullum uſum fuiſſe; ſed quia æs tunc communius erat, quam ferrum. Ara (Exod. 27. 1.) quæ ædificata fuit in deſerto, erat veluti capſæ quædam ſpecies e lignis ſethim, æneis extrinſecus ſuperinduta laminis: altitudo cujus tres cubiti, latitudo vero in quadrum quinque cubitorum erat; intrinſecus vero terra oppleta erat, vel lapidibus rudibus juxta quoſdam Interpretes; cum autem caſtra eſſent movenda, & Tabernaculum deferendum, tunc hæc terra, vel hi lapides deponebantur, ut ajunt; & altare vacuum aſportabatur. Interim fatendum eſt, nihil in Scripturis reperiri, quo probetur, quod capſa hæc re ulla adimpleretur. Reor etiam præcepta hæc proviſionalia eſſe tantum, eaque ſanxiſſe Deum ob id tempus duntaxat,

A quod particularium legum de ſacrificiis promulgationem, ac Tabernaculi conſtructionem præceſſit; & altare illud ſolummodo, quod Moyſes erexit, ut fœdus cum Iſrael confirmaret (cap. 24. 4. & ſeq.) eo conſtructum fuiſſe pacto, quod hic perhibetur. Univerſus locus hic, quem explicamus, erat præſertim pro hac circumſtantia, proque nonnullis ſimilibus extraordinariis eventibus.

Ut autem illud credam, adducor, quod deſcriptio altaris Tabernaculi nullam habebat ſimilitudinem cum eo, quod hic notatur; neque intelligimus, vel Salomonem, vel alium quempiam illorum, qui in terra promiſſa erexerunt altaria, aut intra, aut extra Tabernaculum, hac ſe teneri lege crediderint, ſaltem ante captivitatem. In Scriptura unum ſolum-

B modo altare videmus, quod ex inſectis lapidibus exſtructum fuerit: atque illud in monte Hebal (Juſue 8. 30.) ædificatum fuit, uti Dominus Moyſi præceperat, Deuterom. 27. 4. 5, 6. hoc autem ex illorum erat numero, quæ feſtinanter erigebantur, ac Tumultuaria vocabantur; æque ac illud, quod exſtructum eſt, ut fœdus, quod cum Domino inibant, confirmaretur (Exod. 24. 4.) Verum quidem eſt poſt captivitatem, altare Templi ex rudibus ædificatum fuiſſe lapidibus, ut liquet ex Hecatæo apud Euſeb. Præpar. lib. 9. cap. 4. ex primo Macchabæorum libro 4. 47. ex Joſepho lib. 16. de bello Jud. cap. 14. & lib. 4. Antiquit. cap. 8. & ex Philone lib. de victimas offerentibus. Sed hæc omnia nihilum conferunt poſt tempus, quod captivitas eſt ſub-

C ſecuta.

℣. 26. NON ASCENDES PER GRADUS AD ALTARE MEUM.] Interdictum hoc ſpectat tantummodo ad altare e ceſpitibus, vel ex inſectis lapidibus confectum, de quo dudum locuti ſumus: quia altare tabernaculi, cum ad tres cubitos exſurgeret, vel pedes quinque, illuc aſcendendum erat neceſſario per gradus; & Scriptura Levit. 9. 24 palam ait, quod ex altari hoc deſcendebatur: *Completis victimis pro peccato deſcendit*. Altare Templi Salomonis decem cubitorum altitudine eminebat (2. Paralipomen. 4. 1.) vel duodecim, ut mavult Villalpandus tom. 2. in Ezechielem. Altare Templi, quod Herodes Magnus inſtauravit, quindecim cubitis præſtabat, ut ſcribit Joſephus Antiquit. lib. 6. cap. 6. & ex Eze-

D chiele cap. 43. 17. quod ad altare per gradus aſcendebatur, qui *verſi erant ad Orientem*. Eſdras lib. 1. cap. 3. 3. *Collocaverunt altare Dei per baſes ſuas*, altaris baſem deſignat, quod etiam ſupponit gradus ad aſcendendum. Author Eccleſiaſtici laudat majeſtatem Pontificis magni Simeonis filii Oniæ ad altaris aſcendentis: Eccleſ. 1. 12. *In aſcenſu altaris ſancti gloriam dedit Sanctitatis amictum* . . . . ℣. 22. *Tunc deſcendens manus ſuas extulit in omnem congregationem filiorum Iſrael*. Ex quibus ſingulis, & univerſis inferri poteſt, præceptum, quod hic legimus, reſpexiſſe modo tempus, quod Tabernaculi erectionem præceſſit; vel has leges, & alias quaſdam, quas Deus primitus populo propoſuerat, abrogatas fuiſſe deinde, aliaſque in ipſarum locum fuiſſe ſubrogatas pro tem-

E pore, quod Tabernaculi erectionem eſt conſecutum, & pro ſtabili Iſraelitarum in terra Chanaan permanſione.

Spencerus, qui exquiſitiſſimas, ac diligentiſſimas ſuper his legibus inſtituit animadverſiones, obſervat, eruditos plures Interpretes [3] crediſſe, ut Legi obtemperaretur, qua cautum erat, ne ad altare aſcenderetur per gradus, terra congeſta planum inclinatum extructum fuiſſe, quod ſenſim aſcenderet uſque ad congruam altaris partem. Oſtendit quoque Hugonem Cardinalem, & alios quoſdam docuiſſe, Lege tantum cautum eſſe ſimpliciter, ne gradus, aut adſcen-

1 בכל המקום אשר אזכיר את שמי.
2 Abarbanel in Exodum.
3 Abul. Ribera, alii, & Joſephus Antiq. l. 4. c. 8.

adſcenſus altari adhærerent ; verum non prohiberi, quin adeſſent, vel ſcabellum, vel pontes, per quos adſcenſus eſſet, abſque eo quod altari hærerent, vel partem illius conſtituerent. Judæi apud Hottingerum de jure Hebræorum in alium ſenſum hanc legem detorquent ; contendunt enim vetare, non ut quis per gradus ad aram aſcendat : ſed ne *magnis paſſibus, & veluti cruribus diductis*. Alii arbitrantur interdictum uſum ſcalarum, quia aſcendens aliquid indecenter poteſt detegere. Spencerus nullam ex his ſententiis probat. Contendit autem, Lege non quodvis graduum genus prohiberi, ſed magnum illorum numerum, eorumque nimiam altitudinem. Conatur deinde probare, veteres Ethnicos ad altaria ſua per quoſdam gradus aſcendiſſe ; hos vero nimia altitudine præſtitiſſe, atque ad faſtum modo, & ſuperſtitionem inſerviſſe. Arbitratur etiam Ægyptias pyramides eſſe ex his aris miræ prorſus proceritatis, quarum gradus nimium alti Sacerdotes indecoris nuditatibus exponebant, cum aſcenderent. Profert autem Patrem Kircherium in Oedip. Synt. 4. cap. 12. qui quoad pyramides in eadem fuiſſe videtur ſententia, & opinatur eas *altitudines Juda, & Iſrael*, in quas toties invehitur Scriptura, non aliud fuiſſe, quam altaria nimis elevata, & illis ſimilia, quæ hic damnat.

Verum inter has rationes nihil eſt, cui acquieſcere poſſimus ; æque ac in plurimorum Rabbinorum, & ſapientum quorumdam [1] ſententiis, qui credunt Deum præcipere Hebræis, ne ad altare aſcendentes ſe ſe detegant, ut eos arceret a cultu Peot, vel Phegor, quem Gemarra, Jonathan, ac Maimonides aſſerunt, modo impudentiſſimo honoratum fuiſſe, A eum ſe ante illius ſtatuam detegerent : Vide Oſeam 9. 10. & Diſſertationem noſtram de Phegor, vel Chamos.

Nos igitur eam ſequimur explicationem, quæ magis ad litteram accedit, & qua cavetur, ne gradus fiant ad altare Domini, ne quo propere aſcendente, oblonga veſtis elevetur, eaque detegantur, quæ honeſtas voluit celari. Præceptum hoc ſupponit eo tempore femoralia deferri minime conſueviſſe, ut hodie aſſolet [2] : atque ut hæc lex cum aliis Scripturæ locis concilietur, ubi altaria cum gradibus obſervantur, reor, gradus hos parum adeo elatos fuiſſe, ut aſcendentibus nequaquam periculum fuerit ſe obtegendi, præcipue poſtquam hæc omnia præcaverit Moyſes præcipiens, ut Sacerdotes latas deferrent B zonas ad inſtar femoralium, illiſque oblongas, clauſaſque veſtes præſcribens, quas miniſterii ſui tempore numquam deponerent.

Patet ex Aulo Gellio Noct. Attic. lib. 10. cap. 15. quod *Flamini Diali* (Jovis hic erat Sacerdos) *ſcalas aſcendere plus tribus gradibus religioſum erat, ne ulla pars pedum, crurumve ſubter conſpiceretur.* Servius in 4. Æneid. verſ. 646. idem obſervat quoad Jovis antiſtitam ; quæ *Flaminia*, vel *Flaminica Dialis* appellabatur. *Apud veteres Flaminicam plus tribus gradibus, niſi ſcalas Græcas, ſcandere non licebat, ne ulla pars pedum ejus, crurumque conſpiceretur ; eoque nec pluribus gradibus, ſed tribus, ut aſcenſu duplicis niſus non pateretur extolli veſtem, aut nudari crura ; nam ideo, & ſcalæ Græcæ dicun-* C *tur, quæ ita fabricantur, ut omni ex parte compagine tabularum clauſæ ſint, ne adſpectum ad aliquam corporis partem admittant.*

1 L'Empereur in Middoth. c. 3. Rivetus, a Lapide, &c.
2 Exod. 28. 42.

CAPUT XXI.

Leges quoad ſervos Hebræos, homicidium voluntarium, & involuntarium ; urbes aſili ; furtum hominis, ſeu plagium. Supplicia in percutientes ſervum, aut liberum, aut mulierem prægnantem. De cornupeta Bove. Talionis Lex.

℣.1. HÆc ſunt judicia, quæ propones eis. 2 Si emeris ſervum Hebræum, ſex an-
nis ſerviet tibi : in ſeptimo egredietur liber gratis. 3 Cum quali veſte in-
traverit, cum tali exeat ; ſi habens uxorem, & uxor egredietur ſimul. 4
Sin autem dominus dederit illi uxorem, & pepererit filios, & filias : mulier, & libe-
ri ejus erunt domini ſui, ipſe vero exibit cum veſtitu ſuo. 5 Quod ſi dixerit ſervus :
diligo dominum meum, & uxorem, ac liberos, non egrediar liber ; 6 Offeret eum do-
minus diis, & applicabitur ad oſtium, & poſtes, perforabitque aurem ejus ſubula : &
erit ei ſervus in ſæculum. 7 Si quis vendiderit filiam ſuam in famulam, non egredie-
tur, ſicut ancillæ exire conſueverunt. 8 Si diſplicuerit oculis domini ſui, cui tradita
fuerat, dimittet eam : populo autem alieno vendendi non habebit poteſtatem, ſi ſpre-
verit eam. 9 Sin autem filio ſuo deſponderit eam, juxta morem filiarum faciet illi.
10 Quod ſi alteram ei acceperit, providebit puellæ nuptias, & veſtimenta, & pretium
pudicitiæ non negabit. 11 Si tria iſta non fecerit, egredietur gratis abſque pecunia.
12 Qui percuſſerit hominem volens occidere, morte moriatur. 13 Qui autem non eſt
inſidiatus, ſed Deus illum tradidit in manus ejus : conſtituam tibi locum, in quem fu-
gere debeat. 14 Si quis per induſtriam occiderit proximum ſuum, & per inſidias, ab

alta-

altari meo evelles eum, ut moriatur. 15 Qui percuſſerit patrem ſuum, aut matrem,
morte moriatur. 16 Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum, convictus noxæ,
morte moriatur. 17 Qui maledixerit patri ſuo, vel matri, morte moriatur. 18 Si ri-
xati fuerint viri, & percuſſerit alter proximum ſuum lapide, vel pugno, & ille mortuus
non fuerit, ſed jacuerit in lectulo: 19 Si ſurrexerit, & ambulaverit foris ſuper bacu-
lum ſuum, innocens erit, qui percuſſerit; ita tamen ut operas ejus, & impenſas in me-
dicos reſtituat. 20 Qui percuſſerit ſervum ſuum, vel ancillam virga, & mortui fuerint
in manibus ejus, criminis reus erit. 21 Sin autem uno die, vel duobus ſupervixerit,
non ſubjacebit pœnæ, quia pecunia illius eſt. 22 Si rixati fuerint viri, & percuſſerit
quis mulierem prægnantem, & abortivum quidem fecerit, ſed ipſa vixerit, ſubjacebit
damno, quantum maritus mulieris expetierit, & arbitri judicaverint. 23 Sin autem
mors ejus fuerit ſubſecuta, reddet animam pro anima. 24 Oculum pro oculo, dentem
pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, 25 Aduſtionem pro aduſtione, vul-
nus pro vulnere, livorem pro livore. 26 Si percuſſerit quiſpiam oculum ſervi ſui, aut
ancillæ, & luſcos eos fecerit, dimittet eos liberos pro oculo, quem eruit. 27 Dentem
quoque ſi excuſſerit ſervo, vel ancillæ ſuæ, ſimiliter dimittet eos liberos. 28 Si bos
cornu percuſſerit virum, aut mulierem, & mortui fuerint, lapidibus obruetur; & non
comedentur carnes ejus, dominus quoque bovis innocens erit. 29 Quod ſi bos cor-
nupeta fuerit ab heri, & nudiuſtertius, & conteſtati ſunt dominum ejus, nec recluſerit
eum, occideritque virum, aut mulierem; & bos lapidibus obruetur, & dominum ejus
occident. 30 Quod ſi pretium fuerit ei impoſitum, dabit pro anima ſua quidquid fue-
rit poſtulatus. 31 Filium quoque, & filiam ſi cornu percuſſerit, ſimili ſententiæ ſub-
jacebit. 32 Si ſervum, ancillamque invaſerit, triginta ſiclos argenti domino dabit,
bos vero lapidibus opprimetur. 33 Si quis aperuerit ciſternam, & foderit, & non o-
peruerit eam, cecideritque bos, aut aſinus in eam, 34 Reddet dominus ciſternæ pre-
tium jumentorum: quod autem mortuum eſt, ipſius erit. 35 Si bos alienus bovem
alterius vulneraverit, & ille mortuus fuerit: vendent bovem vivum, & divident pre-
tium, cadaver autem mortui inter ſe diſpertient. 36 Sin autem ſciebat, quod bos cor-
nupeta eſſet ab heri, & nudiuſtertius, & non cuſtodivit eum dominus ſuus: reddet bo-
vem pro bove, & cadaver integrum accipiet.

℣. 1. HÆC SUNT JUDICIA, QUÆ PROPONES A IS.] Vox hæc *judicia* ſignificat tantum præcepta judicialia, & leges, quæ reſpiciunt cultum, ſocietatis ordinem, judicia rixarum, quæ inter Iſraelitas oriri queunt. Leges hæ a moralibus præceptis ſecernuntur, quæ proprie *Leges*, & *præcepta* vocantur; atque a ritualibus præceptis, quæ ad divinum ſpectant cultum, rationem, ordinem, & tempus ſacrificiorum, quæ *Ritus*, vel *Ceremoniæ* in Scriptura appellantur.

℣. 2. SEX ANNIS SERVIET TIBI.] Hebræi diverſimode in ſervitutem labi poterant. Primo, exempli gratia, in ſumma egeſtatu libertatem ſuam vendere poterant, Levit. 25. 39. Secundo, Pater poterat filios ſuos venundare: vide infra verſ. 7. & Iſai. 50. 1. Tertio, obærati, qui ſolvendo non eſſent, credi- B toribus ſuis cedebant in ſervitutem, 4. Reg. 4. 1. *Ecce creditor venit, ut tollat duos filios meos ad ſerviendum ſibi*. Quarto, fures, qui reddere non poſſent pretium, quod Lex, & Iudices præcipiebant, vendebatur, pretiumque illis, quibus furati fuerant, deferebatur, Exod. 22. 3. *Si non habuerit, quod pro furto reddat, ipſe venundabitur*. Quinto, Hebræi belli, aut alia quapiam occaſione poterant ab hoſtibus capi. Sexto denique, Hebræus ſervus de Ethnici manu ab alio Hebræo redemptus, ab hoc alii Hebræo poterat venundari.

Lex, quam explicamus, omnes reſpicit Hebræos ſervos, tum homines, cum mulieres (vide Deuter. 15. 12. & Ierem. 34. 14.) qui in ſervitutem redacti eſſent apud aliquem ex fratribus ſuis, quocumque modo eſſent redacti. Rabbini quidam credunt, ſervos ab ea die, qua in ſervitutem ingreſſi fuiſſent, ſex annos complere in eadem debuiſſe: verum eruditi quidam Interpretes [1] docent ſex ſervitutis annos enumerandos eſſe ab uno anno Sabbatico ad alium, Anni Sabbatici ſtati erant, iique in libertatem aſſerebant ſervos omnes hebræos, quamvis inæquale eſſet tempus ſervitutis eorum. Qui, exempli gratia, ſervus factus fuerat quarto ante Sabbaticum anno, tres illi tantum erant ſervitutis anni; qui vero quinto poſt Sabbaticum anno ſervitutem ſubierat, biennio tantum in ea verſari debebat &c. Leges hæ homines tantum, ac fœminas in ſervitute poſitas reſpiciunt; nam de puellis minoribus a patribus ſuis venundatis aliæ afferuntur Leges ℣. 7.

℣. 3. CUM QUALI VESTE INTRAVERIT, CUM TALI EXEAT.] Si ſervitutem ingreſſus novam habuerit veſtem, illum egredientem pari veſte donabis. Hic eſt Vulgatæ ſenſus. Sanctus Hieronymus accepit Hebraicum *Gaph* [2] pro veſte, aut panno; quia ſignificat aliquando alam, & per metaphoram veſtis pannum; verum id, quod ſequitur, pleroſque Interpretes impulit, ut in alio ſenſu intelligerent. Ita porro omnis hic verſiculus ad litteram transfertur: *Si intraverit cum corpore ſuo, exeat cum ſuo corpore; ſi intraverit cum conjuge ſua, conjux egrediatur cum illo*. Ita Septuaginta, Chaldaica verſio,

Vata-

1 Bonfier. Toſtat. Cornel. a Lapide.
2 אם בגפו יבא בגפו יצא אם בעל אשה הוא ויצאה אשתו עמו

Vatablus, & recentiores paſſim. Si in ſervitutem ſolus venerit, abſque uxore, & liberis, ſolus exibit; ſin autem venerit cum uxore, & cum liberis, liberi, & uxor illius egrediantur ſimul, Levit. 25. 41. *Egredietur cum liberis ſuis* &c. Herus alere tenebatur uxorem, & filios ſervi ſui Hebræi, quamquam neque uxor, neque liberi eſſent ſervi juxta Rabbinos.

℣. 4. MULIER ET LIBERI ERUNT DOMINI SUI.] Hoc explicari non poteſt de uxore, & filiis liberis ſervi Hebræi; Domino in eorum libertatem nullum jus erat: verum Lex hæc in aliis ſenſibus poteſt intelligi. I. De Hebræo ſervo, qui ſe ſe venumdederit cum uxore, ac filiis ſuis ejuſdem, ac ipſe, nationis, & conditionis. II. De Hebræo, qui in ſervitute ſua duxerit uxorem nationis ſuæ, ex qua filios genuerit. III. Denique de Iſraelita, cui dominus uxorem dederit mulierem advenam, quæ ut ille ſervus, ipſa eſſet ancilla.

Interpretum plerique in priori ſenſu Legem explicant. Contendunt, Hebræum ſervum relinquere domino debuiſſe uxorem, & filios, ſi uti vellet anni Sabbatici privilegio, quod ad ipſum modo ſpectabat. At connubium eratne hac ſeparatione maris, & fœminæ diſſolutum? Aſſerunt non pauci, connubii vinculum non amplius ſubſtitiſſe, ex quo vir uxorem reliquiſſet. Cornelius a Lapide hinc arguit, in veteri lege connubia admodum imperfecta fuiſſe, quoniam ſervi libertate diſſolvebantur; adjicitque hoc mirum eſſe nequaquam animum advertenti, tunc temporis conjugium minime fuiſſe ſacramentum; quod deinde effecit, ut matrimonium poſtea fieret indiſſolubile.

Eſtius e contra contendit, libertatem eam, quam Lex tribuit ſervo uxorem ſuam relinquendi, minimum delere naturam, & jura conjugii; ſed virum, uxoremque mutuum ſervare jus, quod vicifſim in alterius corpus eſt utrique; quamquam & domicilio, & corpore ſeorſim morentur. Re quidem vera difficile intellectu eſt, cujuſnam verum matrimonium abſolute diſſolvi poſſit per alterutrius partis libertatem, etiam ſi altera in ſervitute permaneat; & difficilius adhuc, cujuſnam Moyſes viro conceſſiſſet, in libertatem ſe ipſum aſſerendi anno Sabbatico, illudque uxori, filiiſque ipſius denegaverit, quamquam ex eadem natione, ac Religione.

Secundus ſenſus probabilior videtur. Dubio locus eſt, utrum ſervi poſſint verum matrimonium contrahere, propter libertatis defectum, qua carent in ſervitute conſtituti. Liquet apud Romanos ſervorum hominum, mulierumque conjunctiones minime vera connubia habita fuiſſe: *Inter ſervum, & ancillam jure Romano contubernium eſſe dicitur, non matrimonium*, Grotius ait de jure belli, & pacis l. 2. c. 5. Arbitrabantur enim matrimonium ſubſiſtere non potuiſſe, niſi inter liberos, & æquales: *Nuptiarum fœdera inter ingenuos ſunt legitima, & inter æquales*, ut inquit D. Leo Epiſt. 92. ad Ruſtic. *Aliud eſt uxor, aliud concubina; ſicut aliud ancilla, aliud libera .... Unde cum ſocietas nuptiarum ita ab initio conſtituta ſit, ut præter ſexuum conjunctionem haberet in ſe Chriſti & Eccleſiæ ſacramentum, dubium non eſt eam mulierem non pertinere ad Matrimonium, in qua non docetur nuptiale fuiſſe myſterium*. Itaque non mirum eſſet adeo, matrimonium in ſervitute contractum inter hominem, mulieremque Iſraelitas, alterutrius partis libertate fuiſſe diſſolutum.

Minimum tamen his obſtantibus argomentis, mihi videtur verus legis ſenſus eſſe, Hebræum ſervum, qui de heri ſui manu religioſis, ac nationis diverſæ uxorem acceperit, quæ idcirco anni Sabbatici privilegio nequit frui, quo indigenæ Hebræi tantum fruebantur, Hebræum inquam ſervum poſſe relinquere conjugem, & quemadmodum nullum umquam inter ipſos proprie dictum matrimonium extiterit, neque proprie matrimonii adeſſe diſſolutionem. *Serviles nuptiæ voluntate Domini ſolvebantur*.

Hebræis mulieres hæ non habebantur veluti legitimæ uxores, ſed veluti ancillæ ſimplices, quas dominus ſervis tradebat, ut inde emolumentum e filiis, qui naſcebantur, exciperent [1]. Rabbini docent, ſervos Judicum ſuffragiis venumdatos a dominis potuiſſe cogi, ut Chananæam uxorem ducerent: ſed eos, qui ſe ſe ipſis ſe vendiderant, alienigenam mulierem ducere non potuiſſe. Dominus cogere non poterat ſervum ſuum ad uxorem ducendam, niſi jam uxorem haberet, vel antea habuiſſet, ut ſatisfaceret præcepto, quod, juxta ipſos, ſingulos afficiebat homines ad generis humani multiplicationem; hoc præſumpto, quod huic obligationi ſatisfieri nequeat per coactum connubium, & inæquale. Præterea Dominus cogere non poteſt ſervum, ut a legitima uxore ſecedat, ut cum ancilla commoretur; neque binas uni viro, neque binos uni fœminæ viros tribuere [2]. Hæc autem docent Judæi.

℣. 6. OFFERET EUM DOMINUS DIIS.] Ita pariter duo Chaldæi, & Arabica verſio, melioriſque notæ Interpretes explicant vocem *Elohim Dii* [3]. Sed Septuaginta vertunt: offeret ad Tribunal, vel ad *Judicium Dei* [4]. Illi fortaſſe intellexerunt Sacerdotes, vel ordinarios Judices a Deo conſtitutos. Volunt autem Rabbini apud Seldenum de jure nat. & gent. l. 6. c. 7. hic intelligi de ſervis judicum ſententia venditis propter ipſorum furtum, cum ablatam rem reddere non potuerint; non ita vero de illis, qui ſe ipſos venum dediſſent. Moyſes nihil ait, quod huic Rabbinorum ſententiæ favere videatur.

ET APPLICABIT EUM AD OSTIUM, ET AD POSTES.] Hebraicus textus [5], & Verſio Chaldaica: *Ad oſtium, vel ad poſtes*. Hoc autem non eſt intelligendum de oſtiis urbis, ſed domus heri, uti explicite adſertur in Deuteronomio c. 15. 17. *In janua Domus ſuæ*; & explicant omnes fere Interpretes [6]. Septuaginta: *& applicabit eum ad oſtium, ad poſtes*.

PERFORABITQUE AUREM EJUS SUBULA.] Ceremonia hæc turpis erat nota perpetuæ ſervitutis [7] illorum, qui uti nollent legis privilegio, quæ anno Sabbatico eos in libertatem vindicabat. Qui egredi volebant de Domini ſui domo, turpi huic notæ non ſubjiciebantur, veluti ut oſtenderetur, apud Hebræos nullum eſſe perpetuum ſervum, qui eſſe nollet, & ipſorum libertatem invitis edimi nequaquam poſſe: hæc erat prærogativa populi Dei, qui de ſervitute Ægyptia eductus fuerat. Conſuetudo hæc aures ſervorum perforandi vetuſtiſſima eſt in Oriente. De hac ita loquitur Juvenalis Sat. 1. Verſ. 102.

Cur timeam, dubitemve locum defendere, quamvis
Natus ad Euphratem, molles quod in aure feneſtræ
Arguerint, licet ipſe negem.

Quod ipſum Petronius refert Satyr. c. 63. *Ita tamquam ſervi Æthiopes, & præſto tibi erimus in tormentorum genera hilares. Quin tu & pertunde aures, ut imitemur Arabes*. Cicero Lybicum quemdam irridebat, qui dicebat, ſe illum non intelligere: Attamen optime perforatas aures habes, aie, ut refert Plutarchus apophteg.

ERIT SERVUS IN SÆCULUM.] Verba hæc naturaliter innuunt, famulum, cui aures fuerint perforatæ, fuiſſe totius vitæ ſuæ tempore ſervum cum uxore,

1 Selden. de jure nat. & gent. l. 6. c. 7. & apud eum Gemara Babyl. ad tit. Kidoſch. Jeroſ. ad eumdem titul. Maimonid.
2 Vide Selden. ibid. l. 5. c. 4. et 12.
3 Vide et Exod. 22. 8. 9. et 1. Reg. 2. 25. Pſalm. 81. 1. 6.
4 Πρὸς τὸ κριτήριον τοῦ Θεοῦ. Aq. Sym. Πρὸς τοὺς Θεούς.
5 והגישו אל הדלת או אל המזוזה
6 Cajetanus, Lippomanus, Tirinus, Menochius, Bonfrerius, Malvenda, Rivetus.
7 Theodoret. qu. 45. Rupertus, Lippomanus in Exod.

re, & filiis ſuis. Sed Rabbini, quos noſtri ſequuntur Interpretes [1], credunt Jubilæi anno in libertatem aſſertum fuiſſe, & *ſæculum* hic ſignificare tantummodo longum temporis intervallum, veluti annorum quinquaginta. Sententiæ huic adhæret Sanctus Hieronymus in capue primum Epiſtolæ ad Galatas, & ex Levitici cap. 25. 40. liquet omnes Hebræos ſervos indiſcriminatim anno Jubilæi fuiſſe libertatem adeptos. Rabbini apud Selden. de jure nat. & gent. lib. 6. cap. 7. addunt, cum dominus occumberet, tunc quoque in libertate fuiſſe conſtitutos; & hoc ſervorum genus, qui aures ſibi perforari paſſi fuerant, non ceſſiſſe in familiam filii, aut hæredis domini ſui. Aſſerunt quoque, dominos ſervo, quem manumittebant, dono dare conſueviſſe triginta ſiclos argenteos, dummodo non ex illorum numero B fuiſſet, qui ſe ipſos vendiderint, quibus nihil elargiri conſueverant. Hæ omnes inſtitutiones ſuſpicione non vacant, cum Judæorum Doctorum tantummodo incumbant authoritati. Patet quidem *ſæculum* non ſemper æternitatem ſignificare, ſed tantum diuturni temporis intervallum. Vide, ſi lubet Origenem Homil. 6. in Exod. ad finem; & Hieronymum in Ezech. 26. verſ. ult. Horatius; *Serviet æternum, quia parvo neſciet uti*; videlicet, ſerviet toto vitæ ſuæ tempore, quia nequivit parvo eſſe contentus.

℣. 7. NON EGREDIETUR, SICUT ANCILLÆ EXIRE CONSUEVERUNT.] Hebræus [2], Chaldaica verſio, Arabica, Syriaca, & Theodotion: *Non egredietur, ſicut ſervi exire conſueverunt*. Hac autem de re docent Rabbini apud Seldenum loco citato. Patrem C non poſſe vendere filiam ſuam, niſi in extremam egeſtatem redactus fuerit; videlicet, niſi aliquid illi ſuperſit: atque adhuc non poſſe eam venundare Hebræo; quod ſi eam extra neceſſitatem maximam vendidiſſet, a Judicibus cogi ad eam redimendam: Patri jus vendendæ filiæ non fuiſſe, ſi duodecimum exceſſiſſet annum cum dimidio, vel jam pubertatis ipſius apparere veſtigia incœpiſſent; & cum ea vendebatur, non ita tamen vendi conſueviſſe, veluti ſimpliciter ancillam, ſed cum ſpe ſemper ſaltem ambigua nubendi aliquando, vel emptori, vel hujus filio. Itaque venditionem hanc fieri cum præſumptione connubii futuri: ita ut pater ex eo, quod filiam venderet, conſentire videretur, ut illa nuberet, vel domino, cui vendebatur, vel filio illius; D & nihil ulterius requiri, ut matrimonium perficeretur, quam actualem patris utriuſque conſenſum. Fœminæ hoc pacto emptæ, non ideo inter matresfamilias habebantur, ſed tantum inter concubinas; nam ſedulo obſervandum eſt, tria apud Hebræos extitiſſe mulierum genera. Primo, matronas, aut matresfamilias. Secundo, concubinas. Tertio, ſcorta, quæ vocabantur *Zona*, vel *Kadeſcha*; quibus Lex aqua, & igni interdixerat. Demoſthenes adverſus Neæram hoc ipſum quoad Græcos refert.

Quod ſi domino ancillam in uxorem ducere non placebat, illam ultra tempus, in venditionis illius contractu præſcriptum retinere non poterat. Fruebatur autem anni Sabbatici, ac Jubilæi privilegio, quibus in libertatem aſſerebatur. Do- E mini mors, anni finis, quo minor eſſe deſinebat, pubertatis ſigna, quæ ante duodecim annorum ætatem exiſtere poterant, eam de ſervitute liberabant; atque tunc gratuito e domini domo egrediebatur, & ab eodem ſueto triginta ſiclorum munere donabatur.

A Hæc illi præterea erat prærogativa, quod ſervitutem ſuam prorogare non poterat, veluti homo ſervus, qui aures ſibi perforari patiebatur.

Grotius poſt Hiſkuni loco huic alium ſenſum tribuit: *Non egredietur*; dominus autem non adhibebit eam in operibus extra domum, *quemadmodum adhibere poteſt alias ancillas*; ſed honeſte eam domi ſuæ detinebit. Aſt ſubtilior videtur hæc explicatio.

Ceteroquin patrum jus liberos vendendi commune erat apud Romanos in Reipublicæ primordiis, ut teſtantur Dionyſius Halicarnaſ. lib. 1. Cicero lib. 1. de Orat. Chryſoſtomus Orat. 15. Conſtantinus veterem hanc libertatem patribus reliquit (l. 2. de patrib. qui fil. diſtrah. Ead. l. 15.) ſed filii redimi poterant, pretium reſtituendo, vel alium in eorum locum conſtituendo. Phryges, ac Thebani eamdem, quæ fuerat apud Hebræos, filios vendendi facultatem habebant. Quoad filios a patribus venditos nihil particulare fuiſſe videtur, quandoquidem Moyſes pro ipſis nullam addit exceptionem; ſed communi Legi inſiſtebant ſuperius memoratæ verſiculo ſecundo.

℣. 8. SI DISPLICUERIT OCULIS DOMINI SUI, CUI TRADITA FUERAT, DIMITTET EAM; POPULO AUTEM ALIENO VENDENDI NON HABEBIT POTESTATEM, SI SPREVERIT EAM.] Hebraicus loci hujus textus [3] plures, eoſque diverſos ſenſus poteſt admittere. Primo; *ſi diſplicuerit oculis domini ſui, qui non deſponſavit eam* [4], *non licebit illi eam alieno populo vendere, ut illi injuſtitiam faciat*. Videlicet: Si dominus, qui emerat illam ſub conditione in uxorem ducendi, noluerit ducere, detinere non poterit, nec alii vendere; ſed faciet, ut pater ipſius redimat illam. Secundo; *ſi diſplicuerit domino ſuo, qui ſibi deſponſaverat eam* [5], *redimi faciet, & alieno populo vendere non poterit*. Qui ſenſus idem eſt, ac verſionis primæ, quamquam in priori legatur cum negatione *non deſponſavit*; in hoc vero *ſibi deſponſaverat*. Tertio; *ſi dominus noluerit eam deſponſare, neque eam velit redimere* [6], *non poterit vendere extraneo*; videlicet alteri Iſraelitæ, qui ejus redimendæ nullum habeat jus.

Ex hac verſione videretur dominus cogi ſolum a Lege, vel ad deſponſandum, vel curandum, ut redimeretur, vel denique ſervandum domi ſuæ puellam, quam emerat ſervam; atque illi interdictum eſſe vendere alienigenæ, & invitis ipſius parentibus detinere, ſi illam vellent redimere, quidquid pro illa perſolutum fuiſſet reſtituentes. Septuaginta, Chaldaica verſio, & Syriaca ſequuntur ſenſum, qui a Vulgata offertur: *Si dominus non voluerit deſponſare illam, liberam faciet eam*; vel, uti legunt Septuaginta: *redimet eam* [7], *in libertatem vindicabit*. Qui vertunt, *faciet*, vel, *ſinquet redimere*, credunt cum Rabbinis rationem annorum iniri conſueviſſe, qui ab anno præcedenti Sabbatico fluxerant, uſque ad illud tempus, quo vendita fuerat, atque propter illius libertatem ſolvi tantum pro annis illis, qui uſque ad Sabbaticum ſupererant.

POPULO ALIENO VENDENDI NON HABEBIT POTESTATEM.] Si hæc conditio innuit ſolum, non licere venundare hanc filiam populo alieno, & idolorum cultori, nullam ancillæ adjicit prærogativam; quoniam neque ſervum hebræum licet alieno populo vendere, ut Grotius animadvertit. Quapropter Interpretes quidam [8] credunt hæc verba populo alieno ſignifi-

1 Druſ. Fag. Grot. Var. Tirinus.
2 לא תצא כצאת העבדים.
3 אם רעה בעיני אדניה אשר לא יעדה והפדה לעם נכרי לא ימשל למכרה בבגדו בה.
4 לא יעדה. Ita legunt Aq. Sym. Theod.
5 לו יעדה. 70. Ἣ αὐτῷ καθωμολογήσατο.
6 Junius, Tremellius, & Grotius, perinde ac legeretur, ולא הפדה, repetita prioris partis negatione, לא יעדה.
7 Ἀπολυτρώσει αὐτήν.
8 Maimonides, Rivetus, Grotius, Bonfrerius.

ſignificate, nequaquam eſſe fas vendere ancillam Hebræo domino ex alia tribu, aut familia.

Si spreverit eam.] Hebraicus textus [1] verti poteſt: *Si promiſſis non ſteterit*; vel, quia non ſtetit promiſſis erga illam; vel denique: *Non poterit venundare alieno, illam deſpiciens*; vel, juxta verſionem Chaldaicam: *eam opprimens dominatione injuſta*, dabit alii Hebræo, qui ſub iiſdem eam accipiet conditionibus, quibus ipſe acceperat; vel, juxta Vatablum: non poterit alii vendere, ſi eam corruperit; vel; non vendet alii hanc legem infringens.

§. 9. Sin autem filio ſuo deſponderit eam, juxta morem filiarum faciet illi [2].] Illi dotem dabit, & veſtes, perinde ac ancilla non eſſet; curabit, ut filius ſuus eam veluti ſponſam excipiat: Hebraicus textus [3] in hoc ſenſu verti poteſt: *Si eam filio ſuo deſtinaverit*, redimens eam, *illi eam deſponſabit eodem tempore, quo filias ſuas in matrimonium collocabit*, matrimonium illius non differet.

§. 10. Quod ſi alteram ei acceperit; providebit puellæ nuptias, et veſtimenta, et pretium pudicitiæ non negabit.] Sin autem aliam acceperit, vel emerit filiam, ut eam tradat filio ſuo uxorem, præter hanc, de qua ſermo fuit verſic. 9. curabit, ne prior ſponſa aliquid ab his ſecundis nuptiis patiatur; efficiet, ut illi quoque dentur alimenta, veſtes, & matrimonii jura, uti & alteri. Hunc ſenſum meliores Interpretes [4] loco huic tribuunt, cujus verſionem ex Hebraico textu [5] hic habes: Si acceperit aliam uxorem pro filio, non minuet priori veſtes, alimenta, & permanſionem. Supponitur priorem illam ſimul ſervare cum ea, quam poſterius accepit. Sed Sanctus Hieronymus oppoſitum videtur ſupponere. Hoc autem innuitur per ea, quæ a Vulgata referuntur: Filiusfamiliæ, qui in uxorem accepit ancillam patris ſui, ſi eam deinde repudiaverit, aliamque acceperit, tenebitur paterfamilias ancillam hanc repudiatam, & ſervitute liberatam in matrimonium collocare, illique tradere veſtimenta, ac dotem, tribuens ipſi pretium pudicitiæ, quod vel a Judicibus, vel a conſuetudine conſtituebatur. Vocabulum *Onaah*, quod Vulgata vertit *pretium pudicitiæ*, ab Arabica transfertur, *tempus ſuum*, quod intelligunt quidam de tempore, quo ſervierit, ſed perperam. Septuaginta [6]: *converſationem ſuam*, quæ communiter de conjugii munere intelligitur. In hoc eodem ſenſu Rabbini intelligunt. Alii ſimplicius explicant, de domo, atque habitaculo, quod illi, veluti mulieri liberæ tenebatur dominus ſubminiſtrare.

Legumlatores, ut occuparent mala, quæ contingere potuiſſent in connubiis, & ibi præſertim ubi polygamia permittebatur, crediderunt virorum erga conjuges ſuas munia moderatione indigere. Quoad Judæos adiri poteſt Seldenus in lib. *Uxor Hebraica* lib. 3. cap. 6. Plutarchus refert, Atticas leges coegiſſe viros, ut ter in ſingulos menſes inviſerent uxores, quas accepiſſent, quia erant orphanæ; illudque etiam ſi ſteriles eſſent. Præter ea tria, quæ ſuperius adnotavimus, primo, alimenta, ſecundo, veſtes (quibus mobilia, & domus comprehenduntur;) & tertio, matrimonii debitum, Rabbini ſeptem has conditiones adjiciunt. Primo, quod vir uxori dotem tribuat. Secundo, quod illi in ægritudinibus opem ferat. Tertio, quod redimat, ſi in ſervitutem decidit. Quarto, quod funerum illius ſumptus faciat. Quinto, quod viri bonis nutriatur; ac domi illius poſt ejuſdem mortem permaneat, donec

A dotem recipiat. Sexto, quod filiæ ex eorum ortæ connubio patriis alantur bonis, donec vel nupſerint, vel inierint ſponſalia. Septimo denique, mares filios, qui ex ipſis geniti fuere, maternæ dotis hæreditate fruantur præter partem bonorum patris ſui, quæ cum aliis fratribus eſt dividenda.

§. 11. Si tria iſta non fecerit, egredietur gratis abſque pecunia.] Si paterfamilias ancillam hanc, de qua ſermo, ſibi uxorem non jungit, neque filio ſuo tradit, ſi a genitoribus illius redimi non curat, vel potius ſi alii cuipiam in matrimonium non collocat ſub iis conditionibus, quæ verſiculo decimo notantur; puella hæc de ſervitute egredietur, quin Sabbaticum annum expectet, & quin aliquid pro ſua libertate debeat conferre. Ita

B Rabbini quidam apud Seldenum de jur. nat. & gent. lib. 5. cap. 7. Grotius, aliique intelligunt; vel: *ſi tria iſta non feceris*: videlicet, ſi tria præcipua hæc munia, de quibus præcedenti verſiculo ſumus locuti, exequutus non fuerit, illa gratuito egredi poterit.

§. 12. Qui percuſſerit hominem volens occidere, morte moriatur.] Verba hæc: *volens occidere*, in Hebraico textu non adſunt; ſed ea orationis decurſu liquet, hæc neceſſario ſupplenda propter oppoſitionem ad verſiculum decimum tertium, ubi ſermo eſt de eo, qui caſu aliquo, & præter voluntatem occiderit, & propter relationem ad verſiculum decimum quartum, qui hujus eſt conſequens. Hebræi docent homicidium cujuſcumque ex voluntate

C commiſſum ab Ethnico, morte mulctari ſine ulla ſpe veniæ, quin ad aſylum, ut ſervetur, poſſit confugere; ſed contendunt [7], Iſraelitam Proſelyti ſutium, vel alius Ethnici cujuſpiam interfectorem capite plecti minime conſueviſſe; non ſecus ac cum ad Hebræi unius necem plures Hebræi operam præſtitiſſent; idem quoque eveniebat, cum patrati ſceleris unus tantummodo teſtis adfuiſſet. In caſu hoc, aliiſque pluribus juxta perſonarum, & circumſtantiarum diſcrimen hominis interfector mortis periculum effugere poterat.

Ethnici, ac Proſelyti portæ nullo ex his exceptionis privilegiis fruebantur, quæ pro Iſraelitis tantum erant conſtituta; & ratio, quam adferunt, ut a mortis ſupplicio Hebræos eximant, qui Ethnicum

D interfecerint, ea eſt, quia Moyſes, inquiunt illi, eos tantum capite damnat, qui proximum ſuum interemerit. Ethnici autem proximorum loco ab illis minime recenſentur. Perniciofas has diſtinctiones refellit palam verſiculus vigeſimus ſecundus cap. 24. Levitici; quæ alioquin necibus, omnique generi vis aditum aperirent.

Morte moriatur.] Abſque venia, quidam Interpretes inquiunt; quod hac locutione infertur: *Morte moriatur*. Ante diluvium quoque Cain, cum fratrem Abel occidiſſet, agnovit, quidnam clade hac meritus eſſet, Geneſ. 4. 14. *Omnis, qui invenerit me, occidet me*. Hic quidem naturalis juris effectus eſt, quo homines pœnam eamdem ſubire jubentur, quam aliis inflixerint. Verum Deus ut vitæ

E hominum parceret, qui tunc temporis adhuc infrequentes erant, non permiſit, ut interfector hic, quemadmodum meritus fuerat, plecteretur, illum errorem in exilium egit, Geneſ. 4. 16. Lamech (ibid. verſ. 23. 24.) poſt ſimile crimen ſe quoque impunem abiiſſe jactitabat. Grotius de jure belli, & pacis lib. 5. cap. 1. animadvertit antiquitus in Græcia, homicidium exilio tantum conſueviſſe mulctari; quod ex pluribus veteris Hiſtoriæ locis innote-

1 בבגדו בה. 70. Ὅτι ἠθέτησεν ἐν αὐτῇ.
2 כמשפט הבנות. Sym. Κατὰ τὸ δικαίωμα τῶν θυγατέρων.
3 אם לבנו ייעדנה כמשפט הבנות יעשה לה.
4 Ita Paraphraſt. Chald. 70. Arab. Rabb. & alii paſſim.
5 אם אחרת יקח לו שארה כסותה ועונתה לא יגרע.
6 Ὁμιλίαν αὐτῆς.
7 Rabb. apud Selden. de jur. nat. & gent. l. 4. c. 1.

Digitized by Google

noteſcit. Hercules, quin ambigeret, Eunomio Architelis filio interfecto ſubire voluit ſupplicium a legibus conſtitutum, & ſponte in exilium diſceſſit, ut refert Apollodorus lib. e. Bibliot. cap. 7. Cephalus, cum Procrim inter ſentes abditam, eamque feram arbitratus enecaſſet, perpetuo ab Areopago fuit damnatus exilio, eodem Apollodoro teſte lib. 13. cap. 14.

Plato in legibus ſuis nullam aliam homicidis pœnam conſtituit. Euripides etiam hanc veterem fuiſſe populorum Græciæ teſtatur conſuetudinem. Iis temporibus, Lactantius ait l. e. ſcelus videbatur homines capite plectere, quamvis maximorum criminum noxios, cum nihilominus homines eſſent, quorum vita habenda erat in pretio: *Adhuc enim videbatur nefas, quamvis malos, tamen homines, ſupplicio capitis afficere*. Tandem cum frequenter nimis ſævirent clades, ac violenti graſſarentur, capite plecti cœptum eſt [1]. Deus ipſe nonniſi poſt diluvium mortis pœnam adverſus interfectores pronuntiavit, Geneſ. 9. 6. *Quicumque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius*. Iſtic ea Lex inſtauratur, ac magiſtratibus præcipitur, ut omni eam ſeveritate exequantur. Origenes homil. 14. in Levit. credidit, morte, qua plectebantur ſontes, illorum peccata deleri, atque deinde nihil eſſe reliquum, quod judicii Divini die judicetur, vel quod in inferno puniatur, quia, juxta Scripturam, Deus non judicat bis in idipſum: ſed addendum eſt; dummodo ſupplicium reus ſubeat ſinceræ pœnitentiæ ſenſu affectus. Hebræi [2] efficiebant, ut noxii crimina ſua faterentur, cum ad decem cubitos e ſupplicii loco abfuiſſent. Credunt enim, eos, qui tunc ſua ſcelera confitentur, partem habere in ſæculo futuro. Qui confeſſionis hujus formulam ignorabant, hæc enunciabant verba: *Mea mors omnibus ſceleribus meis expiandis inſerviat*. Haud ab re puto, hic parumper immorari, perpendendo diverſa ſuppliciorum genera apud Hebræos, diverſaque crimina, quæ ab illis plectebantur; ne ſubinde eadem repetere teneamur.

Porro animadvertunt ii [3], cum Lex non exprimit mortis genus, quo reus ſit afficiendus, intelligendum eſſe de lapidatione. Aderat præterea ſupplicium ignis, gladii, ac funis. Lapidatio major habebatur pœna, quam ignis. Igne conſumi gravius erat ſupplicium, quam gladio interfici. Demum gladio perire crudelior cenſebatur pœna, quam fune jugulari. Regia tribunalia nullo alio mortis genere plectebant, quam capitis exciſione. Tria alia ſupplicia ab aliis duobus tribunalibus præcipiebantur, ſcilicet a Sanhedrin, & viginti trium virorum cœtu. Noxii majorum ſuorum ſepultura privabantur; ſed in publica cemeteria ad hoc inſtitute inferebantur. Sed conſanguinei cognatorum ſuorum, qui capite mulctati fuerant, oſſa colligere poterant, eaque in majorum ſepulchris recondere.

Primo, hoc pacto morte ſontes afficiebantur. Qui lapidibus damnati fuerant, in locum adducebantur, qui ad duorum hominum altitudinem conſurgebat, unde præcipites agebantur ſuper lapides, qui ſubſternebantur, a teſtibus, a quibus fuerant accuſati. Si reus lapſu ſuo non occubuerat, populus omnis, qui aderat, in illum lapides ingerebant.

Secundo, qui igne plectendus erat, fimo uſque ad genua obruebatur, duoſque teſtes quiſque ſeorſim funiculum lineum trahebant, quo guttur premebatur, donec reus os aperiebat, qua liqueſcens plumbum infundebatur, quod illi exta comburebat.

Tertio, gladii pœna erat caput obtruncari.

A Quarto, qui damnatus erat, ut ſpiritu intercluſo ſuffocaretur, in fimo ad genua uſque demittebatur, illique jugulum claudebatur, donec expiraret. Supplicii inſtrumenta pene damnatos tumulabantur, non autem eodem in tumulo.

Sex & triginta criminum genera in lege numerantur, quæ ſupplicio mortis puniebantur. Duodeviginti lapidibus plectebantur. Primo, qui inceſtum cum matre admiſiſſet; ſecundo, cum noverca, aut ſocru; tertio, cum nuru; quarto, qui puellam, quæ ſponſalia inierat, vitiaſſet; quinto, qui ſodomiæ crimen commiſiſſet; ſexto, vel brutalitatis; ſeptimo, mulier, quæ abominabile crimen cum bellua patraſſet; octavo, blaſphemator; nono, qui ſydera adoraſſet; decimo, qui filium ſuum Moloch obtuliſſet;
B undecimo, qui Magos conſuluiſſet; duodecimo, vel ſortilegos; tertiodecimo, qui alios in idololatriam publicam; quartodecimo, vel particularem voluiſſet impellere; quintodecimo, veneficus; ſextodecimo, qui Sabbathum profanaſſet; ſeptimodecimo, qui patrem, vel matrem maledixiſſet; decimo octavo, filius rebellis, ac inobediens.

II. Ignis ſupplicio decem crimina ſubjiciebantur. Primo, Sacerdotis filia in adulterium lapſa; ſecundo, qui inceſtum cum filia ſua patrabat; tertio, aut cum nepte e filia; quarto, vel e filio nata; quinto, aut cum uxoris ſuæ filia; ſexto, aut cum uxoris ſuæ nepte e filia; ſeptimo, vel e filio nata; octavo, aut cum nuru ſua; nono, vel cum nurus matre; vel decimo, cum matre generi ſui.

C III. Duo enumerantur reorum genera, qui gladio percutiebantur; primo, homicida; ſecundo, qui palam ad idololatriam excitant, quemadmodum urbis pars, quæ partem aliam ſollicitaret.

IV. Sex vero ſuffocabantur; primo, qui adulterium cum nupta commiſiſſet; ſecundo, qui patrem, vel matrem verberaſſet; tertio, qui abſtuliſſet Iſraelitam, plagiumque illius admiſiſſet; quarto, ſenior, qui defeciſſet, aut inobediens fuiſſet factus; quinto, falſus propheta; ſexto, qui velut ſyderum adorator prophetizaſſet.

℣. 13. QUI AUTEM NON EST INSIDIATUS.] Hebræa [4] ad litteram: *qui autem non eſt venatus*, veluti venator, qui belluam perſequitur. Septuaginta [5]: *qui autem non ex voluntate peremerit*. Aquila [6] vertit: *Qui dolo non eſt uſus, ut illum caperet*.
D Arabica paraphraſis: *Qui nullam habuit illum occidendi intentionem, ſed Deus per manus ejuſdem mortem intulit* &c. Rabbini apud Fagium, & Vatablum intelligunt de homine ſecreti criminis reo, qui gladii mortem mereretur, aut mortis immaturæ ſupplicium, qui cum Judicum effugiſſet ſententiam, Providentiæ diſpoſitione inter inimicorum ſuorum manus eſt poſitus. Qui involuntarium, vel fortuito ſcelus patrabant, quin adverſarium quæſiviſſent, vel interimere voluiſſent, aſylum habebant Altare Tabernaculi, dum adhuc in deſerto iter facerent; & in terra promiſſa, ſtatus urbium numerus decretus eſt, quo tuto poſſent ſe ſe recipere.

Hebræi apud Seldenum de jure nat. & gent. l. 4.
E c. 2. addunt eum, qui percuſſerat lethaliter, non autem interemerat illico hominem, dummodo vulneratus aliquamdiu poſt vulnus viveret, non indiguiſſe, ut in urbem refugii confugeret; quia tunc vulnerati, vel defuncti conſanguineis jus non erat interfectorem perſequendi, nec occidendi, ſi illud inveniſſent; quia incertum erat, an vulneratus negligentia ſua mortem ſibi conſciviſſet. Eadem exceptione complectuntur etiam patrem, qui filii, aut magiſtrum, qui diſcipuli mortis extitiſſet cauſa propter verbera, quæ illis

1 Jun. Ainſw. & Grot.
2 Maimon. tit. Sanhedr.
3 Selden. de Synedriis l. 2. c. 13. art. 4. & ſeq.
4 ואשר לא צדה.
5 70. Ὁ δὲ οὐχ ἑκών.
6 Aqu. Ὃς οὐ μεθώδευσε.

illis ad correctionem inflixiſſent: aut Lictorem, qui reum occidiſſet, illi, ac magiſtratus imperio reluctantem. Qui hæc & his ſimilia audire malunt, Seldenum adeant in libro de jure naturali, quem nos ſæpius citamus. De aſyli jure prolixius verba faciemus in libro Numerorum 35. 6.

Porphyrius lib. 2. de Abſtin. obſervat, Leges noluiſſe omnino impunem abire, qui involuntarius aliquem necaſſet, ne hac in occaſione impunitas locum præberet hominibus nequam voluntarie imitandi, quod alii inviti feciſſent. Moyſes igitur jubet eum, qui præter voluntatem interfeciſſet, quodammodo exularet in urbem refugii ſe ſe recipiens. Præcipit autem Deuter. 21. 7. ſolemnem expiationem pro cædibus, quorum laterent authores; & præterea cavet, ne qui in juſto bello hoſtilis effuſione ſanguinis fœdati fuerint, caſtra ingrediantur, niſi prius ſe ſe luſtraſſent; eo autem hæc omnia conſilio præcepit, ut quivis quam maxime a voluntario homicidio temperaret.

Apud profanos authores [1] pares ferme leges inveniuntur. Interfectores polluti habebantur [2], quocumque pacto interfeciſſent. Luſtrationibus ſe ſe purificare debebant. Leges Athenarum, teſte Demoſthene in Midiam, voluntarios homicidas mortis, vel perpetui exilii ſupplicio, vel bonorum omnium publicatione mulctabant; ſed humanius in eos agebant, qui caſu, ac præter voluntatem occidiſſent. Leges Rhadamanti innocentem declarabant injuſti aggreſſoris interemptorem.

℣. 14. AB ALTARI MEO EVELLES EUM.] Voluntarius interfector aſyli jure non fruebatur, neque in templo, neque ad pedes aræ. Joab cum ad Holocauſtorum aram confugiſſet, ut mortem, quam tot injuſtis cædibus meritus fuerat, effugeret, Salomon inde eum divelli juſſit juxta hanc Legem 3. Reg. 2. 28. Aſyli jus juxta Legislatorum mentem juſtitiæ tantummodo favet, & innocentiæ, quas injuſte quis aggreſſus perſequatur. Aſyli tutela illorum ſaluti conſuluerunt Leges, qui abſque eo quod reverentiam denegarent, quæ illis debetur, forte patrarunt aliquid quod ab illis prohibetur. Utuntur illæ rebus iis, quæ maxime ſacræ ſunt, atque inviolabiles, ut eos tueantur, qui debitam illis præſtiterunt reverentiam, & quorum crimen nequaquam eſt voluntarium. Quoad vero voluntariam cædem ab altari divellebantur Sacerdotes ipſi, ni actu ſacris operarentur, inquit Lyranus in hunc locum. Aſt Druſius poſt Paraphraſtem Jonathan, alioſque nonnullos contendit, Sacerdotem homicidii voluntarii noxium ab altari divulſum fuiſſe, ſacris etiam operantem. Ex Philone lib. de legat. ad Cajum liquet, Templum Hieroſolymitanum illius etiam temporibus adhuc omnis aſyli generis jure gaviſum fuiſſe. Videbimus in Deuteronomio numerum urbium, quibus Moyſes pro involuntariis homicidiis jus refugii conceſſit. Num. 35. 6.

℣. 15. QUI PERCUSSERIT PATREM SUUM, AUT MATREM, MORTE MORIATUR.] Septuaginta in quibuſdam exemplaribus verſiculum hunc 15. immediate adnectunt verſiculo 17. ubi Deus prohibet, injurie, & contumelioſe loqui adverſus patrem, aut matrem: at Hebraicus textus, Chaldaica, aliæque verſiones duos hos verſiculos ſejungunt. Lex, quæ damnat morte filios, qui percutiunt parentes ſuos, explicanda eſt cum moderamine, quod afferemus Deuter. 21. 18. ſcilicet bis eſſe admonendos, ut ad bonam frugem reducantur. Quidam ex interpretibus noſtris credunt percuſſionem ſimplicem cum animo nocendi, vel effuſio ſanguinis fuerit ſubſecuta, vel ſecus, morte mulctatam fuiſſe propter atrocem impietatem, qualis eſt ſuos parentes percutere. Ita Menochius, & Malvenda. Alii vero afferunt non adeo leve vulnus requiſitum fuiſſe, ut in percuſſorem legalis pœna infligeretur. Ita Hebræi apud Menochium, & R. Salomon. Moyſes hic de parricidio non loquitur, perinde ac crimen hoc impoſſibile exiſtimaſſet. Haud ſecus Solon teſte Cicerone pro Roſcio Amerino in legibus ſuis hoc ſcelus præteriit; & Romulum hujus ne meminiſſe quidem in Romanis legibus Plutarchus eſt author in Romulo. Attamen decima ſexta Romuli Lex erat in parricidas.

℣. 16. QUI FURATUS FUERIT HOMINEM, ET VENDIDERIT EUM, CONVICTUS NOXÆ MORTE MORIATUR.] Hebraicus textus [3], pro *convictus noxæ* verti ad litteram poteſt, *& adhuc in manibus illius reperiatur*, ſi furtum in manu illius deprehendatur. Vel potius juxta Glaſſium verſiculus totus vertendus eſt: *Qui furatus fuerit hominem, ſive vendiderit eum, ſive adhuc fuerit in manu ejus, morte moriatur*. Vatablus in Vulgatæ ſenſu ita explicat: qui convictus fuerit furatum eſſe, ac vendidiſſe hominem, morte moriatur. Hæc locutio, *inventum fuerit in manu ejus*, Hebraica eſt, et ſignificat, noxium inventum eſſe, & criminis convictum. Ita Grotius, & Vatablus.

Lex hæc coarctanda eſt ad furtum de Hebræo ſeu libero, ſeu ſervo relatum, juxta illud, quod ſcriptum eſt Deuteronomii 24. 7. *Si furatus fuerit hominem de filiis Iſrael*: quam exceptionem Septuaginta, & Onkelos hue quoque in textu retulere; & Judæi ſibi hac lege haud interdictum periculo capitis putant, alium quempiam, quam Iſraelitam furari, ſed tantum ſub pœna reſtitutionis. Xenophon l. 1. Comment. affert Athenienſium legem, quæ hominis furem capite damnat. Et Romanæ leges Digeſt. 48. tit. 15. eidem ſupplicio addicebant hominis liberi emptorem, ac venditorem, ſi illius conditionem agnoviſſent.

℣. 17. QUI MALEDIXERIT PATRI SUO MORTE MORIATUR.] Hebraicus textus [4], verti poſſet: *Qui negligit*, qui honorem non defert. Septuaginta [5]; *qui male fuerit locutus*, in eodem ſenſu ac Vulgata. Qui in parentes ſuos injurioſa, & contumelioſa enunciat verba, vel imprecationes, morte plectuntur, videlicet lapidibus obruuntur Levit. 20. 9. Leges Atticæ eos carcere plectebant, qui aliquam parentibus ſuis intuliſſe injuriam arguebantur; ut docet Demoſthenes in Timocrat.

℣. 18. SI PERCUSSERIT ALTER PROXIMUM SUUM LAPIDE, VEL PUGNO.] Samaritanus textus non exprimit: *lapide, vel pugno*: Et Syriaca verſio habet, lapide, vel baculo; videlicet ſi eminus aggreſſus illum fuerit, percuſſeritque lapide; aut cominus baculo; aut pugnis, uti Hebraicus textus, Chaldaica verſio, Septuaginta, Vulgata; aut lapidum ictu, vel glebæ, juxta alios [6].

℣. 19. SI SURREXERIT, ET AMBULAVERIT FORIS SUPER BACULUM SUUM.] Rabbinus Salomon apud Lyranum per hæc verba intelligit: *Si ambulaverit foris ſuper baculum ſuum*; ſi perfectam ſalutem receperit, atque, ut ſolebat, ambulaverit. Temporibus Moyſis Hebræi vulgo cum baculo incedebant; ſicuti oſtendimus Geneſ. 38. 18. Alii hanc loquendi rationem in hunc ſenſum detorquent: Si potuerit egredi, atque ambulare, etiam cum baculo, velut infirmus, qui pedes firmare debet; *innocens erit, qui percuſſerit*, mortis ſupplicium evadet: verum aliis pœnis obnoxius erit, verbigratia pœnæ Talionis, quæ hic non exprimitur, ſed ſolum verſiculo 24. reparationi damnorum, quæ per vulnus tempore vulneris ejuſdem acceperit; ita ut reſarciat tempus, quod ille amiſerit,

1 Porphyr. l. 2. de abſtin.
2 Demoſth. Ep. 3. de Lycurgi liberis.
3 גנב איש ומכרו ונמצא בידו
4 מקלל אביו ואמו
5 70. O' κακολογῶν πατέρα.
6 באגרוף, Gleba, Oleaſt. quid. apud Munſt.

cit, lucrum, quod adeptus non fuerit, pœnæ, quam tulerit; Medicorum, & Chirurgorum ſumptibus, & reale damnum, quod ex mutilatione, vel membrorum fractura fuerit perpeſſus. Nonnulli addunt contumeliæ reparationem, quæ inflictum vulnus comitari potuit; exempli gratia; ſi palam vapulaverit, ac contumelioſe. Rabbinus Salomon ait percuſſorem in vincula deduci conſuevisse, donec vulneratus vel convaleſceret, vel moreretur. Si percuſſus occumberet, percuſſor capite damnabatur; ſin ſecus, ſuperius allatis pœnis afficiebatur.

℣. 20. QVI PERCVSSERIT SERVVM SVVM, VEL ANCILLAM VIRGA, ET MORTVI FVERINT IN MANIBVS EJVS, CRIMINIS REVS ERIT.] Textus Samaritanus non exprimit virgam, ſed vox hæc in Hebraico extat, in verſione Chaldaica, Septuaginta, & Vulgata; pro iis autem verbis *reus erit criminis*, Hebraice habemus נקם ינקם *ſumetur ultio*. Chaldaica Verſio, Septuaginta, & Syriaca transferunt, *in judicium vocabitur*; videlicet juxta judicum ſententiam plectetur. Credunt nonnulli, nequaquam damnatum fuiſſe capite dominum, eo quod ſervum occidiſſet, ſed modo ſupplicio addictum fuiſſe, quod a judicibus conſtituebatur; & Samaritanus textus habet: *Non inquiretur; non morietur*. Hebræi ita hunc caſum diſtinguunt: Hebræus Dominus interfector ſervi e natione ſua, aut Proſelyti juſtitiæ, morte puniebatur; non ita vero peremptor ſervi advenæ, & incircumciſi. Rabbini apud Seldenum de jure nat. & gent. l. 4. c. 1.

Cur autem diſtinctiones hæ, quæ in lege non extant? cur lex in omni extenſione ſua accipienda non eſt, quandoquidem nihil niſi humanitatis uſum complectitur, quem natura, & ratio omnibus populis infudit, & qui conſequitur illud Decalogi præceptum, quo abſolute, & ſine ulla reſtrictione hominis cædes prohibetur? *Si contempſi*, inquit Job c. 31. ℣. 13. 14. 15. *ſubire judicium cum ſervo meo, & ancilla mea, cum diſceptarent adverſum me: quid faciam cum ſurrexerit ad judicandum Deus? & cum quæſierit reſpondebo illi? Numquid non in utero fecit me, qui & illum operatus eſt; & formavit me in vulva unus?* Et Seneca Ep. 47. eodem ferme in ſenſu ait: *Servi ſunt, imo homines: ſervi ſunt, imo contubernales: Servi ſunt, imo humiles amici; Servi ſunt, imo conſervi.*

Verum quidem eſt, apud cæteras nationes, Dominos, qui ſervos ſuos verberum vi enecaſſent, ſupplicio mortis mulctatos non fuiſſe: *Apud omnes peræque gentes animadvertere poſſumus, Dominis in ſervos vitæ, necisque poteſtatem fuiſſe*. L. 1. de his, qui ſui, vel alieni ſunt juris. Vide & Pignor. de ſervis pag. 7. 8. Verum qui ratione magis pollerent, cognoverunt ſemper, improbaveruntque facultatis hujus injuſtitiam: Advertere neceſſe eſt, Philoſophus quem ſupra memoravimus inquit, non ad ea, quæ impune ſervis tuis potes infligere, ſed ad ea, quæ a te natura, atque humanitas poſtulat. Hiſtoriæ [1] Catonem Cenſorem commendant, quod neminem ſervorum ſuorum capite damnaret, niſi ab aliis conſervis mortis dignus judicaretur. Adrianus voluit, ut Judices de criminibus, quorum accuſabantur ſervi, cognoſcerent, atque hos morte non plecti, niſi in eos juridica enunciata ſententia. Antoninus quoque Pius leges quaſdam pro ſervis ſcripſit, & Conſtantinus prohibet, ne per tormenta mors iis inferatur; verum hæc omnia dominos penitus a crudelitate deterrere minime potuerunt. Ægyptii morti adjudicabant, ſi quis ſponte hominem ſeu liberum, ſeu ſervum enecaſſet [2]. Græci par ſcelus arbitrabantur, vel liberum interimere, vel ſervum. Demoſthenes in Orat. contra Midiam ait, plures Athenienſes morti addictos fuiſſe, quod

Tom. I.

A injuſte ſervos oppreſſiſſent, illiſque contumeliam intuliſſent, quamquam hi e gente eſſent Græciæ infeſta, & in quam plerique Dominorum odio naturali laborarent. Hecuba in Euripide Ulyſſem exorans, ut Polixenæ filiæ ſuæ ſanguini parceret, ait: una, eademque lex apud vos liberorum hominum, ſervorumque damnat interfectorem.

Apud Athenienſes, qui de nimia dominorum ſævitia conqueri poterant, poſtulare poterant, ut aliis Dominis venderentur; quod ſi repulſam tuliſſent, integrum erat illis, ad aſylum altaris confugere, donec eorum poſtulatis Domini ſubſcripſiſſent. Videas, quæ diximus in Deuteronomio 23. 15. Videri quoque poteſt Samuel Petitus l. 2. tit. 6. Athenæus l. 6. c. 19. Caſaubonus in hunc eumdem Authorem, & B Grotius *de jure belli, & pacis* l. 3. c. 14. articul. 2. & 3.

℣. 21. SIN AVTEM VNO DIE, VEL DVOBVS SVPERVIXERIT, NON SVBJACEBIT POENÆ, QVIA PECVNIA ILLIVS EST.] Dominus tunc nulli temporali ſupplicio erat obnoxius; jactura, quam de ſervo ſibi bat, ſatis mulctabatur. Eo uſque perfectio Legum Moyſis progrediebatur: illis ſatis erat quandoque pœnarum timorem proponere, atque utilitatis cogitationem, ut a malo abſterrerent. Paraphraſtes Jonathan, Rabbini, & alii quidam [3] contendunt Legem hanc reſpicere tantum Ethnicos ſervos, & Chananæos, non autem Iſraelitas. Quemadmodum hi non niſi breviori temporis ſpatio ſervire tenebantur, ita haberi a domino minime poterant, veluti bona ipſius: dum ſer- C vi ethnici ſemper in ſervitute permanebant, eorumque mors non mediocrem jacturam illi, a quo empti fuerant, inferebat.

℣. 22. SI RIXATI FVERINT VIRI, ET PERCVSSERIT QVIS MVLIEREM PRÆGNANTEM.] Si hæc mulier percuſſa abortum edit, quin ex vulnere occumbat, qui percuſſerit in jus vocabitur, eoque ſupplicio damnabitur, quod judices arbitrique præceperint. Septuaginta [4] in hunc explicant ſenſu: *mulierem, quam homo percuſſerit, & quæ abortivum fecerit, nondum efformatum*, qui mali hujus extiterit cauſa judicum arbitrio mulctabitur: *Sin autem* (℣. 23.) *infans formatus eſt, morte eſt plectendus*. Author Vulgatæ intellexit de morte, aut vita matris, quod Septuaginta explicant de morte, aut vita filii. Joſephus Antiq. D l. 4. c. 8. in ſenſu Vulgatæ accepit: Philo autem de leg. ſpecialib. p. 793. 794. Septuaginta adhæret. Utrumque ſenſum Hebraicus textus [5] patitur, qui habet ℣. 22. *Si non occubuerit*, (vel ſi vulnus lethale non fuerit;) & verſiculo 23. [6] *Si occubuerit*, (ſi vulnus lethale fuerit;) quin exprimat, de quo loquatur, de matrene, an de filio. Cum mater ex vulnere moreretur, non ſatis liquet, an interfector mortis ſupplicium pati deberet; atque utrum hæc veluti fortuita clades habenda eſſet, de qua locuti ſumus ℣. 13. Verum præſtat aſſerere, interfectorem matris, vel filii æque noxium fuiſſe.

Quoad diſtinctionem, quam hic habent Septuaginta, morti addicentes illum, qui abortivi cauſa fuerit, ſi jam formatum ſit, atque animarum; ſimplici E autem correctioni eum damnantes, ſi fœtus formatus non fuerit; patet ex S. Auguſtini animadverſione qu. 80. & Theodoreti qu. 48. (Vide & Hieron. ad Algaſ. qu. 4) Septuaginta hæc addidiſſe, quod homicidium nequaquam arbitrarentur eſſe, præpedire ortum, vel abortum procurare filii, qui nondum formatus fuerit. Grotius autumat, Interpretes hos Græcorum legibus animum advertiſſe, quæ temporibus illorum uſum in Ægypto obtinuerant; oſtenditque Hippocratem, & Ariſtotelem exiſtimaſſe, nequaquam

N n ſcelus

[1] Plutarch. in Platone.
[2] Diodor. Sicul. l. 2. Biblioth.
[3] Lyranus, Junius, Bonfrerius, Rivetus &c.
[4] 70. Καὶ ἐξέλθῃ τὸ παιδίον αὐτῆς μὴ ἐξεικονισμένον.
[5] ואם אסון יהיה
[6] ולא יהיה אסון

ſcelus eſſe filii nativitatem impedire, cui nec vita fuerit, nec ſenſus. Vide Ariſtotelem Politic. lib. 7. cap. 16.

Sed Romani in hæc ſcelera ultimo ſupplicio animadvertebant; & has Græcorum diſtinctiones minime noverant. Cicero pro Cluent. refert mulierem Mileſiam capite damnatam, quod medicamenta adhibuiſſet, ut ſuum fructum expelleret. Et Ovidius de eodem ſcelere inquit l. 2. amorum apud Gataker; nihil æque inhumanum in ferociſſimis belluis reperiri, &

Quæ prima inſtituit teneros avellere fœtus,
Militia fuerat digna perire ſua:

Chriſtiani facinus adeo crudele ſemper ſunt abominati. Tertullianus ait nefas eſſe, prohibere formationem filii; eamque cladem eſſe præmaturam illius nativitatem præpedire: *Etiam conceptum in utero, dum adhuc ſanguis in hominem delibera:ur, diſſolvere non licet. Homicidii feſtinatio eſt, prohibere naſci: Nec refert natam quis eripiat animam, an naſcentem diſturbet. Homo eſt, & qui futurus eſt &c.* Tertull. in Apol. Vide & Selden. de jure nat. & gent. l. 4. c. 1. Joſephus contra Appionem l. 2. oſtendit, Judæos perhorruiſſe hæc natorum filiorum, vel qui naſcituri erant, homicidia, & ea omnia, quæ nativitatis hominum naturalem corrumperent ordinem. Quamquam Moyſes non palam fuerit locutus, neque ſupplicia indixerit in eos, qui deteſtanda adeo facinora perpetrarent; idcirco plane, quod plerumque hæc crimina ſecreta ſunt, & Leges, quas ipſe conſtituit, reſpiciunt tantum exteriores actiones; ſatis tamen oſtendit ſcelerum horum nequitiam, horroremque, in iis, quæ in Geneſi retulit de crimine Onan, c. 38. 9. qui *introiens ad uxorem fratris ſui, ſemen fundebat in terram.* Onkelos ait, ſi mater ea vulnere non decedit, percuſſori mulctam ſolvendam eſſe, quæ vel viri diſcretioni, vel Judicum arbitrio videbitur; ſin autem mater obierit, reum eſſe animam pro anima redditurum.

ỳ. 23. REDDET ANIMAM PRO ANIMA.] Quidam [1] hunc locum intelligunt, non de reali morte, quam neceſſario ſubire debuiſſet, ſi mater, aut mulier prægnans fuiſſent interfectæ; verum modo de pecuniaria mulcta, quæ congrua eſſet ſupplicio mortis, quam merebatur, juxta Legis rigorem, & a judicibus irroganda. Verum ſententia, quæ morti addicit, literæ magis eſt conſentanea. Hanc ſequitur Philo de ſpecial. legib.

ỳ. 24. OCULUM PRO OCULO, DENTEM PRO DENTE, &c.] Quoad hujus Legis ſenſum in diverſa abeunt Hebræi. Saducæi contendebant, eam preſſe intelligendam eſſe; & Scriptura in Deuteronomio c. 19. 18. 19. 20. excludere videtur quodcumque moderamen, quo mitigari poſſet. *Auferes malum de medio tui, ut audientes cæteri timorem habeant .... Non miſereberis ejus; ſed animam pro anima, oculum pro oculo,* &c. Alii Judæi, qui plurimum traditioni deferunt, aſſerunt, legem hanc in mitiori ſenſu accipiendam, non item vero in litterali verborum vi; atque intelligendam de pecuniaria mulcta, qua reale ſupplicium a lege notatum redimi poterat; exempli gratia, quod quis impenderet, ut amiſſum oculum redimeret, ſi in ea verſaretur neceſſitate, ut vel amittendus eſſet, vel redimendus. Sententia hæc æquior videtur, ut magis naturalis pleriſque eruditiſſimis Scriptoribus [2]; & oppoſita opinio multa adfert incommoda, quæ efficiunt, ut perquam difficilis ſit, quam judices exequantur, atque etiam maximo pluribus in occaſionibus poſſit eſſe reipublicæ detrimento. Targum Hieroſolymitanum, & Jonathan in hoc ſenſu acceperunt.

Cæterum ne arbitreris, has Talionis pœnas permittere, ut ſalva conſcientia poſſis ulciſci; non ſecus ac plurimas alias leges, quæ ob duritiam cordis Judæorum conceſſæ fuerunt. Hæ judicibus rationem præſcribunt, qua judicare debent in litibus inter privatos; verum privatis nequaquam permittunt, ut

A ulciſcantur, ac injuriam pro injuria rependant. Deus ſibi ultionem reſervavit; Deut. 32. 35. *Mea eſt ultio, & ego retribuam.* Homo ſuo privato jure ultionem exercere nequit; neque ſibi jus facere poteſt ob injuriam, quam ſibi illatam contendit, niſi per illorum authoritatem, qui miniſtri ſunt juſtitiæ, & ultionis Domini. Homo jus ſibi uſurpat, quo plecti meretur, cum ſibi Dei vindicat jus, ut ipſe ulciſcatur. Nos nimis noſtri amantes ſumus, ut juſtos æquitatis fines non prætergrediamur, cum de noſtra agitur utilitate; ſemperque excederemus, ſi integrum nobis eſſet ultionem de hoſtibus ſumere. Cum igitur Deus hic Talionis Legem conſtituit, ultionem nequaquam permittit, ſed moderatur: *Non fomes, ſed limes furoris eſt,* inquit S. Auguſtinus l. 19. contra Fauſtum

B c. 25. *non ut id, quod ſopitum erat, accenderetur; ſed ne id, quod ardebat, ultra extenderetur.* S. Iſidorus Peluſiota l. 2. Ep. 133. (Vide etiam S. Chryſoſt. homil. 18. in Matth.) obſervat Moyſem non conſtituiſſe Talionis legem, ut eos, qui injuria affecti fuiſſent, ad ulciſcendum cogeret; verum ut eos coerceret, ne ſe iiſdem pœnis exponerent, quas aliis inferebant. Ita quoque intelligit Tertullianus l. 2. contra Marcionem c. 18. *Interim commiſſio injuriæ metu vicis ſtatim occurſuræ repaſtinaretur: & licentia retributionis, prohibitio eſſet provocationis.* Cum Evangelium præcipit, ut ſiniſtra maxilla cædenda præbeatur dexteram percutienti, nihil præcipit, quod legi Moyſis adverſetur; ſed aliquid perfectius, atque excellentius præſcribit. S. Auguſtinus in pſ. 108. ait Moyſis

C legem eſſe juſtitiam hominum injuſtorum; non quod injuſtum ſit, ut ſons plectatur, cuique juxta opus illius retribuere, quia id nequaquam Lex permitteret; ſed ultionis cupiditas injuſta eſt, & vir bonus mallet, rem ad judices remittere, quam ea ſe ipſo ultionem ſumere: *Oculum pro oculo, dentem pro dente; quæ, ſi dici poteſt, injuſtorum juſtitia eſt, non quia iniquum eſt, ut recipiat unuſquiſque quod fecerit; alioquin Lex nequaquam id conſtitueret; ſed quia ulciſcendi libido vitioſa eſt* &c.

Græcæ Leges, & Romanæ Talionis legem probabant. Lex hæc Rhadamantho accepta refertur: *Æquum eſt, ut idem patiatur aliquis, quod fecit.* Diogenes Laertius in Solone Atticam legem refert, quæ utrumque oculum erui jubebat alicui, qui unum monoco-

D lo eruiſſet. Et Ariſtoteles Magn. Moral. l. 1. c. 34. optime animadvertit, nequaquam juſtum eſſe, ut qui alteri oculum eripuerit, eamdem tantum pœnam patiatur; majorem enim longe ferre deberet. Romani non rigide adeo Talionis legem obſervabant, niſi ille qui ſupplicium meritus fuerat, nollet, aut nequiret mulctam a Judice irrogatam ſolvere, aut per illum poſtulatam: *Si membrum rupit, ni cum eo pacit, talio eſto.* Leges 12. tabul. Vide Gellium lib. 20. cap. 1. Noct. Attic. Imperator Leo Novell. 92. vult, ut qui fuerit in cauſa, ut alius oculum amittat, eamdem pœnam ſubeat, ac in parte eadem; aſt ſi utrumque eruerit oculum, ut illi alteruter adimatur, & bonorum dimidiam partem amittat, quæ illi defetantur, qui fuerit excæcatus ab ipſo. Philo de legibus aſſerit

E talionis legem numquam ſtrictim obſervatam fuiſſe, ni homini libero illata fuiſſet injuria; & Rabbini contendunt, Hebræos ſervos hac in re eodem jure frui, ac homines liberos. Joſephus Antiq. l. 4. c. 8. docet, integrum illi fuiſſe, qui vulneratus fuerat, realem ultionem expoſcere, juxta legis vim; neque eum cogi potuiſſe, ut invitus pecuniam pro damni reparatione reciperet.

Canonicæ Leges quoddam Talionis genus approbant, calumniatorem damnantes, ut eamdem patiatur pœnam, quam aliis infligi volebat, quos falſo accuſarat. Decret. 2. part. cauſa 2. qu. 3. *Calumniator, ſi in accuſatione defecerit, Talionem recipiat.* Verum tunc adimitur, quidquid noxium, pravumque eſſe

1 Rabb. & Lyran. Rivet. Muis.
2 Ainſw. Vvill. Rivet. Muis, Malv. Buxtorf. &c.

eſſe poteſt in lege Talionis; ſcilicet libido ulciſcendi ex ſemet acceptas injurias. Si cum hac exceptione Talionis lex exercetur, neque injuſta eſt, neque prava; exerceri quandoque etiam poteſt cum merito ex puro juſtitiæ zelo, præſertim in oppreſſi innocentiæ defenſione: ſed in ruæ utilitatis perquiſitione, tutius quidem eſt, ut patientiæ Chriſtianæ partes amplectaris, atque ſine ullo queſtu illarum demnum patiaris. Socrates non vult aliquem ulciſci, vel contumelia affectum: non vult malum pro malo reddi; quia injurie, & malum numquam permitti poſſunt. Plato in Critone.

℣. 25. LIVOREM PRO LIVORE [a].] Syriaca verſio e pugni ictum pro ictu pugni. Arabica; Plagam pro plaga.

℣. 26. DIMITTET EOS LIBEROS PRO OCULO, QUEM ERUIT.] Hebræi [1] hanc legem coarctant ad ſolos ſervos advenas; nam ſi dominus eruit oculum Hebræo ſervo, Talionis legi erat obnoxius; ſed Grotius e contra arbitratur privilegium hoc libertatem accipiendi pro oculi jactura pro Hebræis tantum fuiſſe, & ſi malum alienigenæ ſervo contigiſſet, non ideo libertate fuiſſe donandum.

ET LUSCOS EOS FECERIT.] Hebraice שחתה; & oculum eis viciaverit: Septuaginta [2], & cæcos eos fecerit. Imperator Adrianus [3], cum ſervo cuidam eruiſſet oculum, ait illi, ut eum ob oculi jacturam conſolaretur, ut poſceret, quodcumque vellet; & cum nihil ad hæc reſponderet ille; quid vellet iterum interrogavit Imperator: cui ille; nihil præter oculum meum, inquit; nam poſt jacturam hanc, quid petere poſſum ad eam reparandam? Animadverti hic poteſt Moyſem eodem habere in loco, eademque pœna plectere oculi jacturam, & dentis.

℣. 27. DENTEM QUOQUE SI EXCUSSERIT SERVO, VEL ANCILLÆ SUÆ DIMITTET EOS LIBEROS.] Rabbini, quod hic de oculo, ac dente dictum eſt, extendunt etiam ad alia membra, quæ reſtitui non poſſunt, cum ſemel fracta fuerint. Viginti quatuor id genus recenſent, inter quæ viginti pedum, manuumque digitos numerant, aures, naſum &c.

℣. 28. SI BOS PERCUSSERIT CORNU VIRUM, AUT MULIEREM, ET MORTUI FUERINT, LAPIDIBUS OBRUETUR.] Hæc Lex palam cum eo congruit, quod in Geneſ. c. 9. 5. ſcriptum eſt: requiram ſanguinem veſtrum effuſum a beſtiis: *Sanguinem animarum veſtrarum requiram de manu cunctarum beſtiarum*. Deus ut ſemper magis averteret homines a crudelitate, atque homicidio, eoſque cogeret propoſita ipſorum utilitatis conſideratione, ut prævenirent, quidquid ſocietati eſſet obſtitum, mortis pœnam in ea animantia proponit, quæ hominem enecarint. Cum beſtiæ propter hominem creatæ ſint, æquum eſt eas delere ſimulac factæ fuerint noxiæ, atque incommodæ.

NON COMEDENTUR CARNES EIUS.] In ſignum, quod quiſque abominatur, quod fecerit, atque bovis domino pœna inferatur, cum omnimodam illius jacturam ſubierit. Quod hic dictum eſt de bubus, vel potius de tauris (quia, an apud Hebræos boves fuerint, ambigo,) habita ratione de cæteris domeſticis animalibus eſt intelligendum [4], cum alicui mortem inferant. Plato de legib. l. 9. Moſaicæ legi aliam ferme ſimilem conſtituit. Præcipit autem, ut, ſi animal hominem interficit, extra publicum certamen, defuncti conſanguineis jus ſit accuſandi illud coram judices, qui illud damnare debeant, ut ex regione ejiciatur. Draco, Athenarum legiſlator, cujus leges ſanguine ſcriptæ ferebantur propter nimiam ſeveritatem, edictis ſuis ferrum ſubmiſerat, lignum, lapides, omniaque alia inanimata, quæ violentiæ inſtrumenta fuiſſent, cum mali author ignoraretur, a Svide refertur in mare ſtatuam dejectam fuiſſe, eo quod lapſu ſuo hominem perfregerat. Apud Chriſtianos quoque bruta aliquando addicta ſupplicio fuiſſe perhibentur; exempli gratia, ea, quibus aliquis abuſus fuiſſet in criminibus contra naturam; & ſues, quæ filios parvulos devoraſſent [5].

℣. 29. QUOD SI BOS CORNUPETA FUERIT AB HERI, ET NUDIUS TERTIUS.] Rabbini [6] docent, dominum ter antea admonendum fuiſſe coram judicibus; quodſi deinde taurum non detineret clauſum, tunc juxta legis rigorem in eum agi potuiſſe.

DOMINUM EIUS OCCIDENT.] Maimonides ait in hoc caſu, Mortis pœnam Deo reſervari; & Rabbini [7] aſſerunt, cum Deus minatur ſe ſumpturum hominis ultionem de beſtiis, non ſecus ac de hominibus, qui homicidii rei fuerint inventi, hoc intelligendum eſſe de morte illata a beſtia per hominis inſtigationem, ſeu hic naturali belluæ feritate utatur, cui hunc objicit hominem, ſeu ferocia alat animantia, ut illis homines objiciat; quibus in caſibus plurimi credunt Deum ultionem ſibi reſervare. Grotius contendit, Textum, qui ſimpliciter habet: *Moriatur*; non autem, *Morte moriatur*, ut alibi, innuere, e morte redimi poſſe per congruam mulctam; quæ Philonis quoque eſt ſententia. Hujus generis cauſarum cognitio tum de domino, cum de bove ad cœtum viginti trium Judicium ſpectabat, de quibus alibi ſermo erit; bos interfici non poterat inaudito hujus Magiſtratus Judicio [8].

Solon apud Plutarchum legem tulerat adverſus animalia, quæ nocent hominibus, ubi præcipiebat, ut canis, qui aliquem momorderat, vulnerato traderetur cum catena quatuor cubitorum. Romanæ leges imperabant, ut, ſi vitioſus equus, aut bos aliquem peteret, in percuſſi poteſtatem ea cederent animantia, & bovis dominus pro damno illato perſolveret. Juſtinian. l. 4. tit. 9. & Digeſt. 9. t. 1. *Si equus calcitroſus calce percuſſerit, aut bos cornu petere ſolitus, cornu petierit, lex voluit, aut dari id, quod nocuit, id eſt animal, quod noxiam immiſit, aut æſtimationem noxiæ offerre.*

℣. 31. FILIUM QUOQUE, ET FILIAM SI CORNU PERCUSSERIT SIMILI SENTENTIÆ SUBJACEBIT.] Ex Verſiculo ſequenti judicium ferre licet, non agi hic de filiis familiæ aut liberæ conditionis, ſed de ſervis.

℣. 32. SI SERVUM . . . . TRIGINTA SICLOS ARGENTI &c.] Septuaginta; *Triginta didrachmas*, Romanæ monetæ ſcutata duodecim. Hoc commune ſervi pretium eſt, & Jeſus Chriſtus hoc pretio a Juda eſt venumdatus. Homo liber duplicato hoc pretio vænibat. Targum Jonathan, & Rabbini legem hanc ad ſolos Chananæos ſervos coarctant, vel incircumciſos; nam Hebræi ſervi quoad hanc rem, eodem privilegio, ac ipſorum dominus perfruebantur.

℣. 33. SI QUIS APERUERIT CISTERNAM . . . . . CECIDERITQUE BOS, AUT ASINUS IN EAM.] Duo in hoc loco ſunt diſtinguenda. I. *Aperire ciſternam* jam factam, vel ciſternam evacuare, quæ repleta fuiſſet. II. *Aliam recens effodere*. Primum innuitur per ea verba; *ſi quis aperuerit ciſternam*; alterum vero per hoc *foderit*, quod verti poſſet, *aut foderit*. In utroque caſu ciſternæ dominus tenebatur pretium ſolvere pro animantibus, quæ decidebant. Sed ſi laberetur homo Moyſes non refert, cui pœnæ foret obnoxius illius dominus ciſternæ. Philo ait, hoc ſi homini contigiſſet, obiiſſetque, defuncti cognatos potuiſſe efficere, ut qui effoderat, pœna damnaretur, quæ par eſſet damno, ob illius culpam illato.

Paraphraſtes Jonathan Legi hæc addit verba: *in platea*; ſi ciſternam foderit in platea. Rabbini Maimoni-

1 Jonathan, & Hieroſolym. Rabbini, Junius, Piſcator &c. 2 70. Ἐτύφλωσε αὐτόν.
3 Galenus de animi perturbat. 4 S. Auguſt. qu. 81. in Exod.
5 Vide Guid. Papam Deciſione 238. & Ranchin. ibi. Rebuff. ad Reg. Conſt. gloſſ. 3. §. Abulenſ. ad Levit. 20. qu. 14. Selden. de jure nat. & gent. l. 4. c. 5. 6 Maimonid. in Gemar. Babyl.
7 Apud Selden. de jure nat. & gent. l. 4. c. 5.
8 Gemar. Hieroſolym. tit. Sanhedrin. c. 1.

des, & Salomon intelligunt de ciſterna effoſſa *in loco* A *communi*. Contendunt autem quemque potuiſſe in agro ſuo puteum, vel ciſternam effodere, abſque eo quod ratio illi reddenda eſſet eorum, quæ contigiſſent. Leges Romanæ digeſt. l. 9. tit. 2. leg. 28. eos puniunt, qui foveas effodiunt ad capiendos urſos, vel cervos in via; non ita vero illos, qui effodiunt, ubi alii effodere conſueverunt: *Si in itineribus fecerit, eoque aliquid deciderit, factumque deterius eſt, Lege Aquilia obligati ſunt; at ſi aliis locis ubi fieri ſolent, fecerint, nihil tenentur.*

℣. 35. SI BOS ALIENUS BOVEM ALTERIUS VULNERAVIT.] Satis hæc lex patet, & juſtitia perſpicua eſt, Juriſconſulti Romani judicant, actionem nullam dari in dominum bovis aggreſſoris, ſi bos hic in certamine fuerit interfectus: ſed ſi aggreſſor occiderit, occiſi bovis dominus actionem habet in dominum bovis aggreſſoris. Digeſt. l. 19. tit. 1.

℣. 36. SI BOS CORNUPETA ESSET ..., ET NON CUSTODIVIT EUM DOMINUS SUUS &c.] Septuaginta [1] addunt: *Et dominus admonitus fuerit &c.*

[1] Καὶ διαμεμαρτυρήμενοι ὦσι τῷ κυρίῳ αὐτῷ.

CAPUT XXII.

Leges ad Furtum ſpectantes, Depoſitum, Commodatum, ſtuprum, maleficium, beſtialitatem, idololatriam; in eos, qui viduæ, & orphano nocent. Edictum de decimis, primitiis, primogenitis, carne animantium a bellua prægustata.

1. SI quis furatus fuerit bovem, aut ovem, & occiderit, vel vendiderit: quinque boves pro uno bove reſtituet, & quatuor oves pro una ove. 2 Si effringens fur domum, ſive ſuffodiens fuerit inventus, & accepto vulnere mortuus fuerit: percuſſor non erit reus ſanguinis. 3 Quod ſi orto ſole hoc fecerit, homicidium perpetravit, & ipſe morietur: Si non habuerit, quod pro furto reddat, ipſe venundabitur. 4 Si inventum fuerit apud eum, quod furatus eſt, vivens, ſive bos, ſive aſinus, ſive ovis: duplum reſtituet. 5 Si læſerit quiſpiam agrum, vel vineam, & dimiſerit jumentum ſuum, ut depaſcatur aliena: quidquid optimum habuerit in agro ſuo, vel in vinea pro damni æſtimatione reſtituet. 6 Si egreſſus ignis invenerit ſpinas, & comprehenderit acervos frugum, ſive ſtantes ſegetes in agris, reddet damnum, qui ignem ſuccenderit. 7 Si quis commendaverit amico pecuniam, aut vas in cuſtodiam, & ab eo, qui ſuſceperat, furto ablata fuerint: ſi invenitur fur, duplum reddet. 8 Si latet fur, dominus domus applicabitur ad deos, & jurabit, quod non extenderit manum in rem proximi ſui. 9 Ad perpetrandam fraudem, tam in bove, quam in aſino, & ove, ac veſtimento, & quidquid damnum inferre poteſt: ad deos utriuſque cauſa perveniet; & ſi illi judicaverint, duplum reſtituet proximo ſuo. 10 Si quis commendaverit proximo ſuo aſinum, bovem, ovem, & omne jumentum ad cuſtodiam, & mortuum fuerit, aut debilitatum, vel captum ab hoſtibus, nullusque hoc viderit: 11 Jusjurandum erit in medio, quod non extenderit manum ad rem proximi ſui: ſuſcipietque dominus juramentum, & ille reddere non cogetur. 12 Quod ſi furto ablatum fuerit, reſtituet damnum domino. 13 Si comeſtum a beſtia, deferat ad eum, quod occiſum eſt, & non reſtituet, 14 Qui a proximo ſuo quidquam horum mutuo poſtulaverit, & debilitatum, aut mortuum fuerit domino non præſente, reddere compelletur. 15 Quod ſi impræſentiarum dominus fuerit, non reſtituet, maxime ſi conductum venerat pro mercede operis ſui. 16 Si ſeduxerit quis virginem necdum deſponſatam, dormieritque cum ea: dotabit eam, & habebit eam uxorem. 17 Si pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam juxta modum dotis, quam virgines accipere conſueverunt. 18 Maleficos non pateris vivere. 19 Qui coierit cum jumento, morte moriatur. 20 Qui immolat diis, occidetur, præterquam Domino ſoli. 21 Advenam non contriſtabis, neque affliges eum: advenæ enim & ipſi fuiſtis in terra Ægypti. 22 Viduæ, & pupillo non nocebitis. 23 Si læſeritis eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum. 24 Et indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio, & erunt uxores veſtræ viduæ, & filii veſtri pupilli. 25 Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum quaſi exactor, nec uſuris opprimes. 26 Si pignus a proximo tuo acceperis veſtimentum, ante ſolis occaſum reddes ei. 27 Ipſum enim eſt ſolum, quo operitur, indumentum carnis ejus, nec habet aliud, in quo dormiat: ſi clamaverit ad me, exaudiam eum, quia miſericors ſum. 28 Diis non detrahes, & principi populi tui non maledices. 29 Decimas tuas, & primitias tuas non tardabis reddere: primogenitum filiorum tuorum dabis mihi. 30 De bobus quoque, & ovibus ſimiliter facies: ſeptem diebus ſit cum matre ſua, die octava reddes illum mihi. 31 Viri ſancti eritis mihi: carnem, quæ a beſtiis fuerit prægustata, non comedetis, ſed projicietis canibus.

℣. 1. SI

℣. 1. SI QUIS FURATUS FUERIT BOVEM . . . QUINQUE BOVES PRO UNO RESTITUET, ET QUATUOR OVES PRO UNA OVE.] Sub nomine bovis, aut tauri, vaccæ etiam, & vitulus continentur; & ſub nomine ovis aries, agnus, hædus, hircus, capra. Furtum ſimplex numquam capite puniebatur, cum ab Hebræo patraretur, inquiunt Rabbini [1]; ſed ſi ab alienigena patrabatur, illi caput abſcindebatur, quod omnium ſuppliciorum turpiſſimum habebatur, atque deinde fur manu ſuſpendebatur; quia apud Hebræos, inquiunt, homo vivens numquam ſuſpendebatur.

In corpus Furis nullam pœnam præſcribit Lex; vide etiam Prov. 29. 14. & 6. 30. 31. verum Eſtius autumat, fures flagellis plecti conſueviſſe, niſi ſolvendo eſſent; vel etiam laqueo ſuſpendi, ſi convictus eſſet, quod ſæpius furatus fuiſſet. Furtum eo tempore aliquando capite plectebatur; uti liquet & iis, quæ ait Jacob ad Laban Gen. 31. 32. *Quod autem furti me arguis, apud quemcumque inveneris Deos tuos necetur coram fratribus noſtris*. Aliquando etiam fur venibat, uti patet inferius ℣. 23. atque ex parabola ſervi, Matt. 18. 25. qui decem mille talenta debebat. Patriarcha Joſeph ſimulat ſe velle in ſervitutem detinere Beniaminum fratrem ſuum, in cujus ſacco ipſius patera fuerat inventa.

Quæritur, unde hæc oriatur diverſitas, ut pro bove fur quinque boves reddere teneatur, pro ove autem quatuor oves dumtaxat? Theodoretus, S. Thomas, Eſtius, Menochius, Tirinus, aliique nonnulli contendunt, id fieri propterea quod bos majorem afferat utilitatem, quam ovis. Numerantur porro quinque [2] utilitates, quas e bove, vel e vacca percipimus. I. Quod Domino immolatur. II. Quod terram exercet. III. Quod ipſius carne veſcimur. IV. Quod vaccæ lactem ſuggerit. V. Quod ipſius corio utimur. Ovium autem quatuor tantum utilitates feruntur; ſcilicet quod in ſacrificiis adhibetur, quod ſuo vellere nos induit, ſuis carnibus, & lacte nos paſcit. Aſt aurum, & argentum nonne majores afferunt utilitates? & nihilominus ablata ſimpliciter reſtituuntur. Præſtat igitur dicere, Legislatorem cohibere voluiſſe hunc populum ad hujus generis furta pronum [3]; vel potius majoribus affeciſſe pœnis, quod armenta furtis magis ſunt expoſita, cum terram exerceant, in agris paſcantur, quam mobilia, quæ clauſa domi cuſtodiuntur. Grotius de jure belli & pacis l. 2. c. 20. art. 16. animadvertit poſt Juſtinum Scythas gravioribus ſuppliciis in crimen hoc, quam aliud quodpiam animadvertiſſe: *Nullum ſcelus apud eos furto gravius: quippe ſine tecto, munimentiſque pecora, & armenta habentibus, quid ſalvum eſſet ſi furari liceret?* Tirinus credit pœnas omnes in his legibus allatas, ac in ſequentibus, uſque ad caput 25. nequaquam inflictas fuiſſe niſi ac a Judicibus cognita. Verſiculo 4. videmus legis hic notatæ exceptionem.

℣. 2. SI EFFRINGENS FUR DOMUM &c.] Sermonis decurſus, & loci hujus oppoſitio ad ℣. 3. ſatis oſtendunt, hoc de nocturno fure eſſe intelligendum. Hebraicus textus [4] verti poteſt: *Si deprehenſus fuerit* E *dum aſtu murum perfodit*; vel, *in foramine, quod in muro fecerit* [5]; Vel, *ſi inventus fuerit cum inſtrumento ad murum perfodiendum idoneo* [6], Dominus domi eum impune interficere poterit. Lex hæc autem innititur periculo noſtro, quoniam ignoramus, an fur vitam nobis ſit ablaturus: & ſicuti fas eſt vitam A noſtram tueri, etiam vitam eripiendo inimicis, qui nos aggrediuntur, cum mors aliter evitari nequit, & cum adeſt moderamen inculpatæ tutelæ; judicatur quoque licere nocturnum furem interimere, quod rationabiliter vereri poſſumus, quod nobis vitam velit eripere. Hæ veluti reliquiæ ſunt veteris juris omnibus hominibus communis, quo licebat ob acceptam injuriam ulciſci, antequam populi jus ſuum in Principum, ac Magiſtratuum manu jus ſuum depoſuiſſent. Leges in hoc caſu, quodammodo in privatorum manu collocant arma, ut queant interficere in perſona illorum, qui eos noctu aggrediuntur, non modo privatos inimicos, verumetiam publicæ quietis hoſtes; atque in hoc ſenſu afferi poteſt, eos nequaquam occidere privata authoritate; ſed legitima Magiſtra- B tuum, Legumque authoritate, quæ depoſitariæ ſunt juris, quod habet Deus ſuper hominum vitam.

Hæc homicidiorum genera Eccleſia patitur; nec deſunt Scholaſtici, atque Interpretes, qui doceant, ſalva conſcientia furem interimi poſſe, vel alium quempiam, qui nos aggreditur vitam erepturus, cum jacturam illius aliter nequeamus effugere. Sed Auguſtinus optime ait l. 1. de lib. Arbit. c. 5. *Legem quidem non reprehendo, quæ tales permittit interfici, ſed quomodo ipſos, qui interficiunt, defendam non invenio*. Re quidem vera quinam juſtificari poteſt hominem interficiens, ut ſervet ea, quæ religio nos vult aſpernari? Evangelium patientiam prædicat, & patres [7] docuere ſemper non licere quemquam privata authoritate interficere. Homicidium volunta- C rium generatim damnant, & ſine ulla reſtrictione. Et equidem ut culpa vacuus ſit nocturni furis homicida, opus eſt. I. Ut nullam habeat interfector ulciſcendi cupiditatem, nullumque odium adverſus furem. II. Ut evidens ſit metus futurum ut a fure vita adimatur. III. Ut ſit realiter in vero vitæ amittendæ periculo, niſi ſe tueatur cum moderamine inculpatæ tutelæ. Si una ex his conditionibus deſit, apud tribunal conſcientiæ, nequaquam reor, juſtificari poſſe nocturni furis interemptorem.

Leges Atticæ [8] perſequi, atque interficere nocturnum furem permittebant. Eamdem facultatem Romanis duodecim Tabularum leges tribuebant; ſed cum hac reſtrictione, quod clamandum eſſet ob admonendum. Interdiu furem occidere nefas erat, niſi ſe armis tutaretur, & tunc quoque clamandum erat, ut eum omnes agnoſcerent: *Si nox furtum faxit, ſi im aliquis occiſit, jure caſus eſto*. Lex *Furem* in lege *Cornelia* non permittit nocturnum furem occidi; *Niſi mortis periculum inferat*; videlicet, ſi armati non ſint, ſi nos non aggrediantur, ſi ſe ſe non defendant.

℣. 3. QUOD SI ORTO SOLE HOC FECERIT, HOMICIDIUM PERPETRAVIT, ET IPSE MORIETUR.] Chaldaice; *ſi teſtium oculis deprehenſus fuerit, homicidii reus erit*. Maimonides ex hac verſione infert, quod fur minime cenſebatur nocturnus, etiam noctu, ſi teſtes adfuiſſent. Non licebat furem interdiu furantem perimere, quia nullum imminebat ſeu vitæ, ſeu bonis poſſeſſoris periculum; poterat ille quidem ſe ſe defendens vitam ſuam tueri, ſi forte quis eum aggrederetur, & furti reſtitutionem repoſcere, ac jacturam ſuam reparare; quapropter ſi furem interficit, velut homicida damnatur.

HOMICIDIUM PERPETRAVIT, ET IPSE MORIETUR. SI NON HABUERIT QUOD PRO FURTO REDDAT, IPSE VENUNDABITUR.] Textus Hebraicus [9] obſcurior eſt,

1 Vide Seldenum de jure nat. & gent. l. 7. c. 6.
2 Apud Lyranum. 3 Menoch.
4 אם במחתרת ימצא
5 Jonathan.
6 Ita Lyr. Oleaſt. &c. Vide & ad Jerem. 2. 34.
7 Cyprian. l. 1. Ep. 8. Lactan. Divin. Inſtit. l. 6. c. 20. Cyrillus l. 1. in Joan. c. 12. Aug. Ep. ad Publicolam. Ambroſ. l. 3. c. 4. Primaſ. in Epiſt. ad Rom. c. 12. Baſil. Ep. Canon. c. 55. Canones Iſaaci Ling. c. 13. Hildebert. Canon. Yvo Carnot. Ep. 6. Bernardus de Præcepto, & diſpenſ. c. 7. & plurima Concilia &c.
8 Apud Demoſt. Orat. contra Timocrat. Ita & Plato l. 9. de Legib.
9 ואם אין לו שלם ישלם ונמכר בגנבתו

Poſſeſſor reus eſt homicidii. Quid ſibi timendum erat? *Fur autem non poterat, quin ablata reſtitueret; ſin autem illi deerat, venumdari debebat, ut illi ſatisfaceret, cui furatus fuiſſet.* Hic eſt ſenſus magis naturalis, quem huic loco tribuere poſſimus. Septuaginta [1] aliter intellexiſſe videntur: *Si ſol ortus fuerit ſuper eum; reus eſt, & idcirco morietur* (pro furto ſuo;) *ſin autem illi deeſt, quod reſtituat; venumdabitur pro furto ſuo.* Videlicet, in illum actio erit, ut capite plectatur, atque ut ablata recipiantur: Quod ſi non habuerit, quæ reddat, illi vita ſervabitur; verum in ſervum vendetur. Syriaca verſio ita explicat: Si orto ſole furatur, atque in furto interficitur, interfectorem in jus vocari fas eſt, ut capitis diſcrimen ſubeat: ſed fur furtum reſtituet; vel ſi nequiverit, venumdabitur, ut illi ſatisfaciat, cui furatus eſt. Hæc explicatio contradictionem involvit: Quomodo enim mortuus homo venumdari poteſt, ut quod abripuerit, æſtimat? Arabica; ſi pleno die furetur, nullum erit jus eum vi repellendi; ſed furti pretium reddet; vel ſi bona minime habuerit, vendetur &c. Rabbini apud Selden. l. 6. c. 7. de jure nat. & gent. docent, furem ita venumdatum ſervire debuiſſe uſque ad collectionem pretii rei illius, quam furatus fuerit, non ita vero donec duplum, aut triplum reſtitueret, ad quod ſolvendum pro furti natura poterat condemnari. Reſtitutio hæc tandem fiebat fure poſito in libertatem.

Legis hujus conſequens fuit, quod olim filii patrum, qui ſolvendo non eſſent, apud Hebræos venirent. Vide 4. Reg. 4. 1. Mulieres, quæ furabantur, juxta Judæos legi huic minime ſubjiciebantur. Mulier nec venire poterat, nec ſe ipſam venumdare, neque emere Hebræum ſervum, vel Chananæum. Fur numquam vendebatur, niſi pretium, quod ſolvendum erat, ſui corporis pretium excederet. Si homo centum argenteos æſtimabatur, nequaquam venibat pro nonaginta novem argenteorum pretio quod furatus fuerat. Rabbinicæ ſubtilitates.

ỳ. 4. SI INVENTUM FUERIT APUD EUM, QUOD FURATUS EST.] Hæc eſt exceptio legis primo rogatæ verſiculo, quæ damnat ad quinque boum, ovium quatuor reſtitutionem, qui bovem, vel ovem abripuerit. Moyſes hic furem damnat, apud quem, vel in cujus manu inventum fuerit animal vivum, quod erat furatus; cum autem damnat, ut duplum ſolvat, vel, ut duo in ſingula reſtituat. Hebraico textui [2] alius ſenſus tribui poteſt: *Si inventum fuerit in manu illius, quod abripuerat &c. duo animalia viventia reddet pro eo, quod abripuerit.* Senſus idem tribui poteſt Septuaginta [3]; atque ita pariter intellexerunt Montanus, Oleaſter, Malvenda, Piſcator. Samaritanus textus poſt ea verba *five ovis*, addit, ſeu *aliquod aliud cujuſque generis animal.*

ỳ. 5. QUIDQUID OPTIMUM HABUERIT &c.] Vulgata perfecte tranſtulit Hebraicum textum, ſed Septuaginta [4], & Samaritanus textus aliter parum legarunt: *Si quis finis armentum ſuum depaſci agrum alterius, red- det damnum, quod intulerit, juxta agri ejus proventum.* Scilicet tantumdem, quantum diminutum fuerit e provento, quem poſſeſſor eu agro percipere ſolet; quæ jactura reparanda fit ex iis, quæ damni illator optima in ſuis agris habuerit. Duodecim Tabularum Leges magis ſeveræ erant, quam Lex Moyſis: *Qui frugem aratro quæſitam pavit, ſecuitve; pubes, Cereri ſacrator, impubes, Prætoris arbitratu verberator, noxamque duplionem præſtato.*

ỳ. 6. SI EGRESSUS IGNIS INVENERIT SPINAS.] Non pauci latina exemplaria habent *ſpicas* pro *ſpinas*: ſed Hebraicus textus [5], & Septuaginta legunt *ſpinas*. Si quis ſentes accendit, ignisque progreſſus acervos frugum in agro cumulatos invadit, vel ſegetes adhuc ſtantas, ille, cujus cauſa hoc obtigerit malum, damnum reparabit.

ỳ. 7. SI QUIS COMMENDAVERIT AMICO PECUNIAM.] Nomine *argenti*, *pecuniæ*, *vaſis*, generatim intelligitur quodcumque in depoſitum collocari poteſt, aurum, argentum, ornamenta, mobilia, veſtes &c. Lex imperat, ut ſi depoſitum hoc ſubreptum fuerit e depoſitarii domo ab alio, & ſi fur reperitur, hic rei ablatæ duplum reddere teneatur. Neque ex Hebraico textu [6], neque ex Vulgata ſatis liquet, utrum intelligendum ſit, furtumne a depoſitario factum fuerit, an ab alio quopiam domi illius; an in domo illius ab externo alio res fuerit ſubrepta. Syriaca, & Arabica in noviſſimo hoc ſenſu intelligunt, uti quoque & Septuaginta [7]; qui etiam magis eſt naturalis. Si fur inveniri potuerit, duplum reddet; ſin autem fur inveniri nequiverit, Depoſitarius in jus ante Judices vocabitur; ac liber dimittetur, ſi interpoſito ſacramento aſſeveraverit, ſe nihil ſcire de furto.

ỳ. 8. DOMINUS DOMUS APPLICABITUR AD DEOS.] Chaldaica verſio, Syriaca, Arabica, & Interpretum plerique: cogetur ad prodeundum ante Judices, vel Magiſtratus. Septuaginta [8]: *coram Domino*. Hebræus [9] habet *Elohim*, quod, uti alias oſtendimus, ſignificare poteſt Deum, vel deos, vel Judices, vel Principes. Rabbini dicunt, cauſas hujuſmodi ad trium virorum tribunal deferri conſueviſſe.

ỳ. 9. AD PERPETRANDAM FRAUDEM TAM IN BOVE.] Hebræus [10]: *Quoad omnia, quæ fraudis poſſunt eſſe materia, veluti bos, aſinus, ovis, veſtis, & generatim omnia, quæ dici poſſunt, illic eſſe;* (videlicet quidquid in alterius manu cognoſcere poſſumus, quod ad nos ſpectet) *uterque* (accuſator, & accuſans) *ante Judices prodibunt.* Vel: *quoad cujuſcumque jacturæ genus, cujus reus dici queat* &c. ſcilicet, ſi teſtes ante Judices contendant depoſitarium eſſe reum, & accuſator probaverit; quod aſſeret, depoſitarius damnabitur, ut duplum reſtituat. Moyſes hic generatim docet, quo pacto Judices agere debeant in omnibus cauſis, quæ fraudem reſpiciunt, quæ in depoſitis admitti poteſt. Hebraicus textus ita quoque explicatur: In omni certamine, quod inter depoſitarium contigerit, & qui depoſitum commendaverit, ubi hic queratur, quod aliquod minoris pretii ſubrogetur iis, quæ ad ipſum ſpectant, depoſitarius vero contendat e contra eam eſſe depoſitam rem; cauſa ad Judices deferetur, & uter damnabitur, duplum ſolvere tenebitur. Depoſitarius duplum depoſitum reſtituebat, quo fraudare voluiſſet illum, a quo commendatum fuerat; hic vero, ſi damnaretur, debebat ſolvere ejus rei duplum, quam expoſcebat a depoſitario, cui calumniam intulerat. Lyranus ait, teſtes damnari, ut duplum reddant ejus rei depoſitario, quam contra ipſum petebant. Menochius autumat hic agi de depoſito invento, quod fuerat amiſſum, ſed quod depoſiti dominus contendit non eſſe idem, ac illud, quod depoſitario commendaverat.

Ha

1 Ἐὰν δὲ ὁ ἥλιος ἀνατείλῃ ἐπ' αὐτῷ, ἔνοχός ἐστιν ἀνταποθανεῖται, ἐὰν δὲ μὴ ὑπάρχῃ αὐτῷ, πραθήτω ἀντὶ τοῦ κλέμματος.

2 אם המצא תמצא בידו הגנבה ... חיים שנים ישלם.

3 70. Ζῶντα διπλᾶ αὐτὰ ἀποτίσει.

4 Ἀποτίσει ἐκ τοῦ ἀγροῦ αὐτοῦ κατὰ τὸ γένημα αὐτοῦ.

5 קצים. 70. Ἀκάνθας.

6 וגנב מבית האיש.

7 Καὶ κλαπῇ ἐκ τῆς οἰκίας τοῦ ἀνθρώπου.

8 Ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ.

9 ונקרב בעל הבית אל האלהים.

10 על כל דבר פשע .... אשר יאמר כי הוא זה.

Hæ autem quoad depoſitum Romanorum leges e-tiant. Qui elegerit depoſitarium ſuum, quin ad id publica, aut privata calamitate adigatur, ſi depoſitum amiſſum fuerit, exigere poterit a depoſitario ſimpliciter depoſiti pretium: at ſi quis adactus neceſſitate, exempli gratia, incendii, ſeditionis, aut naufragii, aliquid in depoſitum tradit, depoſitarius tenetur duplum reddere, ſi fidem depoſiti fregerit; Digeſt. lib. 16. tit. 3. Leg. 1. *Cum quis fidem elegit, nec depoſitum redditur, contentus eſſe debet ſimplo: cum vero extante neceſſitate deponat, creſcit perfidiæ crimen &c.*

℣. 10. SI QUIS COMMENDAVERIT PROXIMO SUO ASINUM &c.] In verſiculis præcedentibus agebatur de ſimplici depoſito; nunc de alius generis depoſito quæritur, ſcilicet de depoſito armenti; quod locatur ſub conditione ſtato tempore reſtituendi cum ſtatuto proventu, qui domino cedit; vel etiam de animantis cuſtodia, quod paſtori, vel cuſtodi cuipiam commendatur. Tunc cuſtos, vel conductor ad nihilum tenebantur, cum nulla ipſorum culpa erat in animalium amiſſione; exempli gratia; cum vis major adfuiſſet, veluti hoſtium incurſus; vel in fortuitis caſibus, veluti lapſus, aut naturalis mortis animalium, quæ res nequeunt impediri. Tunc juramentum a cuſtode, vel depoſitario exigebatur; & juxta juramentum illius, vel damnabatur, vel abſolvebatur. Doctores Judæi, & Juriſconſulti Romani (Grotius in hunc locum) hic ponunt reſtrictionem; ſcilicet, neceſſe eſſe, ut conductor, vel depoſitarius relicta re fuerit uſus, ut cogi poſſit ad reſtitutionem. Ego autem non video, cur hæc Lex in ſimplici ſuo, & naturali ſenſu minime ſit accipienda pro animalibus, quorum ſimplex cuſtodia commendatur alicui, qui ea ſolvere non tenetur, ſi vel abacta fuerint, vel interfecta, quin ulla ipſius adſit culpa. Pro *debilitatum* Hebraicus textus נשבר verti poteſt *ruptum*. Septuaginta, Συντετρίφθη [1]: *Si membrum aliquod fractum fuerit.*

℣. 12. QUOD SI FURTO ABLATUM FUERIT, RESTITUET DAMNUM DOMINO.] Si de cuſtodia ſimplici ageretur, durum nimis videretur, cuſtodem cogere, ut ablatum animal reddat; nam hæc obligatio ſupponit, quod ea, quæ alicui locantur, vel commodantur; tuta eſſe debeant in manibus illius, atque ipſum teneri, ut rationem reddat. Alii credunt hoc depoſiti genus aliquem proventum attuliſſe, ſaltem pro cuſtodia, depoſitario: atque huic proventui plane innititur Lex, quæ jubet ea reſtitui, quæ a furibus ablata fuiſſent.

Nonnulli hebraicum textum [1] ita explicant: Si mutuatum animal abreptum fuerit a mutuatario; vel juxta Menochium: Si furtum peractum fuit cuſtodis conſenſu, & abſque eo quod obſiſtat, eo in caſu ad reſtitutionem tenetur. Ideo autem hæc probatur explicatio, quod ſervat oppoſitionem, quæ debet intercedere inter verſiculum hunc, & verſiculos ſeptimum, & octavum, in quibus depoſitarius ad reſtitutionem minime tenetur, hoc ſuppoſito, quod furem detegere non potuerit, & de fure nihil ſciverit. Hic autem quædam ſupponitur negligentia ex parte illius, qui cuſtos fuit, in cujus manu res periit.

℣. 13. SI COMESTUM A BESTIA.] Hebraicus textus ita verti poteſt: *Si animal dilaniatum fuerit ab aliqua feroci bellua, adducet teſtem rem ipſam rapiam, et non reddet.* Septuaginta dicunt, ipſum deducere debere animalis dominum ad locum, ubi a bellua abreptum fuerit [2]. Hebraice ad litteram:

A *Teſtli referet; rea abacta eſt, & ille non reddet*; vel [3]: *proferet teſtes, quod animal ablatum fuerit* (vel devoratum) *a bellua feroci, atque reddere non tenebitur*; Suppoſito tamen, ait Rabbinus Salomon, quod ille ſine damno belluæ reſiſtere non potuerit, vel quod perperam armentum in periculoſa loca minime deduxerit ſine domini conſenſu. Syriaca verſio, & Arabica referunt, ipſum adferre debere membrum aliquod dilaniati animalis ad dominum illius, ut rei veritatem oſtendat.

℣. 14. QUI A PROXIMO SUO QUIDQUAM HORUM MUTUO POSTULAVERIT.] Septuaginta [4] legunt: *Si laniatum fuerit, aut interfectum, aut ab hoſtibus abactum.* Agitur de ſimplici mutuo. Lex obligat mutuatarium ad reſtituendum, ſi res mutuata in manibus illius perit; B uno tantum excepto caſu, ſcilicet domini præſentia. Tunc quemadmodum mutuans nequit ſupponere fraudem, vel negligentiam in mutuatario, æquum non eſt, hunc rationem reddere de malo, quod illi impedire non licuit: ſin autem dominus, cum malum contigit, non aderat, videtur mutuatarius omne damnum ſubire debere, quoniam ipſi omnis e mutuo utilitas cedit, & mutuans omnem exuit rei proprietatem, cujus uſum gratuito illi permittit. Quædam ſemper in mutuatario ſupponitur negligentia, & ipſe minime neceſſariam impendiſſe curam ad rem, quam mutuatus eſt, ſervandam, quemadmodum mutuator invigilaſſet, niſi rem mutuam dediſſet. Denique Lex hæc excitat eorum, qui mutuum accipiunt, diligentiam; & qui mutuum C dant, liberalem voluntatem: in prioribus quidem propoſito timore amiſſu rei reſtituendæ; in poſterioribus autem certitudine recipiendi, quidquid mutuo conceſſerint. Maimonides obſervat; ſi mutuatarius inficiatur amiſſam rem eſſe mutuatum, ad Sacramentum eliciendum cogi potuiſſe, ſi unus tantum adeſſet teſtis, qui in ipſum detuliſſet; ſin autem negando perſeveraſſet, abſolvi debuiſſe. Si partem fatebatur, partem negabat, illud reddere cogebatur, quod fuiſſet confeſſus.

℣. 15. QUOD SI IN PRÆSENTIARUM DOMINUS FUERIT, NON RESTITUET, MAXIME SI CONDUCTUM VENERAT.] Simplex mutuatarius, ac potiori jure ille, qui conducit certo pretio aliquod animal, non tenetur ad reſtitutionem, ſi in manu ipſius animal D perit coram domino ejuſdem. Hoc patet in ſenſu Vulgatæ, ſed videtur aliter explicari poſſe cum Septuaginta [5] hoc verſiculo præcedenti adnectendo; hoc pacto: *Si animal mortuum fuerit domino abſente, mutuatarius ſolvere debebit,* (℣. 15.) *Sed ſi dominus adeſt, nihilum ſolvet: & ſi animal hoc conductum eſt, dominus patietur damnum, eo quod mercedem acceperit.* Moyſes hic tres caſus diſtinguit; primus, cum dominus abeſt, adfert obligationem reddendi; ſecundus, cum dominus adeſt; a reſtitutione liberat; tertio denique, ſi animal conductum eſt certo pretio, ſive abſit, ſive adſit dominus, conductor id tantum ſolvere debet, quod pro re conducta convenerat: *Si conductor ipſe*, ait textus Hebraicus [6], *venit in mercede ſua*, vel *illius*. Si conduxit animal E ſoluta mercede, abſolvitur; tamen ſuppoſito, quod minime cum exceſſu ad laborem illud impulerit, ac præter vires illius.

Grotius aliam adhuc tradit loco huic explicationem; quam magis Hebraico textui conſonam arbitratur: *Si mercenarius ipſe venit propter mercedem ſuam.* Si in cuſtodiam armentum acceperis, ut propoſita mercede illud tuearis, ipſe jacturam reparabit propter mercedem, ſive abfuerit dominus, ſive adfue-

1 אם־שבור.
2 Ἀξει αὐτὸν ἐπὶ τὴν θήραν, Alii vertunt, ἐπὶ τὴν θύραν, *ad portam*, Edit. Complut. &c,
3 יביאהו עד הטרפה.
4 Ἢ συντριβῇ, Ἢ ἀποθάνῃ, αἰχμάλωτον γένηται.
5 Ἐὰν δὲ μισθωτὸς ᾖ, ἔσται αὐτῷ ἀντὶ τοῦ μισθοῦ αὐτοῦ.
6 אם שכיר הוא בא בשכרו.

adfuerit. Syriaca aliter adhuc explicat. *Si mercenarius fuerit, mulctabitur in mercede ſua*, videlicet illius luctum detinebitur, atque ex illius mercede jacturæ pretium deducetur. A

℣. 16. SI SEDUXERIT QUIS VIRGINEM, DOTABIT EAM, ET HABEBIT EAM UXOREM.] Septuaginta [1] vertunt: *dotem illi tribuens, in uxorem ſumet*: juxta veterem conſuetudinem, quæ requirebat, ut vir dotem daret uxori. Lyranus credit dotem ſtatutam fuiſſe pro virginibus, quibus quis abuſus fuiſſet; ſed alii putant, virum dediſſe illi tantumdem, quantum habere potuiſſent juxta ſuam conditionem, niſi ſeductæ fuiſſent. Adeſt in Deuteronomio 22. 28. Lex peculiaris pro puellis, quibus vis fuiſſet illata; & alia in Levitico 21. 9. pro Sacerdotum filiis, quæ ſe corrumpi fuiſſent paſſæ. Quidam Hebraicum textum [2] B vertunt: *Feſtinando feſtinabit ſibi in uxorem*; ſed plerique [3] adhærent Septuaginta, & Vulgatæ, qui hic vertunt pro *mahar*, *dotaet*. Onkelos: *ducet uxorem*, Joſephus Antiquit. lib. 4. cap. 8. ait eas donari conſueviſſe quinquaginta ſiclis, niſi viri eas in uxores ducere voluiſſent.

℣. 17. SI PATER VIRGINIS DARE NOLUERIT, REDDET PECUNIAM.] In Deuteronomio 22. 29. obſervatur ſumma quinquaginta ſiclorum argenti, veluti ſumma ſtata, & communis puellæ; ſed illic Moyſes loquitur de puella, quæ violata fuiſſet, hic vero de ſeducta. Attamen plerumque Lex illa Deuteronomii habetur, veluti generalis diſpoſitio; ſed admodum eſt veriſimile, ſummam hanc non fuiſſe eo pacto conſtitutam, ut ſæpius aliquid ultra tribueretur, pro meritis, conditione, aliiſque puellæ qualitatibus; & ſaltem quinquaginta dabantur ſicli, ſeu hæc mulctæ eſſet genus in proventum patris puellæ ejuſdem, ſeu ut inde veſtes puellæ compararentur. C Rabbini [4] docent, vi Legis nihil unquam additum fuiſſe huic ſummæ ſiclorum quinquaginta, etiamſi actum fuiſſet de filia Regis alicujus, quamquam Judices ob alias rationes poterant violatores aliis pœnis adjicere.

℣. 18. MALEFICOS NON PATIERIS VIVERE.] Hebraica vox מכשפה *Mecaſchephah* eſt fœminini generis, & ſignificat potius *maleficam*, veneficamque. Quemadmodum fœminæ præ hominibus magis deditæ ſunt magiæ ſecretis, veneficiis, incantationibus, earumque futurarum prædictionibus, Moyſes *maleficæ* nomine eos, eaſque omnes complexus eſt, qui D pernicioſiſſimæ huic arti animum adverterent. Lex eas capite damnat, veluti apoſtaſiæ adverſus Deum noxiat, & peſtes nefarias Reipublicæ.

℣. 19. QUI COIERIT CUM JUMENTO, MORTE MORIATUR.] Vide Leviticum c. 20. 15. 16.

℣. 20. QUI IMMOLAT DIIS, OCCIDETUR.] Hebraice יחרם: *Anathemati ſubjacens erit*. Septuaginta: Ἐξολοθρευθήσεται, *exterminabitur*. Pœna anathematis erat nex per gladium inflicta; & præterea vel igne abſumebatur, vel publicabatur quidquid ad reum pertineret. Ita quoque aliquando familiæ integræ, urbes, vel nationes etiam anathemate devovebantur; veluti Amalecitæ, ut hos in exemplum adhibeam, qui Dei mandato devoti fuerunt, 1. Regum 15. 3. E

℣. 21. ADVENAM NON CONTRISTABIS.] Chaldaice, vi illum non opprimes, nec dolo. Nomine *advenæ* גר hic intelliguntur omnes alienigenæ, vel peregre illac euntes, vel in ea regione immorantes, atque inter nationem Hebræorum. Ex publica utilitate, ac Religione legis hujus neceſſitas æque innoteſcit. Apud Celtas acerbius advenæ, quam civis plectebatur occiſor. Prior enim capite damnabatur, alter exilio. Vide Nicolaum Damaſcenum in Cath. hiſt. de Celtis.

A ℣. 22. VIDUÆ, ET PUPILLO NON NOCEBITIS.] Deus nullum præcipit ſupplicium adverſus viduæ, & pupilli oppreſſores; ſibi eam reſervat ultionem; ipſe eorum vult eſſe Judex, & protector. Scriptura ſcatet minis, ac invectivis adverſus eos, qui viduas, & pupillos affligunt. Deus ita ſuccenſet ob injurias illis illatas, ut earum ultionem committere nolit Judicibus, & vicariis ſuis; ſed ipſe per ſe in injuſtos velit animadvertere.

℣. 25. SI PECUNIAM MUTUAM DEDERIS POPULO MEO PAUPERI, NON URGEBIS EUM USURIS OPPRIMES.] Uſura in eo conſiſtit, ut quis propter mutuum accipiat aurum, aut argentum, aut aliud quodpiam æſtimabile argento, aut auro, ſupra ſortem, quæ nequaquam eſt alienata. Vetus, ac Novum Teſtamentum, Leges civiles, & Canonicæ, Authores ſacri, & pro- B fani omnes fere conveniunt, damnantque uſuram, veluti juri naturali contrariam, charitati, bonoque Rerum publicarum regimini. Fortiſſima ratio, quæ probat, fœnus eſſe improbum, ea eſt, quod verum eſt furtum, ac uſurpatio rei, quæ ad nos minime ſpectat; nam cum rem alicui mutuam damus, in ipſum rei mutuum datæ dominium, ac proprietatem transferimus; & quemadmodum ex plerumque res mutuæ traduntur, quæ obteruntur uſu, & cujus uſus idcirco a re ipſa nequit ſeparari, inde conſequitur, ut aliquid ſupra ſortem accipientes vel bis rem vendimus, aut rei uſum a re ſeorſim vendimus, quod impoſſibile eſt, & directæ mutui naturæ contrarium.

C Moyſes diſcrimen hoc ſæpius in legibus ſuis inculcat; prohibet hic urgere cum duritia exactoris, ac fœnore illum opprimere, qui coactus fuerit aliquid mutuari. In Levitico prohibet, aliquid ſupra mutuum accipere, & dare pauperi mutuam vel pecuniam, vel fructus, vel granum ea conditione, ut aliquid ſupra ſortem lucretur, Levit. 25. 37. *Pecuniam tuam non dabis ei ad uſuram, & ſuperabundantiam non exiges*. Denique in Deuteronomio c. 23. 19. 20. cavet, ne quis non ſolum uſuram expoſcat ex mutua pecunia, ſed generatim ne ex alia quidem re: *Non fænerabis fratri tuo ad uſuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, ſed utiliens*. Salvator etiam in Evangelio palam uſuram condemnat. Luc. 6. 34. 35. *Mutuum date, nihil inde ſperantes*. Abs re puterem efferre huc quamplu- D rima Patrum loca, qui uſuram abominantur. Ethnici quoque eam maximam Rerum publicarum peſtem exiſtimavere. In uſura pecunia gignit pecuniam, inquit Ariſtoteles lib. 1. Politic. cap. 10. atque ideo hæc lucri ratio præ omnibus aliis maxime naturæ adverſatur. Nec vehementer minus locutus eſt Seneca l. 7. de benefic. cap. 10. ait enim, uſuram, & fœnus eſſe monſtruoſa nomina, quam cupiditas extra naturam quæſivit. *Quid fænus, & calendarium, & uſura, niſi humanæ cupiditatis extra naturam quæſita nomina?* Denique nemo ignorat præclara ea Catonis verba: *Quid eſt fænerari, hominem occidere*. Varro de re ruſtic. l. 1. obſervat Romanos veteres damnaſſe fures, ut duplum ablatæ rei redderent; E fœneratores vero, ut quadruplum: hoc pacto oſtendentes, quam ipſi crederent pernicioſos eſſe præ furibus fœneratores.

Nonnulli arbitrantur in iiſdem verbis Legis interdicti hujus, quo abſolute cautum eſt, ne quis fœneretur, invenire exceptionem; ita ut juxta hos ſcriptores, fœnus non ſit eſſentialiter malum, & quod permitti non poſſit. Et equidem, inquiunt illi, permittit Deus in Deuteronomio 23. 19. 20. uſuram erga alienum; & leges civiles Juſtiniani Imperatoris quibuſdam poſitis circumſtantiis, & quodam moderamine eam patiuntur. Et plures non deſunt

1 Φερνῇ φερνιεῖ αὐτὴν γυναῖκα.
2 מהר ימהרנה לו לאשה.
3 Targum Hieroſo. & Uzielidis, Saadias Gaon, & Arabs Erpen.
4 Rab. Zira in Gemar. Babyl. ad tit. Corubot. c. 3.

ſunt eruditi viri [1], qui contendant, Evangelium numquam prohibuiſſe fœnus velut injuſtitiam, & crimen; ſed tantum ut contrarium charitati; ita ut uſura quidem mala ſit, atque illicita, non autem injuſta; aliique aſſerunt præterea uſuram, ſi cum moderamine fiat, non ſolum charitatis legibus non adverſari; verum maxime eſſe accommodam, ut egenis in ipſorum neceſſitatibus ferat opem.

Verum iis rationibus occurrere facillimum eſt; cum fruſtra probare conentur licere id, quod Deus modo præciſo adeo ac poſitivo interdixit. Si patitur Deus uſuram adverſus alienigenas, qui anathemati devoti erant, cum quibus non licebat Iſraelitis umquam pacem, ac fœdus inire, poſſuntne Chriſtiani hinc inferre, ſibi licere adverſus fratres ſuos fœnerari? Ea omnia, quæ tolerabat Lex dumtaxat ob duritiam cordis Judæorum, nonne per Evangelium abrogata fuere? Poteſtne quis a nobis alienigena haberi, cum Ieſus Chriſtus nos omnes fratres eſſe dixerit, Matth. 23. 8. Omneſque cœleſtis Patris filios, qui ſolem oriri facit, ſuper juſtos, & malos, Matth. 23. 45. Si tibi licet occidere quemquam, inquit Sanctus Ambroſius lib. de Tobia cap. 15. ex eo tibi licet uſuram petere. *Ab hoc uſuram exige, quem non ſit crimen occidere. Sine ferro dimicat, qui uſuram flagitat. Quid dicam de uſuris*, Auguſtinus ait Epiſt. 153. num. 25. p. 534. *quas etiam leges, & judices reddi jubent? an crudelior eſt, qui ſubtrahit aliquid, vel eripit diviti, quam qui trucidat pauperem fœnore? Hæc atque hujuſmodi male utique poſſidentur, & vellem reſtituerentur, ſed non eſt quo Judice repetantur*. Non audet explicite Sanctus Auguſtinus aſſerere reſtituendum eſſe, & ad id fœneratores teneri; ſed Nehemias jubet Hebræos reddere fratribus ſuis, quod illi injuſte exegerant, 2. Eſdr. 5. 11. *Reddite eis hodie agros ſuos, & vineas ſuas, & oliveta ſua, & domos ſuas; quin potius & centeſimam pecuniæ, frumenti, vini, & olei, quam ſoletis exigere ab eis, date pro illis*. Vide Commentarium.

Eorum ſententia, qui aſſerunt, fœnus nequaquam eſſe eſſentialiter malum, & injuſtum, ac Dei filium non imperaſſe, verum ſuſiſſe tantum, ut mutuum ſine fœnore tribuerent; eorum, inquam, ſententia refutatur a traditione Patrum, & Conciliorum, qui fœnus exiſtimavere nefarium ſcelus, & qui Jeſu Chriſti verba in Evangelio præcepti loco habuerunt. Sanctus Baſilius in Pſalm. 114. Sanctus Gregorius Nyſſenus epiſt. ad Letoium, & orat. contra uſur. S. Chryſoſtomus homil. 57. in Matth. Sanctus Ambroſius de Tobia cap. 3. Sanctus Hieronymus in c. 18. in Ezech. Sanctus Auguſtinus ſerm. 3. in Pſalm. 36. & in Pſalm. 128. Sanctus Leo ſerm. 16. & ep. 3. Concilia Eliberitanum can. 20. &c. Lateranenſe tertium, Viennenſe, &c. pro hac pugnant ſententia. Authoritates dubio procul præferendæ ſunt rationibus illorum, qui credunt, principum leges, & inanes, quas aſſerunt, utilitates fœnorum, ſi cum moderamine inſtituantur, tueri poſſe illorum conſcientiam qui fœnerantur. Dicunt enim, niſi fœnerari liceat, pauperes inopia interituros, nec illis opem ullam præſtitum iri. Siccine igitur divitum durities Evangelii leges eſt deletura? Quæ major crudelitas, quam ex fratrum calamitate proventum quærere, ut locuples fias? Quin potius obſervetur charitas, & divites theſaurizabunt theſauros in cœlo, bona ſua pauperibus tribuendo. Hæc ſancta avaritia eſt, inquit Sanctus Leo ſerm. de jejun. 10. menſis; ex miſeriis pauperum proventum percipere, non ut perituræ divitiæ damnabili fœnore cumulentur, ſed ut licita, imperataque uſura opes æternæ acquirantur. *Qui pecunias amat, & multiplicare opes ſuas immodicis optat augmentis, hoc potius ſanctum fœnus exerceat, & hac uſurarum arte ditеſcat, ut non hominum laborantium captet neceſſitates . . . . ſed illius ſit creditor, illius fœnerator, qui dicit: Date, & dabitur vobis*.

Rabbini apud Seldenum lib. 5. cap. 9. de jure nat. & gent. duas uſuræ ſpecies diſtinguunt, *uſuram determinatam, & pulverem uſuræ*. Prior ea eſt, quæ conſtituta fuit, cum mutuum fieret; pulvis uſuræ eſt omne genus palliati fœnoris, & lucri præter ſortem. In fœneratores pœnis corporalibus minime animadvertebatur; ſed judicum ſententiis fœnerator ad reſtitutionem adigebatur; hæredes vero nequaquam reddere tenebantur, ſi fœnerator ante obitum vero dolore criminis ſui percitus fuiſſet; niſi hæredibus quædam ceſſiſſent mobilia, aut aliquod animal fœnore comparatum. Tunc res hæ reddebantur, pecunia non item.

Talmudiſtæ apud Seldenum lib. 5. cap. 10. de jure nat. docent, uſuram Hebræis vetitam eſſe tantum inter ſe; non autem cum alienis. Adſunt etiam Rabbini quidam (ita Maimonides, & alii) qui aſſerunt id, quod ſcriptum eſt in Deuteronomio: *Non fœnerabis fratri tuo ad uſuram, ſed alieno*: duo præcepta complecti, quæ æque obligant; ita ut jubeantur, Ethnico numquam mutuum dare ſine fœnore, fratribus vero ſuis nullo umquam fœnore propoſito. Sed alii contendunt, non imperari, ſed licere tantum Hebræis adverſus Ethnicos fœnus; illique adverſus Ethnicos etiam fœnus prohibuere, ne frequenti fœnoris cum alienigenis conſuetudine ſenſim adducerentur, ut etiam adverſus fratres ſuos fœnus exercerent. Hæc lex eſt ſapientum virorum, quæ hac in re abrogat facultatem, quam Dei Lex illis permiſerat. Sixtus Medices de fœnore Judæorum narrat, ſub Philippo Archinto Romæ vicario, Iudæos interpoſito juramento declaraſſe, uſuram ſibi neque adverſus fratres ſuos, neque adverſus alienos licere.

Hæc Hebraici textus verba [2], *Lo tihieh lo cenoſcheh*, quæ Vulgata tranſtulit: Non urgebis eum, quaſi exactor, transferuntur a Septuaginta [3]: *Non urgebis eum*; vel, non opprimes eum. Sanctus Ambroſius legebat: *Non eris ipſum ſuffocans*, Κατεπείγων. Textus Samaritanus habet בנשיא *Kenaſi: ſicut Princeps*; Non ages cum debitore tuo, velut dominus, Syriace: Non ages cum eo, perinde ac dominus debiti.

℣. 26. SI PIGNUS A PROXIMO TUO ACCEPERIS VESTIMENTUM, ANTE SOLIS OCCASUM REDDES EI.] Lex hæc ſupponit veſtem in pignus collatam non eſſe illi ſuperfluam, cujus eſt [4]. Moyſes jubet illi reddi ante Solis occaſum, ut habeat, quo ſe ſe obtegere poſſit noctu.

Bellonius obſervat. lib. 2. cap. 76. & alibi obſervat Ægyptios, & Arabes quocumque tempore humi cubare, quin lectum aliquem ſubſternant: ſatis illis eſt quibuſdam ſe veſtibus obtegere, & ſuper humum ſtoream e juncis, vel palmæ foliis contextam ſubtendere, atque e lectis aliquid ſe paſſuros eſſe incommodi arbitrantur. Conſtat Hebræos uſos fuiſſe lectis, & ſtragulis, atque illi ad integram nuditatem exuebantur, ut obdormirent. Cant. 5. 3. *Expoliavi me tunica mea, quomodo induar illa?* Verum credibile eſt, pauperibus plerumque non alia fuiſſe cubilia, quam humus ſtoreis cooperta, neque alia ſtragula præter veſtes. Poteſt etiam fieri, ut *veſtimentum*, iſtic ſignificet potius ad cubilia ſternenda periſtromata, quam ad induendum veſtes. Toſtatus refert,

---

1 Carol. Molin. tr. de contract. uſur. Item Ameſius, Rivetus, Spanhemius, Dub. Evang. 127. Salmaſ. l. de uſur. & l. de mod. uſurar. & Grot. de jure belli, & pacis l. 2. c. 12. art. 20.

2 לא תהיה לו בנשה.

3 Οὐκ ἔσῃ αὐτῷ κατεπείγων.

4 Oleaſter, Ainſw.

refert, pauperem quotidie mane debuiſſe referre ad Dominum veſtem, quam creditor præcedenti veſpere reddidiſſet. In Deuteronomio capite 24. 10. Moyſes creditori pignora acceptum proficiſcenti ingredi prohibet in domum fratris ſui; ſed jubet expectare, ut ad ſe ea, quæ poſtulat, pignora deferantur; *Cum repetes a proximo tuo rem aliquam, quam debet tibi; non ingredieris domum ejus, ut pignus accipias*. Hebraicus Textus [1], & Septuaginta [2] habent, *ubi ille dormiet?* pro quo Vulgata legit; *nec habet aliud, in quo dormiat*. Quod ſemper idem eſt.

℣. 28. Diis non detrahes.] Principibus, Judicibus, Sacerdotibus &c. Onkelos, Arabica verſio, Syriaca, Perſica, ac Interpretes Iudæi, & Chriſtiani intelligunt de Iudicibus. Joſephus Antiquit. lib. 4. cap. 8. & contra Appionem lib. 2. credidit hac lege cautum eſſe, ne de alienigenarum gentium diis detraheretur; & ratio, quam affert in libris ſuis contra Appionem, ea eſt, inquit ille, ſcilicet, ob reverentiam nominis Dei, quod diis Ethnicorum etiam defertur. Philo [3] quoque ait temperandum eſſe, ne de alienis diis obloquamur, ne inde Ethnici occaſionem arripiant veri Dei blaſphemandi; vel, ut alibi ait, ne fidelis ſenſim veri Dei nomen flocci facere aſſueſcat. Talmudiſtæ tit. Sanhedrin. capite ſeptimo, & Jarchi in hunc verſiculum locum hunc explicant de blaſphemia in Deum.

℣. 29. Decimas tuas, et primitias tuas non tardabis reddere.] Hebræus [4] ad litteram: *Non tardabis ſolvere plenitudinem tuam, & lacrymas tuas*, liquores tuos. Per nomen hoc *plenitudinis*, intelliguntur primitiæ, ac decimæ fructuum, & meſſium agri, tum eæ, quæ pretio numerato ſolvebantur, Levit. 27. 31. tum eæ, quæ in ſpecie ad Tabernaculum deferebantur. Pro liquoribus, vel *lacrymis* intelliguntur liquores vini, & olei, ex quibus primitiæ offerebantur, vel etiam quidquid eſt optimum, ac in una quaque re exquiſitiſſimum. Alii hoc nomine intelligunt thura, odoriferoſque liquores, qui ex arboribus defluebant.

Huc afferam nobilem Ethnici locum, quoad primitias, quæ diis offerebantur. Ita enim fatur Cenſorinus de die natali: *Illi enim (majores noſtri) qui alimenta, patriam, lucem, ſe denique ipſos Deorum dono habebant; ex omnibus aliquid diis ſacrificabant, magis adeo, ut ſe grato approbarent, quam quod Deos arbitrarentur hoc indigere. Itaque cum perceperant fruges, antequam veſcerentur, Diis libare inſtituerunt: & cum agros, atque urbes Deorum munere poſſiderent, partem quamdam templis, ſacellisque, ubi eos colerent, dicavere.* Laribus Diis primitiæ pulcherrimique agrorum fructus offerebantur. Horat. l. 2. Sat. 5.

> *Dulcia poma*
> *Et quoſcumque feret cultus tibi fundus honores,*
> *Ante larem guſtet venerabilior lare dives.*

Plinius lib. 18. cap. 2. ait, Romanos non guſtaſſe neque vinum, neque recentes fructus, niſi Sacerdotes primitias Diis obtuliſſent; & Tibullus Eleg. l. 1. eleg. 1. refert, Diis offerri uvam, ariſtas, atque agnos conſueviſſe.

Theocritus idyll. 142. loquens de Ptolomæo Philadelphio Ægypti Rege, ait, Principem hunc ſemper Deorum templis ſolviſſe ingentium bonorum ſuorum primitias, præter alia munera, quæ eis offerebat. Ioſephus narrat, dum horribilis annonæ caritas imperante Claudio graſſaretur, omnes fructuum primitias in templum illatas fuiſſe, quin aliquid imminueretur.

℣. 30. De bobus quoque, et ovibus similiter facies.] Septuaginta: *ſimiliter facies de vitulis, ovibus, ac jumentis*. Pro hoc poſtremo nomine aſini nequaquam ſunt intelligendi. Deus nolebat ſibi ex his offerri primitias, ſed tantum redimi.

Septem diebus ſit cum matre sua, die octava reddes illum mihi.] Nequaquam cautum erat, ne pluſquam ſeptem dies animal cum matre relinqueretur, ſed ante hanc diem templo non debebat offerri. Apud Romanos non offerebantur vituli ante diem ab eorum nativitate trigeſimam, neque agni ante octavam. Vide Plin. lib. 8. 51. *Pecoris fœtus die octavo purus eſt, bovis trigeſimo*.

℣. 31. Carnem, quæ a beſtiis fuerit prægustata, non comedetis.] Pythagoras etiam apud Laertium lib. 8. volebat, diſcipulos ſuos temperare eſu carnium, quas aliud animal momorderat; vel earum cujuſpiam animalis, quod ex ſe occubuiſſet. Syriaca explicat textum, perinde ac Moyſes vetaret eſum carnium *ex viventi animali avulſarum*. Vide Geneſ. 9. 4. Ambigitur autem, utrum liceret veſci bellua a venaticis canibus capta. Vide Levit. 17. 13.

---

1 במה ישכב.
2 Ἐν τίνι κοιμηθήσεται.
3 Lib. 1. de Monarch. & lib. 3. de vita Moſ. Origenes lib. 8. contra Celſum pagina 402. iiſdem rationibus utitur, ut ſe defendat ab accuſatione, qua Chriſtiani arguebantur, eo quod Ethnicorum Diis blaſphemarent.
4 מלאתך ודמעך לא תאחר.

C A

Digitized by Google

CAPUT XXIII.

Leges pro Judicibus. De Sabbathi obſervantia, triumque præcipuarum anni feſtivitatum. Deus pollicetur ſe miſſurum Angelum ſuum ante Iſraelitas. Probibet fœdus cum Chananæis; eoſque vult exterminari.

℣.1. NOn ſuſcipies vocem mendacii : nec junges manum tuam, ut pro impio dicas
falſum teſtimonium. 2 Non ſequeris turbam ad faciendum malum, nec in
judicio plurimorum requieſces ſententiæ, ut a vero devies. 3 Pauperis
quoque non miſereberis in judicio. 4 Si occurreris bovi inimici tui, aut aſino erran-
ti, reduc ad eum. 5 Si videris aſinum odientis te jacere ſub onere, non pertranſibis,
ſed ſublevabis cum eo. 6 Non declinabis in judicium pauperis. 7 Mendacium fu-
gies : inſontem, & juſtum non occides : quia averſor impium. 8 Nec accipies mune-
ra, quæ etiam excæcant prudentes, & ſubvertunt verba juſtorum. 9 Peregrino mole-
ſtus non eris : ſcitis enim advenarum animas : quia & ipſi peregrini fuiſtis in terra Æ-
gypti. 10 Sex annis ſeminabis terram tuam, & congregabis fruges ejus. 11 Anno
autem ſeptimo dimittes eam, & requieſcere facies, ut comedant pauperes populi tui,
& quidquid reliquum fuerit, edant beſtiæ agri ; ita facies in vinea, & olivero tuo.
12 Sex diebus operaberis : ſeptimo dio ceſſabis, ut requieſcat bos, & aſinus tuus, &
refrigeretur filius ancillæ tuæ, & advena. 13 Omnia, quæ dixi vobis, cuſtodite. Et
per nomen externorum deorum non jurabitis, neque audietur ex ore veſtro. 14 Tri-
bus vicibus per ſingulos annos mihi feſta celebrabitis. 15 Solemnitatem azymorum cu-
ſtodies. Septem diebus comedes azyma, ſicut præcepi tibi, tempore menſis novorum,
quando egreſſus es de Ægypto ; non apparebis in conſpectu meo vacuus. 16 Et ſole-
mnitatem meſſis primitivorum operis tui, quæcumque ſeminaveris in agro, ſolemnitatem
quoque in exitu anni, quando congregaveris omnes fruges tuas de agro. 17 Ter in
anno apparebit omne maſculinum tuum coram Domino Deo tuo. 18 Non immolabis
ſuper frumento ſanguinem victimæ meæ, nec remanebit adeps ſolemnitatis meæ uſque
mane. 19 Primitias frugum terræ tuæ deferes in domum Domini Dei tui: Non coques
hœdum in lacte matris ſuæ. 20 Ecce ego mittam angelum meum, qui præcedat te, &
cuſtodiat in via, & introducat in locum, quem paravi. 21 Obſerva eum, & audi vo-
cem ejus, nec contemnendum putes : quia non dimittet, cum peccaveris, & eſt nomen
meum in illo. 22 Quod ſi audieris vocem ejus, & feceris omnia, quæ loquor, ini-
micus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te. 23 Præcedetque te angelus meus,
& introducet te ad Amorrhæum, & Hethæum, & Pherezæum, Chananæumque, &
Hevæum, & Jebuſæum, quos ego conteram. 24 Non adorabis deos eorum, nec co-
les eos : non facies opera eorum, ſed deſtrues eos, & confringes ſtatuas eorum. 25
Servietiſque Domino Deo veſtro, ut benedicam panibus tuis, & aquis, & auferam in-
firmitatem de medio tui. 26 Non erit infœcunda, nec ſterilis in terra tua : numerum
dierum tuorum implebo. 27 Terrorem meum mittam in præcurſum tuum, & occidam
omnem populum, ad quem ingredieris, cunctorumque inimicorum tuorum coram te ter-
ga vertam. 28 Emittens crabrones prius, qui fugabunt Hevæum, & Chananæum, &
Hethæum, antequam introeas. 29 Non ejiciam eos a facie tua anno uno, ne terra in
ſolitudinem redigatur, & creſcant contra te beſtiæ. 30 Paulatim expellam eos de con-
ſpectu tuo, donec augearis, & poſſideas terram. 31 Ponam autem terminos tuos a
mari rubro uſque ad mare Palæſtinorum, & a deſerto uſque ad fluvium : tradam in ma-
nibus veſtris habitatores terræ, & ejiciam eos de conſpectu veſtro. 32 Non inibis cum
eis fœdus, nec cum diis eorum. 33 Non habitent in terra tua, ne forte peccare te fa-
ciant in me, ſi ſervieris diis eorum: quod tibi certe erit in ſcandalum.

℣. 1. NON SUSCIPIES VOCEM MENDACII.] A Septuaginta Ἀκοὴν ματαίαν: *Non audies ſermones vanos* & inutiles; quod Philo lib. de Judic. explicat ad litteram. Ait autem, Judici aures eſſe debere omnibus inanibus, ac fabuloſis ſermonibus vacuas, iiſque omnibus, quæ ſine fundamento jaciuntur; & vult, ut major illis habeatur fides, qui viderunt; quam illis, qui audierunt; atque arbitratur ex hoc Moyſis loco quorumdam legislatorum leges fuiſſe deſumptas [1], quæ eos non admittunt teſtes, qui ex ſolo auditu res percepere.

Verum hujus loci textus intelligi poteſt de malis ſermonibus, dicteriis, & calumniis. Sæpius enim alibi obſervatum eſt, *vanum* ſignificare etiam *malum*. Hebraicus textus [2] verti poteſt: *Ne ſis author mali rumoris*. Ita Vatablus, Oleaſter, Malvenda, Junius. B

Leges duodecim Tabularum teſte Cicerone apud Auguſt. l. 2. de Civitate Dei c. 9. Mortis ſupplicium in eos intendebant, qui cantiunculas, aut famoſa carmina conſcripſiſſent: *Si quis accentaviſſet, ſive carmen condidiſſet, quod infamiam faceret, flagitiumque alteri*. In poſterioribus vero Romanis legibus non liquet equidem legem eam penitus viguiſſe; ſed obſervamus, Digeſt. l. 47. tit. 10. l. 15. quod Prætor cognoſcebat quidquid in vulgus edebatur adverſus alienam famam, ac in authores acriter animadvertebat. Quintilianus ajebat, eos qui de proximo ſuo obloquuntur, non differre ab illis, qui in eum ingerunt mala, niſi quod ipſis deſit occaſio; *Maledicus a Malefico, niſi occaſione non differt*. C

NEC JUNGES MANUM TUAM, UT PRO IMPIO DICAS FALSUM TESTIMONIUM.] Vel juxta Hebraicum textum [3]; nec pones manus tuas cum illo, ut dicas falſum teſtimonium. Ponere manus ſuas cum aliquo ſignificat inire fœdus, aut pactum cum illo; quia in his ritibus contrahentes ſibi invicem manus præbebant. Hoc Septuaginta [4] expreſſere: Nec inibis fœdus cum illo; vel juxta aliam legendi rationem [5]; *non aſſidebis cum illo*. Rabbini hoc pacto intelligunt: *Non junges te cum impio, ut in teſtimonium recipiatur*, Impii teſtimonium non recipiatur.

℣. 2. NON SEQUERIS TURBAM AD FACIENDUM MALUM.] Videtur hoc ad Judices præcipue referri; Deus illis prohibet, ne ſe multitudine abripi ſinant ad patrandum malum; ſcilicet vetat populi impetum ſequi, ac frequentiæ pondus, dum ad opprimendum innoxium conjurant. Tunc Judex, veluti murus æneus obſiſtere debet torrenti; idque unum ſibi ante oculos ſtatuere, quod ab ipſo juſtitia, ac veritas flagitant. D

NEC IN JUDICIO, PLURIMORUM ACQUIESCES SENTENTIÆ.] Doctores Judæi huic loco ſenſum tribuunt admodum particularem: hoc autem pacto ipſi intelligunt: *Non ſequeris majorem numerum, ut in judicio damnes*. Ad abſolvendum reum, inquiunt illi, ſatis erat, ut numerus illorum, qui illum abſolutum declarabant, uno ſaltem ſuffragio eorum ſuperaret numerum, qui in contrariam abirent ſententiam. Verum ne quis capite damnaretur, opus erat, ut Judicum damnantium ſuffragia duobus excederent E ea, quibus abſolutus declarabatur. Lex igitur hic imperat juxta hos doctores, ne damnantes majorem ſequantur numerum; ſcilicet intelligit, eos majorem numerum ſequi poſſe abſolventes, atque abſolutum reum declarari, cum etiam Judicum abſolventium numerus excederet numerum condemnantium uno dumtaxat ſuffragio [7]. Verum hæ ſubtilitates minime nobis negotium faceſſunt, ut hic diutius immoremur. Lex non loquitur hic de Judicibus, neque de Judiciis; quamquam veteres, recentioreſque Interpretes de hac re plerumque intelligant, cum hoc tamen diſcrimine, quod alii arbitrentur Deum prohibere multitudinem ſequi judicando contra Leges juſtitiæ; alii vero e contra doceant, opus eſſe majorem Judicum ſectari numerum, ac illorum judicio adhærere. In poſteriori hoc ſenſu intellexere Onkelos, Jonathan, Paraphraſtes Hieroſolymitanus, & Saadias Gaon. Sed Septuaginta, Vulgata, ac recentiorum plerique explicant de ſenſibus, ac privatorum actionibus, juxta Hebraicum textum [6]: *Non ſequeris majorem numerum in malum, nec loqueris cum majori numero, ut dimoveris ad ſequendum multitudinem ob peccandum* [7]: videlicet ad judicandum contra juſtitiam. [8]

℣. 3. PAUPERIS NON MISEREBERIS IN JUDICIO.] Hebraicus textus [9] verti poteſt; *Non honorabis pauperem in judicio*. Ita quoque Symmachus tranſtulerat [10]: Juſtitia ſine ullo humano reſpectu debet exerceri. Falſa miſeratio æque perniciosa eſt, ac nimia ſeveritas. Æquum eſt rationem habere ad pauperis infirmitatem, neque pati, ut innocens a divite opprimatur; verum opus eſt, ut pauperum juſtitia judicum protectionem mereatur.

℣. 5. SI VIDERIS ASINUM ODIENTIS TE JACERE SUB ONERE.] Loci hujus textus diverſimode explicatur. En tibi Hebraicus textus [11] ad litteram redditus: *Cum videbis aſinum inimici tui ſtratum ſub ſarcina, & ceſſabis eum relinquere? eo relinquas vere cum illo*. Tradoctor Textus Samaritani habet: *Cum videbis aſinum inimici tui, qui oneri ſuccumbit, cave, ne eum deſeras: opem feres ad eum attollendum*: perinde ac legiſſet in Textu *azar* [12] ſuccurrere, pro *aſab* עזב deſerere, quod legitur in textu Hebraico. Poſſet quoque textus intelligi cum interrogatione [13]: *Ceſſabis illum deſerere?* Voles eum deſerere, quin opituleris? *Deſeres odium tuum, quod tibi eum deſerere inſinuat*. Chaldaica verſio in hoc explicat ſenſu; *Cum videbis aſinum inimici tui .... ne diſſeras illi parcere. Dimittes odium, quo eum proſequeris, illique opem feres, ad aſinum attollendum*. Syriace; illi opem ferre noles, ut exſurgat? illi opitulare, ut eum relevet. Arabicæ verſionis ſenſus perſpicuus eſt, ac litteralis: Cave, ne in eo ſtatu eum deſeras; ſed opus eſt, ut illum exoneres. Septuaginta, & Vulgata accepere Hebraicam vocem *aſab* in duplici ſenſu penitus diverſo in phraſi eadem; illi vertunt *tranſibis* in priori membro, & *elevabis* in ſecundo; vel fortaſſe in priori verſiculi parte legerunt *abar* עבר tranſire, pro *aſab* deſerere. Si poneretur in Textu לא (*lo, lamed aleph*) *non*, pro לו (lo lamed vau) *ei*, ſenſus eſſet facilis: *Ceſſares derelinquendo? non deſerendo deſeres eum*; quin

1 Leges Atticæ apud Demoſth. adverſ. Eubulid.
2 לא תשא שמע שוא
3 אל תשת ידך עם רשע להיות עד חמס
4 Οὐ συγκαταθήσῃ μετὰ τοῦ ἀδίκου,
5 Οὐ συνθήσῃ μετ' ἀδίκου γενέσθαι μάρτυς ἄδικος.
6 לא תהיה אחרי רבים לרעת ולא תענה על ריב לנטות אחרי רבים להטות
7 Vide Seldenum de Synedriis. Apud Athenienſes abſolvebantur rei cum Judicum ſuffragia paria eſſent: Euripides in Electra;

Ἴσας δὲ ὁ σώζων μὴ θανεῖν δίκῃ
ψήφους τεθεῖσα.

Vide etiam Scholiaſten Biſetum ſuper ranas Ariſtoph. Act. 2. Scæna 6. Grotium de jure belli, & pacis l. 3. art. 18.
8 70. Ὥστε ἐκκλῖναι κρίσιν. Alius: Ὥστε ἐκκλῖναι κρίσιν
9 ודל לא תהדר בריבו
10 Οὐ τιμήσεις. Ita & Pagn. Jun. & Tremel. Oleaſt. &c.
11 כי תראה חמור שנאך רבץ תחת משאו וחדלת מעזב לו עזב תעזב עמו
12 עזר 70. Συνεγερεῖς. Alius: Συνεγερεῖς. Sublevatis, ſurgere facies,
13 Vide Ludovicum de Dieu, Caſtal. Pagnin.

quieſcere, eumque dereliqueres? non; non deſeres eum. Hebraicus textus ita quoque verti poteſt, quin aliquid immutetur: *Abſtinebis a deſerendo ei, (onus cui ſuccumbis) relinquendo an relinquere cum ipſo?* Cave, ne ſarcinis oppreſſum relinquas; velles ne eum ſine auxilio deſerere? Vide Bochartum de animal. ſacr. tom. 1. l. 2. c. 40.

Rabbini docent, nequaquam fas eſſe Iſraelitis occidere, vel fallere Ethnicos, cum quibus bellum ipſis non eſt; ſed nec fas eſſe quoque ex periculo, in quo verſantur, eruere; quoniam, ut ajunt, non ſunt proximi eorum; quæ maxima legis eſt depravatio. Hunc igitur locum de Iſraelita intelligunt ipſorum inimico, non item de Ethnico. Vide Seldenum de jure nat. & gent. Clericus ita hunc locum transfert: *An non vacabis ei? Cum eo vacando vacabis.* Non impendes illi temporis tui particulam? relinques omne opus tuum, ut illi opem feras. Hæc Lex eadem in ſimili Deuteronomii 22. 4. loco exprimitur: *Si videris aſinum fratris tui .... cecidiſſe in via, non deſpicies, ſed ſublevabis cum eo.* Vel Hebraice: *Tu ne minime abdes, ſed ſublevabis cum eo.* Duorum horum textuum verba nimium inter ſe differunt, quam ut alter ab altero poſſit caſtigari. Ægyptii teſte Diodoro Siculo l. 2. c. 3. legem habebant, qua capite damnabatur vir ille, qui per viam aliquam malo moleſtatum a latronibus, vel alio quopiam in periculo vidiſſet, neque illi tuliſſet opem.

℣. 6. NON DECLINABIS IN JUDICIUM PAUPERIS.] Hebraicus textus [1], & Septuaginta [2]: *Non finos proſcindi judicium pauperis in cauſa illius.* Præceptum hoc differt ab eo, quod legimus ℣. 4. Moyſes hic prohibet, pauperem injuſte damnari, ac ſinere, ut ille adverſus divitem cauſam deperdat. Iuſtitia ſine favore, ac perſonarum acceptione eſt exercenda.

℣. 7. MENDACIUM FUGIES] Hebraice [3]; *abeſto a verbis mendacii*; Septuaginta: *Recedes ab omnibus ſermonibus* (judiciis) *injuſtis.* Plerique monitum hoc ad judices ſolos coarctant. Si agnoveris innocentiam alicujus, ne illum damnes, nullam habeas rationem teſtium, qui adverſus illum detulerint [4].

INSONTEM, ET IUSTUM NON OCCIDES, QUIA AVERSOR IMPIUM.] Hebraice: *Quoniam non juſtificabo impium*, videlicet, illum, velut noxium, excipiam. Septuaginta [5] Hebraicum textum aliter legiſſe videntur; ita autem vertunt: *Non addices morti juſtum, neque impium innocentem declarabis propter illius munera.*

℣. 8. NEC ACCIPIES MUNERA, QUÆ ETIAM EXCÆCANT PRUDENTES, ET SUBVERTUNT VERBA IUSTORUM.] Septuaginta: *Nec accipies munera, quæ etiam excæcant oculos perſpicue videntes, & corrumpunt verba juſtiſſima.* Per eas voces, verba juſtorum, intelligi poſſunt ſermones, judicia *juſtorum*, vel res juſtiſſimæ, & optimum jus. Munera mentis æquiſſimæ Iudices ſubvertere poſſunt, ut veritatem corrumpant, ac juſtitiam infirment. Lex hæc non ſolum realia, & effectiva damnat munera, verum etiam commendationes, & officia, quæ præſtari poſſunt judicibus, ut eos pelliciamus, ut pro nobis judicium ferant. Ita Rabbini. Philo l. de Iudice, ait Iudicem eſſe diſpenſatorem dumtaxat, atque œconomum judiciorum, quæ enuntiat; quorum Deus primus eſt Dominus, & judex: & quemadmodum non licet œconomo, prout lubet, Domini ſui bona diſpenſare; ita judicem non poſſe abſque injuſta uſurpatione judicia venditare. Non deſunt judices, ſubdit Author idem, qui ſibi religioſum putarent, injuſtitiam admittere, ac innocentem damnare; verum

A ſibi religioni minime vertunt munera accipere, vel ut juſtitiam faciant, vel quod fecerint: qua in re dupliciter errant; primum muneribus accipiendis aſſueſcentes, quibus ſenſim ad injuſtitiam committendam diſponuntur; ſecundo vero innocentem privantes parte utilitatum, quas ex juſtitia cauſæ poterant expectare, cum juſtitiam veluti muneribus redimat.

Atticæ Leges [6] morte mulctabant, ſi quis convictus fuiſſet, promiſſis ſuis populum, Senatum, aut Iudices corrupiſſe: & legibus iiſdem [7] capite damnabantur, vel ad reddendum decuplum, Iudices, qui ſe corrumpi fuiſſent paſſi.

℣. 10. SEX ANNIS SEMINABIS TERRAM TUAM (℣. 11.) ANNO AUTEM SEPTIMO DIMITTES EAM, ET REQUIESCERE FACIES.] Inſignis eſt quæſtio apud Interpre-
B tes, quanam tempeſtate anni Sabbathicus annus ocœperit. Nonnulli aſſerunt inchoaſſe veluti annum Jubilæi, prope æquinoctium vernum, alii vero, veluti annum communem ſub æquinoctium Autumni. Poſterior hæc ſententia æquior videtur, quia Sabbathicus annus potius ad res civiles ſpectabat, quam ad ſacras, uti alibi videbimus; & quia ſi Sabbathicus annus Paſchate inchoaſſet, duobus annis deinceps nulla fuiſſet meſſis peracta, quapropter frequens annonæ charitas in ea regione extitiſſet: quoniam neque ſerebatur, neque metebatur anno Sabbathico; ſed ea tantum colligebantur, quæ ſponte ferebat tellus; atque omnes in agris colligebant, quidquid occurreret, indiſcriminatim, ſine poſſeſſoris ullius, vel advenæ, divitis, vel pauperis diſtinctione. Levit. 25. 5.
C *Quæ ſponte gignit humus non metes; & uvas primitiarum tuarum non colliges.* Suppoſito igitur, quod Sabbathicus annus inciperet Paſchate, illa ætate nulla meſſis erat, neque ſecus pro ætate ſequenti erat futurum; quia cum autumno ſemina nequaquam jacta fuiſſent, tellus in conſecuturam æſtatem nihil gignere poterat. Duplicis ergo meſſis jacturam ſubire opus erat, hoc ſyſtemate poſito. Verum ſi Sabbathicum annum autumno inchoemus, una tantum amittebatur meſſis, ſcilicet ipſius anni Sabbathici, illum a peracta meſſe incipientes, illique ante ſeminum tempora finem ſtatuentes. Ita tempus ſuppetebat agros ſerendi poſt anni Sabbathici finem, & æſtate ſequenti meſſis peragebatur.

Rationes autem anni Sabbathici conſtituendi ſunt.
D I. Ut, quoad fieri poſſet conditionum, ac bonorum æqualitas ſervaretur in populo, hoc anno in libertatem ſervos aſſerendo, atque univerſo populo permittendo, ut indiſcriminatim omnes, veluti fratres omnibus terræ fructibus uterentur. II. Ut Iſraelitis humanitatis ſenſus infunderentur, præcipiendo, ut requies, & commoda, ac ſufficiens eſca pauperi, ſervo, advenæ, animantibus denique ipſis tribueretur. III. Volebat Deus, ut aſſueſceret populus ſe ſe providentiæ ſubmittere, atque ab ipſo exſpectaret ſexto quoque anno tantumdem fructuum, quantum duo, vel tres anni tuliſſent. Levit. 25. 20. 21. IV. Iſraelitas cupiebat ab terum ſuarum amore ſejungere, ut ſenſim a divitiarum cupiditate alienaret. V. Ut S. Auguſtino placet qu. 20. in Levit. Deus hoc pacto
E dominium ſuum in eas regiones oſtendebat; efficiebatque, ut Iſraelitæ ſubmiſſionis ſuæ reminiſcerentur, atque ſe terræ illius nequaquam frui proprietate intelligerent.

Anni Sabbathici Lex reſpiciebat totum pacificæ poſſeſſionis terræ promiſſæ tempus; & vulgo horum annorum primus ſtatuitur anno ſeptimo, qui Joſue imperante Jordanis tranſitum eſt ſubſecutus. Ex hiſtoria non liquet, Iſraelitas admodum ſedulo annos

1 לא תטה משפט אביונך
2 Οὐ διαστρέψεις κρίμα πένητος.
3 כי לא אצדיק רשע
4 Καὶ οὐ δικαιώσεις τὸν ἀσεβῆ ἕνεκεν δώρων.
5 Ἀπὸ παντὸς ῥήματος, (aliter) κρίματος ἀδίκου ἀποστήσῃ.
6 Demoſthen. adverſ. Leptinen, & adverſ. Pantænet.
7 Demarchus contra Demoſthen.

hos obſervaſſe ; & profecto huic legi obtemperare non erat adeo facile, niſi eum felicia, ac tranquilla tempora floruerunt. Scriptura explicite bis tantum anni Sabbathici meminit. Primum regnante Sedecia (Jerem. 34. 8. 9.) anno quo Nabuchodonoſor Jeruſalem obſidione vallavit ; iterum vero Macchabæis imperantibus, dum exercitus Regis Antiochi Eupatoris templum Jeruſalem obſedit. 1. Macc. 6. 51. 53. Joſephus quoque l. 12. c. 14. poſtremi hujus anni Sabbathici meminit ; atque alterius quo Hyrcanus Judæorum Princeps regebat (Antiq. l. 13. c. 15.) & tertii quo Herodes cum exercitu Soſii obſedit Jeruſalem. Antq. l. 14. 28.

Ut comedant pauperes populi tui.] Verum quidnam colligere pauperes poterunt, ſi eo anno minime ſeritur? S. Auguſtinus in Exod. qu. 8. 9. reſpondet, ſatum fuiſſe fortaſſe, ſed dominos agrorum nequaquam meſſuiſſe. Syriacu eodem explicat pacto: *Exercebis, ac feres agrum tuum, anno ſeptimo, & deſeres eum, ut pauperes populi tui habeant, quod manducent; & quidquid reliquum fuerit, edant beſtiæ agri.* Sed interpretes plerique [1], aſſerunt nequaquam exerceri, & anno eo ſeri conſueviſſe ; quod confirmatur Levitici capite 25. *Septimo anno Sabbathum erit terræ, requietionis Domini, non ſeres, & vineam non putabis, quæ ſponte gignit humus, non metes.* S. Auguſtinus idem opinionem hanc amplectitur in quæſtionibus ſuis in Leviticum qu. 89. Pauperes igitur hoc anno veſcebantur arborum, plantarumque fructibus, qui ſponte oriebantur, abſque eo quod excolerentur ; & ſpoponderat dominis Deus, ſe in eorum gratiam benedictionibus ſuis anno ſexto terram cumulaturum, ita ut uno anno trium annorum fructus tellus germinaret. Levit. 25. 21. *Dabo benedictionem meam vobis anno ſexto, & faciet fructus trium annorum.*

℣. 13. Per nomen externorum Deorum non jurabitis.] Hebraicus textus [2], & Septuaginta [3], id apertius innuunt ; *Non memineris nominum alienorum deorum* ; eos numquam nominabis. Non deſunt [4], qui credant Prophetam loqui de Idolis, cum ait : Pſalm. 15. 4. *Nec memor ero nominum eorum per labia mea*, quod ſupremum denotat contemptum, extremamque averſionem. Toſtatus aſſerit, nequaquam licuiſſe Judæis exigere juramentum ab Ethnicis per nomen inanium Deorum. Rabbini quidam credunt, nefas eſſe Idolorum nomina enunciare, niſi eorum, quæ memorat Scriptura. Alii vero arbitrantur poſſe quidem falſos Deos nominari, ſed abſque ulla denominatione, ex qua urgui poſſit, quod ii numinum loco habeantur. Sententia autem magis conſona hæc eſt: Non vota concipies, non juramenta, non promiſſa, neque ullum inibis fœdus per nomen inanium Deorum. Vide Seldenum de jure nat. & gent. l. 2. c. 13. Inde factum ſuſtinent nonnulli, quod Judæi Ethnicorum numinum, de quibus libri ſancti loquuntur, nomina corrupere ; illiſque contumelioſa, atque contemptibilia tribuere nomina, ea nuncupantes, Deum muſcam, Deum ſtercoreum &c.

℣. 14. Tribus vicibus per singulos annos mihi festa celebrabitis.] Tres præcipuæ Judæorum ſolemnitates ſunt, Paſchatis, Pentecoſtes, & Tabernaculorum. De ſingulis ſeorſim agemus. Volebat Deus in generalibus hiſce conventibus, docere populos, ipſorum Religionem exercere, eorum ſubmiſſionem ipſis quoad Deum ſignificare, denique inter ipſis amicitiam, atque ſocietatem confirmare.

℣. 15. Non apparebis in conspectu meo vacuus.] Deus hoc pacto ſupremum dominium erga populum ſuum demonſtrat. Cum Scriptura innuere A vult, populum quemdam alicui Regi parere, ait populum Regi huic munera detuliſſe. Aod electus fuit ab Iſraelitis, ut deferret munera (Judic. 3. 15. *Miſeruntque filii Iſrael per illum munera Eglon*) ſcilicet vectigalia Eglon, qui eos ſubegerat. Illi ex Iſraelitis, qui ſeditioſi negabant Saulem in Regem agnoſcere, illi munera minime attulerunt; 1. Reg. 10. 27. Ad hanc quoque diem *Regnorum Orientalium Principes non ſolent adiri ſine munere*, Busbequius ait Ep. 3. Vide Tavernerium Itin. Perſidis l. 4. c. 16. Cum Moabitæ, ac Syri a David fuiſſent devicti, ſcriptura inquit, hos illius imperio paruiſſe, illique munera contuliſſe. 1. Par. 18. 2. 6. Salomon ab Euphrate ad Ægyptum imperii fines protulerat ſuper populos, qui illi munera deferebant. 3. Reg. 4. 21. Antiquitus B æque decorum erat munera, & accipere, & largiri. Deus hic agit cum populo ſuo, velut Rex cum ſuis ſubditis ; non vult illos coram ſe vacuis manibus prodire. Inferebantur in Templum oblationes, & victimæ Domino, primitiæ vero, ac decimæ Sacerdotibus in eſcam. Nonnulli, quos inter Fagius, huic, quem explicamus loco, ſenſum iſtum tribuunt: *Non apparebis in conſpectu meo inutiliter* ; ego te bonis cumulabo, cum te obtuleris coram me; ſed hæc explicatio ſubtilior videtur.

℣. 16. Solemnitatem messis primitivorum.] Capite 34. 22. vocatur *Solemnitas Hebdomadarum*. Græci illi Pentecoſtes nomen tribuerunt, propterea quod celebretur quinquaginta diebus poſt Paſchalem ſolemnitatem. Ea hic appellatur, *Solemnitas primiti-* C *vorum*, quod ea die offerebantur in templum panes e primitiis, aliique fructus poſt Paſchatis feſtivitatem decerpti. Oblationibus his referebantur gratiæ Deo, & ipſe author bonorum omnium, quæ collegerant, recognoſcebatur. Doctores Judæi [5] dicunt, colligi ſaltem conſueviſſe ſexageſimam fructuum cujuſque partem, ut in templum inferretur. Quatuor & viginti viri ſimul conveniebant, ut has primitias Jeruſalem deferrent ; quibus bos oleagina redimitus corona præcedebat auratis cornibus ; & tibicen uſque ad Jeruſalem.

Primitiæ erant ex tritico, hordeo, uva, ficubus, armeniacis malis, oleis, & caryotis. Quiſque ſuum geſtabat calathum, ditiores aureum, alii argenteum, egeni vero, ſcirpeum ; ac ad templum uſque ſolemni- D tes gradiebantur canentes Cantica ; quos tibicen antecedebat. Rex ipſe calathum ſuum humeris gerebat ad montem uſque Templi, atque atrium populi. Cum illi accederent, Levitæ pſalmum occinebant 29. *Exaltabo te, Domine, quoniam ſuſcepiſti me ; nec delectaſti inimicos meos ſuper me.*

Cum autem pervenerant, hæc Deuteronomii recitabant verba 26. 3. *profiteor hodie coram Domino Deo tuo, quod ingreſſus ſum in terram, pro qua juravit patribus noſtris, ut daret nobis.* Tunc quiſque calathum ex humeris demittebat, ponebatque in manibus Sacerdotis ; atque hæc ex eodem Deuteronomii loco ℣. 5. verba recitabat : *Syrus perſequebatur patrem meum, qui deſcendit in Ægyptum, & ibi peregrinatus eſt in pauciſſimo numero : creviſque in gentem magnam,* E *ac robuſtam, & infinitæ multitudinis : Affixeruntque nos Ægyptii, & perſecuti ſunt imponentes onera graviſſima, & clamavimus ad Dominum Deum patrum noſtrorum ; qui eduxit nos de Ægypto in manu forti, & brachio extento, in ingenti pavore, in ſignis, atque portentis. Et idcirco nunc offero primitias frugum Terræ, quam Dominus dedit mihi.*

Athenis in Bacchi ſolemnitatibus, liberæ puellæ in aureis calathis fructuum omnium primitias deferebant [6]. Diodorus Siculus l. 1. refert Ægyptios Iſidi

Deæ

1 Rabb. apud Lyr. Munſter. Fag. Vat. Bonfr. Menoch. Rivet.
2 שם אלהים אחרים לא תזכירו
3 Ὄνομα θεῶν ἑτέρων οὐκ ἀναμνησθήσεσθε.
4 Vid. Tertullianum l. de Idololatria.
5 Vide Miſna tit. בכורים, c. 3. n. 2. 3. & ſeq.
6 Scholiaſt. Ariſtoph. in Acharn. Act. 2. ſc. 1.

Deæ ſuæ meſſium in ariſtis primitias offerre, atque plorantes, & prope manipulos ſuos ſedentes eam invocare.

SOLEMNITATEM IN EXITU ANNI.] Hebræus [1]: *Solemnitatem meſſis in exitu anni*. Septuaginta [2]: *Solemnitatem perfectionis* &c. Solemnitatem, quæ perficit omnes meſſes, vel quæ terminat annum. Hæc eſt ſolemnitas Tabernaculorum, quæ ſub finem civilis anni celebrabatur poſt æquinoctium autumni, poſt vindemiam, ac meſſem omnium agri fructuum.

℣. 17. TER IN ANNO APPAREBIT OMNE MASCULINUM TUUM CORAM DOMINO.] Lex hæc cum reſtrictione quadam eſt intelligenda; nam fieri non poterat, ut omnes pueri, ſenes, ægri, Judæi advenæ, qui in diſſitis Provinciis degebant, ter in anno ad Tabernaculum, vel Jeruſalem accederent; quod non magis fieri poterat bellorum, & turbarum tempore. Denique plurimæ aliæ adeſſe poterant rationes peculiares a tempore, locis, perſonis, aliiſque circumſtantiis deſumptæ, quæ ab hac lege poterant diſpenſare. Fœminæ ex legis hujus verborum vi ſolemnitati huic intereſſe non tenebantur. Sed in Deuteronomio 31. 12. explicite docet Moyſes, homines, mulieres, pueros ac advenas his feſtivitatibus adeſſe debuiſſe; *In unum populo congregato, tam viris, quam mulieribus, parvulis, & advenis*; neque dubium eſt, quin Lex ad litteram, quoad circumſtantiæ patiebantur, obſervaretur.

Judæi Karaitæ docent, neque fœminas, neque pueros nondum tredecim annos natos minime obligatos fuiſſe ad Legem Paſchatis; ſolum Paſcha ob exitum de Ægypto illis cum filiis ſuis fuiſſe celebrandum, quia Lex illa univerſos cogebat. Judæi Rabbiniſtæ fatentur teneri mulieres ad primum Paſcha menſis Niſan, non autem ad ſecundum menſis ſubſequentis, cum illud fieret. Illi ſecundum hoc paſcha peragere, vel ſecus, integrum erat, niſi primum peragere potuiſſent. Vide Seldenum de Syned. l. 2. c. 8. pag. 36. Lex non ſatis perſpicue exprimit, utrum ſervi tribus feſtivitatibus intereſſe deberent; & profecto nulla videtur ſervis fuiſſe pars in ſolemnitatibus Religionis: ſed dubio locus non eſt, quin Hebræi ſervi his legibus tenerentur, æque ac ipſorum Domini. Vide Deuteron. 16. 11. 14. Solemnes hi Religionis conventus dies lætitiæ habebantur, atque omnes cum gaudio interveniebant. Pſalm. 83. & 121. Ad hujus verſiculi finem Septuaginta ea, quæ ſequuntur, adjiciunt: *Quia cum expulero nationes de facie veſtra, atque limites veſtros protulero, nemo in regionem veſtram ingredi audebit*. Additio hæc præoccupat objectionem, quæ poſſet occurrere; ſcilicet futurum ut, dum quiſque de regionibus ſuis abeſſet, ut ad ſolemnitatem conveniret, aliqua hoſtilis irruptio fieret, eorumque ditione inimici potirentur. Ægyptii ad hos generales Religionis conventus ſenies quotannis convenire aſſueverant. Herod. l. 2. c. 59.

℣. 18. NON IMMOLABIS SUPER FERMENTO SANGUINEM VICTIMÆ MEÆ.] Locus hic negotium faceſſit Interpretibus, qui voluerunt abſolute eum explicare, nulla eorum, quæ præceſſerunt, habita ratione: ſed ſi eum addas verſic. 15. ubi incœperat Moyſes loqui de Paſchate, atque azymis, commodius explicatur: *Non facies ritum agni paſchalis, donec erit fermentum domi tuæ*. Hæc eſt explicatio Onkelos, Jonathan, Rabbinorum, ac plerorumque Interpretum [3]. Patet, antequam Paſchatis feſtivitas inchoaret, de domo auferri conſueviſſe omne fermentum, ac panem fermentatum, qui adeſſe poterat; & dum hæc maneret Feſtivitas, panibus abſque fermento uſos fuiſſe.

A Incipiebat inquiri fermentatus panis ea die, quam Paſcha conſequebatur, nec quidquam ex eo haberi fas erat ad meridiem diei 14. Niſan; quia poſt meridiem Paſchalis agnus immolabatur.

NEC REMANEBIT ADEPS SOLEMNITATIS MEÆ USQUE MANE.] Videlicet *adeps* hoſtiæ. Privati comedebant cunctas victimas ſuas paſchales præter ſanguinem, & adipem, qui per ſacerdotis manum Domino offerebatur. Vide 2. Paral. 30. 16. 17. & Levit. 3. 16. Liquet ex ſimili Exodi loco (*capitul.* 34. 25. *Neque reſidebit mane de victima ſolemnitatis phaſe*) nihil eſſe reliquum e victima paſchali uſque mane debuiſſe: quo adducor, ut credam, univerſum locum hunc eſſe de Paſchate explicandum, quamquam nonnulli interpretes (Oleaſter &c.) illum, non ſecus

B ac præcedentia in latiori explicent ſenſu, pro omni genere ſacrificiorum.

Quoad fermentum, quamquam lex vetet offerre Deo panes, vel placentas, in quibus eſſet fermentum, Levit. 2. 4. 5. 11. *Nec quidquam fermenti, aut mellis adolebitur in ſacrificio Domini*; nihilominus videtur permittere, ut offeratur in Templum panis communis, & conſuetus, quoniam cavet, ne panes hi de manu advenæ accipiantur. Levit. 22. 25. *De manu alienigenæ non offeretis panes Deo veſtro*. Itaque non reſpuit abſolute fermentum, neque alicubi immundum declarat.

℣. 19. PRIMITIAS FRUGUM TERRÆ TUÆ DEFERES IN DOMUM DOMINI DEI TUI.] Locus hic videtur tantum intelligendus de primitiis, quæ Paſchate

C offerebantur, quæ conſiſtebant in quadam hordei menſura, qui in Templum inferebatur. Levit. 23. 10. *Feretis manipulos ſpicarum primitias meſſis veſtræ ad ſacerdotem*.

NON COQUES HÆDUM IN LACTE MATRIS SUÆ.] Pauci ſunt in Scripturis loci, cui plures diverſæ explicationes, quam huic, tribuantur. Reor autem cum eruditis quibuſdam [4] Interpretibus, Moyſem hic prohibere offerre agnum, vel hædum victimæ paſchalis nondum ab matris ubere depulſum. Dixerat alibi, agnum hunc eſſe debere anni unius: *Erit autem agnus abſque macula, maſculus, anniculus*. Hæc eſt legis exceptio, quæ permittebat, ut aliæ victimæ offerrentur, dummodo octo diebus natæ eſſent. Exod. 22. 30. & Levit. 22. 27. Quidam [5] in hoc

D ſenſu legem accipiunt: Non coques hædum in eſum tuum, donec lac ſugit: ſed alii [6] ſimpliciter intelligunt, atque ad litteram: *Non coques hædum in lacte matris ſuæ*. Chaldaica verſio credere videtur, prohiberi, ne fiat embamma epularum cum lacte: *Non coques, nec comedes carnem, & lac ſimul*; & Rabbini interdictum hoc ad arietes extendunt & vitulos; credunt etiam minime eſſe fas in eadem cœna carnem comedere, & caſeum, vel lac; niſi diligenter ore deterſo: neque carnem, & caſeum eodem cultro ſecant. Inanes ſuperſtitiones. Samaritanus textus Hebraico prolixior eſt; hæc autem addit: *Nam hoc idem eſt perinde ac immolaretur animal exanime inventum, & Deus Jacob hoc abominatur*.

Eſtius, & Fagius ita intelligunt: non edes ma-

E trem lac præbentem, hœdumque lactentem; hæc eſſet, inquiunt, crudelitas, a qua Deus vult, populum ſuum abſtineri. Eodem conſilio prohibet alibi in nido matrem cum pullis aucupari, Deuter. 22. 6. Spencerus de leg. ritualib. lib. 2 cap. 8. affert locum e manuſcripto Karaitæ cujuſdam anonymi [7], qui aſſerit, antiquitus Ethnicos poſt fructuum meſſem excoxiſſe hœdum in lacte matris ſuæ, ut eo lacte agros, arboreſque aſpergebant, arbitrati, ma-

1 חג האסף בצאת השנה
2 Ἑορτὴ συντελείας. Aqu. Συλλογῆς. Sym. Συγκομιδῆς.
3 Munſterus, Lyranus, Vatablus, Fagius, Menochius, Boafretius, Junius, Bochartus, Glaſſius.
4 Vatablus, Riverus &c.
5 Quidam apud Auguſt. qu. 90. Theodoret. qu. 56. Varabl. Oleaſt.
6 Hebræi pleriſque, Toſta. Bochart. Spencer. Muis, Grotius &c.
7 Ita & Ramban, Bechai, Abarbanel &c.

gica illius aſperſionis vi, ipſorum arva, ac vineas in annum inſequentem uberiores futuras; ſed authoritas hæc infirmior eſt, quam ut ea illa conſuetudinem hanc arguamus, cujus aliunde nullum extat veſtigium. Denique non deſunt [1], qui Legi hunc tribuant ſenſum. Non comedes hædum octo primis diebus a nativitate illius, donec eſt *totus lac*, neque aliunde cibum accepit. Animalia, quæ ſaltem octavum diem non ſunt aſſecuta, immunda eſſe dicuntur; neque bonum præbere alimentum; atque præterea ſævitia putatur ea a matribus illorum ante id tempus abſtrahere. Hac explicatione cenſent cum lege hac conciliari poſſe legem eam, quæ permittit, ut octo dierum hoſtiæ offerantur, Exod. 22. 30. Nos primam amplectimur explicationem.

℣. 20. ECCE EGO MITTAM ANGELUM MEUM, QUI PRÆCEDAT TE,] Vulgo de Meſſia explicatur, qui Malach. 3. 1. vocatur *Angelus Teſtamenti*, & nuntius Domini, & qui notatur hic verſic. 21. a Moyſe, cum ait: *Eſt nomen meum in illo*. Sanctus Paulus quoque ad id reſpexiſſe videtur, cum ait 1. ad Cor. 10. 9. Hebræos in deſerto tentaſſe Ieſum Chriſtum, & a ſerpentibus periiſſe; innuens Jeſum Chriſtum eum fuiſſe Angelum, qui deducebat populum per deſertum. Hebræi quidam Doctores [2] afferuntur, qui confeſſi ſunt, a Moyſe hic Chriſtum deſignatum fuiſſe, in Scripturis vocatum *Faciem Patris, & Angelum Redemptorem*. Sed Philonis teſtimonium magni debet eſſe momenti hac in re; hic teſtis eſt irreprehenſibilis, omnique vacat ſuſpicione. Hæc autem ait in lib. de Agricultura: „Deus veluti Paſtor, & Rex „univerſi, regit, atque gubernat omnia cum æqui„tate, ac juſtitia, cum conſtituerit ſuper ea ſuum „unicum Filium, Verbum ſuum rectitudinis ple„num, qui veluti Pro-Rex conſulit omnibus crea„tis rebus, & præſides magnæ huic, ſacræque mul„titudini, quæ ipſi fuit commendata; nam alicu„bi ſcriptum eſt; Ecce ego mittam Angelum me„um, qui præcedat te, & cuſtodiat in via. Pleriique veterum, ac recentiorum eodem pacto explicant de adventu Filii Dei, qui eſt via, veritas, & vita, & qui accendit lumen ſuum ſuper eos, qui ſunt in mundo, veluti in via.

Sanctus Juſtinus in dialogo cum Tryphone, & Sanctus Auguſtinus quæſt 92. in Exod. crediderunt, Moyſen potuiſſe hic deſignare Ioſue, qui illi ſucceſſit, qui nomen *Jeſu* præ ſe tulit; *Eſt nomen meum in illo*; & qui magis præ ceteris ad vivum retulit Meſſiam. Menochius aſſerit Angelum hunc eſſe Sanctum Michaelem, qui creditur fuiſſe Angelus cuſtos populi Dei, & miniſter miraculorum, quæ pro electa hac natione patrata fuere. Hæc eſt Judæorum ſententia. Angelum hunc ducem *Metatron* nuncupant, quæ vox eſt corrupta, a Latina fluens *metator*, qui eum ſignificat, qui metatur caſtra, exercitus ducem. Sanctus Michael dux erat exercitus Iſrael, ipſe erat in miraculoſa nube, quæ Hebræos in deſerto comitabatur. Hic plerumque alloquebatur Moyſen, illique Domini voluntatem patefaciebat.

℣. 21. OBSERVA EUM.] Hebraice הִשָּׁמֶר מִפָּנָיו: *Cautus ſis coram illo*. Cave, ne quid tibi elabatur coram eo, adverſus munus tuum. Eum time, & verere.

NEC CONTEMNENDUM PUTES,] Hebraicus textus אַל תַּמֵּר בּוֹ verti poteſt: *Neque irrites eum*: vel ne contendas cum illo; vel, ne inſurgas in illum. Septuaginta: Μὴ ἀπείθει αὐτῷ: *Ne ſis incredulus ad ea, quæ dicet tibi*. Aquila: Μὴ προσερίζης: *Ne contendas cum illo*. Symmachus: Μὴ παραπικραίνῃς: *Ne exaſperes eum*.

NON DIMITTET, CUM PECCAVERIT.] Non par-

A cet, cum peccaveris; vel, non deſeret te, etiam cum læſeris eum. Duo hi ſenſus tradi poſſunt Hebraico textui [3], & Septuaginta [4], qui ad litteram habent: *Non dereliquet te*. Sanctus Cyprianus: *Non deerit tibi*. Sed prior ſenſus melior eſt, omneſque illum ſequuntur Interpretes.

EST NOMEN MEUM IN ILLO.] Illi meam contuli authoritatem, aget nomine meo, me referet. Arabice: *Nomen meum eſt cum illo*. Syriaca verſio, & Septuaginta: *Nomen meum eſt ſuper illum*. Hebraice ad litteram כִּי שְׁמִי בְּקִרְבּוֹ. *Nomen meum eſt intus in illo*. Nonnulli ita explicant. Doctrina mea eſt in illo. Qui locum hunc de Moyſe intelligunt, vel Joſue, dicunt, Deum contuliſſe illis authoritatem ſuam. Moyſes vocatur Deus Pharaonis; loquitur,
B imperat, prodigia perficit Dei nomine. Ioſue authoritati, ac muneri Moyſis ſuccedit. Sed neminem melius, quam Chriſtum Ieſum hic decet character; in quo plenitudo eſt, atque Divinitatis eſſentia, (Coloſſ. 2. 9. *In ipſo habitat plenitudo Divinitatis corporaliter*), qui rebus in omnibus coæqualis eſt Patri, qui ait in Evangelio Joannis 10. 38. *Pater in me eſt, & ego in Patre*; qui Patris ſui potentiam, authoritatem, ac virtutem obtinet, & qui vere in hoc ſenſu nomen Dei habet, illiuſque perſonam repræſentat.

℣. 23. AD AMORRHÆUM, ET HETHÆUM.] Septuaginta addunt *Gergeſæum*, qui neque Hebraice extat, neque in Vulgata.

℣. 24. STATUAS EORUM.] Hebraica vox מַצֵּבוֹת
C ſignificat ſtatuas, vel columnas, vel lapides, qui in eminenti loco erigebantur, vel conſtituebantur in via, ut adorarentur. De his locuti ſumus in Geneſi. Ethnici eos *Bethules* vocabant, propter lapidem, quem erexit Iacob in Bethel. Deus interdictum hoc inſtaurat Exodi 34. 13. & Deuteronomii 12. 3.

℣. 25. BENEDICAM PANIBUS TUIS, ET AQUIS.] Septuaginta addunt, *& vino tuo*. Nomine panis, & aquæ omnia intelligit Deus eſculenta, & poculenta.

℣. 26. NON ERIT INFOECUNDA, NEC STERILIS IN TERRA TUA.] Hebraicus textus מְשַׁכֵּלָה וַעֲקָרָה verti poteſt; *Non erit abortivum aliquid, nec mulier ſterilis*. Vel, juxta alios; non erit mater filiorum ſuorum ſuperſtes, neque mulier ſterilis; animalia erunt
D fœcunda, & feliciter fœtus ſuos enitentur.

NUMERUM DIERUM TUORUM IMPLEBO.] Morte immatura nequaquam occumbes. Maximum inter Dei ſupplicia mors prææmatura habeatur, Propheta prædicit, iniquos dierum ſuorum dimidium non expleturos: *Non dimidiabunt dies ſuos*; atque ſæpius illis, qui legem ſuam obſervant, diuturnam vitam Deus pollicetur. Sed Scriptura alibi docet diuturnam vitam non ſemper eſſe divinæ effectum miſericordiæ, & Deum aliquando electos ſuos immatura morte auferre, ut a ſæculi corruptione præſervet: Sapientiæ 4. 12.

℣. 27. OCCIDAM OMNEM POPULUM, AD QUEM INGREDIERIS.] Hebraice וְהַמֹּתִי. *Immittam tumultum*; diſſipabo &c. Septuaginta vertunt: Ἐκστήσω αὐτὰ τὰ
E ἔθνη: *Mittam eos extra ſe ipſos*, illis animum, & ſpiritum adimam. Onkelos: *Delebo eos*.

TERGA VERTAM,] Hebraice עֹרֶף . . . . וְנָתַתִּי; *Illi offerent tibi cervicem*; tibi tantum erunt cædendi. *Dabo inimicos tuos coram te cervicem*.

℣. 28. EMITTENS CRABONES.] Plurimi vertunt [5] *veſpas*. Deus hoc ipſum in Deuteronomio 7. 21. 22. minitatur; & cum Ioſue loquitur ad populum Dei aliquamdiu ante obitum ſuum, illi Dei nomine dicit: (Ioſue 24. 12.) *Miſi ante vos crabrones, & ejeci eos de locis ſuis, duos reges Amorrhæorum non in* gla-

1 Rivetus.
2 Vide Maſ. in Joſue 5. & Aieſv. hic.
3 כִּי לֹא יִשָּׂא לְפִשְׁעֲכֶם.
4 Οὐ γὰρ μὴ ὑποστείληταί σε.   5 הַצִּרְעָה

gladio, neque in arcu tuo; quod rem cognitam innuit, & quam quiſqoe præſens, dum contigit, haud ignoraverit. Author Sapient. c. 12. 8. 9. &c. etiam ait: *Miſiſtis antecessores exercitus tui veſpas, ut illos paulatim exterminarent*. S. Auguſtinus quæſt. 93. in Exod. & alii quidam credunt figurate intelligi poſſe de terrore, quem Deus in Chananæos immiſit; ſed auferendam putat illorum ſententiam, qui de veſpis intelligunt. Quis ægre adducetur, ut credat, muſcas, vel ſimilia inſecta poſſe expellere populos integros de regionibus eorum: ſed conſiderandum eſt in calidis regionibus hæc animalia eſſe magis incommoda, ac frequentia, quam in borealibus; atque Hiſtorici tot ſimilium eventuum prodidere exempla, ut de hoc dubitandi locum nequaquam reliquerint.

Populi Chalcidis, & alii populi a muſcis ejecti fuere. Quidam Æthiopiæ populi coacti ſunt a magna ſcorpionum vi, ut regiones ſuas derelinquerent. Myſios pepulere ſciniphes, & Phaſelides veſpæ, quibus affligebantur. Bochartus de animal. ſacr. tom. 2. lib. 4. cap. 13. incredibili diligentia ex hiſtoriis magnam teſtium collegit vim, quibus facta hæc confirmantur. Credit, veriſimiliter Phaſelides, de quibus locuti ſumus, eſſe ex eorum numero, qui temporibus Ioſue magna veſparum copia coacti fuere, ut patriam desererent. Conſtat, ipſos Phœnices eſſe ex origine, quemadmodum author idem oſtendit, ipſoſque veterem linguam ſervaſſe uſque ad tempora Xerſis, ut refert Chærilus apud Ioſephum l. 1. contra Appionem. Creditur autem major horum Chananæorum pars in Africam conceſſiſſe. Liquet conditores Leptis, de quibus loquitur Salluſtius, de terra Chanaan veniſſe. Procopius aſſerit, Jebuſæos, & Gergeſæos in Tingitanam regionem ſe recepiſſe, ibique celebres, quas deſcripſimus, erexiſſe columnas. Cadmonæi duce Cadmo in Græciam diſceſſere. Hornius de origine gent. Americ. lib. 4. cap. 3. 4. contendit Amorrhæos eoſdem eſſe, ac Mauros, vel Gomaros Africæ: & plures arbitrati ſunt Chananæos in Americam uſque pervaſiſſe.

FUGABUNT HEVÆUM, ET CHANANÆUM, ET HETHÆUM.] De omnibus his populis ſermo fuit in Geneſ. c. 10. 15. & ſeq. Septuaginta hic addunt Amorrhæum.

℣. 9. NON EJICIAM EOS A FACIE TUA ANNO UNO.] Non adeo verendum erat, quod regio ſylveſtribus repleretur belluis, atque in ſolitudinem redigeretur, etiamſi veteres omnes incolæ uno ictu deleti fuiſſent, ſi regio hæc in ea extenſione accipiatur, quam Iſraelitæ duce Ioſue poſſederant; ſed ſi conſideretur illius magnitudo, quam futuram ſpoponderat Deus, facile intellectu eſt, populum univerſum, ad quem tunc Moyſes loquebatur, nequaquam ſatis fuiſſe futurum, ut eam frequentaret, atque futurum fuiſſe ut neceſſario partem in ſolitudinem deſereret, ſi omnes ſimul uno ictu Chananæi inde fuiſſent depulſi. Regionis hujus fines late patere debebant ab Euphrate in Orientem ad Mediterraneum uſque in Occidentem, atque a Monte Libano in Septentrionali plaga ad Rubrum mare, & Nilum in Meridionali. Duplo major dubio procul eſſe debuiſſet Iſraelitarum copia, ut vaſtæ adeo regionis repleretur extenſio. Patet aliunde terras eas ſylveſtrium ferarum nimium eſſe fœcundas, atque in locis iiſdem, qui maxime incolis frequentes erant, maximum illarum numerum extitiſſe. Trecentæ vulpes, quas cepit Sampſon (Iudic. 15. 4.); urſi duo, qui pueros Eliſæum illudentes devorarunt (4. Reg. 2. 24.); magna ferarum vis, quas occidebat Herodes Magnus 1, quotieſcumque venatum proficiſceretur, clara ſunt eorum, quæ diximus, argumenta.

℣. 31. PONAM TERMINOS TUOS A MARI RUBRO AD MARE PALÆSTINORUM.] Uſque ad mare Philiſthiim. Maris hujus Philiſthæi littora incolebant. *Et a deſerto uſque ad fluvium*. Ab Arabia deſerta uſque ad fluvium Euphratis. Deſcriptio hæc finium terræ promiſſæ non ſatis eſt exacta. Eam circumſtantiis perſpicue magis enumeratis intuebimur alibi.

℣. 32. NON INIBIS CUM IIS FOEDUS.] Nec quoad ſocietatem, nec quoad Religionem; & populos delebis, atque idola.

℣. 33. QUOD TIBI CERTE ERIT IN SCANDALUM.] Hebr. 2; *Quod tibi erit erit in laqueum*, quo capieris. Si relinques hos populos in ea regione, ipſi tibi erunt veluti retia, quibus feræ capiuntur. Si illorum idola adoraveris, illorum cultus in maximam te detrahent calamitatem.

1 De bello Judaic. l. 1. c. 16.
2 יהיה לך למוקש ,

CAPUT XXIV.

Moyſes fert ad populum Leges Dei: eas populus accipit, ac init fœdus cum Domino. Moyſes rurſus Montem aſcendit, ibique quadraginta diebus moratur.

1. MOyſi quoque dixit: Aſcende ad Dominum tu, & Aaron, & Nadab, & Abiu,
& ſeptuaginta ſenes ex Iſrael, & adorabitis procul. 2 Soluſque Moyſes
aſcendet ad Dominum, & illi non appropinquabunt: nec populus aſcendet
cum eo. 3 Venit ergo Moyſes, & narravit plebi omnia verba Domini, atque judicia;
reſponditque omnis populus una voce: Omnia verba Domini, quæ locutus eſt, faciemus. 4 Scripſit autem Moyſes univerſos ſermones Domini; & mane conſurgens ædificavit altare ad radices montis, & duodecim titulos per duodecim Tribus Iſrael. 5 Miſitque juvenes de filiis Iſrael, & obtulerunt holocauſta, immolaveruntque victimas pacificas Domino, vitulos duodecim. 6 Tulit itaque Moyſes dimidiam partem ſanguinis,
& miſit in crateras: partem autem reſiduam fudit ſuper altare. 7 Aſſumenſque volumen fœderis, legit audiente populo, qui dixerunt: Omnia, quæ locutus eſt Dominus,
faciemus, & erimus obedientes. 8 Ille vero ſumptum ſanguinem reſperſit in populum

& ait: Hic eſt ſanguis fœderis quod pepigit Dominus vobiſcum ſuper cunctis ſermoni-
bus his. 9 Aſcenderuntque Moyſes, & Aaron, Nadab, & Abiu, & ſeptuaginta de
ſenioribus Iſrael, 10 Et viderunt Deum Iſrael, & ſub pedibus ejus quaſi opus lapidis
ſapphitini, & quaſi cœlum, cum ſerenum eſt. 11 Nec ſuper eos, qui procul receſ-
ſerant de filiis Iſrael, miſit manum ſuam, videruntque Deum, & comederunt, ac bibe-
runt. 12 Dixit autem Dominus ad Moyſen: Aſcende ad me in montem, & eſto ibi:
daboque tibi tabulas lapideas, & legem, ac mandata, quæ ſcripſi, ut doceas eos.
13 Surrexerunt Moyſes, & Joſue miniſter ejus: aſcendenſque Moyſes in montem Dei,
14 Senioribus ait: Expectate hic, donec revertamur ad vos. Habetis Aaron, & Hur
vobiſcum; ſi quid natum fuerit quæſtionis, referetis ad eos. 15 Cumque aſcendiſſet
Moyſes, operuit nubes montem. 16 Et habitavit gloria Domini ſuper Sinai, tegens
illum nube ſex diebus: ſeptimo autem die vocavit eum Dominus de medio caliginis.
17 Erat autem ſpecies gloriæ Domini, quaſi ignis ardens ſuper verticem montis, in con-
ſpectu filiorum Iſrael. 18 Ingreſſuſque Moyſes medium nebulæ, aſcendit in montem,
& fuit ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.

℣. 1. ASCENDE AD DOMINUM TU, ET AARON.] Moyſes, & Aaron erant adhuc in Sinai, vel ſaltem ad montis hujus non mediocrem altitudinem devenerant, (Vide Exod. 19. 24.) unde audiverant vocem Domini, qui perſpicue loquebatur ad eos, atque ab univerſo populo intelligebatur, ſed confuſius, ac ferme quemadmodum tonitrus vox, qui ſuper montium cacumina obmurmurat, dum violenta procella ſævit cap. 20. ℣. 18. Hic igitur locus ita eſt intelligendus; Poſtquam Deus propoſuit Moyſi, & Aaron leges omnes, quæ a capite 20. uſque ad 24. leguntur, antequam de monte deſcenderent, ut leges eas proponerent populo, dixit ad eos, quod poſtquam Iſraelitis fœderis ſui conditiones propoſuiſſent, atque utrimque ratum jurejurando ſanxiſſent fœdus, in montem iterum reverterentur, ſimul cum Nadab, & Abiu, & ſeptuaginta ſenioribus populi. Moyſes igitur deſcendit, populum allocutus eſt, ratum conſtituit fœdus; ac deinde, ut Dei mandatis, quæ hic legimus, præſto eſſet, aſcendit in montem, uti 9. capitis hujus verſiculo, & ſequentibus enarratur. Hæc omnia non ſatis ordinatim hic referuntur.

℣. 2. SOLUSQUE MOYSES ASCENDET.] Verſiculo 9. & ſequentibus, quæ hic imperantur, adimplere videbimus. Moyſes montem aſcendit cum Aarone, Nadab, & Abiu, ac ſeptuaginta ſenioribus populi, quibus Deus gloriam ſuam manifeſtavit ℣. 11. ſed Moyſes deinde ſolus jubetur ad verticem uſque pervadere, ubi diebus quadraginta permanſit, ℣. 12.

℣. 3. VENIT ERGO MOYSES, ET NARRAVIT PLEBI.] Venit Moyſes cum Aarone, qui illi ſemper adhæſerat, donec Deus illi legem ſuam propoſuit: atque ii ſimul populo præcepta Domini expoſuerunt. *Et narravit plebi omnia verba Domini*. Moyſes ad hoc uſus eſt miniſterio, & lingua Aaronis, quem illi dederat Deus eorum, quæ populo dicenda erant, Interpretem. Exod. 4. 14. 15. 16. *Ipſe loquetur pro te ad populum, & erit os tuum*. Propoſuit igitur illi, *Omnia verba Domini, atque judicia*; Legem Decalogi, & præcepta judicialia, quæ eam conſequuntur capitibus 20. 21. 22. 23.

℣. 4. SCRIPSIT AUTEM MOYSES UNIVERSOS SERMONES DOMINI.] Simulac populus aſſenſus eſt, ut ſe ſe Legibus Dei ſubmitteret, iſtud in acta redigendum fuit, ut perenne vigeret monumentum, fœduſque autenticis, ſolemnibuſque ritibus fuit confirmandum: quod ipſum iſtic perficitur. 1. Legiſlator ſcriptis exarat articulos omnes, & conditiones fœderis, cum actis conſenſus populi; & 2. Moyſes veluti mediator, ac Dei Legatus nomine ipſius excipit populi voluntatem; & Dominus pollicetur Iſrael, ſe illius Deum futurum, Regem, patronum, atque ea adimpleturum, quæ patribus eorum ſpopondit. Ceteræ fœderis ſolemnitates adnotantur.

ÆDIFICAVIT ALTARE AD RADICES MONTIS, ET DUODECIM TITULOS PER DUODECIM TRIBUS ISRAEL.] Lyranus, & Menochius aſſerunt Moyſem ædificaſſe altare duodecim lapidibus compoſitum, qui duodecim tribus Iſrael repræſentarent. Alii arbitrantur altare, quod extruxit, duodecim fuiſſe columnis ſuffultum. Septuaginta ſimpliciter habent *duodecim lapides*. Nos autem putamus ipſum conſtruxiſſe altare a ceſpitibus, quemadmodum illi præceperat Deus Exod. 20. 24. ac præterea duodecim tumulos, vel Aras [1] ex inſectis lapidibus extruxiſſe in circuitu primi Altaris; & quamlibet Tribum elegiſſe quoſdam juvenes prævalidos, ac forma corporis inſignes ut ſacrificarent, quitque ſuper altare ſuum, holocauſta, & victimas gratiarum actionis. Accepit Moyſes ſanguinem hoſtiarum, quæ in altari quolibet mactatæ fuerant, eoque bifariam diviſo, ejus partem in magno vaſe conſtituit, ut ſupra ceſpititiam aram effunderet; alteram vero partem in totidem ſeparatis vaſculis, plane duodecim numero ſepoſuit, ut per aſperſionem ſuper univerſum populum effunderet; atque ut ipſe reor, ſuper tribus ſingulas ſeorſim. Hoc ille perfecit, cum antea leges perlegiſſet, atque præcepta, ad quæ obſervanda ipſi hoc ſe ſe fœdere adigebant. Dimidium ſanguinis hujus ſuper aram e ceſpitibus effuſum eſt, quæ Deum ipſum referebat, acceptantem per Moyſis miniſterium ſubmiſſionem, & obedientiam populi; aliudque dimidium effuſum eſt ſuper cunctum populum, ſingulaſque Tribus particulariter, quæ per ſe ipſe pollicebantur, ac recipiebant, ſe habituras Dominum in Deum ſuum, atque Regem. Sanguis immolatarum victimarum effuſus utrimque erat ſolemnior ritus, quo rata fierent fœdera priſcis temporibus; & utraque pars per hos figurativos ritus ſe ad fœderis obſervandas conditiones adigebat, propoſita vitæ pœna, ac proprii ſanguinis effuſione.

℣. 5. JUVENES DE FILIIS ISRAEL.] Duo Chaldæi Interpretes, Arabs, Rabbini, ac Interpretum noſtrorum plerique [2] intelligunt de primogenitis familiarum Iſrael, ad quos aſſerunt ſpectaſſe Sacerdotii prærogativas, antequam dignitas hæc in familia Levi conſtitueretur: ſed Gen. 25. 3. quam infirmis ſententia hæc argumentis innitatur, oſtenſum eſt. Abel. Geneſ. 4. 4. qui primogenitus minime erat, & Moyſes, qui minor erat natu, quam Aaron, fuere ſacerdotes (Pſal. 97.) & ſacrificia obtulere: atque poſt legem etiam omnis populus paſchalem agnum immolebat die Paſchatis, atque ſacerdotali, ut Philo docet l. 3. de vita Moſ. munere fungebatur. Heroicis temporibus Sacrificiorum authoritas, atque inſpe-

1 Exod. 20. 25. *Quod ſi altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de ſectis lapidibus.*
2 Lyranus, Menochius, Junius, Piſcator &c.

inſpectio penes Principes erat, ipſique ſacris operabantur. Abraham Sacerdos fuit, & quiſque Patriarcha in familia ſua eadem munia peragebat. Nonnulli locum hunc intelligunt de filiis Aaron, vel Levitis, qui hac in occaſione a Moyſe delecti fuerint, ut totius populi nomine offerrent ſacrificia. Sed Scriptura non aſſerit palam juvenes hos ſacrificaſſe; Moyſes Sacerdotis munere functus eſt, & ſanguinem victimarum effudit: Juvenes autem ad eum tantummodo victimas deduxerunt, ac forſitan ad imperium illius jugularunt, quod ſæpius a ſimplicibus laicis fiebat, etiam lege lata, & coram filiis Aaronis.

Immolaveruntque victimas pacificas Domino, vitulos.] Quædam Vulgatæ exemplaria habent, *vitulos duodecim*; ſed neque Hebraicus textus, neque Chaldaicus, neque Septuaginta numerum hunc duodecim ſtatuunt. Nihilominus credibile ſatis eſt, in ſingulis duodecim lapideis altaribus ſingulos vitulos fuiſſe immolatos in gratiarum actionis ſacrificium præter holocauſta, quæ vulgo ex arietibus fiebant, vel hircis, Levit. 1. 10. Ex Sancto Paulo Hebr. 9. 19. liquet, hircorum, & vitulorum ſanguinem effuſum fuiſſe, atque ex eo non populum modo, ac altare aſperſum fuiſſe, ſed etiam librum legis: *Accipiens ſanguinem vitulorum, & hircorum cum aqua, & lana .... ipſum quoque librum, & omnem populum aſperſit*; quod hic Moyſes non refert, qui perquam brevi univerſam hanc ceremoniam enarrat.

℣. 6. Misit in crateras.] Antiqua Septuaginta exemplaria quædam legunt in ſingulari: *miſit in craterem*. S. Auguſtinus quoque ſimiliter legit; ſed Hebraicus textus, & verſio Chaldaica legunt in plurali.

℣. 7. Volumen foederis.] Contractum, in quo deſcriptæ erant omnes clauſulæ, & conditiones fœderis. Rabbini intelligunt de libro, in quo continebantur præcepta tradita Adæ, filiis Noe, atque Iſraelitis in Ægypto, & in Mara, quæ omnia Moyſes deinde in ſuis libris inſeruit, cum eos conſcripſit. Sed hæc Judæorum Doctorum ſententia non ſatis probatur. Credimus autem Moyſen in eo ſcripſiſſe præcepta, quæ in Exodi capitibus 20. 21. 22. & 23. continentur.

℣. 8. Hic est sanguis foederis, quod pepigit Dominus vobiscum.] Antiquitus cuncta ſolemnia fœdera ſanguine ſanciebantur. *Fœdus appellatum ab eo, quod in paciſcendo fœdere hoſtia necaretur*. Virgilius: *Et cæſa jungebant fœdera porca*. Fœdus hoc inſigne adeo, & ſolemne Dei Iſrael cum populo ſuo, erat figura novi fœderis, quod Jeſus Chriſtus cum humana natura percuſſit. Ara, ſuper quam holocauſta immolantur, eſt figura crucis, ubi Jeſus Chriſtus paſſus eſt, atque ubi ſuum ſanguinem effudit, ut novum ſignaret fœdus, quod fecerat, non autem cum ſola Jacob familia, ſed cum omnibus hominibus, quos redemit; non autem de Ægypto, ſed de morte, de peccato, & de potentia dæmonis. Vetus fœdus confirmatum fuit dumtaxat hircorum ſanguine, & vitulorum; recens vero ſancitum eſt ſanguine filii Dei ipſius, qui in ſolemni adeo ceremonia victima ſimul eſt, Sacerdos, mediator, & contrahens. Dei fœdus cum Iſrael ſemel tantum peractum eſt; ſed fœdus, quod nobiſcum iniit Chriſtus Jeſus, in Altaris ſacrificio quotidie inſtauratur. Primum proviſionale erat dumtaxat, atque ad tempus, ſecundum vero abſolutum, & in ſæcula. Hoc tribuit nobis ſpiritum adoptionis, & libertatis, illud vero ſervos tantum, ac mercenarios faciebat.

℣. 9. Ascenderuntque Moyses, et Aaron.]
A Aſcenderunt in montem, ſed non evaſerunt in cacumen; totius populi nomine honorem Domino delaturi acceſſerunt, quem dudum in Regem, ac Deum agnoverant, & cum quo ſolemne fœdus percuſſerant.

℣. 10. Et viderunt Deum Israel.] Septuaginta [1]: *viderunt locum, ubi erat Deus Iſrael*. Sanctus Auguſtinus ſimiliter legit, & credit, Deum ſenſibili modo illis apparuiſſe. Chaldaica verſio ait, ipſos vidiſſe *gloriam Dei Iſrael*, & Arabica, *Angelum Dei Iſrael*. Interpretes non pauci [2] aſſerunt Deum ſub humana ſpecie ſe illis prodidiſſe, quia hic ſermo eſt de pedibus illius; ſed alii contendunt Deum tunc nequaquam ſe viſibili forma oſtendiſſe; & Moyſes aſſerit in Deuteronomio 4. 15. illos nullam vidiſſe fi-
B guram, neque ullam formam diſtinctam: *Non vidiſtis ullam ſimilitudinem*; & ſi legiſlator tunc Dominum vidiſſet, non enixius adeo alia vice efflagitaſſet, ut Deus illi ſuam gloriam oſtenderet, Exod. 33. 18. Itaque cum Moyſes ait, illos vidiſſe Dominum, credi poteſt, ipſos aliquem præſentiæ Dei conſpexiſſe radium: atque aliquem gloriæ ipſius ſplendorem, non ſecus ac dicimus vidiſſe ſolem, cum per nubem aliquem dumtaxat radium luminis illius intuemur.

Et sub pedibus ejus, quasi opus lapidis sapphirini.] Hebraice ad litteram [3]: *Et ſub pedibus ejus quaſi opus laterum (vel pavimenti) e ſapphiro*; vel: quaſi opus e candida ſapphiro. Candidas adeſſe ſapphiros teſtatur Anſelmus Boetius in
C libro ſuo de pretioſis lapidibus lib. 2. cap. 42. apud Martinium; & alias, quæ ſunt colore cyaneo, vel cæruleo. Priores fœminæ vocantur, aliæ vero mares. Septuaginta [4] vertunt: *Quaſi opus laterum e ſapphiro*. Chaldaice habetur ſimpliciter: *lapis pretioſus*, & Arabice: *adamas*. Sed nulla adeſt difficultas, quin Hebraica vox ſapphirum ſignificet. Scriptura vulgo Firmamentum, quod Dei ſolium appellat, colore ſapphiri depingit, uti habemus in Ezechiele c. 1. 26. & c. 10. 1. ut cœlum ſerenum lucenti colore cæruleo ſuffuſum ſignificet, illud ſimile ſapphiro vocat: *Et ecce in firmamento, quod erat ſuper caput Cherubim, quaſi lapis ſapphirus*. Septuaginta ſeniores, qui Moyſen ſubſecuti ſunt, viderunt igitur ſplendorem ſapphiro perſimilem, in quo Dei maje-
D ſtatem adeſſe ſunt arbitrati.

℣. 11. Nec super eos, qui procul recesserant de filiis Israel, misit manum suam.] Hæc verſio non ſatis eſt perſpicua, & valde ab aliis differt. Septuaginta [5]: *Ne unus quidem fuit ex his viris ex univerſo populo delectis, cui contraria eſſet ſententia*. Verum quinam hæc ad ea, quæ præceſſerunt, referri poſſunt, vel ad ea, quæ ſequuntur? Nobilius in meliorem ſenſum verti poſſe putat: *Nemo ex his omnibus, qui electi fuerunt, ne minimum quidem detrimentum eſt paſſus*. Vide Numer. 31. 49. 2. Reg. 20. 19. & Ezech. 37. 11. ubi vox διαφωνέω hanc habet ſignificationem. Grotius hoc pacto vertit Septuaginta: *Ne unus quidem deerit ex omnibus, qui electi fuerant*. Oſtendit Græcam vocem in hunc
E ſenſum accipi, Numeror. 31. 49. & Eſth. 10. 13. Onkelos: *Principes* (vel primores) filiorum Iſrael, ne minimum quidem pertulere detrimentum. Arabica, & Syriaca verſiones pariter innuunt, Deum non interfeciſſe illos, ſed e contra illos vidiſſe Dominum, & vixiſſe. Hi Interpretes pro Hebraica voce *azilim* [6] intellexerunt primores populi; ſed alii pro hac voce vertunt *illos, qui proximi ſunt*. Oleaſter ita transfert: *Ad propinquos filiorum Iſrael non miſit manum*. Munſterus credit hoc in loco *mittere manum* ſignifi-

1 Εἶδον τὸν τόπον οὗ εἱστήκει ἐκεῖ ὁ Θεὸς, &c.
2 Janſen. Grot. Menoch. Tir. Lyr.
3 כמעשה לבנת הספיר.
4 Ὡσεὶ ἔργον πλίνθου σαπφείρου.
5 Καὶ τῶν ἐπιλέκτων τοῦ Ἰσραὴλ, οὐ διεφώνησεν οὐδὲ εἷς.
6 ואל אצילים . . . לא שלח ידו.

gnificare poſſe donum prophetiæ, quod hoc pacto exprimitur quandoque in Scripturis: *Facta eſt ſuper eum ibi manus Domini*, Ezechiel inquit 1. 3. *Miſit manum ſuam Dominus, & tetigit me*, inquit Hieremias 1. 9. Itaque cum dicitur, *Deus non miſiſſe manum ſuam ſuper ſeniores*, id innuit, Deum non dediſſe prophetię donum ſenioribus, ſicut Moyſi. Lyranus contendit verba hæc ſignificare, Deum ſe illis non revelaſſe, *non miſit manum, ideſt, non revelavit ſe*. Sed hæ poſteriores duæ explicationes longius ductæ nimis videntur.

Videruntque Deum, et comederunt, ac biberunt.] Septuaginta [1]: *Viſi fuerunt* (apparuerunt) *in loco, ubi erat Dominus, & biberunt, & comederunt*: videlicet vixerunt, poſtquam Dominum ſunt intuiti, poſt viſionem hanc biberunt, manducaveruntque uti antea, adverſus vulgi opinionem, quę viguerat, Deum videri non poſſe, quin morerentur. Vide Geneſ. 16. 13. & 32. 40. Nonnulli [2] ſic explicant. Poſt hanc viſionem fecerunt convivium, vel biberunt, & comederunt tanta felicitate lætabundi. Fagius aliam hanc explicationem tradit ea Chaldaica verſione deductam: Viderunt eum; & viſio hæc fuit illis eſca, & potus; repleti ſunt, ſaturati ſunt.

℣. 12. Ascende ad me in montem.] Deus præcipit Moyſi, ut relinquat Aaron, & ſeptuaginta ſeniores populi, qui erant cum ipſo ad quamdam montis altitudinem, ac ipſe ſolus ad verticem uſque Sinai aſcendat.

℣. 13. Surrexerunt Moyses, et Josue minister ejus &c.] Moyſes, & Joſue famulus illius [3] ſurrexerunt, & ſimul aſcenderunt uſque ad hanc nubem luminoſam, quæ cooperiebat montem; ibi ſex diebus permanſerunt: ſed die ſeptima Deus iterum imperavit, ut altius aſcenderet; (Vide verſic. 16.) & Joſue ſolus ibidem moratus eſt, ubi antea ſimul erant.

℣. 14. Senioribus ait: Expectate hic.] Moyſes oſtendebat plane manu caſtra, quæ monti erant ſubjecta, ſenioribus dicens: *Expectate hic*. Vel potius dixit illis, ut in eodem expectarent loco, ubi tunc erant, minime prævidens, quod diu adeo immorari deberet in vertice montis. Sed hi ſeniores videntes, quod nimis immorabantur, in caſtra reverſi ſunt, & illorum reditus fortaſſe una inter ceteras fuit ratio, qua adductus fuit populus, ut vitulum aureum conflarent, videntes, quod Moyſes cum ipſis non deſcenderat, & ſimulac in nubem erat ingreſſus, illis non apparuerat amplius.


℣. 15. Fuit ibi quadraginta diebus, et quadraginta noctibus.] In numero hoc dierum quadraginta, ſex dies comprehenduntur, quibus Moyſes expectavit cum Ioſue, antequam ad illos Deus loqueretur (℣. 16.). Moyſes toto hoc tempore nulla uſus eſt eſca; ſed Ioſue, qui ad verticem uſque montis non aſcenderat, veſci potuit quibuſdam fructibus, quos invenit, & fontis cujuſdam aquas potare; nam Viatores aſſerunt ad quamdam Sinai montis altitudinem aquas, arboreſque fructiferas reperiri. Judæi [4] docent, Moyſen a Deo accepiſſe interdiu præcepta Legis ſcriptæ; & noctu traditiones, & Legem verbalem. Hoc autem pacto conciliare ſtudent traditionibus ſuis authoritatem eas referentes ad Moyſen, vel etiam ad ipſum Deum primum veluti authorem.

1 70. Καὶ ὤφθησαν ἐν τῷ τόπῳ τοῦ Θεοῦ, καὶ ἔφαγον καὶ ἔπιον.
2 Vatabl. Rivet. &c.
3 משרתו. Aq. Sym. Λειτουργὸς αὐτοῦ. 70. Παρεστηκὼς αὐτῷ.
4 Rabb. Bechai apud Buxtorf. Synag. Jud. c. 1.

CAPUT XXV.

Oblatio pro Tabernaculi conſtructione. Deſcriptio Altaris, ubi ponebantur panes propoſitionis. De Arca. De Candelabro.

℣. 1. LOcutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: 2 Loquere filiis Iſrael, ut tollant
mihi primitias: ab omni homine, qui offeret ultroneus, accipietis ea. 3
Hæc ſunt autem, quæ accipere debetis: Aurum, & argentum, & æs, 4
Hyacinthum, & purpuram, coccumque bis tinctum, & byſſum, pilos caprarum, 5
Et pelles arietum rubricatas, pelleſque janthinas, & ligna Setim: 6 Oleum ad luminaria concinnanda: aromata in unguentum: & thymiamata boni odoris: 7 Lapides o-
nychinos, & gemmas ad ornandum ephod, ac rationale. 8 Facientque mihi ſanctua-
rium, & habitabo in medio eorum: 9 Juxta omnem ſimilitudinem tabernaculi, quod
oſtendam tibi: & omnium vaſorum in cultum ejus, ſicque facietis illud: 10 Arcam de
lignis Setim compingite, cujus longitudo habeat duos, & ſemis cubitos: latitudo, cu-
bitum, & dimidium: altitudo, cubitum ſimiliter, ac ſemiſſem. 11 Et deaurabis eam
auro mundiſſimo intus, & foris; facieſque ſupra coronam auream per circuitum: 12
Et quatuor circulos aureos, quos pones per quatuor areæ angulos; duo circuli ſint in
latere uno, & duo in altero. 13 Facies quoque vectes de lignis Setim, & operies eos
auro, 14 Induceſque per circulos, qui ſunt in arcæ lateribus, ut portetur in eis. 15
Qui ſemper erunt in circulis, nec umquam extrahentur ab eis. 16 Poneſque in arca
teſtificationem, quam dabo tibi. 17 Facies & propitiatorium de auro mundiſſimo;
duos cubitos, & dimidium tenebit longitudo ejus, & cubitum, ac ſemiſſem latitudo.



ARCA FŒDERIS

A Virga Aaronis quę floruit

B Gomor, seu vas trium circiter pintarum Manna plenum

BIBLIOTECA NAPOLI

Digitized by Google

18 Duos quoque Cherubim aureos, & productiles facies, ex utraque parte oraculi.
19 Cherubim unus ſit in latere uno, & alter in altero. 20 Utrumque latus propitia-
torii tegant expandentes alas, & operientes oraculum, reſpiciantque ſe mutuo verſis
vultibus in propitiatorium, quo operienda eſt arca. 21 In qua pones teſtimonium,
quod dabo tibi. 22 Inde præcipiam, & loquar ad te ſupra propitiatorium, ac de me-
dio duorum Cherubim, qui erunt ſuper arcam teſtimonii, cuncta, quæ mandabo per te
filiis Iſrael. 23 Facies & menſam de lignis Setim, habentem duos cubitos longitudi-
nis, & in latitudine cubitum, & in altitudine cubitum, ac ſemiſſem. 24 Et inaurabis
eam auro puriſſimo: faciesque illi labium aureum per circuitum. 25 Et ipſi labio co-
ronam interraſilem altam quatuor digitis: & ſuper illam, alteram coronam aureolam.
26 Quatuor quoque circulos aureos præparabis, & pones eos in quatuor angulis ejuſ-
dem menſæ per ſingulos pedes. 27 Subter coronam erunt circuli aurei, ut mittantur
vectes per eos, & poſſit menſa portari. 28 Ipſos quoque vectes facies de lignis Setim,
& circumdabis auro ad ſubvehendam menſam. 29 Parabis & acetabula, ac phialas,
thuribula, & cyathos, in quibus offerenda ſunt libamina, ex auro puriſſimo; 30 Et
pones ſuper menſam panes propoſitionis in conſpectu meo ſemper. 31 Facies & can-
delabrum ductile de auro mundiſſimo, haſtile ejus, & calamos, ſcyphos, & ſphærulas,
ac lilia ex ipſo procedentia. 32 Sex calami ingredientur de lateribus, tres ex uno la-
tere, & tres ex altero. 33 Tres ſcyphi quaſi in nucis modum per calamos ſingulos,
ſphærulaque ſimul, & lilium: & tres ſimiliter ſcyphi inſtar nucis in calamo altero, ſphæ-
rulaque ſimul & lilium; hoc erit opus ſex calamorum, qui producendi ſunt de haſtili.
34 In ipſo autem candelabro erunt quatuor ſcyphi in nucis modum, ſphærulæque per
ſingulos, & lilia. 35 Sphærulæ ſub duobus calamis per tria loca, qui ſimul ſex fiunt,
procedentes de haſtili uno. 36 Et ſphærulæ igitur, & calami ex ipſo erunt, univerſa
ductilia de auro puriſſimo. 37 Facies & lucernas ſeptem, & pones eas ſuper candela-
brum, ut luceant ex adverſo. 38 Emunctoria quoque, & ubi, quæ emuncta ſunt, ex-
tinguantur, fiant de auro puriſſimo. 39 Omne pondus candelabri cum univerſis vaſis
ſuis habebit talentum auri puriſſimi. 40 Inſpice, & fac ſecundum exemplar, quod ti-
bi in monte monſtratum eſt.

℣. 1. LOQUERE FILIIS ISRAEL, UT TOLLANT MIHI PRIMITIAS.] Primitiarum nomine quodlibet oblationum genus eſt intelligendum, quæ ſponte fiebant pro conſtructione Tabernaculi Domini. Hebraice habetur [1] *trumah*, quod ſignificat ad litteram has oblationes, quæ fiebant in ſumptus Tabernaculi, eas coram Domino extollendo, de quibus deinceps loquemur. Significat præterea quodvis genus voluntariæ oblationis. Vulgata adhæſit Septuaginta transferendo *primitias*. Deus non vult aliquem cogi ad eas offerendas. *Ab omni homine, qui affert ultroneus, accipietis eas.* Poterat quidem, prout Deus, ac Rex Hebræorum, exigere, ut ipſi magnificum ſtatuerent Tabernaculum, ut Miniſtros conſtituerent, atque velut Regi magno inſervirent, qui in ipſorum medio ſemper incederet; ſed illi ſatis eſt ea poſcere, quæ ipſi ſua ſponte, nullo cogente, eſſent collaturi. Primus dominii ſupremi actus eſt a ſubditis ſuis munera excipere. Vide 1. Reg. 10. 27. & ſupra Exod. 23. 15.

℣. 4. HYACINTHUM.] Antequam colorum, pannorumque, de quibus hic loquitur Moyſes, examen aggrediamur, illico adnotandum eſt, Hebræorum doctorum pleroſque apud Braun. de veſtitu Sacerd. Hebræor. lib. 1. cap. 8. docere veſtes Sacerdotum laneas tantummodo fuiſſe, vel lineas, non item vero ſericas, vel goſſipinas. Lana hyacinthino colore, inquiunt illi, inficiebatur, coccineo, & purpureo. Linum, ac byſſus naturalem ſuum colorem ſervabant. Sed Abarbanel, & alii Judæi credunt id omne, quod a Scriptura Hyacinthinum vocatur, purpureum, & coccineum, ſericum fuiſſe. Doctoribus his parum ſemper accedere conſuevimus, in hac vero materia minus adhuc aptos, quam in alia qualibet, eos ducimus, a quibus edoceri poſſimus. Itaque duces alios ſequemur.

Color hyacinthi erat cæruleus, vel violaceus valde exuberans, & ſubnigreſcens, ut violæ color. Sententia hæc pluſibus innititur authoritatibus, quas collectas videre eſt apud Braunium lib. 1. cap. 13. qui ſcite de rebus his ſcripſit, & cujus opera in his perquirendis admodum ſumus uſi. Syriaca verſio, & Rabbinus Salomon, aliique nonnulli per hebraicum תכלת *tekelet* colorem *croceum* intellexere: ſed eorum ſententia paucos habet aſſeclas.

Hyacinthinus color inficiebatur ſanguine piſcis, quem latini *muricem* vocant, Hebræi *Chilſon*. Hic piſcis eſt e concharum genere, qui capitur, & vivens adhuc infringitur, ut liquor ille pretioſus eſſiciatur, qui hyacinthino, purpureoque colori inficiendo uſurpatur. Creditur Homerus perniciſſimæ, præcipitique piſcis hujus morti alluſiſſe, cum præcipitem, violentamque necem quandoque appellat, *Mortem purpuream*, Πορφύρεος θάνατος. Vide Euſtat. ad Iliad. 5. Plinius l. 21. c. 2. docet, quibuſdam etiam herbis uſos fuiſſe, ut violaceum, vel hyacinthinum colorem inficerent; *Transalpina Gallia herbis (tingit) Tyrinum*, ſeu purpuram; *atque conchylium*, ſeu hyacinthum; lib. quoque 25. 6. ait, ex Indiis advectum fuiſſe cujuſdam calami genus, quod in uſum eumdem adhibebatur.

PURPURAM.] Hebraica vox ארגמן *argaman* originem præbuit Græcæ *amorge* [2], quæ ſignificat purpuram, vel colorem rubrum. Plures ſunt purpurei coloris ſpecies. Alius ruber eſt, & color coccineus, alius

1 תרומה 70. Ἀπαρχάς. Aq. Ἀφαίρεμα.
2 Suidas. Ἀμόργη.

alius vero magis exuberans. Optimus, & quem præ cæteris Veteres pluris facerent, erat roſæ color ſubniger, atque ut Plinius ait lib. 9. cap. 36. *Nigrantis roſæ colore ſublucens*: vel ut inquit lib. 9. c. 38. *Laus ei ſumma color ſanguinis concreti nigricantis aſpectu, idemque ſuſpectu refulgens, unde & Homero purpureus dicitur ſanguis*. Purpure erat rubro colore obſcuriori, quam ille color, quem latine *punicum* dicunt. Lucretius l. 2.

Purpura, puniceuſque color clariſſimu multo.

Hoc eutem amabant, quod purpura leniter, & jucunde aſpectum afficeret, & mitius, neque fortiter adeo veluti carbunculus. Plin. lib. 9. cap. 41. *Aſpectu leniter blandum, neque in oculos, ut carbunculi, vibrat.*

COCCUM BIS TINCTUM.] Voce hac intellexiſſe Vulgate videtur purpuram Tyriam, quam priſci *dibapham*, ſeu bis tinctam vocabant: *Dibapha tunc dicebatur purpura, quæ bis tincta eſſet, veluti magnifico impendio*. Plinius lib. 9. cap. 39. Ovidius Amor. lib. 3.

Nec quæ bis Tyrio muriſe lana rubet.

Et Seneca Hercul. Oet. Act. 2.

Nec Sidonio mollis aheno,
Repetita bibis lana ruborem.

Plinius lib. 9. 38. ait primum, quinque horis lanam immergi conſueviſſe in tioctura; ec deinde exui, & carminari; denique vero ruſus immergi, donec perfecte inficiatur: *Quinis lana potat horis, rurſuſque mergitur carminata, donec omnem ebibat ſanitem*. Primum quidem viridem colorem refert, deinde vero in purpuram immurat: *Primum ſatiatur immatura, viridique cortina, mox permutatur in buccino.*

Hebraicas voces תולעת שני *tolabat ſcani*, Aquila Διάφορον; Symmachus Διάφορον vettere, *pollucidum*. Joſephus, & Septuaginta habent aliquando ſimpliciter rubrum Φοινικοῦν, vel purpurei coloris; aliquando vero coccum duplicem. Hi duo colores promiſcue ſæpius uſurpantur. Veſtis, qua Jeſus Chriſtus in Paſſione ſua fuit indutus, *coccinea* a Sancto Matthæo 27. 28. vocetur, & purpurea e S. Marco 15. 17. & S. Joanne 19. 2.

Verum ſatis, ſuperque conſtat *coccum* admodum a purpura differre, non ſolum quoad colorem, ſed etiam quoad modum, quo inficitur. Purpure vulgo inficiebatur ſanguine piſcis, qui vocabatur *murex*, & qui reperiebator præcipue in ora Tyrii maris; ea vero nigricantem ruborem referebat, concreto ſanguini perſimilem. Sed *coccus*, vel *coccinus* erat color mitior, vividior, lucidiorque, & ed ignis colorem accedent: quare ſit, ut Joſephus, Philo, & S. Hieronymus allegorice explicantes colores, de quibus eſt ſermo, *coccum* igni comparent.

Tingebatur autem cum vermiculo quodam, qui *coccus* appellabatur, vel ſimpliciter *vermiculus*; unde vox Itala *vermiglio*. Bellonius vero de hoc vermiculo habet hæc lib. 1. obſervat. cap. 17. Mea lma *cocci* copia in Creta Inſula reperitur, cujus maximum ibi eſt negotium: invenitur autem menſe Junio ſuper ſpecie quadam parvulæ quercus, quæ fere glandem ſine pediculo trunco adhærentem; folia ipſius ſpinis præfixa ſunt, & parvulis quibuſdam referta granis, quæ magnitudine piſum adæquans, & intus plena ſunt parvulis rubris vermiculis, qui veluti lendines craſſi ſunt. Grana hæc a foliis avelluntur, & parvula animalia, quibus ſcatent, per foremen egrediuntur; quod in ea eſt parte, qua grenum frondi adhærebat; parvula hæc animalia a granis cribri adminiculo ſecernuntur: & una colliguntur, & leviter condenſantur, & ex illis pilæ fiunt ovi gallinæ magnitudinem referentes. In Palæſtina quoque hæc inveniuntur grena, ut author idem lib. 2. cap. 88. refert. Arabes vermiculos hos *charmes* appellant, unde Itala vox *cremeſi*. Braunius non ambigit, quin coccineus color bis inficiatur, atque credit eſſe colorem ejus nominis, quod hic uſurpatur. Voſſius tuetur coccum apud nos alium eſſe a cocco Veterum: ille enim cum quadam vermiculorum ſpecie tingebatur; hic vero cum parvulis quibuſdam granis, quæ ad pampinulæ radices inveniuntur.

Quoad epithetum *ſchani*, quod Hebreice tribuitur *vermiculo*, vel *cocco*, Septuaginte intellexerunt, perinde ac ſignificaret pannum duplici filo contextum [1]. Nos eutem minime fugit, Veteres elaboraſſe peculiatiter telas, ac pannos diploides. Vide dicta ad Exod. 28. 4. & 32. Vulgata id in alio ſenſu intellexit pro colore bis tincto: & jam ſuperius animadvertimus purpuram, & hyacinthum non ſemel tingi conſueviſſe. Vox autographi *ſchani*, ſola ſæpius uſurpatur ad purpuræ colorem ſignificandum. Vide Geneſ. 38. 27. Joſue 2. 21. 2. Reg. 1. 24. Iſai. 1. 18. Jerem. 4. 30. Cant. 4. 3. Prov. 31. 21. & aliquando edditur voci *tolaath*, quæ vermiculum ſignificat. Reor igitur *ſchani* eſſe proprium nomen vermiculi, de quo agitur, quod ſibi quiſque facile perſuadere poteſt eos intuens locos, ubi ſolum reperitur: *Si fuerint peccata veſtra ut ſchanim*, Iſaias ait cap. 1. 18. *quaſi nix dealbabuntur* &c. Sponſus ait Sponſæ in Canticis 4. 3. *Sicut vitta ſchani labia tua*; & in Gen. 38. 27. in ipſa effuſione infantium (Thamar) unus protulit manum, in qua obſtetrix ligavit *ſchani*. Nomen *tolaath* eſt genericum, numquam ſolum inveneris, ut coccum ſignificet, & palam ſignificat vermiculum. Igitur omnino credibile eſt nomen ſchani, quod illi adhæret, particularem vermiculi ſpeciem ſignificare; atque vero propius videtur accedere, quod Græcum, Latinumque nomina *tainia*, & *tinea*, quæ vermen ſignificant, ex Hebraico fluant *ſchani*, vel *tani* juxta Chaldæorum pronunciationem; primum dixere *tani* pro *ſchani*, deinde vero *tania*, vel *tinea*, vel *tainia*.

Juxta hanc explicationem, *ſchani* neque duplum ſignificabit, neque bis tinctum, ſed tantum vermiculum *coccum*. Hæc eſt Sancti Hieronymi ſententia in epiſtola ad Fabiolam; hæc autem conjectura hoc argumento confirmari poteſt, quod ſi *ſchani duplum* ſignificaret, vel *bis tinctum*, in conſtructione numquam ſine ſubſtantivo, cui adhæreret, poneretur, quod vel panni materiam, vel colorem innueret; ac præterea quem ſenſum habere poſſet hæc loquendi ratio ad litteram ſumpta: *Accipies pro veſtibus Sacerdotum vermiculum bis tinctum*, vel *vermiculum duplicem*? Dum e contreadmodum naturale eſt dicere *vermiculum nomine ſchani*, vel lanam tinctam *cum vermiculo ſchani*. Braunius lib. 1. cap. 15. de veſtitu Sacerd. credit *ſchani* fluere poſſe ex Hebraica voce *Schanam, acuere*; perinde ac ſignificare vellet coloris hujus vivacitatem, ac penetrationem.

BYSSUS.] Hebraice שש *ſcheſch*. Chaldaica verſio, Septuaginta, Rabbini, & Interpretes recentiores fere omnes pro *byſſo* pugnant. Vide Braunium lib. 1. capite ſeptimo. Alii quidam de ſerico explicant. Arabica verſio, Junius, & Tremellius, Piſcator, Villelpandus, Prado, Scheringhamius, & alii quidam intelligunt de goſſypio. Rabbini docent, *ſcheſch* ſignificare byſſum Ægypti, & quotieſcumque de byſſo hac Scriptura loquitur, nomine *ſcheſch* intelligi de filo ſextuplici; quoniam Hebraicum *ſcheſch* ſex ſignificat; dum linum ſimplex *bad* בד appellatur. Cunæus, Leuſdenus, & alii quidam contendunt *bad* ſignificare linum ſimplicem, & *ſcheſch* byſſum, quæ eſt linum Peluſii, quod præ ceteris in iis regionibus æſtimatur. Braunius quoad *ſcheſch* adhæret Rabbinis, & fatetur, unum tantummodo lini genus vocari *bad*, cum ſimplum eſt, vel fili unius;

& ſcheſch

[1] Κόκκον διπλοῦν.

& *ſcheſch* cum ex ſex filis contorquetur. Credit autem ſex hæc lini fila ſimul retorta pro ſubtegmine adhibita fuiſſe in purpureis, hyacinthiniſque veſtibus contexendis. Philo lib. de ſomniis crediſſe videtur Sacerdotis maximi tunicam contextam fuiſſe ex incorruptibili lino, ex eo plane, quod vocatur *vivum, & abeſtinum*, quod igne nequaquam abſumitur. Plinius lib. 19. cap. 1. *Inventum jam eſt, quod ignibus non abſumeretur: vivum id vocant, ardentesque in focis conviviorum ex eo vidimus mappas ſordibus exuſtis ſplendeſcentes igni, magis quam poſſent aquis.* Philo vero ita loquitur: „ Tela hæc non„ niſi ſumma cum difficultate rumpitur; neque e„ nim ex mortali, corruptibilique materia confe„ cta eſt; & cum, uti fas eſt, detergitur, ſplen„ didiſſimam acquirit albedinem.

Verum, ut de byſſo diligentius loquamur, haud abs re eſt adnotare vocem hanc aliquando pro croceo colore uſurpari, atque aureo ſimili: *Byſſinus color aureo proximus*, inquit Scaliger. Accipitur etiam pro lana pretioſa, de qua ſæpius Veteres locuti ſunt. Quatuor vero byſſi genera diſtinguunt, Judaicam, Ægyptiam, Achaicam, & Indicam. Pauſanias in Eliacis refert, byſſum Elidis in Peloponneſo, vel Achaiæ præ ceteris optimam fuiſſe habitam, & minimum ceſſiſſe byſſo Judææ, niſi forte croceo colore adeo præſtaret. Plinius lib. 19. c. 1. omnibus præfert linum, quod vivum, & abeſtinum vocat, quod nequaquam igne conſumitur; atque poſt illud Elidis linum conſtituit. Verum non liquet, an poſtremum hoc vere linum eſſet, vel aliqua ſerici ſpecies. Turnefortius, quem hac de re conſului, credit linum Judææ fuiſſe hanc ſerici ſpeciem, quæ naturaliter ad inſtar flocci adhæret piſci in concha rubra clauſi, quem Rondeletius *pinnam magnam* vocavit. Itaque videtur byſſus Elidis, cum ejuſdem eſſet naturæ, ac byſſus Judææ, neque illi cederet, ni coloris pulchritudine, eſſe intelligenda de hoc ſerici genere, quod adhærens invenitur piſci, qui *pinna* appellatur. De byſſo Judææ prolixius verba faciemus in Commentariis in libros Paralipomen. l. 1. c. 15. 27.

Byſſus Indica dicitur quoddam lanæ genus, quæ ſuper arboribus creſcit. Sed non ſatis liquet, quo pacto id ſit intelligendum. Plinius lib. 19. cap. 1. innuere videtur, hanc fuiſſe lanæ ſpeciem quibuſdam pomis adhærentem. Theophraſtus lib. 4. c. 9. hiſt. ait, clauſam fuiſſe in complicatis arborum foliis, quæ illæ gignebant. Fortaſſe goſſypium erat.

Quoad byſſum Ægyptiam Pollux Onomaſt. lib. 7. cap. 17. ait lini ſpeciem fuiſſe, vel potius materiam tenuiſſimam, pulcherrimo lino perſimilem ſuper arbore quadam creſcentem. Turnefortius ex Pollucis deſcriptione infert ſericum fuiſſe ſpeciem *apocyni*, quod Proſper Albinus deſcripſit, atque incidendum curavit nomine *beidelſar*. Planta hæc in Pariſienſi Regio excolitur viridario, & ſericum, quod inde educitur, nihil eſt aliud, quam plumulæ, quibus ſemina plantæ hujus referta ſunt. Mirabili ſunt perfectione, ac pulchritudine, atque neri poſſent, & pulcherrima opera inde confici.

Scriptura de duabus byſſi ſpeciebus loquitur præter linum. Ait enim David indutum fuiſſe pallio byſſino [1] (Hebraice *buz*), cum arca in Hieruſalem transferretur. Tunc primum nomen hoc adhibetur. Credimus autem, hunc eſſe byſſum e Judæa eductum e piſce, qui *pinna* vocatur, & qui fortaſſe idem eſt, ac ille, quem Hieremias Thren. 4. 7. appellat *Peninim*. Hæc autem byſſi ſpecies non invenitur in libris ſacris ante David tempora, & Salomonis. Videtur Salomon ſubſtituiſſe pretioſam hanc materiam illi, de qua loquitur Moyſes, vocatque *ſcheſch*; neque enim invenio *ſcheſch* in iis ornatibus, in quibus Moyſes poſuerat. Salomon adhibuit *buz*, vel byſſum, majoris magnificentiæ.

Secundum byſſi, de quo loquitur Scriptura, genus eſt *ſcheſch*, quod goſſypium eſſe arbitramur. Hujus ſententiæ addam argumenta. Hebræis ſuppetit vox propria, ut ſignificent linum (בד *bad*); alia, quæ proprie dictum byſſum ſignificat (בוץ *bus*), & tertia ad illud ſignificandum, quod nuncupant *ſcheſch* שש. Nequaquam oſtendi poteſt tria hæc vocabula uſurpata fuiſſe, tamquam unum alterius ſynonymum; dicendum igitur eſt tria diverſa ſignificare. Scriptura ea clare ſatis diſtinguit; veſtes *ſcheſch* nobilibus tantum, ſpectatiſſimiſque viris tribuit, ſed linum commune erat Ægyptiorum [2], Hebræorumque indumentum. Joſeph e carcere eductus, uti coram Pharaone adiret, primum indutus fuit lino *bad* (Geneſ. 41. 14. & 42.) Sed ſimulac renuntiatus fuit univerſæ Ægypti præfectus indutus fuit *ſcheſch*. Vitta capitis Sacerdotis Magni erat e *ſcheſch*, non ſecus ac tunica; Vittæ vero ſimplicium Sacerdotum erant dumtaxat ex lino. Mulier fortis, de qua loquitur Salomon induta fuit *ſcheſch*, & purpura (Prov. 31. 22.) In textu Hebraico ſæpius epithetum משזר *Maſchezar*, vel retortum, tribuitur *ſcheſch*, lino vero nuſpiam. Denique capite 39. 27. ponitur *bad*, vel linum, & *ſcheſch* veluti materia femoralium Sacerdotis, ex quo licet arguere duo hæc diverſa fuiſſe: ſuppoſito tamen, quod locus hic capitis 39. corruptus non ſit, quod magna ſuſpicione non vacat. Diſcrimen omne, quod communiter ponitur linum inter & byſſum, in majori, minorive perfectione tantum conſiſtit. Byſſus erat ſubtilior, pulchrior, ac pretioſior lino vulgato; non ideo tamen novam quamdam ſpeciem conſtituebat, cum e contra videtur Scriptura integram ſtatuere inter *bad*, & *ſcheſch* differentiam.

Minimum autem moror, ut id, quod de *ſcheſch* dicitur, quod filum e ſextuplici lino contortum dicunt, refellam. Hebraici textus conſtructio hunc ſenſum non patitur. Neque enim dici poteſt; *Facies tunicam e ſex*, quin aliquando ſaltem filum, aut linum, & quænam materia ſit, exprimatur. Neque dixeris: *Accipe hyacinthum, purpuram, & ſex*, quid enim intelligi poſſet? Neque potiori jure dixerit quiſpiam: *Facies zonam ex ſex retortis*. Equidem ſcio, plures adeſſe in Hebraico idiomate loquendi rationes ſuſpenſas, & imperfectas; ſed aliquando ſaltem abſolutæ, & perfectæ inveniuntur, præcipue ſi paſſim occurrunt in textu; ſed cum de *ſcheſch* agitur, id numquam accidit; quamquam frequenter adeo in his libris ſermo contingat, ubi omnia perſpicue adeo explicantur, & ubi deſcriptio prolixa adeo inſtituitur.

Fatendum igitur eſt, *ſcheſch* eſſe peculiarem quamdam materiam ad veſtes conficiendas, eamque nec lineum eſſe, nec byſſum. His autem argumentis, ut goſſypium eſſe rear, adducor. Primo, authoritas verſionis Arabicæ, quæ ſemper pro *ſcheſch* vertit goſſypium. Interpres hic præ ceteris melius dignoſcere potuit, quidnam eſſet goſſypium; quia materia hæc ſemper communis fuit in Arabia, atque idem goſſypii nomen ab Arabica lingua defluxit, juxta Maimonidem apud Braunium lib. 1. cap. 6. de veſtitu Sacerdotum Hebræorum. Secundo, nomen *xylinum* mihi videtur plane e *xi* compoſitum, vel *ſches*, & linum. Satis liquet goſſypium frequentius cum lino fuiſſe confuſum; hoc lanæ genus a *xes*, vel *ſches*, *xylinum* fuit appellatum propter telas, quæ fiebant, uti fiunt e lino. Tertio, *goſſypium*, quod æque apud Græcos ſignificat, ac apud Latinos, contexitur ex *egos* אגוש, quod Hebraice nucem ſignificat, & *pe*, vel *pi* os, vel *pioth* פה ora, quia nux, in qua goſſypium reperitur, cum maturitatis tempus acceſſerit; hiat,

[1] 1. Par. 15. 27. ודויד מכרבל במעיל בוץ.
[2] Herod. l. 2.

hiat, atque uſcitat, ac materiam præbet, ex qua goſſypinæ telæ texuntur. Quarto, goſſypium olim longe rarius erat, majorique in pretio, quam hodie habeatur. Ex Indiis tantum deferri dicebatur; verum hodie magna vis goſſypii in Arabia invenitur, ac in Ægypto; & Plinius lib. 19. cap. 1. refert, apud Ægyptios Sacerdotes maximo fuiſſe in pretio veſtes e goſſypio, neque his veſtibus aliquid vel mollius fuiſſe, vel candidius; *Superior pars Ægypti in Arabiam vergens, gignit fruticem, quem aliqui goſſypion vocant, plures xylon, & ideo lina inde facta xylina. Parvus eſt, ſimilemque barbatæ nucis defert fructum, cujus ex interiore bombice lanugo netur. Nec ulla ſunt eis candore, molliſſive præferenda. Veſtes inde Sacerdotibus Ægypti gratiſſimæ.*

Credibilene eſt, Moyſen, cum vellet in ornatum Sacerdotis, quidquid ditiſſimum, atque optimum erat in Ægypto, atque Arabia, adhibere, goſſypii oblitum fuiſſe, quod tunc majori in pretio habebatur, quam linum, & quod alioquin neque exoticum, neque ignotum eſſe poterat? Bellonius obſerv. lib. 11. c. 60. aſſerit, telas, quæ e goſſypio in ea regione texuntur, molliores eſſe, quam ſericas, & candidiores, quam eas, quæ e lino, vel canape fiunt. Herodotus lib. 4. cap. 7. ſatis oſtendit, quanti olim fierent in Ægypto, cum narrat, Amoſim Ægypti Regem ad Regem Lacedæmonum miſiſſe thoracem linteum, plurium animalium figuris diſtinctum, auro ornatum, & *xilino*, vel goſſypio. Pollux quoque lib. 7. c. 17. loquitur de quadam goſſypina tela, cujus ſtamen erat e goſſypio, ſubtegmen e filo. Illis temporibus, uti noſtris quoque, paſſim in telis, vel pannis texendis adhiberi conſueverant duplicata fila in ſtamine, vel in ſubtegmine; ideoque fortaſſe frequenter adeo loquitur Moyſes *de byſſo retorta*. Tunicæ diploides, quæ ex duobus, vel pluribus filis texuntur, antiquitus in more, & pretio admodum erant poſitæ, uti oſtendimus in caput 28. 4. Homerus Iliad. 3. deſcribit, Helenam telam duplicem pertexentem e vivido, lucentique colore.

Pilos caprarum.] Priſci [1], & novi Scriptores ſæpius loquuntur de pilis caprarum, qui in Aſia minori inveniebantur, in Syria, in Cicilia, & in Phrygia. Pili e Cilicia celebriores ſunt; indiderunt illis nomen ciliciis, quæ erant craſſi panni genus, e quo tentoria fiebant, nautarumque veſtes. Virgilius Georg. 3.

Nec minus interea, barbas, incanaque menta
Ciniphii tondent hirci, ſetaſque comantes
Uſum in caſtrorum, & miſeris velamina nautis.

Varro de re ruſt. eadem inquit de capris Phrygiæ: *Capræ tondentur, quod magnis villis ſunt in magna parte Phrygiæ, unde cilicia, & cetera ejus generis fieri ſolent.* Recentiores Viatores etiam loquuntur de capris Aſiæ, quarum tondentur vellera, e quibus capripilium, aliique molliſſimi panni texuntur. Bellonius lib. 2. obſerv. cap. 121. ait harum caprarum candidum eſſe vellus; & Busbequius hoc ferme pacto de illis loquitur, quas vidit, dum Conſtantinopoli Amaſæam pergeret. Ipſarum vellus molliſſimum, lucidumque ad terram uſque deſcendit; illiuſque ea eſt pulchritudo, ut minimum ſerico cedat; non autem tondetur, ſed pectinibus evellitur; caprariis vero ea cura eſt, ut ſæpius capras aqua fluminis abluant. Herba, qua veſcuntur, ſicca eſt, & minuta, quam plurimum conferre arbitrantur, ut pili molliores fiant. Regionis illius mulieres hos nent pilos, atque deferunt Ancyram, ubi texuntur, atque colore inficiuntur. Hodie quoque ex illis magnum commercium fit Ancyræ, & Herapoli. Turnefortius in muſæo ſuo quaſdam ex his pellibus cum vellere ſervat.

℣. 5. Pelles arietum rubricatas.] Creditur, quod pelles hæ cum vellere linquerentur, atque rubro colore imbuerentur. Hebraice [2] ad litteram: *Pelles arietum ignei coloris*. Viatores teſtantur in Oriente multas paſſim videri oves vellere rubro, ac ad violaceum propius accedente. Nonnulli contendunt vellus aureum, ac aurea mala horti Heſperidum inſignia adeo in poetarum fabulis nihil fuiſſe aliud, præterquam oves vellere flavo, ac ſubrubenti (μῆλα Græce ſignificat & mala, & oves). Homerus Odyſſ. 1. deſcribit agnos Polipehmi, quorum vellus erat violaceum.

Plinius lib. 8. cap. 48. loquitur de quibuſdam Arietibus Aſiæ, quorum vellera rubea erant: *Aſia rutuli (velleris), quas Erythræas vocant*. Ariſtoteles hiſt. animal. lib. 3. cap. 12. refert fluvium Scamandrium creditum fuiſſe, virtutem habere crocea reddendi ovium vellera. Vitruvius lib. 8. cap. 3. virtutem hanc Xantho flumini tribuit: *Quoniam in campis Trojanis proxime flumen armenta rufa, & pecora leucophæa naſcuntur, ideo id flumen Ilienſes Xanthum appellaſſe dicuntur.* Credi poteſt, Moyſen hic loqui de rutilorum hœdorum velleribus, vel aurei coloris. Vide etiam, quæ collegimus in caput 35. 25. hujus libri.

Pelles janthinas.] Septuaginta Δέρματα ὑακίνθινα: *pelles coloris hyacinthini*, aut cærulei exuberantis, vel etiam violacei. Hebraice [3] ad litteram: *pelles techaſchim*. Qui poſtremam hanc vocem de colore quodam explicant, arbitrantur, cæruleum colorem, vel violaceum ſignificari. Bochartus ſententiam hanc probaturus plurima adfert argumenta; contendit autem colorem *techaſchim* eumdem eſſe, ac illum, quem latini *hyſginum* vocant, ſcilicet cæruleum nigricantem. Plinius lib. 9. cap. 41. *Coccoque tinctum tyrio tingere, ut fiat hyſginum*. Coccineum imbuitur purpura, ut color *hyſginus* exiſtat. Qui vero aſſerunt *tachas* eſſe animal, inter ſe non conveniunt. Plerique [4] pugnant pro taxo, pro quadam ſimilitudine inter latinum nomen *taxus*, & hebraicum *tachs*. Rabbini quidam explicant de pellibus unicornis: alii de pellibus taurorum [5]; & alii de pellibus verſicoloribus, vel denique de pellibus animalis cujuſpiam, quod hodierna die minime agnoſcitur, ſed Moyſis temporibus aderat. Ezechiel 16. 10. loquitur de calceis *tachas*; *Calceavi te janthino*: verum non liquet, utrum de particularis cujuſdam animantis pelle ſit ſermo, an de cujuſdam coloris pelle.

Ligna Setim.] Septuaginta hoc in loco Hebraicum עצי שטים *Setim* tranſtulere *ligna incorruptibilia* [6]; ſed alibi vertunt buxum (vide Iſaiam 41. 19.), vel lentiſcum (Mich. 6. 5.): Symmachus vero Exod. 35. *lignum ſpinæ*: ita ut nihil aſſeri poſſit, cum inconſtans adeo ſit modus vertendi. Syriaca verſio intelligit *lignum Ebenum*; Arabica *lignum ſanctum*. Talmudiſtæ, & Philo lib. 3. de vita Moyſis, *cedrum*; alii pinum ſylveſtrem. Edmundus Caſtellus opinatur ſpinæ genus eſſe, quæ in Arabia reperitur, cujus lignum pulcherrimum eſt, ac maximæ ſoliditatis; ſed hoc arbuſtum nimis parvum eſt, & nimis diſtortum, quam ut ex ipſo ſecari poſſint tabulæ latitudinis ſeſquicubitalis, quemadmodum e ſetim lignis ſectæ videntur capite ſequenti. Herodotus ſpinæ quamdam ſpeciem deſcripſit lib. 2. cap. 96. quæ *ſpinæ* vocatur, ex qua in Ægypto ſtruuntur mercatoriæ naves cum earum malis. Diodorus Siculus lib. 5. cap. 10. loquitur de arbore eadem, ac de alia, quæ *cibba* vocatur, quod nomen

1 Vide Ariſtot. hiſt. animal. l. 8. c. 18. & 22. & Plin. l. 8. c. 50.
2 עורות אילים מאדמים. Aq. Sym. Theod. Δέρματα κριῶν ἠρυθροδανωμένα.. Pelles arietum ignei coloris.
3 עורת תחשים. 70. Δέρματα ὑακίνθινα. Aq. Sym. Th. Δέρματα ἰάνθινα.
4 Vatablus, Montanus, Meeſterus, Fagius &c.
5 Rab. Abenezra.
6 Ξύλα ἄσηπτα. Ita 70. & Theodot. Sed Sym. ad Exod. 35. 7. Ξύλα ἀκάνθινα. Lignum ſpinæ.

nomen maxime ad *Setim* accedit. Sed probabilius eſt, lignum *ſetim* aliud non fuiſſe, quam *acaciam*, quæ arbor ſola in Arabiæ deſertis invenitur, ut notat Bellonius obſerv. lib. 2. cap. 56. & 80. Nomen Setim deduci poteſt ex Arabico *ſet*, quod eſt longum; vel *ſita*, quod lineam ſignificat, vel *ſchoſet* baculum, quemadmodum obſervat Hottingerus. Ægyptii hodie quoque acaciam appellant *ſont*, & Arabes vocant *ſant*. Fortaſſe Septuaginta *ſetim* tranſtulerant *ſita*, ex quo Librarii fecere *aſepta* incorruptibilia, quid prior innueret vox, ignorantes. Vide Stephanum Morinum Præfat. in Edit. Bochart. Lugdun. Batav. an. 1692.

Deſcriptiones, quas Veteres, recentioreſque tradunt de *Acacia* adamuſſim cum iis conveniunt, quæ nit Scriptura de lignis Setim. Acacia communis erat in Ægypto, æque ac in Arabia, ubi Moyſes erat, cum Tabernaculum ædificaret; & probabile non eſt, eum uti voluiſſe alio ligno, quam eo, quod in ea regione, ubi degebat, inveniebatur, cum etiam lignum hoc ſpecioſum eſſet adeo, & firmum? *Acacia* nigra ea eſt duritie, ac ſoliditate, ut prope incorruptibilis ſit; color ipſius loto perſimilis eſt, cum eſt ſecta; atque inde fiunt tabulæ duodecim cubitorum longitudine; rami illius non altius conſurgunt: folia rotunda ſunt, ac magna veluti pyri frondes, quorum color ſuperius nigreſcit, inferius vero virens albeſcit; ſemen vero, cum ſubnigrum eſt, ex eo fluit niger ſuccus, cum autem viride, viridis, & rubeſcens. Sanctus Hieronymus procul dubio ob oculos habebat *Acaciam*, cum ligna ſetim hoc pacto deſcribit in Joel 3. 18. item in Mich. 6. 5. *Ligna ſetim, quæ habent ſimilitudinem arboris, quam nos vulgo ſpinam albam dicimus.* Hæc eſt arboris ſpecies, quæ in deſerto creſcit; ſpinæ ſimilitudinem refert quoad colorem, & folia; non ita vero quoad magnitudinem, quia lignum ſatis longum eſt, & innode, & ex eo ſatis latæ tabulæ ſecantur. Durum valde eſt, ac ſpeciei ſingularis, ita ut divites, & curioſi ex eo in torcularibus ſuis vires, & cochleas efficiant. Arbor hæc in excultis agris non oritur, neque in deſertis Arabiæ.

Thevenotius in itinere orient. part. 2. cap. 26. p. 318. loquens de *Acacia* Arabiæ ait, neque craſſiorem eſſe, nec magis proceram, quam ſalices: ſed ſpinas habere, & folia valde mollia. Hinc gummi ſpecies elicitur, quæ Arabice akakia vocatur. Ætius lib. 4. cap. 21. ait, *Acaciam* eſſe ſolam Arabiæ Petrææ arborem, quæ ferat gummi; ſed vix credam. Unde igitur myrrha, thus, & tot alia aromata, quæ oriuntur in Arabia? Oportet, lignum ſetim aliud eſſe, quam acaciam, de qua loquitur Thevenotius.

℣. 7. Lapides Onychinos.] Hebraice *Lapides Soham* אבני שהם. Reor, vocem hanc ſmaragdum ſignificare. Vide dicta ad Geneſ. 2. 12. Septuaginta in quibuſdam Exemplaribus lapidis hujus nomen prætériere; in aliis vero ponunt *Sardium*.

Et gemmas.] Hebraice אבני מלאים *Lapides ad replendum*, vel *ad inſerendum*. Chaldaice: Lapides ad replendas cælaturas Ephod, & Rationalis. Septuaginta: *Λίθοι εἰς τὴν γλυφὴν*. Lapides, quibus aliquid inſculpatur. Mallem ſimpliciter intelligere de pretioſis lapidibus aptis ad inſerendum in auro, & argento.

Ad ornandum Ephod.] Nomen Ephod אפוד fluit ab origine hebraica, quæ ſignificat ligare, adnectere, cingere. Septuaginta vertunt aliquando primitivum aphad אפד, ligare, adnectere cum fibula, catena, vel unco. Uſus, cui inſervire debebat Ephod rite huic ſignificationi reſpondet, quia claudendo, & cingendo hyacinthinæ magni Sacerdotis tunicæ inſerviebat. Author Vulgatæ ſervavit nomen Ephod paſſim in verſione ſua; ſed alibi tranſtulit pro *ſuperhumerali*, quod reſpondet Græco *epomis*, & ſignificat veſtem, quæ ſuper humeros ponitur. Septuaginta ſæpius uſi ſunt hac voce *Epomis ἐπωμὶς*, pro Ephod; quæ in hoc loco, & alicubi etiam invenitur, in aliis vero locis immutarunt; aliquando enim verte-

A runt pro veſte in terram uſque defluente (Ποδήρη, Exod. 28. 31.), aliquando pro veſte pontificali (Ἱερατεῖα, Oſee 3. 4.) pro *ſtola* aliquando (Στολή, 2. Reg. 6. 14. & 1. Par. 15. 27.) quæ veſtis erat oblonga. Aquila a Sancto Hieronymo ad Fabiolam, & ad Marcellam allatus; (ἐπένδυμα) veſtis, quæ a parte ſuperiori induitur, ab inferiori ſubligatur.

Ephod erat veſtis Sacerdotibus omnibus communis. Samuel puer adhuc Ephod deferebat (1. Regum 2. 18.) Octoginta quinque Sacerdotes, qui interfecti fuerunt a Doeg, Ephod linteo erant induti (1. Regum 22. 18.) David quoque cum hoc apparuit ornatu, dum ſolemniter deferretur Arca de domo Obededon in Tabernaculum Sion (2. Reg. 6. 14.) *Porro David erat accinctus Ephod lineo.*

B Ephod ita ſacer ornatus erat, ut ſolis Sacerdotibus traditum intueamur; & ſi tribuitur aliquando Laicis, vel Levitis, tribuitur dumtaxat viris ſpectatiſſimis, ac in religioſis ceremoniis. *Illud breviter attende*, ait Sanctus Hieronymus ad Marcellam; *quod numquam niſi in Sacerdotio nominetur ephod.* Adeo idea hæc invaluerat, ut minime exiſtimaretur ſuperſtitioſum Idolorum cultum ſine Ephod poſſe ſubſiſtere. Fieri quoque poteſt, quod inanium Deorum Sacerdotes ornatum hunc inanibus Idolis ſuis detulerint; ea quippe ipſorum erat conſuetudo, Deos ſuos ita exornare, quemadmodum ipſi indui aſſueverant. Iſaias 30. 20. falſas divinitates velut Ephod præcinctas deſcribit. *Et contaminabis laminas ſculptilium argenti tui, & veſtimentum (Ephod) conflatilis*

C *auri tui.* Gedeon (Judic. 8. 27.) fecit Ephod, innoxie fortaſſe, atque ſolum ut verum Deum honoraret, quamvis extra Tabernaculum; atque Ephod illud fuit deinceps criminum occaſio Iſrael univerſo. Micha (Judic. 17. 5.), cum Idolum conflaſſet, ac domi ſuæ ſtatuiſſet, illi fecit Ephod. Deus Iſraelitis prædicit per Oſeam prophetam 3. 4. futurum ut eo infelicitatis deducantur, ut non ſint illis amplius nec Reges, neque Principes, neque ſacrificia, nec altare, neque Ephod, nec teraphim, videlicet nullum ipſis fore veræ, vel inanis Religionis cultum.

Quoad Ephod Sacerdotum, multoque minus Levitarum nihil ſpeciatim præcipit Moyſes; neque illos ex Moyſis libris conſtat ornatum hunc detuliſſe: illud Magni Sacerdotis dumtaxat deſcribit, & uſum mo-

D do, ac materiam deſignat; ita ut ex iis, quæ ille ait, veram Ephod formam difficillimum ſit conſtituere; unde ea oritur ſententiarum turba, quæ hac de re authores in diverſa diducunt. Ioſephus Antiq. l. 3. c. 8. aſſerit, Ephod Græcorum pallio fuiſſe perſimile. Cubiti unius altitudine præſtabat, variis coloribus ornatum, ac aureis filis. Pars, quæ pectori reſpondebat, nequaquam cooperiebatur, ſed rationali demittendo erat deſtinata. Ephod erat cum manicis, ac tunicæ ſpeciem propius referebat. Philo illud thoraci comparat l. 3. de vita Moyſis. S. Hieronymus ad Fabiolam ait, hoc fuiſſe palliolum veſti ſimillimum, quæ *caracalla* appellatur, ſed ſine cucullis. At caracallæ veteres breviores erant, & paludamento perſimiles, quod in ceremoniis Heroes

E deferunt: erant autem ad latera apertæ, manicaſque habebant.

Braunius aſſerit, Ephod ſine manicis fuiſſe, atque ad imam ventris partem, vel inferius deſcendiſſe; quam probaturus ſententiam adfert Rabbinorum Abarbanel, & Kimchi authoritatem. Clericus in hunc locum contendit Ephod Afrorum pallio fuiſſe perſimile, quod Tertullianus in libro de pallio deſcribit. *Pallii extrinſecus habitus, & ipſe quadrangulus, ab utroque laterum regeſtus, & cervicibus circumſcriptus, in fibulæ morſu humeris acquieſcebat, inſtar ejus hodie Æſculapio jam veſtire Sacerdotium eſt.* Duæ pallii extremitates ſuper humeros rejiciebantur, duoque brachia libera extabant, & in anteriori parte tunica deregebatur. Humeris vero unco, vel fibula adnectebatur, & collum ambiebat.

Verum ſi recta judicii lance Textum Moyſis perpendamus, patet, Ephod omnino aliud eſſe debuiſſe

ab iis, quæ dicuntur. In hanc autem formam ornatum hoc elaboratum exiſtimo. Duæ vittæ erant, vel zonæ operis pretioſi, quæ ex quodam veluti torque ante, ac retro in qualibet humerorum parte pendebat, quæ cum ſubtus pectus decuſſarentur, hyacinthinam tunicam præcingebant. Ut hanc probemus ſententiam, huc afferemus de littera ad litteram, quidquid de Ephod Moyſes reliquit. Ait autem c. 27. verſ. 6. illud perfectum fuiſſe *de auro, & hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & byſſo retorta*; quibus diſtinguitur ab Ephod, lineo dumtaxat, quod ſimplices Sacerdotes deferebant. Ephod autem Magni Pontificis; *Duas aperturas junctas habebat ſuper humeros* [1], *quæ ad extremitates conjungebantur* (verſ. 8.) *Amentum* [2] *Ephod, quod cum illo conjunctum eſt, & veſti cingendæ inſervit, ex eadem* B *erat textura, eademque materia, ac Ephod ipſum, neque illi alibi adhærebat.* (verſ. 9.) *Super humeros Ephod duo erant pretioſi lapides, quibus nomina filiorum Iſrael erant inſculpta.* Aaron igitur indui debebat *tunica interiori* (Exod. 29. 5.), *& veſte*, ſeu *pallio Ephod* [3]; ſcilicet Ephod, quod zonæ vicem gerere debebat. Supra tunicam erat Ephod, & pectorale. Cum Moyſes Aaronem ejus ornamentis induit (Levit. 8. 7.) *poſuit illi Ephod, illudque amentis alligavit, quæ erant ex eadem textura, ac Ephod.* Hæc in Moyſe legimus quoad Ephod. Septuaginta, & Chaldæi hoc ad litteram transferunt. Videmus ex verſiculis 27. & 28. hujus capitis, vel ad humeros Ephod amenta, vel zonas adnexas, quæ tum retro, tum ante pendebant, atque Summo Sacerdo- C ti præcingendo inſerviebant. Quod textus vocat *humeros Ephod* nihil eſt aliud, quam ea pars Ephod, quæ ſuper humeros jungitur, ubi amenta adnectuntur.

Ephod igitur magis erat ſimplex, quam quod veteres, recentioreſque putant Interpretes, qui Joſepho, atque Philoni adhærent. Neque corpus, nec manicæ, neque hiatus ad brachia exerenda aderant; hæc erat ſtolæ ſpecies, quæ de collo pendebat, ac Summi Sacerdotis veſtes ſuperius cingebat. Fatemur quidem magni momenti in rebus his eſſe Joſephi teſtimonium; non inficiamur, illum ſæpius vidiſſe Sacerdotem Summum Pontificiis veſtibus præcinctum, atque ipſam formam Ephod ignorare nequaquam potuiſſe; ſed arbitramur temporibus Joſephi ornatum D hunc alium fuiſſe ab eo, quo temporibus Moyſis uti conſueverant. Hoc autem minime mirum eſſe decet. Author hic plures tradit Sacerdotalium veſtium deſcriptiones, quæ palam aliæ omnino ſunt ab illis, quæ in Scriptura leguntur: exempli gratia, quod ipſe de Summi Pontificis thiara ſcribit, de cingulo veſtis hyacinthinæ, de natura lapillorum Rationalis, aliiſque id genus plurimis, ſemper eos, qui attente perlegerint Moyſem, impullet, ut credant, Sacerdotes Joſephi temporibus admodum receſſiſſe ab iis ritibus, quos eorum Legumlator præſcripſerat. Liquet Judæos ipſos in hoc aſſentiri, quod ſecundi templi tempore Summi Sacerdotes minime ungebantur, neque exiſtebant amplius Urim, & Thummim [4]. Num igitur putem, in rebus reliquis religioſiores E fuiſſe, atque nefas duxiſſe quarumdam Summi Pontificia veſtium formam invertere?

Ægyptii Numinibus ſuis quamdam ornatus ſpeciem tribuebant, quæ maxime illi erat conformis, quod modo de Ephod ſumus locuti. In Iſidis Tabula a Pignorio explicata plures figuræ videntur, quæ ſuper humeros, atque in duobus humerorum lateribus ante, ac retro lata habent amenta, quæ ibi adnectuntur, unde zona ſuſpenditur, & veſtis ſpecies demittitur, quæ illas a renibus ad pedes obtegit. Credibile eſt, Ægyptios Sacerdotes, qui non ſecus ac dii ſui induebantur, uti adnotat Theodoretus ſerm. 3. de Græc. affect. curatione, his vittis uſos fuiſſe, quæ illis pro zona inſervirent.

Ephod veluti in balthei morem præcingebatur. Si hæc fuiſſet thoracis ſpecies, paludamenti, vel *caracalla*, quinam Scriptura diceret Summum Sacerdotem ſe præcingere Ephod? *Si veſtis, quomodo ea præcingitur?* ſanctus Hieronymus inquit ad Marcellam. Vide etiam, ſi lubet, Origenem homil. 6. in Levit. Quodnam ſpecimen præbuiſſet Ephod lineum, quale deſcribunt Interpretes, ſuper lineis veſtimentis ſimplicium Sacerdotum?

Cum erudito viro (Abbate Fleury) crederem, quoddam cinguli genus, quod olim diutius in Ægyptiorum conſuetudine poſitum fuit, & quod apud authores appellatum invenimus, *redimiculum, anabole, bracile, rebrachiatorium, ſuccinctorium*, Ephod fuiſſe quam ſimillimum. Ita porro Sanctus Iſidorus lib. 19. Origin. cap. penult. (Vide Martinii Lexicon in Redimiculum) deſcribit *redimiculum*. Cinguli genus eſt, quod a collo ante pectus deſcendens claudit veſtes, atque ab uno latere ad alterum cingit; ita ut latiorem veſtis ſinum ſtringat, & formæ corporis aptet. Et Caſſianus lib. 1. Inſtit. cap. 6. loquens de *ſuccinctorio*, vel *rebrachiatorio* Monachorum Ægypti, ait, eſſe amentum laneum, quod a cervice per latera deſcendit, atque ſubter brachia in cinguli morem veſtium ſinus complectitur. Reor autem, candidam, laneamque veſtem, de qua loquitur Herodotus l. 2. cap. 36. & 81. & quam Ægyptii rejiciebant ſuper tunicam ſuam, eſſe id, quod deſcripſimus hactenus.

Pontifices novæ Legis Summi Sacerdotis Ephod imitari voluerunt, *pallium* accipientes, quod olim admodum diverſum erat ab eo, quo hodie utuntur. Erat hoc lanea vitta trium digitorum latitudine purpureis quibuſdam crucibus inſignita, quæ ab utraque ſcapula ad terram uſque defluebat. Super ſiniſtrum humerum rejiciebatur ea vittæ pars, quæ a dextero deſcendebat. Ita Græci adhuc deferunt *pallium*. *Superhumerale*, quod in veteribus quibuſdam figuris conſpicimus, & quod Tollenſes epiſcopi in Lotharingia ad hanc quoque diem gerunt, maximam habet cum *Aaronis ephod* ſimilitudinem.

RATIONALE.] Author Vulgatæ hac voce exprimere voluit vim Græci vocabuli *logion*, quod ſignificare poteſt rationem, vel verbum; perinde ac innuere vellet, ornatum hunc illuminaſſe mentem, ac ratiocinandi vim Summi Sacerdotis, atque illi futuras res pateféciſſe, & oracula, quæ illi erant enunciánda. Hebraicæ vocis חשן *choſchen* & radix vera, & præciſa ſignificatio ignoratur. Eam Septuaginta hic vertunt tunicam, quæ ad pedes uſque defluit [5]; & alibi [6], *ornamentum, quod pectus cooperit*; & alibi [7], *logion* Rationale. Rationali plerumque epithetum additur *Rationale judicii*, deſcriptionem ipſius videbimus cap. 28. verſ. 15.

℣. 8. FACIENTQUE MIHI SANCTUARIUM.] Hoc nomine Deus appellat tentorium, ubi proditurus erat ſuæ præſentiæ ſigna, & majeſtatis. Sanctuarii nomen illi parti Tabernaculi tribuitur, quæ ſanctior erat, atque ſecreta magis, & quo Sacerdos ſemel tantum in anno ingrediebatur.

Tabernaculum hoc erat veluti Templum geſtatorium Domini Dei Iſrael. Nullum aliud per plura ſæcu-

1 שתי כתפות.
2 חשב אפדתו, Vide Exodum 29. 5. & Levitic. 8. ubi voces hæ ſignificant, quod in verſione exprimitur.
3 מעיל האפד.
4 Vide Kimchi, & Rab. Ben-gerſon ad 1. Reg. 24. 18.
5 Ποδήρη. Aq. Sym. Λόγιον. *Rationale*.
6 Exod. 28. 4. Περιστήθιον.
7 Λογεῖον. Ibid. v. 15.

Sæcula Templum extitit; & in ſacra, & profana antiquitate nihil videmus antiquius Templis his, quæ hac illac deferebantur. Propheta Amos 5. 26. loquitur de tabernaculo Moloch, quod Iſraelitæ in deſertum attulerant. Templum Dei Agrotis, de quo loquitur Sanchoniaton apud Euſebium, nihil erat aliud quam tabernaculum, & ædicula, quæ curru vehebatur pluribus boum jugis. Ægyptii iidem, qui gloriantur Deorum Templa inveniſſe, diutius geſtatoriis templis uſi ſunt, in quibus numina ſua collocabant. Illis autem hæc erat conſuetudo, ut peregre proficiſcentibus ſecum aliquos ea Diis ſuis traducerent. Phœnices in ſuis itineribus maritimis in prora, vel puppi navium Deorum ſuorum imagines conſtituebant. Moyſes non loquitur de templis, ſed tantum de monumentis, Altaribus, lapidibus erectis, tabernaculo, lignisque ſacris. An tunc temporis Templa vulgo extruerentur, id affirmare non auſim.

℣. 9. Juxta omnem similitudinem Tabernaculi.] Hebraicus textus, & Septuaginta præſenti tempore id explicant, quod Vulgata in futuro conſtituit. Deus tunc actu Moyſis menti, & imaginationi repræſentavit Tabernaculum univerſum, quale ſibi fieri deſiderabat: *Facies juxta omnem ſimilitudinem tabernaculi, quod oſtendam tibi*; quemadmodum tuis oculis, tuæque apparet imaginationi.

℣. 10. Arcam de lignis Setim compingite.] Neſcio, an Syri, Ægyptii, & Græci ex Hebræis perceperint, morem reponendi in Arca, vel capſa, quidquid in ipſorum myſteriis eſſet magis occultum. In pompa, vel ſupplicatione, quæ in Iſidis honorem fiebat, Sacerdos geſtabat capſulam iis refertam, quæ in eo ſuperſtitioſo cultu magis eſſet ſecretum. Apuleius Metamorph. l. 2. *Ferebatur ab alio ciſta ſecretorum capax penitus celans operta magnifica Religionis.* Plutarchus lib. de Iſide, & Oſiride loquitur quoque de capſa, quæ alteram auream aqua potabili repletam complectebantur.

Sed Arca, quam Deus hic jubet conſtrui, non eo conſilio ædificatur, ut turpia ridiculorum myſteriorum arcana ſeponerentur, quæ tanta cura ab Ethnicis celabantur; verum ut veluti depoſitum, ſerventur conditiones, & monumenta fœderis Dei cum Iſrael; ſcilicet Tabulæ Legis, quæ fœderis articulos continebant; ex quo fit, ut vocetur *Arca fœderis*, ſeu *Teſtamenti*; & v. 16. dicatur, quod in ea ponetur teſtificatio, ſcilicet actus authentici fœderis. Credunt nonnulli in Arca aſſervatam quoque fuiſſe Virgam Aaron, quæ floruit [1], & gomor manna [2] refertum, ut poſteris eſſet monumentum eſcæ illius, quam populo dimiſerat Deus in deſerto; ſed credibilius eſt hæc prope arcam, non autem in ipſa arca ſervata fuiſſe.

℣. 11. Deaurabis eam auro mundissimo &c.] Cooperies eam laminis ex auro mundiſſimo. Ita Moyſes eſt intelligendus ubicumque deaurandi mentionem facit: temporis nondum mos obtinuerat deaurandi, uti aſſolet hodie, cum tenuiſſimis auri foliis, vel auro liquenti.

Coronam auream per circuitum.] Coronam, ſeu fimbriam Arcæ, quæ ſuperiorem partem circumambiebat, Septuaginta [3] appellavere *fuſtas*, vel *undas aureas in torquis formam circumquaque*: *Cymatia aurea tortilia*, vel *verſatilia in circuitu*.

℣. 14. Ut portetur in eis (℣. 15.) Qui semper erunt in circulis.] Creditur vulgo, vectes, de quibus hic loquitur Moyſes, inſerviſſe Arcæ deferendæ in Caſtra. Verſiculus ſextus capitis 4. Numerorum opinioni huic videtur favere: *Et operient (arcam:) rurſum velamine janthinarum pellium, extendentque deſuper pallium totum hyacinthinum, & inducent vectes.*

A Sed quomodo locus hic conciliari poterit cum eo, quod iſtic aſſeritur; Vectes *erunt ſemper in circulis*? Nonnulli reſpondent, numquam niſi momento temporis, donec Arca involveretur, vectes removeri conſueviſſe, qui rurſus illico inſerebantur; quod difficile eſt, quod concipias; nam nonne commodius fuiſſet vectes relinquere, quam eos rurſus inſerere, cum duobus, vel tribus velaminibus Arca fuiſſet obducta? Alii potiori jure arbitrantur vectes, de quibus eſt ſermo in Numerorum libro, diverſos ab illis fuiſſe, qui numquam ab Arca dimovebantur. Primi quidem erant veluti ferculi genus, ſuper quos Arca involuta incumbebat, ut deferretur; vectes vero, de quibus hic loquitur Moyſes, tunc ſolum adhibebantur, cum denudata Arca geſtabatur; videli-
B cet cum illam Sacerdotes in extraordinaria quadam ſolemnitate populo oſtendebant: ſed cum per deſertum agmen procederet, vectes hi obducti erant, atque involuti, uti cætera; & arcam duo viri humeris ſuper ferculum deferebant eo pacto, quod explicabimus Num. 4. 6.

℣. 16. Pones in Arca testificationem.] Nemo ignorat Legem in Scripturis *teſtimonium* vocari, & Arcam, *Arcam teſtimonii*. Tabulæ quoque *Teſtimonii Tabulæ* nuncupantur. Liber, qui ponebatur in manu Regis, cum regni poſſeſſionem aſſumeret, liber teſtimonii vocatur 4. Reg. 11. 12. *Produxitque filium Regis, & poſuit ſuper eum diadema, & teſtimonium.* Hebraica vox הערות *hedut* verti quoque poſſet monumentum. Legis Tabulæ erant monumentum
C fœderis inter Deum, & Iſrael. Chaldaica verſio: Pones in Arca *teſtamentum*; Caſtalio, *Oraculum*, vel divinæ voluntatis declarationem. Vox teſtimonium innuit, ut mihi videtur, proprie actum authenticum ad fidem faciendam idoneum; æque ac *præceptum*, & *ſtatuta*, quæ in Jeremia 32. 11. uſurpantur ad emptionis contractum ſignificandum.

℣. 17. Facies et propitiatorium.] Hebraica vox *Capphoreth* כפרת, quæ a Vulgata, & Septuaginta [4] vertitur *propitiatorium*, fluit a verbo, quod ſignificat obtegere; cooperire; & per metaphoram, delere, remittere peccata. Recentiorum plerique [5] vertunt ſimpliciter *operculum*, quod Arcam fœderis claudebat; omneſque conveniunt, nequaquam aliter hic *propitiatorii* vocabulum eſſe intelligendum. Nonnulli
D aſſerunt illud ſuſpenſum in aera detentum fuiſſe ſuper alas Cherubin, quin tangeret Arcam; ita ut quodammodo tribunal a duobus Cherubin ſuſtentatum repræſentaret: ſed alii [6] potiori jure tuentur, Arcæ operculum eam exacte, & immediate clauſiſſe. Re quidem vera quid profuiſſet hoc operculum in aere ſuſpenſum, cum Arca aperta, & detecta relicta fuiſſet? Scriptura ſæpius nobis ob oculos ponit Deum alis Cherubin inſidentem; arcæ operculum illi erat ſuppedanei ſcabelli loco. Cum Septuaginta huic operculo *propitiatorii* nomen tribuerunt, innuere voluiſſe videntur, Deum ſuper Cherubin ſedentem, veluti in Throno ſuo, audire preces, exaudire vota populi ſui; & cum Scriptura operculum hoc *Oraculum* vocat (vide ℣. 18. & c. 40. 18. & paſſim) ad ea alludit oracula, quæ ex eo
E loco Deus Summo Pontifici ſuggerebat: cum aliunde conſtet vocem *Oraculum* non reſpondere ad litteram Hebraico *Capphoreth*.

℣. 18. Duos quoque Cherubim aureos.] Prolixius in Geneſi 3. 23. nomen *Cherubim* explicavimus. Poſt eruditiſſimos Scriptores diximus eos fuiſſe figuras compoſitas, quæ ex homine, aquila, leone, & bove aliquid participabant; ita tamen ut figura bovis præ cæteris conſpiceretur. Moyſes nihil aliud ait, quoad duorum Cherubim formam, qui

1 Num. 17. 10. Defer virgam Aaron in tabernaculum teſtimonii, ut ſervetur ibi. Vide & Heb. 9. 3. 4. Arcam teſtamenti, in qua urna aurea, & virga Aaron. 2 Sup. 16. 33. Sume vas unum, & mitte ibi man, & repone coram Domino. 3 Κυμάτια χρυσᾶ στρεπτὰ κυκλῷ.

4 Ἱλαστήριον.

5 Arab. Oleaſter, Montanus.

6 Bonf. Oleaſt. Cornel. Eſt. Vatab. Menoch. & Cajet.

cooperiebant Arcam, niſi quod alas extenſas habebant alter ad alterum, & faciem faciei ex adverſo oppoſitam, atque ſuper Arcæ operculum eos fuiſſe collocatos. Vaga hæc, & incerta deſcriptio locum Interpretibus præbuit, ut quiſque pro ingenio aliter, atque aliter eos repræſentarent. Alii quidem eos exhibent veluti pueros alatos, quorum alæ ante faciem extenſæ, ſecus ac volucres ſuas habent alas, ſuper arcam ad quamdam altitudinem conjunguntur, & throni ſpeciem efficiunt. Alii deſumpta ex Cherubim Ezechielis, & D. Joannis in Apocalypſi graphice eos deſcribunt veluti animalia, quibus quatuor ſint facies, ſcilicet hominis, Leonis, aquilæ, & bovis, cum pedibus vituli, ac alis magnis. Alii denique veluti ſimplicia capita repræſentant, ſex alis circumdata, quas ita extendunt, ut ſupra propitiatorium conjungantur. Patet autem Cherubim, de quibus loquitur Moyſes, omnes has figuras præſeferre minime potuiſſe. Verum quis univerſas has deſcriptiones reſpuere, vel ex tribus unam, cæteris rejectis, auſit eligere?

Impoſſibile profecto videtur, quænam Cherubim eſſet forma ſtatuere; atque ideo inutile eſſe id curioſius ſcrutari. Nec Joſephus, nec Philo eos deſcribunt, neque Judæis hac de re ulla ſuperfuit traditio. Philo l. 3. de vita Moyſis ait, Cherubim ſignificare magnam cognitionem, & ſcientiam; & animalia alata, quæ Cherubim vocabantur, fuiſſe ſymbola duplicis potentiæ Dei, prioris quidem, quam habet veluti Creator, alterius vero, quæ illum veluti Regem decet. Cherubim figuræ ſymbolicæ erant, & compoſitæ; neque omnes uniformiter efficiebantur. Cum Deus Prophetis ſuis in ſpiritu oſtendit ænigmaticas figuras, & ſignificantes, non ſemper uniformi ſpecie eaſdem illis exhibuit; & cum Moyſes, & Salomon nobis depingunt Cherubim, nequaquam credendum eſt, utrumque graphidem eamdem ſibi propoſuiſſe. Nihil hac de re ſtatum erat, & firmum. Artificis erat formam excogitare, vel illius, qui operibus præerat. Moyſes vocat opus Cherubim [1], ſymbolicas repræſentationes, & hieroglyphicas, quæ elaboratæ fuerant ſuper Tabernaculi cortinas. Num dixerit quiſpiam plures Cherubim eadem forma fuiſſe pictos? Diverſa erant lineamenta, diverſæ figuræ, quæ Muſea opera poſſent vocari, niſi in formarum illarum varietate id conſilium fuiſſet, ut morale aliquid, atque ad hominum inſtructionem repræſentaretur. Cherubim, qui ſuper Arcam poſiti fuere, non fuit ſenus ille alarum numerus, qui in Cherubim Ezechielis conſpicitur, Ezech. 1. 5. & ſeq. &c. c. 10. 20. 21. &c. Hi vero differunt etiam ab iis Cherubim, quos S. Joannes in Apocalypſi deſcripſit; æque illi, quos poſuit in Templo Salomon (3. Reg. 6. 23. 24. & ſeq.) neutros imitantur.

In Scriptura paſſim nomine Cherubim beati ſpiritus intelliguntur. Figuræ omnes, quæ illis tribuuntur, imperfecte dumtaxat partem qualitatum, & munerum ipſorum poſſunt referre. Non igitur mirum ſi libri Sancti modo hac, modo illa ſpecie illos deſcribant, ut per diverſa hæc ſymbola, nos valeant ad cognitionem perfectionis eorum, naturæque deducere. Nomen Cherubim non Angelis tantum coarctatum eſt; in Apocalypſi videtur animas ſanctorum etiam ſignificare: c. 5. 8. 9. 10. *Quatuor animalia ... ceciderunt coram agno, & cantabant .... Quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo &c.* Quatuor animalia, quæ vulgo pro Cherubim intelliguntur, proſtant ante thronum Domini, cum viginti quatuor Senioribus, & fatentur ſe de medio populorum, & nationum Agni ſanguine fuiſſe redemptos.

S. Hieronymus ad Marcell. animadvertit, in veteri Teſtamento, cum nomen Cherubim animalia

A ſacra ſignificat, ſcribi cum littera *vau*: cum autem opus phrygium ſignificat, aut periſtomata, litteram hanc non adhiberi. Hebraica exemplaria, quæ extant hodie, non ſunt adeo exacta, ac illud S. Hieronymi, neque hæc apparet differentia. Prophetæ, qui depingunt Cherubim, eos plerumque vocant animalia; & ſub finem viſionis dumtaxat Ezechiel 10. 20. agnovit, animalia, quæ viderat, eſſe Cherubim. Nomen idem tribui poſſet animalibus myſticis, quæ Daniel vidit 7. 3. & 10. 5. accipiendo nomen Cherubim in latiori ſenſu, ut quæcumque figurarum compoſitarum genera, & quæ nec ſenſibilia ſunt, neque exiſtunt in natura, ſignificet. Eadem dici queunt de Seraphim, quos vidit Iſaias 6. 2. Senæ illis erant alæ, ſicuti etiam quatuor animalibus Apocalypſis.

B In libris Regum [2] perſpicue ſatis diſtinguuntur figuræ animalium naturalium, cognitorumque a Cherubim, quæ ſunt animalium monſtra, atque in rerum natura non cognita. Dicitur, Salomon baſes vaſorum, quæ in opus Templi perfecerat, exornaſſe leonibus, tauris, & Cherubim æneis. Eaecbiel 28. 14. comparat Regem Tyri Cherub cum omni magnificentia, ac deſiderabili pulchritudine elaborato, eumque lapidibus pretioſis micantem, auroque tectum deſcribit; *tu Cherub extenſus, & protegens* &c. Poſt ea omnia, quæ diximus hactenus, argui poſſe videtur, vocem *Cherub* Hebraice ſignificare genus quodvis extraordinariæ formæ; & neque in Libris Sanctis, neque in Traditione ullam eſſe determinatam figuram ad Cherubim repræſentandos. Quod paſ-

C ſim in Scriptura legimus, eſt tantum ſymbolica delineatio quarumdam qualitatum Spirituum electorum. Alæ Cherubim ſignificant ipſorum ſpiritualitatem, & agilitatem; quare dicitur, Deus vehi ſuper Cherubim, veluti ſuper currum ſuum. 2. Reg. 22. 2. Pſalm. 17. 10. 11. *Aſcendit ſuper Cherubim, & volavit*: Ezechiel 10. 4. *Elevata eſt gloria Domini ſuper Cherub. &c.* Hominis forma denotat eorum amorem pro hominibus, benevolentiam, & miſerationem. Leo ſignificat vim, generoſitatem, & majeſtatem; bos conſtantiam, & patientiam; aquila denique elevationem, vim, agilitatem, vigorem, atque immortalitatem &c.

PRODUCTILES FACIES EX UTRAQUE PARTE ORACULI.] Seu Propitiatorii. Cherubim erant ex auro

D ſolido, זהב מקשה, malleo tuſo, qui cum Arcæ operculo cui adhærebant, unum tantummodo efficiebant: neque ſicuti plerique alii ornatus minutiſſimis aureis obducti erant laminis. Syriaca verſio, & Arabica: *facies ex auro fuſili*. Septuaginta, *χρύσα τορευτά*: *erant ex auro tornatili*, vel potius inciſi, cælati, calcographi arte, vel aurificis. Græca vox [3], quæ ſignificat *ſorno elaborare*, innuit quoque *incidere*, cælare; & *toreuta* Græce, æque ac *toreumata*, aurea, & argentea aurificis opera ſignificant.

Hebraice ad litteram; *ex auro obdurato*, vel, *ex auro tuſo*. Eadem locutio occurrit, cum de opere aurei candelabri diſſeritur. Nomine auri tuſi intelligendum eſt aurum factum, inciſum, cælatum, ac præter propter veluti aſſolent hodie aurifices, elabora-

E tum. Cum vero ait hæc omnia eſſe debere unum tantum, intelligi debet, ea fuiſſe ferruminata, vel eo pacto connexa, ut unum tantum efficerent. Figuræ hæ procul dubio intus erant vacuæ, ſed ſatis ſolidæ, ac admodum a rebus aliis diverſæ, quæ ex ſimplicibus aureis laminis ligno affixis erant confectæ.

Data Cherubim occaſione operæ me facturum puto pretium, ſi quædam retulerim ad veterem plerorumque populorum, præcipue Orientalium, conſuetudinem ſpectantia, Myſteria Theologiæ, ac Philoſophiæ celandi ſub ænigmaribus, parabolis, & ſymbolicis figuris, ac ſignificantibus. Scriptura univerſa his referta


1 Exod. 26. *Variatus opere plumario*; Hebraice מעשה חשב כרבים

2 3. Reg. 7. 29. Inter coronulas, & plectulas leones, & boves, & Cherubim.

3 *Τορεύειν*. Heſych.



Digitized by Google



TABULA PANUM PROPOSITIONIS

NAPOLI

Digitized by Google

ſerta eſt imaginibus. Sacerdotum veſtimenta, illorum colores, Tabernaculi ornatus, & præcipue Cherubim, rei hujus perſpicua ſunt argumenta [1]. Ægyptii eo uſque morem hunc pepulere, ut omnis ferè illorum Religio myſtica eſſet, atque ſymbolica. Illorum Theologia litteris hieroglyphicis erat exarata, ut teſtantur Clement Alexand. Strom. l. 5. Pleræque Deorum ſtatuæ ex hominum, & animantium figuris erant compoſitæ [2]. *Ægyptii pleraque animalia, effigieſque compoſitas venerantur.* Anubis colebatur ſub hominis ſpecie, cum canis capite: Virg. Æneid. 8.

Omnigenumque Deum monſtra, & latrator Anubis.

Iſis caput vaccæ, & cornua præſeferebat: Apis tauri forma repræſentabatur. Caput accipitris humano corpori impoſitum Mercurium ſignificabat; caput vero corvi, Apollinem. Macrobius Saturnal. l. 1. c. 20. deſcribit monſtroſum animal triceps, quod erat prope Deum Serapidem. Caput medium quod majus erat, referebat leonem; ad dexteram erat caput canis, quæ alicui blandiri videbatur; ad ſiniſtram vero caput rapacis, ferociſque lupæ. Hæc omnia ſpiris ſuis ambiebat ſinuoſus draco, cujus caput ad dexteram Serapidis erat. Ægyptii teſte Plutarcho de Iſide, vulgo ſphinges collocabant in aditu Templorum, ut omnis eorum Theologia, Plutarchus ait, ænigmatica eſſe oſtenderetur. S. Clemens Alexandrinus l. 5. Strom. inquit, ſphinges illorum eſſe vis, & aſtus ſymbolum. Pingebantur cum leonis corpore, & mulieris capite.

Quoad formam Idolorum apud Ægyptios nihil ſtatutum erat [3]; repræſentabantur enim cum avium capite, vel felis, aut leonis, & corpore humano; & aliquando cum humano capite, & cujuſpiam animantis corpore. Græci quoque habebant plurium Numinum ſymbola in unam ſtatuam collecta. Lucianus de dea Syra narrat, in templo Deæ Syræ ſtatuam fuiſſe, quæ nullius numinis ſpeciem referret; ſed ex omnibus numinibus aliquid ſimul repræſentaret. Syri eam ſimpliciter ſtatuam vocabant, abſque eo quod illi nomen aliquod tribuerent. Conſuetudines hæ veteres adeo ſunt præſertim in Ægypto, ut credere poſſimus, temporibus Moyſis in more fuiſſe poſitas; & Moyſem indulgentia ſapientiæ plena id tribuere voluiſſe Hebræorum voluptati, qui nuper ex Ægypto deceſſerant, ut veræ Religionis partem ſignis, & actionibus ſignificativis repræſentarent.

℣. 23. FACIES ET MENSAM DE LIGNIS SETIM.] Quædam Exemplaria Septuaginta has voces omittunt, *de lignis ſetim*; ſed alia ponunt, *de lignis incorruptibilibus* [4]. Menſa hæc, quæ iſtic deſcribitur, valde ſimilis erat, ait Joſephus Antiqu. l. 3. c. 7. Tabulis Delphicis, & pedes illius ſimiles pedibus cubilium Doricorum, & quatuor digitis homi figebatur; ſed ex iis, quæ Moyſes ait, menſa hæc videtur fuiſſe oblongi quadrati forma, & quatuor pedibus ſuffulta; quod admodum a tabulis Delphicis differt, quibus tres tantum erant pedes.

℣. 25. CORONAM INTERRASILEM, ALTAM QUATUOR DIGITIS.] Non ſuperficies menſæ modo auro obtegebatur, ſed etiam corona, quæ eam circum ambiebat; ſuper quam coronam parvum opus interraſile aſſurgebat quatuor digitis altum. Vox hæc interraſilis, juxta Menochium, ſignificat opus alternis intervallis ſculptilibus ornamentis diſtinctum. Hoc pacto illud explicat vetus apud Martinium Vocabularium: *Interraſile dicitur interpolatum cælatura, & plano; planum enim inter cælaturas quaſi raſum videtur; vel ſecundum Papiam, interraſile eſt anaglypha ſculpture.* *Alexander vero dicit:*

Quod nunc ſculpturis, nunc planitie variatur,
Hoc & non aliud opus interraſile dicas.

Plinius l. 33. c. 11. uſus eſt verbo *interradere*, unde *interraſile*, in eodem ſenſu, ac Vulgata, ut ſignificaret cælaturas, vel interpolatum opus aurificis, quod lima ſulcis quibuſdam perficiebatur, quibus lances in menſa imponebantur. *Jam menſas repoſitoriis imponimus; & ad ſuſtinenda obſonia interradimus latera; nec intereſt,* (aliter, & intereſt) *quam plurimum lima perdiderit.* Author idem loquens de coronis quibuſdam e cinnamo, auro obductis, ac intervallis quibuſdam poſitis elaboratis, eadem voce utitur *interraſilis*. *Coronas ex cinnamo interraſili auro incluſas primus omnium in Templis Capitolii, atque Pacis, dicavit Imperator Veſpaſianus Aug.* Videtur Vulgata per *coronam interraſilem* exprimere voluiſſe illud, quod Septuaginta *opus undulatum* [5]; vel juxta Divi Auguſtini mentem, opus inæqualis ſuperficiei, veluti columna torta, cujus una pars extat, altera ſubſidit; vel etiam veluti funis, aut torques e ramis duobus irretitis compoſiti, qui aliquam neceſſario relinquunt inæqualitatem.

Hebræus ad litteram [6]: *Facies in circuitu menſa ſuperius coronam*, vel clauſtrum, *altam palmo uno, & facies ex auro in circuitu, in coronæ ſpeciem.* Vel, menſam exornabis auro, undequaque in coronæ ſpeciem ad palmi altitudinem elaborato. Textus non adeo perſpicue ea refert ornamenta, quæ in Vulgata videmus. S. Hieronymus intellexiſſe videtur, duplicem fuiſſe in ora menſæ coronam, aliam ſuper aliam. Hebraicus textus, & Septuaginta naturaliter ſatis in hoc eodem ſenſu explicari poſſent; ſed nullam intuemur neceſſitatem, qua adacti duplicem dicamus fuiſſe coronam, niſi fortaſſe alteram ſubter, alteram ſuper oram menſæ fuiſſe dixeris, uti Joſephus aſſerit, Antiq. l. 3. c. 7. & Interpretes nonnulli. Corona hæc, vel fimbria, tum in tabulæ ornamentum erat, conſtituta, tum ne panes ſuperpoſiti elaberentur. Menſa poſita erat in Sancto, & panes, qui inferebantur die Sabbathi, ibi tota relinquebantur hebdomada: in menſa vero nuda ponebantur, juxta veterem conſuetudinem, ſine mappa, aut alia eo quappiam.

Alibi jam obſervatum eſt, Tabernaculum habitum fuiſſe, veluti Judæorum Regis prætorium: quod medium in populo ſuo procederet, eique omnes ea præſtarent officia, quæ præſectis Regis majeſtati convenirent. In prætorio ſemper menſa erat poſita, & nocte ſemper lampades collucebant. Sacerdotes Idololatræ Babylonis menſas quavis epularum genere onuſtas Deo Belo inſtruebant. Diodorus loquitur de menſa thuribulorum, craterumque Templi Beli Babylone; & Lucianus de menſis Templi Deæ Syræ.

℣. 27. SUBTER CORONAM ERUNT CIRCULI AUREI.] Hebraice לעמת המסגרת, *e conſpectu coronæ*. S. Hieronymus transfert Exod. 37. 14. *Contra coronam*: ſed rectius ſubter coronam; & plane in ſuperiori parte pedis menſæ.

℣. 29. PARARIS ET ACETABULA, AC PHIALAS, THURIBULA, ET CYATHOS.] Singula hæc verba ſeorſim ſunt perpendenda. *Acetabulum* [7] ſignificat menſuram drachmarum quindecim, vel quartæ partis heminæ. Aliquando vero ſignificat vaſculum, quo acetum teneri ſolet, lancem, craterem, aut parvulum aliquod vas. Quintilianus l. 8. & Martinius in verbo Acetabulum referunt, vocabulo hoc abuti conſueviſſe, ad diverſa denotanda vaſa, quibus uſus in menſis eſt, vel acetum intus poneretur, vel aliud quidpiam. In hac ſignificationum varietate *acetabulum*

1 Vide Sap. 18. 24. Juſ. Phil. Hier. &c.
2 Tacit. 5. c. 5. & Porphyr. de abſtin. lib. 4.
3 Porphyr. de abſtinen. l. 4.
4 Ἐξ ξύλων ἀσήπτων.
5 Στρεπτὰ κυμάτια χρυσᾶ,
6 ועשית לו מסגרת טפח סביב ועשית זר זהב למסגרתו סביב
7 Plin. l. 21. 34.

vas eſſe dicerem ad liquores ſervandos, ne fortuito illius ſignificationem ſtatuerem.

Phiala ſignificat vas, quo potamus, uti ex Athenæo conſtat l. 3. Videtur autem in Homero ſignificare lebetem propter epithetum, quod illi tribuit Iliad. Ψ *Statuit ante illum phialam cum duabus anſis, quæ nondum ignem erat experta*. Vox hæc ſumitur etiam pro ampulla; & Toſtatus credit, panibus propoſitionis ampullam vino plenam ſuperimpoſitam fuiſſe.

Thuribula proprie ſignificant ea vaſa, in quibus thura cremantur. Poſſent fortaſſe acerram ſignificare, qua thus ſervabatur, aut alia vaſorum genera pro libationibus; veluti crateres, & pateras, nam vocis hujus ſignificatio latius patet. Vide caput 37. ℣. 16. Cæteroquin in textu nulla iſtic Thuribuli mentio. De forma veterum thuribulorum ſententiam noſtram propoſuimus Levit. 16. 12.

Cyathus eſt crater, phiala, quoddam veteris menſuræ genus.

Septuaginta [1] locum hunc ita vertunt: *lances, muſcaria* (vel *thuribula*, vel etiam acerras) *pateras, & crateres ad liquores effundendos aptos*.

Interpretes in diverſa abeunt Hebraicorum vocabulorum ſignificationem inquirentes. Nonnulli vertunt: *Facies ſcutellae, cochlearia, paterae, & inſtrumenta ad mundandum*. Quidam vero contendunt, primam vocem ſignificare quoddam patinarum genus, quæ panibus propoſitionis ſupponebantur. Aderant præterea vaſcula ad ponendum ſal, thus, & vinum, quæ panes illos comitabantur. Aliqui ponunt etiam tubos quoſdam bifariam ſecundum longitudinem ſectos, qui inter hos panes collocabantur, ne mucore ſordeſcerent: ſed ignoratur quænam ſint ſingula Textus vocabula, quæ res hæc ſingulas ſignificent. Nec deſunt, qui dubitent, utrum hæc inſtrumenta menſæ panum propoſitionis inſervirent, non autem pro communibus ſacrificiis. Quidam aſſerunt ea communia fuiſſe menſæ panum propoſitionis, aræ thymiamatum, & verbo, Sancto, atque poſita fuiſſe ſuper menſas in Sancto, veluti ſuper abacum, ut in varios uſos adhiberentur.

Sed ex vocum harum in textu conſtructione adducor, ut credam hæc omnia inſtrumenta menſæ panum propoſitionis inſerviſſe; quippe ea hunc naturaliter exigit ſenſum: *Facies illius acetabula, phialae &c.* Hoc ipſum liquido patet etiam ex Capite 37. ℣. 16. Exodi: Faciës *& vaſa ad diverſos uſus menſæ, acetabula, phialas, & cyathos, & thuribula*; & denique Cap. 4. 7. Numerorum, omnia inſtrumenta, quæ hic recenſentur, cum menſa panum propoſitionis involvuntur, veluti uni illi inſervientia.

Si licet mihi, novas quaſdam conjecturas afferre, reor *Kaharoth* קערת, ſignificare poſſe majoris ſcutellæ, vel catini genus, ubi propoſitionis panes ſubigebantur. Arabes profundam ſcutellam *Karon* appellant, & qui Arabiam peragrarunt, aſſerunt, in agris nullum aliud ad ſubigendum panem inſtrumentum reperiri, quam ſcutellas ſimiles ſatis excavatas, in quibus panes quotidie ſubigunt. Inde vero conjecturæ huic accedit authoritas, quod in Numerorum libro c. 7. quicumque offerunt *Kaharoth*, illa offerunt referta pane cum oleo ſubacto; & Hebræi aſſerunt, Levitarum munus fuiſſe hos panes ſubigere, & excoquere. S. Hieronymus in Malach. c. 7. addit etiam ipſorum interfuiſſe, ſerere, metere, & molere granum, ex quo propoſitionis panes fiebant. Re quidem vera ex Scriptura innoteſcit quoſdam Levitas conſtitutos fuiſſe, ut propoſitionis panes præpararent, & alia panis genera, & placentarum in Templi miniſterium excoquerent; ac pondera, menſuraſque ſervarent. 1. Par. 23. 29. 9. 3. *Sacerdotes autem ſuper panes propoſitionis, & ſimila ſacrificium &c.*

Vox *caphot* כפות fluit a *caph*, quod manus palmam ſignificat; illa autem ſignificat acerram. Hoc liquet ex ſeptimo Numerorum capite, ubi vaſcula hæc ſemper thure plena offeruntur. In libris Regum thuribulis conjunguntur; & ex Levitici capite 24. 7. liquet, thur panibus propoſitionis ſuperimponi conſueviſſe: *Pones ſuper eos thus lucidiſſimum*.

Mnaxioth מנקית, ſignificat inſtrumentum ad emundandum. Hoc autem eſſe poſſet vel cribrum, vel vannum ad triticum, vel farinam cribrandam, vel aliud aliquod inſtrumentum ad menſam emundandam, vel vas, in quo ſubactus fuerit panis, vel etiam furnus, ubi fuerit excoctus. Inſtrumentum hoc erat ex ære ut alia.


Vox *Keſchoth* קשות Hebraice, & Chaldaice ſcutellam ſignificat; & Moyſes refert hujus inſtrumenti uſum fuiſſe in libationibus. Exod. 37. 16. Num. 4. 7. Inſtrumentum hoc igitur erat cavum, velut phiala, crater, in quo vinum ſtatuebatur ſuper menſam panum propoſitionis, hoc ſuppoſito, quod per totam hebdomadam ibi ſervaretur, quemadmodum multi Interpretes aſſerunt; vel uti patera ad libationes ſingulis Sabbathis peragendas, cum recentes panes conſtituebantur. Pateræ, quales in curioſorum quorumdam Muſæis conſpiciuntur, magis erant profundæ, quam lances conſuetæ.

℣. 30. Panes Propositionis.] Panes, qui ponebantur ſuper auream menſam coram Domino. Hebræus [2]: *Panes facierum*. Septuaginta [3]: *Panes oblati coram me*. Symmachus ſimiliter ac Vulgata tranſtulit. Hebræi teſtantur panes hos quadrata fuiſſe forma, & quatuor faciebus, & aureis foliis obrectos. Duodecim erant numero, & duodecim Tribus Iſrael repræſentabant, quarum nomine offerebantur. Quiſque panis erat magnitudine non mediocri, quippe qui fiebat ex duobus aſſaris, ſcilicet farinæ libris ſexdecim. Sine fermento fiebant, & calidi adhuc quoque Sabbatho offerebantur; eodem tempore priores auferebantur, quos Sacerdotes ſoli comedebant. Matth. 12. *David panes propoſitionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his, qui cum eo erant; niſi ſolis Sacerdotibus*. Oblatio hæc fiebat ſimul cum ſale, ac thure, & vino etiam, uti quibuſdam Interpretibus placet; ſed Scriptura loquitur de ſale tantum, & thure. Interpretum plerique arbitrantur, panes poſitos fuiſſe unum ſuper alium in duplicis columnæ formam, quarum quælibet ſenis panibus conſtaret; & Rabbini addunt inter panem, ac panem duos aureos tubos fuiſſe interpoſitos, quos fuſcinulæ ex metallo eodem ſuſtinebant, quarum extremitas terræ incumbebat, ut quoſque panes aer præterveheretur, neque illi mucorem contraherent. Vide Leviticum cap. 24. 5. 6.

℣. 31. Facies et candelabrum ductile.] Vox מקשה, *mikſcha* ſignificat, uti notæ melioris Interpretes inquiunt, opus e metallo ſolido per oppoſitionem ad alia opera, in quibus ſuperficies tantum auro, vel argento contegitur. Hic omnia ſunt ex auro, atque auro ſolido. Alii credunt Textum innuere opus malleo elaboratum ex eadem metalli maſſa, quin vel aliquid ferruminetur, vel alio quopiam modo addatur. Candelabrum conſtabat ex pede, trunco, & ſex ramis, quorum quilibet lampadem ferebat. Omnia erant ex auro ſolido; talentum Sanctuarii pondere inſumptum erat; videlicet unciæ 1500, vel Romanæ libræ 125. Truncus, & rami candelabri hujus ornati erant ſpherulis quibuſdam, liliis, malogranatis, & parvulis ſcyphis. In trunco a pede ad apicem hæc ornamenta quindecim erant numero, in

ramis

1 Τὰ τρύβλια αὐτῆς, καὶ τὰς θυίσκας, καὶ τὰ σπονδεῖα, καὶ τοὺς κυάθους.
2 לחם פנים Aq. Ἄρτος προσώπου. Sym. Ἄρτος προθέσεως. Panes propoſitionis,
3 Ἄρτους ἐνωπίους ἐναντίον μου.



CANDELABRUM AUREUM

NAPOLI

ramis vero duodecim. Quinam eſſet autem horum ornamentorum urdo, Interpretes non conveniunt. Plerique prius ſcyphos, deinde ſpherulas, inde lilia conſtitnunt.

℣. 33. TRES SCYPHI QUASI IN MODUM NUCIS.] Hebræus [1]: *Tres ſcyphi, qui ferunt amygdalas*; ſcilicet tres calices florum, ex quorum ſinu truncus extat, vel candelabri ramus, quemadmodum e flore frnctus exiſtit. Extabat hic velnti flos *amygdalæ*, atque inde ramus candelabri egrediebatur, veluti fructus e flore. Hebræi calicem vocant florem apertum, explicatnmque, quæ locutio apud Græcos pariter, ac Latinos invaluit. Creditur autem Moyſes Hebraice malogranata vocare, ornatum eumdem, cui tribuit nomen ſcyphi in morem amygdalæ.

Interpretes nonnulli ſimpliciter tranſtulere *flores* [2], quod Vulgata vertit *lilia*. Scriptura candelabri hujus altitudinem non refert, ſed ex nſu, ad quem deſtinatus erat, conjicere licet excedere minime potuiſſe pedes quatuor cum dimidio, videlicet cubitos tres.

℣. 34. IN IPSO AUTEM CANDELABRO ERUNT QUATUOR SCYPHI.] In Candelabri trunco ab ima parte ad apicem nbi lampas erat, quatuor conſpiciebantur horum ornatnum ordines, nnum ſuper alium, qui univerſi, uti dictum eſt, qnindecim erant.

℣. 35. SPHERULÆ SUB DUOBUS CALAMIS PER TRIA LOCA.] Hebraicus textus, & Septuaginta prolixiores ſunt, ſed cum Vulgatæ ſenſu conveniunt: ſcilicet, *ex trunco candelabri in æquali diſtantia in quovis duorum laterum ramus exiſtet, qui eoſdem ornatus habebit, ac ille, qui illi erit oppoſitus. Sex rami ejuſdem erunt formæ univerſi*. Nonnulli ex eadem trnnci parte ſex ramos educunt. Alii binos, & binos hinc atque inde ad altitudinem diverſam conſtituunt. Duo illi, qui maxime a trunco recedunt, primi exiſtunt, & nihilominus ad eamdem, ac alii, altitudinem conſurgunt, qui ſuperius extant e trunco. In textu nihil eſt, quare hanc potius, vel illam ſententiam amplectare.

℣. 36. SPHERULÆ, ET CALAMI EX IPSO ERUNT.] Erunt ex eadem Candelabri maſſa; illi nequaquam adnectentur, neque ferruminati adhærebunt.

℣. 37. FACIES ET LUCERNAS SEPTEM, ET PONES EAS SUPER CANDELABRUM.] Lampades neque adhærentes erant, neque ex eadem candelabri maſſa: ſtatuebantur autem in ramorum vertice in thecis ſuis, neque auferebantnr, niſi neceſſitas flagitaret. Illarum figuram referre eſſet difficile. Apud veteres plurimæ erant harum lucernarum formæ, atque illarum in Muſæis non paucæ aſſervantur, quarum graphides aliæ ſunt, atque aliæ. Curioſi videre poterunt, aurei Candelabri, quod Veſpaſianus Romam in triumphum detulit, imaginem vel Calcographi opera, vel

A diaglyptica elaboratam.

UT LUCEANT EX ADVERSO.] Candelabrum oblique poſitum erat in Sancto; unus ex ramis propoſitionis menſam reſpiciebat, alius aram thymiamatum; atque ita lucernæ utramque illuminabant.

℣. 38. EMUNCTORIA.] Hebraica vox מלקחים, ſignificare poteſt forcipem ad lucernas emnngendas, & ellychnia educenda. Rabbini docent, lucernarum ellychnia e veteribus Sacerdotum tunicis fieri conſueviſſe.

ET UBI, QUÆ EMUNCTA SUNT EXTINGUANTUR.] Hebraica vox מחתות, *Machtot* plerumque pro thuribulo vertitur. Septuaginta [3] intelligere videntur de rebus quibuſdam, quæ ſupponebantur, ad oleum excipiendum, vel ſordes, cum candelabrum emun-

B darent. Neque poſſibile eſt inſtrumenti hujus formam conſtituere: ſed ex capite 37. ℣. 23. hujus libri, & Num. 4. 9. patet hic ſignificari inſtrumentum, quod candelabri lucernis inſerviret.

Priſci in templi ſuis dedicabant aliquando candelabra plurimis referta lychnis: cujus rei fidem facere poteſt candelabrum illud in arboris ſimilitudinem factum [4], quod lucernas pomorum in ſpeciem ſuſtinebat, quodque Alexander in templo Apollinis Palatini in urbe Cyme dedicavit; aliudque illud, quod tot lychnos ſuſpenſos detinebat, quot in anno ſunt dies [5], quodque Dionyſius Junior Syracuſarum Rex in Athenarum Pritaneo conſecravit. Hæc candelabra omnino erant diverſa ab illis, quibus hodie utimur; atque ſuper pavimento ſtatuebantur, non au-

C tem menſæ imponebantur, atque lampades cum oleo ſuſtentabant, non ita vero cereas candelas, & intortitia. Candelabra hæc in templis erant neceſſaria, quæ plerumque erant obſcura, & fere ſine ulla feneſtra. S. Clemens Alexandrinus Stromat. l. 1. obſervat, Ægyptios primos fuiſſe, qui lampades in Templum intulerint. Herodotus l. 2. c. 62. loquitur de quadam ipſorum ſolemnitate, quæ *Lychnocaia*, appellabatur propter lampades, quæ accendebantur. Apud Græcos Heroicis temporibus nullus videtur nec lampadum, neque candelarum uſus. Homerus ait in Principum ædibus ſtatui in editis locis figuras *Lampteres* vocatas conſueviſſe, ſuper quas ſervabatur ignis ad illuminandum. Poeta hic eas deſcribit figuras, quæ Alcinoi Regis ædes illuſtrabant. Vide Odyſſ.

D H. Σ. T. Virgilius veteri huic alludit conſuetudini cum ait Æneid. 7. 13.

Urit odoratum nocturna ad lumina cedrum.

Et Lucretius l. 2.

Si non aurea ſunt juvenum ſimulacra per ædes,
Lampadas igniferas manibus retinentia dextris,
Lumina nocturnis epulis ut ſuppeditentur.


---


1 שלשה גבעים משקדים. 70. Τρεῖς κρατῆρες ἐκτετυπωμένοι καρυΐσκους, Aq. Ἐξημυγδαλισμένοι, In formam amygdalatum. Sym. Ἐντετορνευμένοι. Tornati.
2 פרחים
3 Ὑποθέματα. Suppoſitoria.
4 Plin. 34. 3
5 Athen. l. 15. c. 19. 20.


CAPUT XXVI.

Deſcriptio Tabernaculi, omniumque partium ipſius.

1. TAbernaculum vero ita facies: Decem cortinas de byſſo retortas, & hyacin-
tho, ac purpura, coccoque bis tincto, variatas opere plumario facies. 2
Longitudo cortinæ unius habebit viginti octo cubitos: latitudo, quatuor
cubitorum erit, Unius menſuræ fient univerſa tentoria, 3 Quinque cortinæ ſibi
jungentur mutuo, & aliæ quinque nexu ſimili cohærebunt. 4 Anſulas Hyacin-
thinas in lateribus, ac ſummitatibus facies cortinarum, ut poſſint invicem copulari,
5 Quinquagenas anſulas cortina habebit in utraque parte, ita inſertas, ut anſa con-
tra anſam veniat, & altera alteri poſſit aptari. 6 Facies & quinquaginta circulos
aureos, quibus cortinarum vela jungenda ſunt, ut unum tabernaculum fiat. 7
Facies & ſaga cilicina undecim, ad operiendum tectum tabernaculi. 8 Longitudo
ſagi unius habebit triginta cubitos: & latitudo quatuor; æqua erit menſura ſago-
rum omnium. 9 E quibus quinque junges ſeorſum, & ſex ſibi mutuo copulabis, ita
ut ſextum ſagum in fronte tecti duplices. 10 Facies & quinquaginta anſas in ora ſagi
unius, ut conjungi cum altero queat; & quinquaginta anſas in ora ſagi alterius, ut cum
altero copuletur. 11 Facies & quinquaginta fibulas æneas, quibus jungantur anſæ, ut
unum ex omnibus operimentum fiat. 12 Quod autem ſuperfuerit in ſagis, quæ paran-
tur tecto, ideſt, unum ſagum, quod amplius eſt, ex medietate ejus operies poſteriora
tabernaculi. 13 Et cubitus ex una parte pendebit, & alter ex altera, qui plus eſt in
ſagorum longitudine, utrumque latus tabernaculi protegens. 14 Facies & operimen-
tum aliud tecto de pellibus arietum rubricatis: & ſuper hoc rurſum aliud operimentum
de janthinis pellibus. 15 Facies & tabulas ſtantes tabernaculi de lignis Setim. 16
Quæ ſingulæ denos cubitos in longitudine habeant, & in latitudine ſingulos, ac ſemiſ-
ſem. 17 In lateribus tabulæ, duæ incaſtraturæ fient, quibus tabula alteri tabulæ conne-
ctatur, atque in hunc modum cunctæ tabulæ parabuntur. 18 Quarum viginti erunt
in latere meridiano, quod vergit ad Auſtrum. 19 Quibus quadraginta baſes argenteas
fundes, ut binæ baſes ſingulis tabulis per duos angulos ſubjiciantur. 20 In latere quo-
que ſecundo tabernaculi, quod vergit ad aquilonem, viginti tabulæ erunt, 21 Quadra-
ginta habentes baſes argenteas: binæ baſes ſingulis tabulis ſupponentur. 22 Ad occi-
dentalem vero plagam tabernaculi facies ſex tabulas. 23 Et rurſum alias duas, quæ
in angulis erigantur poſt tergum tabernaculi. 24 Eruntque conjunctæ a deorſum uſque
ſurſum, & una omnes compago retinebit. Duabus quoque tabulis, quæ in angulis po-
nendæ ſunt, ſimilis junctura ſervabitur. 25 Et erunt ſimul tabulæ octo, baſes earum
argenteæ ſedecim, duabus baſibus per unam tabulam ſupputatis. 26 Facies & vectes
de lignis Setim quinque ad continendas tabulas in uno latere tabernaculi. 27 Et quin-
que alios in altero, & ejuſdem numeri ad occidentalem plagam: 28 Qui mittentur per
medias tabulas a ſummo uſque ad ſummum. 29 Ipſas quoque tabulas deaurabis, &
fundes in eis annulos aureos, per quos vectes tabulata contineant: quos operies lami-
nis aureis. 30 Et eriges tabernaculum juxta exemplar, quod tibi in monte monſtratum
eſt. 31 Facies & velum de hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & byſſo re-
torta, opere plumario, & pulchra varietate contextum: 32 Quod appendes ante qua-
tuor columnas de lignis Setim, quæ ipſæ quidem deauratæ erunt, & habebunt capita
aurea, ſed baſes argenteas. 33 Inſeretur autem velum per circulos, intra quod pones
arcam teſtimonii, quo & Sanctuarium, & Sanctuarii ſanctuaria dividentur, 34 Pones
& propitiatorium ſuper arcam teſtimonii in Sancto ſanctorum: 35 Menſamque extra
velum: & contra menſam candelabrum in latere tabernaculi meridiano: menſa enim ſta-
bit in parte Aquilonis. 36 Facies & tentorium in introitu tabernaculi de hyacintho,
& purpura, coccoque bis tincto, & byſſo retorta, opere plumarii. 37 Et quinque co-
lumnas deaurabis lignorum Setim, ante quas ducetur tentorium: quarum erunt capita
aurea, & baſes æneæ.


Occidens
Castra Israelis Tabernaculum circumstantia
Ephraim
Manasses
Dan
Aaron
Meridies
Septentrio
Oriens


Atrium Tabernaculi



Tabernaculum nudum
Asseres Tabernaculi
basis asserum Tabernaculi


Tabernaculum suis velis Opertum









Digitized by Google

℣. 1. VARIATAS OPERE PLUMARIO FACIES.] Hebraica [1] ad litteram: *Facies Cherubim opere artificis excogitantis*, vel opera artificiali, vel opera exquiſito, & variagato. Ad litteram: opere hominis, qui cogitat, qui invenit, qui ratiocinatur, qui delinaat. *Opus Cherubim* eſt taxtura variegata diſcolor, atque eo lineamentorum ductu, ut maximam differentium rarum axhibeat diverſitatem, animalium, florum, monſtrorum; ſeu hæ omnes diverſæ imagines anaglyptico opera ex auro, argento, ligno, lapida fiant, ſeu in plano pictæ, val in tela, val in aulæis, ac periſtromatis. Id omne *opus Cherubim* appellabatur [2]. Hæc periſtromata, de quibus loquitur Moyſes, arant ax hoc operum genere. Saptuaginta hic [3] vertunt; opus textoris; & alibi [4], opus acupictoris. S. Hiaronymus hic legit *opus plumarium*, quod idam ſignificat: de quo infarius paulo prolixius loquemur: alibi vartit *opus polymitarium*, quod melius authographiaxprimit vim, ac proprie illum ſignificat, qui in eadem tela, aut panno plures figuras, val plures colores repræſentat.

Verum quemadmodum hæc figurarum, vel colorum diverſitas dupliciter repræſentari potaſt; val addendo telæ cum acu aurea fila, lanea, vel ſerica; vel in panni textura dum contexitur colores varios inſerando; Hebræi poſteriorem hanc figuras in veſtibus repræſantandi rationem, opus *choſcheb* appellavera, videlicet opus invantoris, vel induſtrii artificis; priorem vero, quæ illas acu phrygio imitatur, *opus rokem*, ſeu *opus plumarii* nuncupavara; quoniam avium plumas opera hæc referebant. Interpretes ſæpius vocem hanc *plumarium* uſurpant, ut diſcolorem texturam ſignificent. Verum patet vocem eam operi phrygio proprie tantum convenira. Habraica vox *rekem* proculdubio plumas ſignificat. Vide Exod. 28. 39. Utraqua hæc ratio non apud Hebræos ſolum, verum etiam apud cætaros orientis populos erat communiſſima. Plinius l. 8. c. 8. refert, Alexandriæ primum artem veſtes vel pluribus liciis, vel pluribus coloribus contexendi fuiſſe adinventam: *Plurimis liciis texere, qua polymita appellant, Alexandria inſtituit*. Sed author ille vel fallitur, vel pro Aleaandria Ægyptum intelligit. Panni adinventum vel Mercurio Ægyptio, vel Iſidi, & Oſiridi refertur acceptum [5]. Temporibus Moyſis artes hæ ad perfectionis apicem davenisſa debuerant. Adiri potaſt Braunius l. 1. c. 7. da veſtitu Sacerd. Hebr. qui prolixius hanc matariam tractavit. Nobis ſatis aſt tradidiſſe idaam quamdam divarſorum modorum, quibus lana, ſericumqua alaborabatur, ac oſtendiſſe earum vocum ſignificationem, quæ deinceps ſæpius occurrent.

℣. 3. QUINQUE CORTINÆ SIBI JUNGENTUR.] Quæcumque cortina octo & viginti cubitorum altitudine præſtabat, latitudine vero cubitorum viginti. Quinque ſimul jungebantur, ex quibus fiebat cubitorum viginti latitudo, quæ ſatis erat ut dimidium Tabernaculi obtegeret; aliud vero ejuſdem altitudinis periſtroma aliud dimidium tegebat.

℣. 4. ANSULAS HYACINTHINAS IN LATERIBUS, AC SUMMITATIBUS.] Hebraicus textus [6] innuit quinquaginta fuiſſe anſulas hyacinthinas in duobus lateribus cujuſcumque cortinæ. Verſiculus ſextus loquitur de annulis aureis, vel uncis, qui inſerviebant cortinis invicem innectendis, & anſulis conjungendis, ut cortinæ fortius mutuo junctæ adhærarent. Vide ℣. 11.

℣. 7. FACIES ET SAGA CILICINA UNDECIM.] Cortinæ a pilis caprarum [7], celabant alias cortinas ditiores, quæ cooperiebant Sanctum, & Sanctuarium: unaquæqua illarum triginta cubitis in longitudinem patebat, quatuor in latitudinem. Interpres aa, *Cilicina* appellat, e *Cilicia*; quia in Cilicia cœptum eſt caprarum pilis ad veſtes contexendas uti. Alibi ea vocat: *Saga de pilis caprarum*. Vida capita 35. 4.

℣. 9. E QUIBUS QUINQUE JUNGES SEORSUM.] Ex araſſis hiſce da caprarum pilis cortinis duo periſtromata erant conficienda, alterum quidem ex quinqua, ax ſex altarum compoſita; ut a ſex his cortinis una ax omni latera ante Tabernaculum decidera poſſet, illudque obtegera. Singulis his cortinis latitudo erat cubitorum quatuor, non ſecus ac illis, quæ ſubſternebantur. Vide ℣. 3.

℣. 12. QUOD AUTEM SUPERFUERIT IN SAGIS.] Ex hoc textu videretur horum periſtromatum dimidium ſuffeciſſa, ut poſtariora Sanctuarii obtegerentur. Hebraicus textus obſarvat, quod ea, quæ ax periſtromatis Sanctuarii tectum obtegentibus ſuperabant, cum in poſteriora Tabernaculi dilaberentur, latus hoc obtegebant [8]; *& ſuperfluitas, quæ ſuperfluit in cortinis tecti, dimidium cortinæ ſuperabundantis, ſuperfluet in poſterioribus Tabernaculi*. Hoc cortinæ dimidium, quod in poſteriora dilabitur, intelligendum eſt de dimidio periſtromatis a quinqua cortinis compoſiti; vel potius, hoc dimidium relationem habet ad aliam periſtromatis partem, quæ in anteriorem Sanctuarii partem deſcendit; ita ut tum in poſtariori, tum in anteriori parta æqua periſtromatum portio difflueret; quod facile eſt captu, quia hæ cortinæ nimis erant longæ quam ut tectum, ac Sanctuarii latera obtegerent.

℣. 13. ET CUBITUS EX UNA PARTE PENDEBIT, ET ALTER EX ALTERA, QUI PLUS EST IN SAGORUM LONGITUDINE &c.] Quemadmodum capripilii, cortinæ in cubitorum triginta longitudinem protendebantur, cum earum, quæ ſubtus arant, octo dumtaxat, ac viginti cubitorum eſſet longitudo, in quavis parta cubitus ſuperabat, qui complicabatur ſuper angulos in Tabernaculi parte antariori. Joſephus Antiqu. l. 3. c. 5. & Philo l. 3. de vita Moſ. hoc in alio ſenſu accepere. Credunt autem pretioſa aulæa, quæ immediate Sanctuarium cooperiabant, cubitum unum a terra abfuiſſa, ne pulvara fœdarentur; ſed ſaga cilicina, quæ prioribus erant ſuperimpoſita, cum undequaque cubito uno in longitudinam præſtarent, ad terram uſque defluxiſſa, atque Tabernaculum circumquaque involuiſſa. Pratioſa valamina, de quibus modo locuti ſumus, antariorem partam, non ſecus ac Sanctuarium, minime claudebant; ad id particulare adarat operimentum, cujus deſcriptionem inferius ℣. 31. vidabimus. Tabernaculi integumenta eo ordina unum ſuper aliud arant poſita, ut ſuperioris nexus inferioris nequaquam naxibus reſponderent, ne illac in Sanctuarium aqua poſſet pervadere.

℣. 14. FACIES ET OPERIMENTUM ALIUD TECTO.] Quatuor erant Tabernaculi integumenta: Primum, & maxime pretioſum arat purpureum, hyacinthinum, & coccineum; ſecundum e caprarum pilis confectum; tertium a rubricatis arietum pellibus cum velleribus earum; quartum denique a pellibus cæruleo axuberanti colore imbutis. Videntur autam poſtariora duo hæc intagumenta Tabernaculi tecto inſerviſſe dumtaxat, neque in latera dafluxiſſe; quod ea innuunt verba: *Facies operimentum tecto*. Hebraice מלמעלה, Septuaginta Ἐπάνωθεν, *in ſuperiori parte*. Sed malim aſſarere operimenta omnia æqualis fuiſſe magnitudinis,

1 כרבים מעשה חשב
2 Hieron. ad Marcellam.
3 Ἐργασίᾳ ὑφάντου.
4 Ἔργον ποικιλτοῦ. Exod. 28. 15.
5 Tertull. de Pallio.
6 ועשית ללאת תכלת על שפת היריעה האחת מקצה בחברת
7 יריעת עזים. Τὰ Δέῤῥεις τριχίνας. Pelles villoſas. Alius: Τριχίνα καλύμματα. Villoſa operimenta.
8 וסרח העדף ביריעת האהל חצי היריעה העדפת תסרח על אחרי המשכן

tudinis, juxta ea, quæ ſuperius verſiculo octavo ſunt adnotata.

℣. 15. Facies et tabulas [1] stantes Tabernaculi.] Tabernaculum circumſeptum erat tabulis a lignis Seſim ex triplici tantum latera erectis, atque juxta ſe poſitis. Latus, quod Orientem ſpectabat, quodque aditus erat Tabernaculi, minime clauſum erat.

Ecce autem quomodo illud deſcribis Joſephus Antiq. lib. 3. cap. 6. „ Tabernaculi quidem longitudo erat cubitorum triginta, latitudo vero decem; ac alter quidam parietom erat auſtralis, alter vero ad aquilonem obvarſus, & a tergo erat occaſus; tantum etiam attollebatus, quantum in latitudinem patebat: erant autem Tabulæ ligneæ ex ottoque latera viginti: in quadrangularem quidem formam dolatæ; latitudine veto unius, & dimidii cubiti, & craſſitudine quatoor digitorum. Laminæ autem aoreæ illis undiqua fabricatæ erant, tam ad inteiora, quam ad exteriota. Singulis vero tabulis inerant cardines bini per duas baſes immiſſi; illæ vero ex argento quidem factæ, & utrique baſi foramen ad cardines excipiendos. Plagam veto Occidentalem, tabulæ quidem ſex muniebans: adeo autem omnes firmitat inter ſe aptæ erant, & connexæ, ut non perceptis commiſſuris in unum parietem coaleſceta viderentur, ab interiori, & exreriori parta auto obductum. Utroque ex latere ſibi taſpondebant tabulæ; erant enim numero 20. & unaquæque latitudinis quidem erat unius cubiti, & dimidii; craſſiriei varo quatuor digitotum, atque isa 30. cubitos adimplebant. In poſtico autem pariate (novem enim cubitos tantum efficiebant ſex ejus tabulæ conjunctæ) duas alias tabulas faciunt ax uno cubito diviſas, quas angularas poſuarunt ad inſtar majorum ſabularum adornatas. Singulæ autem tabulæ annulos habebant aureos fronti extrinſecus adaptatos, veluti radicibus quibuſdam ordina defixos, ſibi invicem undique reſpondentas, & per eos repagula deaurata trajiciuntur ad tabulas conjungendas; eapite uniuſcujuſque vectis in caput alterius demiſſo per vertibula cochleæ ad ſimilitudinem affabre facta. Ad poſticum autem parietem una phalanx per tabulas omnes diſcurrebat, in quam intrabant extrema vectium per laterum longiorum parietem pertinentium, quo firmius commiſſuris jungerentur, maſculo, & fœmina inter ſe coarctatis. Atque ita cautum aſt, ut tabernaculum nulla ventorum vi, aliova impetu agitaretur; ſed patquam ſecurum ſtaret, & immobile.

℣. 17. In lateribus Tabulæ duæ incrustaturæ fient.] Septuaginta [2]: *Quæque columna duos habebis parvos angulos (duos subitos), quorum alius in alium ingrediatur.* Illi procul dubio intelligunt duos cardines, qui in fœminas ſocias introeunt. Hic profecto eſt Hebraici textus [3] ſenſus: *Duæ manus tabulæ uni gradatim diſpoſitæ, cuilibet ad ſociam ſuam. Qualibet tabula duas habebit manus*, duos cardines, *ſibi oppoſitas in ſcalæ gradunm formam*. Quælibet io uno latere duos hababit cardines, in oppoſito vero doas fœminas. Alii credunt has tabulas invicem ſibi conjunctas fuiſſe, ita ut aſtragalo in uno latere unius tabulæ eminente, in cavum ſinum tabulæ alterius inſerto ſibi invicem cohærerent.

℣. 18. Quod vergit ad austrum.] Septuaginta bic Boream ponunt pro auſtro, & verſiculo vigeſimo auſtrum pro borea. Verum nihil ſenſus immu-

A ſatut, nam & borealis pars, & auſtralis pari modo erant ornatæ.

℣. 19. Quibus quadraginta bases argenteas fundes.] Hebraicus textus [4], & Septuaginta ſunt prolixiores: *Facies quadraginta baſes ſub viginti aſſeribus, binæ baſes ſub aſſeribus ſingulis ad manum utramque.* Septuaginta: ad duo latera, *& duplicem* baſim ſub alia tabula, ad manum utramque, vel ad utrumque latus. Pro duabus his manibus intelligi poſſunt duo cardines, qui in foramina inſerebantur in duabus argenteis baſibus. Lyranus, & Toſtatus credunt duas has baſes humi fixas fuiſſe, atque in ſuperioti parte habuiſſa cardinem, qui in Tabulæ craſſitiem inſerebatur. Omnia hæc ornamenta tum in latere Meridionali, cum in Boreali erant æ-

B qualia.

℣. 22. Ad Occidentalem vero plagam Tabernaculi facies sex Tabulas.] Hoc Tabernaculi latus ſex tabulis arat compoſitum, quæ æquales erant teliquis in aliis lateribus Tabernaculi poſitis; ſed prætet has ſex, aliæ duæ aderant in duobus angulis, quæ erant velusi columnarum ſpecies, præ ceteris magis ſolidæ, atque aptæ, ut fortiter tria latera ſimul connecterens, fœminarum adminiculo, in quas cardines poſterioris partis, laterumque inſerebantur.

℣. 24. Eruntque conjunctæ a deorsum usque sursum.] Prior verſiculi pars omnes trium laterum tabulas teſpicere videtur, quæ ſibi invicem mordicus hærate debebant; poſterior veto ad duos

C tantum poſterioris Tabernaculi partis angulos teferri. Sed alius aſt hebraici textus ſenſus. Hæ duæ tabulæ (angulorum) ſimilas eruot; ad litteram [5]; geminæ eruns in ſuperioti parte, & inferiori. Hæ tabulæ utrimque duas fœminas hababant, unam in ſuperiori parte, in inferioti alteram; dum aliæ tabulæ in alterutto latere duas fœminas habebant, in altero varo duos cardines. Hebraica vox *asamin* ſignificara poteſt duas haſce craſſiores tabulas fuiſſe veluti duarum gemellarum matres, atque veluti in ſinu ſuo duos cardines utrinque excepiſſe, atque in hoc ſenſu oportuiſſet, ut ex ſex poſterioris Tabernaculi partis aſſeribus unus utrinque duplicem haberet cardinem, ſine ulla fœmina, quod iis, quæ ſuperius dicta ſunt, adverſatur. Ego vero locotionem illam

D *tabulæ erunt geminæ*, aſſerere malim ſignificare: æquæ, ſimiles, ſimulque erunt conjunctæ velut gemellæ. Hebraicus textus addit præterea, quod *gemellæ erunt ad caput*, vel io ſuperioti parte *verſus unum annulorum*; quod ſignificare poteſt fœminas in ſuperiori parte fuiſſe in directum poſitas cum uno annulorum, per quos vectes, de quibus mox locuturi ſumus, traducebantur.

℣. 26. Vectes de lignis Setim quinque.] Cum Tabernaculi longitudo cubitorum eſſent triginta, ſinguli vectes, de quibus bic ſermo, eſſe debebant ſex cubitorum. Joſephus non refert vectium numerum; ſed eorum longitudinem ſtatuit cubitorum quinque. Itaque juxta illius ſententiam ſex eſſe debebaot vectas; quoniam Tabernaculi longitudo

E cubitorum etat triginta. Tres erant, vel potius quinque vectium ordines ſecundum tabularum altitudinem, uti nonnullis placet. Textus nihil hae de ra liquido aſſetit; unus fortaſſe potuit eſſe ex quinqua vectibus compoſitus ordo. Sed inde impellor, ut quinque fuiſſe vectium ordines, aredam, quod verſiculo vigeſimo ſeptimo præcipitur, ut etiam in Occidentali parte, quæ duodecim tantum cubitis in latitudinem patebat, quinque vectes conſtituerentur.

1 הקרשים. 60. Στύλους Columnas. Aq. Sym. Th. Σανίδας. Tabulas.
2 Ἀγκωνίσκους ἀντιπίπτοντας ἕτερον τῷ ἑτέρῳ.
3 שתי ידות לקרש האחד משלבת אשה אל אחתה.
4 וארבעים אדני כסף תעשה תחת עשרים הקרש שני אדנים תחת הקרש האחד לשתי ידתיו.
5 ויהיו תאמים מלמטה ויחדו יהיו תמים על ראשו אל הטבעת האחת כן יהיה לשניהם.

tur. Sed abs re quidem eſſet quinque vectes intelligere ſecundum ipſorum capita conjunctos. De quinque igitur vectium ſecundum altitudinem ordinibus eſt explicandum.

℣. 28. QVI MITTENTVR PER MEDIAS TABVLAS.] Videlicet, juxta hebraicum [1] textum: *In craſſitie tabularum clauſtri vectis erit, qui ab una extremitate ad aliam traducetur*. Plures Interpretes [2] aſſerunt, vectem hunc per tabularum craſſitiem fuiſſe tranſmiſſum, atque ab uno clauſtri angulo ad alium uſque pervaſiſſe. Idem intelligitur ex capite 36. 33. *Fecit quoque vectem alium; qui per medias tabulas ab angulo uſque ad angulum perveniret*. Vectes, qui per annulos immittebantur, erant extra tabulas (vide quæ diximus verſ. 24.); verum vectis hic erat in altitudine media, ac in ipſa tabularum craſſitie.

℣. 31. FACIES ET VELVM DE HYACINTHO.] Velum hoc maxime pretioſum erat, tum propter materiam illius, cum propter texturam, coloreſque. Judæi apud Malvendam dicunt, velum Sanctuarii quatuor fuiſſe digitis craſſum, ne per illud quiſquam poſſet conſpicere: verum hæc præcautio nullatenus erat neceſſaria, nam cum Lux in Sanctuarium minime pervaderet, oculorum acies illuc penetrare non poterat, cum etiam ſimplici velamine obductum fuiſſet.

OPERE PLVMARIO.] Hebraice מעשה חשב: *Opere artificis, qui delineat, vel qui invenit*. Velum hoc vel textoris opera ita elaboratum erat, vel acu phrygio pictum; pluribus coloribus variegatum erat, plurimiſque exornatum imaginibus. Vide verſic. 1.

℣. 32. QVOD APPENDES ANTE QVATVOR COLVMNAS.] Tabernaculi longitudo bifariam erat diviſa. Pars interior, quæ *Sanctuarium* vocatur, ab alia, quæ *Sanctum* dicitur, quatuor columnis ſeparabatur, e lignis ſetim elaboratis, laminiſque aureis obductis. Interpretes quidam illis aurea capitella tribuerunt: ſed plerique [3], iique recentium Interpretum eruditiſſimi contendunt, hebraicum ווים *vau* ſignificare tantum uncos quoſdam ſupra columnas poſitos, qui velis ſubſtendandis inſerviebant, quæ in anteriori parte deſcendebant. Quod operæ puto pretium ad examen hic revocare.

Septuaginta [4], & Vulgata hebraicum *vavim* plerumque vertunt capitella. Hebraicum *vau* non invenitur alibi in Scriptura, quam in Moyſe, neque ipſius ſtatui ſignificatio poteſt, niſi diverſa loca, ubi invenitur conferendo, & ſermonis decurſum examinando. Nam quoad illud, quod Grammatici quidam aſſerunt, nomen *vau* inditum fuiſſe litteræ cognomini, quod unci refert ſimilitudinem, qui *vau* quoque appellatur; ratio illa nulla eſt; mera enim eſt principii petitio. Veteres enim Hebræi temporibus Moyſis, qui litteram *vau* habebant, & hoc nomine nuncupabant, nequiverunt illi hoc nomen ab unci ſimilitudine imponere; nam in veteri ipſorum alphabeto, littera hæc alia ſignabatur nota, quæ toto cælo erat diverſa. Animadvertendum eſt porro; primo, ſi Moyſes noluit nomine *vavim* denotare capitella columnarum Tabernaculi, dicendum eſſe, ipſum illorum numquam materiam ſignaſſe, vel formam, quamquam columnas has diligentius in quatuor Exodi capitibus diverſis deſcribit, ſcilicet 26. 27. 36. 38. Quis autem ſibi perſuadere velit, Moyſen, cum diligenter adeo loquatur de truncis, & baſibus columnarum, atque deſcribat uncos etiam, & vittas, quibus ornabantur, præterire voluiſſe illarum capitella? Neque enim dixeris, nulla columnis bis capitella fuiſſe, & illos eoſdem, qui *vavim* pro *uncis* vertunt, ſupponere, columnas has ſine eſſentiali adeo ornatu extitiſſe.

Secundo, Moyſes ait *vavim auro obductum iri*. Vide cap. 27. 10. 11. & 36. 38. & 38. 10. 11. & alibi, *illorum capita*, vel *illorum ornamenta, & cælaturas iri deauratum*; ergo non erant hi ſimplices unci columnis hærentes. Unci ex auro ſolido eſſe debuiſſent, non autem auro tantum obducti in columnis Sancti, & Sanctuarii. Alioquin non innuit Moyſes ex qua materia unci hi futuri fuerint, quamquam aſſerat, auro cooperiri oportere. Hæc erant procul dubio capitella, ut reliquæ columnarum partes e lignis ſetim confecta, atque laminis aureis circumveſtita. Denique quid prodeſſe in uncis potuiſſent cælaturæ?

Tertio, Scriptura capite 38 28. ait, 1775. argenti ſiclos inſumptos fuiſſe, ut fierent ſexaginta *vavim* columnarum in Atrio. Num hac argenti copia fuiſſet opus, ut ſexaginta fierent uncinuli ad cortinas ſuſpendendas idonei? Adde his, quod Scriptura perſpicue ſatis diſtinguit annulos, vel uncos, qui cortinis ſuſpendendis erant inſervituri, a capitellis, de quibus hic ſermo. Annulos hos *Keraſim* appellat verſ. 33. hujus capitis. Credimus igitur a Vulgata, & Septuaginta nequaquam eſſe recedendum in verſione hebraicæ vocis hujus *vavim*, atque hanc vere capitella ſignificare.

Hæc autem capitella diverſa erant ab illis, quæ Græci, & Romani columnis ſuis imponebant. Moyſes architecturam, ac Tabernaculi compoſitionem juxta Ægyptiorum conſuetudinem præſcripſit; cui ipſe quoque aſſueverat, ut etiam artifices illi, quos in hoc opus exercuit. Quænam vero Ægyptiarum columnarum eſſet forma, Athenæus, qui in eadem regione ortus erat, ita deſcribit lib. 5. c. 9. Dipnoſophiſt. „Columnæ rotundæ apud Ægyptios circu-„lis nigris, atque albis ornantur in æquali diſtan-„tia diſpoſitis uno poſt alium. Harum columnarum „capitella rotunda ſunt, atque in ſua circumferen-„tia ſimilitudinem referunt roſæ, quæ hiare inci-„pit. Capitellum non exornatur, more Græcorum, „elicibus, vel foliis acanthi, ſed calicibus loti, „qui in flores excreſcunt, vel palmæ fructibus, a-„liarumve arborum. Quoad capitelli ortum, ubi „columnæ trunco adhæret, componitur e foliis, ac „floribus colocaſiæ invicem intextis. Hoc autem pacto columnas ſuas ornabant Ægyptii, ac tales præter propter erant Tabernaculi columnæ. Illarum capitellum ſimile erat calici roſarum, floribuſque, & fructibus decoratum, ut Athenæum modo audivimus differentem; atque pro vittis argenteis in ſpiras circumactis, quas illi tribuunt Interpretes, argenteis quidem vittis in annulorum ſpeciem exornabatur, quæ una ſuper aliam ad æqualem diſtantiam erant diſpoſitæ. Eorum, quæ Athenæus ait, imaginem animo concipere licet, conſiderantibus tabulas Iſidis a Pignorio explicatas, ubi nonnullæ Ægyptiæ columnæ videntur. Reor autem formam columnarum Salomonici Templi eadem fere arte, ac ſpecie fuiſſe, ac illarum, quas deſcripſimus.

Verum ut ad Tabernaculi columnas revertamur, velum, quod deſcribitur verſ. 31. hujus capitis, ab illis pendebat per quoſdam annulos, vel uncinulos, uti dicitur verſ. 33.

Legimus in Samaritano textu poſt verſ. 35. longam additionem ex 29. hujus libri capite deſumptam a verſiculo primo uſque ad decimum primum, ubi præcepit Moyſi Deus, ut vitulum, duoſque arietes ſumeret pro conſecratione Aaron, cum panibus, aliiſque placentarum oblationibus, atque Aaronem, filioſque illius ſacris veſtibus indueret, oleo ſacro ungeret, eos oſtio Tabernaculi offerret, & coram Domino vitulum, duoſque arietes immolaret. Ex his omnibus nihil eſt in Hebraico textu, nihil in Chal-

1 והבריח התיכן בתוך הקרשים מברח מן הקצה אל הקצה.
2 Ita Heb. Vatabl. Simlerus, Lyranus &c.
3 Mountan. Vat. Oleaſt. Piſcat. &c.
4 70. Κεφαλίδες, capitella.

Chaldaica, nihil in Septuaginta, aliiſque verſionibus in hoc loco; ſed hæc inveniuntur, uti docuimus, in undecim primis verſiculis cap. 29. dum in Samaritano textu in eodem loco deficiunt.

℣. 36. FACIES ET TENTORIUM IN INTROITU TA- A BERNACULI.[1]] Nomine Tabernaculi Sanctum eſt intelligendum, quod velo claudebatur. Velum hoc differens erat a velo Sanctuarii. Primum quod acu pictum erat; deinde quod columnæ quinque illud ſuſtinebant, quarum baſes erant æneæ.

1 Vide Exod. 36. 47. & 38. Velum hic appellatur, מסך. Ἐπίσπαστρον, *Velum, quod trahitur*. Alius, Περικάλυμμα, id quod operit.

CAPUT XXVII.


Deſcriptio Altaris Holocauſtorum, Atrii Tabernaculi, columnarum illius, & Candelabri.

1. FAcies & altare de lignis Setim, quod habebit quinque cubitos in longitudine, & totidem in latitudine, ideſt quadrum, & tres cubitos in altitudine. 2 Cornua autem per quatuor angulos ex ipſo erunt; & operies illud ære. 3 Facieſque in uſus ejus lebetes ad ſuſcipiendos cineres, & forcipes, atque fuſcinulas, & ignium receptacula; omnia vaſa ex ære fabricabis. 4 Craticulamque in modum retis æneam; per cujus quatuor angulos erunt quatuor annuli ænei. 5 Quos pones ſubter arulam altaris: eritque craticula uſque ad altaris medium. 6 Facies & vectes altaris de lignis Setim duos, quos operies laminis æneis: 7 Et induces per circulos, eruntque ex utroque latere altaris ad portandum, 8 Non ſolidum, ſed inane, & cavum intrinſecus facies illud, ſicut tibi in monte monſtratum eſt. 9 Facies & atrium tabernaculi, in cujus auſtrali plaga contra meridiem erunt tentoria de byſſo retorta: centum cubitos unum latus tenebit in longitudine. 10 Et columnas viginti cum baſibus totidem æneis, quæ capita cum cælaturis ſuis habebunt argentea. 11 Similiter & in latere Aquilonis per longum erunt tentoria centum cubitorum, columnæ viginti, & baſes æneæ ejuſdem numeri, & capita earum cum cælaturis ſuis argentea. 12 In latitudine vero atrii, quod reſpicit ad occidentem, erunt tentoria per quinquaginta cubitos, & columnæ decem, baſeſque totidem. 13 In ea quoque atrii latitudine, quæ reſpicit ad orientem, quinquaginta cubiti erunt, 14 In quibus quindecim cubitorum tentoria lateri uno deputabuntur, columnæque tres, & baſes totidem; 15 Et in latere altero erunt tentoria cubitos obtinentia quindecim, columnæ tres, & baſes totidem. 16 In introitu vero atrii fiet tentorium cubitorum viginti ex hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & byſſo retorta, opere plumarii: columnas habebit quatuor, cum baſibus totidem. 17 Omnes columnæ atrii per circuitum veſtitæ erunt argenteis laminis, capitibus argenteis, & baſibus æneis. 18 In longitudine occupabit atrium cubitos centum, in latitudine quadraginta, altitudo quinque cubitorum erit; fietque de byſſo retorta, & habebit baſes æneas. 19 Cuncta vaſa tabernaculi in omnes uſus, & cæremonias, tam paxillos ejus, quam atrii, ex ære facies. 20 Præcipe filiis Iſrael, ut afferant tibi oleum de arboribus olivarum puriſſimum, piloque contuſum: ut ardeat lucerna ſemper. 21 In tabernaculo teſtimonii, extra velum quod oppanſum eſt teſtimonio: & collocabunt eam Aaron, & filii ejus, ut uſque mane luceat coram Domino, Perpetuus erit cultus per ſucceſſionem eorum a filiis Iſrael.

℣. 1. FACIES, ET ALTARE DE LIGNIS SETIM. A Altare hoc erat illud Holocauſtorum, quod patebat quinque cubitis in quadrum, tribuſque cubitis altitudine præſtabat (altitudine ſcil. Regiorum pedum circiter ſex.) Situm erat ad Orientem, ante aditum Sancti ſub dio. Rabbini vero altitudinem illi majorem tribuunt, quam cubitorum trium; atque trium cubitorum altitudinem, quam Moyſes aſſignat, metiri incipiunt a crenia quadam, quæ aderat ad medium altitudinis. Vide ℣. 5.

℣. 2. CORNUA AUTEM PER QUATUOR ANGULOS EX IPSO ERUNT.] Ex quatuor altaris angulis quatuor veluti cornua exurgebant, quæ ex eodem erant metallo, eodemque opere, ac altare reliquum. Nonnulli[1] putant, ſimplices fuiſſe radios, qui ex altari exiſte

1 Rabb. Salom. Lippomanus.



ALTARE HOLOCAUSTORUM.

NAPOLI

Digitized by Google

exiſtebant, ac in quatuor angulis cornuum ſpeciem A referebant. Alii [1] aſſerunt quatuor hæc cornua idem fuiſſe, ac quatuor angulos Altaris, ſuper quos liquores effundebantur. Sed certum eſt quatuor vere fuiſſe cornua ærea, quæ ex quatuor altaris angulis eminebant, ut liquet ex Ezechiele 43. 15. *Ab Ariel uſque ad ſurſum, quatuor cornua.*

Spencerus de leg. ritual. l. 3. c. 4. diſſertat. 2. exquiſitiſſima eruditione collegit, quidquid de his cornibus dici poteſt, quæ olim in altaribus ponebantur. Obſervat autem, Veteres Ethnicos ſæpius deos ſuos, Reges, Heroas, fluvios, ſtatuas, altaria cum cornibus repræſentaſſe. Obſervantia, qua eadem venerabantur, non minima pars erat Religionis eorumdem. Suſpendebantur de Arboribus, Bacchi fronti affigebantur, uti etiam Iſidis, Jovis Ammonis, Ale- B xandri Magni &c. Ethnici altaria ſua pluribus cornibus exornabant. Martialis.

Diſſimulatque Deum cornibus Ara frequens.

Et ſæpius eadem ex ſolis cornibus ædificabant. Ovid. Ep. 20. ad Acont.

Miror & innumeris ſtructam de cornibus Aram.

Diogenes Laertius in Pythagoræ vita ſtructuræ ejuſdem altare deſcribit. Callimachus loquens de urbe quadam in honorem, & ſub auſpiciis Dianæ, & Apollinis condita, ait, Dianam e venatu ſuo plurima caprarum cornua attuliſſe, & ex illis Apollinem aram ædificaſſe. Plutarchus aſſerit Theſeum choream egiſſe circum Aram ex ſiniſtris tantum cornibus extructam. Martialis deſcribit aram Apollinis Delii e cornibus conditam, & quæ veluti miraculum quod- C dam habebatur. Hæc cornua erant veluti trophæum plurimarum victimarum, quæ his Numinibus fuerant immolatæ.

Sed cornua Altaris Tabernaculi, natura, atque uſu admodum erant diverſa: ornatui tantum inſerviebant; vel poſita erant, ut ferrea crates inde ſuſpenderetur, quæ in altaris cavitate pendebat; vel denique ut victimæ alligarentur, quæ aliquando ad Aræ pedes jugulabantur. Sententia hæc loco quodam pſal. 117. 27. confirmatur: *Conſtituite diem ſolemnem in condenſis, uſque ad cornu altaris*; quem aliqui juxta Hebraicum textum transferunt: *Alligate cum funibus victimas ad cornu altaris.* Verum utrum vera ſit hujus loci ille ſenſus, ambigi- D tur, uti alibi videbimus. Toſtatus arbitratur his cornibus appendi potuiſſe inſtrumenta, quibus in ſacrificiis utebantur. Ethnici habebant altaria cum cornibus ſimilibus Altaris Holocauſtorum cornibus, uti ex averſa quorumdam numiſmatum parte innoteſcit.

℣. 3. FACIESQUE AD USUM EJUS LEBETES &c.] Ita Septuaginta [2] verſiculum hunc transferunt: *Facies Altari coronam, & operculum, & phialas, & fuſcinulas ad extrahendas carnes ex olla, & focum* (vel ignitabulum), *quæ omnia ex ære conficies.* In Hebraico textu quinque memorantur inſtrumenta, cum Vulgata quatuor tantum expreſſerit. Primum eſt *ſiroth* סירות, quod ſignificat lebetem, vel quid ſimile; illiuſque uſus in Textu adnotatur; inſerviebat enim *ad ſuſcipiendos cineres*, videlicet ad colligendos, ſumendos, & extra caſtra deferendos. Statui E vero poterat ſub crate Altaris Holocauſtorum. Secunda vox eſt יעים *jaim*, quam plerique vertunt *batilla*; Syriaca, inſtrumenta ad ignem ſubjicendum, & alii plures, *ſcopas*. Inſtrumentum hoc erat ex ære. Illi verſioni adhærere poſſumus, quæ transfert *batilla*. Rabbinus Salomon ait, ea fuiſſe forma ollarum operculis ſimilia, cum manicis. Neſcio vero,

A an Vulgata vocem *jaim* vertere voluerit, vel ſequentem, nomine *forcipum*.

Tertia Hebraica vox eſt *mizrekoth* מזרקת. Fluit a radice, quæ ſignificat diſpergere. Septuaginta plerumque eam vertunt *phialas*, quæ vox craterem, vel pateram ſignificat, qua utebantur, ut liquores effunderent. Liquet ex Amos 6. 6. & Zacharia 9. 15. & 14. 20. fuiſſe vas, quo bibebatur. Alii hebraicum vocabulum vertunt lebetes, pelves, aut ſcutellas. Inde vero probari poſſet inſtrumentum hoc pelvis, vel pateræ ſpeciem ſignificare, quod in Numerorum libro cap. 7. offertur ſemper farina cum oleo ſubacta refertum; atque ut diſtinctius aliquid afferam, vas illud ſignificari dicerim, quo ſanguis victimarum, & excipiebatur, & effundebatur circum aram, & ad pe- B des illius. Moyſes paſſim utitur verbo *ſarak*, a quo fluit *miſrakoe*, ut ſignificet victimarum ſanguinis effuſionem.

Quarta Autographi vox eſt *mislegeth* מזלגות. Hoc plane illud eſt, quod Septuaginta [3] exprimere voluerunt vertendo *fuſcinulas ad extrahendam carnem ex cacabo*. Hæc equidem vera eſt ipſius ſignificatio, uti liquet ex libro primo Regum 21. 13. *Veniebat puer Sacerdotis . . . . & habebat fuſcinulam tridentem in manu ſua* (Hebraice *mizlag*). Vox hæc idem quoque in Arabica lingua ſignificat, quæ plurium hebraicarum vocum ſervavit originem.

Quinta vox hebraici textus eſt *machtoth* מחתות, quam Vulgata vertit *ignium receptacula*. Septuaginta Πυρεῖον, & Arabica, focos. Nemo inficias ire po- C teſt, vocem hanc ſæpius thuribula ſignificare, ac Interpretes plures in hoc ſenſu iſtic accipiunt, ſed nullus erat thuribulorum uſus ad altare Holocauſtorum; thuribula vero altaris thymiamatum erant aurea. Vox hæc ſignificat etiam aliquando menſarios foculos, aut aliud inſtrumentum ad ignem deferendum (Vide ad Levit. 16. 12.); & maxima veri ſpecies adeſt, Templi thuribula admodum eſſe a noſtris diverſa, ſed fuiſſe veluti pyrana, ſed diligentiori cura elaborata, ac pretii majoris. Vidimus capite 25. 38. Hebraicam vocem hanc ſignificare emunctorii ſpeciem, quod candelabri lucernis inſerviebat.

℣. 4. CRATICULAMQUE IN MODUM RETIS ÆNEAM.] Verſiculus hic, & ſequentes Interpretibus ne- D gotium faceſſunt, quoniam Textus verba nimis conciſa ſunt, atque confuſa. Ita vero legit textus Hebraicus [4]: *Facies altari cribrum* (vel cratem) *in modum retis æneam, & ſuper hanc retem facies quatuor annulos æneos ad quatuor extremitates*, (5) *& pones* (cratem) *ſub Altaris tænia per inferiorem partem, & erit rete uſque ad medium altaris*; (6) *facieſque annulos æneos ad altare deferendum.* In eo poſita eſt difficultas. Primo, ut cratem colloces. Secundo, ut ſcias, utrum haberes illa annulos, & vectes diſtinctos ab illis, qui altari deferendo inſerviebant. Locus ille capitis 38. ubi Moyſes enarrat, ea omnia, quæ hic præcipit, executioni mandata, innuit ſimpliciter, quod Moyſes *fudit quatuor annulos per totidem retiaculi ſummitates, ad immittendos vectes ad portandum*; additque verſic. 6. 7. juxta E Hebr. *Et fecit vectes de lignis Setim, quos operuit ære*, (7) *& induxit eos in annulos, qui erant in lateribus altaris ad portandum illud.* En igitur annulos, ac vectes perſpicue notatos, tum ad altare, cum ad cratem deferendam.

Quoad locum, ubi crates ſtatuebatur, Textus palam ait eam fuiſſe ſub tænia Altaris per inferiorem partem

[1] Rivet. & Montan. in Villalpand.

[2] Ποιήσεις στεφάνην τῷ θυσιαστηρίῳ, καὶ τὸν καλυπτῆρα αὐτοῦ, καὶ τὰς φιάλας αὐτοῦ, καὶ τὰς κρεάγρας αὐτοῦ, καὶ τὸ πυρεῖον αὐτοῦ, καὶ πάντα τὰ σκεύη αὐτοῦ ποιήσεις χαλκᾶ.

[3] 70. Κρεάγρας. Vulg. Fuſcinulas.

[4] ועשית לו מכבר מעשה רשת נחשת ועשית על הרשת ארבע טבעות נחשת על ארבע קצותיו.

partem immiſſam, atque illam uſque ad altaris medium deſcendiſſe. Credunt nonnulli tæniam hanc fuiſſe fimbriam, vel coronam, quæ ſuperiorem aræ partem circum ambiebat; ſed alii docent tæniam hanc fuiſſe in media altaris altitudine poſitam cubito uno, cum dimidio a pede diſtantem, & a ſuperiori altaris vertice in æquali diſtantia. Moyſes refert *cratem eſſe debere ſub corona, vel fimbria*, neque ponendam eſſe pro ſuperiori parte, atque deſcendere debere in cavitatem, vel profunditatem Altaris uſque ad profunditatis hujus medietatem. Crates ergo ſuſpenſa erat procul dubio a quatuor aræ cornibus, per catenas, in annulos illius immiſſas.

Toſtatus credidit cratem non intus, ſed extra altare poſitam fuiſſe, atque huic pro ornatu fuiſſe ad altitudinis medietatem. Alii apud Toſtatum cenſuere, cratem hanc fuiſſe veluti cancellos, & obicem, ne quis libere ad aram poſſet accedere. Sed hæ ſententiæ nulli ſolido incumbunt argumento.

Altaris altitudo, quæ ſaltem quinque pedum erat, & cratis ſitus, quæ erat in media altaris cavitate impellunt, ut credam, vel Altare Holocauſtorum humi partim ad ſtatam altitudinem defoſſum fuiſſe, vel circumquaque terram illi appoſitam fuiſſe, ut ad altare aſcenderetur; nam aliter Sacerdotes nonniſi ſumma cum difficultate potuiſſent cratem attingere, ut ibi victimarum membra diſponerent, & ignem accenderent, ſuppoſito quod hoc per ſuperiorem cratis partem fieret, quemadmodum loco dubium non eſt, ut videbimus infra.

PER CUIUS QUATUOR ANGULOS ERUNT QUATUOR ANNULI ÆNEI. (℣. 5.) QUOS PONES SUBTER ARULAM ALTARIS.] Plures interpretum Vulgatæ adhærentes, credunt arulam hanc fuiſſe vas æneum, ſuper quo ignis accendebatur, cujus flamma ad cratem aſcenderet, & victimarum carnes, quæ huic ſuperimponebantur, cremaret. Ita Menochius. Arula hæc, inquiunt illi, lapidibus impolitis, & rudibus, vel terræ erat impoſita, quibus Altaris capſa replebatur uſque ad altitudinis medium, juxta id, quod præcipitur Exod. 20. 24. Alii volunt, arulam hanc fuiſſe in ima Altaris parte, ut cineres, minutoſque carbones exciperet, qui per cratem dilaberentur.

Sed nec Septuaginta, nec Joſephus [1] arulam hanc aliam a crate agnoverunt, & Interpretes Hebraico textui adhærentes, credunt, vocem primitivam *carcob* ſignificare, vel coronam, & fimbriam ſuperiorem altaris, vel tæniam, quæ fuiſſe dicitur in media altaris altitudine; ſub qua erant annuli ad altare apportandum. Quoad vero non ſectos lapides, ac terram, quæ fuiſſe dicitur in capſæ capacitate, hoc minime ex Scriptura apparet; neque ulla eſt ratio, ut huc referre velis preceptum, Exodi capite 20. 24. exaratum. Denique ex pluribus Levitici locis liquet (cap. 1. 7. 17. & cap. 3. 5. & paſſim) victimarum carnes immediate lignis fuiſſe ſuperpoſitas.

Septuaginta, & Vulgata legerunt verſiculo quinto Hebraice *odam* pro *mab*; ideoque verterunt: *Pones* (annulos) *ſubter arulam*; dum in Hebraico textu, qui extat, legimus [a]: *Pones* (cratem) *ſubter tæniam*, quod non mediocrem parit difficultatem. Verum minime decet ambigere, quin hebraico præferamus rationem legendi in Vulgata, quæ hic denotat locum annulorum, quibus utebantur ad altare ferendum. Quædam in Textu verba deeſſe videntur, & Librarii, plurium ſimilium vocum occurſo irretiti, omiſere verſiculum, qui referebat edictum annulos faciendi pro altari.

Cum adhuc tot varias ſententias expoſuerim, minime reor, tædio affectum iri Lectores, ſi recentem

A Moſayci textus explicandi rationem de Altaris Holocauſtorum forma in medium afferrem. Hac porro ratione intelligimus. Hæc erat capſæ ſpecies tribus alta cubitis, hoc eſt, ſex pedibus circiter, vel quinque & dimidiato. Altitudinis hujus dimidium in pedibus abſumebatur, qui ferebant capſam, cujus intercapedo erat trium pedum, vel circiter. In ima hujus capacitatis parte ſuper pedes erant crates, & annuli, de quibus antea locuti ſumus. Ecce Moſayci textus verſionem ad litteram: *Facies altare de lignis Setim, quinque cubitorum longitudine, latitudine æquali; atque trium cubitorum altitudine. Facies cratem in retis formam quatuor annulos ad quatuor angulos habentem. Suppones tæniæ Altaris per inferiorem partem, atque erit in medio Altari. Facies vectes e*

B *lignis Setim obductos ære, ad Altare portandum. Hoc vacuum erit, atque e tabulis compoſitum, quemadmodum in monte tibi monſtratum eſt.* Nulla textus hujus pars hypotheſi noſtræ adverſatur, quin etiam aſſerere poſſumus, quod eidem ſuffragetur. Primo, Altare, quod vulgo concipimus, novem circiter pedes latum, ſex circiter altum, vel quinque cum dimidio, æneis onuſtum laminis, æneaque crate, & quibuſdam annulis, erat procul dubio prægrave nimis, quam quod vel duo homines, vel quatuor ferre potuiſſent, in ordinariis per deſertum itineribus. Secundo, ignis non adeo facile vigere potuiſſet in altaris intercapedine, cum illud undequaque penitus clauſum fuiſſet: æquum erat, ac naturale, ut per inferiorem partem aeri meatus pateret. Tertio, in

C hac noſtra ſuppoſitione commode intelligi poteſt, quomodo cineres colligi poſſent a lebete crati ſuppoſito. Quarto, aer, qui præbebatur Altari, illud in inferiori parte aperiendo, obſiſtebat, ne nimis incaleſceret, æs liquefieret, ac tabulæ comburerentur. Quinto, hoc pacto levi negotio conciliatur, quidquid dictum eſt de crate Altaris tæniæ ſubpoſita, & de annulis cratis, & aræ. Annuli altaris, & cratis iidem ſunt. Altaris capſæ erant adnexi ibi, ubi crates ſtatuebatur; & plane inſerviebant ſimul, & crati in ſitu ipſius continendæ, & altari ferendo. Sexto denique, aræ omnes, quæ in Tabulis Iſidis repræſentantur, ſunt eo modo conſtitutæ, quo Moſaycum altare deſcripſimus. Hæ ſunt capſarum ſpecies pedibus ſuffultæ, qui tantumdem habens altitudinis, ac ipſæ capſæ.

D ℣. 9. FACIES ET ATRIUM TABERNACULI.] Atrium Tabernaculi centum cubitis oblongum erat ab Oriente ad Occidentem, & quinquaginta cubitis latum a Septentrione ad Meridiem: in quocumque longitudinis latere viginti erant columnæ ære ſuperinductæ, & quinque cubitis altæ, cum capitellis ornatis ex argenti laminis, ac baſibus æneis. In penitiori parte, ſeu plaga Occidentali decem columnæ aderant ex eadem materia, iiſdemque ornatibus decoratæ. Magna e goſſypio velamina ex his columnis pendentia, a tribus lateribus atrium circumdabant. Quoad faciem, quæ in Orientali plaga erat poſita, ubi erat aditus, quinquaginta cubitis in longitudinem patebat. In hoc intervallo viginti cubiti vacui relicti ſunt,

E ut pro janua inſervirent. In intervalli hujus lateribus hinc, & inde tres æneæ columnæ erant poſitæ argenteis foliis obductæ, vel ſimpliciter argenteis circulis exornatæ, qui illas ſubinde circumdabant. Præter ſex has columnas aliæ quatuor aderant in ingreſſu, quæ geſtabant velum præ aliis maxime pretioſum, viginti oblongum cubitis, altum vero quinque, qui ante aditum pendebat, ipſumque claudebat.

ERUNT TENTORIA EX BYSSO RETORTA.] Hebraica vox *Kelaim* קלעים, uti explicant Interpretes, reticulata opera ſignificat, & velamina, quæ minime ob-

---

1 70. Ἐσχάρα. Xenophon l. 8. Cyropæd. loquens de igne ſacro, qui in receptabulis poſt Cyrum deferebatur, voce uſus eſt ἐσχάρα.

a ונתתה אתה תחת כרכב pro נתתה מתחת

me obſiſtebant, ne per ipſa in Atrium conſpicerentur, quamquam aditus clauderetur. Vox hæc alia eſt ab ea, qua uſus eſt Moyſes, ut vela Tabernaculi ſignificaret.

℣. 10. QUÆ CAPITA CUM CÆLATURIS SUIS HABEBUNT ARGENTEA.] Videlicet capitella columnarum, & annulos, quibus circumambientur, erunt ex argento. Adiri poſſunt ea, quæ de vocum textus ſignificatione dicta ſunt in c. 26. 32.

℣. 14. IN QUIBUS QUINDECIM CUBITORUM TENTORIA.] Septuaginta vertunt: *Altitudo velorum erit quindecim cubitorum in latere uno*. Intelligendum eſt de velorum longitudine, quæ a Septentrione extenſa erant in Meridiem, & a Meridie ad Septentrionem in utroque latere aditus atrii. Facies habebat cubitos quinquaginta; viginti erant pro aditu; ac triginta, qui ſuperſunt, clauſi erant duobus velis, quorum utrumque quindecim cubitis patebat.

℣. 16. COLUMNAS HABEBIT QUATUOR.] Quatuor hæ columnæ inter ſe æquali erant diſtantia diſpoſitæ, in viginti cubitorum intervallo, quod eo claudebatur velo, quod in hoc deſcribitur verſiculo. Velum hoc elaboratum erat *opere plumarii*, ſive acu pictum, dum velum Sanctuarii ſimplicius erat, & diſcolori dumtaxat textura, *opere artificio*. Vide cap. 26. 31. *Opere plumario, & pulchra varietate contextum*. Hebr. *Opere artificis (ſeu cogitantis) facies illud Cherubim*.

℣. 17. VESTITÆ ERUNT ARGENTEIS LAMINIS.] Hebraice: *eorum circuli, & capitella erunt de argento, baſes vero æreæ*. Eorum capitella erant argenteis laminis veſtita, & trunci argenteis circulis identidem exornati, baſes vero æneæ.

℣. 19. CUNCTA VASA TABERNACULI EX ÆRE FACIES.] Septuaginta ſimpliciter habent: *Omnia vaſa, & cuncta inſtrumenta, & paxilli erunt ex ære*. Vox *Tabernaculi* in ipſorum textu non adeſt, vel ſaltem id minime expreſſerunt; & certe aſſeri nequaquam poteſt omnia vaſa, vel omnia inſtrumenta Tabernaculi fuiſſe ænea. Vidimus ſuperius, vaſa Sancti fuiſſe ænea. Igitur pro *Tabernaculo* hic atrium eſt intelligendum, ac vaſa illius.

PAXILLI.] יתדות ſunt, vel uncinuli columnis annexi ad ſuſtinenda periſtromata, vel paxilli humi defixi ad funes detinendas.

OLEUM DE ARBORIBUS OLIVARUM PURISSIMUM.] Septuaginta [1]: Oleum ex oliva purum, & defæcatum. Hebræus [2]: *Oleum de oliva purum, & fractum*. Hoc eſt procul dubio primum oleum, quod ſponte quodammodo fluit, ſimul ac olea fracta eſt, nec dum prælo ſubacta: *Quoniam longe melioris ſaporis eſt, quod minore vi preli, quaſi luxurians defluxerit*, inquit Columella libro 12. capite quinquageſimo.

UT ARDEAT LUCERNA SEMPER.] Septem lucernæ candelabri noctu ſemper ardebant, ea quotidie mane extinguebantur. Joſephus Antiq. lib. 3. cap. 9. ait, tres interdiu ardere conſueviſſe; & Hecatæus apud Euſebium Præpar. l. 9. cap. 4. aſſerit, & noctu, & interdiu lumen fulſiſſe in Tabernaculo. Lyranus, & Cajetanus credunt, quod hæ lucernæ nunquam extinguerentur, quod textus innuit, eas ſemper micaſſe: ſed oppoſita ſententia pleriſque vulgo arridet, & ex libro primo Regum cap. 3. 3. patet, eas mane extinctas fuiſſe. *Lucernæ priuſquam extinguerentur, Samuel dormiebat*. Vide etiam Exod. 27. 21. & 30. 8. Levit. 24. 3. *Ponetque eas Aaron a veſpera uſque ad mane coram Domino*.

℣. 21. IN TABERNACULO TESTIMONII.] Scilicet in Sanctuario, ubi erat arca teſtimonii, quæ continebat tabulas fœderis, vel Legis, vel Teſtimonii; nam Scriptura omnibus his nominibus illud appellat. Vide Exod. 25. 21. vel *Tabernaculum teſtimonii* dicitur, quia ibi Deus per Moyſen voluntatem ſuam ſignificabat. Alii vertunt Tabernaculum, vel Tentorium cœtus אהל מועד, quia populus conveniebat illuc, veluti in aulam Regis, illius imperia excepturus.

Templum Gaditanum, Herculi dicatum, & propter ipſius vetuſtatem celeberrimum maximam cum hoc Tabernaculo habebat ſimilitudinem; & ritus, qui ibi obſervabantur, non valde erant diverſi ab iis, quos hic Moyſes conſtituit. Templum hoc vetuſtiſſimum a Phœnicibus conditum fertur, atque ibi hujus populi ritus invaluerant. Silius Italicus ita illud deſcribit l. 3.

Vulgatum, nec caſſa fides, ab origine fani
Impoſitas durare trabes, ſolaſque per ævum
Condentum noviſſe manus: hic credere gaudent
Conſediſſe Deum, ſeniumque repellere templis.
Tum quis fas, & honos adyti penetralia noſſe,
Fœmineos prohibent greſſus, ac limine curant
Setigeros arcere ſues. Nec diſcolor ulli
Ante aras cultus: velantur corpora lino,
Et Peluſiaco præfulget ſtamine vertex.
Diſcinctis mos thura dare; atque e lege parentum
Sacrificam lato veſtem diſtinguere clavo.
Pes nudus, tonſæque comæ, caſtumque cubile:
Irreſtincta focis ſervant altaria flammæ.
Sed nulla effigies, ſimulacraque nota Deorum
Majeſtate locum, & ſacro implevere timore.

1 Ἔλαιον ἐξ ἐλαιῶν, ἄτρυγον κεκομμένον.
2 שמן זית זך כתית.

CAPUT XXVIII.

Deſcriptio veſtium Pontificalium Aaronis, & filiorum illius.

℣. 1. APplica quoque ad te Aaron fratrem tuum cum filiis ſuis de medio filiorum Iſ-
rael, ut ſacerdotio funganrur mihi : Aaron, Nadab, & Abiu, Eleazar, &
Ithamar. 2 Facieſque veſtem ſanctam Aaron fratri ruo in gloriam, & de-
corem. 3 Et loqueris cunctis ſapientibus corde, quos replevi ſpiritu prudentiæ, ut fa-
ciant veſtes Aaron, in quibus ſanctificatus miniſtret mihi. 4 Hæc autem erunr veſti-
menta, quæ facient : Rationale, & ſuperhumerale, tunicam, & lineam ſtrictam, cida-
rim, & balteum. Facient veſtimenta ſancta fratri tuo Aaron, & filiis cjus, ut ſacerdo-
tio funganrur mihi. 5 Accipietque aurum, & hyacinrhum, & purpuram, coccumque
bis tinctum, & byſſum. 6 Facient aurem ſuperhumerale de auro, & hyacintho, &
purpura, coccoque bis tincto, & byſſo retorta, opere polymito. 7 Duas oras junctas
habebir in utroque latere ſummitatum, ut in unum redeant. 8 Ipſa quoque texrura,
& cuncta operis varietas erit ex auro, & hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto,
& byſſo retorta. 9 Sumeſque duos lapides onychinos, & ſculpes in eis nomina filio-
rum Iſrael : 10 Sex nomina in lapide uno, & ſex reliqua in alrero, juxta ordinem na-
tivitatis eorum. 11 Opere ſculptoris, & cælatura gemmarii, ſculpes eos nominibus fi-
liorum Iſrael, incluſos aureo, atque circumdatos: 12 Et pones in utroque latere ſu-
perhumeralis, memoriale filiis Iſrael. Portabitque Aaron nomina eorum coram Domino
ſuper utrumque humerum, ob recordationem. 13 Facies & uncinos ex auro, 14 Et
duas catenulas ex auro puriſſimo ſibi invicem cohærentes, quas inſeres uncinis. 15
Rationale quoque judicii facies opere polymito juxta rexruram ſuperhumeralis, ex au-
ro, hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & byſſo rerorta. 16 Quadrangulum
erit, & duplex : menſuram palmi habebit ram in longitudine, quam in latitudine. 17
Poneſque in eo quatuor ordines lapidum : in primo verſu erir lapis ſardius, & topa-
zius, & ſmaragdus: 18 In ſecundo carbunculus, ſapphirus, & jaſpis: 19 In tertio
ligurius, achates, & amethyſtus: 20 In quarto chryſolitus, onychinus, & beryllus:
incluſi auro erunr per ordines ſuos. 21 Habobuntque nomina filiorum Iſrael ; duode-
cim nominibus cælabuntur, ſinguli lapides nominibus ſingulorum per duodecim Tribus.
22 Facies in rationali catenas ſibi invicem cohærentes ex auro puriſſimo : 23 Er duos
annulos aureos, quos pones in utraque rationalis ſummitate: 24 Catenaſque aureas
junges annulis, qui ſunt in marginibus ejus: 25 Et ipſarum catenarum extrema duo-
bus copulabis uncinis in urroque larere ſuperhumeralis, quod rationale reſpicit. 26
Facies & duos annulos aureos, quos pones in ſummitatibus rationalis, in oris, quæ e
regione ſunt ſuperhumeralis, & poſteriora ejus aſpiciunr. 27 Necnon & alios duos an-
nulos aureos, qui ponendi ſunt in utroque latere ſuperhumeralis deorſum, quod reſpi-
cit contra faciem juncturæ inferioris, ut aptari poſſit cum ſuperhumerali. 28 Et ſtrin-
gatur rationale annulis ſuis cum annulis ſuperhumeralis vitta hyacinthina, ut maneat
junctura fabrefacta, & a ſe invicem rationale, & ſuperhumerale nequeant ſeparari. 29
Porrabirque Aaron nomina filiorum Iſrael in rationali judicii ſuper pectus ſuum, quan-
do ingredietur Sanctuarium, memoriale coram Domino in æternum. 30 Pones autem
in rationali judicii Doctrinam, & Veritatem, quæ erunt in pectore Aaron, quando in-
gredietur coram Domino : & geſtabit judicium filiorum Iſrael in pectore ſuo, in conſpe-
ctu Domini ſemper. 31 Facies & tunicam ſuperhumeralis rotam hyacinthinam. 32 In
cujus medio ſupra erit capitium, & ora per gyrum ejus textilis, ſicur fieri ſolet in ex-
tremis veſtium partibus, ne facile rumpatur. 33 Deorſum vero, ad pedes ejuſdem ru-
nicæ, per circuitum, quaſi mala punica facies, ex hyacintho, & purpura, & cocco bis
tincto, mixtis in medio tintinnabulis, 34 Ita ur tintinnabulum ſit aureum, & malum
punicum, rurſumque tintinnabulum aliud aureum, & malum punicum. 35 Et veſtic-
tur ea Aaron in officio miniſterii, ut audiatur ſonitus, quando ingreditur, & egreditur

Sanctua-



SUMMUS PONTIFEX VESTIBUS PONTIFICALIBUS INDUTUS

NAPOLI

Google



Digitized by Google

Sanctuarium in conſpectu Domini, & non moriatur. 36 Facies & laminam de auro pu-
riſſimo : in qua ſculpes opere cælatoris, Sanctum Domino, 37 Ligabiſque eam vitta
hyacinthina, & erit ſuper tiaram. 38 Imminens fronti pontificis. Portabitque Aaron
iniquitates eorum, quæ obtulerunt, & ſanctificaverunt filii Iſrael, in cunctis muneri-
bus, & donariis ſuis. Erit autem lamina ſemper in fronte ejus, ut placatus ſit eis Do-
minus. 39 Stringeſque tunicam byſſo, & tiaram byſſinam facies, & baltheum opere
plumarii. 40 Porro filiis Aaron tunicas lineas parabis, & baltheos, ac tiaras in glo-
riam, & decorem: 41 Veſtieſque his omnibus Aaron fratrem tuum, & filios ejus cum
eo. Et cunctorum conſecrabis manus, ſanctificabiſque illos, ut ſacerdotio fungantur
mihi. 42 Facies & fœminalia linea, ut operiant carnem turpitudinis ſuæ, a renibus
uſque ad femora. 43 Et utentur eis Aaron, & filii ejus, quando ingredientur taberna-
culum teſtimonii, vel quando appropinquant ad altare, ut miniſtrent in ſanctuario,
ne iniquitatis rei moriantur, Legitimum ſempiternum erit Aaron, & ſemini ejus
poſt eum.

ꝟ. 2. VESTEM SANCTAM . . . IN GLORIAM, ET DECOREM.] Ut honorent Sacerdotium meum pulchritudine, ac pretio veſtium ſuarum, atque ut dum Sacerdotio funguntur mihi, ſibi populi comparent benevolentiam, atque illi timorem meæ majeſtatis inſpirent.

ꝟ. 3. LOQUERIS SAPIENTIBUS CORDE, QUOS REPLEVI SPIRITU PRUDENTIÆ.] Hebræi vulgo cordi tribuunt ſpiritum, & ſapientiam, dum alii plerumque in capite collocant. Deus dicit, ſe repleſſe artifices *ſpiritu*, & *prudentia*, videlicet ſcientia, & intelligentia; ſeu quod ipſis infuſa cognitio fuerit, atque ſupernaturalis, ſeu quod fuerit naturalis, & acquiſita. Quidquid extraordinarium eſt, id omne in Scripturis Deo acceptum refertur. Veteres artificum talenta a Deo fluere credebant; & equidem tum in morali, cum in naturali Deus bonorum omnium eſt author.

IN QUIBUS SANCTIFICATUS MINISTER MIHI.] Ut ſanctius fungi poſſit munere ſuo; vel, ut ſacris his indumentis ſanctificatus ſerviat in Tabernaculo meo : perinde ac innuere vellet hæc ornamenta per ſuam ſanctificationem ſanctitatis ſpeciem illis, qui induerentur, afferre. Verti quoque poſſet Hebraicus textus [1] : Facies veſtes Aaron, ut præpares eum, atque ad ſerviendum mihi diſponas. *Sanctificare* ſæpius ſignificat ad actionem ſanctam præparare. Septuaginta : *Facies Aaron veſtes pro loco ſancto, ut illo induatur ad Sacerdotium meum exercendum.*

ꝟ. 4. RATIONALE.] De rationali, & Ephod locuti ſumus c. 25. 7.

TUNICAM.] Hebraica vox *Mehil* מעיל plerumque a Septuaginta vertitur : *Veſtis longa*. Ποδήρη, quæ fluit uſque ad pedes; vel ſimpliciter; *veſtis*, (Υποδύτης, uti Levit. 8. 6. Exod. 28. 34. & 39. 24.) aliquando etiam *tunica* (Χιτῶνα Iſai. 61. 10.) Sanctus Hieronymus hic vertit *tunicam*, & cap. 28. 31. *Tunicam ſuperhumeralis*: tunicam Ephod, videlicet veſtem, quæ immediate eſt ſubtus ephod. Pleique recentiorum Interpretum *mehil* vertunt pallium. Communis Hebræorum veſtis erat tunica, *chetonet*, & pallium *mehil*; prior immediate adhærebat carni. Pallium erat veſtis ſuperior. Ægyptiis, teſte Herodoto lib. 2. cap. 87. Phœnicibus, & Perſis idem erat veſtium genus. Nos loquemur de Sacerdotum tunica inferius; hic ea decet perpendere, quæ ad pallium ſpectant.

Summi Pontificis pallium erat coloris hyacinthini (cap. 28. 31. *Totum Hyacinthinum*); ſcilicet tunica æque e lino erat contexta, ac illa aliorum Sacerdotum (Vide Exod. 28. 40. 39. 25. Joſephum Antiquit. lib. 3. cap. 8. & Philon. l. 3. de vita Moyſis); ſed pallium procul dubio laneum erat, & cyanei coloris ſine alio ornatu. Commune Hebræorum pallium quadratum erat, ut liquet ex Deuteronomio 22. 12. *Funiculos in fimbriis facies per quatuor angulos pallii tui*. Quatuor vero pallii angulos *alas* vocabant [2], illiſque hyacinthini coloris floccos adnectebant. Sed hæc quadrata forma non eodem pacto ab omnibus Interpretibus intelligitur. Nonnulli putant ſimplicem fuiſſe quadratum pannum, vel oblongum, quin alicubi aperiretur, ſueretur ve, & ſine manicis, quod humeris ſuperimponebatur, atque multifarie corpori aptabatur, modo caput humeroſque involvendo, modo humeros dumtaxat, modo alterutrum tantum humerorum ſeorſim; modo alterutrum, vel utrumque brachium expeditum relinquendo, vel pallium ad collum in anteriori parte uncinulis adnectendo, vel uno angulorum cum flocculo humi demiſſo, alteroque complicato, ac in trianguli formam poſt tergum decidente, alios duos brachiis deferendo. Alii [3] credunt, Hebræorum pallia valde ſimilia fuiſſe Diaconorum Dalmaticis, cum e quadrato altera parte longiori fierent, ac in longitudinis medio adoperta capiti insererentur, duæque panni quadratæ partes, altera ante pectus, poſt tergum altera, quin in lateribus ullus eſſet nexus, neque ullæ manicæ dilaberentur.

Philo lib. 2. de Monarch. Joſephus lib. 2. Antiquit. cap. 8. Sanctus Hieronymus epiſt. ad Fabiolam & Jarchi credere videntur, formam pallii Summi Pontificis aliam omnino fuiſſe a forma pallii Hebræorum, quod dudum deſcripſimus. Authores hi illud in lateribus claudunt, atque ad pedes uſque demittunt, atque transferunt pro *tunica*, quæ procul dubio rotunda veſtis eſt, in lateribus clauſa. Sanctus Hieronymus manicas etiam illi tribuit. Negat Braunius illi manicas fuiſſe; ſed fuiſſe rotundam, ac in lateribus clauſam, non negat. Quod ex Moyſe erui poſſe videtur, ut hæc ſententia conſtituatur, illud profecto eſt, quod præcipit, ut in fimbria inferiori crepitacula, & mala punica circumquaque adnectantur [4], quod innuit veſtem hanc rotundam fuiſſe, & clauſam per latera inferius, ita ut haberi poſſet, velut altera tunica, vel veſtis, quæ tunicæ ſuperpo-

 nere-

1 לקדשו לכהנו לי.

2 Num. 15. 38. Deut. 22. 12. 1. Reg. 24. 5. & 15. 27. Vulgata vertit *angulos pallii*, vel *extremitatem*, vel oram, quod Hebraice alam ſignificat כנף.

3 Maimonid. Halac. Kelei Hammikd. c. 9. & Alting. orat. de ſtola Summi Sacerdotis apud Braunium l. 2. c. 5. de veſtit. Sacerd. Hebr. art. 8. Ita & Abarban. ibid.

4 Cap. 28. 33. *Deorſum vero ad pedes ejuſdem tunicæ per circuitum, quaſi mala punica.*

neretur. Itaque pallium hoc erat ſimul & aunica, ſicoti inquiunt Septuaginta, Sanctus Hieronymus, & Joſephus, & pallium formæ præter communem ordinem, eo quod clauſis erat laaeribus, ut Joſephus enarrat.

Herodotus l. 1. cap. 195. refert, Babylonios duplicem geſtaſſe tunicam, alteram lineam, laneam alteram, ſuper quas etiam pallium. In verſ. 31. 32. 33. hujus cap. explicamus, quod attinet ad hujus veſtis ornatum, ac aperturam. Ego auaem reor ſine manicis fuiſſe, ſed hinc, atque inde apertum, ut brachia exeri poſſent, quemadmodum veteres quædam figuræ videntur eum quadrata veſte ſine manicis, quæ in inferiori parte clauſa eſt, perinde ae præter propter ſi Diaconorum Dalmaaicæ claudetenaur, illiſque adimerentur illæ veluti ſemimanicæ, quæ illis vulgo tribuuntur.

LINEAM STRICTAM.] Hebraice כתנת תשבץ: *Claudes tunicam*; vel, *Facies tunicam opere ſtricto*. Verbi *ſchabaz* ſignificatio nequia uno verbo complecti. Hoc uſurpatum reperitur ad ſignificandam aunicæ lineæ texturam, atque locum conſtituendum, ubi rationalis lapides inſerti ſunt (Eaod. 28. 13. & 20.), & illi, qui erant in humeris Summi Pontificis, tum ad denotanda ornamenta tunicæ Sponſæ, in Pſalmo 44. 15. ac tunicam, qua præcinctus erat in die prælii ad Gelboe Saul 2. Reg. 1. 9. *Tenent me anguſtiæ*. Hebraice: Tenet me *ſchabaz* אחזני השבץ.

Septuaginta vocem hanc vertunt, *coſymbotos* [1], quod ſignificat einctum, clauſum, ligatum: quod plane innuere voluit Divus Hieronymus, cum vertit tunicam *lineam ſtrictam*. Interpretes iidem pſal. 44. 15. vertunt hebraicum *ſchabaz* [2]: *In fimbriis aureis*. Syriaca verſio transfert, *Tunicam e byſſo*. Arabica, *Tunicam diploidem, & phrygiis ornatam operibus*. Nequaquam conveniunt Interpretes vocis hujus ſenſum eaplicantes. Aliqui [3] vertunt, *Tunicam ornatam commiſſuris*, ſcilicet, lapidibus pretioſis, vel unionibus commiſſis, vel potius ornatam quibuſdam intervallis in palæ ſpeciem, in qua pretioſus lapis committitur. Alii [4]: *in oculorum ſpeciem figuratam*, veluti pavonis caudam, vel diſcoloribus vittis compoſitam, quæ invicem decuſſatæ veſtem eancellatam efficiunt, & multitiam. Braunius lib. 1. de veſt. Sacerd. Hebr. cap. 17. art. 4. contendia, hebraicam loci hujus vocem ſignificare genus ornamenti veſtium pretioſarum, quod in quibuſdam protuberantiis, & cavitatibus io panno ipſo, vel tela conſiſtebat, quæ eamdem ſimilem ferme efficiebana interiori parti ſtomachi bovis. Hae eadem ſimilirudine Rabbini utuntur. Eruditus Pelletetius aexturam hanc ſimilem eſſe arbitratur panno laneo, quem Itali *Reveſcio* appellamus, vel goſſypino, quem *Fuſtagno* dicimus in hordeaci grani ſimilitudinem elaborato. Hæc panni emineotia carni dicitur applicari conſueviſſe, ut ſudorem præpediret.

Sed rerum harum meliora expoſeerem argumenta, & aliquid aliud præter quorumdam Rabbinorum authoritatem. Reor autem omnes locos, ubi voa *ſchabaz*, & derivata illius inveniuotur, naturaliter ſatis eaplicari poſſe pro texaura ſtrictiori, fortiori, & condenſata magis, quam vulgata, & majori liciorum oumero compoſita. Com Moyſes loquitur de *taſchbez*, & *Miſchbeſoth* non exprimit plures liciorum colores; quod non præterit, cum aexturæ eſſe debent polymitæ, ac variegatæ. Igitur maxime credibile eſt, aunicam, de qua bie loquitur, fuiſſe ſimpliciter vel lineam, vel potius goſſypinam, ut liquet ea capite 39. 27. *Fecerunt tunicas byſſinas* (Hebr. *ſcheſch*) *opere textili, Aaron, & filiis ejus*; ſed denſiori te-

A xtura, ac ſtrictiori, & majori liciorum, quam vulgo ſoleat, numero compoſita. Aliorum Sacerdotum tunica erat e lino ſimplici, ac textura vulgata; ſaltem numquam offendimus, Moyſeu, cum de ea loqueretur, voce *ſchabaz* uſum fuiſſe. Vide Samuel. Lea tract. de Templo Salom. c. 2.

Sponſæ tunica, & illa Saul æque textæ erant, ae Summi Pontificis tunica; oiſi id eſſet diſcrimen, quod tunica Sponſæ aureis liciis eſſet contexta; ſed procul dubio Sacerdotis Magni, ac Saul tunicæ erant e ſimplici goſſypio, vel byſſo Ægyptiaca.

Pretioſi lapides in Summi Pontificis rationali, & qui in humeris ipſius eraoa poſiti, inſerti erant in aureo panno ſimiliter teato. Ad texturam hanc ſignificandam
B utitur Moyſes hebraica voce משבצות *Miſchbezot*, quæ ex eadem origine fluit, ac *taſchbez*. Neqoe eorum, quæ diximus, demonſtrativa expectes argumenta; hæ namque ſimplices conjecturæ ſunt; atqui non parum facturum me reor, ſi has omnes coojecturas convenire oſtendero cum ſermonis decurſu, atque hypotheſim noſtram explicari poſſe, dum oppoſitæ ſententiæ non eadem queaot facilitate demonſtrari. Quomodo enim probari poteſt, Magni Sacerdotis tunicam diſcolorem fuiſſe, atque ea textura, quæ interiorem partem ſtomachi bovis referret? Ne verbo quidem horum alterutrum ſaltem innuit Moyſes; ad quid autem colorum hæc inſerviret diverſitas in ea veſte, quæ ſub alia eſſet recondita, & ſub pectorali? ubinam invenitur apud veteres, contex-
C tas umquam fuiſſe telas infinitis profonditatibus, ac uniformibus proauberantiis, uti in bovis ſtomacho extant? Cum Moyſes præcipit aextnras e pluribus aureis, vel diſcoloribus liciis, id diligentius adnotat; ſed hic nihil peniaus innuit. Oſtendimus alibi (Vide Exod. 28. 32.) antiquitus tunicas e liciis pluribus fieri conſueviſſe, & belli thoraces adhiberi lineos, vel laneos, qui ictibus reſiſtebant, poſtquam aceto fuerana excocti. Hujus generis erana tunicæ Saul, Ajacis Oilei, Iphicratis, & percelebris illa Amaſis lorica, cujus teatura erat e retorao filo e 360. liciis compoſito, quæ omnia diſtingoebantur, & enumerabantur. Ægyptiis ſpecies quædam tunicæ erat, *calaſiris* vocata, quæ ferme eodem pacto erat conteata, quo modo Magni Sacerdotis tunicam elabora-
D tam fuiſſe diaimus. Veſtis hæc extraordinarii erat pretii: Democritus Epheſius illam Perſis tribuit, quamvis Pollux, Svidas, & Scholiaſtes Ariſtophanis teſtentur eam Ægyptiorum propriam fuiſſe. Vide Democr. Epheſ. l. 1. de Epheſi phano, & alios apud Briſſon. de Regno Perſar. lib. 2. Veſtis hæc ſtricta erat textura, quare fortior, & levior; atque plurimis aureis variegata graois, quæ intus in medium cum purpureis filis adnectebantur. Spooſæ tunica his ornamentis aureis eſſe poterat inſignita, ſed tunica Aaronis lævis erat uſquequaque, & forſitan ipſi lapides Ephod, & pectoralis aureis inſerti palis, in duarum veſtium iſtarum textura aſſuais. In materia vero adeo obſcura nihil auſim proferre.

E Hæ tunicæ erant contextæ nulla ſutura. Scriptura non loquitor hic de tunicæ apertura, qua caput eaeri poſſet; ſed Joſephus Antiquit. lib. 2. cap. 8. air, unam aantum fuiſſe in ſuperiori parte, atque ſuper bumeros ligari quiboſdam amenais conſueviſſe, quæ fimbriæ in poſteriori, anteriorique parte erant adnexa.

Tonica erat longior veſtis, quæ immediate carni ſuperimponebatur, uti ſubucula: quare S. Hieronymus ad Fabiolam Summi Pontificis tunicam lineæ veſti admodum ſtrictæ, qua milites utebantur, & *camiſia*

1 Κορύμβωτος; at κορύμβος juxta Heſychium ſignificat aonam more Ægyptiorom: Περίζωμα Αἰγύπτιον.
2 Κροσωτοῖς.
3 Monſterus, Vatablus, &c.
4 Junius, Pagninus, Montanus, Fagius &c.

miſia appellabatur. Orientales primum ſubligaculis induuntur, inde ſuperius tunica, quam ſubligaculis nequaquam claudunt. Tunicæ illorum variis ſunt coloribus tum pro viris, tum pro mulieribus. Hominum tunicæ ultra genua minime deſcendunt, & manicæ ad cubitos uſque pertingunt: Tunicæ vero mulierum longiores ſunt, ac diverſi coloris, atque ſæpius acu phrygio elaboratæ. Credibile quoque eſt, apud Judæos ditiores, honeſtioreſque viros detuliſſe diſcolores tunicas, auroque exornatas. Tunicæ Joſephi Geneſ. 37. 3. Thamar 2. Reg. 13. 19. ac Sponſæ Pſalm. 44. 15. perſpicua hujus rei ſunt argumenta. Sed vulgo ipſorum tunicæ e lino ſimplici erant, non ſecus ac Ægyptiorum, Phœnicumque.

Quamquam tunicæ communiter erant e lino, poterant nihilominus eſſe quandoque etiam ex lana, vel goſſypio. Brannius teſtatur, aliquando ex Indiis afferri, quæ ſunt goſſypinæ, ac e pluribus liciis textoria opera abſque ulla ſutura confectæ. Eſſe quidem poteſt pleraſque tunicarum illarum, quæ acu pictæ erant, de quibus Scriptura, & profani loquuntur, laneas etiam fuiſſe; quia plerumque Hebræi nihil cum lino immiſcebant, neque cum goſſypio, niſi forte in quibuſdam Sacerdotum veſtibus, ac in Tabernaculi velo, ubi goſſypium diſcolori lanæ erat commixtum: quæ erat veluti generalis regulæ exceptio: neque ulli umquam ſimile quidquam ferre fas erat. Tunica Domini Jeſu ſimplex erat, & tota ex lana; illæ ſaltem, quæ oſtenduntur, ex hac materia tantum confectæ ſunt. Perſarum Tunicæ purpureæ erant aliquando, ideoque laneæ. Vide Briſſonium de Regno Perſar. l. 2.

Apud Veteres plura fuiſſe Tunicarum genera invenimus. Aliæ quidem uſque ad pugnum manus erant manicatæ; aliæ manicis omnino carebant, veluti ea, quæ *colobia* nuncupabatur; aliæ denique breviſſimas habebant manicas, ita ut cubitum nequaquam excederent. Hujus generis erant Ægyptiorum Sacerdotum Tunicæ, uti ex tabulis Iſidis liquet. Apud Romanos viris turpe erat tunicas cum longioribus manicis deferre [1], ſed mos ille in Aſia minime obtinuerat, ac apud Hebræos, quorum tunicæ oblongæ erant, & bene manicatæ, præſertim in cæremoniis, ac in templo. Vide verſ. 11. & ſeq. hujus capitis.

CIDARIM.] Scriptura utitur ſemper voce *miznepheth* מצנפת cum Summi Sacerdotis mitram appellat; voce vero *migbaoth* מגבעות cum ſimplicium Sacerdotum pileos deſcribit; ſed Rabbini contendunt, duabus his vocibus unum, idemque ſignificari; pileos tum Summi Sacerdotis, cum aliorum ſimiles fuiſſe, ex telæ vitta ſexdecim ulnarum capiti obvoluta caſſidis inſtar, uti refert Maimonides, & vox *migbaoth* innuit.

Joſephus pileum Sacerdotum ita deſcribit Antiq. l. 3. cap. 8. „ Conſtat ille ex linea tela pluribus „ maeandris obvoluta, complicata, & aſſuta, ita ut „ ſpeciem vittæ craſſioris exhiberet: ſuper hunc pi„ leum tela adeſt, quæ totum involvit, ac ad fron„ tem uſque deſcendit, ut ſuturarum deformitas „ abſcondatur. Sanctus Hieronymus vero ad Fabiolam cidaris deſcriptionem tradit, quæ plurimum a Rabbinica, & Joſephi deſcriptione recedit. Pileum enim Sacerdotum rotundum fuiſſe ait, illique ſimillimum, qui Ulyſſi tribui conſueverat, perinde ac ſphera in duos hemicyclos bifariam ſecaretur, & horum alterutro pro pileo uteremur. *Tertiam partem a fronte inopertam relinquebat; atque ita in occipitio vitta conſtrictum erat, ut non facile laberetur ex capite*. E tenuiſſimo lino confectum erat, ac tela affabre ſuperimpoſita pilei ſuturæ omnes celabantur.

A Ex his omnibus ſatis liquet, non exploratam eſſe nobis Sacerdotalis pilei formam. Rabbini nobis illum exhibent, veluti pileum turbinatum: Joſephus, veluti craſſiorem vittam e vitta multiplici circumvolutam, aſſutamque, & tela obductam, quæ ſuturas abſcondit; & S. Hieronymus, veluti rotundum pileum, qui tela ſuperimpoſita ſuturas apparere prohibeat. Refert Scriptura [2], Moyſem ligaſſe, vel nexiſſe Sacerdotibus pileos in ipſorum conſecrationis ſolemnitate; ex quo licet conjicere, pileos amento obligatos fuiſſe, quemadmodum in Orientalium more poſitum erat mitras, ac tiaras ligare. Verum quemadmodum gutturi ſubnectebantur quidam, alii vero vitta vinciebantur, quæ a fronte in occipitium circumligabatur: ita non adeo facile eſt conſtituere, B uter ex his nectendi modis hic deſignetur. Caſſidis figura, quam Sacerdotum pileis fuiſſe conſtat, impellere poteſt ut credamus, quod gutturi ſubnectebantur, veluti Phrygum pilei. Juven. Sat. 6.

Et Phrygia veſtitur bucca tiara;

videlicet, juxta veterem Juvenalis Interpretem: *tiara eſt Sacerdotum Caſſis, quæ ſub mento ligabatur*. In Romanis numiſmatibus videmus pileos, qui libertatem ſignificant, cum amentis, quæ gutturi adnectebantur. Lyranus, & Toſtatus arbitrati ſunt, Sacerdotum pileos ſub mento vinctos fuiſſe: ſed S. Hieronymus ait in occipite fuiſſe adnexos, quod probabilius videtur. Græci *mitram* appellabant, & Latini vittam amentum illud, quod Sacerdotum capiti circumligando inſerviebat, cum ſacris operabantur. C Amentum hoc in occipitio nectebatur.

Sacerdotes Ægyptii [3], lineos pileos deferebant, teſte Herod. l. 2. c. 36. & 37. illis caſſidibus ſimiles, quæ caput totum, ac tempora operiebant. Adnectebantur illæ vitta quadam, quæ caput circumambiebat, ac deſinebat in nodum. Tales fuiſſe reor ſimplicium Hebraicorum Sacerdotum pileos, quos, vel nullos, vel ſaltem perbreves capillos geſtaſſe oſtendimus ad Levit. 10. 6. Ezechiel. 29. 27. *Coronam* appellat amentum, quod tiaras illorum nectebat: *Corona tua circumligata ſit tibi*. Illorum pileus e lino erat, & caſſidis formam referebat. Hæc omnia e Scripturis patent.

Veriſimile eſt temporibus Joſephi, Sacerdotum pileos, & ſubligacula textoria opera non amplius fuiſD ſe elaborata, nam de utriſque ille differens refert utraque aſſuta fuiſſe. Ex ipſius textu ſatis patet, ipſum nequaquam intellexiſſe ſacerdotum mitras fuiſſe, veluti turbinatos Turcarum pileos; & illas extrinſecus ſimplicium pileorum, vel caſſidum ſine plumarum ornatu, ſpeciem præ ſe tuliſſe.

Quoad ſummum Sacerdotem, Doctores Judæi illius mitram parum abſimilem fuiſſe ajunt a ſimplicium Sacerdotum pileo. Diſcrimen porro in eo poſitum eſt quod ſummi Sacerdotis pileus planior eſt, magiſque ad turbinati pilei formam accedit; dum aliorum pileus Sacerdotum magis aſſurgit in verticem.

Joſephus Antiq. l. 3. c. 8. tiaræ ſummi Pontificis deſcriptionem exhibet, quæ nullam ferme habet ſiE militudinem cum iis, quæ, vel Rabbini aſſerunt, vel Moyſes hic innuit: „ Hæc pileus eſt, inquit, „ coloris hyacinthini, qui ſuperimponitur alteri pi„ leo, quem ſuperius deſcripſimus. Tegit occiput, „ ac duo tempora, atque triplici aurea corona eſt „ circumdatus, ubi parvi adſunt calices floris hyo„ ſcyami. Hæc florum corolla in anteriori parte „ tiaræ eſt interrupta, ubi adaſt aurea lamina Dei „ nomine inſcripta. Non ambigo, quin Summi Sacerdotis pileus admodum abſimilis fuerit ab aliis reliquorum Sacerdotum. Hi linei tantum erant, ille vero goſſypinus, vel byſſinus. Diverſis vocibus Moyſes

1 Vide Gellium l. 6. c. 10. & l. 7. c. 12.
2 Exod. 29. 9. & Levitic. 8. 13. *Cinxit balteis, impoſuitque mitras*. Hebraice: *cinxit balteis, & circumpoſuit mitras*.
3 Vide Tabulam Iſiacam Pignorii.

tes otitur ad pileos hos ſignificandos, In Iſaia [x] videmus, Reges caput ſuum adoperuiſſe ornatu quodam, qui nomine eodem nuncupabatur ac magni Pontificis [a] tiara, vel nomine ſaltem, quod ex eadem origine emanat: Et ſi huc quaſdam conjecturas liceat afferre, dixerim ſummi Sacerdotis pileum ſimilem fuiſſe rectis illis tiaris [3], quas Perſidis Reges geſtabant, neque præterea in ipſorum imperio fas ulli erat deferre. Pleraque etiam Ægyptiorum Numina rectis, & elevatis tiaris ornabantur, & plures Interpretes quoque in operibus ſuis ſimili redimitum mitra Summum Sacerdotem exhibuere.

Sacerdotes Domini adſtabant in Templo capite ſemper cooperto; nec illis integrum erat, tiaram deponere, dum ſacro munere fungerentur. Caput aperire illiberale, ac inofficioſum erat apud Orientales, quemadmodum apud nos illiberalitatis, ac inurbanitatis eſſet nota caput non aperire. Paraphraſtes Chaldæus vertit plerumque, *peccare capite adoperto*. (Num. 15. 30.) vel, *incedere capite adoperto* (Exod. 14. 8.) cum Hebraicus textus ait; peccare audacter, vel manu elata. Antequam Æneas in Italiam appelleret, ſacra capite denudato peragebantur. Iſte huc Phrygum morem capite obvoluto ſacrificandi [4], devexit. Templi Herculei Gaditani Sacerdotes, dum ſacris navarent operam, lineo pileo caput obtegebant: Silius Italius l. 3.

Et Pelusiaco præfulget flamine vertex.

BALTEUM.] Joſephus ita Balteum deſcribit, Antiq. l. 3. c. 8. „Sacerdos balteum deferebat ad pectus, „ paullo infra brachium. Latus erat quatuor digitis, „ textura laxa, & veluti ſerpentis pellis excavata. „ Coccineo, purpureo, & hyacinthino filo plures „ ibi imagines erant delineatæ, atque zona hæc bis „ corpus ambiebat; atque ante pectus in nodum in„ voluta ad pedes uſque fluebat, ut Sacerdotem ma„ gis populo venerabilem redderet, cum ſacris mi„ nime operaretur; cum enim operabatur, zonam „ hanc ſuper lævum humerum rejiciebat, ut libe„ rius munere ſuo fungeretur, Ex hac Joſephi deſcriptione Sacerdotum baltei illis videntur perſimiles, de quibus loquuntur veteres; quibuſque pro crumena utebantur, ubi aurum, argentumque reconderent. His balteis Rabbini tribuunt duos, & triginta longitudinis cubitos, vel ulnas, tres vero digitos latitudinis. Summi Sacerdotis Balteus auro inſignitus erat, dum aliorum Sacerdotum baltei erant e lino dumtaxat, & lana diſcolori ſimul contexti. Braunius l. 2. c. 2. art. 4. de veſtitu Sacerd. Hebr. contendit, illum ab aliis Sacerdotum aliorum nunquam fuiſſe diſſimilem. Rabbini quidam apud Selden. de Syned. l. 3. c. 11. art. 3. docent, Sacerdotes neque in templo ipſo potuiſſe balteum deferre, niſi tunc actu miniſterio ſuo fungerentur, atque illud propter legem, qua cautum eſt, ne quis veſtes e lino, & lana contextas gerat; Levit. 19. 19. Deut. 22. 11. *Non indueris veſtimento, quod ex lana, linoque contextum eſt*. Irridendum acumen! Summus Sacerdos deferebat balteum, quo interiorem tunicam præcingebat, qui penitus aliis cæterorum Sacerdotum balteis ſimilis erat; præter illum vero hyacinthinam veſtem alio cingebat balteo, qui *Ephod* ſimilis erat, & partem illius conſtituebat. Hebraice vocatur *cheſcheb ephudat*. Vide Leviticum 8. 7.

℣. 6. SUPERHUMERALE.] Hoc idem eſt ac Ephod, de quo locuti ſumus Exod. 25. 7.

℣. 7. DUAS ORAS HABEBIT JUNCTAS IN UTROQUE LATERE.] Hebraicus textus [5] ita vertitur ad litteram: *Habebit duas humeros ſimul junctas ad duas extremitates, ac jungetur*. Pleriqne Interpretum verſiculum hunc explicant, dicentes ephod Summi Sacerdotis humeris impoſitum ibi adnecti conſueviſſe, atque in ſingulis aperturæ partibus quæ collum circumplectebatur, unam fuiſſe, ut facilius caput inſeri poſſet, quæ ambæ ex ſe ipſis ſe dezinchant cum poſitum fuiſſet ephod; vel potius eas duos lapidi detinebant, de quibus inferius loquemur, & qui fibularum loco erant, ſi Joſepho fides Antiq. l. 3. c. 8.

℣. 8. IPSA QUOQUE TEXTURA, ET CUNCTA OPERIS VARIETAS.] Textus hic ſatis perſpicuus eſt; ſed Hebraicus [6] admodum differt: *Omne opus, & textura ephod* (vel potius balteus Ephod) *Summi Sacerdotis erit ex eodem*, ſcilicet ex eadem textura, ac ephod, neque erit aſſutum, vel adnexum alibi. Cingulæ ephod non erant ipſi adnexæ ad humeros, neque textura diſſimili. Clericus credit, Textum hunc ſignificare, quod poſterior pars Rationalis eſſet ex eodem opere, & textura, ac anterior, quæ deſcribitur ℣. 6. & ephod ſimpliciter appellatur. Rabbini aſſerunt ephod habuiſſe poſt tergum pendentes manicas valde oblongas. Vide Outramum de Sacrific. l. 1. c. 5.

℣. 9. SUMESQUE DUOS LAPIDES ONICHINOS:] Septuaginta, & Philo habent ſmaragdos; Joſephus, & Aquila Sardios. S. Hieronymus Symmacho adhæſit, & Theodotioni, qui de onicibus intellexit. Hebraicus textus habet שהם *Schoham*. Ego autem proclivior ſum, ut credam ſmaragdos fuiſſe, uti diximus Geneſ. 11. 12. In his duobus lapillis inſculpta erant nomina duodecim Tribuum, ſex in qualibet parte.

℣. 11. OPERE SCULPTORIS, ET COELATURA GEMMARII.] Hebraicus ad litteram [7]: *Opere ſculptoris lapidum pretioſorum, & cælatura annuli*.

INCLUSOS AURO, ATQUE CIRCUMDATOS.] Invenitur in hoc loco Hebraica vox *miſchbeſoth* [8], de qua locuti ſumus ℣. 4. Veteres, recentioreſque Interpretes explicant de modo quodam committendi: Verum non liquet, utrum hi lapides commiſſi fuerint in pala ex auro ſolido, vel ſimpliciter in textura quadam e pluribus liciis aureis. Interpretes plerumque priorem ſenſum amplectuntur; ſed inde adducor, ut credam ipſos fortuito hoc aſſerere, quod ℣. 13. 14. & 25. hujus ejuſdem capitis vertunt hanc eamdem vocem pro *uncinulis*, & *fibulis*.


Verſ. 4. admiſi ſumus, ut oſtenderemus, Hebræum verbum *ſchabaz*, ex quo fluunt & *taſchebez*, & *miſchbezoth* ſignificare, e pluribus liciis texturam efficere. Conſtat profecto, nullum adeſſe locum, qui nos impellat, ut voces has intelligamus, perinde ac ſignificarent, pretioſos lapides committere. Itaque vertere hoc pacto ad litteram mallem ℣. 11. 13. 14. & 25. Inſculpes duos hoſce lapides, & inſcribes in illis nomina duodecim filiorum Iſrael. *Committes eos in textura e pluribus liciis ex auro*. (℣. 13.) *facies texturam hanc e filis aureis*. (℣. 14.) *Et inferes duas catenas aureas*, (25.) *in duabus extremitatibus*.

Apertura Ephod plerumque concipitur velut oblique facta, & in ſenſu penitus oppoſito ad aperturam tunicæ hyacinthinæ. Ephod aperiebatur, inquiunt, ab humero ad alium, ut Sacerdos magnus poſſet caput exerere; & quod apertum ſupererat in duo-

x Iſai. 3. 22. צניף מלוכה בכף אלהיך
2 Vide Zach. 3. 5. & Ezech. 21. 26.
3 Xenoph. de Expedit. Cyri junior. l. 2. Vide Briſſonium l. 1. de Regno Perſarum.
4 Plutarchus quæſt. Græc. & Macrob. l. 3. Saturn. c. 6.
5 שתי כתפת חברת יהיה לו אל שני קצותיו וחבר
6 וחשב אפדתו אשר עליו כמעשהו ממנו יהיה
7 מעשה חרש אבן פתוחי חתם
8 משבצות זהב תעשה אתם. 70. Περισκυλωμένους, καὶ συνεσφιγμένους χρυσίῳ. Alius: Περισκυλευμένους, καὶ συνεσφιγμένους χρυσίῳ.

Digitized by Google

Pars aversa Pectoralis explicati.



PECTORALE seu RATIONALE IUDICII.

NAPOLI

duobus colli lateribus vitta claudebatur, vel fibula. Fateor quidem hic neutrum Moyſem innuere; verum hoc aliter fieri nequibat hoc puncto, quod Ephod ea eſſet materia, ex qua vulgo deſcribitur. Duo pretioſi lapides cooperiebant rimas ſuper humeros. Sed Ephod omnino alia præditum fuiſſe forma reor.

Septuaginta, Joſephus, & S. Hieronymus intellexere duos pretioſos lapides cum auro, in quo erant commiſſi, fuiſſe ſpeciem quamdam fibulæ, quæ inſerviebat aperturæ claudendæ, de qua modo locuti ſumus. Græci præterea ajunt, fibulam hanc aſpidis [1] forma fuiſſe elaboratam, qui alterum ex hujus aperturæ lateribus mordebat. Sed Hebraicus textus ne verbum quidem habet, quod huic faveat explicationi; & in reliquis locis omnibus ubi innuere vult, lapides committere, vel annulos ponere, fibulas, uncinulos, numquam utitur verbo *ſchabaz*, & perſpicue loquitur adeo, ut nullam difficultatem relinquat.

℣. 12. MEMORIALE FILIIS ISRAEL.] Intelligi poteſt in hoc ſenſu: ut Deus, vel Summus Sacerdos reminiſcatur filiorum Iſrael: Hoc ſignum erat, quod ad Dei memoriam populum ipſius revocabat. Vide ℣. 29. & Levit. 2. 2.

℣. 13. FACIES ET UNCINOS EX AURO.] Hebraice *miſchbeſoth*, Septuaginta *fibulas aureas*, quæ formam habebant, ſeu morſum aſpidis imitabantur. Interpretes quidem vertunt Hebraicum textum, palas, quibus pretioſi lapides committuntur. Vide quæ modo in ℣. 11. dicta ſunt.

℣. 14. ET DUAS CATENULAS .... SIBI INVICEM COHÆRENTES.] Hebræus [2] ad litteram: *Facies duas catenulas ex auro puriſſimo, tas facies terminantes* (vel terminatas) *opere tortorio* (vel opera funium,) *& ſuper texturam pones catenulas*. Maximum negotium Interpretibus faceſſit vox *migbaloth*, quam nos vertimus *terminatas*, vel *terminantes*, perinde ac catenulæ hæ definita eſſe deberent longitudine. Syriaca verſio transfert: *Facies eas duplices*, vel *duplicatas*, perinde ac Hebraice legiſſet *micphaloth* מכפלות, pro *migbaloth*; quod ſenſum affert meliorem. Verum mallem legere *makbiloth* [3], facies adhærentes, & ſibi invicem connexas, vel potius annulos mutuo ſibi connexos. Probabile videtur, Vulgatæ authorem hoc pacto legiſſe. Vox hæc libri hujus capite 26. 4. occurrit in ſenſu eodem, in quo hic accipimus. Septuaginta [4] vertunt: *Facies tas floribus immixtas*, quod ab Hebraico textu longius adhuc recedit. Catenulæ porro hæ ex altera extremitatum ſuarum texturæ illi adhærebant, in qua duo onyces erant inſerti.

℣. 16. QUADRANGULUM ERIT, ET DUPLEX.] Hic pannus erat quadratus, decem latus unciis, vel ſemicubito [5], cui adnexi erant duodecim lapides, in quatuor ordinibus, quorum quiſque tres lapides complectebatur. Unicuique ex his lapillis inſculptum erat nomen unius e duodecim filiis Jacob, juxta ipſorum nativitatis ordinem. Vocatur autem *rationale judicii*, vel quod judicium, ac Domini voluntatem Summo Sacerdoti detegeret; vel quod is illud in Judicis notam deferret, neque in majoris momenti cauſis judicium proferret ſine rationali. Duplex erat, ſcilicet textura duplici, & craſſa, vel e duobus pannis alio ſuper alium complicatis compoſitum, veluti in ſacculi ſpeciem, in quo juxta Rabbinos *Urim*, & *Thummim* continebantur.

℣. 17. PONES IN EO QUATUOR ORDINES LAPIDUM] Veri omnis ſpecies adeſt, Interpretes temere, ac fortuito vertiſſe pleroſque eos lapides, qui hic a Moyſe recenſentur. In verſionibus ſuis parum adeo conſtantes ſunt, eorumque argumenta adeo futilia, ac infirma, ut merito eorum nulla poſſit haberi ratio.

Generatim aſſeri poteſt, Moyſem in rationalis ornatum uſum fuiſſe lapillis dumtaxat, qui temporibus illius cogniti fuerint, neque ullum ex iis admittendum eſſe, qui poſt Moyſem tantum adinventi fuere. II. Lapides hos in Ægypto ſolum, ac in Arabia quæſitos fuiſſe, ac in finitimis regionibus, atque ideo a rationali omnes eos lapides, qui in terris exoticis, & cum quibus nullum habuerint Hebræi negotium, reperiuntur, eſſe rejiciendos. III. Ad lapidum horum naturam detegendam, non eſſe abs re ad nominis ethymologiam, ac grammaticalem ſignificationem confugere. Hebræi plerumque rebus nomina tribuunt, quæ ipſarum naturam, & qualitates ſignificant; confugere quoque poſſumus ad eas linguas, quæ aliquam habent cum Hebraica ſimilitudinem, & quæ plures ex originibus illius conſervarunt. Nequaquam hic diverſas Interpretum ſententias ſimul collectas in medium proferam; Ludovici de Dieu ac Braunii præcipue veſtigia ſequar, qui diligentes, ac data opera materiam hanc ſunt perſecuti.

Neque immorabor, ut Interpretum, Rabbinorumque ſententias afferam, quoad modum, quo lapides hi fuerunt inſculpti, vel ordinem, quo Tribus fuerunt diſpoſitæ. Moyſes ait lapides inſculptos fuiſſe *opere ſculptoris*, ac Tribus poſitas fuiſſe *ſecundum nomina earum*; vel: ut ait loquens de gemmis, quæ erant ſuper humeros Summi Sacerdotis, juxta ordinem nativitatis filiorum Iſrael. Hæc autem certo ſcimus.

SARDIUS [6], in quo nomen erat Ruben, lapis eſt qui invenitur in corde ſilicis. Dicitur nomen ſuum deſumpſiſſe a Sardibus, urbe Joniæ in Aſia Minori; ubi primum inventus fuit. Meliores Sardii vere carnis colore imbuti ſunt, nequaquam pellucido. Hebraicum *odem* rubrum ſignificat, coccineum, vel micans, & lucens. Braunius arbitratus, *adamantem* ſignificari, atque *odem*, vel *adam* efficere potuiſſe *adamas*: ſed demum pro ſardio ſtat; & putat *odem* eſſe Sardium, quem Plinius demium appellat hiſt. nat. l. 37. cap. 7.

TOPAZIUS [7].] Nomen ſuum deſumpſit ab inſula Topazio in mari Erythræo. Moyſes lapidi huic Simeonis nomen inſculpſit. Plinius ait, Regem Jubam primo gemmam hanc in inſula memorata inveniſſe. Topazius orientalis diaphana eſt, atque aureo vere colore prædita, cum ſummæ eſt perfectionis. Sed veterum Topazii certe virides erant, uti Plinius oſtendit l. 38. c. 8. & omnes cum eo Lapidarii. Job [8] loquitur de *pidath Caſch* ſcilicet de Topazio Arabiæ, vel Æthiopiæ. Plinius etiam l. 37. c. 8. meminit Topazii inſulæ *Chitis* in rubro mari.

SMARAGDUS [9].] Smaragdo Levi nomen inſculptum eſt. Ludovicus de Dieu arbitratur, Hebraicam vocem

---

1 Ἀσπιδίσκας. *Aſpidiſcas*. Braunius hoc deducit ab ἀσπὶς, & vertit duas parmulas; arbitratur quidem hoc in loco aſpidum figuras perfecti minime potuiſſe; verum duo inſerti lapides cum parva parma aliquam habebant ſimilitudinem.

2 ושתי שרשרת זהב טהור מגבלות תעשה אתם מעשה עבת ונתתה את שרשרת העבתות אל המשבצת

3 מקבלות a קבל. *Continere, ſuſcipere*: Librarii poſuerunt ג pro ק: litteræ ejuſdem organi facilius invicem commutantur.

4 Καταμεμιγμένας ἐν ἄνθεσιν ἔργον πλοκῆς.

5 Hrb. זרת, videlicet חצי אמה dimidium cubiti, Ezech. 43. 13. 17.

6 אדם, Odem. Sardius. Ita 70. Vulg. Joſeph. Epiphan. &c.

7 פטדה. Pitdath, Topaſius. Ita 70. Joſeph. Hieron. Interpretes fere omnes.

8 Job c. 28. 19. Topazius de Æthiopia.

9 ברקת. *Barakes*, Smaragdus. Ita 70. Joſeph. Hieron. & pleriſque recentiorum.

cem *baraket* potius ſignificare carbunculum: ſed ſimplicibus conjecturis adductus, nollet aliquid in communibus verſionibus immutare. Vox *baraket*, quæ ſignificat nitorem, vel fulgorem ſyderis, impellere poſſet, ut crederemus hic agi de lapide, qui *ceraunia* vocatur, *aſtroites*, vel *Iris*; cujus plures ſpecies Plinius enumerat. Hic in Caramania invenitur, ac in rubri maris Inſula; ejuſque fulgor ab aſtris nomen deduxit [1]. Quoad ſmaragdum, hic præ cæteris maxime eſt viridis, & aſpectu perjucundus, atque ex materia ad ſummum pura, ſed minus ſolida, quam hyacinthus, ſapphirus, & amethyſtus. Aliqui tamen duri adeo reperiuntur, ut ſculpi nequeant; hi vero e Tartaria ſunt, atque Ægypto. Nonnulli duodecim Smaragdi recenſent genera. Hebraicum *baracheth*, quod juxta etymon ſuum radios emittere, micare ſignificat, ſmaragdo ex æquo convenit, qui maximum fulgorem emittit. Smaragdi nomen fluere quidem poſſet a *baraches* immutata b, in m, & t, in d, atque addita littera s initio cum adſpiratione.

℣. 18. CARBUNCULUS [2].] Quartus lapis erat carbunculus, cui nomen Juda erat inſculptum. Hæc gemma erat veluti magnus pyropus, vel Garamanticus, colore rubro nigreſcente, ac bovis ſanguinem referente. Emittit hæc radios, qui noctu etiam inter tenebras emicant, & qui magis, quam pyropi radii ſcintillant. Braunius, poſt Boetium e Boot, obſervat anthracem, vel *carbunculum* veterum nihil aliud fuiſſe, quam pyropum.

SAPPHIRUS [3].] Quintus lapis in Vulgata *ſapphirus*, in Hebræo *Saphir* dicitur. Huic nomen Dan erat inſcriptum. Plerique Interpretum in hujus nominis ſignificatione conveniunt; non conveniunt autem quoad lapidis hujus colorem. Quidquid hac in re certius eſt, hic ferme habes. Sapphiros coloris eſt cærulei valde rutilans, ſine ulla coloris rubri immixtione. Plinius l. 37. c. 9. ait, quod *aureis punctulis collucet* [4], verum illi adverſatur Marthiolus, cum aſſerit ſapphiros omnes, quæ hodie extant, cæruleas eſſe, ac veluti adamantes perſpicuas. Sapphiri in mares dividuntur, ac fœminas. Mas, quemadmodum perfectior, cærulei coloris pulchritudine præſtat; fœmina albeſcit, niſi penitus candida eſt. E pluribus generibus inveniuntur.

JASPIS [5].] *Jaſpis*, a Vulgata, & Septuaginta ſextus lapis vocatur. Ii videntur ſequi voluiſſe ordinem ab Ezechiele inſtitutum 28. 13. ubi Jaſpis ſextus repetitur: verum hic eſt duodecimus. Hebraica vox *jahalom* vertitur adamas ab Interpretum pleriſque; quorum verſionem Ludovicus de Dieu commendat. Vox authographi a radice fluit, quæ ſignificat contundere. Adamas ſuper omnes pretioſos lapides fortiſſimus perhibetur; ille reliquos cædit lapides, ac a ſeipſo cæditur. Fabularum numero adſcribendum eſt, quidquid commenti ſunt de hujus ad mallei ictus reſiſtentia. Adamas ſub ferro facillime frangitur. Adamas Indicus magnus eſt veluti nucula, atque in piri formam exurgens in apicem, & ſex angulos in latere quovis præſeferens. Adamas Arabicus priori decedit magnitudine; Uter horum autem in rationali adhibitus fuerit non ſatis liquet. Sexta gemma hæc Nephtali ſexti filii Iacob nomine inſcribebatur.

℣. 19 LIGURIUS [6].] Septimus Lapis a S. Hieronymo, & pleriſque Interpretum *ligurius* vocatur. Hic nomen Gad præſeferebat. Hic plane idem eſt ac *lincurius*, vel *lynx* lapis, qui efformari dicitur [7] e lyncis urina, quæ in micantem concreſcit lapidem, ſimul ac lyncis corpore eſt egreſſa. Verum hoc omne fabuloſum eſt, ſicuti Plinius ipſe fatetur. Lapis *ligurius* aliud eſt, ac *lincurium* electri genus [8], quod in Liguria invenitur, quod plumas attrahit, & quod idcirco *geripluma* a Græcis vocatur, Πτεροφόρος. S. Epiphanius de gemmis conjicit verum *ligurium* fuiſſe hyacinthi ſpeciem, quia Moyſes in hoc duodecim lapillorum numero hyacinthi non meminit. In eadem ſententia verſari videtur S. Hieronymus ad Fabiolam. Theophraſtus, & Plinius deſcribunt Ligurium, velut lapidem *carbunculo ſimilem, & igneo colore fulgentem*. Adſunt Hyacinthi, quibus ille eſt color, & fulgor, & Hyacinthi pulchriores putantur.

ACHATES [9].] Lapis octavus *achates* a Vulgata dicitur, *ſchebo* Hebraice appellatur. Nomen hoc ſemel tantum in Biblia reperitur. Chaldæi Paraphraſtes Onkelos, & Ionathan, verterunt *turkia*, cyanum, Italis *turchina*. Sed conſtat hoc nomine veteribus cyanum nequaquam fuiſſe cognitum; & ambigitur an tunc alio quopiam nomine cognitus fuerit. Syriaca verſio tranſtulit *carcedonium*, quæ carbunculi ſpecies eſt. Nos autem ab achate minime diſcedimus, qui plerumque rubri coloris eſt, & in quo natura ſtuduiſſe videtur, ut varia quædam inſculperet, quæ ſæpius ibi intuemur. Creditur achatis nomen illi inditum, quia primum inventus fuerit in ora *Achatis* fluvii in *Sicilia*. Plin. l. 37. 10. Achates rationalis Summi Sacerdotis nomen Aſer inſculptum gerebat.

AMETHYSTUS [10].] Nonus lapis juxta Vulgatam eſt Amethyſtus: ſed Onkelos, & Syriaca vertunt *ein-egla*, vel *oculum vituli*, qui forte idem eſt ac ille, qui a Plinio *oculus Beli* vocatur l. 37. c. 10. *Beli oculus albicans pupillam cingit nigram, & medio aureo fulgore lucentem*, vel *oculus lupi* ibid. c. 10. *Lycophtalmus* (oculus Lupi) *quatuor eſt colorum, ex rutilo ſanguinea: in medio nigrum candido cingitur*. Hebraica vox *Acalmah* ex origine fluit, quæ ſomnium ſignificat. Plinius loquitur de lapide *eumece*, cui defertur facultas divina ſomnia tribuendi: *Eumeces in Bactris naſcitur ſilici ſimilis; & capiti ſuppoſita, viſa nocturna oraculi modo reddit*, l. 37. c. 7. Amethyſtus colore vini primum, mox vero violaceum præſeferre videtur. Duriores ex Indiis, Armenia, Arabia, ac Æthiopia devehuntur. Occidentales etiam adſunt, ſed molliores. Amethyſti nomen e verbo græco oriri fertur, quod ſignificat circumire, atque ex particula *a* privativa, quia illius hæc virtus eſſe perhibetur, quod doloribus capitis medelam afferat, ac vini vim præpediat, cum quis ſecum eam gemmam defert. Amethyſto rationalis Iſſachar nomen erat inſculptum.

℣. 20. CHRYSOLITUS [11].] Decimus lapis *tharſis* a Septuaginta, Vulgata, Aquila, & recentiorum non paucis. Huic lapidi erat inſcriptum nomen Zabulon. Quemadmodum *tharſis* nonnumquam pro mari accipitur, Interpretes dicere lapidem hunc colore eſſe thalaſſino cæruleo. Hic quoque color eſt chryſoliti pellucidus, aureus, viridi immixtus, qui ignem veluti emittit. Chryſolitus perfectior ad viridem maris colorem accedit, vel jus ex compreſſis porri foliis eductum. Dicitur in inſula Topazio fuiſſe adinventus. Septuaginta, & S. Hieronymus pro *Tharſis* verte-

---

1 Plinius l. 37. c. 9. 2 נפך. *Nophec*, carbunculus. Ita 70. Joſeph. Epiphanius. 70; Ἄνθραξ.

3 ספיר. Sapphirus. Ita Interpretes antiqui & recentiores.

4 Ita Theophraſt. & Epiphan. & Solin. c. 20. Boetius de Laet, &c. apud Braun. l. 2. c. 13. art. 10. de veſtitu Sacerd. Heb.

5 יהלם. Jahalom, Jaſpis. Ita 70. Vulg. Epiphan. &c.

6 לשם. Leſchem. Ligurius. Ita 70. Joſeph. Epiph. Hieron.

7 Theophr. de lapid. Ælian. de animal. l. 4. c. 17. Plin. 8. 38. & l. 37. 3.

8 Theophr. Plin. l. 37. c. 3. Strabo, al.

9 Achates. Schebo, שבו

10 אחלמה. Achlamah, amethyſtus. Ita 60. Epiph. Hieron. Jun. &c.

11 תרשיש. Tharſis.

vertere carbunculum Ezech. 28. 13. Hebræi de *beryllo* explicant. Quemadmodum alibi conſtituimus Tharſis, urbem Tharſum in Cilicia ſignificare, in ea regione tharſis lapidem inquirendum eſſe arbitramur. Opaluin inveniri dicunt in Galatia, Ponto, Inſula Cypri, ac in Thaſo [1], forſitan *Tharſis*. Lapis hic carbunculi, purpuræ, amethyſti, thalaſſini, ac ſmaragdi fulgorem imitatur.

ONYCHINUS. [2]] Onyx erat undecimus in rationali lapis. Septuaginta hic verterunt pro *beryllo*, & verſiculo nono pro *ſardio*. Onyx eſt achatis ſpecies opaca, coloris ſubalbeſcentis, & nigri. Colores ita diſtincti ſunt, ut arte quadam appoſiti videantur. Onyx nomen eſt græcum, quod ſignificat unguem. Hebræi *ſohem* cryſtallum credunt. Paraphraſtes Chaldæi beryllum, nos vero potius ſmaragdum. Huic lapidi Joſeph nomen inſculptum erat.

BERYLLUS I.] Duodecimus hic Rationalis lapis. Hebraice *jaſpe* vocatur, ac Beniamin nomen præferebat. Septuaginta, Joſephus, Sanctus Epiphanius, & alii plures de onyce intelligunt: ſed hebraica vox impulit recentiorum pleroſque, ut de jaſpide explicarent, qui lapis achati admodum eſt ſimilis. Nequaquam pellucidus eſt, in quo differt a ſmaragdo, ſed quoad colorem illi eſt ſimillimus. Plinius aſſerit lib. 37. cap. 9. in Oriente pro amuleto hanc adhiberi jaſpidis ſpeciem, quæ imitatur ſmaragdum.

INCLUSI AURO ERUNT PER ORDINES SUOS.] Hebraica verba [4] ita poſſunt transferri: *Lapides in palis ſuis clauſi erunt aurea textura ſtricta, ſolidaque e pluribus liciis*, vide ℣. 11.

Veteribus qoædam ex aoro tantum erat textura, ſine ulla lanæ, vel lini immixtione. Serius inventum fuit, pannorum texturis argentum immiſcere; ac Aureliani Imperatoris tempore videtur nondum in uſum hunc argentum adhiberi conſueviſſe, ut Salmaſius adnotat in Vopiſcum: verum arbitror hoc de Romanis tantum eſſe intelligendum; nam Orientales, & Græci auro, argentoque in fila, ac folia diducto utebantur. Vide dicta ad cap. 39. 13. Vide etiam Cantic. 5. 11. Ezech. 16. 13. Habac. 2. 19. Sophon. 1. 11. Iſai. 40. 19. Baruc. 5. 50. Eccleſ. 12. 16. & Ioſephum Antiquit. lib. 1. 19. 7. Virgilius loquitur de veſte tribus aureis liciis contexta: *auroque trilici*. Et Plinius lib. 33. 3. refert, quod *nebatur aurum, & texebatur lana modo, ſed ſine lana*. Et ex Verrio oſtendit, Tarquinium Priſcum triumphaſſe tunica penitus aurea indutum; additque ſe ævo ſuo Agrippinam Imperatoris Claudii conjugem vidiſſe, aureo pallio indutam, quin alia materia eſſet admixta.

Reor autem Sponſæ veſtes, quas Pſalmiſta [5] deſcribit, eſſe potuiſſe omnino ex auro, uti quoque loci, ubi lapilli ſuper humeros Summi Sacerdotis erant inſerti, illique in illius Rationali. Plinius profecto decipitur, cum auri lanæ immiſcendi in veſtibus contexendis inventionem Regi Attalo tribuit: unde factum, ait ille, ut *Attalica* veſtes vocarentur. Hunc texendi auri, pretioſæque lanæ ſimul modum videmus in Moyſe, dum rationalis texturam deſcribit.

℣. 22. FACIES IN RATIONALI CATENAS.] In quovis e quatuor rationalis angulis annulus aureus aderat, ac duo ſuperiores annuli catenulam complectebantur, quæ in ſuperiori parte Ephod adnectebatur in ea textura, ubi duo Sardii erant inſerti.

℣. 26. FACIES ET DUOS ANNULOS AUREOS, QUOS PONES IN SUMMITATIBUS RATIONALIS.] Hebraicus

A cus textus palam ait, duos hoſce annulos inferioris eſſe partis, qui duobus annulis Ephod reſpondebant, qui in poſteriori erant parte, vel intus, vel ſuper Ephod. Scilicet, hyacinthina aderat vitta, quæ per duos hos rationalis annulos diſcurrens duobus aliis annulis adnectebatur, qui erant in Ephod parte poſteriori, & poſiti non extra, & ſuper Ephod, ſed ſubtus, vel intra, & e regione conjunctionis vittarum Ephod; ſcilicet e regione loci illius, ubi uncinuli detinent Ephod. Quod verſiculis 27. & 28. explicatur.

℣. 28. ET STRINGATUR RATIONALE ANNULIS SUIS CUM ANNULIS SUPERHUMERALIS VITTA HYACINTHINA, UT MANEAT JUNCTURA FABREFACTA.] Textus hic ſatis eſt perſpicuus; ſed Hebraicus paB rum differt: ita vero ad litteram vertitur: *Et adnectetur Rationale annulis ſuis ad annulos Ephod cum vitta hyacinthina, ut ſit ſuper vittam Ephod*. Scilicet, ita ut vitta hæc in poſteriori parte, & aureæ rationalis catenulæ in anteriori, fortiter adnectantur ſuper vittas Ephod, quæ, uti ego concipio, a ſuperiori pectoris parte pendebant, atque poſt Summi Sacerdotis tergum; ita ut *a ſe invicem rationale, & ſuperhumerale nequeant ſeparari*. Re quidem vera in Scriptura videmus rationale, & Ephod, & urim, & thummim frequentius aliud pro alio uſurpari, quia numquam ſeparabantur, & nomine Ephod hæc omnia plerumque intelligebantur. Vide 1. Reg. 30. 7. 23. 9. & 14. 3.

℣. 30. PONES IN RATIONALI JUDICII DOCTRIC NAM, ET VERITATEM.] Septuaginta [6]: *Pone declarationem, & veritatem*. Hebræus ad litteram [7]: *Pones in Rationali Urim, & Thummim*. Poſtremæ hæ voces duæ valde Interpretes exercuere. Eas ex hebraica origine deducendo vertere poſſes *micantia*, & *perfecta*; ita quoque Oleaſter intellexiſſe videtur, cum Urim, & Thummim ad lapides Rationalis refert, perinde ac per anacephaleoſim Moyſes diceret: *Pones lapides, de quibus locutus ſum in Rationali, & cura ut illi ſint fulgidiſſimi, ac perfectiſſimi*. Alii credunt, lapides hos vocari fulgidos, perfectoſque habita luminis ratione, quo Summi Sacerdotis mentem afflabant, ac voluntatis Dei, cujus adimplendæ vim, & potentiam tribuebant, & detegebant media. In ſenſu hoc eas voces accepiſſe Septuaginta videntur, cum verD tunt *declarationem*, vel manifeſtationem, & *veritatem*; atque ea fortaſſe litteralis eſt duarum vocum ſignificatio in lingua Ægyptiorum. Obſervari poteſt origo *Thummim* in hebraico *hemin*, *verum eſſe*; atque veſtigia quædam inveniuntur in Græca voce *etymos*, vel *eteetymos*, *verum*. Sanctus Hieronymus plane id ipſum animo agitabat, cum vertit *Judicium* pro *Thummim*; & innuere voluit veritatem judiciorum, & oraculorum rationalis.

Quoad Urim, & Thummim eſſentiam in diverſa penitus Scriptores abiere. Veteres quidam [8], & recentiores non pauci [9], hæc nihil aliud eſſe contendunt, quam ipſos Rationalis lapillos, qui exteriori fulgore ſuo Summo Sacerdoti futura, arcanaque detegebant. Sententiæ hujus Joſephus Antiquit. l. 9. E cap. 8. princeps eſt author. Ait enim, Deum paſſim uſum fuiſſe duodecim lapidibus rationalis, ut Iſraelitis victoriam prædiceret: nam antequam moverentur caſtra, inde lumen viridum adeo emicabat, ut populus cunctus agnoſceret, Deum adeſſe, ac præſto eſſe, ut illis ferret opem. Addit quoque Sardium lapidem, qui in dextero Magni Sacerdotis humero

---

1 Plin. l. 37. c. 6.
2 שֹׁהַם. *Sohem*. Ita 70. Joſephus, Aqu. Hieron. Junius, Ludovicus de Dieu, Braunius &c.
3 ישפה. *Jaſchpè*.
4 משבצים זהב יהיו במלואתם.
5 Pſal. 44. 15. *In fimbriis aureis, circumamicta varietatibus*. Heb. ממשבצות זהב לבושה.
6 Τὴν δήλωσιν, καὶ τὴν ἀλήθειαν. Alii, Φωτισμοὺς, καὶ τελειότητας. Illuminationes, & perfectiones.
7 ונתת אל חשן המשפט את האורים ואת התמים.
8 Theodor. qu. 60. in Exod.
9 Lyranus, Toſtatus, Lippomanus, Ribera &c.

mero fulgebat, talem emiſiſſe fulgorem, cum acceptabile populi ſacrificium eſſet Deo, ut id eminus liceret intelligere. Verum adjieit, quod ducenti jam fluxerant anni uſque ad diem illam, qua hiſtoriam ſuam exarabat, ex quo Sardius, ac rationalis lapides lumen hoc non amplius emittebant. Hæc porro ſententia, quæ minime diſtinguit Urim, & Thummim a lapidibus Rationalis, probari poteſt ex eo, quod nullam ipſorum Moyſes deſcriptionem tribuit; neque ulla in Scripturis extat vel figura, vel materia Urim, & Thummim; quod procul dubio minime contigiſſet, ſi aliquid fuiſſet diverſum a lapidibus, qui in Rationali erant inſerti.

Sanctus Epiphanius tract. de duodecim gemmis, & Svidas in voce … credidere præter duodecim lapides adfuiſſe in Rationali adamantem miræ pulchritudinis, qui ſplendore ſuo magis, vel minus vehementi ſignificabat Iſraelitis rerum eventum, de quibus conſulebatur. Procopius, Arias Montanus, & alii quidam duos ſtatuunt lapides in rationali præter duodecim illos, de quibus loquitur Moyſes. S. Cyrillus in Expoſitione ſymboli videtur innuere manifeſtationem, & veritatem duobus lapidibus fuiſſe inſcriptas, vel in aurea lamina. Sanctus Auguſtinus quæſt. 117. in Exod. fabulis adnumerat, quidquid de his rationalis lapidibus enarratur additis numero duodecim, de quibus loquitur Moyſes, & de commentitio fulgore, qui Dei proderet voluntatem.

Veterum plerique [ı], ac Recentiorum [a] crediderunt, duas haſce voces Urim, & Thummim in rationali inſcriptas fuiſſe: verum non conveniunt, quomodonam eſſent poſitæ. Aliqui volunt lamina aurea fuiſſe inſculptas, æque ac in fronte Summi Sacerdotis inſculptum erat *Sanctum Domino*. Philo l. 2. de Monarchia ait, nomina hæc acu picta fuiſſe inter lapillorum ordines. Alii ea conſtituunt in vittis rationali additis, unam quidem in ſuperiori parte, in inferiori alteram. Eugubinus poſt Rabbinum Salomonem arbitratur, nomen *Jehovah* aurea lamina inciſum, a Scriptura Urim, & Thummim vocari. Alii contendunt Urim, & Thummim ſignificare tantum virtutes animæ Summi Sacerdotis, qui doctrina, & perfectione præditus eſſe debebat. Duæ authographi voces vertuntur *Doctus*, & *Perfectus* libro primo Eſdræ 2. 63. *Donec ſurgeret Sacerdos doctus, atque perfectus*. Hebr. *Donec ſurgeret Sacerdos in Urim, & Thummim*: & author Eccleſiaſtici etiam ad Summum Pontificem eas refert, quia Aaronis elogium texens ait: *Stolam ſanctam auro, & hyacintho, & purpura, opus textile viri ſapientis judicio, & veritate præditi*. Sed textus Græcus ſimpliciter innuit illum indutum fuiſſe *rationali judicii, & notis veritatis*; … Cajetanus explicat de rationali ipſo, quod debebat eſſe *Urim*, ſcilicet luci expoſitum, ita ut lapides omnes in ſuo fulgore apparerent; & *Thummim*, ſcilicet in tota ſua perfectione, & in ordine, quem partes omnes inter ſe conſervare debebant.

Spencerus in ſua Diſſertatione de *Urim*, & *Thummim* credit, duas has voces ſignificare imagunculas aureas in rationali contentas, quod ſpecies erat peræ, vel ſacculi duplicis, & excavati. Hæ duæ figuræ de Sacerdotis collo pendentes, ac in imo rationali repoſitæ oracula proferebant. Ait quoque, Urim, & Thummim perſimiles fuiſſe Teraphim Chaldæorum, & Ægyptiorum; & Deum ſapienti quadam indulgentia concedere voluiſſe Judæis aliquid ſimile iis, quæ viderant in Ægypto, ut uſu ſancto, & licito ſanctificaret, quod impiiſſime, ac ſumma cum

A ſuperſtitione uſurpatum erat a populis alienigenis, ne conqueri Iſraelitæ poſſent, quod ipſis deeſſent oracula, quæ futura aperirent, cum finitimis ſuppeterent, ex quibus ſortes exciperent, & quæ conſulerent de iis omnibus, quæ contigiſſent.

Urim igitur, ut illi videtur, parvula erat ex auro imaguncula, cui plane figura humana erat, quam Summus Sacerdos in ſinu Rationalis deferebat, & quæ articulata voce Summi Sacerdotis interrogationibus reſpondebat. Supponit ille, uti dictum eſt, Urim idem eſſe, ac Teraphim, probatque ex quodam loco Abeneph allato a Kircherio, Theraphim, vel *Serapes* Ægyptiorum humana forma fuiſſe præditos, atque Urim quoque eamdem humanam habuiſſe formam concludit. Oſtendere deinde conatur, Te-
B raphim, de quibus loquitur Scriptura poſt Moyſen, Ephod adhæſiſſe, atque ideo ſanctas fuiſſe imagines, & vera oracula reddidiſſe. Nec ambigit, quin Ephod, quod Gedeon fecit Jud. 8. 27. factum fuerit una cum Teraphim ſimilibus Cherubim Arcæ, ac in ſede, vel tentorio conſtitutum præter propter ſimili Tabernaculo Domini. Explicat ſimiliter id, quod fecit Micha Judic. 17. 5. atque contendit ipſum recto egiſſe conſilio, ac zelo cultus Domini, juxta Moyſis legem; quamquam zelus hic non ſatis bene fuerit illuminatus. Addit etiam Ephod, & Theraphim Michæ vera oracula ſeddidiſſe, quæ a Deo ipſo emanarint; quod ipſe probat ex eo oraculo, quod Levita præſtitit viris e Tribu Dan, Judicum 8. 5.

C In eodem accipit ſenſu minas, quas Oſeas propheta [3] in Hebræum populum intentat, futurum ut diu relinqueretur ſine ſacrificio, ſine altari, ſine Ephod, & ſine Teraphim, & arbitratur Ephod, & Teraphim nihil aliud eſſe, quam Ephod Sacerdotale, ac Urim, & Thummim, quæ illi adhærebant. Obſervat, Septuaginta, Aquilam, & Theodotionem vertiſſe *Teraphim* in hoc Oſeæ loco cum eodem vocabulo, quod alibi in verſionibus eorum invenitur ad ſignificandum Urim Summi Sacerdotis [4]. Sanctus Hieronymus in hoc loco explicat *Teraphim* de quibuſdam *veſtium Sacerdotalium inſtrumentis*. Præterea animadvertit, Hebraicum *Teraphim*, quod idem eſt, ac *Seraphim* Chaldaicum, littera T in S immutata, quod in linguis his vulgatum eſt, idem ſignificare,
D ac Hebraicum *Urim*. Hoc enim proprie ſignificat flammam, ignis fulgorem, æque ac Seraphim. Sententiam ſuam Sancti Hieronymi authoritate confirmat, & Cedreni inter veteres, ac quorumdam Rabbinorum, ex recentioribus vero Cornelii a Lapide, & Ludovici de Dieu.

Animadverti quoque poteſt, Moyſen innuere Urim, & Thummim eſſe quid rationali additum; nam poſtquam locutus eſt de duodecim lapillis, qui erant in illo, ait: *Pones in rationali judicii Urim, & Thummim* &c. Philoni lib. 3. de vita Moyſis eadem fuiſſe videtur ſententia, ac Spencero; atque opinatur ſuper rationale duas adfuiſſe imagines, quæ manifeſtationem, & veritatem repræſentarent.

Clericus ait Urim, & Thummim eſſe nomina pre-
E tioſorum lapillorum, magnum Summi Sacerdotis torquem componentium, quæ ad pectus uſque dependebat. Thommim ſignificare poteſt uniones. Apud Arabes *thoom*, & *thamnaron*, quæ multam habent cum Thummim ſimilitudinem, uniones ſignificant. Urim aliud aliquod lapillorum genus poterit ſignificare.

Conjecturæ huic de torque, ac imagunculis e Summi Sacerdotis collo pendentibus, anſam præbuere ea, quæ

ı Origen. homil. 9. in Exodum, Auguſt. quæſt. 117. in Exodum, Rodulph. libru ſexto in Levitic. Raban. Rupert.

a Hugo Card. Hugo a S. Victore, Alcazar. Bellarm. l. 4. c. 5. de Pontific. Salian. & plures alii apud Cornel. a Lapide.

3 Oſeæ 3. 4. *Dies multos ſedebunt filii Iſrael ſine Lege, & ſine principe, & ſine ſacrificio, & ſine altari, & ſine ephod, & ſine teraphim*.

4 Δήλωι; alit. Δηλώσει. Aqo. & Theod. Φωτισμοί.

quæ leguntur in profanis hiſtoriis de capite, vel præſide Judicum Ægypti. Diodorus Siculus lib. 2. cap. 3. illum nobis exhibet ad collum veritatis imaginem deferentem, pretioſis inſculptam lapidibus, & aurea catena pendentem. Præſes ille numquam jus dicebat, niſi hoc ornatu inſignitus. Ælianus var. hiſt. l. 34. cap. 14. loquens de præſide eodem juſtitiæ Ægypti dicit, hunc fuiſſe ſemper venerabili ætate Sacerdotem, ac inſigni probitate, aurea ornatum catena, cui adnexa erat imaguncula, veritas nuncupata, ac ſapphiro inſculpta. Ælian. variar. hiſtor. lib. 34. cap. 14. Εἶχε δὲ καὶ ἄγαλμα περὶ τὸν αὐχένα ἐκ σαπφείρου λίθου, καὶ ἐκαλεῖτο ἄγαλμα ἀλήθεια.

Petrus a Valle Epiſtola 11. quam Memphi ſcripſit, ſe in ea regione cadaver opobalſamo illitum a multis ſæculis conſpexiſſe narrat, cui torques erat, qui ante pectus pendebat, ferme velut aurei velleris torques dependent. Ad torquis hujus extremitatem, ante Ægyptii ſtomachum aureum videbatur velut numiſma, cui avis cujuſdam ſpecies erat inſculpta. Cadaver hoc aromate conditum plane erat cujuſpiam ſupremi Judicis apud Ægyptios; & avis illa hieroglyphicum erat veritatis: vel ſaltem in torque hoc eumdem occupabat ſitum, ac in torque Præſidis Judicum veritatis imago. Phœnix Soli ſacer erat, ac proinde lumen poterat ſignificare. Verum Viator hic minime refert, quænam eſſet avis ſpecies e cadaveris illius collo dependens.

Utrum Ægyptii Hebræos fuerint imitati in ornatibus, quos primo ſuo Judici deferebant; an Moyſes ornatum hunc, vel ſimilem ab Ægyptiis deprompſerit, inquirere noſtra non intereſt; verum patet, ſapphirum, quæ ante pectus juſtitiæ Præſidis in Ægypto pendebat, non mediocrem ſimilitudinem habuiſſe cum rationali, ac lapidibus pretioſis, qui ibi de catenulis aureis pendebant a Summi Sacerdotis Ephod deſcendentibus.

Audaciæ ſane notarer, ſi Urim, & Thummim formam vellem ſtatuere; neque aſſentiri poſſem Spencero, qui ibi humanas figuras fuiſſe contendit: verum nonne aſſeri poſſet ænigmaticas has fuiſſe figuras, quæ myſtice referrent veritatem, & perfectionem, quæ rationali junctæ erant, atque a lapidibus, quibus illud exornabatur, diſtinctæ?

Quoad modum, quo Deus voluntatem ſuam per Urim expromeret; hæc quoque non mediocris eſt difficultas, quæ ſcriptores in diverſa diduxit. Quidam aſſerunt, uti ſuperius adnotatum eſt, ex fulgore lapidum rationalis conjici potuiſſe, quinam rei illius, de qua conſulebatur, eventus eſſet futurus. Si obſcuriores lapilli videbantur, malum aliquod portendebatur; ſi e contra inſueto rutilabant fulgore, credebatur Deus, rem, de qua agebatur, probare. Alii arbitrantur, Deum enunciatis vocibus oracula præſtitiſſe; atque cum aliqua de re rogatus minime reſponderet, tunc judicium iniri conſueviſſe, quod res nequaquam eſſet Domino accepta. Spencerus, & Rabbini [1] huic ſententiæ ſubſcribunt; eamque confirmare videtur Joſephus Antiquit. l. 6. cap. 7. cum narrat, Sauli, qui per Achitob conſuluerat Deum, an de Philiſtiim victoriam eſſet relaturus, Sacerdotem Summum retuliſſe, Deum nihil reſpondiſſe; ex quo ſilentio Saul intellexit, Deum contra populum ſuum eſſe indignatum.

Alii Judæi doctores docent, cum conſulebatur Deus pro magni momenti negotiis, Sacerdotem pectorali indutum ſtetiſſe coram Arcam fœderis, ac cœleſti lumine afflatum intrinſecus, oculos ad pectoralis lapides demittere conſueviſſe, quæ elevebantur, varieque diſpoſitæ reſponſum efficiebant, quod Summus Sacerdos poſſet legere; Exempli gratia, cum David conſuluit Dominum, utrum in urbem Juda proficiſci deberet; tres litteras confectas fuiſſe, quæ innuebant, *perge* [2]. Sed præter quam quod nullis ſententia hæc ſuffulta eſt argumentis, ſcatet etiam innumeris difficultatibus, quibus fruſtra conantur occurrere, dicentes addita pectorali fuiſſe nomina *Abraham*, *Iſaac*, *&* *Jacob*, & hæc alia *Shibetè Iſchurùm*, quæ ſignificant Tribus Iſrael, ut ſupplerentur litteræ *theth*, *heth*, *tzade*, *Koph*, quæ in duodecim Patriarcharum nominibus minime inveniuntur: nam, his etiam poſitis, quinam Summus Sacerdus conſultus has omnes litteras conjungere potuiſſet, ut verba componeret, quæ oraculum, quod exquirebatur, debebant efficere? Præſtat igitur aſſerere, Deum voluntatem ſuam Summo Sacerdori detexiſſe interiori illum perflans lumine, quo illum ſe afflaturum perpetuo miraculo receperat, quoties Ephod, ac rationali indutus ipſum conſuluiſſet.

Deus per Urim, & Thummim voluntatem ſuam Hebræis prodidit, donec Tabernaculum ſubſtitit, & antequam Templum Jeruſalem conſtrueretur. Liquet ex hiſtoria Judicum, Saul, & David, hanc Dominum conſulendi rationem iis temporibus vulgatam fuiſſe. Sed templo conſtructo, Deus paſſim Prophetas ſuſcitavit in Iſrael, quos adibant Dei voluntatem agnituri in iis, quæ regimen, Religionemque reſpicerent, ac in privatorum quoque neceſſitatibus, quod uſque ad Salomonici Templi excidium, a Nabuchodonoſor illatum permanſit. Hebræi aſſerunt, poſtquam ab ea captivitate reverſi fuere, non extitiſſe deinceps inter Judæos prophetas a Deo ſuſcitatos; neque amplius Urim, & Thummim fuiſſe conſultum, ſed aliud extraordinariæ revelationis extitiſſe genus, *filia vocis* appellatum, quod voce de cœlo emiſſa percipiebatur, quemadmodum in Domini noſtri baptiſmate auditum fuit, Matth. 3. 17. *Hic eſt filius meus dilectus*. Addunt præterea Urim non fuiſſe amplius in ſecundo templo, atque humo conditum fuiſſe cum lapidibus rationalis a Joſia, antequam moreretur. Ex lib. 1 Eſdræ 2. 63. liquet, ipſus Sacerdotem expectaſſe, qui per Urim, & Thummim reſponderet; ac ex Macchabæis [3] patet, ipſos ſperaſſe prophetam, qui eos edoceret, quid de profanati Altaris lapidibus eſſet faciendum: quod probat, tunc neque Urim fuiſſe, neque prophetam; ſed illos ſpe nequaquam excidiſſe, quin aliquando eſſent habituri, atque ideo nequaquam omnino deletum putaſſe Urim, neque prophetiam penitus extinctam. Minime ambigitur, quin in ſecundo Templo, æque ac in primo Magnus Pontifex indutus fuerit Ephod, & rationali: ſed voluit Deus Judæos præparare ad Meſſiæ vocem audiendam, diuturno hoc Prophetarum, & revelationum ſilentio, quod illius nativitatem anteceſſit.

Gestabit judicium filiorum Israel in pectore suo.] Videlicet: Geſtabit Urim, & Thummim, quæ ſunt notæ authoritatis Judicum in filios Iſrael. Vidimus ſupra, veritatis imaginem de collo præſidis Judicum in Ægypto pendentem ſymbolum fuiſſe ipſius qualitatis, ac potentiæ; obſervari quoque poteſt rationale quandoque *rationale judicii* appellari. Summi Judæorum Sacerdotes erant primi nationis Judices, uti alibi oſtendimus. Vide Deut. 17. 9. Locus hic poteſt etiam iſto pacto explicari, Sacerdos Magnus deferet ante pectus Rationale, quod illi erit monumentum, quo admonebitur juſtitiæ, quam exercere debet in filiis populi ſui; atque reminiſcetur, hoc illi munus eſſe, ipſorum egeſtatem Deo repræſentare, expiare crimina, illorumque patronum eſſe, ac mediatorem.

℣. 31. Facies et tunicam superhumeralis.] Quæ præcingitur Ephod, ſuper quam inducitur Ephod, quæ decoratur Ephod, quæ ſuperimponitur

1 Gemar. Jeruſal. Maſſechet. Joma. c. 7.

2 עלה *hain* de nomine Simeonis, *lamed* de nomine Levi, & *he* de nomine Juda.

3 Machab. 4. 45. 46. *Repoſuerunt lapides in monte domus, in loco apto, quoadusque veniret Propheta, & reſponderet de eis.*

Ephod. *Tunica ſuperhumeralis*, hæc omnia poteſt ſignificare. Hebraica vox *mehil*, quæ iſtic *tunica* transfertur, plerumque vertitur pallium. Re quidem vera veſtis hæc tunicæ ſuperimponebatur. Septuaginta vertunt, *Tunicam talarem*. De Tunica ſermo fuit verſ. 4. A

℣. 31. IN CUJUS MEDIO SUPRA ERIT CAPITIUM &c.] Vox *capitium* latine nequaquam ſignificat id, quod caput cooperit; ſed veſtis hiatum, per quem caput, & collum emittitur; ita ut veſtis hæc ſinum, vel pectus involvat. *Capitium ab eo, quod capit pectus*, ait Varro de vita populi Romani, & lib. 4. de lingua Latina; & alibi de matronis Romanis locutus ait: *Pectore, & lacertis erant apertis, nec capitia habebant*. Sanctus Hieronymus vocem hanc in hebraici textus [1] ſenſum accepit, ſcilicet pro apertura ad caput exerendum. B Eadem voce in eodem ſenſu utitur Job 30. 18. *Quaſi capitio tunicæ ſuccinxerunt me*. Joſephus ait tunicam hanc nequaquam in latum ab humero ad alium apertam fuiſſe, ſed ſecundum longitudinem, atque ſectam fuiſſe uſque ad pectus. Ait etiam fimbriam additam fuiſſe, atque aſſutam, ut futuræ deformitas celaretur.

Sed e contra ex Moyſe videtur, aperturam rotundam fuiſſe, ac forti, ſolidaque textura circumdatam, quæ plane erat ex panno eodem. Apertura hæc lata eſſe debebat; neque in veteribus tunicis aperturam ullam videmus, quæ ante pectus deſcenderet. In Alemannia, ac aliis pluribus locis ejuſdem formæ ſunt Sacerdotum albæ, & ſuperpellicea, in quibus alia nulla apertura eſt, quam qua caput exeritur. C Veſtis, de qua hic loquitur Moyſes, nequaquam manicata fuiſſe videtur, aperta plane erat in lateribus uſque ad renes, & illac brachia emittebantur, quæ interioris tunicæ manicis erant induta. Superior tunica, vel pallium Summo Sacerdoti peculiaris erat: inferiores vero Sacerdotes lino tantum erant induti, æque ac Sacerdotes Ægyptii. Hi vero Sacerdotibus ſuis lanearum veſtium interdixerant uſum, quadam vana ſuperſtitione lanam impuram eſſe arbitrati.

SICUT FIERI SOLET IN EXTREMIS VESTIUM PARTIBUS.] Hoc vero intelligi nequit de illis ornatibus, quibus inferiores veſtium oræ prætexebantur [2]; ſed de illis, quibus collum decorabatur. In tabulis Iſidis plures figuras videmus, cum ſatis lato collari virgulis quibuſdam, aliiſque diſcoloribus ornamentis inſignito. D

Hebraicus hujus loci textus [3] habet: *thoracis forma*; vel potius, *veluti apertura thoracis*. Ægyptii, Phœnices, & Perſæ, & nonnulli veteres Trojani belli Heroes gerebant thoraces quoſdam, qui neque ferrei erant, neque ænei, quemadmodum qui apud reliquos populos videntur, ſed linei [4], qui aceto excoquebantur, uti fertur, ut nequaquam eſſent pervii. Interpretes quidam credunt, thoracem, quo indutus erat Saul in prœlio Gelboe, & quem princeps hic gladio transfodere non poterat, id genus fuiſſe, 2. Reg. 1. 9. *Tenent me anguſtiæ*, &c. Hebraice: *Tenet me Schabatz, ſeu tunica ſtricta*. Plutarchus obſervat Alexandri Magni loricam e multiplici tela confectam fuiſſe. Hæc omnia facile innuere poſſunt, E quinam eſſet hic veſtis ornatus, de quo loquitur Moyſes, & quem ipſe ait, ſimile fuiſſe lineorum thoracum ornamento. Hoc autem ad collum tunicæ minime aſſutum erat, ut vult Ioſephus, ſed contextum, atque ex eadem tela, ac veſtis. Hoc autem apparet ex verſiculo trigeſimo primo: *Ora textilis*; vel juxta Hebraicum Textum: *opere textoris*.

A Artifices, quos Scriptura vocat ארג *oreg textores*, telas, vel pannos unius coloris efficiebant; ac admodum vero ſimile videtur, veſtes, ac Sacerdotum tunicas, non ſolum unius coloris fuiſſe; verum etiam inconſutiles.

Sartores, ſarcinatoreſque [5] olim raro inveniebantur, & raro veſtes fiebant ſectæ, & aſſutæ, uti hodie aſſueſcimus; & critici nonnulli adlaborarunt, quò antiquitus neque apud Græcos, neque apud Romanos fuiſſe, probarent. Tunica plerumque ſine ſutura erat, atque inconſutilis; & pallium erat pannus quadrata forma, ſine ulla alia manufactura, atque vulgo humero adnectebatur fibula. Opifices, qui has texebant veſtes, nequaquam ſedentes, veluti hodierna die textores adlaborabant, ſed ſtantes; & B cum opus perficiebant, cujus plura eſſent latera, veluti tunicam, vel rotundam veſtem, textrinum ſuum circuibant. Hoc autem innuere vult Virgilius Æneid. 7.

Arguto tenues percurrens pectine telas.

Homerus quoque ſimiliter loquitur Odyſſ. E. Herodotus l. 2. cap. 35. Ægyptios telas, ac pannos, contra quam alii conſueverint, a ſuperiori parte ad inferiorem, texere ſolitos fuiſſe notat; videlicet, cum ſtamen tenſum fuiſſet a ſuperiori parte ad inferiorem, ſubtegmine inferiorem partem replere incipiebant surſum aſcendendo, cum in aliis regionibus ſuperior pars repleri incipit, ac deorſum deſcenditur. Theophylactus ait in Palæſtina ſuis quoque temporibus hoc in more fuiſſe poſitum; & Braunius inconſutilem Jeſu Chriſti veſtem hoc pacto textam fuiſſe arbitratur. C Joan. 19. 23. *Erat autem tunica inconſutilis, deſuper contexta per totum*.

℣. 33. DEORSUM VERO AD PEDES, QUASI MALA PUNICA FACIES EX HYACINTHO.] Septuaginta, & Latina quædam exemplaria hic addunt *de byſſo retorta*, quod neque in authographo, neque in verſionibus adeſt. Inferior pars tunicæ hyacinthinæ, malogranatis, & aureis tintinnabulis ex æquo interpoſitis erat ornata. Malogranata erant e lana hyacinthina, purpurea, & coccinea. Rabbini addunt præterea illa ovi magnitudinem prætuliſſe. Verum ſi hanc eorum admiſeris magnitudinem, & huic conſentaneam tintinnabulorum, parvum eorum ſane fuiſſe numerum decet, ni latitudinis nimiæ veſtem fuiſſe dicas. Philo lib. 2. de Monarch. præter malogranata, & tintinnabula ait in D inferiori fimbria adfuiſſe etiam flores, qui terram repræſentabant, quemadmodum malogranata aquam referebant, & tintinnabula univerſi harmoniam.

℣. 35. UT AUDIATUR SONUS, QUANDO INGREDITUR.] Septuaginta [6] innuere voluiſſe videntur, vocem Aaronis auditum iri; vel potius tintinnabulorum ſonum ab Aarone ipſo auditum iri, cum ingredietur in Sanctuarium: at naturalior ſenſus Textus eſſe videtur, Aaronem delaturum hæc tintinnabula, ut populum admoneat; ſicuti Author Eccleſiaſtici intellexit: *In memoria filiis gentis ſuæ*. Eccleſ. 45.; vel ſecundum Toſtatum, hæc tintinnabula populum admonitura, Sacerdotem ingredi in Sanctuarium, quemadmodum in Principum ædibus ingrediendi facultatem expoſci pulſando inquitur. Ferunt [7], Perſarum Regibus E veſtium ima, veluti Hebraici Pontificis, malogranatis, atque aureis tintinnabulis exornata fuiſſe. Ex hiſtoria Judith patet, neminem auſiſſe Holophernis cubiculum pulſando ingredi: *Nullus enim audebat cubiculum virtutis Aſſyriorum pulſando, aut intrando aperire*; neque illum appellando excitatum, ſed alicujus rei ſonitu: *ut non ab excitantibus, ſed a ſonantibus evigilaret*. Judith 14. 8. 9. Authores quidam autumant, hæc tintinnabula in ima Sacerdotis Summi veſte rotunda

1 פי ראשו בתוכו. 70. Τὸ περιστόμιον ἐξ αὐτοῦ μέσον.
2 Vide Braun. l. 1. de veſtit. Saced. Heb. c. 77. art. 21. & Pollux l. 7. c. 13. & 14.
3 כפי תחרא יהיה לו, Aq. Προσπλοκῆς. Sym. Th. Στόματος. 70. Συμβολῆς.
4 Plin. l. 19. c. 1. Herodot. pluribus in locis. Homer. Iliad. B.
5 Vide Salmaſium in Lamprid. in Caracal. & Caſaub. Exercit. ad Baron. 16. num. 117.
6 Καὶ ἔσται Ἀαρὼν ἐν τῷ λειτουργεῖν ἀκουστὴ ἡ φωνὴ αὐτοῦ.
7 Targum Scheni in Eſth. c. 6. 10.

tunda fuiſſe, veluti tympanorum crepitacula.

Et non moriatur.] Perinde ac Deus minitaretur, ſe illum propter irreverentiam percuſſurum morte, ſi ad Sanctuarium accederet, quin animum adverteret. Sanctus Juſtinus in Dialogo cum Tryphone, & hæretici quidam apud Sanctum Epiphanium hæreſ. 34. dicunt duodecim fuiſſe tintinnabula ad Apoſtolos duodecim denotandos. Sanctus Hieronymus ad Fabiolam, Sanctus Iſidorus l. 1. cap. 2. & Hebræi quidam duo & ſeptuaginta fuiſſe dicunt; Sanctus Clemens Alexandrinus lib. 5. Strom. trecenta & ſexaginta ſex; Proſper de promiſſ. Dei p. 2. c. 5. quinquaginta; Durandus ration. lib. 3. cap. 19. octoginta. Hæc vero tintinnabula, juxta Sanctum Hieronymum, ſignificant, vitam omnem, omnes vias, ac motus Sacerdotum eſſe debere exempli, atque ædificationis.

℣. 36. Facies et laminam .... in qua sculpes: Sanctum Domino.] Lamina hæc aurea Summi Sacerdotis fronti adnectebatur inter aurem utramque; illique plerumque duorum digitorum latitudo tribuitur: ſed Moyſes de latitudine nihil conſtituit. Inferius *corona* dicitur; Exod. 39. 30. *mitra*; & Levit. 8. 9. *Cidaris*: ab authore libri Sapientiæ 18. 24. *diadema* appellatur; ab Authore Eccleſiaſtici 45. 13. *corona aurea*, quia retro adligabatur præter propter veluti diadema, quod Orientis Reges deferebant, & quod in quibuſdam Imperatorum Romanorum poſt Conſtantinum numiſmatibus intuemur. Diadema vinctum eſt in occipite, ac duæ extremitates ſuper collum dependent. Vittæ mitrarum Epiſcoporum reliquiæ ſunt eorum diadematum, quæ tiararum, mitrarumque ima præcingebant. Aliquando Reges, & Imperatores cum diademate ſolo pinguntur; ſed plerumque Perſarum Reges cum diademate pileum ferebant, vel *cidarim*. Quintus Curtius l. 13. id palam refert: *Cidarim Perſæ Regium capitis vocabant inſigne; hoc cærulea faſcia albo diſtincta circuibat*. Sed amentum, vel diadema Summi Sacerdotis erat coloris cyanei. Nec deſunt, qui credant alia quoque vitta auream laminam adnexam fuiſſe, ne in oculos Summi Sacerdotis decideret, & vittam hanc in ſuperiori capitis parte vinctam fuiſſe.

Hæ voces, *Sanctitas Domino*, ſignificabant, Sanctitatem decere Dominum, & quicumque ad ipſum accederet, perfecta Sanctitate indui debere. Poteſt etiam transferri: *Sanctitas Domini*. Vide verſiculum ſequentem. In ea tabula, quæ laminam Summi Sacerdotis repræſentat, opera calchographi incidendum curavi, *Sanctitas Domino*, Samaritanis charateribus, qui ſunt veteres litteræ Hebræorum.

℣. 37. Ligabisque eam vitta hyacinthina, et erit super tiaram (℣. 38.) imminens fronti Pontificis.] Duo ſenſus huic Textui tribui poſſunt. I. Lamina ligata erit ad utramque extremitatem vitta, quæ in occipite adnectetur. II. Lamina vittæ hycinthinæ adnectetur, quæ cooperiet imam pilei partem in circuitu capitis, atque retro vincietur. Poſtremus hic videtur eſſe ſenſus Joſephi, uti ℣. 4. oſtendimus. Rabbini docent ſanctam laminam ſuper Summi Sacerdotis frontem pependiſſe, ſub pileo; ita ut pileum inter, & laminam capilli cernerentur. Philo quoque l. 3. de vita Moſis, eam ſuper frontem pependiſſe innuit, quia ait laminæ ſuppoſitam fuiſſe vittam, ne illa carni adhæreret. Ariſteas de 70. Interpr. illam ait fronti fuiſſe appoſitam inter utrumque ſupercilium; videlicet, eam plane frontem uſquequaque cooperuiſſe a capillis ad ſupercilia. Sed Moyſes perſpicue ait vittam hanc fuiſſe ſuper, & in anteriori parte pilei.

℣. 38. Portabitque Aaron iniquitates eorum, quæ obtulerunt &c.] Septuaginta [1]: *Aaron auferet peccata de rebus ſanctis*; expiabit, quidquid criminoſum fuerit in oblationibus populi; vel portabit iniquitates populi; illius munus erit edocere populum, ut peccata, quæ ignorantia admittere poſſet, effugiat. Lamina, quam ſuper frontem Sacerdos magnus gerebat, erat ſymbolum, quo ſignificabatur, ipſum veluti Religionis caput, ac populum referentem, debere devotum eſſe, ac Domino dicatum.

Joſephus de bello l. 5. c. 15 p. 909. in Græco, ſeu lib. 6. c. 6. in Lat. ait, Summum Sacerdotem non aſcendere ad altare, niſi diebus Sabbathi, Neomeniarum, & in magnis nationis feſtivitatibus, & vulgo in templo uti ſimpliciori ornatu, quam eo, quem deſcripſimus: hoc vero ſemel tantum quotannis indui cum ingreditur Sanctuarium, die ſolemnis Expiationis: quod ipſum forſitan Moyſes voluit innuere dicens: *Portabitque Aaron iniquitates eorum, quæ obtulerunt, & ſanctificaverunt filii Iſrael*; quia re vera die hac præſertim ſolemnis expiatio populi peragebatur. Vide Leviticum c. 16. 16. 19. 21. 30. 33. 34.

℣. 39. Stringesque tunicam bysso.] Textus diverſimode vertitur. Nonnulli [2]: *Ocellabis*, vel *Ocellatam facies tunicam byſſo*. Facies tunicam hanc diverſis coloribus variegatam, veluti pavonis caudam, quæ colorum ſuorum varietate, oculi colorem imitatur; ibi diverſos veluti oculos repræſentabis. Aliter; facies tunicam arctam e byſſo. Syriaca, & Arabica ſimplicius; *Facies tunicam e byſſo*. Ioſephus loquens de hac tunica ait, contextam fuiſſe duplici tela e tenuiori filo. Deſcendebat illa ad talos uſque, atque affabre corpori aptabatur, manicaſque arctas habebat ad brachia obtegenda. Tunica hæc erat ſine ullo ſinu, & ad collum hiatum habebat, qui ante, ac retro duabus fibulis adnectebatur. Similiter eam S. Hieronymus deſcribit in Epiſtola ad Fabiolam. Septuaginta [3]: *Tunicæ huius inſitia erunt e byſſo*. Hebraica vox *ſchibbazta* ſignificat, uti oſtendere adniſi ſumus ℣. 4. *Facies tunicam e pluribus duplicati goſſypii liciis*.

Balteum opere plumarii.] Vidimus ſupra ℣. 4. quinam eſſet Sacerdotum balteus. Ioſephus l. 3. c. 8. Antiq. ait, Magni Pontificis balteum, de quo hic ſermo, ideo tantum differre, quoniam auro erat contextum. Textus nihil ait. Stamen erat lineum, & lanæ ſubtegmen diſcolor.

Opere plumarii.] *Plumarios* ſæpius pro phrygione, vel periſtromatario accipitur; vel generaliter pro opifice, qui varias res variis coloribus repræſentat in tela, vel panno. Sed preſſius loquendo Hebraica vox *rokem* רקם, ſignificat proprie artificem, qui varios colores, variaſque res variis avium plumis imitatur. Veſtes e plumis confectæ Ægyptiis minime erant exoticæ; nam in tabulis Iſidis Dea hæc repræſentatur cum pallæ ſpecie, quæ ſub uberibus pendet, atque e plumis confecta videtur. Garamantes, ut Tertullianus ait in libro de veland. virg. veſtes e plumis elaboratas deferebant. Idem in libro de pallio inquit temporibus ſuis luxum eo perveniſſe, ut veſtes e pavonis plumis conglutinatæ deferrentur. Varro quoque loquitur de his operibus e plumis pavonis, æque ac Vitruvius l. 6. c. 7. Ex America veſtes devectæ fuere acu pictæ, & avium plumis ornatæ [4], quæ res graphice adeo imitabantur, ut melioris notæ pictores, vel celeberrimi phrygiones non poſſent ea perfectius repræſentare. Hæc porro Corteſius ait Narr. 2. *Ea vero e plumis talia erant, quod nec in ſera, nec in rebus ſericis, aut pictis mirabiliora fieri poſſent*. Et Narr. 3. *Ex plumis fabrefacta tam mirabilia habuimus, ut ſcriptis demonſtrari non poſſent*. (Vide Fuller. Miſcell. l. 1. c. 20. & Aloyſ. Cadam. navig.

1 Καὶ ἐξαίρει Ἀαρὼν τὰ ἁμαρτήματα τῶν ἁγίων.
2 Oleaſter, Vatablus.
3 Καὶ οἱ κοσυμβωτοὶ τῶν χιτώνων ἐκ βύσσου.
4 Apud Panriſul. rerum memorabil. l. 2. c. 2.

navig. c. 66.) Barbari regionum illarum Incolæ ad A hanc uſque diem veſtibus, balteis, ac pileis ex avium plumis diſcoloribus confectis utuntur ; & hodie noſtrates quoque mulieres ad frigus depellendum quoddam manicæ genus e plumis contextum deferre conſueverunt. Plutarchus in libro de fortuna Alexandri, ait illos, qui ſeſe dedunt ad ferarum venatum, earum ſpoliis ſe induere, qui vero aucupio, ex avium plumis [1] veſtes ſibi adnectere. Seneca Ep. 90. ait plures nationes, ſibi ex arborum corticibus, & avium plumis veſtes contexere : *Non corticibus arborum pleraque gentes tegunt corpora ? Non avium plumæ in uſum veſtis conſeruntur ?* Denique Prudentius in hamartigenia eamdem conſuetudinem his verſibus refert ;

Hunc videas laſcivas prapete curſu
B *Venantem tunicas, avium quoque verſicolorum*
Indumenta novis texentem plumea telis.

Hæc teſtimonia ſufficiunt, ut vetus mos plumis veſtes exornandi innoteſcat. Hebraicum *Rokem* id innuit explicite. *Rakamah* veras ovium plumas ſignificat, Ezech. 17. 3. Non ideo auſim aſſerere, magni Sacerdotis balteum apud Hebræos ea avium plumis fuiſſe confectum. Moyſes ſatis aperte ait in univerſo hoc libro, adhibitam fuiſſe pretioſiorem lanam, coloreſque vividiores. Neque ait balteum hunc factum fuiſſe e plumis, ſed tantum opere plumarii, opere variegato, & polymito. Vox *plumarius* a Latinis ſæcus pro acupictore uſurpatur, ſive opus ſuum plumis, ſive auro, vel argento, vel ſerico exerceat, Lucanus.

C *Pars auro plumata nitet, pars ignea cocco,*
Ut mos eſt pharii miſcendi licia telis.

Vide dicta ad verſiculum primum cap. 26. libri hujus.

℣. 40. Filiis Aaron tunicas lineas parabis.] Septuaginta omittunt *lineas*, æque ac textus Hebraicus ; ſed ex Exod. 39. 25. patet eas lineas fuiſſe, & inconſutiles. Ezechiel 44. 17. vetat Sacerdotibus in Templum lanea veſtimenta deferre : *Nec aſcendet ſuper eos quidquam laneum*. Modus quo Sacerdotes erant induti, apprime eorum muneri congruebat : tunica omnem illis facultatem liberius, faciliuſque agendi relinquebat ; pallium in ipſorum miniſterio eos ſolum præpedire potuiſſet. Philo l. 1. de Monarchia.

D Juxta Platonis leges. (Plat. de legib. l. 12.) Sacerdotum tunicæ inconſutiles erant ; illiſque texendis mulier, ultra menſem inſumere non debebat. Ait etiam de Legib. l. 12. colorem album præ cæteris coloribus Deo convenire ; ſed præcipue in veſtibus contextis : quod ſic exprimit Tullius l. 2. de legibus. *Color autem albus præcipue decorus Deo eſt, tum in cæteris, tum maxime in textili*. Sacerdotes Ethnici in ceremoniis lineas tunicas deferebant, æque ac Sacerdotes Hebræi. Lucanus, & Juvenalis Sacerdotes, præſertim Ægyptios, *gregem linigerum*, vel *linigeros* vocant. Apulejus Metamorph. l. 2. & l. 11. loquitur de Sacerdotibus iiſdem, ab eoque appellantur, *Antiſtites ſacrorum Proceres, candido velamine injecti* ; & alibi Iſidis pompam deſcribit ex E hominibus, mulieribuſque lino indutis compoſitam. Suetonius in Othone refert Othonem linea indutum veſte Iſidis ſolemnitatem celebraſſe : *In linea religioſa veſte*. Galli Sacerdotes, vel Druidæ albis amicti veſtibus ſacris operabantur : *Sacerdos candida veſte cultus, arborem ſcandit, falce aurea (viſcum) demetit, candido id excipitur ſago, tum deinde victimas immolant*. Plin. 16. 44.

Profani quoque aliquid, licet imperfecte, de Summi Sacerdotis Judaici veſtibus agnovere. Hæc autem Plutarchos ait l. 4. Sympos. Defert mitram capite, caprina pelle auro exornata præcingitur, & tunica, quæ illi ad pedes uſque defluit, ex qua plura pendent tintinnabula ; cothurnoſque geſtat.

Hæc omnia indumenta, quæ deſcripſimus hactenus, erant ſymbolica. Spiritus Sanctus in Sapientiæ libro 17. 24. hac de re nos facit certiores. Joſephus l. 3. Antiq. c. 8. & Philo l. 3. de vita Moſis, ac poſt eus Sancti Eccleſiæ Patres [2] operam inſumpſerunt, ut quæ iis figuris myſteria celarentur, evolverent. Color, forma, & omnium harum veſtium materia, ipſis ſpiritualia, ac moralia ſuggerunt argumenta. Noſtrum autem conſilium minime patitur, ut longiorem hac de re ſermonem inſtituamus, neque particulariter ſingulorum inquiramus ſignificationem, quæ Deus non ſine conſilio hic prolixius adeo voluit deſcribi. Profani ipſi, ac præſertim Ægyptii, B admirebantur, ut eorum Religio, ac ceremoniæ, quamvis adeo irridendæ, ſymbolicam præſeferre ſignificationem, arcanam, ac obſervantia dignam, exiſtimarentur. Potiori igitur jure de ea Religione, atque ceremoniis id arbitrandum eſt, a Deo conſtitutis, ac præceptis, cujus conſilia maxima ſemper fuerunt, excelſa, mirabilia, & ſeria attentione digniſſima. Ephod quatuor coloribus, quibus diſtinguebatur, univerſum terrarum orbem repræſentabat, omniaque elementa. Color hyacinthinus, vel cæruleus aerem, purpureus mare, coccineus ignem ; byſſus terram, ac aurum lucem repræſentabant.

℣. 41. Cunctorum consecrabis manu.] Hebræus [3], & Septuaginta [4] habet : *Unges illos, & replebis manus illorum*. Videlicet : Oleo ſacro unges, & ap-C plicabis illos muneribus eorum ; illis victimas tribuens ad immolandum, ac in manibus eorum inſtrumenta officii ipſorum imponens. Hæc erit nota eorum conſecrationis, eo quod munere ſuo fungi incoharint.

℣. 42. Facies, et feminalia linea, ut operiant carnem turpitudinis suæ, a renibus usque ad femora.] Vel a renibus uſque ad genua, ut S. Hieronymus, aliique plures malunt. Leo e Juda, ac Leuſdenius volunt hæc femoralia etiam genua involviſſe. Quoad horum femoralium materiam, ac formam, ac modum, quo induebantur quædam eſt difficoltas. Hebraica vox *micneſim* מכנסים a Septuaginta vertitur Περισκελῆ *periſcelis*, quæ vox ſignificare poteſt calceos, vel perizomata. Philo de Monarchia de faſcia intelligit, Περίζωμα. S. Hierony-D mus ad Fabiolam credidit, id noſtris femoralibus eſſe perſimile, quæ utrumque femur ſeorſum involvunt ; & quæ ſecta ſunt, atque aſſuta, Joſephus l. 3. Antiq. c. 8. ſententiæ huic arridere videtur. Sed Braunius contendit ornatum hunc textilem fuiſſe, atque inconſutilem, æque ac omnes alii, de quibus ait textoris opera eſſe confectos. Vide ad Exod. 27. & Braunium l. 2. de veſtit. Sacerd. Hebr. c. 6.

Quoad horum femoralium materiam, Scriptura paſſim ait, linea fuiſſe : ſed Chaldaica verſio, Syriaca, Arabica, & Joſephus habent byſſina, vel goſſypina ; & Hebraicus textus cap. 39. 29. quem Chaldæi Paraphraſtes, & Septuaginta ſequuntur, legit ; *ex goſſypio (ſches) retorto* ; S. Hieronymus, *linea byſſina*. Samaritanus textus præter linum, & goſſypium, E lanam quoque hyacinthinam, coccineam, & purpuream intextam fuiſſe refert ; omniaque actu picta fuiſſe. Quod penitus aliis Scripturæ locis (Levit. 6. 10. & 16. 4. Ezech. 44. 18.) adverſari videtur, ubi hæc femoralia ſemper, conſtanterque velut e ſimplici lino compoſita deſcribuntur ; ex quo conjicere liceret Hebræos librarios vocem addidiſſe in 39. libri hujus capite.

Neque conveniunt Interpretes, ubi femoralia hæc adnecterentur. Hebraicus textus hic ait, ea obtexiſſe a renibus uſque ad femora ; ſed Ezechiel vetat c. 44. 18. *Non accingentur in ſudore*. Hebraice ביזע ;

Vide-

1 Πτερώτους ἀμφιέχεσθαι χιτωνίσκους.
2 Hieron. ad Fabiol. Origen. hom. 9. in Exod. Theodoret. qu. 160. Aug. in Exod. paſſim.
3 משחת אתם ומלאת את ידם
4 Καὶ χρίσεις αὐτοὺς καὶ ἐμπλήσεις αὐτῶν τὰς χεῖρας.



HABITUS SIMPLICIS SACERDOTIS



Videlicet [1]; non ſubligerit in ea parte, quæ magis A eſt ſudori obnoxia, ſicuti ſunt axillæ, lumbi, inquiunt Hebræi; ſed adnecterit ſub axillis, vel ſuper lumbos, e regione cordis; quæ mihi futilis videtur ſubtilitas. Moyſes hic renes memorat, ubi naturaliter cingula, & femoralia nectuntur. Cur igitur a Textu recedendum, cum Ezechielis locus alios æquiores, commodioreſque ſenſus admittat?

E Scriptura non liquet perizomatum uſum apud Hebræos invaluiſſe. Quod Noe ebrio contigit, ipſum illis nequaquam uſum fuiſſe eſt argumento: ſed ex hoc, quem explicamus, loco minime licet inferre, eorum uſum fuiſſe Iſraelitis ignotum. Veſtes, quas Moyſes pro Sacerdotibus præcipit, nequaquam novæ ſunt, atque extraordinariæ. Ex Daniele [2] Græciſque Authoribus patet, Perſas, & B Chaldæos femoralibus diutius antea uſos fuiſſe, quod recentius eſt apud Græcos, atque Romanos. Plures adſunt loci, quibus probari poteſt, antiquitus apud eos hoc in more minime fuiſſe poſitum. Homerus Iliad. 2. & Odyſſ. 2. & Virg. Æneid. 8. vetereſque authores de pallio tantum loquuntur, & tunica. Nullæ præterea tribuuntur Agamemnoni veſtes, nullæ Telemacho apud Homerum; & Evandro præterea nullæ apud Virgilium. Neque uſpiam veſtium aliarum Ægyptios, vel Hebræos inveneris meminiſſe. Si in poſterioribus Romanæ Reipublicæ temporibus uſus femoralium alicubi occurrit, id tamquam non ordinarium enarratur. Suetonius, exempli gratia, ait Auguſtum hieme uſum fuiſſe braccis, & calceis; ex quo infertur non ſemper ea geſtare conſue- C viſſe. Author idem obſervat, Iulium Cæſarem, cum in ſe conjuratorum manum irruere videret, veſte caput ſuum obtegiſſe, & læva manu tunicam ſuper crura extendiſſe, *ut honeſtius caderet*.

Chaldæi, Galli, Perſæ, & Romani aliquando, vetereſque Græci quadam utebantur femoralium ſpecie: ſed ab iis, quibus utimur, admodum erant diverſa. Lata hæc erant perizomata, quæ a renibus uſque ad genua deſcendebant, involvebantque femora, non ſeorſim, ſed utrumque ſimul, ut tunicæ, quàm aſſolet, breviores. Hujuſmodi plane femoralibus induti erant *Sidrach, Miſach, & Abdenago* [2], cum in fornacem injecti fuerunt. Xenophon Cyrop. l. 8. ait, Cyrum femora ſua obtegere conſueviſſe braccis, quas *anaxurides* vocat, colore purpureis. Strabo l. 4. de Gal- D lorum veſte loquens, refert ipſos lata geſtaſſe femoralia, quæ *braccas* vocant. Femoralium vero adinventum Iuſtinus Semiramidi refert acceptum.

Ovidius Scytharum veſtem deſcribens ait, ipſos ſibi indumenta, lataſque braccas e pellibus conficere; Triſt. 5. Eleg. l. 8.

Pellibus & laxis arcent mala frigora braccis.

Ex Homero Iliad. E. Heroes, Dii ipſi, deæque geſtaſſe videntur balteos, qui a renibus ad femora deſcendebant; ſimilique balteo præcinctus erat Mars, cum illi Pallas vulnus inflixit.

Mahomettani ad hanc uſque diem hæc deferunt femoralia, vel tunicarum ſpeciem, tum hominibus, tum mulieribus communem. E tenuiſſima tela, vel goſſypio ſiunt, & ad talos uſque deſcendunt. Latinorum vero braccæ multo breviores erant; eæque *campeſtria*, *ſuccinctoria*, vel *ſubligacula* appellabantur: iiſque turi utebantur, dum æſtus ferveret, tunicarum loco; & juvenes, qui ſe ſe lucta exercebant, iis plerumque induebantur. S. Auguſtinus l. 14. de Civitate Dei c. 17. *campeſtria* vocas ea perizomata, quæ in paradiſo terreſtri poſt lapſum, parentes primi ſibi conſuerunt; *Campeſtria ideſt ſuccinctoria genitalium .... Porro campeſtria, latinum quidem verbum eſt, ſed ex eo dictum, quod juvenes, qui nudi exercebantur in campo, pudenda operiebant*. Origenis Interpres eodem utitur vocabulo in Levit. hom. 6. & Aſconius in orat. pro M. Scauro, ait Catonem æſtatis tempore quandoque jus dixiſſe, cum prætor eſſet, nulla præcinctum tunica, ſed *campeſtribus* ſub toga indutum, quod ex antiqua conſuetudine acceptum ſervarat: *Cato Prætor judicium, quia æſtate agebat, ſine tunica exercuit, campeſtri ſub toga cinctus*. Cicero quoque de Officiis refert, actores numquam in ſcænam prodiiſſe *ſine ſubligaculo*.

Hæc ſatis eſſe reor, ut conſuetudinis hujus probetur antiquitas; de hoc plane veſtium genere hic loquitur Moyſes; cujus magnitudinem tantum, ac materiam præſcribit: forma vero nota erat Iſraelitis: & quamquam præcepto hoc ſatis fuiſſet honeſtati, ac pudori Sacerdotis conſultum; non deſtitit tamen, quin prohiberet, ne ad altare per elatos nimium gradus aſcenderet, ne aſcendens, indecenter ſe ſe detegeret. (Exod. 20. 26. *Non aſcendes per gradus ad altare meum, ne reveletur turpitudo tua*,) quod non ſatis impedire poterant veſtes eæ, quas modo deſcripſimus.

Rabbini docent, Sacerdotum ſuorum femoralia nullam habuiſſe aperturam, neque ante, nec retro; ſed uſquequaque rotunda fuiſſe, ac vitta quadam ſimili vittis illis, quibus crumenæ vinciuntur, adnecti conſueviſſe. Ioſephus Antiq. l. 3. c. 8. ait ea ad latus ſecta fuiſſe ad altitudinis medium, atque in ipſo latere fuiſſe adligata.

℣. 43. UTENTUR EIS, ... QUANDO INGREDIENTUR TABERNACULUM TESTIMONII, VEL QUANDO APPROPINQUANT AD ALTARE, UT MINISTRENT IN SANCTUARIO.] Ex hoc loco viderentur femoralia ea, vel ſubligacula nequaquam fuiſſe conſtituta, ne Sacerdotes ad altare aſcendentes ſuam detegerent nuditatem; quandoquidem Deus uſum illorum præcipit propter ingreſſum in Tabernaculum, & Sanctuarium, cum ad Sancti accedunt aram thymiamata oblaturi; non autem propter ſacrificia, quæ offerebantur in altari holocauſtomatum, quod erat in Atrio. Sed duo hæc præcepta nequaquam ſejungenda eſſe arbitramur, & cum femoralium uſus præcipitur, cum in ara Sancti thymiamata offeruntur, minimum excludi eorumdem uſum, cum Sacerdos ad holocauſtorum aram aſcendit.

1 3. 21. *Illi viri vincti cum braccis ſuis, ac tiaris.*
2 Dan. 3. 21. *Cum braccis ſuis, & tiaris.* In textu habetur *Sarabara* pro bracca.
3 Gabriel Sionita de morib. Orient. c. 15.

CAPUT XXIX.

Præcepta ad Sacerdotum conſecrationem ſpectantia: pars, quæ illis debetur in victimis. De perpetuo duorum agnorum ſacrificio, qui quotidie offerantur.

1. SEd & hoc facies, ut mihi in ſacerdotio conſecrentur. Tolle vitulum de armen-
to, & arietes duos immaculatos. 2 Paneſque azymos, & cruſtulam abſque
fermento, quæ conſperſa ſit oleo, lagana quoque azyma oleo lita: de ſimila
triticea cuncta facies. 3 Et poſita in caniſtro offeres: vitulum autem, & duos arietes.
4 Et Aaron, ac filios ejus applicabis ad oſtium tabernaculi teſtimonii. Cumque laveris
patrem cum filiis ſuis aqua. 5 Indues Aaron veſtimentis ſuis, ideſt, linea, & tunica,
& ſuperhumerali, & rationali: quod conſtringes balteo. 6 Et pones tiaram in capite
ejus, & laminam ſanctam ſuper tiaram. 7 Et oleum unctionis fundes ſuper caput ejus:
atque hoc ritu conſecrabitur. 8 Filios quoque illius applicabis, & indues tunicis li-
neis, cingeſque balteo, 9 Aaron ſcilicet, & liberos ejus, & impones eis mitras: e-
runtque ſacerdotes mihi religione perpetua. Poſtquam initiaveris manus eorum, 10 Ap-
plicabis & vitulum coram tabernaculo teſtimonii. Imponentque Aaron, & filii ejus ma-
nus ſuper caput illius. 11 Et mactabis eum in conſpectu Domini, juxta oſtium taber-
naculi teſtimonii. 12 Sumptumque de ſanguine vituli, pones ſuper cornua altaris di-
gito tuo, reliquum autem ſanguinem fundes juxta baſim ejus. 13 Sumes & adipem
totum, qui operit inteſtina, & reticulum jecoris, ac duos renes, & adipem, qui ſu-
per eos eſt, & offeres incenſum ſuper altare. 14 Carnes vero vituli, & corium, &
fimum combures foris extra caſtra, eo quod pro peccatis ſit. 15 Unum quoque arie-
tem ſumes, ſuper cujus caput ponent Aaron, & filii ejus manus. 16 Quem cum ma-
ctaveris, tolles de ſanguine ejus, & fundes circa altare. 17 Ipſum autem arietem ſe-
cabis in fruſta, lotaque inteſtina ejus, ac pedes pones ſuper conciſas carnes, & ſuper
caput illius. 18 Et offeres totum arietem in incenſum ſuper altare: oblatio eſt Do-
mino, odor ſuaviſſimus victimæ Domini. 19 Tolles quoque arietem alterum, ſuper
cujus caput Aaron, & filii ejus ponent manus. 20 Quem cum immolaveris, ſumes de
ſanguine ejus, & pones ſuper extremum auriculæ dexteræ Aaron, & filiorum ejus, &
ſuper pollices manus eorum, ac pedis dextri, fundeſque ſanguinem ſuper altare per cir-
cuitum: 21 Cumque tuleris de ſanguine, qui eſt ſuper altare, & de oleo unctionis
aſperges Aaron, & veſtes ejus, & filios, & veſtimenta eorum. Conſecratiſque ipſis,
& veſtibus, 22 Tolles adipem de ariete, & caudam, & arvinam, quæ operit vitalia,
ac reticulum jecoris, & duos renes, atque adipem, qui ſuper eos eſt, armumque de-
xtrum, eo quod ſit aries conſecrationis: 23 Tortamque panis unius, cruſtulam con-
ſperſam oleo, laganum de caniſtro azymorum, quod poſitum eſt in conſpectu Domini,
24 Poneſque omnia ſuper manus Aaron, & filiorum ejus, & ſanctificabis eos elevans
coram Domino. 25 Suſcipieſque univerſa de manibus eorum: & incendes ſuper altare
in holocauſtum, odorem ſuaviſſimum in conſpectu Domini, quia oblatio ejus eſt. 26
Sumes quoque pectuſculum de ariete, quo initiatus eſt Aaron, ſanctificabiſque illud ele-
vatum coram Domino, & cedet in partem tuam. 27 Sanctificabiſque & pectuſculum
conſecratum, & armum, quem de ariete ſeparaſti, 28 Quo initiatus eſt Aaron, & fi-
lii ejus, cedentque in partem Aaron, & filiorum ejus jure perpetuo a filiis Iſrael, quia
primitiva ſunt, & initia de victimis eorum pacificis, quæ offerunt Domino. 29 Ve-
ſtem autem ſanctam, qua utetur Aaron, habebunt filii ejus poſt eum, ut ungantur in
ea, & conſecrentur manus eorum. 30 Septem diebus utetur illa, qui Pontifex pro
eo fuerit conſtitutus de filiis ejus, & qui ingredietur tabernaculum teſtimonii, ut mini-
ſtret in Sanctuario. 31 Arietem autem conſecrationis tolles, & coques carnes ejus in
loco ſancto: 32 Quibus veſcetur Aaron, & filii ejus, Panes quoque, qui ſunt in ca-
niſtro, in veſtibulo tabernaculi teſtimonii comedent. 33 Ut ſit placabile ſacrificium,
& ſanctificentur offerentium manus. Alienigena non veſcetur ex eis, quia ſancti ſunt.

34 Quod

54 Quod ſi remanſerit de carnibus conſecratis, ſive de panibus uſque mane, combures
reliquias igni: non comedentur, quia ſanctificata ſunt, 35 Omnia, quæ præcepi tibi,
facies ſuper Aaron, & filiis ejus: Septem diebus conſecrabis manus eorum. 36 Et
vitulum pro peccato offeres per ſingulos dies ad expiandum. Mundabiſque altare, eum
immolaveris expiationis hoſtiam, & unges illud in ſacrificationem. 37 Septem diebus
expiabis altare, & ſanctificabis, & erit Sanctum ſanctorum: omnis, qui tetigerit illud,
ſanctificabitur. 38 Hoc eſt, quod facies in altari: Agnos anniculos duos per ſingulos
dies jugiter. 39 Unum agnum mane, & alterum veſpere. 40 Decimam partem ſimi-
læ conſperſæ oleo tuſo, quod habeat menſuram quartam partem hin, & vinum ad li-
bandum ejuſdem menſuræ in agno uno. 41 Alterum vero agnum offeres ad veſperam
juxta ritum matutinæ oblationis, & juxta ea, quæ diximus in odorem ſuavitatis: 42 Sa-
crificium eſt Domino, oblatione perpetua in generationes veſtras, ad oſtium tabernacu-
li teſtimonii coram Domino, ubi conſtituam, ut loquar ad te. 43 Ibique præcipiam
filiis Iſrael, & ſanctificabitur altare in gloria mea. 44 Sanctificabo & tabernaculum te-
ſtimonii cum altari, & Aaron cum filiis ſuis, ut ſacerdotio fungantur mihi. 45 Et ha-
bitabo in medio filiorum Iſrael, eroque eis Deus. 46 Et ſcient, quia ego Dominus
Deus eorum, qui eduxi eos de terra Ægypti, ut manerem inter illos, ego Dominus
Deus ipſorum.

℣. 1. HOC FACIES, UT MIHI IN SACERDOTIO CONSECRENTUR.] Conſecratio hæc poſt Tabernaculi erectionem eſt tandem peracta. Vide Levit. 8. 9. 10.

℣. 2. PANESQUE AZYMOS, ET CRUSTULAM ABSQUE FERMENTO, QUÆ CONSPERSA SIT OLEO, LAGANA QUOQUE AZYMA OLEO LITA.] Septuaginta nequaquam expreſſere primum Textus vocabulum, חלות מצות, quod *cruſtula* a Vulgata, & a recentiorum Interpretum pleriſque *placenta* transfertur. Hę quidem parvę adeo erant placentulę e polline confectæ, & quandoque cum oleo vel cum melle ſubactę, & quę oleo vel ante, vel poſtquam excoctæ fuerant, inungebantur.

Quoad *lagana*, quę Vulgata a Septuaginta deſumpſit, vox hęc Hebraicę *rekikim* רקיקים reſpondet, B quæ minutiſſimum aliquid ſignificat. Re quidem vera Acron (Vide Martinii Lexicon in hac voce) ait, *Lagana* eſſe veluti parva folia, e farina, & aqua confecta. Hoc placentularum genus adhuc in Italia eſt commune. E farina enim aqua ſubacta fiunt, ac veluti papyri folia extenduntur, & in adipem liquentem, ferviduṃque jaciuntur, donec ſatis excoquantur; ac deinde in lance reponuntur, butyroque recenti perfunduntur, ac pipere ſparguntur. Juxta Heſychium, *Laganum* erat placentæ genus, e polline, & oleo. Sanctus Iſidorus ait, primum aquis excoqui, deinde oleo frigi conſueviſſe. Athenæus lib. 3. ait has placentas oleo, vel lacteo cremore, pipere, ac vini pauxillo condiri. Cato de re ruſtica cap. 76. apud Clericum hoc pacto deſcribit, C quomodo *placentæ* inungerentur; *Ubi dry fuerit; panno oleo uncto tangito, & circumtergeto, unguitoque, ubi tracta erunt.* Id genus eſſe poterant placentæ, de quibus hic loquitur Moyſes.

℣. 4. CUMQUE LAVERIS PATREM CUM FILIIS SUIS AQUA.] Corpus omne in Labro abluebatur in aditu Tabernaculi. Jonathan ait, ablui conſueviſſe in quinquaginta ſatis aquæ vivæ. Porro ſatum tertia pars ephi, modius eſt Romanus continens libras 26. Neque minus, quam ſata quadraginta in omni ablutionum genere requiſita fuiſſe, Rabbini aſſerunt apud Seldenum de Synedr. lib. 1. cap. 3. debebatque trium eſſe cubitorum aquæ profunditas ſuper cubitum quadratum. Hæ corporis, veſtiumque ablutiones in lege ſunt communiſſimæ. Mundities exterior intrinſecæ puritatis, quam præcipue Deus requi- A rit, eſt ſymbolum. Profani plerumque abluebantur, vel alio quopiam modo expiabantur, antequam myſteriis ſuis manum admoverent. Vide Clementem Alexandrinum lib. 5. Stromat. & Apulejum lib. 2. Metam.

℣. 5. TUNICA, ET SUPERHUMERALI.] Hebraice: *indues tunica, & veſte ephod*; ſcilicet tunica interiori, quæ linea erat, & tunica, vel veſta colori hyacinthini, quæ immediate erat ſub Ephod, ac ſuper primam tunicam.

ET RATIONALI, QUOD CONSTRINGES BALTHEO.] Septuaginta legerunt in Textu חשן *choſchen*, pro חשב *Choſcheb*. Vertunt autem; *& adnectes rationale ad ephod*; qui melior eſt ſenſus. Duarum vocum ſimilitudo, quæ repetitæ in hoc verſiculo occurrunt, præbere potuit Librariorum in hoc loco errori occaſionem. Vidimus alibi ephod, & rationale ſimul catenis, vittiſque adnexa fuiſſe.

℣. 7. OLEUM UNCTIONIS FUNDES SUPER CAPUT EIUS.] Illi tiara adimebatur, ut oleum ſuper caput illius effunderetur; vel caput illi inungebatur, antequam tiara imponeretur. Rabbini quidam [1] aſſerunt, Summum Sacerdotem inungi ſignando in fronte illius formam literæ *caph* כ. Alii [2] volunt effingi conſueviſſe X, vel crucem Divi Andreæ; alii denique K, vel *Tau* T. Hæc unctio peculiaris erat Summo Sacerdoti; Sacerdotibus vero inferioribus manus tantum ungebantur [3], & veſtes, & pro hac vice tantum: nam deinceps non amplius inuncti fuerunt; neque apparet ex Scriptura, aut hic, aut capite octavo Levitici, ubi Moyſes eorum, quæ hic præcipiuntur, narrat executionem, Levitas inunctos fuiſſe. Fiebat tantum commixtio quædam ex oleo, & victimarum ſanguine, quo aſpergebantur cum veſtibus ſuis. Summus autem Sacerdos ſemper ungebatur, cum primum novæ dignitatis poſſeſſionem adiret. Vide Seldenum de ſucceſſ. in Pontific. lib. 2. cap. 9. qui prolixius ſententiam hanc Rabbinorum auctoritate confirmat. Hæc autem conſuetudo uſque ad Templi excidium per Chaldæos diruti, viguit. Porro oleum unctionis, quod Moyſes compoſuerat, numquam dicitur fuiſſe inſtauratum, quod cum defeciſſet, Summus Sacerdos veſtibus dignitatis ſuæ fuit conſecratus. Iis vero ſeptem ſubſequentibus diebus induebatur, quemadmodum antea totidem diebus unctionem fieri conſueverat.

Sed hæc omnia Judæorum narrationi innituntur, quo-

1 Ita antiqui Rabbini apud Abarbanel in piruſch thora.
2 Gemar. Babyl. Mikuaǝ. Maimonides, Obadias, Bartenor &c. Vide Outram. de Sacrific. l. 1. c. 5.
3 Toſtatus, Janſenius, Menochius.

quorum authoritas non magni adeo momenti eſt, cum de facto, & hiſtoria agitur. Veteres Eccleſiæ Patres [1] multo magis fidem merentur, cum teſtantur, Sacerdotum, Regumque unctionem apud Judæos tum denique ſolum ceſſiſſe, cum verus Sacerdos, & verus Rex, Meſſias, atque unctus Domini advenit. Ad hoc autem ea referunt, quæ a Daniele prædicuntur cap. 9. 24. *Septuaginta hebdomadae abbreviatæ ſunt ſuper populum tuum . . . . ut deleatur iniquitas, & adducatur juſtitia ſempiterna, & impleatur viſio, & prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum*. Sanctus Auguſtinus in Pſalm. 44. præterea hac de re aliquid conſideratione dignum animadvertit, cum ait, Jeſum Chriſtum naſci voluiſſe inter Judæos, ubi mos erat ungendi Reges, & Pontifices, quod apud alium populum minime uſuvenerat; cum permiſiſſet Deus uſum adeo ſingularem Hebræis, ut eſſet in prophetiam unctionis Chriſti, & qui antonomaſtice Unctus vocatur.

℣. 8. INDUES TUNICIS LINEIS.] Neque Hebraicus textus, neque Septuaginta, neque Verſio alia lini meminerunt. Verum aliunde liquet ſimplicium Sacerdotum tunicam ex hac materia fuiſſe contextam.

℣. 10. IMPONENTQUE MANUS SUPER CAPUT ILLIUS.] Septuaginta hic aliquid addunt: *Aaron, & filii illius imponent manus ſuas ſuper caput vituli, coram Domino ante oſtium Tabernaculi teſtimonii*. Ceremonia hæc manus victimæ imponendi, quæ communis erat in ſacrificiis expiationis (Levit. 1. 4. & 3. 2. 8. 13. & 4. 4. 15. 24. 29.) ſignificabat, ipſos Deo victimæ illius vitam offerre, ut ſuam redimerent, qua privari meruerant propter eorum ſcelera [2], atque ſe illam onerare criminibus ſuis, & ſuppliciis, quæ merebantur. Sanctus Auguſtinus quæſt. 126. credit, Sacerdotes manum victimis imponentes illis peculiarem ſanctitatem imprimere. Manus erant abluendæ, antequam victimarum capiti imponerentur [3], quam impoſitionem ſemper preces comitabantur, quæcumque eſſet hoſtia. In holocauſtis ſupremum Dei dominium fatebantur; in victimis gratiarum actionis, laudes, gratiaſque perſolvebant; & in ſacrificiis pro peccato confitebantur ſcelera, veniamque exorabant: quæ omnia facie ad Sanctuarium converſa peragebantur, inquiunt Hebræi. Victima, de qua ſermo eſt hoc verſiculo, erat pro peccato; de qua vero verſiculo quinto, erat holocauſtum; illa vero, cujus mentio verſiculo decimo nono, erat hoſtia pacifica. In ſingulis manuum impoſitionem intuemur; non item vero confeſſionem, quæ a Scriptura præcipitur in ſacrificiis pro peccato.

℣. 11. MACTABIS EUM IN CONSPECTU DOMINI.] Super Altare Holocauſtorum ante oſtium Sancti coram Sanctuario, quod veluti ſedes majeſtatis Dei conſpiciebatur.

℣. 12. DE SANGUINE VITULI PONES SUPER CORNUA ALTARIS.] Ritus hic in quovis expiationis ſacrificio obſervabatur. Aaron tamquam unus e populo hic habetur, offertur pro illo expiationis hoſtia: ſed cum Summus Sacerdos fuit conſecratus, ipſe ſanguinem hoſtiæ intulit in Sanctuarium, in ſuorum, populique peccatorum expiationem.

℣. 13. ADIPEM, QUI OPERIT INTESTINA.] Adeps hic a Græcis *epiploon* vocatur, quia innatat quodammodo ſuper exta, eaque cooperit, & calefacit. Latini *omentum* vocamus; & priſci illud ſuper aram vulgo offerebant in ſacrificium. Perſius Satyra ſecunda:

> *Tot tibi cum in flammas junicum omenta liqueſcant*,

Strabo lib. 15. quoque refert, Perſas diis ſuis hoſtiarum omnium *omentum* dumtaxat obtuliſſe, & vulgo etiam illis nihil reſervabant, dicentes, Deos animam tantum animalium requirere. Animadverti poteſt Deum voluiſſe ſibi offerri in ſacrificium quidquid ex omni victima fuiſſet optimum, magis pingue, & delicatum.

RETICULAM JECORIS.] Septuaginta vertunt: *Τὸν λοβὸν τοῦ ἥπατος: Reticulum, quod eſt ſupra jecur*. Fullerus Miſcellan. lib. 5. cap. 14. credidit ipſos æque ac Vulgatam intellexiſſe involucrum, quod obtegit jecur. Sed Bochartus de animal. ſacris tom. 1. lib. 2. cap. 45. contendit, hoc eſſe extremum reticulum jecinoris, contra quod eſt veſica fellis. Hebraicus textus [4] ad litteram verti poſſet, *id, quod abundat ſuper jecur*. Syriaca, & Arabica verſiones de diaphragmate intellexerunt. Alii id eſſe arbitrantur, quod proprie *fibra* a Latinis vocatur. Sanctus Iſidorus Origin. lib. 2. cap. 1. ait *fibram* apud Latinos ſignificare jecinoris extremitates, æque ac foliorum in vitibus. Ethnici fibris utebantur in ſacrificiis, & aruſpices ex illis futurorum cognitionem eruebant, poſtquam illas in ara cremaſſent. Ex Athenæo l. 3. cap. 29. liquet Veteres manducaſſe jecur *omento* involutum; neque in menſa fuiſſe aſſervatum. Credibile eſt, victimæ jecur eodem pacto involvi conſueviſſe, antequam Altaris igni ſuperponeretur. Rabbini apud Fagium, & Vatablum intelligunt de modo quodam, qui præter rationem videtur; contendunt autem jecinoris pellem, cum ſubra carne, quæ illud involvit, ſumptam fuiſſe, ut Domino offerretur; in quo ſine ulla utilitate, plures difficultates occurrunt. Cui umquam in animum venit, ut pelle hac veſceretur? Et quantum temporis inſumpſiſſet Sacerdos, ut eam a jecinore ſepararet?

ET OFFERES INCENSUM SUPER ALTARE.] Hebræus [5]: *Et afferes ſupra ignem Altaris*. Septuaginta [6]: *Pones eu ſupra altare*. *Incenſum* in Vulgata non intelligitur de thure, ſed de victima, quæ crematur.

℣. 14. ET QUOD PRO PECCATO SIT.] Hebræus [7] ad litteram: *Hoc eſt peccatum*. Sæpius *peccatum* appellatur expiationis ſacrificium; quo in ſenſu Sanctus Paulus 2. Corinth. 5. 21. ait, quod Jeſus Chriſtus, *qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*.

℣. 16. SANGUINEM FUNDES CIRCA ALTARE.] Hebræus [8], & Septuaginta [9]: Effundes ſuper altare in circuitu; ſcilicet in oram ſuperiorem, ac inferiorem ad baſim. Philo lib. de Victimis credit, effuſum fuiſſe in gyrum circum Altare. Eadem erat Græcis, Romaniſque in ſacrificiis ſuis conſuetudo. Vide Porphyrium apud Euſeb. Præp. l. 4. c. 9. ac Lucianum de ſacrific.

℣. 17. PONES SUPER CONCISAS CARNES.] Septuaginta: *Pones hæc omnia cum capite ſupra membra victimæ conciſa*. Sed Vulgatæ ſenſus magis litteralis eſt; magiſque Hebræo conformis. Pedes, & inteſtina victimæ ponebantur ſuper membra, & caput victimæ ipſius. Apud Homerum adipes ponebantur ſuper Hoſtiæ femora in Altari.

OFFE-

1 Vide Euſeb. l. 4. demonſtrat. c. 15. Chryſoſt. orat. 2. contra Judæos, Cyrill. Hieroſol. Catecheſ. Myſtag. 3. Athanaſ. l. 1. de humanit. Verbi, & orat. 2. in Arian. Tertull. contra Judæos &c.
2 Theodoret. qu. 61. in Exod.
3 Philo l. de Victimis.
4 יתרת על הכבד.
5 והקטרת המזבחה.
6 Ἐπιθήσεις ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον.
7 חטאת הוא. Aq. Th. Περὶ ἁμαρτίας. 70. Ἁμαρτίας γάρ ἐστι. Alius: Ἁμαρτία γάρ ἐστι.
8 על המזבח סביב.
9 Ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον κύκλῳ.

℣. 18. Offeres totum arietem in incensum.] Hebraice : *cremari facies totum Arietem ſuper Altare: Hoc eſt holocauſtum Domino.*

Oblatio est Domino, odor suavissimus victimæ Domini.] Hebraica vox *iſcha* [1], quæ hic *victima* transfertur, ac a Septuaginta *thuſiaſma*, proprie *holocauſtum* ſignificat, ſcilicet victimam, quæ penitus igne abſumebatur, in diſcrimen hoſtiarum pacificarum, ac illarum, quæ pro peccato offerebantur, quarum una pars tantum ſuper ara cremabatur.

℣. 20. Sumes de sanguine eius, et pones super extremum auriculæ dextræ Aaron.] Aliqui de auris parte ſuperiori; alii vero intelligunt de inferiori [2]. Septuaginta [3] explicant de inferiori, æque ac Vatablus : *Teneriorem auris partem.* Sed Chaldaica verſio [4] explicat de ſuperiori : at Hebraica vox *tenuc* imam auriculæ partem potius videtur ſignificare. Univerſa hæc ceremonia ungendi auriculam dexteram, & pollices manuum, ac pedum Aaronis, ac filiorum ejus eſt ſymbolica; denotat enim eorum ad Domini famulatum electionem requirere omnem eorum attentionem, greſſus omnes, atque actiones. Vide Philonem libro tertio de vita Moſis.

Fundesque sanguinem super Altare.]] Septuaginta locum hunc in initium verſ. 22. tranſtulere; ſed iſtic habetur Hebraicu, uti in Vulgata verſione, & Chaldaica.

℣. 21. Cumque tuleris de sanguine, qui est super Altare.] Verti poſſet [5] : *qui eſt apud altare* : nam re vera ſanguis in patera erat ad Altaris pedes. Septuaginta [6] : *de ſanguine altaris*, vel, *ſuper altare*, vel, *apud altare*.

Aspergesque Aaron, et vestes eius.] Sanguinis, oleique ſimul commixti aſperſio fit ſuper Aaron, & ſuper filios illius veſtibus ſuis indutos; non autem ſuper illos, & ſuper veſtes eorum ſeorſim; nam ex iis, quæ præceſſerunt, liquet, ipſos ante hanc ceremoniam indutos fuiſſe. Verſiculus 21. in Samaritano textu non extat in hoc loco, ſed tantum ſub finem verſ. 28.

℣. 22. Tolle adipem de Ariete, et caudam.] Quædam Septuaginta exemplaria non habent, *& caudam* : ſed ſimpliciter legunt : Tolles adipem agni, & adipem, quo venter illius obtegitur &c. Sed Vulgata Hebraico textui eſt ſimilis : *Tolles adipem, & caudam, & arvinam, quæ cooperit viſcera agni, qui offertur in gratiarum actionem.* Adeps, qui caudam comitatur, aſt ad radices illius, ac inter arietis femora. Cauda, quam Lex jubet offerri Deo, paſsim eſt eorum Aſiæ arietum, de quibus veteres, recentioreſque authores loquuntur, pingui, & adeo quandoque craſſa, ut duodecim, quindecim, viginti, ac triginta libris pendeat. Herodotus l. 3. cap. 113. ita loquitur : „ Duplex ovium genus admiratione dignum adeſt in Arabia. Aliæ quidem „ caudam habent adeo longam, ut tres aliquando „ cubitos æquet; eamque humi trahunt; quæ vulneratur, ac ulcera contrahit. Idcirco paſtores omnes parvulos currus efficere ediſcunt, quos ovium caudæ ſupponunt, ipſæque eos, quocumque „ incedunt, ſecum devehunt : aliæ vero caudam habent duobus cubitis longam &c. Veteres non offerebant victimas, quæ cauda carerent, ipſamque igni Altaris imponebant, ut inde, an ſacrificium acceptum eſſet, dignoſcerent. Vide Ariſtoph. in Pace, & Acharneſ. act. 3. ſcen. 3.

Armumque dextrum.] In hoc tantum differebat ſacrificium pacificum, ubi agnus offerebatur, ab iis, ubi alia aliqua mactabatur hoſtia; quod arietis offerebantur cauda, & armi; quod in aliis pacificis ſacrificiis non fiebat, cum immolabatur, exempli gratia, bos, hircus, aut capra. Septuaginta [7] hic legunt; *armum dextrum*, vel brachium dextrum, non ſecus ac Vulgata; ſed alii Interpretes habent; *femur dextrum*, vel *crus*.

Aries consecrationis.] Hebræus [8] : *Aries repletionis*; videlicet victima, qua replebuntur manus Aaronis, ut in opus miniſterium ſuum redigat.

℣. 23. Tortamque panis unius.] Hebraicum כִּכַּר *Ciccar* ſignificat proprie fruſtum craſſum, & ſolidum. Uſurpatur ad ſignificandum talentum, quod erat maxima auri, vel argenti moneta, qua in negotiis uterentur. *Ciccar*, juxta Grammaticos, aliquando fruſtum panis ſignificat, aliquando panem integrum. Verum nullum invenio locum, ubi neceſſario panis partem innuat; ſed, ut mihi videtur, ſemper ſignificat panem integrum. Curioſi id ex ſe ipſis deprehendere poterunt, ad examen vocando locos, ubi ad panem ſignificandum invenitur [9]. Septuaginta de pane integro intelligunt. Latinum nomen *torta* fluit a *torquere* propter illius rotundam figuram. Quidam hæc duo nomina confundunt *torta*, & *tracta*; ſed poſterior hæc vox *paſtillos* ſignificat *in longum productos*. Haud abs re fuit, voces has aliquando explicare, ne ſubinde eadem repetere cogeremur. A Septuaginta minime exprimuntur hæc verba, *torta panis*.

Crustulam, laganum de canistro.] Duarum vocum iſtarum Textus ſignificationem explicuimus in verſiculo ſecundo. In calatho prope aram holocauſtorum aderant placentæ, & panes, quos poſuit Moyſes in manibus Sacerdotum, dum conſecrarentur, quos deinde ex eorum manibus ipſe recepit, & ſuper aram poſuit, ut cum partibus victimarum, quas illi obtulerant, abſumerentur.

℣. 24. Ponesque omnia super manus Aaron, et filiorum eius &c.] Hebraice ad litteram : *Ponesque omnia ſuper manus Aaron, & filiorum ejus, agitabiſque illos motu agitationis* [10] *coram Domino*. Ratio quædam offerendi Domino erat per motum elevationis, quem Scriptura adhibet aliquando ad denotandam actionem illius, qui panem, ſimiliave munera offerebat, ea extollens coram Altari : ſed oblatio agitationis in eo erat poſita, quod Moyſes manus ſuas manibus Aaronis, & filiorum ipſius, oblationibus bis onuſtas, ſubmittens, eas attollebat, demittebatque, Orientem verſus trahebat, ac deinde retrahebat verſus Occidentem, & denique eas a Septentrione ad Meridiem [11] flectebat, quibus ritibus ſignificabatur, oblationes has factas eſſe Deo omnium Terrarum urbis partium Domino. Hi oblationum motus agitationis, ac elevationis promiſcue in Scriptura uſurpantur. In univerſa hac ſolemnitate Moyſes Sacerdotis munere fungitur; & Aaronem, filioſque illius conſecrans ſibi ſumit victimæ partes, quas Lex Sacerdotibus decreverat. Partes hæ ſunt

pectus,

1 אִשֶּׁה. 70. Θυσίασμα.
2 עַל תְּנוּךְ אֹזֶן.
3 Ἐπὶ τὸν λοβὸν τοῦ ὠτός.
4 עַל רוּם אוּדְנָא.
5 אֲשֶׁר עַל הַמִּזְבֵּחַ.
6 Ἀπὸ τοῦ αἵματος τοῦ θυσιαστηρίου, vel juxta alia exemplaria. τοῦ ἐπὶ τοῦ θυσιαστηρίου.
7 Hebr. שׁוֹק. 70. Βραχίονα. Alii : Τὴν κνήμην.
8 אֵיל מִלֻּאִים הוּא.
9 Judicum 8. 5. 1. Regum 11. 36. 2. Paralipomenon 16. collat. 2. Regum 6. 19. Proverb. 6. 26. Jerem. 38. 20.
10 וְהֵנַפְתָּ אֹתָם תְּנוּפָה לִפְנֵי יְהוָה.
11 Rab. Salom. apud Lyran.

pectus, & armum, verſic. 26. & 27. ideoque jure David pſalm. 98. 6. poſuit Moyſen in numerum Sacerdotum: *Moyſes, & Aaron in Sacerdotibus ejus*.

Ethnicis quidam ritus erant iis, de quibus loquitur Moyſes, perſimiles. Placentas Diis ſuis offerebant cum motu agitationis; & quæ tunc fierent preces, in Catone leguntur de re ruſtica cap. 134. *Jano ſtruem commoveto ſic: Jane Pater, te hac ſtrue commovenda bonas preces precor, uti ſies volens propitius mihi, liberiſque meis, domo, familiæque meæ. Fertum Jovi mactato, & moveto ſic. Jupiter te hoc ferto obmovendo bonas preces precor.* Hic *ſtrues* ſignificat placentæ genus, non ſecus ac *fertum*. Hoc Jovi offerebatur, illa Jano; & hæc cum motu quodam, & barum oblationum agitatione; *Feſtus: Ferctum, genus libi, dictum, quod crebrius ad ſacra ferebatur, nec ſine ſtrue. altero genere libi*.

℣. 25. Et incendes super Altare in holocaustum.] Septuaginta [1]: *Offeres ſuper altare holocauſtorum*. Hebraicus textus [2] verti poteſt: *Cremabis hæc omnia ſuper altare cum holocauſto*, ſcilicet, holocauſti reliquiis.

℣. 27. Et armum, quem de ariete separasti.] Moyſes data hic occaſione, loquitur de Sacerdotum jure ſuper qualibet victima; dicit autem illis ceſſura eſſe pectus, dexterumque armum: ſed in ceremonia ipſorum conſecrationis partes hæ conceſſæ Moyſi fuerunt, veluti conſecranti. Hebraicus textus in hoc ſenſu accipi poteſt: Aaron, & filii ipſius ſe ſe Domino devoventes, atque offerentes illi pectus, & armum dextrum hoſtiæ pacificæ, quodammodo jus a Domino obtinuerunt accipiendi a filiis Iſrael partes eaſdem in victimis, quas deinceps munus ſuum exercentes offerre poterunt.

℣. 28. Quia primitiva sunt, et initia.] Hebraicus textus [3] habet ſimpliciter: *Quia hæc eſt (oblatio) elevationis, & hæc elevatio dabitur Sacerdotibus &c.* Septuaginta [4]: *Hæc eſt ſeparatio, & hæc erit abſciſſio partis filiorum Iſrael*; videlicet portio, quæ ſeparata eſt ab hoſtiis, quas Iſraelitæ offerebant, ut tribueretur Aaron, ac ſucceſſoribus illius.

℣. 29. Vestem sanctam.] Non fient novæ veſtes poſt obitum alicujus Summi Sacerdotis.

℣. 31. Coques carnes eius in loco sancto.] In atrio Tabernaculi; ibi ignis aſſervabatur, quo carnes excoquebantur in eſcam Sacerdotum, & privatorum etiam aliquando, cum victimarum partes, quæ ipſis reliquæ erant, coram Domino comedere voluiſſent. Sacerdos morabatur in Tabernaculo, quin egrederetur, ſeptem conſecrationis dierum intervallo verſ. 35. *Septem diebus conſecrabis manus eorum*. Omnes ritus memorati ſuperius ſeptem diebus ſunt inſtaurati.

℣. 33. Comedent, ut sit placabile sacrificium.] Hebræus [5] legit: comedent has res, quibus expiati fuerunt, & quæ inſervierunt conſecrationi illorum. Septuaginta; quæ eorum inſervierunt ſanctificationi, vel conſecrationi. Non comedent vero carnes vituli pro peccato, (℣. 10. & ſeqq.) ſed tantum carnes arietis 15. 31.

Alienigena non vescetur ex his.] Neque Levita, qui non fuerit e genere Aaron, multoque minus ſimplex Iſraelita.

℣. 34. Quod si remanserit de carnibus.] Si ſupereſſe in craſtinum quidquam e carnibus victimæ, vel panibus, quibus veſcebatur novus Sacerdos in Tabernaculo, comburendum erat; qua in re Sacerdotum hoc erat diſcrimen ab aliis Iſraelitis, qui ſervare poterant carnes victimarum pacificarum uſque ad ſecundam diem. Levit. 7. 16. 17. & 19. 6. *Eo die, quo fuerit immolata, comedetis eam, & die altero. Quidquid autem reſiduum fuerit in diem tertium igne comburetis*. Toſtatus.


℣. 36. Vitulum pro peccato offeres singulos dies ad expiandum.] Intelligi quoque poteſt: per ſeptem dies conſecrationis Sacerdotum offeres ſingulis diebus vitulum pro expiatione Altaris holocauſtorum: vel, offeres pro expiatione criminum Sacerdotum. Numerus ſeptem dierum pro Altaris expiatione conſtitutus, & pro Sacerdotum expiatione, animadverſione dignus eſt. Scriptura ſæpius hunc ſeptem dierum numerum præcipit. Moyſes ſeptem fieri lucernas jubet, ut ſeptem ramorum candelabro imponantur. Leproſi ſeptem diebus ſeparabantur. Sacerdos, qui die ſolemnis expiationis aſperſionem faciebat, ſepties ſanguinem aſpergebat contra aditum Tabernaculi. Septem plerumque in holocauſtum victimæ jubentur offerri. Ethnici quoque diem hanc ſuſpiciebant. Balaam jubet ſeptem aras extrui, ſeptem vitulos, ſeptemque arietes immolari. Ægyptii in expiationibus ſuis ſeptem dierum numerum nequaquam imminuebant Porphyr. de Abſtin. l. 4. p. 367. edit. an. 1620. Lugd.

Mundabisque Altare, cum immolaveris.] Toſtatus ait, quotidie cineres auferri conſueviſſe, & carbones, atque intrinſecus, & extrinſecus mundari, quidquid fœdum eſſet, vel indecorum. Septuaginta: Mundabis altare ſacrificans ſuper illud, atque ungens, ut illud ſanctifices. Victimarum mactatio, & Altaris inunctio illi conferebant peculiarem ſanctificationem, qua ſanctum, & inviolabile fiebat, quidquid illud attingeret, quidquid ad illud attineret, & victimas, quæ immolabantur, & Sacerdotes, qui illi inſerviebant &c.

℣. 37. Omnis, qui tetigerit illud, sanctificabitur.] Sacerdotes modo accedent, & ſi quis alius acceſſerit, tetigeritque, veluti profanator habeatur. *Sanctificare* ſæpius uſurpatur pro fœdare. Ita Chald. Rabb. Sal. & Kimchi &c. Hic quoque ſenſus tribui poteſt: Sacerdotes, qui ad illud acceſſerint, ſancti, & mundi ſint. Vel: privati eo tempore, quo polluti ſunt, ad illud minime accedant. Res ſacræ majorem ſemper addunt ſanctitatem illis, qui ex ipſis participant, eoſque magis polluunt, qui indigne ad illas accedunt. Aliter, juxta textum Hebraicum [6]: *Quidquid tanget Altare, ſanctum erit*. Oblationes omnes, quæ fient in eo, ſanctæ erunt: Quidquid ad illud acceſſerit, ſacrum erit, ac inviolabile. Huic autem legi aſyli jus innitebatur.

℣. 38. Agnos anniculos duos per singulos dies.] Pro ſacrificio perpetuo quotidiano. Sacrificium veſpertinum *inter duas veſperas* offerebatur. Vide, quid de hac locutione dixerim, Exod. 12. 6. Sacrificium vero matutinum offerebatur prope Solis ortum, ſimul ac thus in aurea menſa fuerat incenſum: ante quodcumque aliud ſacrificium. Singulis vicibus agnus immolabatur, atque offerebatur dimidium decimæ partis *ephi* [7] farinæ. Arietes publicis ſumptibus offerebantur, Joſephus ait Antiquit. lib. 3. cap. 11. farina vero ſumptibus Sacerdotum, ut ait Philo de victim. ad finem. Farina unius *hin* [8] quadranti immiſcebatur olei excellentis, ac vini tantumdem; nemo autem ex iis rebus omnibus quidpiam guſtabat, ſed cun-

1 Καὶ ἀνοίσεις ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον τῆς ὁλοκαυτώσεως.
2 והקטרת המזבחה על העלה.
3 כי תרומה הוא ותרומה יהיה מאת בני ישראל.
4 Ἐστὶ γὰρ ἀφόρισμα τοῦτο, &c.
5 ואכלו אתם אשר כפר בהם למלא את ידם.
6 כל הנגע במזבח יקדש.
7 Aſſarum decima erat pars Ephi libræ octo.
8 Hin continet libras 13. uncias quatuor.



1 2 *Cubiti.*

ARA THYMIAMATUM

NAPOLI

cuncta penitus in altari comburebantur. Interpretes quidam ajunt, omnia hæc ſtatuta reſpexiſſe tantum pacificæ poſſeſſionis tempus in terra promiſſa.

Sacrificia, quæ Hebræi quotidie regulariter Deo offerebant, Ethnici minime ignorabant. Ita porro de illis Theophraſtus loquitur apud Porphyr. de Abſtin. l. 2.
,, Judæi, qui Syriam incolunt, quotidie ſacrificant
,, eo pacto, quod dicturi ſumus: non veſcuntur car-
,, nibus victimarum, quas mactaverunt; ſed cun-
,, ctas igne noctu abſumunt, ſuper eas mel, ac vi-
,, num effundentes. Eas vero cremare feſtinant, per-
,, inde ac vererentur, ne ille, qui omnia circum-
,, ſpicit, illorum agnoſceret crimen, quod animal
,, occidentes patrarunt. Jejunant diebus inter ipſo-
,, rum ſacrificia poſitis, atque eo tempore vacant,
,, detegendis inter ſe divinis rebus, ac de Philoſo- B
,, phia, quam profitentur, differendo. Noctem a-
,, ſtrorum contemplatione tranſigunt, & oculis in
,, cœlum elatis, Deum ſuis precibus orant. Hi po-
,, puli primi fuerunt, qui animalium, hominumque
,, primitias obtulerint: Morem autem hunc non
,, ſponte, atque elective amplexi fuerunt; ſed vi
,, quadam coacti.

℣. 40 VINUM AD LIBANDUM.] Plinius lib. 14. cap. 19. docet, quænam eſſe deberent vini qualitates, quod in libationibus ab Ethnicis adhibebatur. Non adhibebatur vinum vitis, quæ putata, & exculta minime fuiſſet, vel fuiſſet de cœlo tacta, vel prope quam fuiſſet quis laqueo ſuſpenſus; neque vinum illud, quod pedibus fuiſſet expreſſum ab ullo, cujus pedes vulnerati eſſent; vel quod pollutum fuiſſet immundæ cujuſpiam rei lapſu in vas, ubi detinebatur; neque Græcum vinum, quoniam aqua erat immixtum. Hebræi id Domino offerebant, quod in re qualibet eſſet exquiſitiſſimum. Profani, cum inter victimæ cornua ſuper caput *molam ſalſam* effudiſſent, inter eadem libationes ſuas peragebant. Virgil. Æneid. l. 6.

Quatuor hic primum nigrantes terga juvencos
Conſtituit, frontique invergit vina Sacerdos.

Sed apud Hebræos farina, ſeu panis non jaciebatur ſuper victimam: ſed ſuper Altaris ignem, & vinum ad aræ pedem effundebatur. Maimonid. in Maaſc. Gorban. c. 2.

℣. 42. UBI CONSTITUAM, UT LOQUAR AD TE.] Hebraicus textus [1] ita verti poſſet: *Ubi ero tecum, ut loquar ad te*. Septuaginta: hic locus eſt, quem elegi, ut me tibi proderem, & loquerer ad Te.

℣. 43. SANCTIFICABITUR ALTARE IN GLORIA MEA.] Scilicet, præſentia mea, vel potius igne, quem de cœlo mittam, ut victimæ abſumantur. Quod re vera contigit, Levit. 9. 24. *Apparuit gloria Domini omni multitudini, & ecce egreſſus ignis a Domino devoravit holocauſtum.*

1 אשר אועד לכם שמה לדבר אליך שם.

CAPUT XXX.

Deſcriptio Altaris thymiamatum. Hemiſiclus, qui in populi cenſu ſolvi debebat in capita, Labrum ad abluendas manus, & pedes Sacerdotum. Compoſitio olei unctionis, & thymamatis, quod cremandum erat coram Domino.

1. FAcies quoque altare ad adolendum thymiama de lignis Setim, 2 Habens cubi-
tum longitudinis, & alterum latitudinis, ideſt, quadrangulum, & duos cubitos
in altitudine. Cornua ex ipſo procedent. 3 Veſtieſque illud auro puriſſimo,
tam craticulam ejus, quam parietes per circuitum, & cornua. Facieſque ei coronam au-
reolam per gyrum. 4 Et duos annulos aureos ſub coronam per ſingula latera, ut mit-
tantur in eos vectes, & altare portetur. 5 Ipſos quoque vectes facies de lignis Setim,
& inaurabis. 6 Poneſque altare contra velum, quod ante arcam pendet teſtimonii co-
ram propitiatorio, quo tegitur teſtimonium, ubi loquar tibi. 7 Et adolebit incenſum
ſuper eo Aaron, ſuave fragrans, mane. Quando componet lucernas, incendet illud:
8 Et quando collocabit eas ad veſperum, uret thymiama ſempiternum coram Domino
in generationes veſtras. 9 Non offeretis ſuper eos thymiama compoſitionis alterius,
nec oblationem, & victimam, nec libabitis libamina. 10 Et deprecabitur Aaron ſuper
cornua ejus ſemel per annum, in ſanguine, quod oblatum eſt pro peccato, & placabit
ſuper eo in generationibus veſtris, Sanctum ſanctorum erit Domino. 11 Locutuſque
eſt Dominus ad Moyſen, dicens: 12 Quando tuleris ſummam filiorum Iſrael, juxta
numerum, dabunt ſinguli pretium pro animabus ſuis Domino, & non erit plaga in eis,
cum fuerint recenſiti. 13 Hoc autem dabit omnis, qui tranſit ad nomen, dimidium ſi-
cli, juxta menſuram templi. Siclus viginti obolos habet. Media pars ſicli offeretur Do-
mino. 14 Qui habetur in numero, a viginti annis, & ſupra, dabit pretium. 15 Di-
ves non addet ad medium ſicli, & pauper nihil minuet. 16 Suſceptamque pecuniam,
quæ collata eſt a filiis Iſrael, trades in uſus tabernaculi teſtimonii, ut ſit monimentum
eorum coram Domino, & propitietur animabus eorum. 17 Locutuſque eſt Dominus
ad Moyſen, dicens: 18 Facies & labrum æneum cum baſi ſua ad lavandum: poneſ-

que

que illud inter tabernaculum teſtimonii, & altare. Et miſſa aqua, 19 Lavabunt in ea
Aaron, & filii ejus manus ſuas, ac pedes, 20 Quando ingreſſuri ſunt tabernaculum
teſtimonii, & quando acceſſuri ſunt ad altare, ut offerant in eo thymiama Domino, 21
Ne forte moriantur; legitimum ſempiternum erit ipſi, & ſemini ejus per ſucceſſiones.
22 Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, 23 Dicens: Sume tibi aromata, primæ myr-
rhæ, & electæ quingentos ſiclos, & cinnamomi medium, id eſt, ducentos quinquaginta
ſiclos, calami ſimiliter ducentos quinquaginta. 24 Caſiæ autem quingentos ſiclos in
pondere ſanctuarii, olei de olivetis menſuram hin. 25 Facieſque unctionis oleum ſan-
ctum, unguentum compoſitum opere unguentarii, 26 Et unges ex eo tabernaculum te-
ſtimonii, & arcam teſtamenti, 27 Menſamque cum vaſis ſuis, candelabrum, & uten-
ſilia ejus, altaria thymiamatis, 28 Et holocauſti, & univerſam ſupellectilem, quæ ad
cultum eorum pertinet. 29 Sanctificabiſque omnia, & erunt Sancta ſanctorum: qui
tetigerit ea, ſanctificabitur. 30 Aaron, & filios ejus unges, ſanctificabiſque eos, ut
ſacerdotio fungantur mihi. 31 Filii quoque Iſrael dices: Hoc oleum unctionis ſan-
ctum erit mihi in generationes veſtras. 32 Caro hominis non ungetur ex eo, & juxta
compoſitionem ejus non facietis aliud, quia ſanctificatum eſt, & ſanctum erit vobis.
33 Homo quicumque tale compoſuerit, & dederit ex eo alieno, exterminabitur de po-
pulo ſuo. 34 Dixitque Dominus ad Moyſen: Sume tibi aromata, ſtacten, & onycha,
galbanum boni odoris, & thus lucidiſſimum, æqualis ponderis erunt omnia: 35 Fa-
cieſque thymiama compoſitum opere unguentarii, mixtum diligenter, & purum, & ſan-
ctificatione digniſſimum. 36 Cumque in tenuiſſimum pulverem univerſa contuderis,
pones ex eo coram tabernaculo teſtimonii, in quo loco apparebo tibi. Sanctum ſancto-
rum erit vobis in thymiama. 37 Talem compoſitionem non facietis in uſus veſtros,
quia ſanctum eſt Domino. 38 Homo quicumque fecerit ſimile, ut odore illius perfrua-
tur, peribit de populis ſuis.

Undecim priores verſiculi non leguntur iſtic in Textu Samaritano; ſed inveniuntur ſub finem capitis 26. libri hujus, ut ibidem adnotavimus. A

℣. 1. Facies quoque altare ad adolendum thymiama.] Altare thymiamatum erat e lignis Setim, aureis laminis obductum, & duobus cubitis aſſurgebat ſuper cubito in quadrum poſito. In quatuor angulis pilæ erant, vel pyramides, vel ſpecies cornuum, atque perpetua corona in ſuperiori parte circumquaque claudebatur: ſub corona ad quatuor angulos aderant annuli, per quos aureis laminis obducti vectes e lignis ſetim inſerebantur, ad altare in itineribus deferendum. Menſa hæc in Sancto collocabatur e regione menſæ panum propoſitionis. Quotidie, & mane, & veſpere Sacerdos, cujus id munus erat, ſuper hoc altare thymiama adolebat, cujus commixtionem videbimus verſ. 34. Illi vero interdictum erat quamlibet aliam peragere oblationem, vel panis, aut vini, atque victimarum cruorem effundere. Summus Sacerdos dumtaxat ſemel in anno ad quatuor Altaris hujus angulos victimæ ponebat ſanguinem, quæ pro peccatis populi, generalis expiationis die offerebatur. B

℣. 3. Veſtieſque illud auro puriſſimo tam craticulam, quam parietes.] Altare hoc excavatum erat in capſæ formam. Septuaginta [1], & Joſephus Antiquit. lib. 3. cap. 7. crediderunt, ſuper hoc altare adfuiſſe ignis receptaculum ea auro puriſſimo, in quo prunæ ponerentur ad thymiama adolendum. Author Vulgatæ credidit, altare hoc craticula ornatum fuiſſe, cui prunæ, & thymiama imponerentur, quarum cineres per cratem in menſæ cavitatem deciderent: ſed hebraica vox גג gag ſignificat ſimpliciter tectum, & ex decurſu facis patet, Sacerdotem ignem de altari accepiſſe in pretioſo thuribulo, atque thuribulum cum igne ſuper aram collocaſſe, ut ibi thymiama adoleret. Ad quid enim hic thuribulorum, cochlearumque numerus inſerviſſet, ad thymiama imponendum, de quo loquitur Scriptura, ſi thuribulum adnexum fuiſſet, atque altari adhærens? cum recens thuribulum afferebatur, quod prius relictum fuerat, auferebatur; vel Sacerdos expectabat, donec thymiama eſſet conſumptum, & thuribulum recipiebat. Hiſtoria Nadab, & Abiu (Levitic. 10. 1. & ſeq.), uti quoque ea Chore, & Dathan (Numeror. 16. 17. & ſeq.), poſtremam hanc ſententiam confirmare videntur. Moyſes altari thymiamatum duorum cubitorum modo altitudinem præbet. Ezechiel vero 41. 22. illud, quod erat in Templo ab ipſo deſcripto, tres cubitos ait præſtitiſſe. C

Facieſque ei coronam aureolam per gyrum.] Septuaginta [2]; parvulam coronam interraſilem. Vide capitis vigeſimi quinti verſiculum vigeſimum quintum.

℣. 6. Poneſque altare contra velum &c.] Quod ſeparat Sanctum a Sanctuario. Septuaginta [3] admodum aliter a Vulgata totum hunc verſiculum vertunt: *Pones altare ante velum, quod eſt ſuper Arcam teſtimonii*. Verſio hæc Origeni homil. 19 in Exod. Sancto Auguſtino quæſt. 133. 136. & 137. in Exod. ac Divo Gregorio Magno in 1. Reg. cap. 14. locum præbuit credendi, altare thymiamatum fuiſſe in Sanctuario; quod conforme videtur verſic. 10. *Deprecabitur Aaron ſuper cornua ejus ſemel per annum* &c. atque iis conſonum, quæ legimus apud Divum Paulum Hebr. 9. 3. *Poſt velamentum autem ſecundum, tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorum: aureum habens thuribulum, & Arcam teſtamenti* &c. ubi Apoſtolus videtur aſſerere altare thymiamatum (*thuribulum*) fuiſſe in Sanctuario.

Sed

1 70. Ἐσχάρα.
2 Στρεπτὴν στεφάνην χρυσῆν κύκλῳ.
3 Καὶ θήσεις αὐτὸ ἀπέναντι τοῦ καταπετάσματος τοῦ ὄντος ἐπὶ τῆς κιβωτοῦ.

Sed opinio hæc a plerisque Interpretum refellitur, A qui bæc Moyſis verba, *Pones Altare contra velum, quod ante arcam pendet*, explicant dicentes, Altare thymiamatum fuiſſe ante velum, quod ſeparat Sanctum a Sanctuario, non in Sanctuario, ſed in Sancto. Quoad verſiculum decimum, qui refert Summum Sacerdotem ſamel in anno purificaſſe Altare thymiamatum, non inde inferre licet, hoc in Sanctuario fieri conſueviſſe. Denique D. Pauli locus ita explicari poteſt: exempli gratia, in Sanctuario aſſervatum fuiſſe thuribulum, quo Summus Sacerdos die Expiationis utebatur; vel ipſum reliquiſſe ibi illud, quod intulerat; vel denique ibi adfuiſſe Aaronis thuribulum, quod collocari illic potuit poſt ſeditionem Core Num. 14. vel potius altare thymiamatum omnino proximum fuiſſe Sanctuario, & quodammodo in B illo; quandoquidem uno tantum velo dividebatur.

℣. 7. ADOLEBIT INCENSUM.] Hebraici *Sammim*[1] ſignificatio propria non ſatis patet; ſed dubiu locus non eſt, quin gratum odorem ſignificet; & variæ Interpretationes ferme in hoc conveniunt. Non erat neceſſe, ut Summus Sacerdos ipſe incenſi offerendi munus perageret. Zacharias pater S. Joannis Baptiſtæ thus adolebat (Luc. 1. 9. *Sorte exiit, ut incenſum poneret*) cum illi Gabriel apparuit, quamquam ſimplex tantum Sacerdos eſſet. S. Auguſtinus l. 2. Retract. c. 55. olim ægre conciliari poſſe arbitrabatur Legem, qua jubetur Aaron quotidie mane, ac veſpere thymiama offerre in Altari, cum ea, quæ immundos uſque ad veſperam declarat, qui connubium exercuiſſent. Levit. 15. 16. *Vir de quo egredi-* C *tur ſemen coitus lavabit aqua omne corpus ſuum, & immundus erit uſque ad veſperum.* Re quidem vera Summus Sacerdos in perpetuo cælibatu degere debuiſſet, neque umquam a templo abeſſe, ſi non licuiſſet illi, in pollutionis alicujus legalis caſu in locum ſuam alium ſubſtituere Sacerdotem. Igitur dicendum eſt, Moyſen hic nihil aliud intelligere, niſi quod Aaron, vel illius loco Sacerdos alius munus hoc mane, & veſpere adimplebit. Deinceps hac ſe cura Summus Sacerdos abſolvit, & conſuetudine ſtatutum eſt, ut Sacerdos inferior, ad id electus, munere hoc deberet fungi, cum interdicto, ne per id tempus a Templo egrederetur, ac ſe ſe iis exponeret pollutionibus, de quibus hic ſermo.

Hebræi[2] docent, nihil umquam ſuper Altare holo- D cauſtorum oblatum fuiſſe, quin ante thus adoleviſſent ſuper altare thymiamatum. Sacerdos ſuas fundebat preces, donec thus cremabatur, & eodem tempore populus precibus ſuis ſacerdotis preces proſequebatur. Utrumque ſimul ſymbolum erat fumus thymiamatis. Dicunt, tres Sacerdotes in officii hujus miniſterium dicatos fuiſſe. Prior de aureo altari cineres auferebat, alter vero novos carbones offerebat; tertius denique thus prunis injiciebat: aſſeruntque, qualibet vice centum denariorum pondere thus injectum fuiſſe.

℣. 9. NEC OBLATIONEM, NEC VICTIMAM, NEC LIBABITIS.] Hebræus[3]; habet: nec holocauſtum, neque oblationem rerum eſculentarum (veluti farinæ, & panis, fructuum) nec libationes vini.

℣. 10. ET DEPRECABITUR.] Hic eſt ſenſus Hebraici כִּפֶּר, Septuaginta, Ἐξιλάσεται; *& reddet ſibi Deum propitium*. Quod idem eſt.

SANCTUM SANCTORUM ERIT DOMINO.] Hoc referri poteſt, vel ad Altare, vel ad thymiamata, vel ad ſanguinem expiationis, vel ad ceremoniam univerſam. Omnia hæc ſanctitatis ſunt eximiæ, maximamque obſervantiam merentur. Vide c. 30. 35.

℣. 12. QUANDO TULERIS SUMMAM FILIORUM ISRAEL JUXTA NUMERUM, DABUNT SINGULI PRETIUM A PRO ANIMABUS SUIS.] Quidam[4] crediderunt, Moyſen hic generalem rogaſſe legem, qua ſinguli in capita hemiſiclum ſolvere tenerentur in ſumptus Tabernaculi, quotieſcumque populus recenſeretur. Dicunt autem, David, eo quod minime effeciſſet, ut hemiſiclus hic ſolveretur, cum ab eo cenſus populi ſui initus eſt 2. *Reg.* 24. 1. *Paral.* 21. mulctatum fuiſſe morte ſeptuaginta millium ſibi ſubditorum. Sententiam hanc eruditi quidam Interpretes[5] ſecuti ſunt, illique 13. hujus capitis verſiculus favet. Difficillimum tamen eſſet legis hujus executionem oſtendere; neque refertur, Moyſes populum ſuum coegiſſe, ut hanc ſolveret pecuniam, in ea populi recenſione, quæ capite primo Numerorum narratur.

Alii credunt, Moyſen hic conſtituiſſe vectigal in B capita ſuper populum ſuum, quotannis ſolvendum pro impenſis, quæ fieri debebant in Tabernaculi uſum, in hoſtias, lina, oleum, vinum, farinam, in Templi inſtaurationem, veſteſque, & eſcas Sacerdotum ac Levitarum. Legis hujus obſervantia non perſpicue ſatis apparet ex libris veteris Teſtamenti. Ex libro ſecundo Eſdræ liquet duntaxat, poſt reditum e captivitate imperatum fuiſſe Iſraelitis, ut tertiam ſicli partem in Templi ſumptus conferrent; 2. Eſd. 10. 32. *Statuemus ſuper nos præcepta, ut demus tertiam partem ſicli per annum, ad opus Dei noſtri*: ſed non ſatis conſtat, utrum tertia pars hæc fuerit ſupererogata præter conſuetum ſicli dimidium; an propter populi inopiam ſatis futurum fuiſſe viſum fuerit, ſi pro ea tantum vice parvula adeo argenti C ſumma exigeretur. Certum eſt Domini noſtri temporibus (Matt. 17. 23.) hemiſiclum in capita ſolutum fuiſſe. Philo quoque l. 2. de Monarchia hanc palam refert conſuetudinem. Ait enim, Templum Jeroſolymorum præter reditus, qui illi cedunt ex fundis, majora adhuc habuiſſe bona, certiora, & magis duratura in oblationibus poſita, quas Judæi ſinguli poſt viginti annorum ætatem præſtabant. Oblationem hanc redemptionem ſuam vocant, eamque ſumma hilares lætitia offerunt, libertatem ſuam ſalutem, ac vitam redimere arbitrati. Quare fit, ut in omnibus ferme civitatibus theſaurus fuerit, ubi oblationes hæ ſervarentur, donec viri probitate noti, ab univerſo populo electi, in Templum Ieruſalem deferrent.

D Cicero in oratione pro Flacco narrat, Flaccum prohibuiſſe, ne ex Aſia Ieruſalem deferretur aurum, quod in Italia, omnibuſque provinciis a Iudæis colligebatur. Titus apud Ioſephum l. 7. c. 13. Iudæos exprobrat, quod Romani Imperatores inſigni indulgentia illis permittere voluerint, ut nomine Dei ſui hæc vectigalia colligerent, in ipſius cultum inſumpturi. Sed Veſpeſianus tandem, poſt templi excidium, Iudæis imperavit, ut, quam pecuniam antea Ieroſolymitano templo ſolvebant, in Capitolium inferrent.

Hic porro quaſdam Rabbinicas adferam obſervationes, quoad rationem, qua Templo hemiſiclus ſolvi conſueverat. Iudæi omnes generatim, tum ex Iudæa, cum e remotiſſimis quibuſque regionibus, te- E nebantur illum ferre, aut mittere quotannis in Templum. Mulieres tantum, ſervi, ac pueri nondum treſdecim annos nati vacatione fruebantur. Quolibet anno ſub initium menſis Niſan collectores Provincias luſtrabant hemiſiclum exacturi: ſed nemo adigebatur ante Paſchatis feſtivitatem. Tunc, qui vectigal hoc minime ſolverant in loco domicilii ſui, ſolvere illud tenebantur, vel prædes dare. A Sacerdotibus, æque ac ab reliquis expoſcebatur; verum ii præ reverentia nuſquam cogebantur.

Non deſunt Interpretes, qui aſſerant, Moyſen popu-

1 קטרת סמים
2 Vide Outramum de ſacriſic. l. 1. c. 8.
3 עלה ומנחה ונסך
4 Hebræi fere omnes, & noſtri apud Vvaſer. de nummis Hebræos. Grot.
5 Fagius, Lyranus, Tirinus, Vatablus &c.

populi ſui cenſum ſemel iniiſſe dumtaxat, atque hemiſiclum in capita exegiſſe, cum primum Tabernaculum extruxit; neque coegiſſe populum, ut quotannis vectigal hoc penderet Tabernaculo, vel Templo; ſed oppoſita ſententia plures jactat aſſeclas. Ea quæ hic præcipit Deus, adimpleta videntur libri hujus capite 38. ℣. 26.

ET NON ERIT PLAGA IN EIS, CUM FUERINT RECENSITI.] Idcirco Deo ſolvebatur hemiſiclus, ut ipſius ſupremum Dominium in populum ſuum recognoſceretur. Hoc autem erat veluti vectigal conſtitutum a Rege Iſrael in omnes ſubditos ſuos. Illud ſolventes, effugiebant extraordinaria ſupplicia peſtis, belli, & famis; & ℣. 16. legitur, hemiſiclum, quem Domino ſolvebant, *futurum monimentum eorum coram Domino, ut propitietur animabus eorum.*

℣. 13. DIMIDIUM SICLI, JUXTA MENSURAM TEMPLI. SICLUS VIGINTI OBOLOS HABET.] Hebraice בשקל הקדש, *juxta pondus Sanctuarii. Siclus valet viginti gerah.* Septuaginta [1] pro ſiclis ponunt, *didrachmam, quæ viginti obolos valet.* Interpretes quidam opinati ſunt Hebræis duplex fuiſſe ſiclorum genus; alterum quidem ſacrum, quod hic, & alibi Siclus Sanctuarii appellatur; profanum alterum, vel commune, quod Siclus Regis dicitur, vel Siclus publicus 2. Reg. 14. 26. *Ponderabat capillos capitis ſui ducentis Siclis pondere publico*: Hebraice: *pondere Regis.* Plerique dicunt Sanctuarii Siclum longe pluris fuiſſe æſtimatum, quam Siclum vulgaris commercii: alii e contra majus tribuunt pretium Siclo communi, quam Siclo Sanctuarii. Rabbinus Salomon, cui Lyranus adhæret, vigintiquatuor obolos Siclo communi tribuit; Siclo vero ſacro dumtaxat viginti. Pagninus, & alii quidam Siclum ſacrum valuiſſe ajunt obolis quadraginta, & communem viginti: Vaſcrus Siclum ſacrum viginti novem obolis Atticis, vel argenteæ unciæ dimidio æſtimat: pretii hujus autem dimidium communi confert Siclo. Rabbini Jechonias, & Gedalias Siclum ſacrum duplo magis valuiſſe putant, quam publicum: Primus quidem, juxta Jechoniam, trecentis & viginti hordei granis pendebat; alter vero dimidio minus. Gedalias autem ſacro Siclo ſemunciam tribuit, & Siclo publico unciæ quadrantem. Vatablus, Lippomanus, Covarruvias l. de monetis p. 7. n. 9. apud Cornelium a Lapide Siclum ſacrum viginti fuiſſe obolorum dicunt, communem vero decem. Septuaginta Hebraicam vocem *ſchekel* plerumque vertunt *didrachmam*, quamquam Siclus quatuor drachmis valuit juxta Joſephum l. 3. c. 9. Antiq. & S. Hieronymum; ex quo Interpretes quidam in ſuſpicionem adducti ſunt, quod Septuaginta de communi loquerentur Siclo, qui ſacri dimidio æſtimatur, de quo loquitur Joſeph. & S. Hieronymus in Ezech. c. 4. l. 1.

Verum doctiſſimi, atque eruditiſſimi ex Interpretibus noſtris [2], reſpuunt diſtinctionem hanc Sicli Sanctuarii, ac Sicli Regis; contendunt autem, neque Scripturam, neque Joſephum, neque S. Hieronymum, neque alium veterem diſtincte obſervaſſe diſcrimen hoc inter ſacros Siclos, & communes. Vox Sicli Sanctuarii nequaquam oppoſita eſt vocibus Sicli communis, aut Regii: namque unum tantummodo pondus erat, unus Siclus, unum pretium. Vocabatur autem Sanctuarii Siclus, nam menſuræ ponderum ſervabantur in templo; Regis vero Siclus nuncupabatur, quia Reges miniſtros ſuos habebant, qui ponderum, menſurarumque æquitati invigilabant. Denique Sicli publici nomen illi tribuitur, quia vulgo in negotiis illo utebantur. Neque id temere, & nulla ratione ſuffultum aſſeritur. In libro 1. Paralipomenon 23. 29. videmus, menſuris, ac ponderibus Sacerdotem fuiſſe præfectum: *Super omne pondus, atque menſuram.* Ægyptiis eadem erat conſuetudo. In ſuorum Sacerdotum Collegio miniſter erat, cujus munus erat menſuras omnes cognoſcendi, ac pondera caſtigandi, uti refert S. Clemens Alexandrinus. Romanis quoque in more poſitum erat, menſuras in templis ſervare: Fannius de Amphora.

Amphora fit cubus, quam ne violare liceret,
Sacravere Jovi Tarpejo in Monte Quirites.

Imperator Juſtinianus præcepit Novella 128. c. 15. ut in Chriſtianorum Eccleſiis menſuræ ac pondera ſervarentur; quam legem Valentinianus inſtauravit.

Sed hoc directe magis contra eorum pugnat ſententiam, qui ſacros a communibus Siclis diſtinguunt; ſcilicet quod Moyſes imperat, ut omnia pretio æſtimabilia juxta pretium Sicli Sanctuarii æſtimentur: Levit. 27. 25. *Omnis æſtimatio Siclo Sanctuarii ponderabitur. Siclus viginti obolos habet.* Iſtic loquitur non de pretio rerum dumtaxat Templo devotarum, oblatarumque, quas jubeat æſtimari juxta pondus Sanctuarii; ſed generatim de quocumque emptionis, ac venditionis genere, terræ, aliarumque rerum, uti facillimum eſt deprehendere, ſi ea legas, quæ legem hanc præcedunt cap. 27. Levitici.

Nec ſecus perſpicue oſtendit Ezechiel 45. 12. nullum apud Hebræos fuiſſe Siclorum diſcrimen: nam cum Principum Iſrael injuſtitiam, atque impotentiam damnaſſet, illis præcipit, ut ſtateras habeant, & pondera, ac menſuras æquas: explicat, quinam eſſet communium ponderum valor, quæ cavarum menſurarum capacitas: ait, Siclum viginti obolis æſtimari, ſeu viginti *gerah*. Sed Sanctuarii Siclus pretium hoc minime ſuperabat. Num dixeris, Prophetam imperare, ut populi principes Sanctuarii Siclo utantur, eo quod alios illis Siclos ſuppetat a priori diverſus pro nundinis? Sicli, qui e Simeonis Macchabæi temporibus extant, æquali inter ſe ſe pondere ſunt, vel pene æquali; neque in ipſorum ponderibus, vel metallis veſtigium ullum perciperes diſcriminis, quod inter Siclum ſacrum, & communem fuiſſe contendunt. Hæc ſententiarum diverſitas, quæ inter eos adeſt, qui hanc opinionem tuentur, argumentum eſt incertitudinis principiorum, quibus innititur; vel potius oſtendit, ea nullo fundamento fulciri, quandoquidem nulla affertur probabilis ratio vel diſcriminis hujus generatim, vel peculiarium ſuppoſitionum, quas quiſque, ut lubet, in hac materia conſtituit.

Denique etiamſi fateri cogeremur adfuiſſe pondus Regis, aliud a pondere Sanctuarii, hoc pro eo tantum eſſet tempore (ut eruditiſſimus quidam vir animadvertit) quod Chaldæorum dominationem eſt ſubſecutum. Uſque ad illud tempus Hebræi cum ſemper, vel fere ſemper obtemperaſſent Principibus nationis ſuæ, vixerintque in regione eadem, eamdemque legem fuerint ſecuti, nulla deprehendi ratio poteſt, quæ illos cogere potuerit, ut in commercium Siclum admitterent alium ab eo, qui in templo aſſervabatur. Quam perturbationem, quaſque difficultates diſcrimen hoc in commercia intuliſſet? Sed ſimul ac Iſraelitæ captivi Babylonem deducti fuerunt, ſe ſe debuerunt ſubmittere ponderibus, menſuris, ac monetis victorum. Sanctuarii pondus rurſus uſum obtinuit, cum illi de captivitate reverſi ſunt; ſed quin pondus Regis excluderetur, vel pondus Babylonicum, quod in toto Chaldæorum imperio erat commune. Hinc oritur Ezechielis præcautio, qui in captivitate degebat, exacte adeo deſcribendi pretium, pondus, quantitatem menſurarum, ac monetarum, de quibus loquitur. Hæc autem diſcrimina obſervanda erant, quoad tempus, & locum, ubi ſcribebat. Moyſes etiam fortaſſe, cum loquitur de Siclo Sanctuarii, & exacte adeo illius pretium refert, volebat diſtinguere a Siclo Ægyptiorum, & Siclis Chananæorum, atque Arabum, inter quos tunc Hebræi verſabantur. Alioquin inutile fuiſſet menſurarum capacitatem, monetarumque pretium referre. Hoc minime ſcriptorem decet, qui pro populo ſcribit, in quo ipſe eſt, & eo tempore, quo omne fere

Sicli

1 Κατὰ τὸ δίδραχμον τὸ ἅγιον; εἴκοσι ὀβολοὶ τὸ δίδραχμον.
2 Cornelius, Bonfrerius, Valton. & alii plures.

Sicli valorem agnoverant. Hæ denique ponderum Sicli explicationes fortaſſe non fuerunt Legislatoris manu exaretæ; eddique potuerunt eb Eſdra, vel ab illis, qui quibuſdam in locis Pentateuchum caſtigerunt.

Verum ut ad hemiſiclum revertemur, quem Moyſes ſolvi imperat in ſumptur Tabernaculi, ex ſeriptura non liquet, ſemper exactum fuiſſe. Tempore Joſiæ 2. Par. 24. 5. pro Templi reſtaaretione pecuniam imperatam faiſſe legimas; eum de captivitate redierunt, rurſus ſolatio præcepta fuit, erqae ed Sieli trientem redecta, 2. Eſd. 10. 32. Domini noſtri aemporibas imperate pecunia pro Templo exigebatur, ſolvebaturque Matt. 17. 23. Poſt excidium Templi Veſpeſianus imperavit, at Iudæi vectigal in Capitolium deferrent [1]. Vide Commentarium noſtrum in S. Matthæum 17. 23. Iudæi hodie quoque id exigunt prope Feſtivitatem Sortium; ac in elcemoſyam erogant illis, qui Ieroſolymorum inter ſuſcipiunt. Schikard. orat. da feſto Purim.

℣. 18. Labrum æneum.] Ubi Sacerdotes pedes, manuſque ebluebent, cum ingrediebantur in Sanctum, ut offerrent thymiame, & cum inde egrediebantur. Labrum hoc poſitum erat inter Tabernaculum, & Altare holocanſtorum. Sacerdotes nudir pedibus in Tebernaculo erent; de ſoleis illoram, nec Scriptura, neque Ioſephus meminere. Plurarchus temen lib. 4. Sympoſiacon quæſt. 5. ait, Summum Secerdotem Judæoram geſtaſſe cothurnos. Iudæi in Miſna in Maſſechet. Kerechot. c. 9. & alibi prohibent Sacerdotibus, Laieiſque calceatis pedibus ingredi in Templum; & quemadmodum Sacerdotas ſemper nudis erant pedibur, ac ſtantes, & linea tantum induti tunica, & cernibur multir veſcebantur, atque vino abſtinebant; pluribus infirmitatibur, colicis præſertim, erant obnoxii; quapropter, ati perhibetur, ſecum ſemper medicum habere in Templo debebant. Maimonid. Kelei Kammikd. c. 7.

Silius Italicus l. 3. de bello Punico Herculis Gaditani Sacerdotes deſcribens eos nudis pedibus, cælibeſque deſcribit:

Pes nudus, tonſæque comæ, caſtumque cubile.

Ad Exod. 3. 5. jam adnotavimus, Dianæ Cretenſis Templum calceatis pedibus ingredi faiſſe nefas. Romanæ Metronæ pedibus nudis in Vaſtæ Templo incedebant. Ovidius l. 6. Faſt.

Huc pede matronam nudo deſcendere vidi.

Labrum, de quo hic loquitur Scripture, non inſerviebat ſolum pedibus manibuſque Sacerdotum ebluendis, ſed etiam lavendis victimis, extis, atque pedibus hoſtiarum. Afferunt vaſa quædam adſuiſſe in uberum ſimilirudinem cum epiſtomiis, qua diffluebat aque in baſim, vel labrum, ubi abluebatur, atque unde hauriebatur aqae in uſum Tabernaculi. Grotius refert Ethnicos quoque habuiſſe in templis ſuis lavaera ſimilia. Luſtralir aquæ receptacula, quæ ſunt ad noſtrarum Eccleſiarum editus, Moſaici labri ſpeciem imitantur: ibique Chriſtiani veteres Templum introeuntes ſibi oculos abluebant.

℣. 23. Sume tibi aromata.] Quoad thymiamata nihil invenitur antiquius, qaem quod hic legitur. Quis thymiamatum fuerit inventor, non liquet, Plinius eit l. 13. c. 1. *Qui primo invenerit unguenta non traditur: Iliacis temporibus non erant, nec thure ſupplicabatur. Cedri tantum, & citri ſuorum fruticum in ſacris fumo convolutum nidorem verius, quam odorem, noverant, jam roſæ ſucco reperto &c.* Ovidius eruentoram Secrificiorum, ee eromatum Aris impoſitorum Authorem fuiſſe Bacchum teſtatur: verum conſtar ab Ethnicis Bacchum fuiſſe cum Moyſe confuſum. Faſt. l. 3.

Ante tuos ortus aræ ſine honore fuerunt,
Liber, & in gelidis herba reperta focis.

A *Te memorant, Gange, totoque Oriente ſubacto*
Primitias magno ſepoſuiſſe Jovi.
Cinnama tu primus, captivaque thura dediſti,
Atque triumphato viſcera toſta bove.

Arnobius quoque l. 7. contra gentes ita loquitur. *Neque temporibus heroicis quidnam eſſet thus ſcitum eſt, ſcriptoribus ut comprobatur a priſcis, quorum in libro poſita nulla ejus mentio reperitur. Neque genitrix, & mater ſuperſtitionis Hetruria, ſacellorum ut indicant ritus; neque quadringentis annis, quibus Albana res ſtetit, in uſum unquam venit, ſacra cum res fieret; neque ipſe Romulus, aut religionibus artifex in comminiſcendis Numa, aut naſci, ut pium far monſtrat, quo peragi mos ſuis ſacrificiorum ſolemnium munia.* In Arabie profecto ſuper aras thus cœpit cre-
B mari. Moyſes in ea tunc erat regione, unde optima devehuntur aromate. Neque impoſſibile eſt morem hunc e Moyſe, & Hebræis originem deduxiſſe. In omnibus ſacrificiis Abraham, Iſaac, Iacob, & Job nulla fit thuris, vel eromatum, eliorumve odorum mentio, niſi carnium combuſtarum.

Theophraſtus apud Porph. de Abſtin. l. 2. ait antiquitus, neque thur, neque odores Diir offerri conſueviſſe; ſed herbas tantum, quæ evellebantur, & veluti oblatio e terra deſumpta illir præſentabatur. Ovidius de Iani temporibur loquens ſimiliter deſeribit ſacrificia ſine thuribus, victimiſque cruentis. Faſt. l. 1.

Nondum pertulerat lacrymatas cortice myrrhas
Acta per æquoreas hoſpita navis aquas;
C *Thura nec Euphrates, nec miſerat India coſtum,*
Nec fuerant rubri cognita fila croci.
Ara dabat fumos, herbis contenta Sabinis,
Et non exiguo laurus aduſta ſono.
Si quis erat prati factis de flore coronis,
Qui poſſet violas addere, dives erat.
Hic qui nunc aperit percuſſi viſcera Tauri
In Sacris nullum culter habebat opus.

Hæc omnia reſpiciunt tantum Græcorum, Romanorumque regiones, ubi thus non oritur. Sed inter Arabes, Ægyptios, Hebræos, elioſque populos, apud quos aromata communia ſunt, conſuetudo hæc fuit antiquior. Homines erediderunt, Deo eſſe offerendum, quidquid optimum, ac pretioſiſſimum foret; ideoque primum fructus, ac enimalia, deinde aro-
D mata obtulerunt illi, quæ ſemper maximo in pretio bebita fuerunt. Moyſes ℣. 25. loquitur de *opere unguentarii*. Igitur unguentarii in Ægypto aderant, qui hanc artem profiterentur, unde dudum egreſſi fuerant Iſraelitæ; & conſtet, Sacerdotes Ægyptios eromatis ſpeciem quandam hebuiſſe, quem Diis ſuis offerebant. Vide Dioſcoridem l. 1. c. 24. & Plutarchum de Iſida, & Oſiride.

Sume tibi aromata primæ Myrrhæ, et electæ.] Hebraicus textus [2] verti ad litteram poteſt: *Sume tibi aromata, ſcilicet caput myrrhæ libertatis*. Vel juxta Septuagintæ: *Sume florem myrrhæ electæ* [3]; ſcilicet quod in myrrha melius eſt, atque excellentius. Flor ſignificat, quidquid in quaque re eſt perfectiſſimum. Sume odores optimos; e myrrhe,
E quæ ex arbore ſponte deflait, quin arbor cædatur. Plinius l. 12. c. 15. loquens de arboribus, quæ mirrham gignunt; *ſudant*, ait, *ſponte, priuſquam incidantur ſtacten dictam, cui nulla præfertur*. Grotius, & alii nonnulli [4] accipiant Hebreica verba *myrrham libertatis*, in hoc ſenſu; *myrrham ab omni commixtione puram*. Syriaca, & Chaldaica verſiones in eodem ſenſu intelligunt de myrrha puriſſima.

Quingentos Siclos.] Hebraica habetur ſimpliaer quingentos: ſed vulgo ſicli intelliguntur, veluti pondus maxime commune.

Cinnamomi.] Hebraice [5], קנמן בשם, & Septuaginta, Κινναμώμου εὐώδους: *Cinnamomi aromatici*, vel

1 Joſeph. Antiq. l. 18. c. 11. & de bello l. 7. c. 26. & Dio Caſſius l. 66.
2 קח לך בשמים ראש מר דרור 3 Λάβε σμύρνης ἐκλεκτῆς.
4 Ita Vatablus, Fagius, Kimchi, Rab. Salomon.

vel *boni odoris*. Cinnamomum eſt arbuſtum, cujus cortex admirabili odore flagrat. Dioſcorides quinque Cinnamomi ſpecies enumerat, quæ inde nomen, unde originem habent. Virtus illius non diutius viget: cum ad trigeſimum annum pervenerit, infirmior eſt, ac primitus fuerat. Color illius eſt, perinde ac nigrum, & cæruleum lacti immiſceres. Matthiolus fatetur, ſe, quamquam plorimum adlaborarit, numquam verum cinnamomum invenire potuiſſe. Galeni tempore adeo rsrum erat, ut in Muſæo Imperatoris tantum ſervaretur. Matthiolus idem aſſerit, cinnamomum in Arabia defeciſſe, uti balſamum in Iudæa. Innititur ille Plinii authoritati, qui ait cinnamomi libram olim denariis mille æſtimatam fuiſſe; ſed deinde pretium dimidio majus factum fuiſſe, eo quod Barbari cuncta vaſtarant, omneſque cinnamomi plantas combuſſerant.

CALAMI.] קנה בשם. Calamus odorus ex Indiis defertur. Aromatariorum *calamus aromaticus*, quem hoc nomine venditant, non eſt ille veterum teſte Dioſcorid. l. 1. c. 7. ille eſt *acorus verus*, qui nullatenus aptus eſt, ut ex eo exquiſita componantur unguenta.

℣. 24. CASIÆ.] קדה *Kiddah*. Caſia eſt ſylveſtris arboris cortex, quæ ſponte in Indiis Orientalibus oritur. Nullum ferme diſcrimen eſt inter arborem, quæ gignit caſiam, & eam, quæ fert aroma illud, quod Italis *canella* vocatur; atque utriuſque effectus iidem ſunt. Brochardus, & Gabriel Sionita de moribus Oriental. c. 9. aſſerunt Memphi plurimas Caſiæ arbores inveniri, eaſque ita nucibus ſimiles eſſe, ut vix alteram ab altera dignoſcere queas, ni diverſi fructus adſint.

Diſcorides, & Plinius poſtremum hoc aroma in Arabia oriri crediderunt: ex quo conjicere liceret de eodem hic Moyſen eſſe locutum; ſed Garſias l. 1. c. 5. palam oſtendit ibi locorum minime inveniri; atque operoſum eſſet, probare illud Moyſis temporibus in Iudæa cognitum fuiſſe. Quoad caſiam vulgatam, nullus illi aromatis odor; illius tantum uſus eſt in pharmacis, atque nigri liquoris ſpecies eſt, quæ vitiaſſet potius thymiama, quam illi ullam perfectionem addidiſſet. Hebraica vox *Kiddah* in Ezechiele quoque invenitur 27. 19. *Stacte, & calamus in negotiatione tua*; ubi Vulgata vertit *ſtacten*, myrrham in lacrymas diſſuentem, & a Septuaginta *iris* transfertur. Dioſcorides obſervat, cives Pergis in Pamphilia, & Elidis in Achaja ex *iri* quiddam eximium elicuiſſe, quod præter odorem aromaticum, adverſus tuſſim, & violentos vomitus virtutem maximam habebat. *Kadad* Arabice ſignificat vomere, & tuſſiendo ſpuere; & Ezechiel citato loco ait, Iavan, & Mozal attuliſſe Tyrum Kidah, & cinnamum. Iavan ſignificat Ioniæ populos, Mozal Cariæ, utroſque Pamphiliæ finitimos. Hiſtoricus Ioſephus, & Caſtilionæus pro *iri* ſtant.

OLEI DE OLIVETIS MENSURAM HIN.] Oleum olivarum erat veluti unguenti adeo pretioſi corpus; ideo magna adeo vis ex ipſo ponitur; nam *hin* continebat libras treſdecim cum triente. Unguentum hoc inſerviebat inungendis Tabernaculi inſtrumentis Arcæ fœderis, Menſæ panum propoſitionis, Aræ thymiamatum, candelabro, Altari holocauſtorum, Labro ablutionum. Ex eodem Aaron, & filii ipſius inuncti fuerunt. Nemo in proprium uſum convertere, vel illud componere audebat: hoc ipſo Reges Juda ſunt conſecrati; qui mos uſque ad Joſiæ regnum permanſit, uti inquiunt Rabbini.

℣. 27. MENSAM CUM VASIS SUIS.] Scilicet, menſas panum propoſitionis. Septuaginta menſam hanc cum ipſius inſtrumentis prætereunt.

℣. 29. QUI TETIGERIT EA, SANCTIFICABITUR.]

A Profani, qui ea tangebant, polluebantur, atque impuritatem ſuam expiare debebant; qui vero in Domini famulatum erant deſtinati, majorem acquirebant ſanctitatem ſanctarum rerum contactu: qui duo effectus in uſu noſtrorum Sacramentorum quotidie percipiuntur. Scelesti ſceleſtiores fiunt; boni vero novam ſanctitatem adipiſcuntur.

℣. 33. EXTERMINABITUR DE POPULO SUO.] Non habebitur amplius veluti Iſraelita, ſed tamquam alienigena, cujus nulla eſt pars ad nationis prærogativas. Diceres vulgo: Excommunicabitur.

℣. 34. SUME TIBI AROMATA &c.] Hæc eſt compoſitio thymiamatis, quod quotidie mane, ac veſpere ſuper menſam thymiamatum comburebatur. *Stacte* [1] autem compoſitum erat, myrrha ſcilicet, B quæ ſponte fluit ex arbore. De hac locuti ſumus in verſ. 23. Kimchi de balſamo intelligit: & Rabbinus Salomon de reſina.

ONYCHA.] שחלת, Septuaginta: Ὄνυχα. Rabbinus Salomon in Exod. 30. credit, hebraicum ſchehelet ſignificare radicem aromaticam, lævigatam atque lucentem veluti unguem. Rabbini alii, Bocharti judicio, intelligunt de bdellio, quod a Damocrate Malagam. lib. 8. & de antidor. lib. 2. & a Galeno de compoſit. med. onyx appellatur. Dioſcorides duo bdellii genera diſtinguit, Arabicum unum, quod clarius eſt, ac lævius altero, quod ex Indiis advehitur, quod magis viſu fœdum eſt, nigrum, & ſcabrum. De priori profecto hic loquitur Moyſes; ſcaret, atque elicitur ex arbore quadam in A- C rabia Felici. Nomen *ſchechelet* derivari poteſt a *ſchechal*, quod Chaldaice *elicere* ſignificat; & Syriace *ſcatere*; quod apprime congruit naturæ aromatis, de quo ſermo eſt. Addas præterea Moyſen non potuiſſe loqui, niſi de aromatibus magis pretioſis regionis illius, ubi aderat; atque bdellium maximo in pretio in Arabia eſſe, & communiſſimum.

Arabica verſio vertit *Laudanum*: ſed Interpretes pleri que adhærent Septuaginta, & Vulgatæ, a quibus vertitur *Onycha*, unguis odorata, quæ eſt piſcis teſta, purpuræ (alius piſcis teſtacei) teſtæ ſimilliima. Hanc in Indiarum paludibus expiſcantur, ubi *ſpica nardi* germinat, qua piſcis hic alitur, ex quo teſta illius odorem acquirit. Piſces hi colliguntur, cum calor paludes exaruit; meliores e mari rubro D deferuntur, & craſſi ſunt, atque candidi. Babylonii nigri ſunt, minoreſque. Hæc porro ita differit Dioſcorides, cujus ſententiam Matthiolus ſectatur quoad locum, ubi inveniuntur; quamvis nec vetus, neque recentior quiſpiam adſit, qui nardum in paludibus inveniri teſtetur, ſed potius in montibus, & locis ſiccis.

GALBANUM BONI ODORIS.] Scilicet, aromaticum. Galbanum [2] ſuccus eſt per inciſionem e planta eductus, quæ ſimilis eſt ferulæ, & creſcit in Syria, ſuper montem *Amanum*. Odor illius non admodum jucundus eſt, præſertim cum ſolus. Sapore acri eſt, & amaro, atque odore vehementi. Melius in lacrymas fluit pulchras, putaſque. *Galbanum* fluit ex hebraica voce *chalbanah*.

E THUS LUCIDISSIMUM [3].] Thus eſt ſuccus odorus, qui per inciſionem ex arboris trunco educitur, quæ præcipue in regione Saba oritur in Arabia Felici. Regio hæc Minæorum eſt finitima regioni, qui primum inveniſſe dicuntur modum incidendi arbores, ut inde thus eliceretur. Thus maxime purum, lucidiſſimum, atque optimum ex arbore ſponte egreditur, atque ſuper parvulas crates defluit, quæ ſubſternuntur.

ÆQUALIS PONDERIS ERUNT OMNIA.] Quidam Hebraicum textum [4] ita intelligunt: *ponentur ſingula ſsrſim iu pulverem redacta*. Chaldaice: pondus erit in pon-

---

1 נטף. Στάκτη.
2 חלבנה סמים.
3 לבנה זכה.
4 בד בבד יהיה. Ad litteram: *Solum cum ſolo erit*.

in pondere. Septuaginta [1], *æquale erit æquali*. Syriace; *ſingula ſicli pondere*. Tantumdem ex uno erit, quantum ex alio. Hebræi dicunt, 70. vel 74. libras e ſingulis ſpeciebus adhibitas fuiſſe.

℣. 35. FACIESQUE THYMIAMA COMPOSITUM OPERE UNGUENTARII] Veteres quorumdam thymiamatum apud Ægyptios in uſu poſitam referunt compoſitionem. Dioſcorides l. 1. c. 24. loquitur de aromate, cui nomen *Kuphi*, cujus odor maxime Diis gratus habebatur, & quo plurimum Sacerdotes utebantur. Ex decem aromatibus componebatur. Plutarchus alius meminit thymiamatis, quod ex ſexdecim diverſis ſpeciebus aromatum fiebat; atque ait, hoc ſolemne Sacerdotibus Ægyptiis fuiſſe, ut ter quotidie odores Iovi adolerent; reſinam mane, myrrham meridie, & *Kuphi* veſpere. Cum thymiama *Kuphi* C appellatum componitur, id cum omnibus ceremoniis, ſummaque reverentia peragitur; illudque componentibus Litteræ Sanctæ recitantur [2]. Numerus ſexdecim, qui ex quatuor in ſe ductis quadratus exiſtit, myſticus habebatur, uti hic author contendit. Moyſes quatuor tantum thymiamatum ſpecies memorat, quorum docet compoſitionem; & Philo de hæred. divin. quatuor hæc aromata quatuor credidit ſignificare elementa.

MIXTUM DILIGENTER, ET PURUM, ET SANCTIFICATIONE DIGNISSIMUM.] Hebraicus textus [3] ad litteram: *Quod erit ſalitum, purum, & ſanctum*. Septuaginta [4]: *Mixtum erit, purum, & res ſancta*. Interpretes quidam [5] credunt in hujus aromatis compoſitione ſalem admixtum fuiſſe. Nec deſunt, qui ſalem Sodomorum ſpecificent, credantque immixtio- A nem hanc fuiſſe factam, ut legi obtemperaretur quæ cavet, ne ſacrificium ullum ſine ſale offeratur Levit. 2. 13. *Quidquid obtuleris ſacrificii, ſale condies*. Verum vertere mallem: *Facies* (cum his aromatibus) *balſamum* (vel thymiſma) *purum, & ſanctificatum*. Verbum *memulach* deduco a verbo *malach*, quod ſignificat ſalire, balſamo condire, aromatizare. Græce quoque aliquando ſalire uſurpatur pro balſamo condire. Nequaquam probabile eſt, ſalem in thymiamate conficiendo adhibitum fuiſſe; neque enim ille bonum ullum odorem conferre potuiſſet; neque ulla ratio eſt analogiæ, ut dicas in aromatibus quoque adhibitum fuiſſe, quoniam in ſacrificiis offerebatur. Cauſa, propter quam in placentis ſal neceſſario requiritur, in panibus, carnibuſque, hæc in aromatibus eſt nulla. Maimonides ipſe refert, ſalem nequaquam fuiſſe permixtum in victimarum ſanguine, ac in liquoribus, qui ſuper aram effundebantur.

℣. 36. PONES EX EO CORAM TABERNACULO TESTIMONII.] Hoc thymiama ſemper erat profecto ſuper thymiamatum menſam; ſed veſpere tantum, & mane cremabatur. Joſephus Antiq. l. 3. c. 6. ait ſuper panes propoſitionis duas fuiſſe phialas, vel aureas lances refertas thure.

Clericus credit, illud fuiſſe thymiama, de quo hic ſermo: Verum hoc ergo quotidie mane comburebatur.

SANCTUM SANCTORUM ERIT VOBIS THYMIAMA.] Vulgata, & Septuaginta addunt vocem *thymiama*, quæ hebraice non extat. Vide quæ dicta ſunt ad ℣. 10.

1 Ἴσον ἴσῳ ἔσται.
2 Plutarch. de Iſide, & Oſiride.
3 ממלח טהור קדש
4 Μεμιγμένον, καθαρὸν, ἔργον ἅγιον.
5 Maimonid. in Ainſw. & alii.

CAPUT XXXI.

Beſeleel, & Ooliab in Tabernaculi constructionem deſtinantur. Leges pro Sabbathi obſervantia. Duæ Tabulæ Legis traditæ Moyſi.

1. LOcutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: 2 Ecce, vocavi ex nomine Be-
ſeleel filium Uri filii Hur de tribu Juda, 3 Et implevi eum ſpiritu Dei, ſa-
pientia, & intelligentia, & ſcientia in omni opere, 4 Ad excogitandm quid-
quid ſabrefieri poteſt ex auro, & argento, & ære. 5 Marmore, & gemmis, & diver-
ſitate lignorum. 6 Dedique ei ſocium Ooliab filii Achiſamech de tribu Dan. Et in
corde omnis eruditi poſui ſapientiam: ut ſaciant cuncta, quæ præcepi tibi. 7 Taber-
naculum fœderis, & arcam teſtimonii, & propitiatorium, quod ſuper eam eſt, & cun-
cta vaſa tabernaculi, 8 Menſamque & vaſa ejus, candelabrum puriſſimum cum vaſis ſuis,
& altaria thymiamatis, 9 Et holocauſti, & omnia vaſa eorum, labrum cum baſi ſua,
10 Veſtes ſanctas in miniſterio Aaron ſacerdoti, & filiis ejus, ut fungantur officio in ſa-
cris, 11 Oleum unctionis, & thymiama aromatum in Sanctuario, omnia quæ præcepi
tibi, facient. 12 Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: 13 Loquere filiis Iſra-
el, & dices ad eos: Videte, ut ſabbatum meum cuſtodiatis: quia ſignum eſt inter me,
& vos in generationibus veſtris: 14 Cuſtodite ſabbatum meum, ſanctum eſt enim vo-
bis: qui polluerit illud, morte morietur: qui fecerit in eo opus, peribit anima illius de
medio populi ſui. 15 Sex diebus facietis opus: in die ſeptimo ſabbatum eſt, requies
Sancta Domino; omnis, qui fecerit opus in hac die, morietur. 16 Cuſtodiant filii
Iſrael ſabbatum, & celebrent illud in generationibus ſuis: Pactum eſt ſempiternum. 17
Inter me, & filios Iſrael, ſignumque perpetuum: ſex enim diebus fecit Dominus cœlum,
& terram, & in ſeptimo ab opere ceſſavit. 18 Deditque Dominus Moyſi, completis
hujuſcemodi ſermonibus in Monte Sinai, duas tabulas Teſtimonii lapideas, ſcriptas digi-
to Dei.

℣. 2. VOCAVI EX NOMINE BESELEEL.] Deſignavi, elegi nominatim, illum ad opus hoc conſtitui. Locutio hæc; *cognoſcere aliquem ex nomine*, ſignum eſt favoris, peculiariſque benevolentiæ. Deus dixit Moyſi Exod. 33. 12. *Novi te ex nomine, & invenisti gratiam coram me*. Ex Iſaia cap. 43. 1. patet, quod vocare aliquem ex nomine, vel nomen alicui imponere, ſignificat, eum ſibi in famulum aſſumere. Domini ſervis ſuis nomina immutabant, Dan. 1. 7. Pſ. 146. 4.

℣. 3. IMPLEVI EUM SPIRITU DEI &c.] Veteres Deo accepta referunt talenta tum naturalia, cum acquiſita, ſicuti oſtendimus alibi. Seneca lib. 4. de Benef. cap. 4. *Inſita nobis omnium artium ſemina; magiſterque ex occulto Deus producit ingenia*. Homerus quoque Odyſſ. Z ait: *Hominem callidum*, ab ipſo Vulcano, & Pallade edoctum, facere quodcumque vult, & eximia opera perficere.

℣. 4. EX AURO, ET ARGENTO, ET ÆRE.] Septuaginta addunt: *opera e lana colore hyacinthino, purpureo, coccineo neto, & byſſo retorta*.

℣. 5. MARMORE, ET GEMMIS, ET DIVERSITATE LIGNORUM.] Hebræus [1]: *In operibus e lapidibus ad committendum, & in operibus ligni &c.* Sanctus Hieronymus hebraicam vocem *eben*, quæ ſignificat lapidem, intellexit, perinde ac omne marmoris, lapidumque pretioſorum genus ſignificaret. Septuaginta [2] quoque in eadem extenſione illam accepiſſe videntur, cum tranſtulerint: *In omnibus operibus e gemmis*. Sed Hebraicus textus perſpicue eamdem determinat, ut ſignificet opus tantum in lapidibus pretioſis, qui auro, vel argento committuntur. Nullum marmoris opus fuit in Tabernaculo.

℣. 6. IN CORDE OMNIS ERUDITI POSUI SAPIENTIAM.] Heſychius obſervat, Veteres nominare ſapientiam quodvis artium genus; & Ariſtoteles l. 6. Ethic. cap. 7. oſtendit ſapientis nomen conceſſum fuiſſe cuique in arte ſua eruditiſſimo. Hinc Phydias *ſapiens ſculptor* appellabatur. Origenes homil. 12. in Numer. ſapientiæ nomen artificibus traditum, iis tantum coarctare videtur, quorum ars utilis eſt ad vitam. Seneca epiſt. 90. palam ait artem telarum, pannorumque texendorum ſapientum fuiſſe adinventum: *Textricum quoque artem a ſapientibus inventam*. Denique Sanctus Chryſoſtomus hom. 34. in Ep. 1. ad Corinthios, artem telas texendi ſapientiam vocat.

℣. 7. CUNCTA VASA TABERNACULI.] Vaſa accipiuntur pro quovis rerum genere, velati tabularum, velorum, menſarum, inſtrumentorum.

℣. 8. CANDELABRUM PURISSIMUM.] Clericus vertit: *Candelabrum lucens* [3]. Alii: Candelabrum, quod Sacerdotes ſervare debent mundum, & micans. Candelabro puri, mundique epithetum tribuitur, Exod. 39. 37. Levit. 24. 4.

℣. 10. VESTES SANCTAS IN MINISTERIO AARON.] Hebræus [4]: veſtes miniſterii, & veſtes ſanctitatis Aaron. Priores denotant, conſuetas Aaronis veſtes, juxta quoſdam Interpretes; poſteriores vero ſignificant veſtes ſacras, quibus utebatur in Tabernaculo. Aliis autem placet, *veſtes miniſterii* ſignificare involucra, ac velamina, quibus Tabernaculi vaſa in itineribus operiebantur &c. *Veſtes ſanctitatis*, vel *Sanctuarii*; veſtes ſacras, quibus, cum Sacerdotii munere fungeretur Aaron, induebatur.

℣. 11. IN SANCTUARIO.] Verti poſſet: in uſum Sanctuarii, vel pro ſanctitate. *Oleum unctionis* &c. (vide Exod. 30. 23.) *thymiama aromatum* (Exod. 30. 34.) Hæc omnia in uſum Tabernaculi.

℣. 14. CUSTODITE SABBATHUM MEUM ℣. 15. SEX DIEBUS FACIETIS OPUS.] Nonnulli putant hic ellypſim adeſſe, atque locum hunc in eo ſenſu eſſe intelligendum: Fac, ut artifices, quos conſtitui, in opus Tabernaculi incumbant; ſed ſabbathi die labore vacent. Verum ſenſus hic nimis remotus eſt: & præſtat explicare de generali interdicto, atque reiterato, ne quis die ſabbathi opus exerceat. *Moriëtur*. Sabbathi Lex mortis crimine obligabat; verum opus erat, ut reus criminis convictus a Judicibus damnaretur.

℣. 16. PACTUM EST SEMPITERNUM.] Oſtendimus alibi (Vide Exod. 20. 8. & Geneſ. 11. 3.) ſabbathum fuiſſe ſignum a Deo conſtitutum ad Iſraelitas ab aliis populis diſtinguendos.

℣. 18. DEDITQUE DOMINUS MOYSI DUAS TABULAS TESTIMONII LAPIDEAS, SCRIPTAS DIGITO DEI.] In caput 25. 12. adnotavimus, cur hæ Tabulæ vocentur *Tabulæ Teſtimonii*. Quæ ſequuntur, *ſcriptas digito Dei*, innuere poſſunt eas manu Dei ipſius exaratas fuiſſe, vel ſolum de mandato illius, atque Angeli miniſterio; vel denique ſcriptas a Spiritu Sancto, qui in Scripturis Dei digitus appellatur; Exod. 8. 19. Luc. 11. 20. Dici nequit eas ſcriptas fuiſſe a Moyſe, quoniam Deus ſcriptas illi tradit. Vide, quæ in caput 34 1. dicemus.

---

1 בחרשת אבן למלאות ובחרשת עץ.
2 Ἐν τῷ λιθουργικῷ δὲ ἔργῳ.
3 המנורה הטהורה.
4 את בגדי השרד ואת בגדי הקדש.

C A-

CAPUT XXXII.

Populus vitulum aureum adorat. Moyſes de monte deſcendit, Legis tabulas frangit, vitulum aureum in pulverem redigit : reprebendit Aaronem, & Levitarum adminiculo viginti tria Iſraelitarum millia, qui Idolum fuerant venerati, occidit. Montem rurſus aſcendit.

1. VIdens autem populus, quod moram faceret deſcendendi de monte Moyſes,
congregatus adverſus Aaron, dixit : Surge, fac nobis deos, qui nos præce-
dant : Moyſi enim huic viro, qui nos eduxit de terra Ægypti, ignoramus,
quid acciderit. 2 Dixitque ad eos Aaron : Tollite inaures aureas de uxorum, filio-
rumque, & filiarum veſtrarum auribus, & afferte ad me. 3 Fecitque populus, quæ
juſſerat, deferens inaures ad Aaron. 4 Quas, cum ille accepiſſet, formavit opere fu-
ſorio, & fecit ex eis vitulum conflatilem, dixeruntque : Hi ſunt dii tui, Iſrael, qui te
eduxerunt de terra Ægypti. 5 Quod cum vidiſſet Aaron, ædificavit altare coram eo,
& præconis voce clamavit, dicens : Cras ſolemnitas Domini eſt. 6 Surgenteſque ma-
ne, obtulerunt holocauſta, & hoſtias pacificas, & ſedit populus manducare, & bibere,
& ſurrexerunt ludere. 7 Locutus eſt autem Dominus ad Moyſen, dicens : Vade, de-
ſcende ; peccavit populus tuus, quem eduxiſti de terra Ægypti. 8 Receſſerunt cito de
via, quam oſtendiſti eis : feceruntque ſibi vitulum conflatilem, & adoraverunt, atque
immolantes ei hoſtias, dixerunt : Iſti ſunt dii tui, Iſrael, qui te eduxerunt de terra Æ-
gypti. 9 Rurſumque ait Dominus ad Moyſen : Cerno, quod populus iſte duræ cer-
vicis ſit : 10 Dimitte me, ut iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciam-
que te in gentem magnam. 11 Moyſes autem orabat Dominum Deum ſuum, dicens :
Cur, Domine, iraſcitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxiſti de terra Ægy-
pti, in fortitudine magna, & in manu robuſta? 12 Ne quæſo dicant Ægyptii : Calli-
de eduxit eos, ut interficeret in montibus, & deleret e terra : quieſcat ira tua, & eſto
placabilis ſuper nequitia populi tui. 13 Recordare Abraham, Iſaac, & Iſrael ſervo-
rum tuorum, quibus juraſti per temetipſum, dicens : Multiplicabo ſemen veſtrum ſicut
ſtellas cœli : & univerſam terram hanc, de qua locutus ſum, dabo ſemini veſtro, &
poſſidebitis eam ſemper. 14 Placatuſque eſt Dominus, ne faceret malum, quod locu-
tus fuerat adverſus populum ſuum. 15 Et reverſus eſt Moyſes de monte, portans duas
tabulas teſtimonii in manu ſua, ſcriptas ex utraque parte, 16 Et factas opere Dei :
ſcriptura quoque Dei erat ſculpta in tabulis. 17 Audiens autem Joſue tumultum po-
puli vociferantis, dixit ad Moyſen : Ululatus pugnæ auditur in caſtris. 18 Qui reſpon-
dit : Non eſt clamor adhortantium ad pugnam, neque vociferatio compellentium ad fu-
gam : ſed vocem cantantium ego audio. 19 Cumque appropinquaſſet ad caſtra, vidit
vitulum, & choros : iratuſque valde, projecit de manu tabulas, & confregit eas ad ra-
dicem montis : 20 Arripienſque vitulum, quem fecerant, combuſſit, & contrivit uſ-
que ad pulverem, quem ſparſit in aquam, & dedit ex eo potum filiis Iſrael. 21 Di-
xitque ad Aaron. Quid tibi fecit hic populus, ut induceres ſuper eum peccatum maxi-
mum? 22 Cui ille reſpondit : Ne indignetur Dominus meus ; tu enim noſti populum
iſtum, quod pronus ſit ad malum : 23 Dixerunt mihi ; Fac nobis deos, qui nos præ-
cedant : huic enim Moyſi, qui nos eduxit de terra Ægypti, neſcimus, quid acciderit.
24 Quibus ego dixi : Quis veſtrum habet aurum? Tulerunt, & dederunt mihi : & pro-
jeci illud in ignem, egreſſuſque eſt hic vitulus. 25 Videns ergo Moyſes populum,
quod eſſet nudatus (ſpoliaverat enim eum Aaron propter ignominiam ſordis, & inter
hoſtes nudum conſtituerat) 26 Et ſtans in porta caſtrorum, ait : Si quis eſt Domini :
jungatur mihi. Congregatique ſunt ad eum omnes filii Levi : 27 Quibus ait : Hæc di-
cit Dominus Deus Iſrael ; Ponat vir gladium ſuper femur ſuum : ite, & redite de por-
ta uſque ad portam per medium caſtrorum, & occidat unuſquiſque fratrem, & amicum,

& pro-

& proximum ſuum. 28 Feceruntque filii Levi juxta ſermonem Moyſi, cecideruntque
in die illa quaſi viginti tria millia hominum, 29 Et ait Moyſes : conſecraſtis manus ve-
ſtras hodie Domino, unuſquiſque in filio, & in fratre ſuo, ut detur vobis benedictio.
30 Facto autem altero die, locutus eſt Moyſes ad populum : Peccaſtis peccatum maxi-
mum : aſcendam ad Dominum, ſi quo modo quivero eum deprecari pro ſcelere veſtro.
31 Reverſuſque ad Dominum, ait ; Obſecro, peccavit populus iſte peccatum maxi-
mum, feceruntque ſibi deos aureos ; aut dimitte eis hanc noxam ; 32 Aut ſi non fa-
cis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti. 33 Cui reſpondit Dominus : Qui peccave-
rit mihi, delebo eum de libro meo : 34 Tu autem vade, & duc populum iſtum, quo
locutus ſum tibi : angelus meus præcedat te. Ego autem in die ultionis viſitabo & hoc
peccatum eorum. 35 Percuſſit ergo Dominus populum pro reatu vituli, quem fecerat
Aaron,

℣. 1. CONGREGATUSQUE ADVERSUS AARON.] Verti poſſet ſimpliciter [1] : *Congregatus apud Aaron* ; ſed omnis adeſt probabilitas, tumultu facto, atque inita ſeditione ad eum acceſſiſſe. Aaron id innuit, cum Moyſi reſpondet verſic. 22. 23. *Tu enim noſti populum iſtum, quod pronus ſit ad malum*. Sanctus Auguſtinus legit : *Conſurrexit* ; contra Aaronem elatus eſt.

FAC NOBIS DEOS, QUI NOS PRÆCEDANT.] Hebraica vox [2] *Elohim* eſt in plurali ; & ſeditioſi hi viri ita loquuntur, Aaronem exoraturi, ut quædam idola ipſis conſtituat illis ſimilia, quæ viderant in Ægypto, quin aliquid diſtinctius innuant. Plurimi [3] putant, eos nomine *deorum* intellexiſſe verum Deum, atque ſub aurei vituli ſpecie ipſos Deum verum referre voluiſſe, cum quo per Moyſen fœdus inierant. Hi Authores impelli nequeunt, ut Iſraelitas adeo ingratos fuiſſe arbitrentur, ut celerius adeo Domini obliviſcerentur, qui eduxerat eos de Ægypto, atque crederent Deum hunc eſſe vitulum. Toſtatus aliter adhuc explicavit : *Fac nobis Deum, qui nos præcedat* : neque enim volumus homines in duces ; nam Moyſes ipſe, in quo ſpes omnis repoſita fuerat, evanuit, nec quid de eo factum fuerit, cognovimus.

℣. 2. TOLLITE INAURES AUREAS DE UXORUM, FILIORUMQUE AURIBUS.] Hinc cognoſcere licet, pueros quoque deferre conſueviſſe inaures, non ſecus ac mulieres. Vide Judic. 8. 24. Exod. 35. 22. Ezechiel. 7. 20. Plinius lib. 11. cap. 37. obſervat morem hunc in Oriente communem eſſe : *In Oriente quidem, & viris aurum portare eo loci decus exiſtimatur*. Vide etiam Xenophon. lib. 1. cap. 8. Cyropæd. Septuaginta non legere vocem *filiorum*. Sanctus Ambroſius legit : *Tollite annulos, & inaures*. Aaron populi ardorem hoc poſtulato imminutum iri arbitrabatur, uti S. Auguſtino placet quæſt. 141. in Exod. & Theodoreto qu. 66.

℣. 4. FORMAVIT OPERE FUSORIO, ET FECIT EX EIS VITULUM CONFLATILEM.] Hebraicus textus [4] ad litteram : *Formavit illis* vitulum *cœlo*, *& fecit vitulum conflatilem*. Primum compingi curavit typum ex argilla, in quem deinde fudit metallum pro vitulo ; vel omne fudit aurum, eoque in maſſam redacto, cœlo vitulum elaboravit, illique formam tribuit. Septuaginta [5] : *Aaron illis* vitulum *delineavit ſtylo*, vel cœlo, vel pennicillo ; *& fecerunt vitulum conflatilem*. Rabbini quidam aſſerunt, Aaronem primum effinxiſſe vitulum ligneum, vel lapideum, ac deinde laminis

A aureis illum obduxiſſe, vel ut obduceretur *cruſtâ* : ſed hæc ſententia palam refellitur, tum a textu verſic. 24. ubi Aaron ait, auro, quod de manibus filiorum Iſrael acceperat, in ignem, impoſito, inde aureum vitulum emerſiſſe ; eum ab hoc ipſo verſic. 4. ubi palam aſſeritur factum fuiſſe *opere fuſorio*. Chaldæus Onkelos vertit ; בְּנִיפָא *fecit in ſirgine, & vitulum conflavit* ; perinde ac innuere vellet, primum in formas fuiſſe fuſum, deinde vero cœli ope illum lævigaſſe. Seldenus de Diis Syr. Syntag. 1. cap. 4. conjicit, Aaronem cœlo uſum fuiſſe, ut in vitulo eas incideret notas, quibus *Apis* diſtinguebatur ; notam ſcilicet albam, & quadratam in fronte, decuſſatamque figuram in latere. Adſunt etiam, qui dicunt, Aaronem in formas fundere vitulum noluiſſe,
B ut opus in tempus traheret cunctando, atque ut in Idolo hoc nihil exquiſitum eſſet, nihil ſpecioſum quoad formam. Rabbini apud Munſterum e contra aſſerunt nullam prætermiſiſſe curam, ut pulcherrimum, perfectiſſimumque redderet, ut intelligerent Hebræi, numen hoc, hunc vitulum ex ſe ipſo nullum habere meritum, nullam ſpeciem, & quidquid in ipſo erat, ab Aarone ipſo acceptſſe.

Jonathan modo ſatis peculiari Textum vertit : *Accepit inaures e manibus eorum, eaſque poſuit in crumenam* (in ſacculum, in pannum) *& conflavit vitulum*. Bochartus de Animal. ſacr. par. 1. lib. 2. c. 34. verſionem hanc probavit, quæ præ cæteris, quas attulimus, maxime litteralis videtur. Argumenta porro ſunt iſthæc. Primo, hebraica vox חרט *Che-*
C *reth*, quam alii cœlum, alii typum vertunt, ſignificat forſitan aliquando cœlum ; ſed nullum adeſt argumentum, quo typum ſignificare probetur ; atque in loco hoc deſumi nequit pro cœlo, quandoquidem certum eſt, vitulum hunc fuiſſe conflatilem ; quo in operum genere cœlo opus non eſt, niſi ad lævigandum ; ideoque adhibitum nequaquam fuit, ut formam tribueret, quod eſſet dicendum, ſi verſionem eam velles amplecti, quæ cœlum ponit. Secundo, vox hæc *chereth* ſignificat procul dubio ſacculum, vel crumenam, vel ſudariolum, pannum lineum, quarto libro Regum cap. 5. 23. *Ligavit in duobus ſaccis*. Hebr. *Ligavit in duobus Cheritim*. Vide Sanctum Lucam 19. 20. *Ecce mna tua, quam habui repoſitam in ſudario* ; & fortaſſe etiam in Iſaia 3. 22. *Lintea-*
D *mina, & acus*. Hebr. *Linteamina, & Cheritim*. Tertio, hebraicum zur צור ſignificat *ligavit, clauſit, poſuit in ſacculo*, uti deprehendere licet ex pluribus Scripturæ locis, Deuteronom. 14. 25. *Portabiſque manu tua*. Hebr. *Ligabis in manu tua*. Item 4. Regum

1 ויקהל העם על אהרן.
2 אלהים אשר ילכו לפנינו.
3 Menoch. Cornel. a Lap. Epiſcop. apud Spencerum l. 1. de legib. Hebr. ritual.
4 ויצר אתו בחרט ויעשהו עגל מסכה.
5 Ἔπλασεν αὐτὸ ἐν τῇ γραφίδι, καὶ ἐποίησεν αὐτὸ μόσχον χωνευτόν. Videntur autem Aaroni vituli tantum tribuere graphidem ; ſed alia exemplaria legunt ἐχώνευσε, *conflavit vitulum*. Alius Interpres : Ἐν τέχνῃ, *in arte* ; ut oſtenderet, ipſum effinxiſſe, atque elaboraſſe cum induſtria ad imitationem bovis Apis, ait Scholiaſtes : Διέπλασεν τὸν μόσχον, καὶ τορεύσας αὐτόν.

gum 12. 'to. *Effundebantque, & numerabant pecuniam*. Hebr. *Et ligabant, & numerabant pecuniam*. Id quoque, quod capite octavo Judicum verſ. 25. legimus Gedeonem in veſte humi ſtrata accepiſſe inaures, quas populus in medium attulit, ut inde Ephod fieret, impellere poteſt, ut credas, Aaronem etiam feciſſe ſimiliter; & primum quidem in veſte aurum accepiſſe, quod poſtea ab artificibus ea in arte peritis conflari curavit. Quurto denique, Moſaycæ narrationis ordo innuit, Aaronem nequaquam cœlo fuiſſe uſum, antequam funderetur vitulus: nam Vulgatæ verſioni adhærendo dicendum eſſet, ipſum cœlo prius expoliviſſe, antequam fudiſſet in formas; quod recto ſenſui adverſatur. Igitur ſi naturalem ordinem in narratione ſua perſecutus eſt Moyſes, exiſtimandum eſt, Aaronem primum quidem in panno quoppiam collatum aurum excepiſſe, ac deinde fudiſſe, ac vitulum conflaſſe.

Dubio locus non eſt, quin Hebræi imitari voluerint cultum, quo Ægyptii Deum Apim venerabantur, cum aureum vitulum effinxerunt. Hæc veterum plurimorum eſt ſententia, ac recentiorum fere omnium. S. Ambroſius ep. *66.* nov. edit. ad Romulum, S. Hieronymus in cap. 4. Oſeæ, S. Auguſtinus contra Fauſtum l. 22. c. 93. & alii pene innumeri ſententiam hanc ſecuti ſunt, cujus S. Stephanus in Actis c. 7. 39. 40. 42. author extitiſſe videtur: *Averſi ſunt cordibus ſuis in Ægyptum .... & vitulum fecerunt in diebus illis*. Conſtat autem Ægyptios adoraſſe *Apim* ſub ſpecie Bovis, vel Vituli, quemadmodum illum appellant Herodotus l. 3. c. 38. & Euſebius. Hiſtorici veteres, qui de rebus Ægyptiorum ſcripſerunt, paſſim hiſtoriam Apis referunt, & hoc numen deſcribunt. Similitudo, quæ animadvertitur inter aureum vitulum, & bovem Apis, fortuito evenire nequaquam potuit; neque afferi poteſt, ex Hebræis Ægyptios ſuperſtitionem hanc didiciſſe; nam antequam Iſraelitæ de Ægypto egrederentur, Ægyptii ea venerabantur animalia, quæ ſacrificabant Hebræi; Exod. 8. 25. 26. & procul dubio inter Ægyptiorum ſuperſtitiones nihil cultum Apis præceſſit. Non realem tantum, vivumque bovem colebant, ſed illius imaginem in Templis quoque aſſervabant, ſi Porphyrio l. 2. de abſtinentia Straboni l. 17., & Melæ l. 1. c. 8. ulla ſit fides.

Philo l. 3. de vita Moſ. arbitratus eſt, Iſraelitas feciſſe aureum vitulum, ut imitarentur cultum, quo Tiphœum venerabantur Ægyptii; verum [1] Tiphœum pro Oſiride accipere error eſt huic Authori familiaris. Tiphœus ſub hippopotami ſpecie repræſentabatur, non autem ſub ſpecie bovis. Ægyptii Tiphœum veluti noxium numen [2] abominabantur. Joſephus hiſtoriam hanc de vituli cultu diſſimulavit. Philo l. 3. de vita Moſis crimen in paucos quoſdam inconſtantis fidei rejecit. Rabbini quidam malum omne vitio verterunt Proſelytis quibuſdam Ægyptiis, qui Hebræos ſecuti fuerant, & nationis ejuſdem Magis, qui contra Aaronis intentionem vitulum hunc conflavere. Sed hæc omnia Scripturis adverſantur, quæ hoc crimine univerſum populum arguunt, excepto numero quodam Levitarum, qui ſe ſe cum Moyſe conjunxerunt, ut eos omnes occiderent, qui obvii eſſent in caſtris. Vide inferius ℣. 27.

Plures a priſcis Patribus crediſſe videntur, Aaronem nequaquam vitulum integrum, ſed vituli tantum caput perfeciſſe. Lactantius l. 4. c. 10. de vera Sapientia ait, Hebræos, cum imitari vellent profanos Ægyptiorum ritus, aureum feciſſe vituli caput, cui nomen Apis, ut ante ipſos velut vexillum præcederet. *Ad profanos Ægyptiorum ritus animos tranſtulerunt .... aureum caput bovis, quem vocant Apim, quod eos ſigno præcederet, figurarunt*. Tertullianus adverſus Judæos c. 1. eodem loquitur pacto: *Cum præceſſiſſet eis bubulum caput*. De vitulo aureo ſub capitis vitularis nomine loquuntur etiam S. Hieronymus in Oſeæ 4. *in Eremo vituli conflaverunt caput*. S. Auguſtinus in Pſalm. 41. *Caput vituli corpus erat impiorum*. S. Ambroſius Epiſt. ad Romul. Optatus Melivetan. l. 3. *Temporibus Moyſis populus caput vituli coluit*. S. Iſidorus l. 8. origin. c. 11. *Hujus capitis imaginem ſibi in eremo fecerunt*. Dicunt enim Iſraelitas ſibi conflaſſe, ac veneratos eſſe caput vituli; Moyſem fregiſſe illud; caput hoc impiorum corpus denotaſſe; feciſſe ſibi imaginem, quæ caput Apis referret. Non me fugit, Interpretom pleroſque has Patrum locutiones de integro vitulo explicare; ac fateor in Linguis cum Græca, tum Latina hanc loquendi rationem frequenter uſurpari, *caput bovis* pro bove, *duo vitulorum capita* pro duobus vitulis. Homerus exempli gratia Iliad. Ψ dicit, Achillem imperaſſe, ut coram ipſo equi, muli, & *fortia boum capita* adducerentur, ut victores donaret in iis ludis, quibus Patroclo parentaverat. Virgilius quoque *Æneid.* 5. ait, Aceſtem in ſingulas Æneæ naves bina fortia taurorum capita dono dediſſe.

Bina boum vobis Troja generatus Aceſtes
Dat numero capita in naves.

Sed ægre impellar, ut exiſtimem Patres conſtanter adeo locutione hac uti voluiſſe, ſine alio conſilio, quam bovis ſignificandi, vel vituli. Poetæ equidem locutionibus his utuntur crebro, quas adnotavimus; ſed in ſoluta oratione raro inveneris, ac præſertim in Eccleſiaſticorum Authorum libris, quorum ſtylus ſimplicior eſt, ac temperantior, quam Authorum profanorum oratio: & preterea hec loquendi ratio ſepius occurrit adeo, eamque plurimi adeo amplectuntur, ut maxima veritatis ſpecies adſit, eam ad litteram eſſe intelligendam, vel illi explicationem tribuendam eſſe, quæ SS Patrum expreſſioni maxime conformis ſit. S. Ambroſius exempli ergo, ter in epiſtola *66.* ad Romul. eamdem hanc repetit locutionem, *caput vituli*, quin uſpiam dicat, quod maxime naturale eſſet, aureum vitulum. *Annulos, & inaures in ignem miſit, & conflatum eſt vituli caput*; & inferius paulo: *Cur autem vituli caput exierit, ſequentia docent*; ac deinde: *Cujus rei indignitate perterritus .... comminuit vituli caput*. Mallem igitur credere, per nomen hoc capitis vituli, intelligendam eſſe humanam figuram, ſed cum bovis, aut vituli capite. Ægyptiis, quorum ſuperſtitionem hac in re Hebræi ſunt imitati, ſicuti alibi dictum eſt, non aliter numina pingebantur. Jupiter Ammon cum Arietis capite repræſentabatur, & cornibus, quod erat Regni ſui nota. *Umbilico tenus arieti ſimilis eſt*; Q. Curtius ait l. 4. Et Lucanus l. 9.

.... Stat tortis cornibus Ammon;

Et Ovidins Metamorph. l. 5. fab. 5.

.... Duxque gregis fit Jupiter: inde recurvis
Nunc quoque formatus Lybis eſt cum cornibus Ammon.

Oſiris, & Bacchus cum cornibus, & bovis capite pingebantur. Mercurius, & Anubis, cum canis capite: *Latrator Anubis*, Virgilius ait Æneid. 8. ubi Servius animadvertit, illi canis caput imponi conſueviſſe, quia canis omnium animalium eſt ſagaciſſimus. Deæ Iſis, & Io cum vaccæ capite, & cornibus referebantur teſte Herodoto l. 2. c. 31. Aſtartia Phœnicum Dea ſimiliter bovis caput cum cornibus deferebat, ut docet Sanchoniaton apud Euſeb. Præparat. l. 1. c. ult. Elurus felis habebat caput; Apollo accipitris, Hecates canis, Minerva eluri. Denique Ægyptiorum numina non aliter repræſentabantur, uti obſervant Porphyrius, de Abſtinen. lib. 4. ſect. 9. & S. Athanaſius orat. contra Gentes n. 9. & eæ imagines, quæ ad nos uſque pervenerunt, & in curioſorum muſæis aſſervantur, hujus formæ plerumque ſunt. Itaque arbitror, cum Hebræi imitari voluerint cultum Deorum Ægyptiorum vitulum aureum adorantes, & Patres de hoc idolo ſub nomine capitis bubuli locuti fuerint; arbitror, inquam, vitulum hunc eſſe; potuiſ-

1 Euſeb. Præpar. l. 3. c. 12.
2 Plutarch. de Iſide,

potuiſſe imaginem humana forma præditum, com vituli, vel bovis capite. Aurei Ieroboam vituli, qui ud imitationem Ægypsiorum, vel Phœnicum Deorum erant conflasi, habebant procul dubio ſimilitet bovis capur, & hominis corpus.

Moncejus in duobus libris de Aarone purgato adniſus eſt, ut oſtenderet, uureum vitulum, quem conflavit Aaton, fuiſſe penitus ſimilem Cherubim; quibus ſalſo contendit conſediſſe Deum, cum ſe ſe prodidit Moyſi in Monte Sinai. Hi Cherubim, juxta ipſom, erant veluti alati boves; urque ſecundum hanc graphidem Legislator deinceps propitiatotii Chernbim elaboraodos curavit. Vult autem peccatum Aaronis in eo poſitum fuiſſe, non quod vitulum conflaſſet; vel popoli ſcelur, non quod illum veneratus fuiſſet, eo quod Angelum Domini repræſentaret, vel ipſum Deum, cujus thronum Cherubim conſtituebant; ſed in eo, quod Aaron populo huic occaſionem præbuiſſes vitulum hunc ſuperſtitioſa, ac idololatra adoratione colendi. Author hic præterea contendit, vitulos, quos fecit Ieroboam poſt decem triboum ſeparationem, veros fuiſſe Cherubim, ſub quorum imagine verum Deum adorabant; & neque Ieroboam, neque Tribus reliquiſſe veri Dei cultum in vitulorum abeuntes adorationem; ſed dumtaxat ſchiſma feciſſe, ſe a fratribus ſuis ſejungendo, qui Hieroſolymæ eumdem Deum Cherubim inſidentem venerabansur. Sententiam hanc plurima eruditione, ac majori prolixitate tuetur; verum inficias ire nemo ruſit, nihil non abſurdum eſſe, falſum, uc temerarium; qua peopter Romani Pontifices illi aqua, & igni merito interdixerunt. Viſorius eum confutat in libro ud id Pariſiis edito anno 1629. Adiri quoque poteſt Vyeſius Ægyptiac. l. 2. & quod alibi diximus de aureis vitolis Ieroboam. Marſilius Ficinus credit Auronem facere modo voluiſſe Taliſmanum Veneris contra Scorpionis Martis influxus, qui Iudæis erant udverſi: atque etiam putat, Serpentem æneum Taliſmani ſpeciem fuiſſe. Opinionem hanc ſibi adopsavit Marshamus can. Ægypt. ſec. 9. p. 143. de ſerpento æneo: Opinionem ſane cacchinnis ſibiliſque excipiendam, nulloque argumento probandam.

In Alcorano Surata 20. legitur, aurei vitoli artificem *Alſamir*, vel *Alſamer* fuiſſe uppellatom, eumque a Moyſe anathemate fuiſſe percuſſum, atque extorrem vitam agere, ſemperque peregre peragrare damnatum. Alſamir hac ejectus ſententia terratum orbem luſtravit, cumque uliquis illi occurriſſet, ujebat: *Ne me tetigeris*. Nubiæ Geographus Part. 5. Clim. u. ex hoc *Alſamer* quoſdam Judæos originem habuiſſe dicit, quos Samaritanos appellant, Inſulæ rubri maris incolas; qui ſe ex eodem *Alſamer* originem ducere oſtendunt, cum obvio cuique dicant, *Ne me tetigeris*. Verum id omne, non ſecus ac ea, quæ de Judæis errantibus comminiſcuntur, Fabulis ſunt accenſenda.

Aaron in aurei vituli opus unum, vel plures adhibere potuit artifices; ad quod peragendum ſumma opus fuit feſtinatione; nam Moyſes quadragintu diebus dumtaxat in montu eſt immoratus; atque poſt uliquot tandem dies, populus diutinæ illius abſentiæ pertæſus propoſuit, ſibi Deum fieri, qui ipſos præcederet.

DIXERUNTQUE: HI SUNT DII TUI ISRAEL.] Superius adnotatum eſt, Septouginta tranſferre, *Iſraelitas ſibi vitulum conflaſſe*, Aaronem vero graphidem modo tribuiſſe. Verum quædam adſunt Septuaginta exemplaria, quibus innuitur, Aaronem graphidem delineaſſe, fuſum aurum in vitulum conflaſſe, utque populo edixiſſe, hunc Deum eſſe, qui Iſraelitas eduxerat de Ægypto: *fecit vitulum conflatilem, & dixit: hi ſunt Dii tui*. Denique aliqua udſunt exemplaria, quæ habent, uti Hebraice: *fecit vitulum .... & dixerunt*. Poſtrema hæc loqoendi ratio non ſolom in Vulgata extat, ac textu Hebraico, verum etiam in Samaritano, ac omnibus verſionibus, Syriaca iſtic hoc tantum peculiare habet, quod addit: *adoraverunt, atque dixerunt* &c. Interpretes quidam credunt Aaronem edixiſſe, vel edici juſſiſſe, per irriſionem: *Hi ſunt Dii tui* &c. En illud fictitium numen tuum, quod te de Ægypto deduxit. Verum impia hæc verba illis referre præſtat, qui ardentius viſibilem Deum efflagitaverant.

℣. 5. CRAS SOLEMNITAS DOMINI EST.] Hebraica vox Jehovah, quæ hic invenitur, Interpretes quoſdam [1] impulit, ut crederent Aaronis conſilium fuiſſe, vitulum quem fecerat, vero Deo conſecrandi, & ſolemnitatem, quam edixit, eo conſilio edixiſſe, ut Deus Jehovah coleretur, quem ſub vituli imagine adorari paſſus eſt, donec Moyſis reditum expectaret. His autem rationibus Aaronem juſtificare adnituntur. Addunt præterea [2] illum pro virili, re adhuc integra, adniſum fuiſſe, ut populum abſterreret ab eo conſilio, Deum e metallo ſibi conflandi; qua in re cum e voto non ceſſiſſet eventus, deinceps incubuit, ut illius cultum ad verum Deum reportaret. Rabbini ſine ulla probatione inquiunt, Aaronem tunc demum conſenſiſſe, ut Idolo ara extrueretur, cum Hur ſuis pedibus enecatum adſpexit, quod illis adverſari voluiſſet; ſed veritatis locus adſit; infirmitas, ac facilitas Aaronis hac in re nullam merentur excuſationem. Videmus in Deuteronomio 9. 20. Deum crimine illius irritatum, morte eum plectere voluiſſe, niſi Moyſes preces ad iram avertendum adhibuiſſet: *Adverſus Aaron quoque vehementer iratus, voluit eum conterere*. Aaron ipſe ſe ſe minime excuſat, cum illum exprobrat Moyſes de iis, quæ fecerat: ℣. 23. 24. ſed magis adhoc excuſatione eſſet indignus, ſi cum Cornelio a Lapide (ad ℣. 5.) aſſerere velis Aaronem, cum parumper primum obſtitiſſet populo, deinde ita correptum fuiſſe, ut etiam ſponte aureo vitulo aram ſtatueret, vel ut populi gratiam ſibi compararet, vel forſitan, eo conſiliu, ut ſe Principem conſtitueret, uc populum, dum Moyſes aberat, regeret. Sed nonne ſatis ſuperque Scriptura ſuggerit argumenta, ut Aaronis factum improbemus, quin illi ea indigna adeo, & nequam fuiſſe conſiliu dicamus, ut locus ſit illios condemnandi?

℣. 6. SURGENTESQUE MANE, OBTULERUNT HOLOCAUSTA &c.] Septuaginta [3] vertunt: id omne Aaroni tribuentes: *Conſurgens mane obtulit holocauſta*. Et equidem dubitari vix poteſt, quin hac omni in re ſempur dux populi extiterit, & facile ſe eo trahi, quocumque populus voluit, puſſus fueris.

ET SEDIT POPULUS MANDUCARE, ET BIBERE, & SURREXERUNT LUDERE.] Poſt ſolemnia ſacrificia, convivia celebraru, ſpectacula, & ludos edere, ac agere choreas non in Hebræorum modo, ſed in omnium ferme populotum poſitum ſuis conſuetudine. Vocem hanc *ludere* Tertullianus lib. de jejunio de impuritatibus explicat. *Ludere* apud Latinos quandoque choreas ducere ſignificat. Virgilius Ecloga ſexta:

Tum vero in numerum, ſylvas, feraſque videres
Ludere.

Et quandoque etiam muſica pulſare inſtrumenta. Ecloga prima

Ludere, quæ vellem, calamo permiſit agreſti.

Vide & u. Regum 6. 5.

℣. 9. RURSUMQUE AIT DOMINUS AD MOYSEM.] Verſiculus hic upud Septuaginta non extat.

℣. 10. DIMITTE ME, UT IRASCATUR FUROR MEUS CONTRA EOS] Preces Moyſis erant veluti potens brachium quod manum Dei detinebat, jam jam populum percuſſuram; vel potius Deus ipſe Moyſi eas ſuggerebat preces, quibus ſe moveri volebat. Dei Miſericordia juſtitiæ ipſius obſiſtebat, ac removebatur

1 Vatabl. Eſt. Lyran. Bochart. Cleric. &c.
2 Theod. qu. 66. in Exod.
3 Καὶ ὀρθρίσας τῇ ἐπαύριον ἀνεβίβασεν ὁλοκαυτώματα.

eut effectus. Onkeles: *ut me ultra preceris*; dimitte
A me, ut de populo hoc ſumam ultionem. Theodoretus quæſt. 67. in Exod. animadvertit, quod cum Deus ad Moyſen inquit, *dimitte me*, idem eſt, ac ſi tacite alio in ſenſu diceret; *Tuca mea precibus tuis cohibe*. Deus hic oſtendit, ſe animi ægritudinibus carere; atque ſimul miſericordiæ plenum eſſe. Qui affectu ducuntur, ſi ipſorum impetum remoreris, tibi ſuccenſent: ſed Deus Moyſi dicit, ſe, ſi Moyſes eum dimiſiſſet, populum ſuum deleturum. Si Hebræos delere voluiſſet, num ita fuiſſet locutus? S. Gregorius prudenter admodum ait, Deum Moyſi dicentem; *Dimitte me, & deleam eos*, illi orandi occaſionem præbere, ipſumque edocere, quam vim eſſent habituræ preces, quas pro populo effunderet:
B l. 9. Moral. c. 11. *Quid eſt ſervo dicere: dimitte me, niſi deprecandi auſum præbere? Quaſi: Penſa quantum apud me valeas, & cognoſce, quia obtinere poteris quidquid pro populo exoras*. Samaritanus textus huic verſiculo, ea quæ ſequuntur adjungit: *Deus adeo contra Aaronem ira ſuccenſuit, ut illum delere ſtatuiſſet; ſed Moyſes illum exoravit*.

FACIAM TE IN GENTEM MAGNAM.] Hic eſt naturalis ſenſus verborum Teatus. Vide ad Geneſ. 12. 2. Poteſt ita quoque eaplicari: Conſtituam te magni populi principem. Deus illi oblationem hanc inſtauravit in Numerorum libro c. 14. 12. cum alia eſſet occaſio: *Te autem faciam principem ſuper gentem magnam*.

℣. 11. IN FORTITUDINE MAGNA, ET IN MANU
C ROBUSTA.] Samaritanus. *In fortitudine magna, manu robuſta, & brachio elato*.

℣. 12. CALLIDE EDUXIT EOS.] Hebræus [1]: *Malo conſilio*, ac dolo malo: Vel; *propter eorum excidium eduxit eos de Ægypto*.

℣. 15. DUAS TABULAS TESTIMONII SCRIPTAS EX UTRAQUE PARTE.] Hebræus [2]: *Scriptas ex utraque parte intus, & foris*; ſeu quod unum tantum tabulæ latus præcepta capere non potuerit, atque pars in adverſo latere exarata fuerit, pars in averſo; ſeu quod ſcripta bis iterata fuerint ſemel intus, iterumque foris. Duæ tabulæ ſcripturam eamdem continebant: atque erant velut duo fœderis ejuſdem authographa. Vetus mos non erat in utraque parte ſcribendi, neque in ligno, neque in lapide, neque in
D corticibus. Moyſes hic refert, tabulas, quas de montis apice detulit, ex utraque parte ſcriptas fuiſſe, quoniam hoc ſingulare erat, non autem vulgatum. Oleaſter, ac Rivetus arbitrantur duas tabulas ſe invicem clauſiſſe, & ſcripturam intus univerſam fuiſſe poſitam, ſicuti in vulgaris libris videmus. Hebraicum textum ita vertunt. *Scripturæ a duobus anterioribus*, ſcilicet in duabus partibus, quæ mutuo ſe inſpiciebant, ita ut clauſis, atque altera ſuper alteram poſita nulla extrinſecus ſcriptura appareret.

Rabbini quidam contendunt Legis tabulas litteris perforatas fuiſſe, ita ut ex quovis latere adſpiceres, litteras eaſdem legeres; ſed facilius fuiſſet rem eamdem in utraque parte inſcribere, ſuppoſito quod voluerit Deus, intus, ac deforis legi potuiſſe: neque neceſſe fuiſſet, ut inverſo modo legeretur, quod in
E horum Doctorum hypotheſi contigiſſet. Alii putant legem in eadem tabulæ facie bis ſcriptam fuiſſe, ac linea ſejunctam, quæ faciem bifariam dividebat: alii denique quater exaratam fuiſſe, cum tabula decuſſatis lineis in quatuor Triangulos divideretur.

℣. 18. NON EST CLAMOR ADHORTANTIUM AD PUGNAM.] Hebraicus textus [3] ad litteram habet: *Vox hæc nec fortitudinem reſpondet neque reſpondet infirmitatem; audio vocem cantantium*. Hebraica vox *hanah*, quam vertimus reſpondere, ſignificat cantum

A pluribus choris inſtitutum, qui mutuo ſibi reſpondent; vel clamores eorum, qui appellant, ac reſpondent. Moyſes ait ad Joſue, clamores, quos audis, neque populi victoris eſſe, ac militum, qui mutuo ſe hortantur ad pugnam, neque clamores exercitus victi, ac in fugam acti; ſed ſimplicem lætitiæ cantum.

℣. 19. CONFREGIT EAS AD RADICES MONTIS.] Sanctus Auguſtinus quæſt. 144. in Exodum ait, actionem hanc Moyſis ſymbolum fuiſſe, & quamdam prophetiæ ſpeciem abrogationis fœderis veteris, ut novo locus fieret. Judæi apud Divum Hieronymum in Zachar. 8. ſeptemdecim dierum jejunium celebrabant quarto menſe in Moſaicæ hujus actionis monumentum.

B ℣. 20. CONTRIVIT USQUE AD PULVEREM.] Moyſes in ignem injecit vitulum aureum, illudque fuſum in plurimas guttulas exiguas adeo, ac pulverem, diſſipavit, projecitque in aquam, quo ad bibendum populus accedebat; perinde ac illis oſtendere vellet fictitii numinis illius vanitatem, quod ſe tueri non poterat, quominus in pulverem redigeretur. Nonnulli credunt, Moyſi arcanam fuiſſe artem aurum in pulverem redigendi quarumdam herbarum adminiculo, vel pulverum, quæ cum auro fuſo immiſcerentur. Abenezra rem eſſe ait certam, atque experientia probatam, aurum per hanc immiſtionem, veluti carbonem nigreſcere, neque poſſe amplius in aurum reverti.

Bochartus hæc omnia commenta putat, & oſten-
C dit immutationem hanc conciliari non poſſe cum Moyſe, qui palam in Deuteronomio ait, aurum hoc fuſum, pila deinde tuſum fuiſſe, ac in pulverem redactum, Deuteron. 9. 21. *Vitulum arripiens, igne combuſſi, & in fruſtra comminuens, omninoque in pulverem redigens, projeci in torrentem*. Hebraice ad litteram: *Arripui vitulum, eumque igne combuſſi, ac in mortario minutatim contuſi*: illum molivi, *donec minutus velut pulvis factus fuit*. Chaldaica verſio, Arabica, & Syriaca intelligunt, perinde ac lima vitulum in pulverem contriviſſet, atque id Moyſen innuere voluiſſe Bochartus autumat, cum ait, ſe illum moliviſſe. Limaturæ, vel pulveris aurei uſus olim communis erat. Joſephus Hiſtoricus Antiquit. lib. 8. cap. 2. narrat, juvenes aulicos Salomonis aureo pul-
D vere equos ſuos onerare conſueviſſe. Moyſes igitur pulverem hanc in aquas injecit, quod juxta quorumdam ſententiam eo peregit conſilio, ut Apis cultum irrideret. Conſtat vero bovem Apim in fonte immergi ſolemne fuiſſe, eoque ſubmerſo magnum luctum fieri, quem lætiſſima ſubſequebatur feſtivitas ob recentis Apis adinventum, qui taurus erat priori tauro perſimilis. Apud eos populus inexpiabile crimen habebatur necare, & deos ſuos comedere. Moyſes delevit vitulum aureum, eumque redegit in pulverem, ac ſubmerſit quodammodo in aquis, ac deinde dedit potum filiis Iſrael; abſque eo quod commentitium hoc numen ſe ipſum potuerit, vel ulciſci, vel a tot contumeliis tueri; quod ſatis eſſe debebat, ut quam inanis hujus Divinitatis ideam con-
E ceperat, penitus aboleretur.

Eorum opinionem [4], qui putant aquas torrentis Horeb per hanc auri e vitulo in pulverem tuſi immixtionem, adeptas fuiſſe virtutem aquis zelotypiæ perſimilem; ita ut quicumque ex ea guſtarent, idololatriæ obnoxii, ulceribus percuſſi fuerint, quæ Moyſi detecta, præbuerunt ipſi locum in eos omnes ſumma ſeveritate animadvertendi, fabulis adſcribendam eſſe arbitramur.

Me pudet inſolentem eorum referre ſententiam [5], qui aſſerunt, eos, qui magis noxii vitulum fuerant vene-

1 ברעה הוציאם.
2 לחות כתבים משני עבריהם.
3 אין קול ענות גבורה ואין קול ענות חלושה.
4 Moncæus, Aaron purgatus l. 2. c. 8. Rabb. plerique.
5 Rabb. Rupert. Petrus Comeſtor hiſt. Scholaſt. Naucler. & Lyran.

venerati, ex hac aqua aureo immixta pulvere bibentes vidiſſe, barbam ſibi aureo colore imburam excreſcere; quæ nota, uti inquiunt, in eorum quoque filios deſcendit. Petrus de Riga in aurora, apud Seldenum de Diis Syr. Syntag. 1. c. 4.

Nam rutilans auro monſtrabat barba nocentes,
Dum patulo latices fluminis ore bibunt,

℣. 21. Quid tibi fecit hic populus.] Aaronis indulgentia, propter quam pravis populi conſiliis minime obſtitit, graviſſimo eum crimine noxium effecit, quod præpedire poterat, ſi obſtitiſſet. *Peccatum maximum* poteſt æque & ſcelus, & ſceleris pœnam ſignificare. Induxiſti ſuper eum maximam calamitatem, juſtum criminis eorum ſupplicium.

℣. 22. Quod pronus ſit ad malum.] Hebræus [1]: *Noſti, quod eſt in malo.* Textus Samaritanus [2] habet: *Quod ſeditioſus eſt*, vel, *quod ſpoliatus eſt*. Septuaginta [3]: *Noſti impetum eorum, & quo vi ad illud rapiatur, cujus flagrat cupiditate.*

℣. 25. Videns Moyses populum, quod esset nudatus.] Hebraicus textus [4] verti ad litteram poteſt: *Videns populum nudatum, eo quod Aaron ſpoliaverat eum, ut illum objiceret turpitudini* (infamiæ) *inter hoſtes illius.* Onkelos vertit: *Aaron videns populum otioſum, eo quod otioſum reliquerat, ut illum infamia in omnes generationes obrueret.* Septuaginta [5]: *Aaron videns populum diſperſum, quod ipſe eum diſperſerat, ut irridendum præberet hoſtibus illius.* Symmachus; *quod populus ſpoliatus erat, & Aaron illum turpiter in hoſtium ipſius manus tradiderat.* Theodotion: *Moyſes vidit populum diſſipatum, eo quod Aaron diſſipaverat eum, ut hoſtibus illius lætitiam præberet.* Syriaca verſio; *Aaron videns populum peccaſſe, et quod ipſe illum in peccatum induxerat, ut ejus nomen peſſime redoleret apud poſteros illius.* Arabica; *Videns populum denudatum; nam Aaron denudaverat eos, velut infames (& ſegregatos ab eis, qui obſtiterant illis.)* In diverſis verſionibus conſpiciuntur varii ſenſus, qui tribui poſſunt Hebraico textui. Videretur ex Arabica verſione, Aaron denudaſſe nequiores ex illis, qui in idololatriam proruerant, eoſque ſeparaſſe ab illis, qui in eorum crimen abire noluerant.

Juxta Vulgatam dicendum eſt, Moyſen vidiſſe populum nudatum, ornatu quoque pretioſiſſimo, quoniam Aaroni aureos ornatus contulerant, ut fieret vitulus, qui appellatur *ignominia ſordis*, vel *ignominia ſordida*. Idola ſæpius in Scripturæ ſtylo vocantur Dii ſordium, *Dii ſtercorei*.

Locutio, quam 2. Par. 28. 19. invenio, ubi dicitur Juda ſub regno Achab *nudatus fuiſſe, confuſus & ſine auxilio*, me impellit, ut credam, Moyſen hic nihil aliud innuere, quam per facinus hoc adeo nequam aurei vituli cultus, Iſrael in nuditate ſua ſe ſe vidiſſe, in indigentia, in confuſione, a Deo derelictum, animo deſtitutum, abjectumque, velut hominem, qui coram hoſtibus ſe nudum intuetur.

Quidam credunt, ea quæ hic dicuntur, eſſe per prolepſim poſita, & Aaronem non denudaſſe populum ornatibus illius, niſi poſt Moyſis præceptum, capite ſequenti relatum ℣. 5. & 6. ſed difficile eſt hoc cum Moyſis narratione conciliare. Aperte ℣. 29. 30. hujus capitis diſtinguis diem, qua viginti tria hominum millia cæſa fuere, in cujus diei craſtinum populo edixit, ut ſua ornamenta deponerent, cap. 33. 4. 5. 6. Verſiculus 35. capitis hujus, ubi dicitur Deum populum ſuum percuſſiſſe ob eam idololatriam, refertur ad ſupplicium, quod Moyſes in Iſraelitas exercuit.

℣. 26. Stans in porta castrorum.] Per hæc verba: *porta caſtrorum*, intelligi poteſt caſtrorum lo-

A cus, quo juri dicundo convenire conſueverant; vel potius caſtrorum aditus. Quæ ſequuntur, poſtremæ admodum huic favent explicationi.

℣. 27. Ite, et redite de porta usque ad portam.] Hæc ſuggerunt imaginem caſtrorum undequaque vallo ſeptorum, in quibus duo aditus eſſent. Vel Levitæ in partes plures diſceſſerunt, ac Tabernaculorum ordines ſecuti ab una horum ordinum extremitate ad alteram ferebantur, & obvium quemque occidebant.

℣. 28. Filii Levi.] Scilicet ii omnes ex illis, quorum nulla fuerat pars in aurei vituli cultu. Ex decurſu innoteſcit Levitas cæcidiſſe filios etiam, & fratres, ut Domini honorem ulciſcerentur; ℣. 29. *Conſecraſtis manus veſtras hodie Domino, unuſquiſque*
B *in filio, & in fratre ſuo.* Atque in Deuteronomio 33. 9. ait, Levitas tunc neque patrem agnoviſſe, nec matrem, neque ullo naturæ ſenſu affectos fuiſſe erga fratres, & filios: *Qui dixit patri ſuo, & matri ſuæ: Neſcio vos, &c.*

Viginti tria millia hominum.] Hebraicus Textus, Samaritanus, Græcæ Verſiones, Chaldaicæ, Arabicæ, Perſicæ, & Samaritanæ legunt tria tantum hominum millia. Rabbini apud Bochartum de animal. ſacr. part. 1. l. 2. c. 34. Philo l. 3. de vita Moſis, Tertullianus Scorp. cap. 3. S. Ambroſius epiſt. ad Romul. Optatus lib. 3. S. Iſidorus Hiſpalenſis in Exod. Rabanus Maurus in Exod. Vulgata in Bibliis Polyglottis Antuerpienſi, ac Pariſienſi, denique noviſſima Editio S. Hieronymi legunt
C ſimiliter tria hominum millia. Petrus Comeſtor hiſt. Exod. in pluribus exemplaribus legebat tria millia, in aliis vero, viginti tria millia. Pater Martianæus obſervat, veterum manuſcriptorum latinorum pleraque habere tria ac viginti millia: ſed quædam etiam invenit, quæ tria millia legebant, & lectionem hanc repoſuit in S. Hieronymi Biblia, quam typis cudendam curavit. Credibile admodum eſt, Tertullianum, ac S. Ambroſium inveniſſe numerum hunc trium millium in veteri Vulgata, ac viginti trium millium numerum in latinas biblias irrepſiſſe; ex iis deſumpta occaſione, quæ in Epiſtola ad Corinthios prima leguntur c. 10. ℣. 7. 8. *Neque idololatræ efficiamini ſicut quidam ex ipſis* .... *Neque fornicemur, ſicut quidam ex ipſis fornicati ſunt, & ceciderunt*
D *una die viginti tria millia.* Crediderunt autem Idololatriam, & Fornicationem hoc in loco idem ſignificare; & S. Paulum voluiſſe innuere Idololatriam aurei vituli, perinde ac viginti trium hominum millium morte mulctatam; at aurei vituli cultus eſt diſtinguendus ℣. 7. loci hujus ennarratus ab impuritate, quam patrarunt Iſraelitæ cum puellis Moabitarum, quam viginti trium hominum millium clades eſt ſubſecuta, quæ a S. Paulo ℣. 8. refertur.

Qui tuentur communem legendi modum in Vulgatis Bibliis expreſſum, obſervant S. Gregorium Magnum l. 20. Moral. & in 1. Reg. 14. S. Cyrillum Alexandrinum Glaphyr. l. 2. Abbatem Rupertum in hunc locum, Petrum Damianum tom. 2. ſer. 6. & majorem tum Manuſcriptorum, cum typis editorum,
E copiam legere tria & viginti hominum millia. Quidam etiam aſſerunt, lectioni huic Hebraicum textum favere, & vertendum eſſe viginti tria millia, pro circiter tria millia: litera *Caph* (legunt enim שלשת כ pro כשלשת,) quæ accipitur perinde ac ſignificaret, *forme*, circiter, eſt etiam numeri 20. characler. Demum alii quidam S. Paulum cum Moyſe conciliare ſtudent dicentes, S. Paulum retuliſſe eos omnes qui occubuerunt tum gladio, cum peſte, ſeu torrentis aqua, in quam aureus vitulus in pulverem

1 כי ברע הוא
2 כי פרוע הוא
3 Σὺ οἶδας τὸ ὅρμημα τοῦ λαοῦ τούτου.
4 וירא משה את העם כי פרע הוא כי פרעה אהרן לשמצה בקמיהם
5 Ἰδὼν Μωϋσῆς τὸν λαὸν ὅτι διεσκέδασται· διεσκέδασεν γὰρ αὐτοὺς Ἀαρὼν ἐπίχαρμα τοῖς ὑπεναντίοις αὐτῶν.

verem comminutus injectus fuerat : Moyſen vero A tria tantum hominum millia gladio cæſa hic memoraſſe.

℣. 29. CONSECRASTIS MANUS VESTRAS HODIE DOMINO.] Hebraicus textus [1], & Septuaginta verti poſſunt ; *Repleſtis*, vel *conſecraſtis manus veſtras Domino* ; perinde ac eſſet adhortatio Moyſis ad Sacerdotes, ut gladio accingerentur adverſus fratres ſuos; vel Vulgatæ adhærendo, perinde ac animum illorum commendare vellet, illis poſt generoſum illud facinus inquiens : *Conſecraſtis manus veſtras hodie Domino* : Hoc quod feciſtis, erit veluti in monumentum, ac fidei, virtutiſque veſtræ tropheum, eo quod vos met Domino devoviſtis. Zelus, quem oſtendiſtis modo fratrum veſtrorum ſanguinem effundentes, eſt quædam præoccupata manuum veſtrarum conſecratio. B Impii, quos interfeciſtis, ſunt veluti victimæ, quas Domino immolaſtis.

℣. 31. REVERSUSQUE AD DOMINUM AIT &c.] Moyſis narratio paulo perturbatior videtur propter quarumdam circumſtantiarum tranſpoſitionem, & propter adnotata quædam, quæ permixta ſunt, atque ordinem, ac ſermonis ſeriem interrumpunt. Ego autem hic ordinatim in medium afferam, ea quæ in facto hoc contigerunt, juxta eum ordinem, qui mihi magis aptus videbitur. Moyſes de monte deſcendit, duas tabulas frangit, in pulverem vitulum aureum comminuit, Aaronis infirmitatem redarguit. Die poſtero Iſraelitis criminis magnitudinem ob oculos ponit, iterum in montem aſcendit pro populo deprecaturus ; illum remittit Deus, recipitque ſe illi An- C gelum ſuum daturum, quo duce terram promiſſam adeat ; ſed minatur, die ultionis ſuæ in eorum crimina animadverſurum, neque ſe amplius illorum ducem futurum. Moyſes deſcendit de monte, hæc omnia populo refert ; quibus auditis Aaron de mandato Dei jubet omnes, ornatus ſuos, & arma deponere ; & tunc Moyſes Levitis ait, ut perſequantur, & noxium quemque obvium occidant, uti narratur capite 32. 25. 29. Moyſes deinde Tabernaculum cœtus extra caſtra transfert Cap. 33. 8. & rurſus ad Deum ſe ſe convertit in hoc Tabernaculo, ut pro populo deprecetur. Exorat denique, ut illius dux eſſe perſeveret. ℣. 12. 18.

℣. 32. DELE ME DE LIBRO TUO, QUEM SCRIPSISTI.] Hæc habet Hebraicus textus [2] ad litteram : *Et modo ſi remittis illis peccatum : ſin autem : dele me de libro, quem ſcripſiſti*. Videlicet : *Si illis parcere vis, parce : ſin autem, dele me de libro tuo*. Ita explicant Septuaginta [3]. Patres nonnulli [4], credunt Moyſen hic loqui tantum de libro viventium vitam hanc mortalem, perinde ac optaret, a Deo ſibi præſentem vitam adimi, niſi populo ſuo condonare voluiſſet. In libro Num. 11. 15. Moyſes Deum efflagitat, ut eum potius e mundo auferat, quam eum ſolum populo præeſſe patiatur : *Sin aliter tibi videtur obſecro te, ut interficias me &c.* Hoc autem ſimile eſt poſtulatum. Rabbinus Salomon pro libro hoc Legis librum intelligit, perinde ac Moyſes poſceret, ut e libro fœderis, ac numero populi Dei deleretur.

Locutio hæc, *dele me de libro tuo*, nobis exhibet Deum ſub Principis ſpecie, qui nomenclaturam habet ſubditorum ſuorum, militum, amicorumve. Moyſes ſpiritu quodam, atque fervore raptus, qui rationem quamvis prævenit, Deum rogat, ut ipſum deleat de hoc libro, niſi populo ſuo parcere velit : Si delere vis populum hunc, cui tot benevolentiæ præbuiſti argumenta, & cum quo fœdus iniiſti, illius excidio ſuperſtes eſſe non poſſum ; me quoque cum ipſo dele ; libenter promiſſis decedo, quibus ſpopondiſti facturum me magni populi patrem ; cum hoc autem mihi mori præſtat. Interpretes quidam [5] locum hunc explicant de libro prædeſtinationis ; quemadmodum aſſentiretur Moyſes ſe reprobari, ni Deus populo ſuo pepercıſſet: Exaggeratio emphatica, qua uti vult, ut ſummum oſtendat deſiderium, quo ob populi ſui ſalutem flagrat, & timorem, qui illi inceſſit, ut populi finitimi contra Dominum blaſphemias evomant, cumque vel impotentiæ accuſent, vel malitiæ. Vide ℣. 12. S. Auguſtinus quæſt. 147. in Exod. ait Moyſem ſuæ prædeſtinationis ſecurum, exoraſſe Deum, ut vel populo parceret, vel ipſum de vitæ libro deleret, ac ſperantem a Dei miſericordia ſuæ electionis decretum, confidiſſe quoque Deum populo ſuo veniam fore conceſſurum. Extat in Epiſtola ad Romanos ſimilis D. Pauli expreſſio c. 9. 3. *Optabam enim ego ipſe anathema eſſe a Chriſto pro fratribus meis*.

℣. 35. PERCUSSIT ERGO DOMINUS POPULUM PRO REATU VITULI.] Quidam (Lyranus &c.) credunt Deum percuſſiſſe populum ſuum in eodem loco plaga aliqua, quæ hic non adfertur, atque de aurei vituli cultoribus ultionem ſumpſiſſe. Textus valde huic favet ſententiæ. Alii locum hunc intelligunt de omnibus ſuppliciis, quæ Deus Iſraelitis intulit in ipſorum itineris decurſu per deſertum.

---

1 מלאו ידכם. 70. Πληρώσατε. Alii codices, ἐπληρώσατε, impleviſtis.
2 ועתה אם תשא חטאתם ואם אין מחני נא מספרך אשר כתבת
3 Εἰ μὲν ἀφεῖς αὐτοῖς τὴν ἁμαρτίαν αὐτῶν, ἄφες, &c.
4 Hieron. ad Algaſiam, Gregor Mag. lib. 10. Moral.
5 Lyranus, Menochius, Vatablus, Rivetus &c.

Digitized by Google

CAPUT XXXIII.

Moyſes precibus ſuis Iſraelitarum cum Deo obtinet reconciliationem. Populus ſe ſe humiliat, ac lacrymis peccatum ſuum abluit. Moyſes cum Deo loquitur facie ad faciem. Ab eo petit, ut ſe illis prodat. Deus poſteriora illi oſtenſurum modo promittit.

1. LOcutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Vade, aſcende de loco iſto tu,
& populus tuus, quem eduxiſti de terra Ægypti, in terram, quam juravi
Abraham, Iſaac, & Jacob, dicens: Semini tuo dabo eam: 2 Et mittam præ-
curſorem tui angelum, ut ejiciam Chananæum, & Amorrhæum, & Hethæum, & Phe-
rezæum, & Hevæum, & Jebuſæum: 3 Et intres in terram fluentem lacte, & melle.
Non enim aſcendam tecum, quia populus duræ cervicis es: ne forte diſperdam te in
via. 4 Audienſque populum ſermonem hunc peſſimum, luxit: & nullus ex more indu-
tus eſt cultu ſuo. 5 Dixitque Dominus ad Moyſen: Loquere filiis Iſrael: Populus
duræ cervicis es, ſemel aſcendam in medio tui, & delebo te. Jam nunc depone ornatum
tuum, ut ſciam quid faciam tibi. 6 Depoſuerunt ergo filii Iſrael ornatum ſuum a monte Ho-
reb. 7 Moyſes quoque tollens tabernaculum, tetendit extra caſtra procul, vocavitque
nomen ejus, Tabernaculum fœderis. Et omnis populus, qui habebat aliquam quæſtionem,
egrediebatur ad tabernaculum fœderis extra caſtra. 8 Cumque egrederetur Moyſes ad
tabernaculum, ſurgebat univerſa plebs, & ſtabat unuſquiſque in oſtio papilionis ſui, aſpi-
ciebantque tergum Moyſi, donec ingrederetur tentorium. 9 Ingreſſo autem illo taber-
naculum fœderis, deſcendebat columna nubis, & ſtabat ad oſtium, loquebaturque cum
Moyſe: 10 Cernentibus univerſis, quod columna nubis ſtaret ad oſtium tabernaculi.
Stabantque ipſi, & adorabant per fores tabernaculorum ſuorum. 11 Loquebatur au-
tem Dominus ad Moyſen facie ad faciem, ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuum. Cum-
que ille reverteretur in caſtra, miniſter ejus Joſue filius Nun, puer, non recedebat de
tabernaculo. 12 Dixit autem Moyſes ad Dominum: Præcipis, ut educam populum
iſtum: & non indicas mihi, quem miſſurus es mecum, præſertim cum dixeris: Novi te
ex nomine, & inveniſti gratiam coram me. 13 Si ergo inveni gratiam in conſpectu tuo,
oſtende mihi faciem tuam, ut ſciam te, & inveniam gratiam ante oculos tuos: reſpi-
ce populum tuum gentem hanc. 14 Dixitque Dominus: Facies mea præcedet te, &
requiem dabo tibi. 15 Et ait Moyſes: Si non tu ipſe præcedas, ne educas nos de lo-
co iſto. 16 In quo enim ſcire poterimus ego, & populus tuus, inveniſſe nos gratiam
in conſpectu tuo, niſi ambulaveris nobiſcum, ut glorificemur ab omnibus populis, qui
habitant ſuper terram? 17 Dixit autem Dominus ad Moyſen: Et verbum iſtud, quod
locutus es, faciam: inveniſti enim gratiam coram me, & teipſum novi ex nomine. 18
Qui ait: Oſtende mihi gloriam tuam. 19 Reſpondit: Ego oſtendam omne bonum tibi,
& vocabo in nomine Domini coram te, & miſerebor, cui voluero, & clemens ero, in
quem mihi placuerit. 20 Rurſumque ait: Non poteris videre faciem meam: non enim
videbit me homo, & vivet. 21 Et iterum: Ecce, inquit, eſt locus apud me, & ſta-
bis ſupra petram. 22 Cumque tranſibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, &
protegam dextera mea, donec tranſeam: 23 Tollamque manum meam, & videbis po-
ſteriora mea: faciem autem meam videre non poteris.

℣. 1. VADE ASCENDE DE LOCO ISTO.] Vade, in caſtra redi, & duc populum tuum in regionem, quam tibi pollicitus ſum. Non ait amplius *populum meum* propter infidelitatem, ac Idololatriam Iſrael. Utitur porro verbo *aſcende in terram*, propter ſitum terræ Chanaan, quæ elatior erat, quam Arabia, ubi tunc morabantur. Moyſes tunc adfuiſſe videtur in Tabernaculo, de quo ſermo ℣. 7. hujus capitis.

℣. 2. MITTAM PRÆCURSOREM TUI ANGELUM.] Deus dicit, ſe non omnino derelicturum eſſe popu- A lum ſuum; velle quidem fidem præſtare, eumque in terra Chanaan, quam illi promiſerat, conſtituere; ſed teſtatur, ſe diutius illum comitari nolle, atque unum ex Angelis ſuis illis daturum, qui eos in poſſeſſionem deducat.

℣. 3. NON ENIM ASCENDAM TECUM, QUIA POPULUS DURÆ CERVICIS ES, NE FORTE DISPERDAM TE IN VIA.] Si vos ducere perſeveravero, criminibus veſtris adigar, ut vos diſperdam in via. Chaldaice: *Non ſinam majeſtatem meam incedere in medio veſtri*. Arabice: *Non ſinam lumen meum incedere in medio*

medio veſtri. Septuaginta, populis in hoc ℣. enumeratis, addunt *Gergeſæum*.

℣. 4. ET NULLUS EX MORE INDUTUS EST CULTU SUO.] Septuaginta omiſerunt hæc verba: *Nullus ex more indutus eſt cultu ſuo*. Syriaca verſio: *Nemo accepit arma ſua ſuper ſe*. Chaldaica [1] ſimiliter explicat. Verſiculo 25. capitis præcedentis jam adnotatum eſt, ea fortaſſe, quæ ibi referuntur, contigiſſe dumtaxat poſt ea, quæ hic præcipiuntur. Targum Hieroſolymitanum ait ipſos dimiſiſſe coronas, quas, cum Lex ferebatur, acceperant.

℣. 5. SEMEL ASCENDAM IN MEDIO TUI, ET DELEBO TE.] Hebraicus textus [2] cum Pagnino verti poteſt: *Momento uno aſcendam in medio tui, & delebo te*; vel cum Vatablo: *Si quando deſcendero repente in medio tui, delebo te*. Septuaginta [3]: *Cave, ne te ſecunda plaga percutiam, & te diſperdam*. Chaldaica verſio: *Si majeſtatem meam removeo de medio tui unius horæ ſpatio, delebo te*: ut verſiculi hujus ſenſus intelligatur, adjungendus eſt verſic. 3. hoc pacto: *Neque enim aſcendam tecum, quia populus duræ cervicis es: ne forte diſperdam te in via*. (℣. 5.) *Si aſcendero in medio tui* (cum adeo ſis nequam) *delebo te*.

℣. 6. DEPOSUERUNT ORNATUM SUUM A MONTE HOREB.] Ad radices montis Horeb, in caſtris Horeb. Non deſunt, qui arbitrentur [4], in toto itinere non amplius ſe ſe ornamentis ſuis induiſſe. Ita verti poteſt: *Depoſuerunt ornatum ſuum procul a monte Horeb*; non auſi ſuos ornatus apparere, reverentiæ ergo ante montem hunc. Ornatum vero, quem depoſuerunt, ut nonnullis apud Lyranum placet, eſt Tabernaculum, de quo ſermo eſt ſequenti verſiculo, quodque a monte Horeb amoverunt. Verum id præſtat intelligere de pretioſis indumentis illorum, & armis. Vide verſ. 4.

℣. 7 MOYSES QUOQUE TOLLENS TABERNACULUM, TETENDIT EXTRA CASTRA PROCUL.] Non intelligi poteſt de Tabernaculo fœderis, quod nondum fuerat extructum; ſed de tentorio Moyſis, ut mavult Philo lib. *Quod deterius potiori inſidiari ſoleat*, Grotius, & alii quidam: vel de alio quopiam publico tabernaculo, ac toti populo communi pro generali conventu principum nationis conſtituto, atque ubi Deus ad Moyſen loqui aſſueverat, antequam Tabernaculum extrueretur. Aufertur hoc Tabernaculum de caſtrorum medio ad puniendum, humiliandumque hunc populum, ut majori infidelitatis ſuæ horrore afficiatur, ſpecie quadam anathematis Divinæ protectionis viduatus auxilio, quod ſenſibilis hujus Tabernaculi præſentia illis præſtabat.

VOCAVITQUE NOMEN EJUS TABERNACULUM FOEDERIS.] Hebraicus textus [5] verti poteſt: *Tabernaculum cœtus*, vel *temporis determinati*. Septuaginta [6]: *Tabernaculum teſtimonii*. Sanctus Hieronymus idem fere ſemper vertit. Chaldaice: *Tabernaculum domus doctrinæ*, vel *ſcholæ*. In hoc cœtus Tabernaculo Deus voluntatem ſuam Moyſi prodidit. Tabernaculum fœderis appellatur, Tirinus, inquit, quod extructum fuit poſt populi fœdus initum cum Deo.

OMNIS POPULUS, QUI HABEBAT ALIQUAM QUÆSTIONEM.] Hebraicus textus [7], & Septuaginta: *Omnis populus, qui conſulere volebat Dominum, & aliquas habebat difficultates, egrediebatur ad Tabernaculum fœderis*, quod poſitum erat, inquiunt Talmudiſtæ, ad duo cubitorum millia procul a caſtris. Hic autem

A jus dicebat Moyſes.

℣. 10. STABANTQUE IPSI, ET ADORABANT.] Poſtrema hæc vox in Samaritano textu non adeſt. Populus honore ſummo Moyſen proſequebatur, ante eum caput inclinando, cum præteriret. Vel potius, populus verſus Tabernaculum fœderis ſe ſe vertebat Dominum adoraturus; qui præſentiæ ſuæ ibi notas poſuerat per luminis columnam, quæ apparebat, cum accederet Moyſes.

℣. 11. LOQUEBATUR DOMINUS AD MOYSEN FACIE AD FACIEM.] Menochius, & Cornelius contendunt, illum, qui loquebatur ad Moyſen, illi ſub hominis ſpecie apparuiſſe: verum hoc poſito, cur enixius adeo flagitaſſet Moyſes, ut Dei faciem intueretur verſ. 19. 18. Nonne Deus ipſe Moyſi ait,

B neminem viventem poſſe eum videre? verſ. 20. *Non enim videbit me homo, & vivet*. Alii putant, Deum ipſum locutum fuiſſe Moyſi, dum aliis prophetis per Angelum loqueretur. Rabbini quidam volunt, Deum locutum fuiſſe Moyſi, verbis articulatis prolatis, non autem in mente illius rerum earum ſpecies imprimendo, quas illi detegere vellet, quemadmodum cum prophetis aliis uſuveniebat. Locum hunc intelligi præſtat cum notæ melioris Interpretibus de familiaritate, qua Deus voluntatem ſuam Moyſi oſtendebat cum ipſo loquens intelligibili modo, ſine ænigmatibus, ſine figuris, & ſine Interprete; modo penitus alio, quo ad alios prophetas loquebatur, quibus voluntatem ſuam ſignificabat, vel per interiorem inſpirationem, vel per ſomnia, &

C ſæpius eos terrore replens, atque veluti extra ſeipſos rapiens. Hoc Danieli contigit in ea, quam habuit viſione cap. 10. ℣. 8. *Ego autem relictus ſolus vidi viſionem hanc, & non remanſit in me fortitudo, ſed & ſpecies mea immutata eſt* &c. Denique ſæpius alii prophetæ prophetiæ dono deſtituuntur, in peculiari quadam occaſione, atque illis ad preces erat confugiendum, ut ſupra ſe Spiritum Sanctum inducerent, & opus erat, ut coram propheta muſica pſallerent inſtrumenta, ut ad Divini Spiritus impreſſionem accipiendam diſponeretur. Verum nullum horum auxiliorum opus erat Moyſi. Chaldaica verſio verba hæc *facie ad faciem*, per ea ſignificavit, *verbo ad verbum*, veluti duo viri, qui familiariter colloquuntur. Arabica vero, *ſine medio, ſine media-*

D *tore*, cum Deus ad populum nonniſi per Moyſen loqueretur.

MINISTER EJUS JOSUE FILIUS NUN PUER.] Joſue non erat puer, quinquaginta ſaltem annos natus erat, & jam prælio Iſrael contra Amalecitas præfuerat. Hoc tamen minimum obſtat, quin illi pueri nomen (נער. 70. Νέος) Scriptura tribuat, vel quod matrimonio nondum junctus eſſet, vel quod adhuc in ætatis flore conſiſteret. Puerorum nomen in Scripturis tribuitur viris quibuſdam, quibus perfectæ virilitatis nomen deberi arbitraremur. Attamen Joſue Moyſi adhæſerat illi famulaturus, quod hic pueri nomine adnotatur, ac miniſtri; nam utrumque unum, idemque ſignificant, & pro famulo uſurpantur.

E Joſue frequens Tabernaculo aſſidebat, cujus illi cura demandata erat, cavebatque, ne quis ingrederetur. Ibi vero non ſecus ac Moyſes minime obdormiebat; verum uni illi eo ingrediendi, ac manendi facultas erat, cum Moyſes Dominum conſulturus aderat, quod ſolus ſemper peragebat, quin aliquis præter Joſue illum comitari auderet. Aliqui [8] ita

Tt 2 Hebrai-

1 Apud Munſter. Vatabl. Fag.
2 רגע אחד אעלה בקרבך וכליתיך.
3 Ὁρᾶτε μὴ πληγὴν ἄλλην ἐπαγάγω ἐφ' ὑμᾶς, & ἐξαναλώσω ὑμᾶς.
4 Clarius.
5 אהל מועד.
6 Σκηνὴ τοῦ μαρτυρίου.
7 כל מבקש יהוה. 70. Πᾶς ὁ ζητῶν τὸν Κύριον, &c.
8 Rivet. Jun. Vvillet. in Synopſ.

Hebraicum textum vertunt: *Gloria Domini non recedebat a Tabernaculo, cum Moyſes, & Joſue in caſtra revertebantur.*

℣. 12. PRÆCIPIS, UT EDUCAM POPULUM ISTUM, ET NON INDICAS, QUEM MISSURUS ES MECUM.] Deus Moyſi promiſerat, ſe illi daturum Angelum populi ſui ducem: ſed ſe ipſum nolle populum deducere declaraverat. Conditioni huic non ſubſcripſerat Moyſes; & quemadmodum hac de re ulterius nihil innuerat Deus, Moyſes illum adigere conatur, ut promittat, ſemetipſum populum ſuum fore deducturum. Utitur ad hoc argumentis a benevolentia ductis, qua ſemper Deus populum ſuum proſequi oſtenderat.

CUM DIXERIS: NOVI TE EX NOMINE, ET INVENISTI GRATIAM CORAM ME.] Septuaginta [1]: *Novi te ſuper alios.* Onkelos: Vocavi te per nomen ſuum. *Ego præ omnibus aliis te elegi.* Ita Vatablus, & Fagius. Te perfecte novi. Ita Grotius. Superius jam cap. 32. 31. adnotatum eſt univerſum hunc dialogum in Tabernaculo extra caſtra eveniſſe.

℣. 13. OSTENDE MIHI FACIEM TUAM.] Moyſes hic duo petit. Dicit primo; quoniam dixiſti mihi, quod noviſti me, atque amicorum tuorum albo adſcripſiſti, hoc mihi concedas, ut ego ſimiliter te agnoſcere queam, ac viſibili modo intueri; vel juxta hebraicum textum [2]: *ut cognoſcam vias tuas*, viam, quam me ſequi velis; vel potius; detege mihi divinas tuas proprietates. Ita Rabbini, Druſius, Oleaſter. Vel denique juxta Grotium; ut ſciam conſilium, quo univerſum moderaris terrarum orbem, ut pro virili illud imiter in populi tui regimine. Septuaginta [3]: *Fac, ut te videam*; te mihi oſtende.

Prius Moyſis poſtulatum totum eſt pro populo: & ſi inveni gratiam in oculis tuis, quemadmodum teſtatus es, te deprecor, ut populum hunc reſpicias; *Reſpice populum tuum gentem iſtam*, illudque deducas, atque reminiſcaris, quod eſt populus tuus: *Et vide, quia populus tuus gens iſta.* Hebræus [4].

℣. 14. DIXITQUE DOMINUS: FACIES MEA PRÆCEDET TE.] Deus gradatim Moyſi concedit, quidquid petit. Primum ſpondet, ſe miſſurum Angelum ſuum; hic ait, faciem ſuam præceſſuram Iſraelitas in itinere illorum; denique pollicetur ſe ipſum populum ſuum deducturum; verſ. 17. *Facies mea.* Septuaginta [5]: *Ego ipſe.* Arabice. *Lumen meum præcedet te.* Syriace: *Ambula coram me*; perinde ac diceret: Ne timeas; præſentia mea non recedet a te: neque ſolum mittam Angelum meum, uti receperam. Per hæc verba *facies mea*, Meſſias quoque poteſt intelligi, qui in Iſaia 63. 9. *Angelus faciei*, vel præſentiæ Domini appellatur: *Angelus faciei ejus ſalvavit eos.*

REQUIEM DABO TIBI.] Sublevabo te, ſuſtentabo te; vel etiam, deducam te in conſtitutum locum; populum hunc in poſſeſſionis ſuæ hæreditatem adducam.

℣. 15. SI NON TU IPSE PRÆCEDAS, NE EDUCAS NOS DE LOCO ISTO.] Septuaginta [6], & Samaritanus textus: *Non me educas de loco iſto*; ne jubeas nos ſedem hanc relinquere, niſi promittere velis, te ipſum nobis futurum in Ducem. Moyſes optat, Deum perſpicue magis id declarare, quod ſuperius dixerat: *Facies mea præcedet te*; atque explicitum poſcit a Deo promiſſum, ut ſe ipſum populum ſuum deducturum polliceatur.

℣. 16. UT GLORIFICEMUR AB OMNIBUS POPULIS QUI HABITANT SUPER TERRAM.] Septuaginta [7], *Et glorificabor ego, & populus tuus ſuper omnes populos terræ.* Hebraicus textus [8] verti poteſt: *Omnes cum admiratione nos intuebuntur.* Chaldaica verſio: *ſeparati erimus*, vel *diſtincti*. Quivis excipiet nos cum admiratione, æſtimatione, & diſtinctione.

℣. 18. OSTENDE MIHI GLORIAM TUAM.] Septuaginta: *te ipſum*. Quod idem eſt, ac illud, quod appellatur *facies ſua* verſ. 13. uti liquet ex verſ. 20. ubi huic poſtulato reſpondet Deus, dicens; *Non poteris videre faciem meam.* Moyſes deſiderat, quod illi Deus ſenſibili modo faciei ſuæ detegat majeſtatem, & gloriam, quæ eum comitatur. Menochius, & Malvenda credunt, Moyſen loqui cum Angelo, qui Dei perſonam repræſentabat, atque ex penitiori nubis imo ad eum loquebatur. Eum Moyſes orat, ut obſcuritatem hanc diſſipet, & diſtincte, quinam eſſet, oſtendat. Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 22. credit gloriam Dei hic eſſe Filium ejuſdem Dei, & Moyſen petiiſſe a Deo, ut illi Meſſiam, quem miſſurus erat, oſtenderet. Sanctus Auguſtinus lib. 2. de Trinit. cap. 16. & lib. 12. de Geneſ. ad litteram, cap. 27. & quæſt. 167. in Exodum; & ex Veteribus plures (Vide Ambroſ. in pſalm. 63. num. 89. & Philonem in lib. de Monarchia) crediderunt, Moyſen deſideraſſe videre eſſentiam Dei, & gloriam ipſius. Sed Legiſlator hic poteratne Dei eſſentiam ignorare, oculis corporis nequaquam percipi poſſe; & nos in hac vita nonniſi obſcure, & per ænigma Dei gloriam poſſe intueri? Deus illi reſpondet verſ. 23.

℣. 19. EGO OSTENDAM OMNE BONUM TIBI.] Deus pollicetur, ſe Moyſi quaſcumque benevolentiæ notas optaverit, conceſſurum. *Oſtendere bonum*, explicari poteſt pro benefacere (pſalm. 4. 6.), beneficiis replere; non ſecus ac *oſtendere ſalutare* (pſalm. 49. 23.) ſignificat ſalutem dare; *oſtendere dura* (pſal. 59. 5. & 70. 20.) affligere; *oſtendere tribulationes*, malis opprimere; & *oſtendere miſericordiam* (pſalm. 84. 8.) miſereri. Aliter: *Oſtendam omne bonum tibi*; Detegam tibi omne meum benefaciendi ſtudium, quod mihi amorem poteſt conciliare, ac hominum affectus elicere. Re quidem vera inferius [9] videbimus, Deum eo ipſo tempore, quo ſe oſtendit Moyſi, miſericordias Domini præcipue oſtendiſſe. Septuaginta [10]: *Tranſibo ante te cum tota gloria mea*: non ſecus ac Deus concederet Moyſi, quidquid ille popoſcerat. Chaldaica verſio pari modo intellexit: *Ego tranſire faciam omnem gloriam meam ante faciem tuam.* Hebraica vox *tob* ſignificat aliquando pulchritudinem. Syriaca: *Oſtendam tibi omnem meam felicitatem*; quod cum Hebraico textu congruere poteſt. Arabica: *Ego tranſire faciam omne lumen meum coram te.*

ET VOCABO IN NOMINE DOMINI CORAM TE.] Septuaginta vertunt: *Cum tranſibo, clamabo ad te enuncians nomen meum: Dominus eſt coram te, & miſerebor illius, cujus mihi placuerit miſereri.* Deus pollicetur Moyſi in ſignum præſentiæ ſuæ ſacrum nomen *Jehovah*, quod illi enunciabit; & recipit, ſe illi magnam hanc, terribilemque veritatem oſtenſuram, nempe quod ille miſeretur, cujus vult; eo conſilio fortaſſe, ut Moyſes ſuam maximam obligationem agnoſceret erga Deum, ac peculiare Dei ſtudium

1 Οἶδά σε παρὰ πάντας.
2 הודעני נא את דרכך. Quidam: Δεῖξόν μοι σεαυτὸν γνωστῶς ἴδω.
3 Ἐμφάνισόν μοι σεαυτόν.
4 כי עמך הגוי הזה.
5 Αὐτὸς προπορεύσομαί σου. Hebr. פני ילכו, Ita pletique, Cajetanus, Oleaſter, Vatablus, Malvenda.
6 Μή με ἀναγάγῃς ἐντεῦθεν.
7 Ἐνδοξασθήσομεθα ἐγώ τε καὶ ὁ λαός σου, παρὰ πάντα τὰ ἔθνη.
8 ונפלינו.
9 Cap. 34. 6. 7. *Domine Deus miſericors, & clemens, patiens, & multæ miſericordiæ, & verax.*
10 Ἐγὼ παρελεύσομαι πρότερός σου, τῇ δόξῃ μου. Alius: Ἐγὼ προπορεύσομαι πρὸ προσώπου σου.

dium erga ſe, ex iis omnibus, quæ illi concedebat. S. Auguſtinus quæſt. 154. in Exod. S. Paulo [1] adhærens hoc explicat de Iudæorum reprobatione, ac vocatione Gentilium. Sed Sanctus Chryſoſtomus, & qui illi adhæſerunt, explicuere de miſericordia, qua uti voluit erga Hebræos aurei vituli adoratores; quin tamen juſtam ſeveritatem excluderet; quam exercere debebat adverſus quemdam illorum numerum, iis rationibus actus, quas optime noverat. Moyſes omnium veniam deprecabatur; ſed illi promittit Deus, fore ut parcat, non autem omnibus, ſed iis, quibus parcere voluerit.

ỳ. 20. Non poteris videre faciem meam.] S. Auguſtinus [2] optime animadvertit, Deum hic non permittere Moyſi, quod ille petierat; ſed illi ſolum dicere, ſe ante ipſum tranſiturum, ac gloriæ ſuæ partem oſtenſurum.

Gloria Dei oculis corporeis naturaliter conſpici nequit; immortalitatem induas, opus eſt, ut ineffabilem gloriam hanc intueri poſſis; quam neque oculus vidit, neque auris audivit, neque in cor hominis aſcendit, 1. Cor. 2. 9. Vide etiam Iren. l. 4. contra hæreſ. cap. 37. Tertull. l. 4. contra Marcionem cap. 22. Greg. Nazianz. orat. 49. & alios paſſim. Deus hic opinionem, quæ invaluerat, confirmat, hominem viventem vivere non poſſe, poſtquam viderit Deum. *Non videbit me homo, & vivet*. Vide Geneſ. 13. 16.

ỳ. 21. Ecce est locus apud me, et stabis supra petram.] In monte locus eſt, ubi loqui ad te conſueveram, ubi nubes plerumque permanet: ad petram hanc accedes, ubi quidquid pollicitus ſum, exequar.

ỳ. 22. Cumque transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, et protegam dextera mea, donec transeam.] Videlicet, cum montem aſcenderis, in foramen petræ recede; & cum tranſibo, cooperiam te nube, extendam manum dexteram ſuper te, ne nimium ad præſentiæ meæ ſplendorem hallucineris; ſed ſimul ac tranſiero, hanc nubem eripiam, quæ erit velut velamen ante oculos tuos; tunc manum meam tollam, & videbis poſteriora mea.

ỳ. 23. Tollam manum meam, et videbis posteriora mea.] Arabica verſio transfert: *Tollam nubem meam, & poſteriora Angeli mei videbis*. Theodoretus quæſt. 68. in Exod. per vocem hanc *poſteriora* intelligit mirabiles effectus conſilii, & providentiæ Dei, qui intelliguntur ab illis, qui non ſecus ac Moyſes, ſummum virtutis apicem ſunt aſſecuti. S. Auguſtinus quæſt. 154. in Exod. de ſancti Jeſu Chriſti humanitate explicat, in qua Divinitas viſibilem ſe hominibus præbuit, licet ipſa per ſe ſit inviſibilis. Origenes hom. 12. in Exod. dicit, Moyſem vidiſſe *poſteriora Dei*, ſcilicet id, quod Ieſu Chriſto contingere debebat, & Eccleſiæ illius poſtremis Synagogæ temporibus. Grotius adnotat, Veteres non credidiſſe, Deorum frontem videri poſſe, & facie ad faciem, ſed tantum a tergo, & cum evaneſcere incipiebant. Ajax apud Homerum Iliad. N. facile Neptunum evaneſcentem, & pedibus, & cruribus a poſteriori parte cognoſcit. Servius in hæc verba decimi Æneidos libri *pone ſequens* &c. adnotat hoc dici, quoniam Dii nolebant faciem ſuam a quoquam videri; quare in ecloga octava dictum eſt: *Ne deſpexeris*: ac Author idem in ſecundo Æneidos ait: *Abſceſſu plerumque numina demonſtrantur fuiſſe, cum ſubito apparere deſierunt*.

Hic Deus non vult ſe Moyſi oſtendere ſub figura ſenſibili, & cum ſuæ majeſtatis fulgore. Moyſes illum ferre nequiviſſet; ſed oſtendit illi quemdam gloriæ ſuæ radium, qui eum ſequebatur, ut Moyſes aliquam concipere ideam poſſet illius rei, quam radius hic comitabatur. Cum igitur in Numerorum libro cap. 12. 6. 7. 8. ſcriptum eſt, Deum ſeſe prodidiſſe Moyſi, veluti amicum amico, atque locutum illi fuiſſe facie ad faciem, verbo ad verbum, ea in figurato ſenſu ſunt intelligenda. Deus vel per ſe, vel per Angelum ſuum illi loquitur ſenſibili modo, atque articulate: illi præſentiæ ſuæ ſigna tribuit, quod ipſum amicus cum amico perageret.

1 Roman. 9. 15. 16. *Miſericordiam præſtabo, cujus miſerebor. Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei*.

2 Auguſtinus de Trinitate lib. 2. cap. 16. Vide etiam quæſt. 154. in Exod. & lib. 2. contra Maximin. cap. 26. num. 10. & 12.

CAPUT XXXIV.

Præparat Moyſes novas tabulas lapideas ad Decalogum inſcribendum. Montem aſcendit. Deus illi gloriam ſuam oſtendit. Diverſa recipit præcepta, & poſt dies quadraginta deſcendit capite radiis circumfulgens,

1, AC deinceps : Præcide, ait, tibi duas tabulas lapideas inſtar priorum, & ſcri-
bam ſuper eas verba, quæ habuerunt tabulæ, quas fregiſti. 2 Eſto paratus
mane, ut aſcendas ſtatim in montem Sinai, ſtabiſque mecum ſuper verticem
montis. 3 Nullus aſcendat tecum, nec videatur quiſpiam per totum montem ; boves
quoque, & oves non paſcantur e contra. 4 Excidit ergo duas tabulas lapideas, qua-
les antea fuerant : & de nocte conſurgens aſcendit in montem Sinai, ſicut præceperat
ei Dominus, portans ſecum tabulas. 5 Cumque deſcendiſſet Dominus per nubem, ſte-
tit Moyſes cum eo, invocans nomen Domini. 6 Quo tranſeunte coram eo, ait : Do-
minator Domine Deus, miſericors, & clemens, patiens, & multæ miſerationis, ac ve-
rax, 7 Qui cuſtodis miſericordiam in millia : qui aufers iniquitatem, & ſcelera, at-
que peccata, nulluſque apud te per ſe innocens eſt. Qui reddis iniquitatem patrum fi-
liis, ac nepotibus in tertiam, & quartam progeniem. 8 Feſtinuſque Moyſes, curva-
tus eſt pronus in terram, & adorans, 9 Ait : Si inveni gratiam in conſpectu tuo,
Domine : obſecro, ut gradiaris nobiſcum (populus enim duræ cervicis eſt) & auferas
iniquitates noſtras, atque peccata, noſque poſſideas. 10 Reſpondit Dominus : Ego
inibo pactum videntibus cunctis, ſigna faciam, quæ numquam viſa ſunt ſuper terram,
nec in ullis gentibus : ut cernat populus iſte, in cujus es medio, opus Domini terribi-
le, quod facturus ſum. 11 Obſerva cuncta, quæ hodie mando tibi ; ego ipſe ejiciam
ante faciem tuam Amorrhæum, & Chananæum, & Hethæum, Pherezæum quoque, &
Hevæum, & Jebuſæum. 12 Cave, ne umquam cum habitatoribus terræ illius jungas
amicitias, quæ ſint tibi in ruinam: 13 Sed aras eorum deſtrue, confringe ſtatuas, lu-
coſque ſuccide: 14 Noli adorare Deum alienum. Dominus zelotes nomen ejus, Deus
eſt æmulator. 15 Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum : nec cum forni-
cati fuerint cum diis ſuis, & adoraverint ſimulacra eorum, vocet te quiſpiam, ut co-
medas de immolatis. 16 Nec uxorem de filiabus eorum accipies filiis tuis : ne, poſt-
quam ipſæ fuerint fornicatæ, fornicari faciant & filios tuos in deos ſuos. 17 Deos
conflabiles non facies tibi. 18 Solemnitatem azymorum cuſtodies. Septem diebus ve-
ſceris azymis, ſicut præcepi tibi, in tempore menſis novorum : menſe enim verni tem-
poris egreſſus es de Ægypto. 19 Omne, quod aperit vulvam generis maſculini, me-
um erit, de cunctis animantibus, tam de bobus, quam de ovibus, meum erit. 20
Primogenitum aſini redimes ove : ſin autem nec pretium pro eo dederis, occidetur.
Primogenitum filiorum tuorum redimes, nec apparebis in conſpectu meo vacuus. 21
Sex diebus operaberis, die ſeptimo ceſſabis arare, & metere. 22 Solemnitatem heb-
domadarum facies tibi in primitiis frugum meſſis tuæ triticeæ, & ſolemnitatem, quan-
do redeunte anni tempore cuncta conduntur. 23 Tribus temporibus anni apparebit o-
mne maſculinum tuum in conſpectu omnipotentis Domini Dei Iſrael, 24 Cum enim tu-
lero gentes a facie tua, & dilatavero terminos tuos, nullus inſidiabitur terræ tuæ aſcen-
dente te, & apparente in conſpectu Domini Dei tui ter in anno. 25 Non immolabis
ſuper fermento ſanguinem hoſtiæ meæ ; neque reſidebit mane de victimis ſolemnitatis
Phaſe. 26 Primitias frugum terræ tuæ offeres in domo Domini Dei tui : Non coques
hœdum in lacte matris ſuæ. 27 Dixitque Dominus ad Moyſen : Scribe tibi verba hæc,
quibus & tecum, & cum Iſrael pepigi fœdus. 28 Fuit ergo ibi cum Domino quadra-
ginta dies, & quadraginta noctes : panem non comedit, & aquam non bibit, & ſcri-
pſit in tabulis verba fœderis decem. 29 Cumque deſcenderet Moyſes de monte Sinai,
tenebat duas tabulas teſtimonii, & ignorabat, quod cornuta eſſet facies ſua ex conſor-
tio ſermonis Domini. 30 Videntes autem Aaron, & filii Iſrael cornutam Moyſi fa-
ciem,

ciem, timuerunt prope accedere. 31 Vocatique ab eo, reverſi ſunt tam Aaron, quam
principes ſynagogæ. Et poſtquam locutus eſt ad eos, 32 Venerunt ad eum etiam om-
nes filii Iſrael : quibus præcepit cuncta, quæ audierat a Domino in monte Sinai. 33
Impletiſque ſermonibus, poſuit velamen ſuper faciem ſuam, 34 Quod ingreſſus ad
Dominum, & loquens cum eo, auferebat, donec exiret, & tunc loquebatur ad filios
Iſrael omnia, quæ ſibi fuerant imperata. 35 Qui videbant faciem egredientis Moy-
ſi eſſe cornutam, ſed operiebat ille rurſus faciem ſuam, ſi quando loquebatur ad
eos.

℣. 1. AC DEINCEPS : PRÆCIDE, AIT, TIBI DUAS TABULAS.] Septuaginta ante hæc verba legunt : *Aſcende verſus me in montem.* Inter verſiculum hunc, ubi imperat Deus, ut duo præcidantur lapideæ tabulæ, quibus ſe ſcripturum ſpondet præcepta eadem, quæ in prioribus fuerant exarata ; & verſiculum 27. ubi ait Moyſi : *Scribe tibi verba hæc, quibus & tecum, & cum Iſrael pepigi fœdus* ; & inferius paulo verſic. 28. Moyſes narrat ſe ſcripſiſſe *in tabulis verba fœderis decem* ; aliqua intereſſe videtur contradictio. Quare Sanctus Auguſtinus quæſt. 186. in Exodum, & Sanctus Cyprianus de Spiritu Sancto arguerunt ſecundas has tabulas digito Dei nequaquam fuiſſe exaratas, uti priores. Sed Cornelius a Lapide, ac Eſtius credunt, ſecundas æque ac primas digito Dei B ſcriptas fuiſſe : ac Deum dixiſſe Moyſi, ut ſcriberet, non decalogum quidem, ſed quidquid Dei fœdus cum Iſrael reſpiceret ; & verbo illi verſic. 8. *Scripſit in tabulis verba fœderis decem*, nominativi loco Deum eſſe, non Moyſen ; quod confirmatur ex Deuteronomio, ubi Moyſes repetens ea, quæ hic narrantur, palam refert, Deum ipſum, uti primas, ita ſecundas etiam ſcripſiſſe c. 10. 4. *Scripſitque in tabulis juxta id, quod prius ſcripſerat.*

℣. 2. ESTO PARATUS MANE.] Veriſimile ſatis videtur ea omnia, quæ leguntur ab initio capitis trigeſimi tertii uſque ad verſiculum quartum capitis hujus Moyſi dicta fuiſſe in Tabernaculo, de quo ſermo eſt cap. 33. verſ. 7. Conceſſa populo venia, Deus ait ad Moyſen, quod in craſtinum mane ſummum C montem cum novis tabulis aſcenderet, quibus iterum Decalogus inſcriberetur.

℣. 5. STETIT MOYSES CUM EO INVOCANS NOMEN DOMINI.] Hebræus [1] : *Stetit ille cum eo, & clamavit ad nomen Domini.* Interpretes in diverſa abeunt quoad nominativum verbi *vocavit*, vel *clamavit*. Alii [2] Moyſen nominativum putant, alii [3] Deum. Poſtremus hic ſenſus æquior videtur. Moyſes cum perveniſſet in montem, & in locum eum rupis receſſiſſet, quem illi indicaverat Deus, nubem deſcendere vidit ; atque cum in ſpecum ſe ſe recepiſſet, audivit ſignum, quod dederat illi Deus, ſcilicet nomen *Jehovah*. Deus auribus illius hoc nomen intonuit, quemadmodum ſpoponderat c. 33. 19. Vide etiam Num. 14. 18.

D ℣. 6. QUO TRANSEUNTE CORAM EO, AIT : DOMINATOR, DOMINE DEUS.] Precem hanc Deo obtulit Moyſes, dum Deus ante ſpecum tranſiret ; verum hebraicus textus [4] videtur ſenſum innuere Vulgatæ oppoſitum. Hæc autem ſunt verba Dei ejuſdem, qui pertranſiens ſua Moyſi detegit attributa ; & Moyſes precem ſuam incipit ſolum verſic. 9. ubi ait : *Si inveni gratiam in conſpectu tuo, Domine, obſecro, ut gradiaris nobiſcum.* Notæ melioris Inter- A pretes [5] hic hebraici textus ſenſum ſequuntur. Illis Septuaginta favent, qui verbum ad tertiam perſonam referunt, *innocentem reddet*, vel, *juſtum putabit*, non ſecus ac hebraicus textus verſ. 7. cum illud in perſona ſecunda a Vulgata legatur. Targum Hieroſolymitanum Vulgatæ eſt conforme. Obſervatur ex undecim attributis, quæ Deus hic accipit, tria prima eſſentiam ipſius, ac potentiam reſpicere ; alia ſeptem ſpectare ad miſericordiam, poſtrema duo ad illius juſtitiam referri.

DOMINATOR, DOMINE.] Hebraice : *Jehovah, Jehovah*. Septuaginta, *Domine, Domine*, vel *Domine Deus*.

MULTÆ MISERATIONIS, AC VERAX.] Clemens erga illos, a quibus læſus eſt ; verax in promiſſorum fide præſtanda. Vel, miſericors, benignus, dulcis, gratia ſua præveniens, & parcens miſericordia. *Verax*. Fidelis, ſincerus, immutabilis, juſtus, æquus, neminem fallens, neque capax, qui fallatur ab ullo. Scriptura plerumque duas has Dei qualitates conjungit ; miſericordiam ipſius, ac veritatem ; & Sanctus Joannes in Evangelio eas veluti proprios characteres Meſſiæ tribuit, appellans *plenum gratiæ, & veritatis*, Joan. 1. 14.

℣. 7. QUI CUSTODIS MISERICORDIAM IN MILLIA.] Septuaginta [6] : *Qui ſervas juſtitiam, & facis miſericordiam in mille generationes.* Interpretes hi paſſim hebræum *cheſed* חסד vertunt *juſtitiam*. Hic duas adjunxere conjunctiones, ac poſuere juſtitiam, & miſericordiam.

C NULLUSQUE APUD TE PER SE INNOCENS EST.] Homo quilibet per ſe eſt peccator, atque Dei indiget auxilio : *Omnes peccaverunt, & egent gloria Dei*, Rom. 3. 23. Intelligi quoque poteſt juxta hebraicum textum : Deus non patietur (ullum peccatorem) abire impunem. Ad litteram [7] : *Non reddes innocentem*, vel *non habebis pro innocente*. Chaldaica verſio in ſenſu hoc poſteriori explicat ; *Deus non juſtificabitur illos, qui non convertuntur*, videlicet, eos mulctabit, ac plectet ſecundum crimina ipſorum. Septuaginta [8] : *Non juſtificabit impium.* Ille juſtus eſt Judex, qui ſine perſonarum acceptione reddet unicuique pro meritis ; & in eos animadvertet, qui nolunt converti. Arabica ; *Ille juſtificat, & non eſt juſtificatus.* Deus eſt eſſentialis juſtitia ; juſtificat D unumquemque, qui juſtificatus eſt, & juſtificatur a nemine, neque ullo indiget, ut juſtificetur.

QUI REDDIS INIQUITATEM PATRUM FILIIS,] Chaldaica verſio addit : *In filios filiorum nequam.* Videri poſſunt ea, quæ Exod. 20. 5. dicta ſunt de ſimili locutione. Hoc eſt conſequens loci præcedentis, ubi declarat Moyſes, neminem per ſe coram Deo eſſe innocentem. Hic addit, ipſum plectere patrum crimina in filiis uſque ad tertiam, & quartam generationem ; nam filii, & patres æque noxii ſunt

coram

1 ויקרא בשם יהוה ויתיצב עמו שם יהוה.
2 Ainſv. Oleaſt.
3 Vatabl. Grot. Munſter. Fag.
4 ויעבר יהוה יהוה אל רחום וחנון ונקה . . . . לא ינקה.
5 Cornel. Vatabl. Grot. Oleaſt. Munſt. Fag. Ainſv. Eſtc. Rab. Manahem &c.
6 Δικαιοσύνην διατηρῶν καὶ ποιῶν ἔλεος εἰς χιλιάδας.
7 ונקה לא ינקה.
8 Τὸν ἔνοχον οὐ καθαριεῖ.

coram illo, habebis eorumdem tantum, non ita vero miſericordiarum, ac beneficiorum, quæ a Deo fortaſſe acceperunt. Ludovicus de Dieu hanc improbat explicationem: & credit locum hunc, & præcedentem intelligendum eſſe de bonitate Dei, qui etiam cum plectit impios, juſtitiam ſuam ſumma cum ſeveritate nuſpiam exercet. Vertit autem: *Evacuando non evacuabo, viſitans peccata patrum in filios* &c. Summo cum rigore minime ulciſcitur, non evacuat juſtitiam ſuam; non delet abſolute eos, qui plecti merentur: percutiet in tertiam, & quartam uſque generationem, ſed non progredietur ultra.

℣. 9. NOSQUE POSSIDEAS.] Fidem præſta promiſſi, quo te nos in populum tuum peculiarem accepturum promiſiſti. Exod. 19. 5. & Deut. 7. 6. e 32. Septuaginta: *Nos erimus tui*, erimus hæreditas tua. Verti poteſt [1]: *Fac nos poſſidere*, ſupple, *terram*, quam pollicitus es nobis.

℣. 10. INIBO PACTUM VIDENTIBUS CUNCTIS.] Hebraicus textus [2], & Septuaginta: *Coram univerſo populo tuo*. Poſt aurei vituli adorationem primum fœdus nullius valoris habitum videtur fuiſſe: illud vero inſtauratum fuit recentibus tabulis, quas Moyſes accepit.

℣. 11. Septuaginta addunt *Gergeſæum*, quod non eſt in Vulgata. Hæc additio in eorum textu frequens eſt, ut alibi vidimus. Lyranus ait, Hebraicum textum hos populos præteriiſſe, quia in promiſſam terram ſe receperant, antequam illuc appellerent Iſraelitæ.

℣. 13. CONFRINGE STATUAS.] Pro ſtatuis Septuaginta [3] habent *columnas*, quod magis conforme videtur Hebraico *mazboth* מצבות. Addunt vero ad verſiculi finem: *incende ſtatuas ſculptiles Deorum ſuorum*.

℣. 15. NE CUM FORNICATI FUERINT CUM DIIS SUIS.] Scilicet cum eos adoraverint. Hæ loquendi rationes originem habuere a nequitiis, quæ patrabantur, in Ethnicorum Deorum feſtivitatibus, in Ægypto præſertim, ac in Phœnicia. In Scriptura Idololatria ſæpius fornicatio appellatur. Vide Jerem. 2. 16. Exod. 3. 1. & ſeq. Ezech. 16. 15. 16. & Exod. 20. 5.

ET ADORAVERINT SIMULACRA EORUM, VOCET TE.] Hebraicus textus, & Septuaginta: *& cum immolaverint Diis ſuis, ac te invitaverint*; ne pergas ad convivia, quæ inibunt, poſtquam Idolis ſuis immolaverint. Hæc erat conſuetudo amicos in convivium, atque comeſſationes adhibendi; ſimulac Diis ſacrificaſſent.

℣. 16. NEC UXOREM DE FILIABUS EORUM ACCIPIES FILIIS TUIS.] Septuaginta addunt; *nec junges filias tuas in uxores filiis eorum*. Chaldaice quoque eadem extat additio. Vetitum erat Hebræis alienigenas ducere uxores; quod eſt intelligendum non de Chananæis ſolum, verum etiam de mulieribus aliorum populorum, qui idola venerarentur. Mens Legislatoris, ac Hebræorum conſuetudo legem hanc ad Iſraelitarum filias extenderant; neque fas erat, eas tradere in uxores alienigenis, niſi hi populi Idololatræ ſe ſe convertiſſent. Septuaginta verſiculum hunc decimo quinto addunt, atque in ſimplici minarum ſenſu accipiunt, dicentes: Ne facias fœdus cum populis his; ne te in Idololatriam inducant, atque ex eorum filiabus tibi ſumas uxorem.

℣. 19. OMNE, QUOD APERIT VULVAM.] Vide Exodum c. 13. ℣. 12. 13.

℣. 20. NEC APPAREBIS IN CONSPECTU MEO VACUUS.] Vide Exod. 23. 15.

℣. 21. SEX DIEBUS OPERABERIS; DIE SEPTIMO

A CESSABIS ARARE, ET METERE.] Dies ſeptima vacua erit a labore, etiam cum maxima vel arandi, vel metendi neceſſitas urgeat. Vide Exod. 20. 9.

℣. 22. SOLEMNITATEM HEBDOMADARUM.] Scilicet Pentecoſtes, quæ feſtivitas celebrabatur poſt ſeptem a Paſchate hebdomadas. Perinde ac diceret: poſt hebdomadam hebdomadarum, poſt dies unde quinquaginta, offeres primitias meſſis tuæ triticeæ: *In primitiis frugum meſſis tuæ triticeæ*. Solemnitas hæc celebrabatur poſt meſſem tritici. Vide ad caput 23. 16.

ET SOLEMNITATEM, QUANDO REDEUNTE ANNI TEMPORE CUNCTA CONDUNTUR.] Hæc eſt ſolemnitas Tabernaculorum, quæ celebrabatur ad finem anni civilis, atque poſt meſſem [4]. Sed Septuaginta [5] dicunt ea celebrari conſueviſſe ad anni medietatem; quod intelligi poteſt dumtaxat de anni ſacri medie-

B tate, quæ ad finem anni civilis congruebat, ſub finem Septembris.

℣. 24. NULLUS INSIDIABITUR TERRÆ TUÆ.] Hebraicus textus [6], & Septuaginta habent; *Nemo terram tuam deſiderabit* &c.

℣. 25. NON IMMOLABIS SUPER FERMENTO SANGUINEM HOSTIÆ TUÆ.] Chaldaice: *Sanguinem Paſchatis mei*. Hoc intelligi debet de hoſtia Paſchali, quæ immolabatur, cum omne fermentum de domibus fuiſſet ablatum. Vide ad cap. 23. 18. *Non immolabis ſuper fermento ſanguinem victimæ meæ*.

℣. 26. NON COQUES HÆDUM IN SANGUINE MATRIS SUÆ.] Chaldaice: *Non comedes carnem cum lacte*. Sed aliter verſiculum hunc explicuimus in caput 23. 19.

C ℣. 27. SCRIBE TIBI VERBA HÆC.] Quidquid hactenus geſtum eſt, & leges omnes, quas populo impoſui. Vide, quid in primo capitis hujus verſiculo dixerim.

℣. 28. FUIT ERGO IBI CUM DOMINO QUADRAGINTA DIES.] Hæc tertia eſt quadrageſima juxta Hebræos, Lyranum, Cajetanum, Janſenium, atque alios. Prior, inquiunt illi, refertur Exod. 24. 18. ſecunda Exod. 32. 30. 31. & Deut. 9. 1. 18. Tertia vero hoc verſiculo exprimitur. Verum minime neceſſe reor, tertium hoc quadraginta dierum jejunium admittere; & Chronologia, quam ſequimur, id minime patitur.

SCRIPSIT IN TABULIS VERBA FOEDERIS DECEM.] Superius (Vide ℣. 1. hujus cap. 34.) adnotavimus

D verbum *ſcripſit*; nominativum requirere *Deum*, qui ipſe Decalogum ſcripſit ſuper has ſecundas tabulas lapideas.

℣. 29. IGNORABAT, QUOD CORNUTA ESSET FACIES SUA.] Septuaginta [7] vertunt: *Ignorabat faciem ſuam eſſe gloria circumdatam*. Apoſtolus quoque 2. Cor. 3. 7. dicit, Iſraelitas non potuiſſe: *intendere in faciem Moyſi propter gloriam vultus ejus*. Chaldaica verſio: *Ignorabat, quod facies ſua emitteret fulgorem gloriæ*. Syriaca: *Ignorabat, quod pellis faciei ſuæ munda erat, & fulgens*. Alii omnes Interpretes ſimiliter explicant *hæc cornua*, de quibus loquitur Hebraicus textus. Facies Moyſis gloriæ radiis micare cœpit, ſimulac ad honorem evectus fuit cum Deo colloquendi; vel potius cum S. Ambroſio in Pſal. 118. ſerm. 17. num. 29. Menochio, Toſtato, & aliis quibuſdam, ſimulac Deus illi ſe prodidit in foramine petræ. Splendor hic, qui deinceps e Moyſis capite effulſit, in dies majorem populi obedientiam, & venerationem illi conciliavit. Viatores quidam [8] aſſerunt Arabes quadraginta, vel quinquaginta annis natos,

1 נחלתנו. 70. Ἐσόμεθα σοι.
2 נגד כל עמך. Ἐναντίον παντὸς τοῦ λαοῦ σου.
3 Τὰς στήλας αὐτῶν. 4 Onkelos.
5 Μεσοῦντος τοῦ ἐνιαυτοῦ.
6 לא יחמד איש ארצך. 70. Οὐκ ἐπιθυμήσει οὐδεὶς τῆς γῆς σου.
7 Ὅτι δεδόξασται ἡ ὄψις τοῦ χρώματος τοῦ προσώπου αὐτοῦ. Hieron. in Amos 4. Ex Aquila: *Neſciebat quia cornuta erat ſpecies vultus ejus*.
8 Ludov. Patricius Rom. navig. l. 2. c. 4.

eos, comas erigere in cornuum ſpeciem, ita ut parvulis hædis ſimiles videantur. Ex Homero liquet Veteres comas ſuas in cincinnos componere, atque in fronte dividere conſueviſſe, ita ut in apicem aſſurgerent, & quædam veluti cornua imitarentur. Illi, qui pulchras habebant cæſaries, *κεραſται* vocabantur; perinde ac ſi dicerentur cornuti. Et Diomedes Paridi exprobrans nimiam cæſariei comendæ ſollicitudinem, hominem pulchris ornatum cornibus appellat apud Homer. Iliad. λ.

Ad Moyſis imitationem, credidit antiquitas, pleroſque Heroum, numinumque ſuorum cornibus præfulgidos repræſentaſſe. Bacchus exempli gratia cum cornibus paſſim repræſentatur. Facile eſt plurimas oſtendere ſimilitudines inter Moyſis hiſtoriam, & ea, quæ de Baccho Ethnici retulere. Hic natus eſt, ut nonnulli [1] malunt, in Ægypto, vel ſaltem educatus fuit a Nymphis in Niſæis Montibus Ægyptum inter, ac Phœniciam; quod ſignificare poteſt terram Geſſen, ubi Moyſes e matre ſua fuit educatus. Regio hæc inter Palæſtinam erat, ac urbem Tanis, ut alibi oſtendimus.

Bacchus primum in capſula clauſus aquis fuit expoſitus; duas ille matres [2] habuerat, ac eximia erat forma. Moyſis pulchritudinem Scriptura commendat, & nemo neſcit, ipſum a Pharaonia filia fuiſſe adoptatum. Bacchus magna ingreſſus eſt itinera, ac plurimis terris potitus eſt; mulieres quoque, æque ac homines in ipſius exercitu fuiſſe dicuntur. Indi fuerunt in tenebris, dum Bacchantes, ac Bacchi exercitus erant in lumine. Illi quoque non ſecus, ac Moyſi columna tribuitur. Vide Clem. Alex. l. 1. Strom. p. 348. Ex his omnibus facile agnoſci poteſt Iſraelitarum exercitus de Ægypto egredientium, quos columna lucis noctu, obſcura vero præcedebat interdiu. Bacchus Legislator vocatur [3], illiuſque lex duplex [4] appellatur, ut alluſio fiat ad tabulas Decalogi. A Poetis Bacchus nuncupatur *Mises Mises*, quod nomen maximam habet cum Moyſis nomine ſimilitudinem. Ajunt etiam Bacchantes de rupe Thyrſo percuſſa aquam eduxiſſe, addun tque fluxiſſe lactis, vini, & mellis rivos, quacumque illæ incederent: quod palam congruit rebus iis, quæ Scriptura de terra Chanaan enarrat. Denique legitur in Nonni Dionyſiacis, Bacchum ſicco pede Orontem, ac Hydaſpem traduxiſſe, cum primum ad Thyrſi tactum flumina exaruiſſent; quod erutum eſt ex Iſraelitarum hiſtoria de tranſitu maris Rubri, ac Jordanis.

Perhibetur baculus ex hedera, quem deferebat Bacchus, velut anguem obrepſiſſe, cum illum projeciſſet in terram; ubi palam miraculum Moſaicæ virgæ apparet. Diodorus addit præterea, Dionyſium, vel Bacchum comites habuiſſe Muſas, quæ ſapientes erant mulieres, canere, ac muſica inſtrumenta pulſare apprime ſcientes. Ex hac narratione facile deprehendimus Mariam ſororem Moyſis, ac fœminas Iſraelitas, quæ poſt maris rubri tranſitum Canticum gratiarum actionis occinebant. Diebus ſolemnitatum Deus *Liber* pretioſis, magnificiſque induebatur veſtibus, & caput vitta circumligabat. Aſt duæ hæ circumſtantiæ Aaronem potius referunt, quam Moyſen. Dicitur denique Deus, de quo loquimur, omnibus exſolviſſe oneribus illos, qui Muſicæ navabant operam: ubi Moyſes repræſentatur, qui exſolvit Sacerdotes, ac Levitas; quorum præcipua cura erat laudes Domino pſallendi, exſolvit, inquam, a re quapiam, quæ oneri eſſet in Republica. Perfecta adeo inter Bacchi, ac Moyſis hiſtoriam ſimilitudo fortuito contigiſſe non potuit; & fabula plane hiſtoriam exſcripſit, ut quæ Moyſis erant, Baccho deferret. Aliæ quoque colligi poſſent inter Hebræorum Legislatorem, alioſque Ethnicorum Deos, ſimilitudines, veluti Herculem, Mercurium, Tiphœum. Quod ſumma cum diligentia perficere adniſi ſunt Voſſius, Bochartus, Huetius, & alii, quibus res ceſſit e voto. S. Epiphanius hæreſ. 55. de Melchiſedecian. ait Idumæos, alioſque Arabiæ Populos adoraſſe Moyſen. Sed Idumæi, uti Joſephus refert Antiq. l. 18. c. 11. Deum Choze venerabantur: igitur credibile eſt Choze idem fuiſſe, ac Moyſen. Sed cum veteres fere omnes, qui de Arabum numinibus locuti ſunt, referant, hos populos adoraſſe Bacchum, conſequitur inde juxta populorum illorum mentem Choze, Moyſen, & Bacchum eumdem fuiſſe, vel ſi mavis, Heroa eumdem inter Deos relatum. Expoſitio earum ſimilitudinum, quas dudum inter Moyſen, & Bacchum oſtendimus, huic favens ſententiæ. Nomen *Bacchus* fluere poteſt a בר כוש *Bar-Chus*, ſcilicet filius tuus; *Jacchus* vero ex Hebraico יה כוש *Jah-Chus*, Deus Chus. Choze Joſephi idem pene ſignificat. Chus eam frequentavit Arabiæ partem, quæ ad oram rubri maris orientalem protenditur, atque Ægypto finitima adhæret. Moyſes ſatis diu in ea regione eſt commoratus. *Sephoram* uxorem duxit ex origine Chus, Num. 12. 1. Creditur autem, decus Legislatori huic deferri, patrem illi tribuendo virum celeberrimum, qualis erat Chus.

℣. 33. IMPLETISQUE SERMONIBUS, POSUIT VELAMEN.] Hebræus [5] ad litteram: *& ceſſavit loqui eis, & poſuit velamen ſuper faciem ſuam*. Re quidem vera ex Apoſtolo liquet, Moyſen faciem ſuam velaſſe, ut loqueretur ad populum, qui lumen illius pati non poterat. 2. Cor. 3. 7. & 13. 14. *Et non ſicut Moyſes ponebat velamen ſuper faciem ſuam, ut non intenderent filii Iſrael in faciem ejus, &c. Uſque in hodiernum enim diem idipſum velamen in lectione veteris teſtamenti manet non revelatum.* Septuaginta, non ſecus ac Vulgata ajunt, Moyſen non poſuiſſe velamen ſuper faciem ſuam, niſi cum impleſſet ſermonem ſuum. Menochius, & Cornelius a Lapide credunt, Moyſen primum facie adoperta verba feciſſe, propter Legis, quam exponebat, majeſtatem, ſed deinde faciem obtexiſſe, & nonniſi obvelata facie fuiſſe locutum. Splendor faciei illius is non erat, ut ferri nequaquam poſſet; ſed Moyſes modeſtiæ ergo obvelabat, atque ut populo libertatem relinqueret liberius ad ipſum loquendi, illi ex oculis auferendo ſplendorem illum, qui metum inſpirabat. Hæc eſt Janſenii ſententia. Hunc autem verſiculum 33. in plusquam perfecto tempore transferre malim: *Nam Moyſes impleverat ſermones ſuos, & poſuerat velamen ſuper faciem ſuam*, ſimulac cognoverat populum pati non poſſe faciei ipſius fulgorem.

1 Vide Diodor. Sicul. l. 4. c. 2.
2 Διμήτωρ.
3 Onomacritus in Orphaicis.
4 Δίθυρος.
5 ויכל משה מדבר אתם ויתן על פניו מסוה

coram illo, habita eorumdem ratione, non ita vero miſericordiarum, ac beneficiorum, quæ a Deo fortaſſe acceperunt. Ludovicus de Dieu hanc improbat explicationem: & credit locum hunc, & præcedentem intelligendum eſſe de bonitate Dei, qui etiam cum plectit impios, juſtitiam ſuam ſumma cum ſeveritate nuſpiam exercet. Vertit autem: *Evacuando non evacuabit, viſitans peccata patrum in filios* &c. Summo cum rigore minime ulciſcitur, non evacuat juſtitiam ſuam; non delet abſolute eos, qui plecti merentur: percutiet in tertiam, & quartam uſque generationem, ſed non progredietur ultra.

℣. 9. NOSQVE POSSIDEAS.] Fidem præſta promiſſi, quo te nos in populum tuum peculiarem accepturum promiſiſti. Exod. 19. 5. & Deut. 7. 6. e 32. Septuaginta: *Nos erimus tui*, erimus hæreditas tua. Verti poteſt [1]: *Fac nos poſſidere*, ſupple, *terram*, quam pollicitus es nobis.

℣. 10. INIBO PACTVM VIDENTIBUS CUNCTIS.] Hebraicus textus [2], & Septuaginta: *Coram univerſo populo tuo*. Poſt aurei vituli adorationem primum fœdus nullius valoris habitum videtur fuiſſe: illud vero inſtauratum fuit recentibus tabulis, quas Moyſes accepit.

℣. 11. Septuaginta addunt *Gergeſæum*, quod non eſt in Vulgata. Hæc additio in eorum textu frequens eſt, ut alibi vidimus. Lyranus ait, Hebraicum textum hos populos prætetiiſſe, quia in promiſſam terram ſe receperant, antequam illuc appellerent Iſraelitæ.

℣. 13. CONFRINGE STATUAS.] Pro ſtatuis Septuaginta [3] habent *columnas*, quod magis conforme videtur Hebraico *mazbeh* מצבה. Addunt vero ad verſiculi finem: *incende ſtatuas ſculptiles Deorum ſuorum*.

℣. 15. NE CUM FORNICATI FUERINT CUM DIIS SUIS.] Scilicet cum eos adoraverint. Hæ loquendi rationes originem habuere a nequitiis, quæ patrabantur, in Ethnicorum Deorum feſtivitatibus, in Ægypto præſertim, ac in Phœnicia. In Scriptura Idololatria ſæpius fornicatio appellatur. Vide Jerem. 2. 16, Exod. 3. 1. & ſeq. Ezech. 16. 15. 16. & Exod. 20. 5.

ET ADORAVERINT SIMULACRA EORUM, VOCET TE.] Hebraicus textus, & Septuaginta: & *cum immolaverint Diis ſuis, ac te invitaverint*; ne pergas ad convivia, quæ inibunt, poſtquam Idolis ſuis immolaverint. Hæc erat conſuetudo amicos in convivium, atque comeſſationes adhibendi; ſimulac Diis ſacrificaſſent.

℣. 16. NEC UXOREM DE FILIABUS EORUM ACCIPIES FILIIS TUIS.] Septuaginta addunt; *nec junges filias tuas in uxores filiis eorum*. Chaldaice quoque eadem extat additio. Vetitum erat Hebræis alienigenas ducere uxores; quod eſt intelligendum non de Chananæis ſolum, verum etiam de mulieribus aliorum populorum, qui idola venerarantur. Mens Legiſlatoris, ac Hebræorum conſuetudo legem hanc ad Iſraelitarum filias extendarant; neque fas erat, eas tradere in uxores alienigenis, niſi hi populi Idololatriæ ſe ſe convertiſſent. Septuaginta verſiculum hunc decimo quinto addunt, atque in ſimplici minarum ſenſu accipiunt, dicentes: Ne facias fœdus cum populis his; ne te in Idololatriam inducant, atque ex eorum filiabus tibi ſumas uxorem.

℣. 19. OMNE, QUOD APERIT VULVAM.] Vide Exodum c. 13. ℣. 12. 13.

℣. 20. NEC APPAREBIS IN CONSPECTU MEO VACUUS.] Vide Exod. 23. 15.

℣. 21. SEX DIEBUS OPERABERIS; DIE SEPTIMO CESSABIS ARARE, ET METERE.] Dies ſeptima vacua eris a labore, etiam cum maxima vel arandi vel metendi neceſſitas urgeat. Vide Exod. 20. 9.

℣. 22. SOLEMNITATEM HEBDOMADARUM.] Scilicet Pentecoſtes, quæ feſtivitas celebrabatur poſt ſeptem a Paſchate hebdomadas. Perinde ac diceret: poſt hebdomadam hebdomadarum, poſt dies unde quinquaginta, offeres primitias meſſis tuæ triticeæ: *In primitiis frugum meſſis tuæ triticeæ*. Solemnitas hæc celebrabatur poſt meſſem tritici. Vide ad caput 23. 16.

ET SOLEMNITATEM, QUANDO REDEUNTE ANNI TEMPORE CUNCTA CONDUNTUR.] Hæc eſt ſolemnitas Tabernaculorum, quæ celebrabatur ad finem anni civilis, atque poſt meſſem [4]. Sed Septuaginta [5] dicunt ea celebrari conſueviſſe ad anni medietatem; quod intelligi poteſt dumtaxat de anni ſacri medietate, quæ ad finem anni civilis congruebat, ſub finem Septembris.

℣. 24. NULLUS INSIDIABITUR TERRÆ TUÆ.] Hebraicus textus [6], & Septuaginta habent; *Nemo terram tuam deſiderabit* &c.

℣. 25. NON IMMOLABIS SUPER FERMENTO SANGUINEM HOSTIÆ TUÆ.] Chaldaice: *Sanguinem Paſchatis mei*. Hoc intelligi debet de hoſtia Paſchali, quæ immolabatur, cum omne fermentum de domibus fuiſſet ablatum. Vide ad cap. 23. 18. *Non immolabis ſuper fermento ſanguinem victimæ meæ*.

℣. 26. NON COQUES HÆDUM IN SANGUINE MATRIS SUÆ.] Chaldaice: *Non comedes carnem cum lacte*. Sed aliter verſiculum hunc explicuimus in caput 23. 19.

℣. 27. SCRIBE TIBI VERBA HÆC.] Quidquid hactenus geſtum eſt, & leges omnes, quas populo impoſui. Vide, quid in primo capitis hujus verſiculo dixerim.

℣. 28. FUIT ERGO IBI CUM DOMINO QUADRAGINTA DIES.] Hæc tertia eſt quadrageſima juxta Hebræos, Lyranum, Cajetanum, Janſenium, atque alios. Prior, inquiunt illi, refertur Exod. 24. 18. ſecunda Exod. 32. 30. 31. & Deut. 9. 1. 18. Tertia vero hoc verſiculo exprimitur. Verum minime neceſſe reor, tertium hoc quadraginta dierum jejunium admittere; & Chronologia, quam ſequimur, id minime patitur.

SCRIPSIT IN TABULIS VERBA FOEDERIS DECEM.] Superius (Vide ℣. 1. hujus cap. 34.) adnotavimus verbum *ſcripſit*, nominativum requirere *Deum*, qui ipſe Decalogum ſcripſit ſuper has ſecundas tabulas lapideas.

℣. 29. IGNORABAT, QUOD CORNUTA ESSET FACIES SUA.] Septuaginta [7] vertunt: *Ignorabat faciem ſuam eſſe gloria circumdatam*. Apoſtolus quoque 2. Cor. 3. 7. dicit, Iſraelitas non potuiſſe: *Intendere in faciem Moyſi propter gloriam vultus ejus*. Chaldaica verſio: *Ignorabat, quod facies ſua emitteret fulgorem gloriæ*. Syriace: *Ignorabat, quod pellis faciei ſuæ munda erat, & fulgens*. Alii omnes Interpretes ſimiliter explicant *hæc cornua*, de quibus loquitur Hebraicus textus. Facies Moyſis gloriæ radiis micare cœpit, ſimulac ad honorem evectus fuit cum Deo colloquendi; vel potius cum S. Ambroſio in Pſal. 118. ſerm. 17. num. 29. Menochio, Toſtato, & aliis quibuſdam, ſimulac Deus illi ſe prodidit in foramine petræ. Splendor hic, qui deinceps e Moyſis capite effulſit, in dies majorem populi obedientiam, & venerationem illi conciliavit. Viatores quidam [8] aſſerunt Arabes quadraginta, vel quinquaginta annis natos,

---

1 נחלתנו. 70. Ἐσόμεθα σοι.
2 נגד כל עמך. Ἐνώπιον παντὸς τοῦ λαοῦ σου.
3 Τὰς στήλας αὐτῶν. 4 Onkelos.
5 Μεσοῦντος τοῦ ἐνιαυτοῦ.
6 ולא יחמד איש ארצך. 70. Οὐκ ἐπιθυμήσει οὐδεὶς τῆς γῆς σου.
7 Οὐκ δεδόξασαι ἡ ὄψις τοῦ χρώτος τοῦ προσώπου αὐτοῦ. Hieron. in Amos 4. Ex Aquila: *Neſciebat quia cornuta erat ſpecies vultus ejus*.
8 Ludov. Patricius Rom. navig. l. 2. c. 4.

eos, comas erigere in cornuum ſpeciem, ita ut par- A vulis hædis ſimiles videantur. Ex Homero liquet Veteres comas ſuas in cincinnos componere, atque in fronte dividere conſueviſſe, ita ut in apicem aſſurgerent, & quædam veluti cornua imitarentur. Illi, qui pulchras habebant cæſaries, *κεραſται* vocabantur; perinde ac ſi dicerentur cornuti. Et Diomedes Paridi exprobrans nimiam cæſariei comendæ ſollicitudinem, hominem pulchris ornatum cornibus appellat apud Homer. Iliad. 11.

Ad Moyſis imitationem, creditur antiquitas, pleroſque Heroum, numinumque ſuorum cornibus præfulgidos repræſentaſſe. Bacchus exempli gratia cum cornibus paſſim repræſentatur. Facile eſt plurimas oſtendere ſimilitudines inter Moyſis hiſtoriam, & ea, quæ de Baccho Ethnici retulere. Hic natus eſt, B ut nonnulli [1] malunt, in Ægypto, vel ſaltem educatus fuit a Nymphis in Niſæis Montibus Ægyptum inter, ac Phœniciam; quod ſignificare poteſt terram Geſſen, ubi Moyſes a matre ſua fuit educatus. Regio hæc inter Palæſtinam erat, ac urbem Tanis, ut alibi oſtendimus.

Bacchus primum in capſola clauſus aquis fuit expoſitus: duas ille matres [2] habuerat, ac eximia erat forma. Moyſis pulchritudinem Scriptura commendat, & nemo neſcit, ipſum a Pharaonis filia fuiſſe adoptatum. Bacchus magna ingreſſus eſt itinera, ac plurimis terris potitus eſt; mulieres quoque, æque ac homines in ipſius exercitu fuiſſe dicuntur. Indi fuerunt in tenebris, dum Bacchantes, ac Bacchi exercitus erant in lumine. Illi quoque non faces, C ut Moyſi columna tribuitur. Vide Clem. Alex. l. 1. Strom. p. 348. Ex his omnibus facile agnoſci poteſt Iſraelitarum exercitus de Ægypto egredientium, quos columna lucis noctu, obſcura vero præcedebat interdiu. Bacchus Legiſlator vocatur [3], illiuſque lex duplex [4] appellatur, ut alluſio fiat ad tabulas Decalogi. A Poetis Bacchus nuncupatur *Μύſες Μύσης*, quod nomen maximam habet cum Moyſis nomine ſimilitudinem. Ajunt etiam Bacchantes de rupe Thyrſo percuſſa aquas eduxiſſe, addunque fluxiſſe lactis, vini, & mellis rivos, quacumque illæ incederent: quod palam congruit rebus iis, quæ Scriptura de terra Chanaan enarrat. Denique legitur in *Nonni* Dionyſiacis, Bacchum ſicco pede Orontem, ac Hydaſpem traduxiſſe, cum primum ad Thyrſi ta- D ctum flumina exaruiſſent; quod erutum eſt ex Iſraelitarum hiſtoria de tranſitu maris Rubri, ac Jordanis.

Perhibetur baculus ex hedera, quem deferebat Bacchus, velut anguem obrepſiſſe, cum illum projeciſſet in terram; ubi palam miraculum Moſaicæ virgæ apparet. Diodorus addit præterea, Dionyſium, vel Bacchum comites habuiſſe Muſas, quæ ſapientes erant mulieres, canere, ac muſica inſtrumenta pulſare apprime ſcientes. Ex hac narratione facili deprehendimus Mariam ſororem Moyſis, ac fœminas Iſraelitas, quæ poſt maris rubri tranſitum Canticum gratiarum actionis occinebant. Diebus ſolemnitatum Deus *Liber* pretioſis, magnificiſque induebatur veſtibus, & caput vitta circumligabat. Aſt duæ hæ circumſtantiæ Aaronem potius referunt, quam Moyſen. Dicitur A denique Deus, de quo loquimur, omnibus exſolviſſe oneribus illos, qui Muſicæ navabant operam: ubi Moyſes repræſentatur, qui exſolvit Sacerdotes, ac Levitas; quorum præcipua cura erat laudes Domino pſallendi; exſolvit, inquam, a re quapiam, quæ oneri eſſet in Republica. Perfecta adeo inter Bacchi, ac Moyſis hiſtoriam ſimilitudo fortuito contigiſſe non potuit; & fabola plane hiſtoriam exſcripſit, ut quæ Moyſis erant, Baccho deferret. Aliæ quoque colligi poſſent inter Hebræorum Legiſlatorem, alioſque Ethnicorum Deos, ſimilitudines, veluti Herculem, Mercurium, Tiphœum. Quod ſumma cum diligentia perficere adniſi ſunt Voſſius, Bochartus, Huetius, & alii, quibus res ceſſit e voto. S. Epiphanius hæreſ. 55. de Melchiſedecian. ait Idumæos, B alioſque Arabiæ Populos adoraſſe Moyſen. Sed Idumæi, uti Joſephus refert Antiq. l. 18. c. 11. Deum Choze venerabantur: igitur credibile eſt Chozæ idem fuiſſe, ac Moyſen. Sed cum veteres fere omnes, qui de Arabum numinibus locuti ſunt, referant, hos populos adoraſſe Bacchum, conſequitur Indu juxta populorum illorum mentem Choze, Moyſen, & Bacchum eumdem fuiſſe, vel ſi mavis, Heros eumdem inter Deos relatum. Expoſitio earum ſimilitudinum, quas dudum inter Moyſen, & Bacchum oſtendimus, huic favent ſententiæ. Nomen *Bacchus* fluere poteſt a בר כוש *Bar-Chus*, ſcilicet filius Chus; C *Jacchus* vero ex Hebraico יה כוש *Jah-Chus*, Deus Chus. Choze Joſephi idem pene ſignificat. Chus eam frequentavit Arabiæ partem, quæ ad oram rubri maris orientalem protenditur, atque Ægypto finitima adhæret. Moyſes ſatis diu in ea regione eſt commoratus. *Sephoram* uxorem duxit ex origine Chus, Num. 12. 1. Creditum autem, decus Legiſlatori heic deferri, patrem illi tribuendo virum celeberrimum, qualis erat Chus.

℣. 33. IMPLETISQUE SERMONIBUS, POSUIT VELAMEN.] Hebræus [5] ad litteram: *& ceſſavit loqui eis, & poſuit velamen ſuper faciem ſuam*. Ita quidem vere ex Apoſtolo liquet, Moyſen faciem ſuam velaſſe, ut loqueretur ad populum, qui lumen illius pati non poterat. 2. Cor. 3. 7. & 13. 14. *Et non ſicut Moyſes ponebat velamen ſuper faciem ſuam, ut non intenderent filii Iſrael in faciem ejus, &c. Uſque in hodiernum enim diem idipſum velamen in lectione veteris teſtamenti manet non revelatum*. Septuaginta, non ſe- D cus ac Vulgata ajunt, Moyſen non poſuiſſe velamen ſuper faciem ſuam, niſi cum implevit ſermonem ſuum. Menochius, & Cornelius a Lapide credunt, Moyſen primum facie adoperta verba feciſſe, propter Legis, quam exponebat, majeſtatem, ſed deinde faciem obtexiſſe, & nonniſi obvelata facie fuiſſe locutum. Splendor faciei illius is non erat, ut ferri nequaquam poſſet; ſed Moyſes modeſtiæ ergo obvelabat, atque ut populo libertatem relinqueret liberius ad ipſum loquendi, illi ex oculis auferendo ſplendorem illum, qui metum inſpirabat. Hæc eſt Janſenii ſententia. Hunc autem verſiculum 33. in plusquam perfecto tempore transferre mallem: *Nam Moyſes impleverat ſermones ſuos, & poſuerat velamen ſuper faciem ſuam*, ſimulac cognoverat populum pati non poſſe faciei ipſius fulgorem.

1 Vide Diodor. Sicul. l. 4. c. 2.
2 Διμήτωρ.
3 Onomacritus in Orphaicis.
4 Διθεσμος Θέσμιος.
5 ויכל משה מדבר אתם ויתן על פניו מסוה

CAPUT XXXV.

Lex pro Sabbathi obſervatione. Populus ad Tabernaculi conſtructionem tributum confert. Baſeleel, & Ooliab ad opus illius deſtinantur.

1. IGitur congregata omni turba filiorum Iſrael, dixit ad eos: Hæc ſunt, quæ juſſit
Dominus fieri: 2 Sex diebus facietis opus: ſeptimus dies erit vobis ſanctus,
ſabbatum, & requies Domini: qui fecerit opus in eo, occidetur. 3 Non ſuc-
cendetis ignem in omnibus habitaculis veſtris per diem ſabbati. 4 Et ait Moyſes ad
omnem catervam filiorum Iſrael: iſte eſt ſermo, quem præcepit Dominus, dicens: 5
Separate apud vos primitias Domino. Omnis voluntarius, & prono animo offerat eas
Domino; aurum, & argentum, & æs, 6 Hyacinthum, & purpuram, coccumque bis
tinctum, & byſſum, pilos caprarum, 7 Pelleſque arietum rubricatas, & janthinas,
ligna Setim, 8 Et oleum ad luminaria concinnanda, & ut conficiatur unguentum,
& thymiama ſuaviſſimum, 9 Lapides onychinos, & gemmas ad ornatum ſuperhume-
ralis, & rationalis. 10 Quiſquis veſtrum ſapiens eſt, veniat & faciat, quod Domi-
nus imperavit: 11 Tabernaculum, ſcilicet, & tectum ejus, atque operimentum, an-
nulos, & tabulata cum vectibus, paxillos & baſes: 12 Arcam, & vectes, propitiato-
rium, & velum, quod ante illud oppanditur: 13 Menſam cum vectibus, & vaſis, &
propoſitionis panibus: 14 Candelabrum ad luminaria ſuſtentanda, vaſa illius, & lucer-
nas, & oleum ad nutrimenta ignium: 15 Altare thymiamatis, & vectes, & oleum
unctionis, & thymiama ex aromatibus: Tentorium ad oſtium tabernaculi: 16 Altare
holocauſti, & craticulam ejus æneam cum vectibus, & vaſis ſuis: labrum, & baſim
ejus: 17 Cortinas atrii cum columnis, & baſibus, tentorium in foribus veſtibuli. 18
Paxillos tabernaculi, & atrii cum funiculis ſuis: 19 Veſtimenta, quorum uſus eſt in
miniſterio ſanctuarii, veſtes Aaron Pontificis, ac filiorum ejus, ut ſacerdotio fungantur
mihi. 20 Egreſſaque omnis multitudo filiorum Iſrael de conſpectu Moyſi, 21 Ob-
tulerunt mente promptiſſima, atque devota primitias Domino, ad faciendum opus ta-
bernaculi teſtimonii. Quidquid ad cultum, & ad veſtes ſanctas neceſſarium erat. 22
Viri cum mulieribus præbuerunt armillas, & inaures, annulos, & dextralia: omne
vas aureum in donaria Domini ſeparatum eſt. 23 Si quis habebat hyacinthum, & pur-
puram, coccumque bis tinctum, byſſum, & pilos caprarum, pelles arietum rubricatas,
& janthinas, 24 Argenti, æriſque metalla, obtulerunt Domino, lignaque Setim in va-
rios uſus. 25 Sed & mulieres doctæ, quæ neverant, dederunt hyacinthum, purpu-
ram, & vermiculum, ac byſſum, 26 Et pilos caprarum, ſponte propria cuncta tri-
buentes. 27 Principes vero obtulerunt lapides onychinos, & gemmas ad ſuperhu-
merale, & rationale, 28 Aromataque, & oleum ad luminaria concinnanda, & ad præ-
parandum unguentum, ac thymiama odoris ſuaviſſimi componendum. 29 Omnes viri,
& mulieres mente devota obtulerunt donaria, ut fierent opera, quæ juſſerat Dominus
per manum Moyſi. Cuncti filii Iſrael voluntaria Domino dedicaverunt. 30 Dixitque
Moyſes ad filios Iſrael: Ecce vocavit Dominus ex nomine Beſeleel filium Uri filii
Hur de tribu Juda. 31 Implevitque eum ſpiritu Dei, ſapientia, & intelligentia, &
ſcientia, & omni doctrina, 32 Ad excogitandum, & faciendum opus in auro & ar-
gento, & ære, 33 Sculpendiſque lapidibus, & opere carpentario. Quidquid fabre
adinveniri poteſt, 34 Dedit in corde ejus: Ooliab quoque filium Achiſamech de
tribu Dan: 35 Ambos erudivit ſapientia, ut faciant opera abietarii, polymitarii, ac
plumarii de hyacintho ac purpura, coccoque bis tincto, & byſſo, & texant omnia, ac
nova quæque reperiant.

ꝟ. 1. NON SUCCENDETIS IGNEM.] Ignem accendere, neque in opus ſervile fas erat; exempli gratia ad excoquendum panem, metalla fundenda; neque in opus ad vitam neceſſarium, veluti ad epulas præparandas. A Hoc ignis ſuccendendi interdictum peculiare erat diei ſabbathi; nam ceteris feſtivitatis diebus hoc minime vetitum erat. Vide Exodum 12. 16. Tirinum, Menochium, Sa. Rabbini aſſerunt fas eſſe ignem ſuccendere ad calefaciendum, ac lucernas accenden-

cen.lendae. Joſephus lib. 2. cap. 13. de bello rem narrat, velut Eſſæis peculiarem, quod illi ignem die illa minime accenderent. Nihilominus Authores Hebræi [1] teſtantur hoc in natione univerſa fuiſſe obſervatum. Samaritani, & Karaitæ adverſus aliorum Iudæorum ſententiam arbitrantur nequaquam fas eſſe per alios ignem accendere, atque oppoſitam conſuetudinem Legis corruptionem exiſtimant. Judæi paſſim domeſticos Chriſtianos habent, qui illis die ſabbathi ignem ſuccendunt.

℣. 9. GEMMAS AD ORNANDUM.] Hebræus [2]: *Gemmas ad committendum*. Septuaginta [3]: *Gemmas ad inſculpendum*.

℣. 11. TABERNACULUM SCILICET, ET TECTUM EIUS.] Videlicet, juxta Hebraicum textum, Tabernaculum, & pretioſa velamina, quæ primis erant ſuperimpoſita.

ANNULOS.] Hebraica vox קרסים ſignificat potius uncinulos, fibulas.

PAXILLOS, ET BASES.] Hebræus [4]: Columnas, & baſes earum.

℣. 19. VESTIMENTA, QUORUM USUS EST IN MINISTERIO SANCTUARII.] Vatablus, & alii quidam credunt, hæc ea eſſe veſtimenta, quibus omnia Tabernaculi vaſa involvebantur; veſtimenta omnino diverſa a ſacris veſtibus Aaronis, de quibus ſtatim deinde ſermo eſt. Vide Exod. 31. 10. & 39. 1.

℣. 22. ARMILLAS, ET INAURES, ANNULOS, ET DEXTRALIA.] Septuaginta [5] vertunt: *Viri præbebant ſigilla, inaures, annulos, torques, catenulas, armillas uxorum ſuarum*. Ex his Interpretibus videntur mulieres non per ſe hæc obtuliſſe munera inaurium, & armillarum &c. ſed homines pro illis eadem obtuliſſe. Sententia hæc verſiculo vigeſimo quinto confirmatur, & ex hebraico loci hujus textu, qui habet [6]: *Homines præter fœminas* (vel ſine fœminis) *obtulerunt armillas*. Hebraicum *Chach*, quod vertitur a Vulgata pro armillis, a Recentiorum pleriſque vertitur pro uncinulis, vel fibulis.

INAURES.] Hebraica vox *neſem* ſumitur pro inauribus, & narium, vel frontis ornamentis; *Annulos*. Nulla quoad vocem hanc eſt difficultas. *Dextralia*, ornamenta manus dexteræ. Vulgata hic adhæſit Septuaginta. Crediderunt illi Hebræum כומז *cumaz* ſignificare armillas, quæ dexteræ manui, vel dextero brachio imponebantur. Trebellius Pollio [7] de his dexteræ manus ornamentis loquitur, illa appellans *dextrocheria*; & ait mulieres deferre conſueviſſe imaginem Magni Alexandri inſculptam *in reticulis, & dextrocheriis, & annulis* &c. *Dextrocherion* fuiſſe dicitur brachii annulus, ſatis latus, aureus, & gemmis refertus. Alii hebraicam vocem de pretioſa parmula explicant, quæ in anteriori zonæ parte pendebat. Chaldaica verſio juxta Vatablum intelligit de lato balteo, tunica, vel veterum femoralium ſpecie.

A Vide Exod. 28. 42. Alii de vitta explicant, qua virgines ſuper ubera pectus claudebant, quæ vocabatur faſcia pectoralis. Rabbini quidam credunt figuram obſcœnam ſignificari. Syriaca verſio addidit quintum ornatum, non ſecus ac Septuaginta, qui ponunt quinto loco armillas. Ex his omnibus nihil eſt ſatis certum.

℣. 25. SED ET MULIERES DOCTÆ, QUÆ NEVERANT, DEDERUNT HYACINTHUM &c.] Viri metalla præbuerunt, aromata, & oleum: mulieres vero lanam, quam neverant. Ex loco hoc videtur lana prius quam neretur, ac texeretur, colore imbuta fuiſſe. Idem in Homero intuemur, qui colum Reginæ Helenæ purpura onuſtam deſcribit Odyſſ. Δ. Areta Alcinoi regis conjux purpura colum repleverat Odyſſ. Z.

B Verum hæ lanæ ex iis erant fortaſſe, de quibus locuti ſumus Exod. 25. 5. quæ naturaliter purpureo colore erant infectæ. Itaque dici poteſt, hyacinthinas has, purpureaſque lanas, naturalem colorem prætuliſſe, cum Iſraelitæ fœminæ eas obtulerunt, neque antea colore imbutas fuiſſe, quemadmodum neque poſtea imbutæ fuerunt. Plinius lib. 8. 48. ait temporibus ſuis quandoque vellus viventis adhoc animalis tinctum fuiſſe, & lanam illam, coloremque majori in pretio, ac diutius manſurum, habitum fuiſſe. *Vidimus jam & viventium vellera purpura, cocco, conchilio, ſeſquilibris infecta* &c. Verum hoc Moyſis ævo in uſu poſitum fuiſſe minime eſt probabile. Antiquitus mulieres ipſæ nebant, texebant, inficiebantC que lanas, uti adnotat Caſaubonus in Athenæi lib. 13. cap. 8.

℣. 26. ET PILOS CAPRARUM.] Hebraicus textus, & Septuaginta inquiunt eas filum contuliſſe e pilis caprarum. Exod. 25. 4.

℣. 27. PRINCIPES OBTULERUNT LAPIDES ONYCHINOS.] Vel ſmaragdos juxta Septuaginta. Hebraice lapillos *ſoham*.

℣. 33. OPERE CARPENTARIO.] Hebraice [8] habetur ſimpliciter: *Opere e ligno*.

QUIDQUID FABRE ADINVENIRI POTEST (℣. 34.) DEDIT IN CORDE EIUS.] Hebraicus textus [9] verti poteſt: *In omni opere, quod mentem requirit* (vel inventionem) (verſic. 38.) *atque ad alios edocendos*.

D ℣. 35. OPERA ABIETARII.] Hebraica vox חרש generatim ſignificat artificem, vel fabrum lignarium, ferrarium, lapidarium &c.

TEXANT OMNIA, AC NOVA QUÆQUE REPERIANT.] Hebraice: *Textores*, vel periſtromatarii, *qui omnia operum genera perficiant, & artifices inventivi, qui inventiones inveniunt*. Septuaginta: Ad faciendum omne opus architectonicum, vel acu Phrygio pictum. Vide Exod. 26. 1.

---

1 Moſ. Ægypti Halac Sabbath. l. 3. p. 5. 6.
2 אבני מלאים.
3 Λίθοι εἰς τὴν γλύφην.
4 עמודים ואדניהם.
5 Ἤνεγκαν δὲ ἄνδρες παρὰ τῶν γυναικῶν, . . . σφραγῖδας καὶ ἐνώτια καὶ δακτυλίους καὶ ἐμπλόκια καὶ περιδέξια.
6 ויבאו האנשים על הנשים . . . . חח ונזם.
7 Trebell. in Quieto 30. Tyran. Vide Jul. Capitolin. & qui eum ſcripſerunt.
8 בחרשת עץ.
9 לעשות בכל מלאכה מחשבת ולהורות.

C A-

CAPUT XXXVI.

Moyſes exequitur id, quod ipſi capite 26. fuerat imperatum, quoad Tabernaculum, & partes illius.

1. FEcit ergo Beſeleel, & Ooliab, & omnis vir ſapiens, quibus dedit Dominus ſa-
pientiam, & intellectum, ut ſcirent fabre operari, quæ in uſus Sanctuarii ne-
ceſſaria ſunt, & quæ præcepit Dominus. 2 Cumque vocaſſet eos Moyſes, &
omnem eruditum virum, cui dederat Dominus ſapientiam, & qui ſponte ſua obtulerant
ſe ad faciendum opus, 3 Tradidit eis univerſa donaria filiorum Iſrael. Qui cum inſta-
rent operi, quotidie mane vota populus offerebat. 4 Unde artifices venire compulſi,
5 Dixerunt Moyſi: Plus offert populus, quam neceſſarium eſt, 6 Juſſit ergo Moyſes
præconis voce cantari; Nec vir, nec mulier quidquam offerat ultra in opere Sanctua-
rii. Sicque ceſſatum eſt a muneribus offereudis, 7 Eo quod oblata ſufficerent, & ſu-
perabundarent. 8 Feceruntque omnes corde ſapientes ad explendum opus tabernacu-
li, cortinas decem de byſſo retorta, & hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto,
opere vario, & arte polymita: 9 Quarum una habebat in longitudine viginti octo cu-
bitos, & in latitudine quatuor: una menſura erat omnium cortinarum. 10 Conjun-
xitque cortinas quinque, alteram alteri, & alias quinque ſibi invicem copulavit. 11
Fecit & anſas hyacinthinas in ora cortinæ unius ex utroque latere, & in ora cortinæ
alterius ſimiliter. 12 Ut contra ſe invicem venirent anſæ, & mutuo jungerentur. 13
Unde & quinquaginta fudit circulos aureos, qui morderent cortinarum anſas, & fieret
unum tabernaculum, 14 Fecit & ſaga undecim de pilis caprarum ad operiendum te-
ctum tabernaculi: 15 Unum ſagum in longitudine habebat cubitos triginta, & in la-
titudine cubitos quatuor, unius menſuræ erant omnia ſaga. 16 Quorum quinque jun-
xit ſeorſum, & ſex alia ſeparatim. 17 Fecitque anſas quinquaginta in ora ſagi unius,
& quinquaginta in ora ſagi alterius, ut ſibi invicem jungerentur, 18 Et fibulas æneas
quinquaginta, quibus necteretur tectum, ut unum pallium ex omnibus ſagis fieret. 19
Fecit & opertorium tabernaculi de pellibus arietum rubricatis: aliunde deſuper vela-
mentum de pellibus janthinis. 20 Fecit & tabulas tabernaculi de lignis Setim ſtantes.
21 Decem cubitorum erat longitudo tabulæ unius: & unum ac ſemis cubitum latitudo
retinebat. 22 Binæ incaſtraturæ erant per ſingulas tabulas, ut altera alteri jungeretur.
Sic fecit in omnibus tabernaculi tabulis. 23 E quibus viginti ad plagam meridianam
erant contra auſtrum, cum quadraginta baſibus argenteis.. 24 Duæ baſes ſub una tabu-
la ponebantur ex utraque parte angulorum, ubi incaſtraturæ laterum in angulis termi-
nantur. 25 Ad plagam quoque tabernaculi, quæ reſpicit ad aquilonem, fecit viginti
tabulas, 26 Cum quadraginta baſibus argenteis, duas baſes per ſingulas tabulas. 27
Contra occidentem vero, id eſt, ad eam partem tabernaculi, quæ mare reſpicit, fecit
ſex tabulas, 28 Et duas alias per ſingulos augulos tabernaculi retro: 29 Quæ junctæ
erant a deorſum uſque ſurſum, & in unam compaginem pariter ferebantur. Ita fecit ex
utraque parte per angulos: 30 Ut octo eſſent ſimul tabulæ, & haberent baſes argen-
teas ſedecim, binas ſcilicet baſes ſub ſingulis tabulis. 31 Fecit & vectes de lignis Se-
tim, quinque ad continendas tabulas unius lateris tabernaculi, 32 Et quinque alios ad
alterius lateris coaptandas tabulas, & extra hos quinque alios vectes ad occidentalem
plagam tabernaculi contra mare. 33 Fecit quoque vectem alium, qui per medias ta-
bulas ab angulo uſque ad angulum perveniret. 34 Ipſa autem tabulata deauravit, fuſis
baſibus earum argenteis. Et circulos eorum fecit aureos, per quos vectes induci poſ-
ſent: quos & ipſos laminis aureis operuit. 35 Fecit & velum de hyacintho, & pur-
pura: vermiculo, ac byſſo retorta, opere polymitario, varium, atque diſtinctum. 36
Et quatuor columnas de lignis Setim, quas cum capitibus deauravit, fuſis baſibus eo-
rum argenteis. 37 Fecit & tentorium in introitu tabernaculi ex hyacintho, purpura,
vermiculo, byſſoque retorta, opere plumarii: 38 Et columnas quinque cum capitibus
ſuis, quas operuit auro, baſeſque earum fudit æneas.

Ani-

℣. 1. QUOTIDIE MANE VOTA POPULUS OFFEREBAT.] Hebraicus textus vertitur; *Populus quotidie mane deferebat ad Moyſen voluntarias oblationes*; dum Septuaginta, & Vulgata aſſerunt, populum eas ad artifices detuliſſe.

℣. 4. Animadvertendum eſt, nos in poſtremis his quatuor Capitibus ſequi Septuaginta Complutenſis editionis, quæ magis eſt Vulgatæ conformis, quam Editio Romana, quæ plerumque in his capitibus negligitur. Illa adimit, tranſponit, immutat; & uc verbo me expediam, tot ibi varietates inveneris, quod impoſſibile ferme ſit, omnes adnotare, niſi textum illius a capite ad pedes uſque deſcripſeris. Exempli gratia hic verſ. 5. ad finem uſque Romana editio habet Sacerdotalium veſtium deſcriptionem, cum de his 39. tantum capite differant Editio Complutenſis, & Vulgata. Septuaginta loquuntur de Tabernacolo capite 37. ſed ſtrictius de illo hic ſermo eſt ver. 8. & ſequentibus. Alibi quædam varietates, quæ in ipſorum Verſione occurrunt, obſervari potetunt, quoad numeros.

Advertendum id quoque eſt, ea omnia, quæ in capitibus 36. 37. & in parte etiam capitis 38. & toto capite 39. eſſe tantum repetitiones, quas omittere potuiſſet Moyſes dicens artifices id omne perfeciſſe, quod illi dixerat Moyſes juxta Domini præceptum. Itaque nos minime repetemus, quod alibi vidimus de Tabernaculi, partium ipſius, ac Sacerdotalium veſtium explicatione, nam eadem ſemper verba ſunt, eædemque difficultates. Probabile admodum eſt ſcriptis exaratum artificibus oblationum traditum fuiſſe apographum, atque deinde eos rationem reddidiſſe omnium, quæ acceperant. Hinc hæ omnes repetitiones habuere occaſionem.

℣. 14. AD OPERIENDUM TECTUM TABERNACULI.] Hebraice לאהל על המשכן: *Pro tentorio ſuper Tabernaculum*: vel cum Arabica verſione, & Chaldaica, ad extendendum ſuper Tabernaculum. Hæc velamina e caprarum pilis inſerviebant ad pretioſa integumenta, quæ immediate Tabernaculum obvolvebant, operienda.

A ℣. 17. FECIT ANSAS QUINQUAGINTA.] Hæ anſæ erant fuſtum complicati panni, cui annectebatur fibula. Septuaginta vertunt: *Fecit quinquaginta uncinulos*. Ἀγκύλας.

℣. 18. ET FIBULAS ÆNEAS QUINQUAGINTA, QUIBUS NECTERETUR TECTUM.] Pro hac voce *tectum* intelligenda ſunt velamina e capripilio, quæ ſuperimpoſita erant velo magis pretioſo, immediate Tabernaculum obtegenti.

℣. 33. FECIT QUOQUE VECTEM ALIUM, QUI PER MEDIAS TABULAS AB ANGULO USQUE AD ANGULUM PERVENIRET.] Vectis hic in Vulgata non invenitur capite 26. 28. ubi adeſſe debuiſſet, ſicuti iſtic. Quidam credunt illum fuiſſe in tabularum craſſitie, atque ideo diverſum ab aliis vectibus extrinſecus poB ſitis circumquaque ſecundum longitudinem. Toſtatus, & Janſenius credunt, hunc eſſe vectem, de quo loquitur Joſephus l. 3. c. 5. qui ſimul nectebat tabulas, in Tabernaculi Occidentali plaga. Hæc autem confirmatur ſententia ex eo quod hic dicitur, quod vectis hic ab angulo ad angulum perveniret, quod proprie convenit poſteriori tantum Tabernaculi parti: quemadmodum voces ex *per medias tabulas*, oſtendunt vectem hunc per tabularum craſſitiem traductum eas ſimul conjunxiſſe alio modo ab aliis vectibus, qui per annulos ſecundum longitudinem, non item vero per medias tabulas traducebantur.

℣. 38. ET COLUMNAS QUINQUE, CUM CAPITIBUS SUIS, QUAS OPERUIT AURO.] Alibi de quorumdam Interpretum ſententia locuti ſumus, qui aſſerunt ſinC gulis capitibus columnarum uncinulum appoſitum fuiſſe, atque ab una columna ad aliam virgas fuiſſe poſitas ad vela detinenda, quæ atrium claudebant; vel virgas quæ eliptice columnas circumdabant. Sententiam hanc cap. 27. 18. 12. refellimus, ibique explicamus eas voces, quæ hanc parere poſſunt difficultatem.

BASES EARUM FUDIT ÆNEAS.] Vulgata in Polyglotis Antverpiana, ac Pariſienſi, adſert, baſes has inauratas fuiſſe, quod alibi minime invenitur.

CAPUT XXXVII.

Deſcriptio Arcæ, Propitiatorii, Candelabri, Altaris Thymiamatum. Quoad Arcæ deſcriptionem, & propitiatorii vide caput 25. 10. & ſequentibus, Pro Candelabro caput 25. 31. & verſiculis ſequentibus. Pro altari Cap. 30. verſ. 1. Pro oleo unctionis cap. 30. 23. & cap. 25. 34.

1. FEcit autem Beſeleel & arcam de lignis Setim, habentem duos ſemis cubitos in
longitudine, & cubitum, ac ſemiſſem in latitudine, altitudo quoque unius cu-
biti fuit, & dimidii: veſtivitque eam auro puriſſimo intus, ac foris. 2 Et fe-
cit illi coronam auream per gyrum, 3 Conflans quatuor annulos aureos per qua-
tuor angulos ejus: duos annulos in latere uno, & duos in altero. 4 Vectes quoque
fecit de lignis Setim, quos veſtivit auro. 5 Et quos miſit in annulos, qui erant in
lateribus arcæ ad portandum eam. 6 Fecit & propitiatorium, id eſt, oraculum, de
auro mundiſſimo, duorum cubitorum & dimidii in longitudine, & cubiti ac ſemis in la-
titudine. 7 Duos etiam Cherubim ex auro ductili, quos poſuit ex utraque parte pro-
pitiatorii: 8 Cherub unum in ſummitate unius partis, & Cherub alterum in ſummi-
tate partis alterius, duos Cherubim in ſingulis ſummitatibus propitiatorii, 9 Exten-
dentes alas, & tegentes propitiatorium, ſeque mutuo, & illud reſpicientes. 10 Fe-
cit & menſam de lignis Setim in longitudine duorum cubitorum, & in latitudine unius
cubiti, quæ habebat in latitudine cubitum, ac ſemiſſem. 11 Circumdeditque eam au-
ro mundiſſimo, & fecit illi labium aureum per gyrum, 12 Ipſique labio coronam au-
ream interraſilem quatuor digitorum, & ſuper eandem, alteram coronam auream. 13

Fudit & quatuor circulos aureos, quos poſuit in quatuor angulis per ſingulos pedes menſæ. 14 Contra coronam: miſitque in eos vectes, ut poſſet menſa portari. 15 Ipſos quoque vectes fecit de lignis Setim, & circumdedit eos auro. 16 Et vaſa ad diverſos uſus menſæ, acetabula, phialas, & cyathos, & thuribula, ex auro puro, in quibus offerenda ſunt libamina. 17 Fecit & candelabrum ductile de auro mundiſſimo. De cujus vecte calami, ſcyphi, ſphærulæque, ac lilia procedebant: 18 Sex in utroque latere, tres calami ex parte una, & tres ex altera: 19 Tres ſcyphi in nucis modum per calamos ſingulos, ſphærulæque ſimul, & lilia: & tres ſcyphi inſtar nucis in calamo altero, ſphærulæque ſimul & lilia. Æquum erat opus ſex calamorum, qui procedebant de ſtipite candelabri. 20 In ipſo autem vecte erant quatuor ſcyphi in nucis modum, ſphærulæque per ſingulos ſimul, & lilia: 21 Et ſphærulæ ſub duobus calamis per loca tria, qui ſimul ſex fiunt calami, procedentes de vecte uno. 22 Et ſphærulæ igitur, & calami ex ipſo erant, univerſa ductilia ex auro puriſſimo. 23 Fecit & lucernas ſeptem cum emunctoriis ſuis, & vaſa, ubi ea, quæ emuncta ſunt, extinguuntur, de auro puriſſimo. 24 Talentum auri appendebat candelabrum cum omnibus vaſis ſuis. 25 Fecit & altare thymiamatis de lignis Setim, per quadrum ſingulos habens cubitos, & in latitudine duos; e cujus angulis procedebant cornua. 26 Veſtivitque illud auro puriſſimo cum craticula, ac parietibus, & cornibus. 27 Fecitque ei coronam aureolam per gyrum, & duos annulos aureos ſub corona per ſingula latera, ut mittantur in eos vectes, & poſſit altare portari. 28 Ipſos autem vectes fecit de lignis Setim, & operuit laminis aureis. 29 Compoſuit & oleum ad ſanctificationis unguentum, & thymiama de aromatibus mundiſſimis, opere pigmentarii.

℣. 9. SEQUE MUTUO, ET ILLUD RESPICIENTES.] Moncæjus hinc arguit, Cherubim fuiſſe forma boum alatorum; nam alioquin non potuiſſent ſe mutuo reſpicere, & ſimul ad propitiatorii latus converſam faciem habere. Sed rationis hujus infirmitatem nemo non deprehendit.

℣. 16. ET THURIBULA EX AURO PURO, IN QUIBUS OFFERENDA SUNT LIBAMINA.] In Hebraico textu nulla eſt thuribulorum mentio; ſed vox קשות *Keſchaoth*, quam Vulgata vertit *thuribula*, ſignificat pateras quaſdam, vel crateres, quibus ad liquores effundendos utebantur, uti alibi oſtendimus Exod. 25. 29.

℣. 25. FECIT ET ALTARE THYMIAMATIS] Romana editio Septuaginta quoad hoc altare hæc ait: Fecit & altare æneum cum thuribulis ex eodem metallo, qui fuerant eorum, qui cum Chore ſeditionem exciverant. Fecit omnia vaſa hujus altaris, ignis acceptabulum, phialas, & forcipes ex ære.

Fecit quoque opus reticulatum, ab ignis acceptabulo, uſque ad medium Altare: & poſuit quatuor annulos æneos ad quatuor angulos operis hujus reticulati, ut vectes inſeri poſſent ad deferendum altare. Quod inquiunt de conjuratis Chore gloſſa eſt hic addita. Seditio, in qua fautores illius perierunt, contigit tantum poſt Tabernaculi conſtructionem.

℣. 26. CUM CRATICULA, AC PARIETIBUS, ET CORNIBUS.] Non recedendum eſt ab iis, quæ dicta ſunt capite 30. ℣. 1. 2. 3. Ibi oſtendimus, nullam fuiſſe craticulam illam, cujus hic meminere Septuaginta, & menſæ partem ſuperiorem planam fuiſſe.

CAPUT XXXVIII.

Deſcriptio Altaris Holocauſtorum. Vide ſupra caput 28. 1. *Labri ænei ad abluendum*. Vide caput 30. 18. *Et Atrii*. Vide caput 27. 4. & ſequentibus.

1. FEcit & altare holocauſti de lignis Setim, quinque cubitorum per quadrum, & trium in altitudine. 2 Cujus cornua de angulis procedebant, operuitque illud laminis æneis. 3 Et in uſus ejus paravit ex ære vaſa diverſa, lebetes, forcipes, fuſcinulas, uncinos, & ignium receptacula. 4 Craticulamque ejus in modum retis fecit æneam, & ſubter eam in altaris medio arulam, 5 Fuſis quatuor annulis per totidem retiaculi ſummitates, ad immittendos vectes ad portandum: 6 Quos & ipſos fecit de lignis Setim, & operuit laminis æneis: 7 Induxitque in circulos, qui in lateribus altaris eminebant. Ipſum autem altare non erat ſolidum, ſed cavum ex tabulis, & intus vacuum. 8 Fecit & labrum æneum cum baſi ſua de ſpeculis mulierum, quæ excubabant in oſtio tabernaculi. 9 Fecit & atrium, in cujus auſtrali plaga erant tentoria de byſſo retorta, cubitorum centum, 10 Columnæ æneæ viginti cum baſibus ſuis, capita columnarum, & tota operis cælatura, argentea. 11 Æque ad ſeptentrionalem plagam

gam

gam tentoria, columnæ, baſeſque, & capita columnarum ejuſdem menſuræ, & operis,
ac metalli erant. 12 In ea vero plaga, quæ ad occidentem reſpicit, fuerunt tento-
ria cubitorum quinquaginta, columnæ decem cum baſibus ſuis æneæ, & capita columna-
rum, & tota operis cælatura, argentea. 13 Porro contra orientem quinquaginta cu-
bitorum paravit tentoria: 14 E quibus, quindecim cubitos columnarum trium, cum
baſibus ſuis, unum tenebat latus: 15 Et in parte altera (quia inter utraque introi-
tum tabernaculi fecit) quindecim æque cubitorum erant tentoria, columnæque tres, &
baſes totidem. 16 Cuncta atrii tentoria byſſus retorta texuerat. 17 Baſes columna-
rum fuere æneæ, capita autem earum cum cunctis cælaturis ſuis argenteis: ſed & ipſas
columnas atrii veſtivit argento. 18 Et in introitu ejus opere plumario fecit tentorium
ex hyacintho, purpura, vermiculo, ac byſſo retorta, quod habebat viginti cubitos in
longitudine, altitudo vero quinque cubitorum erat juxta menſuram, quam cuncta atrii
tentorii habebant. 19 Columnæ autem in ingreſſu fuere quatuor cum baſibus æneis,
capitaque earum, & cælaturæ argenteæ, 20 Paxillos quoque tabernaculi, & atrii per
gyrum fecit æneos. 21 Hæc ſunt inſtrumenta tabernaculi teſtimonii, quæ enumerata
ſunt juxta præceptum Moyſi in cæremoniis Levitarum per manum Ithamar filii Aaron ſa-
cerdotis; 22 Quæ Beſeleel filius Uri filii Hur de tribu Juda, Domino per Moyſen ju-
bente, compleverat. 23 Juncto ſibi ſocio Ooliab filio Achiſamech de tribu Dan; qui
& ipſe artifex lignorum egregius fuit, & polymitarius, atque plumarius ex hyacintho,
purpura, vermiculo, & byſſo. 24 Omne aurum, quod expenſum eſt in opere San-
ctuarii, & quod oblatum eſt in donariis, viginti novem talentorum fuit, & ſeptingen-
torum triginta ſiclorum, ad menſuram Sanctuarii. 25 Oblatum eſt autem ab his, qui
tranſierunt ad numerum, a viginti annis, & ſupra, de ſexcentis tribus millibus, & quin-
gentis quinquaginta armatorum. 26 Fueruut præterea centum talenta argenti, e qui-
bus conflatæ ſunt baſes Sanctuarii, & introitus, ubi velum pendet. 27 Centum baſes
factæ ſunt de talentis centum, ſingulis talentis per baſes ſingulas ſupputatis. 28 De
mille autem ſeptingentis, & ſeptuaginta quinque, fecit capita columnarum, quas &
ipſas veſtivit argento. 29 Æris quoque oblata ſunt talenta ſeptuaginta duo millia,
& quadringenti ſupra ſicli, 30 Ex quibus fuſæ ſunt baſes in introitu tabernaculi te-
ſtimonii, & altare æneum cum craticula ſua, omniaque vaſa, quæ ad uſum ejus per-
tinent. 31 Et baſes atrii tam in circuitu, quam in ingreſſu ejus, & paxilli taber-
naculi, atque atrii per gyrum.

℣. 1. CRATICULAM EJUS IN MODUM RETIS FECIT ÆNEAM; ET SUBTER EAM, IN ALTARIS MEDIO, ARULAM.] An Hebraicus textus vere focum ſignificaret, ad examen vocavimus in Caput 27. 14. Septuaginta quamdam hic habent varietatem, quæ parvi intereſt.

℣. 8. FECIT ET LABRUM ÆNEUM CUM BASI SUA DE SPECULIS MULIERUM, QUÆ EXCUBABANT IN OSTIO TABERNACULI.] Ad litteram [1], *quæ excubias agebant in oſtio:* Ita intelligit Grotius. Hebraicus textus non meminit *mulierum*; ſed cum vox *zobeoth* generis ſit fœminini, ac ſpeculis juncta ſit, hinc conjicitur de mulieribus eſſe ſermonem. Septuaginta [2] vertunt: cum &c. Opus eſt illos legiſſe *zamoth* צמות, pro *zaboth*. (*Cum ſpeculis mulierum, quæ jejunabant ad oſtium Tabernaculi.*) Chaldaica verſio: *de ſpeculis mulierum, quæ veniebant, ut orarent ad oſtium Tabernaculi*. Rabbini quidam, has pias mulieres fuiſſe contendunt, particulari devotione Tabernaculo inſerviendo deditas, quæ ſtatis horis ad orandum illuc conveniebant turmatim, veluti in exercitus ſpeciem, juxta vim verborum textus Authographi. Mulieres, quibus Summi Sacerdotis Heli filii ſummo cum populi ſcandalo abutebantur [3], ad oſtium Tabernaculi forte excubias agere, & vigilare conſueve- A rant. Quidam etiam eamdem fuiſſe dicunt clauſis illis virginibus, de quibus Macchabæorum libri loquuntur (2. Macc. 3. 19. *Virgines, quæ concluſæ erant*) uti quoque Annæ Propheti[ſſ]æ (Luc. 2. 37.) ac eidem Beatæ Virgini. Vide falſum S. Jacobi Evangelium. Dicitur ea oblata fuiſſe a parentibus ſuis in Templum, ut cum aliis mulieribus ibi deſerviret. Hæ igitur devotæ, ac deditæ in opus Tabernaculi inſerviendo mulieres ſpecula contulere. Cum hic loquimur de Tabernaculo, illud eſt intelligendum, quod extra caſtra erat poſitum; nam illud, quod de mandato Dei compoſitum fuit, nondum erat extructum; vel hoc dicendum erit poſt Tabernaculi erectionem contigiſſe. Philo equidem l. 3. de vita Moſis, ut Rivetus obſervat, ſimpliciter ait, fœminas cum æmu- B latione, ſummoque ardore ſpecula ſua obtuliſſe, quin addat, ipſas ad oſtium Tabernaculi vigilaſſe. Olcaſter contendit, ſpecula, de quibus hic loquitur Moyſes, nequaquam fuiſſe materiam hujus labri; ſed dumtaxat diſpoſita fuiſſe in circuitu, ita ut Sacerdotes ſe abluentes ſe ipſos videre poſſent in ſpeculo, vel poſtquam abluti fuiſſent; ſed hæc explicatio nullatenus eſt litteralis.

Athenæus l. 12. Dipnoſoph. c. 2. apud Perſas refert fœminas adfuiſſe, quæ vigilarent noctu, & excubias agerent in atrio ædium Regis. Dormiebant

V u 2 inter-

1 במראות הצבאות אשר צבאו פתח אהל מועד.
2 Ἐκ τῶν κατόπτρων τῶν νηστευουσῶν αἳ ἐνήστευσαν παρὰ τὰς θύρας τῆς σκηνῆς.
3 1. Reg. 2. 22. *Et quomodo dormiebant cum mulieribus, quæ obſervabant ad oſtium Tabernaculi.*

interdiu, noctu vero canebant, ac muſica pulſabant inſtrumenta ad lucernas. Hodie quoque in Aula Regis Perſarum [1], ſemper noctu, ac interdio ſenæ vigilant per vicem, quæ ſemel in hebdomada ſerviunt, cum anu quadam, quæ genitricis loco eas moderatur. Hoc pacto plane ex mulieres Iſraelitæ noctem tranſigebant, verum modeſtius, ad oſtium tabernaculi, veluti in Regis atrio. Interpretes quidam Hebraicum textum vertunt mulieres, *quæ choreas agebant in oſtio Tabernaculi*.

Fiebant olim ſpecula ex quovis ferme metallorum genere, argento, ære, ſtanno, ac ſtanni, & æris immixtione. Hodie quoque conſpicua videntur ex chalybe, quæ plurimi æſtimantur. Plinius l. 33. c. 9. de iis ſpeculis loquitur, quæ Brunduſii perficiebantur, ac initio omnium optima cenſebantur: *Optima apud majores fuerant Brunduſina, ſtanno, & ære mixtis*. Vitruvius ait hæc deinde argenteis fuiſſe poſthabita, quod contendit immerito factum. Stannea præ cæteris majori erant in pretio. Plin. 34. 17. Tandem argentea vulgata fuerunt adeo, ut ancillæ quoque iis uterentur. *Specula (e ſtanno) laudatiſſima; Brunduſii temperabantur; donec argenteis uti cœperunt & ancillæ*. In Oriente ad hanc uſque diem omnia fere ſpecula e metallo adhibentur; vitrea vero tunc ſolum illi populi agnovere, cum inire tum populis Europæ [2] commercium occœperunt. Alibi jam adnotavimus Ethnicos quoque in Templorum ſuorum aditu vaſa ad abluendum habuiſſe. S. Juſtinus Martyr Apolog. 2. illorum inventum dæmonis calliditati acceptum refert, qui cultus, quo Deum proſequebantur, ceremonias voluit imitari. *Ingreſſuri in delubra eorum (dæmonum) & acceſſuri ad illos, atque libationibus, & adipis nidoribus offerendis operaturi, ſe ipſos aquæ aſperſione luſtrarent, effecerunt: quin ut toto corpore laventur prodeuntes, priuſquam ad templa, ubi illi collocati ſunt, veniant, inſtinctu, & opera ſua curant*.

℣. 10. COLUMNÆ ÆNEÆ VIGINTI CUM BASIBUS SUIS.] Nullibi Hebraicus textus aſſerit columnas has æneas fuiſſe; baſes tantum erant æneæ. Vide cap. 27. 10. Columnæ ligneæ erant, & argenteis circulis exornatæ. Verſiculo 12. eadem occurrit difficultas.

CAPITA COLUMNARUM &c.] Vide capita 26. 32, 27. 11. & 12. 37. 38.

℣. 21. QUÆ ENUMERATA SUNT IN CEREMONIIS LEVITARUM.] Hebraicus textus [3]: *Hæc ſunt vaſa Tabernaculi, quæ recenſita traduntur Levitis juxta Moyſis imperium, ut illorum curam gerant*; ea deſerant, iis in ſuo miniſterio utantur [4].

PER MANUM ITHAMAR.] Hæc cura tradendi omnia Levitis Ithamar fuit demandata. Ipſe vaſis his præfectus fuit; ſed hoc diutius poſt contigit. Vide Num. 1. 50.

℣. 24. VIGINTI NOVEM TALENTORUM FUIT, ET SEPTINGENTORUM TRIGINTA SICLORUM.] Aurum hoc ſponte collatum fuit. Septuaginta Romanæ editionis habent viginti novem talenta, ſiclos vero aureos ſeptingentos, & viginti [5]. Pecunia vero, quæ collecta fuit ex vectigali dimidiati ſicli in capita impoſito verſiculo ſequenti invenitur.

℣. 25. OBLATUM EST AUTEM AB IIS, QUI TRANSIERUNT AD NUMERUM.] Moyſes imperavit, ſicuti præceperat Dominus capite 30. 13. ut quiſque dimidium ſicli in capita ſolveret; ex quo collecta fuere talenta centum [6], mille, ſeptingenti, ac ſeptuaginta quinque argentei ſicli, quæ ſumma inſumpta fuit, quemadmodum refertur verſiculis 27. & 28. Vulgata hic Moyſis narrationem breviorem fecit, ideoque etiam obſcuriorem, quam in authographo; quod ita vertitur ad litteram: *Argentum collatum ab illis, quorum facta fuit recenſio, centum fuit talentorum mille & ſeptingentorum ac ſeptuaginta quinque ſiclorum pondere Sanctuarii. Dimidium ſicli in capita ſolutum fuit, quod viginti, & ultra, annos nati contribuere, qui fuerunt ſexcenti ac tres mille, & quingenti quinquaginta homines ad arma ferenda idonei*. Ex hoc loco eruitur demonſtratio pro talenti pretio, quod eſſe debebat trium millium ſiclorum, quandoquidem ſexcenta ac tria hemiſiclorum millia, quingenta, & quinquaginta eum reddant 301775. ſiclos; 300000. ſicli efficiunt talenta centum, quorum ſingula 3000. ſiclis æſtimantur.

℣. 26. CENTUM TALENTA ARGENTI, E QUIBUS CONFLATÆ SUNT BASES SANCTUARII.] Baſes omnes Tabernaculi centum erant; ſcilicet quadraginta tam in Septentrionali plaga, cum in Meridionali, in occidentali ſexdecim; quatuor vero pro columnis quatuor, quæ Sanctum a Sanctuario dividebant.

℣. 28. FECIT CAPITA COLUMNARUM, QUAS ET IPSAS VESTIVIT ARGENTO.] Animadvertimus ſuperius columnas has argenteis laminis obductas fuiſſe in lineas ſpirales, juxta pleroſque Interpretum; vel potius interpolatis ſpatiis argenteis circulis circumamictæ: ſed textus hic loqui videtur de capitellis columnarum, & de illorum ornatu; non ita vero de argento, quod columnas obvolveret. Itaque legendum eſſet: *Fecit capita columnarum, quæ veſtivit argento*; quo in ſenſu Septuaginta explicuere, qui aſſerunt capita columnarum argento obducta fuiſſe. Hebraicus textus præterit, qua materia fuiſſent circumveſtita; verum ex iis quæ præceſſerunt capitibus 27. 10. 11. 12. & 38. 10. 11. 12. intelligere eſt, argenteis fuiſſe laminis cooperta. Ex quatuor columnæ tantum, quæ Sanctum ſejungebant a Sanctuario, & quinque illæ, quæ Sancti aditum claudebant cap. 26. 32. 37. atque cap. 36. 36. 38. inaurata habebant capitella: cæteræ vero argenteis laminis veſtita.

℣. 29. ÆRIS QUOQUE OBLATA SUNT TALENTA SEPTUAGINTA: DUO MILLIA, ET QUADRINGENTI SUPRA SICLI.] Ita interpungendus, ac intelligendus eſt Vulgatæ textus, ut fiat conformis Hebraico: *Oblata quoque ſunt ſeptuaginta talenta æris; & præterea ſeptuaginta duo mille, & quadringenti ſicli metalli ejuſdem*. Septuaginta admodum iſthic differunt inter ſe. Editio Nobilii habet ſeptuaginta talenta, & mille ac quingenti ſicli æris; Polyglotta Philippi II. talenta ſeptuaginta, ac duo mille, & quadringenti ſicli æris: Septuaginta in recenti editione Hexaplorum Hebraico textui conformes ſunt, habentque, *ſeptuaginta mille talenta, ſiclos vero bis mille, & quadringentos*. Alii ponunt, talenta tercenta, & ſeptuaginta, ſiclos autem bis mille, & quadringentos. Alii denique Græci Interpretes, talenta quadringenta, & ſeptuaginta, æris vero ſiclos bis mille.

1 Chardinus Itin. Perſid. t. 2. p. 279. 2 Chardin. Itin. Perſid. t. 2. p. 83.
3 אלה פקודי המשכן משכן העדת אשר פקד על פי משה עבדת הלוים
4 Τὴν λειτουργίαν εἶναι τῶν Λευιτῶν.
5 Talentum auri valet 14400. Scutata Romana; Siclus vero aureus Scutata 4. $\frac{4}{5}$ ſeu Bajochi 89
6 Talentum argenti Romana ſcutata valet 3600. Siclus vero argenteus Bajoch. 40.

Digitized by Google

CAPUT XXXIX.

Deſcriptio Veſtium Summi Sacerdotis, & Ornatuum Tabernaculi.

1. DE hyacintho vero, & purpura, vermiculo, ac byſſo, fecit veſtes, quibus in-
dueretur Aaron, quando miniſtrabat in ſanctis, ſicut præcepit Dominus Moy-
ſi. 2 Fecit igitur ſuperhumerale de auro hyacintho, & purpura coccoque
bis tincto, & byſſo retorta, 3 Opere polymitario, inciditque bracteas aureas, & ex-
tenuavit in fila, ut poſſent torqueri cum priorum colorum ſubtegmine, 4 Duaſque o-
ras ſibi invicem copulatas in utroque latere ſummitatum. 5 Et balteum ex eiſdem co-
loribus, ſicut præceperat Dominus Moyſi. 6 Paravit & duos lapides onychinos, aſtri-
ctos, & incluſos auro, & ſculptos arte gemmaria nominibus filiorum Iſrael. 7 Poſuit-
que eos in lateribus ſuperhumeralis, in monimentum filiorum Iſrael, ſicut præceperat
Dominus Moyſi, 8 Fecit & rationale opere polymito juxta opus ſuperhumeralis, ex
auro, hyacintho, purpura, coccoque bis tincto, & byſſo retorta. 9 Quadrangulum
duplex, menſuræ palmi. 10 Et poſuit in eo gemmarum ordines quatuor. In primo
verſu erat ſardius, topazius, ſmaragdus. 11 In ſecundo, carbunculus, ſaphirus, &
jaſpis. 12 In tertio, ligurius, achates, & amethyſtus. 13 In quarto, chriſolytus,
onychinus, & beryllus, circumdati, & incluſi auro per ordines ſuos. 14 Ipſique lapi-
des duodecim, ſculpti erant nominibus duodecim tribuum Iſrael, ſinguli per nomina
ſingulorum. 15 Fecerunt in rationali & catenulas ſibi invicem cohærentes, de auro
puriſſimo. 16 Et duos uncinos, totidemque annulos aureos. Porro annulos poſue-
runt in utroque latere rationalis, 17 E quibus penderent duæ catenæ aureæ, quas inſe-
ruerunt uncinis, qui in ſuperhumeralis angulis eminebant. 18 Hæc & ante & retro ita
conveniebant ſibi, ut ſuperhumerale & rationale mutuo necterentur, 19 Stricta ad bal-
teum, & annulis fortius copulata, quos jungebat vita hyacinthina, ne laxa fluerent, &
a ſe invicem moverentur, ſicut præcepit Dominus Moyſi, 20 Fecerunt quoque tuni-
cam ſuperhumeralis totam hyacinthinam, 21 Et capitium in ſuperiori parte contra me-
dium, oramque per gyrum capitii textilem; 22 Deorſum autem ad pedes mala pu-
nica ex hyacintho, purpura, vermiculo, ac byſſo retorta: 23 Et tintinnabula de auro
puriſſimo, quæ poſuerunt inter malogranata in extrema parte tunicæ per gyrum: 24
Tintinnabulum autem aureum, & malum punicum, quibus ornatus incedebat pontifex,
quando miniſterio fungebatur, ſicut præceperat Dominus Moyſi. 25 Fecerunt & tuni-
cas byſſinas opere textili Aaron, & filiis ejus: 26 Et mitras cum coronulls ſuis ex byſ-
ſo: 27 Feminalia quoque linea, byſſina: 28 Cingulum vero de byſſo retorta hyacin-
tho, purpura, ac vermiculo bis tincto; arte plumaria, ſicut præceperat Dominus Moyſi.
29 Fecerunt & laminam ſacræ venerationis de auro puriſſimo, ſcripſeruntque in ea ope-
re gemmario, Sanctum Domini. 30 Et ſtrinxerunt eam cum mitra vitta hyacinthina,
ſicut præceperat Dominus Moyſi. 31 Perfectum eſt igitur omne opus tabernaculi, &
tecti teſtimonii: feceruntque filii Iſrael cuncta, quæ præceperat Dominus Moyſi. 32
Et obtulerunt tabernaculum, & tectum, & univerſam ſupellectilem, annulos, tabulas,
vectes, columnas, ac baſes, 33 Operatorium de pellibus arietum rubricatis, & aliud
operimentum de janthinis pellibus, 34 Velum, arcam, vectes, propitiatorium, 35
Menſam cum vaſis ſuis, & propoſitionis panibus: 36 Candelabrum, lucernas, & u-
tenſilia earum cum oleo: 37 Altare aureum, & unguentum, & thymiama ex aroma-
tibus: 38 Et tentorium in introitu tabernaculi: 39 Altare æneum, retiaculum, ve-
ctes, & vaſa ejus omnia, labrum cum baſi ſua: tentoria atrii, & columnas cum baſi-
bus ſuis: 40 Tentorium in introitu atrii, funiculoſque illius, & paxillos. Nihil ex
vaſis defuit, quæ in miniſterium tabernaculi, & in tectum fœderis juſſa ſunt fieri. 41
Vectes quoque, quibus ſacerdotes utuntur in Sanctuario, Aaron ſcilicet, & filii ejus, 42
Obtulerunt filii Iſrael, ſicut præceperat Dominus. 43 Quæ poſtquam Moyſes cuncta
vidit completa, benedixit eis.

℣. 1. **F**ECIT VESTES, QUIBUS INDUERETUR AARON.] Hebraicus textus duo veſtium genera diſtinguit; alterum quidem earum, quas *miniſterii veſtes* appellat hic, & cap. 31. 10. & 35. 19. quibus in itineribus vaſa Tabernaculi contegi diximus; alterum vero earum, quæ Saoctitatis veſtes vocantur, quibus in Tabernaculo Aaron otebatur. Vide Exodum cap. 28. 4. & 29. 29. &c.

℣. 3. INCIDITQUE BRACTEAS AUREAS, ET EXTENUAVIT IN FILA, UT POSSENT TORQUERI CUM PRIORUM COLORUM SUBTEGMINE.] Moyſes aurum in minutiſſimas bracteolas cudendum curavit, quas deinde in tenuiſſima fila præſecuit, ut ea in diſcoloris lanæ texturam insereret; ita ut hæc aurea fila per chalybeum examen nequaquam eſſent ductilia, ſed forcipibus ex auro in bracteas tuſo ſectilia. Hebraicus textus ſenſum alium admittit: *Fecerunt laminas ex auro tuſo, & aurea fila educta ſunt*; videlicet laminæ aureæ tuſæ fuerunt ad inauranda Tabernaculi inſtrumenta, & aurea fila ducta, ut diſcoloribus lanis contexerentur &c. vel: *extenderunt aurum in fila* (ad litteram in laqueos, in retia) *& præciderunt fila*; perinde ac duabus his locutionibus idem innueretur. Verum primam hebraici textus explicationem præferre malim, quæ melius cum Vulgata congruit; ad id autem impellor, quod in Numerorum libro ſcriptum eſt, æreas lamioas ex ære malleo fuiſſe tuſas, atque Altari affixas, ubi eædem, quæ hic, voces uſurpantur cap. 16. 38. *Tollat thuribula .... producatque ea in laminas, & affigat altari*. B

Ex Homero liquet, Veteres aurum tundere conſueviſſe in minutiſſimas bracteas, ac tenuiſſima fila: Narrat enim Odyſſ. Γ in ſolemni ſacrificio aurificem accerſitum fuiſſe cum incude, malleo, & forcipe, cui aurum præbuit Neſtor, quod ille in bracteas deduxit, quibus victimæ cornua inauravit. Quod ipſum ex Virgilio Æneid. 10. ionoteſcit.

Statuam ante aras aurata fronte juvencum.

Apud Poetas eoſdem intuemur etiam morem auro, vel argento cæſariem vinciendi. Odyſſ. ρ.

Πλοχμοί θ', οἳ χρυσῷ τε καὶ ἀργύρῳ ἐσφήκωντο.

Et Virgiltos Æneid. 4. Didonem deſcribens ait:

.... Crines nodantur in aurum.

Vide & Exod. 28. 20.

℣. 18. UT SUPERHUMERALE, ET RATIONALE MUTUO NECTERENTUR, ℣. 19. STRICTA AD BALTEUM, ET ANNULIS FORTIBUS COPULATA.] Hebraicus textus eſt prolixior: *Opifices fecerunt dnos aanulos aureos, eoſque poſuerunt in duabus rationalis extremitatibus, quæ reſpondebant rationalis extremitatibus in poſteriori parte intus; (℣. 19.) & fecerunt duos annulos aureos, & poſuerunt eos in duobus lateribus Ephod in parte inferiori contra ſuperiorem conjunctionem rationalis cum Ephod*. In poſtremis his capitibus plures adſunt verſiculi, quos Vulgatæ auctor breviores fecit hoc pacto, ut repetitiones effugeret. In hebraico textu non leguntur verba illa *Stricta ad balteum*, quæ huic loco afferunt difficultatem. A

℣. 26. MITRAS CUM CORONULIS SUIS EX BYSSO.] Hebraicus textus [1]: *Mitræ earum erant e goſſypio*, (vel byſſo) *& ornamenta e goſſypio*. Chaldaice: *Tiara erat ex byſſo, & pilei pro ornatu etiam ex byſſo*. Septuaginta [2]: *Cidaris, & mitra erant e lino tenuiſſimo*.

℣. 27. FOEMINALIA QUOQUE LINEA, BYSSINA.] Scilicet lata ea perizomata, quæ ad ima uſque femora deſcendebant, de quibus locuti ſumus Exod. 28. 42. & quæ ubique *linea fœminalia* appellantur. Vide Levit. 6. 10. & 16. 4. Hæc femoralia non erant ex ſimplici lino, ſed ex goſſypio, ac lino immixto ea ratione, quam refert Pollux lib. 7. c. 17. Subtegmen erat ex lino, ſtamen e goſſypio. Textus Samaritanus hic habet: *Fœminalia e lino, byſſo, hyacintho, cocco, purpura, acu picta, juxta Domini præceptum*. Vide Exod. 25. 2. B

℣. 29. LAMINAM SACRÆ VENERATIONIS.] Hebraicus textus [3]: *Fecerunt laminam coronæ ſanctitatis*; vel laminam, quæ erat corona ſanctitatis Summi Sacerdotis. Indicabat illa ipſius Domino conſecrationem, & ſanctitatem, qua indui debebat, ut illi ſerviret. C

℣. 36. CANDELABRUM, LUCERNAS, ET UTENSILIA EARUM CUM OLEO.] Hebraicus textus habet: *Candelabrum purum* (Vide Exod. 31. 8.) *& lucernas illius, quæ ſunt poſitæ in ordine, & omnia vaſa, & oleum ad illa accendenda*; vel, *candelabrum lucens, & lucernas, quæ quotidie in eo diſponuntur*.

℣. 43. QUÆ POSTQUAM MOYSES CUNCTA VIDIT COMPLETA, BENEDIXIT EIS.] Hæc autem habet hebraicus textus [4], & Septuaginta: *Moyſes vidit cuncta opera, & invenit omnia juxta Dei imperium fabrefacta; & Moyſes benedixit illis*. Hæc benedictio naturaliter referri videtur ad artifices; quorum ſolertiam, ac diligentiam Moyſes laudibus cumulavit. Verum non deſunt [5], qui credant, ipſum populo benedixiſſe, qui affluenter adeo, celeriterque ea omnia, quæ ad id opus erant neceſſaria, contulerat. Alii denique ipſum opus benedixiſſe, quod probavit, & laudibus eſt proſecutus. D

---

1 ואת המצנפת שש ואת פארי המגבעת שש.

2 Τὰς κιδάρεις ἐκ βύσσου, καὶ τὰς μίτρας ἐκ βύσσου.

3 ציץ נזר הקדש.

4 ויברך אתם משה וירא משה את המלאכה והנה עשו אתה כאשר צוה יהוה.

5 Eſtius, Rivetus.

C A-

CAPUT XL.

Erectio Tabernaculi. Illud gloria Domini operuit. Nubes tunc ſolum deſerit Tabernaculum, cum caſtra movenda ſunt.

1. LOcutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens : 2 Menſe primo, prima die menſis,
erige tabernaculum teſtimonii, 3 Et pones in eo arcam, dimitteſque ante il-
lam velum : 4 Et illata menſa, pones ſuper eam, quæ rite præcepta ſunt.
Candelabrum ſtabit lucernis ſuis, 5 Et altare aureum, in quo adoletur incenſum, co-
ram arca teſtimonii. Tentorium in introitu tabernaculi pones. 6 Et ante illud altare
holocauſti : 7 Labrum inter altare, & tabernaculum, quod implebis aqua. 8 Cir-
cumdabiſque atrium tentoriis, & ingreſſum ejus. 9 Et aſſumpto unctionis oleo unges
tabernaculum cum vaſis ſuis, ut ſanctificentur : 10 Altare holocauſti, & omnia vaſa
ejus : 11 Labrum cum baſi ſua : omnia unctionis oleo conſecrabis, ut ſint Sancta ſan-
ctorum. 12 Applicabiſque Aaron, & filios ejus ad fores tabernaculi teſtimonii, & lo-
tos aqua, 13 Indues ſanctis veſtibus, ut miniſtrent mihi, & unctio eorum in ſacer-
dotium ſempiternum proficiat. 14 Fecitque Moyſes omnia, quæ præceperat Dominus.
15 Igitur menſe primo anni ſecundi, prima die menſis, collocatum eſt tabernaculum :
16 Erexitque Moyſes illud, & poſuit tabulas, ac baſes, & vectes, ſtatuitque colu-
mnas, 17 Et expandit tectum ſuper tabernaculum, impoſito deſuper operimento, ſi-
cut Dominus imperaverat. 18 Poſuit & teſtimonium in arca, ſubditis infra vectibus,
& oraculum deſuper. 19 Cumque intuliſſet arcam in tabernaculum, appendit ante eam
velum, ut expleret Domini juſſionem. 20 Poſuit & menſam in tabernaculum teſtimo-
nii ad plagam Septentrionalem extra velum, 21 Ordinatis coram propoſitionis pani-
bus, ſicut præceperat Dominus Moyſi. 22 Poſuit & candelabrum in tabernaculo teſti-
monii e regione menſæ in parte auſtrali, 23 Locatis per ordinem lucernis, juxta præ-
ceptum Domini. 24 Poſuit & altare aureum ſub tecto teſtimonii contra velum, 25
Et adolevit ſuper eo incenſum aromatum, ſicut juſſerat Dominus Moyſi. 26 Poſuit &
tentorium in introitu tabernaculi teſtimonii, 27 Et altare holocauſti in veſtibulo teſti-
monii, offerens in eo holocauſtum, & ſacrificia, ut Dominus imperaverat. 28 La-
brum quoque ſtatuit inter tabernaculum teſtimonii, & altare, implens illud aqua. 29
Laveruntque Moyſes, & Aaron, ac filii ejus manus ſuas, & pedes, 30 Cum ingre-
derentur tectum fœderis, & accederent ad altare, ſicut præceperat Dominus Moyſi.
31 Erexit & atrium per gyrum tabernaculi, & altaris, ducto in introitu ejus tentorio.
Poſtquam omnia perfecta ſunt, 32 Operuit nubes tabernaculum teſtimonii, & gloria
Domini implevit illud. 33 Nec poterat Moyſes ingredi tectum fœderis, nube operien-
te omnia, & majeſtate Domini coruſcante, quia cuncta nubes operuerat. 34 Si quan-
do nubes tabernaculum deſerebat, proficiſcebantur filii Iſrael per turmas ſuas : 35 Si
pendebat deſuper, manebant in eodem loco. 36 Nubes quippe Domini incubabat per
diem tabernaculo, & ignis in nocte, videntibus cunctis populis Iſrael per cunctas man-
ſiones ſuas.

℣. 1. MENSE PRIMO, PRIMA DIE MENSIS, ERIGES TABARNACULUM TESTIMONII.] Tabernaculo extruendo manus admoveri cœpit prope ſextum menſem ab exitu de Ægypto : opus vero completum fuit ſub finem hujus anni primi ; & cœpit erigi Tabernaculum prima die menſis primi anno ſecundo a liberatione ex Ægypto. Quod hic refertur, contigit ſaltem poſt decimum tertium diem ab exitu de Ægypto. Prima dies cujuſque menſis deinceps ſolemnis fuit [1] ; ſed Lex non præcipit ut ea die ab operibus ceſſetur ; verum ſacrificia tantum particularia præcipit. Num. 33. 11. 12. & 10. 10. & 28. 11.

℣. 4. PONES SUPER EAM, QUÆ RITE PRÆCEPTA SUNT.] Hebraicus textus [2] : *Ordinabis ea, quæ ſunt in ordinem diſtribuenda*. Septuaginta [3] : *Ibi pones, quod ibi ponendum eſt*. Ibi pones duodecim panes propoſitionis, eoſque ſuper menſam in ordine conſtitues, uti

1 Vide 1. Regum 20, 5. 2. Paralipomenon 2. 4. & 31. 3. & 1. Eſdr. 3. 5. Iſai. 1. 13. Judith 8. 6.

2 וערכת את ערכו.

3 Προθήσεις τὴν πρόθεσιν αὐτῆς.

uti alibi oſtenſum eſt. Vide Exod. 25. 30.

℣. 5. TENTORIUM IN INTROITU TABERNACULI PONES.] Velum hoc ſeparabat Sanctum ab atrio, & Tabernaculi aditum claudebat.

℣. 11. UT SINT SANCTA SANCTORUM.] Ut ſint Sanctiſſima; & peculiari modo, & extraordinario conſecrata.

℣. 12. UT LOTOS AQUA.] Nemo ſacris operabatur, quin prius ablueretur; vide quæ de expiationibus, & luſtrationibus dicta ſunt Exod. 19. 10.

℣. 13. UNCTIO EORUM IN SACERDOTIUM SEMPITERNUM.] Vulgata locum hunc nimis brevem reddidit. Hæc autem legimus Hebraice: *Accedere facies filios Aaron, eoſque tunicis indues, atque unges, quemadmodum unxiſti patrem illorum; ne fungantur mihi Sacerdotio in ſæcula de progenie in progeniem*. Quemadmodum Sacerdotium hæreditatis jure in Aaronis familia erat poſitum, nullum opus erat, ut in ſingulas progenies inſtaurarentur unctiones, de quibus hic ſermo [1]; ſatis erat, ut primi Sacerdotes pro ſucceſſoribus ſuis ſemel tantum ungerentur. Nihilominus Sacerdos Summus uſque ad Jeſu Chriſti adventum conſuevit inungi, uti alibi contra Rabbinorum ſententiam oſtendimus. Vide dicta in Exodi caput 29. 7.

℣. 17. IMPOSITO DESVPER OPERIMENTO.] Extrinſecus ſuper tabernaculum minus pretioſa poſita ſunt integumenta. Cortinæ e pellibus arietum rubricatis impoſitæ erant velaminibus e pilis caprarum, quæ obtegebant hyacinthina, ac purpurea periſtromata. Hæc autem immediate erant Arcæ ſuperimpoſita. Sanctuario nullum aliud tectum erat præter hæc operimenta.

℣. 18. POSVIT ET TESTIMONIVM IN ARCA.] Poſuit in Arca Tabulas Legis, quæ erant fœderis teſtimonium. Alibi jam docuimus hoc Ethnicis fuiſſe in more poſitum, ut myſteriorum ſuorum turpitudines in capſulis abderent, quæ nugis erant refertæ. De his ita loquitur Sanctus Clemens Alexandrinus admonitione ad Gentiles. „ Verum quæ ſunt hæ „ myſticæ ipſorum capſæ? Nam tandem myſterio-

A „ rum ſuorum arcana ſunt detegenda. Nonne papaverum ſunt ſemina, & pyramidales placentæ, & „ lana elaborata, & placentæ multiplici globulorum „ ſpecie refertæ, & ſalis cumuli, & Draco orgio- „ rum Bacchi Baſſaci; & præterea malogranata, „ ſuois e ferula, & hedera compoſita; placentulæ: „ & papavera? Hæc ſunt ſacra illorum myſteria. A- „ riana Themidis ſymbola ſunt Origanum, lam- „ pas, gladius, & pecten muliebre, quod quidem „ majoris ſymbolum eſt turpitudinis? Quæ autem ſatis inter Sanctitatem, & Religionis veræ myſteriorum majeſtatem, atque irridendas has abominationes, ad homines perdendos a mendacii ſpiritu inventas?

℣. 24 POSVIT ET ALTARE AVREVM SVB TECTO
B TESTIMONII.] Ara thymiamatum erat in Sancto, ſub tecto, vel ſub integumentis, quæ Tabernaculum totum cooperiebant.

℣. 28. LABRVM QVOQVE STATVIT &c.] Hæc eſt verſiculi ſeptimi repetitio.

℣. 32. OPERVIT NVBES TABERNACVLVM TESTIMONII.] Nubes, quæ hactenus parvo Tabernaculo inſederat, quod Moyſes extra caſtra conſtituerat, ſuper teſtimonii Tabernaculum inſedit, ſimulac erectum fuit. Nonnulli cum Rabbinis putant, plerumque ſub vexillo Juda erigi conſueviſſe; ſcilicet in eo ſolo, quod occupabat hæc Tribus, quæ ceteris dignitate præſtabat: ſed nos illud in medio caſtrorum collocamus, quemadmodum in Tabula repræſentavimus.

C ℣. 33. NEC POTERAT MOYSES INGREDI TECTVM FOEDERIS.] Moyſes ob reverentiam propter præſentiam Domini ea die Tabernaculum ingredi minime eſt auſus; ſed deinceps ingreſſus eſt, uti prius ingredi conſueverat.

℣. 38. ET IGNIS IN NOCTE.] Chaldæus Paraphraſtes ait, nubem eamdem opacam fuiſſe interdiu, noctu vero fulgorem emiſiſſe, qui, quouſque patebant caſtra, cernebatur. In ſenſu eodem intelligunt Septuaginta. Vide, quæ dixerim Exod. 13. 22. & 14. 20.

1 Grotius.

EXODI

FINIS.

INDEX RERUM, QUÆ IN GENESI ET EXODO CONTINENTUR.

AARON ante perſecutionem natus. 314. Datur a Deo Moyſi interpres. 353. Fratri occurrit ad montem Sinai. 357. Pharaonem cum Moyſe alloquitur. 328. Uxorem duxerat Eliſabeth filiam Aminadab. 359. Ejus filii. *ibid.* Eo interprete utitur Moyſes. 332. Coram Pharaone ejus virga projecta in ſerpentem repente mutatur *ibid.* Aaron mannæ gomor defert in Tabernaculum. 375. Cum Moyſe montem Sinai conſcendit. 387. Ejus conſecrationis cæremoniæ. 459. Unctio Aaronis. *ibid.* Septem diebus ſuæ conſecrationis cæremonias proſequitur. 458. Tenebaturne Aaron ipſemet offerre incenſum quotidie mane, & veſpere? 465. Vitulum aureum conflat. 472. & edicit hunc eſſe Deum, qui ex Ægypto Iſraelitas deduxit. 474. In quo ſtet ejus error in hac occaſione. *ibid.* Quodnam erat ejus conſilium in conflando vitulo aureo. *ibid.* quidnam afferri poſſit, ut excuſetur? *ibid.* Aaron populum ignominioſe ſpoliat. 476. Omnes ſummi ſacerdotes ejus ſucceſſores uncti fuere. 496. Obtinuit ſemper mos hic inter Judæos? *ibid.*

Abel. Ejus ortus. 40. Cur hoc nomen quod vanitatem ſignificat ab Eva ei inditum. *ibid.* Sacrificia incruenta ab ipſo Deo oblata. 13. & 40. Unde cognovit, quod illi eſſent accepta? 40. Ejus fidei puritas. *ibid.* Judæorum traditio de inimicitiæ Cain in ipſum cauſa. *ibid.* Occiditur a Cain. 42. Ejus mors figura mortis I. C. *ibid.* Abel ſine liberis non deceſſit. *ibid.* Uox ejus ſanguinis pro voce ejus viduæ ac liberorum. *ibid.* Annus ejus emortualis. 46.

Abib. Menſis Abib, menſis ſpicarum. 358. Primus menſis anni Sancti inter Hebræos. 346.

Abimelech: Nomen omnibus Geraræ Regibus commune. 148. Rapit Sara. *ibid.* Plaga a Deo ipſe percutitur, ac tota ejus familia. *ibid.* & 149. Abimelech Sara reddit Abrahamo. 148. Mille aureos nummos impendit, ut velum Saræ comparet. *ibid.* Fœdus init cum Abrahamo. 151. Iſaaco indicit, ut in ſuam regionem ſecedat. 176. Venit Berſabee ut foedus feriat cum Iſaaco. 177.

Abo, mons in Armenia, ubi oritur Euphrates. 115.

Abominationes. Ægyptiorum Animalia, a quorum morte abhorrent. 336.

Abraham Thare filius, & junior Aran ac Nachor. 110. Ortus eſt 1. vel 2. ab obitu Noe anno. XX. Thare, ejuſque familia in Ur Chaldæorum morabatur, cum Deus illum vocavit, & e ſua regione deduxit. *ibid.* ejus itinera. *ibid.* Abraham ubique ſine interprete intelligitur. *ibid.* Hebraicum, & Chaldaicum ſermones callebat. *ibid.* Certum eſt, Hebraice locutam familiam Abraham, antequam hic in Chanaanitidem proficiſceretur. *ibid.* Character Abrahami. 170. Fuitne Idololatra, dum eſſet junior? 110. Duæ Abrahami vocationes. 113. Ur relicta ſubſtitit in urbe Haran. 111. Quamdiu ibi immoratus. 112. Ejus ætas Thare obeunte. 110. In Chananitidem proficiſcitur. 113. Promiſſa a Deo et facta. 112. 117. Regnatne Damaſci? 114. Verſatur in monte Bethel. *ibid.* Publice religionem ſuam exercet ubicumque moratur. *ibid.* Ejus iter in Ægyptum. *ibid.* Mentituſne eſt Sara ſororem ſuam eſſe dicens? *ibid.* Anno tantum in Ægypto moratur. *ibid.* Docetne Ægyptios Arithmeticam & Aſtrologiam? *ibid.* Ex Ægypto recedit, ac a Loth ſe ſejungit. 117. In valle Mambre ſedem figit. *ibid.* Unde ei Hebræi nomen. 100. 521. Cur omnes ejus poſteri eodem nomine appellati non ſint? 300. Liberat Loth a Regibus eum captivum ducentibus. 121. Suis rationibus non inſervit. 122. Congreditur Melchiſedech ad radices montis Thabor. *ibid.* Ei decimam tribuit prædæ, ex hoſtibus captæ. *ibid.* Ei Deus apparet, ac filii nativitatem pollicetur. 125. Ejus fides. 126. quomodo imputata ad juſtitiam? *ibid.* Fœdus a Deo cum illo initum. 125. 126. 130. Promiſſum ei dandi Chanaanitidem. *ibid.* Is ne dubitat? 124. Deus ei prædicit ſuorum poſterorum ſervitutem, & eorum poſt quatuor generationes liberationem. 125. Peccatne Agar ducens? 127. Dat Sarai jus vitæ & necis in Agar. *ibid.* Deus ei dat nomen Abraham. 130. Circumciſio, ſignum novi fœderis, quod Deus cum eo icit. *ibid.* Menſæ adhibet tres Angelos. 134. Dominum flectere pro Sodoma, aliiſque civitatibus conatur. 137. Præſervatio Loth reſpectu Abrahami. 145. Sedem Geraram transfert. 147. Ejus fœdus cum Abimelech. 151. Plantavit nemus in Berſabee. *ibid.* Ejus tentatio, & tentationis circumſtantia. 154. & *ſeq.* Montem Moriah conſcendit Iſaacum immolaturus. 155. Conſilium ſuum aperuitne Saræ? *ibid.* Mentiturne famulis ſuis dicens: *reuertemur*. 156. Arietem Iſaaci loco offert. 157. quo die? *ibid.* Deus ei nova promittit. 158. Eſtne author ſacrificiorum humanarum victimarum? 157. Vetat Eliezero, ne uxorem Chananæam Iſaaco tradat: & cur. 164. Luget Saram. 160. Emit jus ſepulturæ in Chanaanitide; & emendo peccatne? 161. Difficultas ſuper hac emptione. *ibid.* Ducit Cethuram. 168. Defenditur Patriarcha ſuper hoc connubio. *ibid.* Iſaacum omnium bonorum ſuorum hæredem ſcribit. 170. Ejus mors, & Elogium. *ibid.* Varii libri eidem attribuit. 171. Ejus hiſtoriæ inter Ethnicos veſtigia. 137. Cum Ilo, vel Saturno Phœnicum Deo confunditur. 157. Ejus liberi ſecundum ſpiritum, hæredes promiſſorum Dei. 530. Typus fuit perfectæ fidei & obedientiæ. 514. 155.

Abrech. Hujus vocis ſignificatio. 241.

Abſolutio. Duobus tantum vocis ſuffragia accedere debebant, ut ſententia abſolutionis ederetur. 486.

Abyſſus apud Hebræos ingentem aquarum copiam ſignificat. 3.

Acacia nigra eadem eſt ac lignum Sethim. 439.

Acetabulum quid ſignificet. 433.

Achates lapis Rationalis. 450.

Achæi annum ab æſtate exordiuntur. LXVIII.

Acroſticha carmina in lingua Hebraica. 300.

Adam, nomen primi hominis proprium, & toti ejus poſteritati commune. 11. Rubrum ſignificat. *ibid.* Creatio Adami: *ibid.* In quo ſtet ejus ſimilitudo cum Deo *ibid.* Adam e terra Virgine creatus figura Jeſu Chriſti 17. Juxta nonnullos hæreticos creatus eſt Cœcus 30. Fuit ſimul cœcus, & clarè videns. *ibid.* Ejus immodica ſtatura juxta Rabbinos. 12. Adam Gigantum maximus. XXV. Hebræorum ſententia de formatione Adami, & ejus ſtaturæ proceritate. *ibid.* Adam & Eva ad latus ſibi invicem adhærentes juxta eoſdem Rabbinos. 12. Deus ei vitæ ſpiraculum infudit. 17. Benedictio eidem a Deo poſt ejus creationem tributa. 12. Deus illum ad connubium adſtringens ejus poſteros pariter non adſtrinxit. *ibid.* Ei tradens terræ fructus in alimoniam, carnis uſum prohibuit. *ibid.* Ejus immortalitas erat poſſe non mori, ſi Deo fidelis permanſiſſet. 28. Nihil ei ante lapſum erat timendum eorum, quæ mortem inferunt. *ibid.* Arbor vitæ ad ejus vitam ſervandam deſtinata. Hæc arbor vim illam pro ſolo Adamo habebat. *ibid.* Arbor ſcientiæ boni & mali omnige-

nam ſcientiam Adamo conferre debebat? *ibid.* Liber, e quo quidquid cognovit Adam deprompſit juxta Hebræos. 32. Ejus in cuncta animantia imperium. 29. Hæc ad eum Angelorum miniſterio ducuntur. 28. In eorum recenſione nullum invenit, quod ſibi ſaſtum agnoſceret. 29 Eis nomina Hebraica lumine ſupranaturali indidit. *ibid.* Adam in Paradiſo terreſtri a Deo locatur. 27. Hoc viridarium pro eo creatum. 28. Eva ex ejus latere educta: figura Eccleſiæ ex latere Jeſu Chriſti eductæ. 29. Cur ante lapſum de ſua nuditate non erubeſcebat? 30. Adfuitne Evæ ſermoni cum ſerpente? 33. Ut uxori obſequeretur de fructu vetito edit. *ibid.* Ejus peccati effectus. *ibid.* & ſeq. Evæ inobedientia, Adamo non adſentiente, ſibi ſoli nocuiſſet. 28. Ejus peccatum in omnem Adæ poſteritatem transfuſum. *ibid.* Mortis ſententia in eum prolata. 36. E Paradiſo terreſtri a Deo ejicitur. 37. Quamdiu in eo moratus ſit? *ibid.* Inde virgo egreſſus eſt. 39. ſecedit ad Orientem Armeniæ Mediam vel Aſſyriam verſus. 37. Angelus ante Paradiſum terreſtrem locatus, qui illi aditum prohiberat *ibid.* Ejus pœnitentia. 49. Mors. *ibid.* Salus. *ibid.* Sepulchrum in monte Calvario, ſeu in Hebron. *ibid.* Sacellum in ejus honorem in monte Calvario ædificatum. *ibid.* Genealogia Adam per poſteros Seth. 47. Literæ Hebraicæ, quarum inventio eidem tribuitur. *ibid.* Authores, qui Præadamitas extitiſſe crediderunt. 18. Vide *Præadamita*.

Adama. Vide *Pentapolis*.

Adamas eratne in Rationali? Et an mallei ictibus reſiſtat. 450.

Additiones quæ reperiuntur in Textu Samaritano: & quodnam ſit de eis ferendum judicium. 344.

Adalpha. Lignum, quo Moyſes ad edulcandas aquas Mara uſus eſt. 369.

Adiabene Provincia Aſſyriæ, pars antiquæ regionis Eden. 20. Ejus limites. 97.

Adoratio. Hujus vocis ſignificatio: 134. Actus exterior, quo Deum adoramus, alius non eſt ab eo, quo homines excipiuntur. *ibid.* Adoratio aurei vituli. 472.

Advena duplices apud Hebræos. 355. Deus vetat advenas contriſtari. Hujus interdicti ſenſus. 412. Domus publicæ in Oriente pro advenis dictæ Carvanceras. 539.

Adulterium morte punitum apud Hebræos & Chananeos. 176. In mulieribus puniebatur a Judæis lapidatione, & in Sacerdotum filiabus igne 132. Adulterii pœnæ apud Arabes & Ægyptios. *ibid.* Crimina hoc nomine comprehenſa. Pœnæ in hoc crimen. 395.

Æant. Sinus Æant. 361.

Ædificare domum ſuam ſignificat liberos ſuſcipere. 314.

Ægina inſula, ubi Phidon rex Argos monetæ uſum invexit LIII.

Ægyptii. Eorum ſententia de Origine Mundi. 3. Populus Ægyptius in tres claſſes diviſus, agricolas, paſtores, & opifices. 258. Eis non licebat patris ſui artem deſerere. *ibid.* Erant regis ſui captivi. *ibid.* Diſtinctio animalium mundorum & immundorum inter eos vetuſta. 61. Iſidi Medicinæ inventionem adſcribebant. 273. Ægrotos in foro exponebant, ut remedia ſibi congrua à viatoribus ediſcerent. *ibid.* Cuique morborum generi ſuos medicos habebant. *ibid.* Quicumque cadavera condiebant, medici erant. *ibid.* Variæ corpora condiendi apud eos rationes. *ibid.* Ægyptiorum luctus. 274. Mummiæ Ægyptiæ. 275. An monetam cuderint ante Græcorum imperium in Oriente? LIV. Sacerdotes Ægyptii, eorum ſtudia. 239. Soli ſcribebant, & ſervabant nationis ſuæ annalia. LX. Eorum Dinaſtiæ a Chronologis improbatæ. *ibid.* Unde procedat exorbitans, quam ſibi aſſerunt, antiquitas? LXI. Eorum annus duodecim menſibus conſtabat, non ſecus ac noſtri. *ibid.* Eorum annus ſacer alius a civili. *ibid.* Tria anni tempora tantum diſtinguebant. LXII. Eum ab Autumno exordiebantur. *ibid.* Quem potiſſimum morem in diebus deducendis ſecuti ſint. *ibid.* Diſtributio diei in 12. horas ex Ægyptiis emanavit. *ibid.* Unde exteros averſarentur? 247. Eis non licebat cum Hebræis veſci. *ibid.* Nullum animal, e quo emolumentum perciperent, occidebant; 255; Superſtitioſus eis deinde exhibitus cultus! *ibid.* Origo eorum odii in Paſtores. *ibid.* Non omnia tamen Paſtorum genera oderant. *ibid.* Cæteros populos prærogativis quibuſdam maxime in rebus religionis ſupra ſe efferri non patiebantur. XLVIII. ſintne Circumciſionis Auctores? XLIX. Eorum Circumciſio ab Hebraica differt. *ibid.* Quando & a quo eam acceperint. *ibid.* Ejus uſus apud illos nunquam fuit univerſalis. *ibid.* Circumciſio inter eos viris & fœminis communis. *ibid.* Ab ipſis derivarunt nomina & cultus falſorum numinum. 109. Prima eorum Numina. 110. Idololatriæ apud eos progreſſus. *ibid.* Erant ne idololatræ tempore Joſephi? 246. Cultus divinus ab eis ſerpenti exhibitus. 31. Viri fœminis inter eos ſubjecti. 35. Metempſycoſia Authores. 74. Ab ineunte juventute crines ſibi cædebant. 239. Durante luctu nutriebant. *ibid.* Duo ſcripturæ genera penes Ægyptios. XL. Vetuſti eorum characteres iidem ac Phœnicii. XLI. Ægyptii a dextera ad ſiniſtram ducebant ſcripturam. *ibid.* Maximum inter eos juſjurandum eſt per vitam Regis. 244. Pœnæ quibus adulterium afficiebant. 232. Mos Ægyptiorum ſe proſtituendi in honorem ſuorum Numinum. *ibid.* Ineunte vere oves & arbores rubro colore inficiunt. 349. Nullius victimæ caput comedunt. 350. Filii inter eos neceſſaria parentibus ſuppeditare non tenebantur. 394. An antiquitus Poetas habuerint. 301. Ægyptii exercitus Pharaonis in mari rubro ſubmerſi, & fulmine tacti. 365. Annus ſacer & civilis Ægyptiorum. 346. Cur animalia adorarint? 336. Ægyptii ſæpius cum Judæis confuſi. 283.

Ægyptus. Ægypti terræ in tres partes diviſæ, Sacerdotum, regis, & militum. 258. Ægyptus inter omnes mundi regiones prima fuit exculta. 88. In ea ſubſtitit Cham, ibique divinos honores retulit. *ibid.* Ægypti ſolum an Nili limo fuerit formatum? *ibid.* Antiqui Ægypti reges e populo electi. 310. Ægypti rex qui Joſephum non agnoſcebat. *ibid.*

Ælam Elamitarum Medis finitimorum pater. 97. Perſis regio Elam appellata. *ibid.*

Ænigmata. Orientalium, præſertim verò Ægyptiorum Theologia ænigmatibus tota celabatur. 432.

Æs oblatum in opus Tabernaculi. 492.

Ætas rationis in pueris annus duodecimus, in puellis decimus tertius. 353. ætas communis hominum poſt diluvium. 53.

Ætas aurea, qua omnia erant communia 44. & ver perpetuum, 66.

Æthiopes iidem cum Chuzæis, ſeu poſteris Chus filii Cham. 23. Altunde in regionem, quam obtinent appulerunt. 24. Eorum moneta. LV. Ritus circumciſionis inter ipſos antiquus. XLIX. cujus non eſſe authores fatentur. *ibid.* An eam a Regina Saba acceperint? L.

Africa ſeu Lybia, quam Apher invaſit. 370.

Afflictiones. Earum utilitas. 137.

Agar. Eratne filia, an captiva Pharaonis? 157. Ab Abrahamo ducitur uxor. *ibid.* Abraham jus vitæ & necis in Agar Saræ tribuit. *ibid.* Ejus fuga, ac reditus. *ibid.* Gignit Iſmaelem. 128. Ab ea divortium facit Abraham, & è domo expellit. 158. Eam Angelus conſolatur. *ibid.* Figura fuit ſynagogæ. 132.

Agitatio. Ratio offerendi Deo quaſdam victimas per agitationem. 461.

Agnus Paſchalis decem dies ante immolationem electus. 347. Hœdus etiam ſumi poterat. *ibid.* Figura Jeſu Chriſti. *ibid.* Verum erat ſacrificium. 353. Non debebat immolari lac adhuc ſugens. 347.

Agricultura facilis in Ægypto. 313. Inſtrumenta ad agriculturam neceſſaria ante Abelis mortem inventa. 44.

Ahod. Ejus nomen omiſſum in aliquibus recenſionibus filiorum Simeon. 254.

Albania populi monetam, pondera, menſuras non habebant, nec ultra 100. numerabant. LV.

Alexander Magnus. Lis coram eo Hebræis intentata ab Ægyptiis. 322.

Altare e terra, vel ceſpititios. 396. Altare e lapidibus impolitis. Vetat Deus ne ferrum ad illos ſecandos adhiberetur. 397. Altare holocauſtorum an eſſet è rudi lapide vel e terra. *ibid.* Altare Templi poſt captivitatem e rudi lapide ædificatum. *ibid.*

Altare

Digitized by Google

Altare ad montis Sinai radices extructum an duodecim lapidibus conſtaret. 421. Erectum a Moyſe poſt devictos Amalecitas in monte Horeb. 378. illius nomen. *ibid.*

Altare Holocauſtorum. 490. Sanctificatio altaris: 461. Quidquid illud contigiſſet purum debebat eſſe & ſanctum. *ibid.*

Altare thymiamatum. Ejus deſcriptio. 464. Habebatne craticulam, eique thuribulum adhærebat? *ibid.* Ubi locatum erat? *ibid.* An ſolus Aaron poterat in eo incenſum Domino offerre? 465.

Alzamir aurei vituli artifex. 471.

Aluphim Idumææ. Hujus vocis ſignificatio. 221.

Amalecita Populi Arabiæ Petreæ inter Cades & Mare Rubrum. 121. Eorum origo, regio, prælium in Iſrael. 377. eorum clades. *ibid.* Minæ in Amalecitas. Delentur a Saule. 378.

Amathai Emſeh ſeu Emeſæ incolæ ad Orontem. 96.

Amenophis Ægypti Rex; ſub eo Iſraelitæ ex Ægypto egreſſi. 327. Inſequitur Iſraelitas. 380.

Amethiſtus lapis Rationalis. 450.

Aminadab Princeps Juda; primus in maris Rubri alveum deſcendiſſe dicitur. 365.

Amira Maronita monti Libani. XIX. Ejus argumentum, ut probet linguam Syriacam ſeu Chaldaicam eſſe primitivam. *ibid.* Confutatur. *ibid.*

Ammon. Natus ex inceſtu Loth cum ſua ſecunda filia. 146.

Ammorrhai ſedem fixere primò in montibus ad Aſphaltitis occaſum, dein vero ultra Jordanem. 95. Sæpius ponuntur pro Chananæis. 125. Pœnæ eorum criminum poſt quatuor generationes. *ibid.*

Aram filius Caath ducit Jocabed. 325. Ejus liberi, & mors. *ibid.*

Amraphel Rex Sennaar cum Nembrode ab aliquibus confunditur. 118.

Amuleta quid ſint; eorum uſus ſuperſtitioſus in toto Oriente. 201.

Ana filius, vel filia Sebeon. 221. Aquæ calidæ ab Ana inventæ. 222. Primus mulos gignendos curavit. *ibid.*

Anach, quo nomine Ethnicis cognitus Henoch. 51.

Ananim, Ægyptii & Æthiopes origine. 92. Incolebant Maræotidem, ſeu Naſamonitidem. *ibid.*

Anarchia, quæ Iſraelitarum captivitates præceſſerunt, non exprimuntur in hiſtoriis. LIX.

Anaximander quadrantis Solaris inventor. LXVIII. A Babyloniis morem enumerandi per horas accepit. *ibid.*

Angeli. Eorum creatio. 2. quid afferat liber Henoch de malorum Angelorum corruptione, & lapſu. 50. Quælibet regio ſuum habet Angelum tutelarem. 205. Verus Judæorum traditio de Angelis tutelaribus. 164. Veteris Teſtamenti apparitiones Angelorum miniſterio. 207. Angeli, qui Abrahamo apparuerunt in Valle Mambre. 124. Ex horum numero eratne Filius Dei? *ibid.* Eos menſæ adhibet Abrahamus. *ibid.* Jinc verè comederint? 135. Angelus cum Jacobo luctans. 507. Variæ de hoc Angelo Veterum ſententiæ. *ibid.* & ſeq. Hic Jacobo Iſraelis nomen indit. *ibid.* Fuit ne Angelus, qui Moyſi in rubo ardenti apparuit? 351. Lex datane fuit Angelorum miniſterio? *ibid.* Angelus, qui Eliæzer vult interimere. 355. Boni ne Angeli fuere, qui morte primogenitorum Ægyptios multarunt? 344. Deus Angelum ſe daturum pollicetur, qui populum ſuum ducat. 479. Hic Angelus eratne S. Michael, an Moyſes, vel Jeſus Chriſtus. 419. Potentia Angelorum in corpora. 254. Eorum natura, & vis nobis ignotæ. *ibid.* Corporei ab antiquis putabantur. *ibid.*

Anima. Ejus immortalitatis argumentum inſufflatio vitæ a Deo Adamo inſufflæ. 17. Ethnic putant eam futura prænoſcere appropinquante morte. 262. Animarum præexiſtentia a Judæis credita. 10.

Anima a corpore ſeparatæ: earum potentia, & vires nobis inexploratæ. 288. Corporeæ ab antiquis creditæ. *ibid.*

Anima Rephaim, ſeu Gigantum in inferis detentæ. XXVI.

Animalia, quomodo juxta Ægyptios producta? 9. Animalium a Deo initio creatorum numerus. *ibid.* An animalia imperfecta, & carnivora creaverit? *ibid.* & venenoſa. 11. Adami imperium in cuncta animantia. 28. Ad eum ab Angelis deducta. *ibid.* Eis nomina Hebraica indidit. *ibid.* Eorum carnium uſus hominibus poſt diluvium interdictus. 13. An conſortia fuerint corruptionis hominum ante diluvium. 55. A Deo puniuntur utpote inſtrumenta peccatorum hominum. *ibid.* Animantium numerus, quæ in arcam ingreſſa ſunt. 60. Quomodo in eam inducta fuerint? *ibid.* ſejunctane fuerint juxta illorum ſpeciem? *ibid.* Septena in ſingulas ſpecies tantum ingreſſa ſunt. *ibid.* Diſtinctio animantium mundorum ac immundorum vetuſta ſaltem æque ac Diluvium. *ibid.* Apud Ægyptios obtinuit ante Moyſem. *ibid.* Quinque animalium ſpecies, quæ Judæis offerre licebat. *ibid.* Fœdus à Deo cum animantibus initum. 73. Ab omnibus ferme Orientalibus populis eredita ratione prædita. 73. Scripturæ loci qui huic ſententiæ ſuffragari videntur. *ibid.* Ægyptii omnia prope ſuæ regionis animalia colebant. *ibid.* Pœnæ in animalia, qui hominem interfeciſſent, conſtitutæ. *ibid.* Vetus conſuetudo a quibuſdam animalibus abſtinendi. 71. Permittitne Deus Noemo, ut ea indifferenter comedat? 72. Hoc interdictum quomodo a Judæis explicetur? 78. Durat ne adhuc inter Chriſtianos? *ibid.* Animalia diſcerpebantur, & cruda comedebantur in feſtis Bacchi. 71. Lex mortis pœnam indicens in eos, qui animal agriculturæ inſerviens interfeciſſet. 255. Ægyptii non necabant animalia, a quibus emolumentum aliquod referrent. *ibid.* Superſtitioſi cultus deinde eiſdem exhibiti. *ibid.* Abſtinebat Judæi ab animalium poſtica quarta parte in memoriam luctæ Jacobi cum Angelo. 208. Vetus ratio ſcribendi per figuras animalium, ſub ſecundo Rege Memphis inventa. XXXIX. Animalia in Ægypto adorata, & cur. 335. Hebræi Deos Ægyptios occiderunt in cæremonia Paſchali. 336. Vetitum erat carnes animalium edere, quæ aliud animal momorderat. 484. Ad quid teneretur conductor, vel ille, cui commodatum fuerat animal. 481. Quid ſi animal a beſtia feroci devoratum fuerit? 41c. Omnia animalia domeſtica, & doſſuaria comprehendebanturne lege primogenita Domino offerri præcipiente? 359. Animalia noxam inferentia percuſſo tradita. 407. Præſagia a veteribus deducta ex animalibus cornigeris per ſomnium viſis. 240.

Annales Ægyptiorum ab eorum Sacerdotibus conſcribi ſolum poterant. LXI.

Annihilatio a Maimonid tradita. 351.

Annulus apud plures populos erat ſignum ſupremæ poteſtatis. 240. Antiquis eos naribus, vel auribus appenſos vel a fronte pendentes deferebant. 216. Annuli digitis, & auribus Idolorum ſuſpendi ſoliti. *ibid.* In Orienta a mulieribus ad nares, ac labia delati. 265. Signatorii apud Babylonios in uſu. 232. Aurei Rationalis. 451.

Annus civilis, & ſacer Hebræorum, & Ægyptiorum. 346. Annus Sabbathicus quando incipiebat? 417. Cur decretus ſit annus Sabbathicus? *ibid.* Hæc lex fuitne exacte obſervata? *ibid.*

Anni. Diſcrepantia inter Hebræos & Septuaginta ſuper annorum Patriarcharum numero. 47. 48. Decem illorum anni juxta quorumdam incredulorum ſententiam noſtrorum unum æquabant. 48. Conſtabant ſaltem 360. diebus. *ibid.* Mos quorumdam populorum dividendi annum in tres tempeſtates. 70. An ante Enoch per annos tempora metirentur? LX. Variæ annos connumerandi, & exordiendi rationes. *ibid.* Annus Ægyptius ab Autumno incipiebat. LXI. tribus tantùm temporibus conſtabat. LXII. Anni Chaldæorum. *ibid.* Græcorum anni inæquales. LXVII. Homeri ævo 12. menſibus conſtabant. *ibid.* Annus Athenienſis proprie neque ſolaris erat, neque lunaris. LXVIII. A veris Æquinoctio exordiebatur. *ibid.* Anni magni Græcorum. *ibid.* Anni Latinorum: non una apud eos anni redigendi regula. *ibid.* Annus Julianus. LXIX. Annus veterum Hebræorum, 12. menſibus conſtabat. LXX. Annum habebant partim lunarem, & partim ſolarem pro religionis cæremoniis. *ibid.* Poſt Talmudem tantummodo anni lunares tantum apud ipſos obtinuerint. *ibid.* Eorum anni exordium ab Autumno. LXXI.

Anni 365. dierum Thot authore. LXI.

Antaradus; Aradiorum ſedes, in qua perſtiterunt uſque ad imperii Romani tempora. 96.
Antichriſtus prodibitne ex Tribu Dan? 268. Ei opponetur Henoch. 19.
Apher Lybiam acquirit, eique Africæ nomen indit. 170.
Apis. Ad imitationem Apis conflatus eſt vitulus aureus. 473. Aquis immergebatur Apis; dein alter quærebatur, pro quo ingens feſtivitas fiebat. 475.
Apparitiones. Fiunt plerumque noctu, & illuceſcente die diſſipantur. 207. Apparitiones Deorum funeſtæ cenſebantur ab Ethnicis. 128. 208. Apparitiones veteris Teſtamenti miniſterio Angelorum effectæ. 207.
Aqua. Veteres Philoſophi aquam rerum omnium principium eſſe aſſerentes. 2.
Aquæ ſupra & infra firmamentum locatæ. & cur. 5. Harum aquarum natura. 5. Aquarum colluvies ab Hebræis abyſſi nomine deſignata. 3. Dei Spiritus ferebatur ſuper aquas. *ibid.* Oceanus veluti unicum omnium terræ aquarum receptaculus habitus eſt. 6.
Aqua Nili in ſanguinem mutatæ. 133.
Aquæ maris rubri pendentes, quamdiu transfretarunt Iſraelitæ. 367. ſubitò recedunt. 293.
Aqua Mara a Moyſe edulcatæ. 369.
Aquila pullos ſuos ſuper alas defert. 383.
Arabes ab Iſmaele originem ducentes. Eorum character. 108. Anno decimo tertio circumciduntur. 132. Circumciſio inter eos viris æque ac fœminis communis. *ibid.* Eam Ægyptiis communicarunt. *ibid.* Carne & lacte camelorum veſcuntur. 206. Duodecim capita Tribuum penes Arabes. 171. Eorum urbes e tentoriis conſtatæ. *ibid.* Eorum pœſis vetuſtas. 301. Eorum lingua Hebraicæ analoga. XX. Arabes ſibi invicem ſanguinem eliciunt fœdus aliquod ineuntes. 316.
Aracæi incolæ urbis Areæ ad montis Libani radices. 95.
Aradii, quorum ſedes Antaradus. 96. ubi perſtiterunt uſque ad imperii Romani tempora. *ibid.*
Aram filius Sem, & Aramæorum ſeu Syrorum pater. 97. Prima ejus ſedes Kir. 98. Variæ regiones nomine Aram appellatæ. *ibid.*
Aram Camuelis filius. 98.
Aran major natu filiorum Thare. 110. Ejus mortis circumſtantiæ. *ibid.* Primus eſt qui ante patrem obiit. *ibid.* Pater fuit Saraï uxoris Abraham. *ibid.*
Ararat Mons Armeniæ. 68. Ejus deſcriptio. *ibid.* In eo hæſit arca Noe. *ibid.*
Aratri inventionem Nemo adſcribunt Rabbini. 51.
Araxes Fluvius idem ac Gehon regionis Eden. 22. Ejus aquarum pernicitas. 23. Fertilitas regionis quam alluit. *ibid.* Oritur in monte Ararat 6000. paſ. a fonte Euphratis. *ibid.*
Arbaces Medos in Sardanapalum concitat, eiſque Aſſyriorum imperium ſubjicit. LXII.
Arbee urbs Chananitidis. 159. Quando Hebron appellata. *ibid.*
Arbor. Non licebat Hebræis fructus in uſum ſuum colligere ex arbore, niſi quos quinto anno produxiſſet. 75. *Profanare arborem* pro ejus fructus decerpere. *ibid.* Ethnicorum conſuetudo arbores prope idolorum templa plantandi, eaſque colendi. 153. Ægyptii interim vere arboribus colorem rubrum apponebant. 249. Mahometani arbores colunt, quæ pluribus ſæculis vixere. 153.
Arbor vitæ. Frequenti ejus fructus uſui immortalitas inhærebat. 16. Ejus fructibus veſci debuiſſet Adam ad ſuas vires reparandas. 27. Auctores in ſenſu allegorico hujus arboris vim explicantes. 26. Certum non eſt fuiſſe ab arbore ſcientiæ boni & mali diſtinctam. 27.
Arbor ſcientiæ boni, & mali procurandæ Adamo Scientiæ univerſali deſignata. *ibid.* Hujus arboris ſpecies. *ibid.* Vitem fuiſſe aſſerunt Rabbini. *ibid.* Deus Adamo vetat, ne ex ejus fructu comedat, ſub mortis incurrendæ pœna. 28.
Arca Noe ad inſtar capſæ compacta. 56. e quonam ligno confecta? *ibid.* Ejus dimenſiones. *ibid.* Figura. 57. Ejus oſtium, & contignationes. 58. Aqua dulcis utrum in eam invecta? *ibid.* Animalium numerus, quæ in eam ingreſſa ſunt. 59. Sejuncta ne fuerint ſecundum eorum ſpeciem? 58. Septena in ſingulas ſpecies ingreſſa. 60. Commeatus arcæ. 58. Ejus feneſtra ac tectum, eorumque altitudo. *ibid.* Quo die arca requieverit. 68. In vertice montis Armeniæ Ararat. *ibid.* & XXXIII. Eam regionem incoluerunt primùm homines poſt diluvium. XXXIV. Vetuſta traditio de reliquiis Arcæ in Armenia. *ibid.* Arca Symbolum Eccleſiæ. 77.
Arcæ, in quibus turpia ſuorum myſteriorum arcana Ethnici reponebant. 431. 496.
Areæ, urbs ad pedes montis Libani, Aracæorum ſedes. 95.
Areta. Ejus colus purpura repleta. 487.
Argentum. Aderatne argentum ſignatum Abrahami ævo? 16. 210. Argenti virgulæ, quibus in commerciis uſus. 561. Aſſyriine primi argentum obſignatum habuere? 210. Aderatne Jacobi ævo. *ibid.* Veterum conſuetudo adnumerandi pecuniam per ſaccelos. 212. Qui uſus adhuc in Oriente viget. *ibid.*
Argonautæ. Eorum iter pro vellere aureo. XLVI.
Argos. Fundatio regni Argolici. LXVII.
Aries. Obſervationes ſuper Ariete Iſaaci loco immolato. 157.
Arioch Rex Ponti, ſeu Thalaſſar, cum Codorlahomor in bello contra Pentapolim fœdere junctus. 119.
Ariſtophanes. Ejus ſententia de Origine mundi. 4.
Arithmetica: An eam ab Abrahamo acceperint Ægyptii? 115.
Armenia. Quomodo Armeniam potuerit Moyſes Orientis nomine deſignare. XXXIV. Hujus regionis lingua eadem atque Chaldæa. XX.
Armilla. Fas olim viri geſtabant in virtutis argumentum. 231.
Armus & pectus victimarum pacificarum Sacerdotibus cedebant. 462.
Aromata, quibus conflabatur incenſum ſuper altare thymiamatum adolendum. 468. & oleum unctionis 467.
Arphaxad filius Sem. Mediæ Provincia ab ejus nomine appellata. 97
Artapanus ait nullum adfuiſſe prodigium in tranſitu maris Rubri. 292.
Artes. Earum inventio Diluvio anterior. 45. Inventores artium in Græcia *ibid.*
Arundo aromatica quid ſit? 460. optimæ ubi legantur? XLIII. modus, quo obdureſcunt, ac pellucida ex croceo, atroque mixta ſuperficie imbuuntur. *ibid.*
Aſchenez quam regionem frequentaverit in Sarmatia Boriſthenem verſus. 83.
Aſeneth Jacobi uxor, & filia Putiphatis Sacerdotis Heliopolitani. 241.
Aſer filius Zelphæ. Ejus ortus. 191. Benedictio quam ei Jacob impertitur. 268. Fertilitas regionis Aſer. *ibid.* Ejus præſtans oleum. 269.
Aſini. Horum primogenita Deo ſacra. 359. Cur velit Deus ea occidi, niſi redimantur. *ibid.* Eorum horrore percellebantur Ægyptii. *ibid.*
Aſiongaber in Idumæa. Eratne ad mare Rubrum, an ad Mediterraneum? XLV. Regio e qua abibant naves Salomonis Tharſim profecturæ. 86.
Aſmonæi. Regis monetam cuderunt. LVII.
Aſphaltos, ſalis combuſtibilis ſpecies, in Pentapoli communis. 143. Ejus uſus apud Ægyptios ad condienda cadavera. 144. Lacus Aſphaltites mare ſalſum appellatus. 143. Ejus aquarum peculiaris natura. *ibid.*
Aſſur filius Sem, Nembrodi impotentia coactus relicta Sennaar verſus Tigris origines ſecedit. 91. Condiditne urbem Ninivem? *ibid.* Aſſur poſitus pro regno Aſſyriæ *ibid.* An ſucceſſerit Nembrodo? *ibid.* Idem ac Thuras ab Aſſyriis cultus. 97.
Aſſurim, populi verſus Euphratem, alii a poſteris Aſſur filii Sem. 169.
Aſſyrii. Horum Monarchiæ vetuſtas. LXII. Primi nummos cuderunt. 211. Eorum imperium Græcis parum notum. LXII. & ſequ. Citius incepit, & perſtitit diutius, quam aſſeruerit Herodotus. LXIII. Difficile eſt Aſſyriorum Chronologiam ſtatuere. *ib.* Rex, qui perſecutus eſt Hebræos in Ægypto, eratne Aſſyrius? 310.
Aſtaroth Numen Phœnicium, idem ac Luna. Varia

Digitized by Google

ria ejus nomina. 120. Ejus cultus in Aſtharot Carnaim. *ibid.*
Aſtra ad tempora, & tempeſtatum ſeriem indicandam creata. 7. Philoſophi, qui ea anima & ratione prædita putarunt. *ibid.* Antiqui patres, qui ea mereri poſſe cenſuerunt. 8. Scripturæ loca, his opinionibus ſuffragantia, & in ſenſu metaphorico explicanda. *ibid.* Aſtra ab Ægyptiis adorata. 389. Seth illis nomina indidiſſe dicitur. 49.
Aſtrologia, inventa ab Henoch juxta Babylonios. 51. Utrum Abraham illam in Ægyptum invenerit? 215.
Aſylum in deſerto erat Tabernaculum. 404. Quinam poterant aſyli privilegio frui? *ibid.*
Atad, Area Acad, ubi Jacobo parentatum eſt. Ejus ſitus. 274.
Athenienſes. Eorum annus neque ſolaris proprie erat, neque lunaris. LXVIII. ejus initium ducebant ab æquinoctio veris. *ibid.*
Atramentum; ejus apud veteres in ſcribendo uſus. XLIII.
Atrium Tabernaculi ejus deſcriptio. 442. 491.
Auctores poeſis ſacræ loquuntur extemplo, & ſine ſtudio. 301.
Aves; earum creatio. 8. Ex aquis eductæ ſunt. *ibid.* In Ægypto adoratæ. 389.
S. *Auguſtinus* olim fuiſſe Gigantes docet; ejus rationes. XXVII.
Auris. Conſuetudo aures ſervorum perforandi in Oriente vetuſtiſſima. 400. Quibus auris perforata, ſervi erant uſque ad annum jubilæi. 401. In ſummi Sacerdotis conſecratione dexteræ ejus auris extremitas ſanguine ungebatur. 461. Quid ſignificaret hæc ceremonia? *ibid.*
Aurum, & argentum olim rariſſimum in Græcia; LIV. Aurum an in pulverem reduci queat? Cadmus Phœnix aurum, ejuſque liquendi artem invenit. 45. Auri textura ſine ulla lini immixtione. 451. Aurum in opus Tabernaculi inſumptum. 492.
Auſitis in Arabia Deſerta eadem eſt ac Terra Hus. 158.
Autumnus veteribus ignotus 70. Ægyptii Autumnum incipiunt a die 25. Septembris. *ibid.* Annus veterum Hebræorum ab Autumno initium ſumebat. LXX.
Azyma. Panes azymi, quorum ſeptem Paſchatis diebus uſus. 349. Figura ſunt veritatis, & ſinceritatis. *ibid.* 475.
Babel. Hujus nominis etymon? 109. Turris Babelica in planitie Sennaar. 106. XXXIII. Facinoroſum illam molientium conſilium. *ibid.* Aderant ne tunc tot homines, qui ad tantum opus aggrediendum ſufficerent. 108. Diverſæ Turris Babelicæ deſcriptiones. *ibid.* & XXXIV. Deſcriptio Gujonis. XXXVII. Turris Babelicæ celſitudo. 107. Hæc differt a Turre Beli. ibid. & XXXVI. An ejus quædam ſuperſint veſtigia? 107. & XXXVIII. Linguarum confuſio Babylonica. 108. & XVI. Difficultates, & ſuper his interpretes. XVI. Diſperſio poſterorum Noe. 109. Diſſertatio de Turri Babelica XXXIII. Traditio Babelicæ Turris ex Orientalibus ad Græcos deducta, & ab his Titanum fabulis corrupta. *ibid.* Apud ſolum Moyſem ſincera. *ibid.* Eam irridet Julianus, cui S. Cyrillus reſpondet. *ibid.* Quid reſpondeat Origenes Celſo de illa ſuſpicanti. *ibid.* A Philone allegorice explicatur. *ibid.* Hujus ædificii circumſtantiæ. *ibid & ſeq.* Poſt Alexandrum nihil certi de Turri Babelica. XXXVII. Quid de ea Strabo? XXXVII. Quid Herodotus de ejus latitudine? *ibid.* Quid de ejus dimenſionibus Benjamin Tudelenſis? *ibid.* Rabbini excedunt in aſſignanda ejus celſitudine. *ibid.* D. de la Boulaye a Davili citatus quid de ea? *ibid.* Ejus deſcriptio per plures Itinerantes, ac Petrum della Valle. *ibid.* Concluſio Diſſertationis. XXXVIII.
Babylon a Nemrodo qui in ea regnat, incœpta. 90. Itinerantium de ea relationes ambiguitatem non adimunt. XXXVII. Certum ejus ſitum ignorant circumjacentes populi. *ibid.* Fieri optime potuit, ut Nemrod & poſteri Noe urbis & turris Babyloniæ fundamenta locarint, quæ poſtea ædificia Belus perfecerit, ornarit & dedinarit Semiramis; ac tandem urbis majorem auxerit Nabuchodonoſor. *ibid.*
Babylonii annulos ſignatorios geſtabant. 231. Inter eos conſuetudo ſe proſtituendi in honorem alicujus falſi numinis. *ibid.* Eorum Chronologia incerta, & eorum reges a Græcis cum Medorum regibus confuſi. LXIII. Diem ab ortu ſolis exordiebantur. LXVI. Ab iis invecta in Græciam conſuetudo diurnum nocturnumque tempus per horas enumerandi. *ibid.*
Bacchantes aquam e rupe thyrſo percuſſa eliciebant. 485.
Bacchus. Animalia diſcerpebantur, & comedebantur cruda in feſtis Bacchi. 72. Bacchus cum cornibus ad imitationem Moyſis repræſentatus; fabula hujus falſi numinis cum Moyſis hiſtoria collata. 485. Bacchus ſicco pede Orontem & Hydaſpem traducit. *ibid.* Ejus baculus repit ut ſerpens. *ibid.* Muſicos oneribus quibuſcumque abſolvit. *ibid.* Comites Muſas habet. *ibid.*
Baculus. Mos geſtandi baculos inter Nabathæos & Iſraelitas vetuſtus. 232. Baculus vel haſta a Regibus olim deferri ſolita in ſignum dignitatis. *ibid.*
Bætyli, lapides penes Antiquos celebres. 186. Ea his prima idola. *ibid.*
Bala, Rachelis famula, fit Jacobi uxor, & mater Dan & Nephtali. 195. Dormit cum Rubeno Jacobi filio. 218.
Balenæ; earum immenſa craſſities. 9. Duplex immenſæ molis balena a Deo ab initio creata juxta Rabbinos. *ibid.*
Baptiſmus Arca Noachica adumbratus. 77. & maris rubri transfretatione. 365.
Baſan. Regio Rapham trans Jordanem, ad Orientem maris Tiberiadis. 120.
Baſemath, puella Chananæa, ab Eſau ducta. 177.
Baſes Tabularum Tabernaculi. 438.
Bathuel, pater Rebeccæ, ſponſæ Iſaaci. 167.
Baucis. Fabula Baucidis & Philemonis ex hiſtoria Loth deducta. 146.
Bdellium Arabicum 468. Diverſarum regionum. 22.
Bdolah. Variæ de hujus vocis ſignificatione ſententiæ. *ibid.*
Becanus Goropius. Ejus futiles rationes ad probandum linguam Cimbricam ſeu Belgicam eſſe primævam. XX.
Beccos, vel Becc, expreſſio forte balatus ovis vel capellæ. XVIII. Vox unice prolata a duobus infantibus, quos Pſammetichus Ægypti rex ab omni hominum commercio remotos alendos curaverat. *ibid.* Beccos apud Phrygas quid ſignificet? *ibid.*
Beelzephon. Hujus loci ſitus. 296. Hoc nomen ſignificatne idolum, vel Deum Oraculi? Eſtne Perſephones? *ibid.* Eſt ne idem ac Clyſma. *ibid.*
Belluæ Sylveſtres an verendum erat, ne nimis multiplicarentur in regione, niſi a veteribus incolis uno ictu deletæ fuiſſent. 421.
Belus Aſſyrius. Quando regnarit Babylone? XXXVII. qua Iſraelis Judice. *ibid.* Quando Ninus ejus filius regni Aſſyriorum fundamenta jecerit, ac Semiramis ejus uxor regnaverit? *ibid.* Moyſes de ejus operibus loqui non potuit. *ibid.* Anachroniſmus Belum cum Nemrodo confundentium. *ibid.* Veritas Dei Beli hiſtoriæ in Daniele relatæ. *ibid.* Beli Templum, ac tres ſtatuæ inibi a Semiramida locatæ. XXXVI. Late deſcribitur *ibid.*
Benedictio. Variæ hujus vocis in Scriptura acceptiones. 257. Antiqua benedicendi per manuum impoſitionem conſuetudo. 260.
Benedictio Adami, & Evæ poſt eorum creationem impertita in quo ſtaret. 12. Benedictiones munerum comites. 180. Benedictio, qua Melchiſedech Abrahamum proſecutus eſt. 135. quam Jacob inſtigante matre ſurripit. 179. Benedictiones à Jacobo liberis ſuis elargitæ. 260 & ſeqq.
Benjamin filius dexteræ, ſeu dierum. 217. Ejus ortus. *ibid.* Eſt lupus rapax. 275. Hic Benjamini horoſcopus in quo verificetur? *ibid.* In Ægyptum pergit. 246. Parte quinquies majori, quam reliqui fratres, a Joſepho in menſa donatur. 247. Joſephus ſcyphum ſuum in ſacco Benjamini poni jubet. 249. Difficultates de numero filiorum Benjamin. 254.
Benoni [filius mei doloris] nomen a Rachele e filiis ſuis poſtremo inditum. 217.
Berſabee puteus juramenti. 155. ad meridiem Chananitidis

naanitidis ſitus. 95. Hethæorum ſedes *ibid.*
Beryllus, lapis Rationalis. 451.
Beſeleel filius Uri ad opera Tabernaculi elaboranda deſignatus. 490. Ei ſocius adjungitur Ooliab. *ibid.*
Betogla eadem ac area Atad, ubi Jacobo parentatum eſt; ejus ſitus. 274.
Bethel. Duæne hujus nominis urbes? 186. Viſio Jacobi in urbe Bethel. 185. e Meſopotamia redux extruxeritne in ea altare? 217. Quando hæc urbs nomen Luzæ amiſerit. 186.
Bigamia Lamech improbata, & veluti adulterium habitas. 44.
Bitumen. Solum Pentapolitanum bitumineum. 542. Bituminis in Ægypto ad condienda cadavera uſus. 544. Ægyptii bitumen nomine ſalis intelligebant. 159.
Bocchoris. Conſtantinus Manaſſes Bocchorim vocat Ægypti regem ab Herodoto appellatum Pſammetichum. In quo videtur Conſtantinus memoria lapſus. XVII.
Bochartus regionem Chus colloeat in Arabia ad littus Orientale maris rubri. 23. Ejus ſententiæ argumenta. *ibid.* Opus Bocharti; ut probet nomina Hebræa eſſe ſignificativa. XXI. Opus ejuſdem Geographicum, cui titulus *Phaleg & Chanaan*. *ibid.*
Bos cornupeta. De eo Lex. 407.
Bouldue, Capuccinus. Ejus de Gigantibus Sententia confutata. XXV.
Bozra, urbs Tribus Juda transjordanica. 522. Extabantne plures cognomines urbes? *ibid.*
Brutalitas. Hujus criminis pœna. 403.
Burnetius. Ejus de modo, quo factum eſt diluvium, ſententia. 65.
Burſa vel ſacculus. Mos veterum pecuniam enumerandi per burſas, quod & hodie obtinet in Oriente. 212. Keſitab erat forte auri, vel argenti ſacculus. *ib.*
Butus, urbs de qua Herodorus, eadem ac Etham ad deſerti confinia. 295. & 368.
Butyrum liquens, & ſuave olens in Oriente? 235.
Byſſus. Variæ hujus nominis acceptiones. 427. Plures byſſi ſpecies. *ibid.*
Caath, ejus filii, & ætas. 359.
Cadmonæi, eorum ſedes ad Orientem Channanitidis prope montem Hermon. 126.
Cadmus Regis cujuſdam Sidonii coquus. 228. Aurum, ejuſque liquendi artem invenit. 45. Cadmus Phœnix 56. literas in Græciam invexit. *ibid.* Cadmi regis quinque milites Bœotiam ſubegere. 360.
Cain. Ejus ortus. 40. Cur ei ab Eva Cain nomen inditum? *ibid.* In Damaſci vicinius morabatur. 42. Traditio Hebræorum de ratione ſimultatis Cain in Abel 41. Sacrificium Cain cur a Deo rejectum. *ib.* Quomodo agnovit a Deo rejecta fuiſſe ſuas oblationes? *ibid.* Deus ei præponens Abel, primogenituræ jus illi non admit. *ibid.* Deus illum inducit ad cohibendos concupiſcentiæ ſuæ motus. *ibid.* Quo inſtrumento uſus eſt ad occiſionem Abel? 42. Maledictiones a Deo in eum prolatæ. 43. Ejus deſperatio. *ibid.* Occiſor Caini ſeptuplum puniendus. *ibid.* ſeptem Caini peccata; ſignum quo Cain dignoſceretur. *ibid.* Urbs a Caino condita, & nomine filii ſui Henoch appellata. 44. De Caini vita a Joſepho relata. *ibid.* De ejus morte nihil certi. 45. Poſteri Cain filii hominum vocati. 52. 53.
Cainan. Ejus nomen additumne eſt Septuaginta verſioni, an ab Hebræo ademptum? 99. Non extabat in primis S. Lucæ exemplaribus. *ibid.* Cainan ab aliquibus cum Sale pater Heberi confuſus. *ibid.*
Camelus ab ortu inſtituitur ut in genua quieſcat. 264. Ejus fœmellæ lac plurimi ab antiquis, præcipue Arabibus ſiebat. 206.
Caminus focum, quem vulgò *camino* dicimus, non ſignificat. 338.
Campeſtre. Hujus vocis ſignificatio. 457.
Camuel pater Syrorum ad Euphratis occaſum. 258.
Candelabrum aureum, ejus materia; pondus, deſcriptio, lampades. 431. 443. Hæ quotidie mane extinguebantur. *ibid.*
Candelabra veterum pluribus lucernis onuſta; in templis dicatas 434. Candelabra, quibus in Magnatum ædibus Lampas accenſa ſervabatur. *ibid.*
Canere cum intercalari repetitione ſignificatur in Scriptura verbo *reſpondere*. 369.
Canticum gratiarum actionis: quod poſt maris rubri tranſitum Hebræi cecinerunt, an divino afflatu perceperint. 367. Scripturæ Cantica quomodo fiebant. 301. aliquando extemporaria. *ibid.* Canticum Moyſis quonam carminum genere conflatum. 298.
Cantiuncula, vel famoſa carmina legibus Romanis morte mulctata. 416.
Cantus Hebræorum an probet ipſos cantica methodicis verſibus adſtricta panxiſſe. Hujus cantus antiquitas, 300. *& ſeq.*
Capthor, inſula Creta. E Caphtor egreſſi Philiſtæi. 94. 95.
Capilli aureis filis vinciebantur. 494. aurea quoque limatura inſpergebantur. 475. Ægyptii ab ineunte juventute capillos ſibi cœdebant. 239.
Capita; diviſio librorum Biblicorum per capita. IX. Græciſne, an Latinis ſit referenda, non liquet. *ib.*
Capitella columnarum Ægyptiarum a Græcarum capitellis abſimilia. 439.
Capitium. Hujus vocis ſignificatio. 454.
Capadoces e Meſoch filio Japhet deſcenderunt. 81. 85.
Caprarum vellus velis & pannis conficiendis adhibitum. 428.
Captivi quo pacto circumciſionis legi apud Judæos ſubjecti. 131. Jus vitæ & necis in ſuos captivos habebant Antiqui. 127. Impune poterant a Dominis occidi. 405.
Captivi Hebræi. Quot modis poterant fieri captivi, quomodo in libertatem aſſerebantur. 399. Dominus ſubito captivum enecans morte punitur. 405. non autem ſi captivus aliquot diebus adhuc vivat. *ibid.* Ethnicorum de hoc ſententiæ. *ibid.* Poterant captivi exigere, ut aliis venderentur, quando ab eorum dominis crudelius haberentur *ibid.*
Caraitæ cenſent non licere die Sabbathi per alios ignem accendere, ut aſſolent Judæi. 487.
Caro. Carnis eſus Adamo interdictus. 22. Permittitne Deus Abrahamo, ut quorumcumque animalium carnem comedat? 71. Non autem ut carnem ſanguini immixtam edat. 72. Quomodo a Judæis explicetur hoc interdictum. *ibid.* Ab Apoſtolis, & Conciliis confirmatum *ibid.* Duratne adhuc in Eccleſia. *ibid.* Carnes victimarum in conſecratione Sacerdotum oblatarum non licebat in diem poſterum ſervare. 462.
Carvanceras, hoſpitia publica pro iter facientibus in Oriente. 139.
Caſdim nomen antiquum Chaldæorum; quo nomine plures populi comprehenduntur. 158.
Caſed filius Nachor, fuitne pater Chaldæorum. 158.
Caſia aromatica arboris Indicæ cortex. 468.
Caſluim fuerne Saraceni, an populi Pentapolis, vel Colchidis. 93. Inſulam Colocaſitam e regione oræ Abex incoluere. 94.
Caſſiotis Saracenorum regio in Iſthmo inter mare rubrum & Mediterraneum. 93.
Caſtrametationes Hebræorum ad Sinai 383. Sochot. 210. Tentationem. 377. Raphidim. 376. Mara 369. Sin 371.
Catanei, Arabiæ deſertæ populi, a Jecſan Cethuræ filio deſcendentes. 169.
Catena aureæ Rationalis. 449.
Cato neminem ſervorum ſuorum capite damnabat, niſi ab aliis conſervis morte dignus judicaretur. 401.
Caucaſus in finibus mundi conſtitutus a veteribus cenſebatur. XLVI.
Cauſa, quarum judicium ad Moyſem deferebatur. 381.
Cecrops, Ægyptius genere, ante Cadmi adventum characterum in Græcia uſum invexit. XLI.
Cedar, Iſmaelis filius. Regio Cedar ſæpe pro Arabia Deſerta uſurpatur. 175.
Cedareni, poſteri Cedar Iſmaelis filii. *ibid.*
Celſus contendit Moyſem hiſtoriam Babelis e Poetis deſumpſiſſe. XXXIII. Origenis reſponſum. *ibid.*
Cenchres Ægypti rex. 317.
Cenezæi, eorum ſedes in montibus Juda ad fines Idumeæ. 126.
Cenſus Iſraelitarum. 465. Hi pro ſua redemptione hemiſiclum in capita ſolverunt. 466. Cenſus Hebræorum ex Ægypto egreſſorum. 434.
Centuplum pro inſolita ubertate. 176. Agri centuplum reddentes, *ib.*

Ceraſtes

Ceraſtes ſerpens quatuor cornua in fronte gerens. 268. Dan Ceraſti comparatus. *ibid*.
Ceremonia Judæorum an ex Ægyptiis expreſſæ. 280. ceremoniæ religioſæ ad ſervandam mirabilium eventuum memoriam inſtitutæ. 353. Religionis ceremoniæ ævo Seth vigentes. 46. ab Enoch inventæ. *ibid*.
Ceres frumenti uſum invenit. 45. Prima leges dedit, *ib.* Horæ, Cereris famulæ. LXVIII.
Cethanai, Arabiæ deſertæ populus, e Jecſan Cethuræ filios deſcendens. 169.
Cethim, nomen, quo a Scriptura Macedonia appellatur. 86.
Cethura tertia uxor Abrahæ eratne Chananæa, vel eadem ac Agar. 168. Regio, quam Cethuræ filii incoluere. 169.
Chaberas fluvius vetuſtæ regionis Eden. 20.
Chalanne eadem ac Cteſiphon. 91.
Chaldæi: eorum chronologia. LXII. obſervationes aſtronomicæ LXVI. tabulis lateritiis primùm inſcriptæ XXXIX. Eorum annus 12. menſibus & 365. diebus ſemper conſtitit. LXVI. Diem ab ortu ſolis ordiebantur *ibid*. Theraphim Chaldæorum. 202. Poeſis. 301. Lingua, Hebrææ affinis, non tamen primæva; 19. Caldæi *Caſdim* olim appellati. 158.
Cham. Minor filius Noe. 76. Fratres admonet de patris nuditate. *ibid*. Maledicitur in perſona Chanaan. *ibid*. Ei obtigit tota Africa, & Arabiæ, ac Syriæ pars. 82. Sedem figit in Ægypto. *ibid*. Fuit Idololatriæ inventor. 110. Divinis honoribus in Ægypto exceptus. 77. Idem eſt ac Jupiter Ethnicorum. *ibid*.
Chammaim, thermæ, aquæ calidæ. 212.
Chanaam, filius Chan, quare a Noe maledictus. 76. Hæc maledictio, odii Hebræos inter & Chananæos origo. *ibid*. Idem eſt ac Adonis, ſeu Mercurius Græcorum. 77. Regio ab eorum poſteris occupata; & ejus limites. 95. 96. Ii poſtea filii Enach fuerunt appellati. 89. Terra Chanaan, uberrima regio; & ejus amplitudo. 320.
Chananæi: eorum terror adeventantibus Iſraelitis. 368. parati, ut ſeſe iis opponerent in regionem ſuam irruptuiris. 360. Interdictum Iſraelitis fœdus cum eis inire. 484. Chananæi adventante Joſue e regione ſua egreſſi in varia loca confugerunt. 421. Chananæi a veſparum exercitu ſolum vertere coacti. *ibid*.
Chananæus, ut mercator innuatur. 230.
Characteres. Origo characterum Phœnicium. XLI. Iidem antiquitus erant ac characteres Ægyptii. *ibid*. Eoſne in Chanaanitidem Abraham invexerit? *ib.* Moyſes characteribus Phœniciis ſcripſit. *ibid*. His ſolis utebantur Judæi ante Babylonicam captivitatem. *ib.* & *ſeq*.
Characteres vulgares: His primus in Ægypto uſus eſt Thot, ſeu ſecundus Mercurius. XXXIX.
Charmi & Efron filii Ruben, orti erant, cum Jacob in Ægyptum migravit. 253.
Charra ad Chaboram urbs Meſopotamiæ eadem ac Haran. 182.
Chartamim radix & ſignificatio hujus vocis. 239.
Cherub, vocabulum Ægyptium. 38.
Cherubim ad Paradiſi terreſtris introitum locatus. 37. Quamdiu ibi moratus eſt. *ibid*. De ejus figura & enſe quo armabatur, variæ ſententię. 38. In quo cum antiquis Corybantibus conveniant. *ibid*. Opus Cherubim quid ſit. 437. Cherubim deſcriptio. 433. Nihil certi de ejus figura habetur. *ib*. Boum alatorum forma fuiſſe Moncæjus putat. 490.
Chetim, nomen inſulis, omnibus locis maritimis ab Hæbreis tributum. 86.
Chodorlahomor Elamitarum rex. 119. Bellum ab eo ejuſque fœderatis in Pentapolim illatum. *ib*. Populi ab eis ſub jugum miſſi. 120.
Chorebus, primus ex iis, quos novimus, in ludis olympicis victor. LXXVII.
Chorus mulierum, quarum Maria erat caput. 369.
Chriſtiani: eorum adoptio, & Judæis prælatio adumbrata in modo, quo Jacob Joſephi filios benedixit. 260.
Chronologia. Ejus neceſſitas. LIX. Exactam & perpetuam ex hiſtoria ſacra, & profana chronologia deducere res eſt deplorata. *ibid*. Varia apud varias Gentes dividendi temporis ratio incertam chronologiam reddidit. LX. Vulgatæ Chronologia Septuaginta præferenda. LXX.
Chryſolitus, lapis Rationalis. 450.
S. Chryſoſtomus Gigantum nomen viros corporis robore præſtantes exprimere in Scriptura autumavit. XXIII.
Chus filius Cham, pater Chutæorum vel Scytharum ad Araxem incolentium. 23. & *ſeq*. Regio Chus ab omnibus antiquis interpretibus in Æthiopia locata. *ibid*. Bochartus eam locat in Arabia ad orientalem maris rubri oram. Ejus ſententiæ argumenta. *ibid*. Plures regiones Chus. *ibid*. & 88.
Chus. Ejus filii, & quam regionem incoluerint; 88.
Chutæi, poſteri Chus, iidem ac Scythæ. 23.
Cicero gigantum adverſus Deos bellum ad allegoriam detorquet. XXIII.
Cilices. Veſtes lugubres ex pilis hircorum Cilicum contextæ. 227.
Cilicia. Uela e caprarum pilis, in Cilicia confecta. 428.
Cimbri, filii immediati Gomer Japheti filii. 79.
Cinæi Arabiæ populi. 126. Poſt Moyſem Iſraelitis paruere. *ibid*.
Cinnamomum, cortex odorus: Quid ſit, & ubi inveniatur? 468.
Circumciſio; Ejus origo penes Hebræos. LII. Statuta fuit veluti nota quædam fœderis inter Deum & Abrahami familiam. 130. Remittitne peccatum originale? *ibid*. Cur ad octavum diem ſtatuta? 131. Miniſter, & inſtrumentum circumciſionis. *ibid*. An filiæ apud Judæos circumciderentur. 130. Poteratne cogi ad circumciſionem captivi. 131. Circumciſionis effectus prece ſuppletus. 130. Qua pœna Deus circumciſionem præceperit. 131. Hebræi in deſerto iter facientes circumciſionem intermiſerunt. L. Ægyptiorum circumciſio ab Hebræorum circumciſione diverſa. XLVIII. Recens eſt inter Ægyptios. 94. An ſub Salomone primùm ab Iſraelitis circumciſionis ritum admiſerint. L. qui tamen numquam apud eos univerſalis. LI. Populi ex Ægypto genus referentes, circumciſionem non admiſere. *ibid*. Phœnicum & Cholcorum circumciſionis origo. *ibid*. & LII. An eam a Regina Saba Æthiopes acceperint. L. Mulierum circumciſio apud Perſas, Arabes, & Ægyptios. *ibid*. Cordis circumciſio ſola eſt, quam I. C. a Chriſtianis expoſcit. XLVIII. Incircumciſis Paſcha comedere nefas erat. 355.
Ciſterna, Qui fodiunt ciſternas, eaſque claudere negligunt, animantium in eas decidentium pretium ſolvere tenentur. 407.
Citreum malum appellatum malum Medum, vel Perſicum. 194. Quando inceperit uſus mali citrei comedendi. *ibid*. Eis utebantur veteres, ut veſtes illorum odore afflarentur. *ibid*. Per dudaim Ruben mala citrea intelligi queunt. *ibid*.
Clericus. Ejus opinio de paradiſi terreſtris ſitu. 19. Ejus de maris rubri transfretatione ſententia. 293. Ejus ſententia de modo, quo contigit Babelica linguarum confuſio. XVII.
Clyſma ejus ſitus; eadem ac Beelſephon. 296.
Coccus, quinam color eſſet. 416. E vermiculo ſchani appellato. *ibid*.
Cœlum pro materia minus denſa e qua Deus cœlos, & aſtra compoſuit. 3. Creatio cœlli. 5.
Cognitio rerum omnium perfecta judicatur ſcientia boni & mali. 32.
Colchi: unde in eos circumciſionis ritus invectus. XLVIII. & *ſeq*. Ex iis qui circumciſionem recipiebant, erant fortaſſe Iſraelitæ eò a Theglarphalaſſar vel Salmanaſar deducti. LII.
Colchis, regio olim commercio celebris. 21. Aurum Colchidis. 22. Ejus bdellium, & lapis onychions. *ibid*. in mundi finibus conſtituta ab antiquis cenſebatur. XLVI.
Colocaſia inſula e regione oræ Abex, Chasluim ſedes. 94.
Columba ex arca emiſſa. 69. Viridem olivæ ramum ſine miraculo in arcam inferre potuit. *ibid*.
Columna Iſraelitarum in deſerto ductrix. 361. An una eſſet? Ejus forma, & uſus. *ibid*. Cujus rei erat figura. *ibid*. Quomodo inter Pharaonis, & Iſraelitarum caſtra apparuerit. 364.
Columnæ a poſteris Seth in Syriade erectæ. 55. Veterum mos erigendi columnas ſuper ſepulchra. 208. Colu-

mnæ inſulæ Cretæ, in quibus Cæremoniæ ſacrificiorum Corybantum inſcriptæ erant. XXXIX.
Columna Hebræorum. Earum deſcriptio. 443. argenteis circulis erant ornatæ. *ibid.*
Commentarium. Quam difficile ſit optimum in Biblia commentarium exarare. VI. Methodus, quam in ſuis commentariis ſecuti veteres & recentiores. VII.
Commercium Hebræorum per argentum. LIV. apud Scythas per permutationem. LV.
Concordantia. Variæ Bibliorum concordantiæ, earumque auctores. IX.
Concubina matrifamilias ſubdebantur. 170. Liberi ex concubinis orti patri ſuccedere non poterant, niſi domina familiæ conſentiente. *ibid.*
Condire. Ratio condiendi corpora. 273. Ars condiendi corpora idem ac remedium immortalitatis ab Iſide inventum. *ibid.*
Condy pateræ genus, quo Perſæ ad libandum utebantur. 249.
Confeſſio, quæ impoſitionem manuum ſuper hoſtias comitabatur. 460.
Confuſio. Ægre comprehendi poteſt, quomodo facta fuerit Babelica linguarum confuſio. XVI. ſuper hoc diſſentiunt Interpretes. *ibid.* immediata ejus cauſa Deus fuit. *ibid.* Simonii, & Clerici de hoc ſententiæ. XVII.
Conſecratio Aaronis, ejuſque filiorum. 459. *& ſeq.*
Contractus olim ſine ſcriptura fiebat. 161. Quænam materia ac forma contractuum apud Hebræos. XLI. & XLII. De more non obſignabantur a teſtibus. *ibid.* ſervabantur in vaſe fictili, vel æreo. XLII. Obſervationes ſuper contractu venditionis inter Hieremiam & Hananeel inito. *ibid.*
Conventus generales religionis antiqui in Ægypto. 341.
Coquus. Officium a veteribus magni habitum. 528. ad coquos ſpectabat victimas jugulare. *ibid.*
Cor. Cordis puritas oblati ſacrificii meritum conſtituit. 40.
Cornua Moyſis ejus vultus lumen & ſplendorum inneune. 484.
Cornua ad angulos altaris holocauſtorum erant veræ cornuum figuræ. 440. Antiqui de arboribus cornua ſuſpendebant, aras e cornibus extruebant, & deos ſuos cum cornibus repræſentabant. 441.
Corona, ſeu fimbria menſæ panum Propoſitionis. 431.
Corpora quomodo in Ægypto condirentur. 144. Corpora lapidis naturam induunt in nitroſis Arabiæ ſabulis. *ibid.*
Cortina Tabernaculi. 437.
Corvus ex arca egreſſus an redierit. 68.
Coſta. Eva e coſta Adami efficta. 29. An altera Adamo repoſita. *ibid.*
Coturnices a Deo Hebræis immiſſæ. 372.
Crates, in quo ſtarent ejus theſauri. LIII.
Craticula ænea aræ holocauſtorum. 441. Aderatne in ara thymiamatum. 442.
Creare; varii vocis hujus ſenſus. 2.
Creatura. Ratio, qua Deus e nihilo creaturas eduxit, ejus potentiam adſtruit. 4. Creatione ſucceſſive eis perfectionem tribuit. 14. Eas juxta Rabbinos imperfectas reliquit, quos ante Sabbathi exordium perficere non potuit. 16.
Creta Inſula, alias *Caphtor* appellata, unde prodiere Philiſthæi. 95.
Crimina a ſuperbia oriuntur omnia. 33.
Crocodilus ab Ægyptiis adoratus. 116. Ægyptiis regibus Pharaonis nomen communicavit. *ibid.*
Cteſiphon eadem ac Chalanne, ubi Turris Babelica extructa fuit. 91.
Cubitus Hebraicus 26. cubitorum. 56. Duo cubitorum genera apud Hebræos. *ibid.* cubitus, quo Deus in ædificationem arcæ uſus eſt, eratne ſex cubitorum communium. *ibid.* Cubiti Babylonii & Ægyptii. 57.
Culter a veteribus de more ad latus ferebatur. 156. Et ab Hebræis. *ibid.*
Cultus. Deus cultui ſuo conſecravit Sabbathum ei benedicendo. 85.
Cumas. Hujus vocis Hebraicæ ſignificatio. 487.
Cupreſſus, lignum e quo arca compacta. 56.
Currus. Vetuſtiſſimus eorum uſus in bello. 363. Quomodo agerentur, & conſcenderentur. *ibid.*
Cymba e cratibus corio ſuperinductis; quales Armeni conficere ſolent. 56.
Cynomica, Muſca canina. 335.
S. Cyrillus Alexandrinus Gigantes cenſet fuiſſe viros fortes, audaces, ore terribiles, & monſtro ſimillimos. XXIII. Imperatori Juliano ſuper turre Babelis a ceſa ponder. XXXIII.
Dadan filius Jecſan. 169.
Damaſcus. Regnatne in ea Abraham. 814.
Dan Jacobi & Bilæ filius, ejus ortus. 190. Ejus nomen ſignificat judicare. 592. Antichriſtus prodibitne ex tribu Dan. 268. Ei benedixit Jacob. *ibid.* Erit veluti ſerpens in ſemita. *ibid.*
Daphca Caſtrametatio Iſraelitarum in deſerto. 376.
Darici, nummi in poſtica ſagittarium exhibentes, eorum vetuſtas. 211. A Dario ne medo, an a Dario Hyſtaſpis filio cuſi fuerint. LIII. Orientalium fœminarum mos eos ad aures deferendi. 211.
Darius Hyſtaſpis filius. Tributa quæ a ſubditis ſuis exegit, ac inde redactum aurum & argentum in vaſis fictilibus eliquanda tradebat, LIII. Nummos cudendos curavit. *ibid.*
David Ephod indutus. 459.
Deaurare. Olim deaurabatur laminis aureis lignum vel lapides operiendo. 431. Victimarum cornua quandoque deaurabantur. 488.
Debora Rebeccæ nutrix; ejus mors. 216.
Decaboi & Hecatombœi veteres nummi. LIV.
Decalogus omnes Moyſis leges complectitur. 388. Ordo præceptorum Decalogi. *ibid.*
Decem ſæpe pro numero indefinito poſitus. 201.
Decima. An Iſaac primus decimam ſolverit. 576. Quonam tempore arbores erant decimis obnoxiæ. 346.
Dodanim, Idumææ populi, a Dedan filio Jecſan progeniti. 169.
Dedicatio Tabernaculi fœderis. 486.
Delta, Ægypti tractus, undique a Nilo circumſceptus in formam hujus literæ Græcæ. 242.
Dennba, urbs Idumææ. Erantne plures cognomines civitates. 222.
Dens pro dente. Hujus legis ſenſus. 406.
Depoſitum. Leges ad depoſita ſpectantes. 410.
Deſideria prava a Lege damnata. 395.
Dextralia. 487.
Deucalion; Diluvium Deucalioneum cum diluvio Noachico confuſum. 77.
Deus: Ejus cultus æque vetuſtus ac mundus. 46. Cur a nobis exigat ſacrificia. 69. Omnia è nihilo eduxit. 2. Spiritus Dei ſuper aquas. 3. quo anni tempore mundum creaverit. 6. in quo ſitæ ſimilitudo hominis cum Deo. 10. Benediatne diei ſeptimo in ſuum cultum eum minime conſecrans. 15. Quatuor ſolemnia fœdera ab eo cum hominibus inita ante legem gratiæ. 59. Fœdus ab eo cum animantibus percuſſum. 73. Hominum peccata ſunt diverſa ratione ejus juſtitiæ & miſericordiæ objectum. 69. Quo in ſenſu ait Scriptura illum iraſci & pœnitere. 55. Putane Hebræi non poſſe Deum videri abſque mortis diſcrimine. 128. Filii Dei pro poſteris Seth. 52. Deus cauſa immediata Babelicæ linguarum confuſionis. XVII. Nomen ſuum Moyſi pandit. 321. Poteſtne Deus nomen proprium habere. 320. Nomen ſuum Patriarchis non revelavit. *ibid.* Non vult forma ſenſibili repræſentari. 388. Patrum crimina in filiis punit. Quomodo id explicetur. 389. Agit ne ſemper eodem tenore abſoluto, neceſſario, atque generali. 285. Deus ſolus poteſt miracula patrare. *ibid.*
Dextera Meridiem in Scriptura ſignificat. 127.
Dies. Mercurius Triſmegiſtus diem in 12. horas diſtribuit. LXII. Dies pro anno poſitus. 166. Dies ſeptimus a Domino benedictione donatus. 15. An etiam tunc in ejus cultum conſecratus. *ibid.* Ratio, qua Ægyptii dies deducebant. LXII. Mos Hebræorum, aliorumque populorum dies a veſpera in veſperam deducendi. LXXI. Tres dierum rationes apud Hebræos poſt Judæam a Romanis ſubactam. *ibid.* Eorum ratio diem noctemque dividendi. *ibid.*
Digitus Dei quid ſignificet. 335. 470. Spiritum Sanctum indicat. *ibid.*
Diglito, ſeu Diglat, vetuſtum nomen fluminis Tigris. 24. Ejus ac Euphratis eadem origo. 20.

Dii: Cultus falſorum Deorum ex Ægypto profluxit. 109. Prima ſacrificia ejs oblata. *ibid.* Ethnici hoſpitalitatem exercentes Deos excipere putabant. 137. Heroes a Diis prognati. 52. Dii alieni Judæis vetiti. 388. Ægyptii veluti Deos omnia fere ſuæ regionis bruta venerabantur. 74. Dii olim in animantium corpora ſe receperunt juxta Ægyptiorum ſententiam. 336. Vetat ne lex de Diis Nationum obloqui. 414. Vetat ne per eorum nomina jurare. 418. Ægyptiorum Dii diruti ea nocte, qua Hebræi ex Ægypto egreſſi ſunt. 350. Vel potius principes & magnates ab Angelo exterminatore percuſſi. *ibid.*

Diluvium an vere contigerit. 61. quænam Aquæ diluvium effecerint. *ibid.* An Deus ob id novas aquas creaverit. 62. Diluvium peculiare naturaliter fieri nequit. *ibid.* Fuit ne univerſale. *ibid.* Argumenta. Objectiones, Reſponſa. 62. Burneti de Diluvio ſententia. 65. An pluerit, vel iris apparuerit noniſi poſt diluvium. 66. Diluvium univerſale Ethnicis notum. 65.

Dina filia Liæ, ejus ortus. 195. Ea abitur Sichem filius Hemor. 213. Violati pudoris pœnas a Sichimitis repetunt Simeon & Levi. 214. Fuit Jobi uxor juxta Judæos. 195.

Diviſio Pentateuchi eſt tantum arbitraria. VIII.

Doctrina in pectore Aaronis. 451.

Dodanim filius Javan poſteros habuit Titanes, & Titanides. 87. 88.

Dodona, Provincia & orbs cognomines in Epiro, ſedes Dodanim filii Javan. 87. Antiquitas Pelaſgorum Dodonæorum, *ibid.* Oraculum Dodonææ quercus. *ibid.*

Dæmon, ſerpente veluti inſtrumento uſus eſt ad tentandam Evam. 31. Eamne deceperit illi in animum inducens ſerpentem eſſe, qui eam alloqueretur. *ibid.* Quomodo ad dœmonem referri queant maledictiones in ſerpentem prolatæ. 34. Gigantes, de quibus Moyſes, caſtimati Dœmones humana forma induti. 54. An dœmones miracula edere poſſint. 286. Eorum potentia ad malum inferendum limitatur. 287, 290. Eorum vis in corpora non ſatis perſpecta. 288. Eos corporeos cenſuerunt Antiqui, 287. Quo pacto Deus ad eorum pravas actiones concurrat. *ibid.*

Dos, Sponſus olim ſponſæ Dotem dabat. 164.

Dothaim ad Septentrionem & 12. mill. a Sebaſte. 226.

Drachmaim an eſſent Darici, vel nummi ſignati. LIV.

Draco, Athenienſium Legiſlator: Ejus legum ſeveritas. 407.

Dudaim a Ruben inventi. 193. Variæ de vocis hujus ſignificatione ſententiæ. *ibid.* Mala citrea poteſt innuere. 194.

Dynaſtiæ Ægyptiacæ a Chronologis rejectæ. LX.

Eccleſia in arca Noe adumbrata. 77. In omnia ſynagogæ jura ſucceſſit. 173. Ejus in adprobandis miraculis auctoritas. 289. Regnum Dei in ſuam Eccleſiam. 368.

Echines vas, in quo veteres ſyngraphas, & inſtrumenta condebant: illud confringere capitale crimen erat. XLII.

Eden ab Interpretibus pro deliciarum loci nomine acceptus: non ſecus ac a Moyſe. 29. ſitus regionis Eden 20. Ejus amplitudo, & fertilitas. *ibid.* Nominis Eden veſtigia in Adiabene, Sophene, & Colchide. *ibid.*

Edicta olim ſcribebantur in tabellis, ac in foro exponebantur. XLII. Mos ea obſignandi in Scriptura notus. *ibid.*

Edom, nomen Eſau inditum ob lentes quas a Jacobo emit. 174. Obſervationes de veteri regionis Edom regimine. 220. Primi reges qui eam rexerunt. 222.

Elamitæ connubium ineuntes ſibi invicem ſanguinem eliciunt. 326.

Eliezer Procurator, ſeu filius Procuratoris domus Abrahami. 124. Ejus iter in Meſopotamiam. 163. An peccaverit poſtulans a Deo, ut ſibi oſtenderet mulierem, quam paraverat Iſaaco uxorem. 164. Moyſes non indicavit ortum Eliezeri, qui ſatis junior e Madian egreſſus eſt. 325. Eliezer acutiſſimo lapide circumciditur. *ibid.*

Elim, Palmæ Elim. 370.

Elimæi, Elamitarum principes, Medis finitimi. 97.

Eliphaz filius Eſau & Ada, alius ab Eliphaz Themanite. 217. Ejus genealogia. *ibid.*

Elizabeth filia Aminadab, uxor Aaronis. 329.

Elohim, nomen in Scriptura commune iis omnibus qui non vulgari auctoritate pollent. 109. Significare poteſt Deos, Angelos, principes. 52.

Emath, vel Emeſa ad Orontem, quam incolebant Amathæi. 96.

Emunctoria candelabri aurei. 435.

Enacim filii Enach, Gigantum ſtirps, qui morabantur in meridionali Palæſtinæ parte. XXVII. Eorum præcipua ſedes Hebron. *ibid.*

Enos filius Seth, ejus nativitas. 46. Religionis cæremonias invenit, *ibid.*

Enſis qua parte antiquitus delatus. 360. Enſis Angeli ad ingreſſum Paradiſi terreſtris collocati erat zona torrida. 38.

Epha filius Madian: ejus ſedes prope Madianitidem. 170.

Ephod, Significatio & origo hujus vocis. 429. veſtis omnibus Sacerdotibus communis. *ibid.* Variæ de ejus forma ſententiæ. *ibid.* Non abſimilis ab Iſidis veſtitu. 430. & a redimiculo veterum Ægypti Monachorum, & antiquo Epiſcoporum pallio. *ibid.* David Ephod indutus. *ibid.* Ephod & Rationale an vittis, & annulis invicem cohærerent. 451.

Ephraim filius Joſephi, ejus ortus. Ejus nomen abundantiam ſignificat. 242. A Jacobo prelatus eſt fratri ſuo natu majori, a quo & benedictionem accipit. 260. Tribus Ephraim cæteris & potentia & virtute potior. *ibid.*

Ephron confunditur cum Hemor filio Sichem. 160. Peccatne vendens Abrahamo tumulum. *ibid.*

Epiſtola antiquitus tabellis cera illitis inſcriptæ, & linea rela involutæ. XL. variis nexibus olim obſtringebantur. XLII.

Equus. Mos veterum equos inſiliendi. 164. Qui non poterant inſilire, imponebantur. *ibid.*

Erichtonius a nonnullis creditus inventor cudendi monetam. LIII.

Erythros idem ac Eſau: 223.

Eſau pilis onuſtus in lucem prodiit. 173. Ejus nomen ſignificat *perfectum*, *ibid.* Venationi & agriculturæ operam navat. *ibid.* Suum primogenituræ jus Jacobo vendit pro lentium patina. *ibid.* In hoc an Simoniam admiſerit. 174. Vxores ducith Judith & Baſemath. 175. Cur ab Iſaac diligeretur. 173. A Jacobo fruſtratur juribus nativitati ſuæ adnexis. 180. Ejus lacrymæ ac pœnitentia inutiles. 182. Benedictiones, quas ei Iſaac elargitur. *ibid.* Occidendi Jacobi conſilium init. 183. Ducit Maheleth Iſmaelis filiam. 185. Ejus prior ſedes ad Orientem meridionalem Chananitidis. 205. Jacobo occurrit e Meſopotamia redeunti. 206. Munera a Jacobo eidem oblata. *ibid.* Ejus genealogia. 220. A Jacobo recedit. 221. Tempus ejus mortis incertum. 223. An fuerit reprobatus. *ibid.*

Eſron & Charmi filii Ruben, an orti eſſent Jacobo in Ægyptum migrante. 253.

Eſſeni. Apud eos ſervata poetica ſcripta. 298.

Et in capite Exodi quid ſignificet. 309.

Etham, urbs in extrema ora deſerti Egyptum & Arabiam interjacentis. 295. Eadem ac Bethus Herodoti. *ibid.*

Ethnici e Præadamitis juxta Peirera orti. 18. Licet ſcriptam legem non haberent, eorum crimina debuerunt eis imputari. *ibid.*

Etymologia. Reſponſio argumentis ex etymologiis deductis ad probandum linguam Chaldaicam eſſe primævam. XIX. Etymon vocis Geſſen. 251. Mannæ. 371. Mariæ. 369. Moyſis. 315. Oſiridis. 276. Serapidis. 276.

Eva quo pacto ex Adami coſta educta. 29. Figura Eccleſiæ e latere I. C. eductæ, *ibid.* Ejus nomen. *ibid.* Ejus cum Adam connubium figura unionis I. C. cum Eccleſia. *ibid.* Creata fuit eodem die quo Adam. 11. Eidem non ſecus ac Adamo vetitum edere de fructu arboris ſcientiæ. 27. Quomodo fuit a ſerpente tentata. 27. Ejus lapſus per gradus. 32. ſi ſola peccaſſet, ejus lapſus ei ſoli nocuiſſet. 28. Libertatis amiſſio ejus peccati effectus. 35. Ejus pœnitentia & ſalus. 49. Ejus mortis tempus, & ſepulturæ locus ignoratur. *ibid.*

Evanwidas primus quem viciſſe ſciamus in ludis Olympicis. LXVII.

Eucharistia. Agnus Paſchalis figura I. C. in Euchariſtia. 347. Collatio mannæ & Euchariſtiæ. 375.

Eventus memorabiles. Eorum memoriam ſervabant antiqui monumentis erectis, 186. vel feſtivitatibus inſtitutis. 353.

Eugubinus. Ejus de Poeſi Hebræorum ſententia. 298.

Euſebius Cæſarienſis. Ejus de Gigantibus ſententia, XXIII.

Eunuchus. Vox aliquando in Scriptura officium & dignitatem ſignificans. 227. Heliopolis Sacerdotes Eunuchi, 241.

Euphrates. Ejus origo in monte Abo in Armenia, 25. & olim eadem ac Tigris. 20.

Excommunicatio inter Iudæos. 351.

Exercitus. Quomodo Ægypti copias ſuas diſtribuerent? 362. Exercitus Ægyptiorum in mari rubro ſubmerſus. 365.

Exodus a Geneſi ſejunctus fuit ſolum poſt Moyſem, 309. Unde hoc nomen, *ibid.*

Fabula de Origine diverſitatis linguarum. XVI. Quare idiomatis communione privare homines fuerint juxta eamdem. *ibid.*

Facies pro indignatione frequenter uſurpata, 106. Facies Dei quid ſignificet. 480.

Faciem ad faciem. Moyſes Deum alloquitur facie ad faciem, 480.

Fames a Joſepho prænunciata; totum ne orbem pervagata, 240.

Familia; Pater jus vitæ & necis in familiam ſuam antiquitus habebat. 203

Farina ab Hebræis ex Ægypto egredientibus delata. 353

Femoralia Sacerdotum. 456. Eorum materia, forma, uſus. *ibid.* Semiramidis adinventum. 457. An femoralium olim eſſet uſus. *ibid.*

Femur. Fiebant antiquitus juramenta manum ſubter femur, vel altiùs ponendo? 163.

Fermentum; an aliquando in Templo panis fermentatus afferretur. 418. Victimam Paſchalem mactare non licebat, quamdiu in ædibus fermentum adeſſet. *ib.*

Ferrum, Lacedæmonum monetæ materia LIII.

Feſtivitas. Inſtitutio feſtivitatum ad ſervandam eventuum celebrium memoriam. 353. Tres præcipuæ Judæorum feſtivitates quotannis. 458. Feſtum Primitiarum ſeu Pentecoſtes. Feſtum anni finis, ſeu Tabernaculorum. *ibid.* An Iſraelitæ omnes ad hæc feſta convenirent? *ibid.*

Fibræ jecoris quid eſſent? 460.

Ficus a compluribus antiquis arbor ſcientiæ boni & mali cenſetur. 26. Ficus Adami in Ægypto, 33.

Fides ſine operibus mortua. 124 Fides in J. C. neceſſitas. *ibid.* Fides Abrahami. *ibid.* Rebeccæ fides promiſſis Dei pro Jacobo. 180.

Figura, a Poetis Gigantibus attributa, allegorice explicata. XXIII.

Figuræ Magicæ & animatæ oracula reddentes. 203.

Fila aurea e bracteis aureis malleo tuſis præſecta. 494.

Filia vocis. Peculiaris revelatio poſt reditum a captivitate. 453.

Filiæ hominum, id eſt, filiæ e ſtirpe Cain. 46. 52.

Filii parentes ſuos percutientes morte puniuntur. 404. De iis, qui illis maledixerint. *ibid.*

Filii; poſt eorum ortum ſuper patris genua ponebantur. Moris hujus antiquitas. 192. Iis nomen nonniſi octavo die indebatur. 131. Cur eodem die apud Judæos eorum circumciſio ſtatuta. *ibid.*

Filii Dei, ut Seth poſteri innuerentur. 46. 52. Eorum connubia cum filiabus Cain. *ibid.* Gigantes ex his conoubiis procreati. 53. Columnæ a Dei filiis in Syriade erectæ juxta Joſephum. 56.

Filii, vel *filiæ hominum*: poſteri Cain. 46. 52.

Filii Abraham ſecundum ſpiritum, promiſſorum hæredes. 130.

Filii Jacob in Ægyptum ingreſſi quot numero? 309.

Filii Noe an communi cum filiis Adam idiomate uterentur. XX.

Filius Dei an Moyſi ad Sinai apparuerit? 325.

Firmamentum in medio aquarum creatum. 5. Ejus ſoliditas. *ibid.* Aquæ quare ſupra firmamentum locatæ. *ibid.*

Fiſcella in qua Moyſes expoſitus. 315. appellata *Thebat*. *ibid.*

Flaccus vetuit, ne Hieroſolymam deferretur pecunia; quæ ab Hebræis in Italia colligebatur, 465.

Fluxus & refluxus maris rubri, an inſervierit Iſraelitis illud transfretantibus. 293. Hujus maris æſtus eſſe neque Iſraelitis, neque Ægyptiis ignotus non poterat, 294. Quid ſit maris æſtus. 293.

Fœcunditas mulierum Ægyptiarum, 310.

Fœdera quomodo ab Antiquis inita. 125. Nulla ſolemnia ſine ſacrificiis. *ibid.* Signa permanentia ad ſervandam ſolemnium fœderum memoriam. 130. Circumciſio ſignum fœderis inter Deum & Abraham. *ibid.* Quatuor fœdera ſolemnia, quæ Deus cum hominibus icit. 59. Quomodo Deus fœdus cum animantibus inierit. 73.

Fœdus Dei cum Iſraele 383. 484. Hujus fœderis cæremoniæ. 423. Figura fœderis J. C. cum noſtra natura. *ibid.* Super hoc fœdere animadverſiones. *ibid.*

Fœdus Arabum ſibi invicem ſanguinem elicentium. 326.

Fœmina juxta Poetas condita, quò miſeri efficerentur homines. 32. Dotem a ſponſo olim accipiebat. 164. Vetuſtus mos uxores emendi. 189. Apud Babylonios fœminæ auctioni exponebantur. *ibid.* In toto Oriente ſedes habent ab hominibus ſejunctas. 166. In Arabia caput obnubunt, cum in publicum prodeunt. 267. Quæ ad Perſarum regis thalamum eligebantur, unguentis delibutæ parabantur. 125. Velum, quod nuptiarum die ſuſcipiunt in ſignum earum ſubjectionis viro. 149. Viri mulieribus parent in Ægypto. 35. Lex cujus auctoritate Hebræi uxores ſuas dimittunt. 127. Ultra 50. annos mulierum fœcunditas non viget. 136. Vir antiquitus habebat jus vitæ & necis in ſuam uxorem. 127. Inimicitia inter ſerpentem & fœminam. 34. Antiquitus mulieres nebant, texebant, inficiebantque lanas. 487. Mulier fortis voce *Virago* expreſſa. 29. Mulieres noctem tranſigentes ad oſtium Tabernaculi. 492. In Deorum Templis. 232.

Folia, ſeu bracteæ aureæ malleo tuſæ in fila aurea ſecandæ. 494.

Fornicatio, Auctores qui eam ut rem indifferentem ſpectarunt. 231. ſemper illicita. *ibid.*

Fructus terræ ſola eſca a Deo Adamo permiſſa. 12.

Frumentum a nonnullis creditum arbor ſcientiæ boni & mali. 27. Frumentum plures ſpicas in eodem culmo germinans, 238. Cum palea conditur, ut ſervetur. 240.

Fundator. Orientales fundatoris nomen & honorem reſtauratori tantum frequenter tribuunt. XXXVI.

Furni Turcarum more. 135.

Gad, filius Jacobi & Zelphæ, ejus nativitas. 192. Super ejus nomine difficultates. *ibid.* Pugnabit in fronte Iſraelis. Quando adimpleta fuerit hæc Prophetia? 268. Gad, vel *Meni*, numen Ethnicum. 192.

Gades, locus ubi aderat Herculis templum. 443.

Galaad; montes appellati *Galaad* poſt fœdus a Jacobo initum cum Labano. 204. Eorum ſitus. 203. Ibi originem haurit Torrens Jaboc. 206.

Galbanum aromaticum quid ſit. 468.

Galilæa Gentium, inferior Galilæa, quam Phœnices incolebant. 519. An inibi regnaverit Thadal. *ibid.*

Galli a Gomer Japheti filio originem ducentes. 79. Monetæ uſus apud eos non viguit, niſi poſtquam Romanis paruere. LIV.

Gaza ad meridiem Chanaanitidis ad oras Mediterranei, 96.

Gehon idem ac Araxes. 22. Oritur in monte Ararat ad 6. milliar. ab origine Euphratis. *ibid.* Error Gehon pro Nilo accipientium. 25. Ejuſdem nominis fluvius in Palæſtina. *ibid.*

Generationes an plures quam decem extiterint a Noe ad Abrahamum. 100. Veterum mos per generationes enumerandi. 125. Quot annorum erant. *ibid.* Punitio Dei in patres & filios uſque ad tertiam & quartam generationem. 423.

Geneſis ſcripta poſt Legem Hebræis traditam. 61. Exarata a Moyſe in Deſertis Arabiæ & poſtremo itineris per deſertum biennio. XV. conſultis memoriis, quæ inter Hebræos ſervabantur. *ibid.*

Genua, Infantes ſuper patrum genua ponere. Antiquitas hujus moris. 192.

Georgius. Franciſcus Georgius Gigantes ex Angelo & muliere natos eſſe docet. XXV.

Gerara eadem forte ac Gerra: ejus ſitus, & commercium. 149. Abimelech rex Geraræ. *ibid.* In ea ſedem ſuam Abraham fixit, *ibid.*

Gergeſæ

Digitized by Google

Gergeſæi ad Orientem maris Tiberiadis. 95. Horum populorum reliquiæ in urbibus Geſara & Gadara tempore J. C. *ibid.*

Germani filii immediati Gomer Japheti filii. 79.

Gerræi navigabant Tapſacum. XLVII.

Gerſam, filius Moyſis, ejus ortus. 314.

Geſſen. Hujus nominis etymon. 251. Situs terræ Geſſen. *ibid.* Eadem ac regio Rameſſe. 254. An fuerit ab Ægypti plagis exempta? 336.

Gether filius Aram & pater Ithurgorum in Syria Cyrreſtica. 99.

Gloria Dei quam Moyſes videre cupiebat. 480. ſignificat aliquando ejus potentiæ effectus, fulgura, tonitrua. 367. vel ejus in nube præſentiam. *ibid.*

Gigantes connubiis filiorum Dei cum filiabus hominum orti. 54. Ab initio gigantes extitere. *ibid.* Baruch de gigantibus ante diluvium loquitur. XXVII. Credi ne debet, quod de illorum immani proceritate affertur. 54. Auctores, qui poſt S. Juſtinum eos, de quibus Moyſes, dæmones forma humana indutos fuiſſe cenſuerunt. *ibid.* Diſſertatio de Gigantibus. XXIII. Eorum exiſtentia negata. *ibid.* Variæ Joſephi, Philonis &c. de hac ſententiæ. *ibid.* & ſeq. Sententia Franciſci Georgii, Stephani Gobar, Severi Sulpitii, P. Boulduc, atque poſtremi hujus viſiones. XXV. Objectionum confutatio. *ibid.* Probatur Gigantum exiſtentia. *ibid.* & *ſeq.* Adam Gigantum maximus. *ibid.* Plures Gigantum populi a Moyſe radicati. XXVI. Duæ eorum ſtirpes trans Jordanem. *ib.* Quinque gigantes a Scriptura memorati, a Davide ejuſque militibus interfecti. *ibid.* Amos loquitur de Gigantibus Terram promiſſam ante Hebræorum adventum poſſidentibus. XXVII. Plures Auctores ſacri loquuntur de Gigantibus in Infernis pœnas dantibus. *ibid.* Liber Enoch falſo inſcriptus antiquæ opinioni anſam præbuit, gigantes ſcil. natos eſſe Angelorum rebellium cum filiabus hominum commercio. *ibid.* S. Auguſtinus aſſerit nihil melius gigantum exiſtentiam probare, quam immania illa oſſa caſu ſubinde detecta, ut pluribus exemplis demonſtratur. XXXIII. & *ſeq.*

Gobar. Stephanus Gobar quæſtionem de Gigantibus problematice tractat. XXV.

Gog & Magog filius Japheti, Tartarorum pater. 80.

Gomarus regulas ſcripſit Poeſis Hebraicæ. 299. Confutatur. *ibid.*

Gomer filius Japhet. 79. Populi ab ipſo originem trahentes. *ibid.*

Gomor mannæ in capita Iſraelitis concedicur. 374. Sexta die copia duplo major tributa. *ibid.* Mannæ gomor in templo ſervatur. 375.

Gopher, lignum. Arca e ligno Gopher conſtructa. Quid ſit? 56.

Goſſypium indicatum voce *Schesch*. 425.

Gothi alii a Getis. 80. Eorum ſedes Boriſthenem verſus, & Danubii fauces. *ibid.* Eorum bellum in Romanos. *ibid.*

Grando igni immixta in Ægypto. 329.

Græci. Eorum Chronologia. LXXI. Veras gentis ſuæ antiquitates parum noverunt. *ibid.* Inæqualitas in eorum annis occurrens. LXVII. Dies apud eos a veſpera in veſperam ducti. LXVIII. Horarum nomine tres anni partes deſignabant. *ibid.* Diem metiendi per horas a Babyloniis didicere. *ibid.* Sero ſcripſerunt, quæ de tribus antiquis Monarchiis afferunt. LXIII. Græci a Japheto originem duxerunt. 84.

S. Gregorius Nyſſenus. Ejus ſententia de Turre Babelica. XVII. De primæva lingua. *ibid.* Primus docuit primævam linguam intercidiſſe. XVIII. Ejus ſingularis ſententia de modo, quo Deus linguam Hebraicam Iſraelitis tradiderit. *ibid.*

Gradus Altaris. An ad altare per gradus aſcenderetur? 393. Variæ ſuper hoc obſervationes. *ibid.*

Gyges Rex Lydiæ primus eſt, qui munera aurea & argentea in templum Delphicum intulerit. LIV.

Haran in Meſopotamia eadem ac Charræ ad Chaboram. 212.

Harchende, vel Sumatra, mare Orientale, ubi jacet inſula Sarendib. 37.

Harmonius, Bardeſanis filius carmina Syriace ſcripſit. 301.

Hebdomada. Enumerandi per hebdomadas uſus in toto Oriente antiquiſſimus. Ex Ægyptiis ad omnes populos pervaſit. LXII. Ab ortu mundi ad Henoch per hebdomadas tantum enumeratum eſt. LX. Romani per hebdomadas non numerabant. LXIX. Tria hebdomadarum genera apud Hebræos. LXXI.

Heber, filius Sale. Ejus familiæ prærogativæ. 100. An ab eo Abraham Hebræi nomen deſumpſerit? 501.

Hebraica lingua eſt primæva. XVIII. Omnes antiquitatis characteres præfert. *ibid.* Non eſt eadem ac Chaldaica. XIX.

Hebræus. Sermo Hebræus omnium antiquiſſimus. 501. Hoc nomen Abrahami poſteris addictum nullum myſterium continet? *ibid.* illud Abraham ex Heber deſumpſit. 501. Cur Ægyptii ab Hebræis abhorrerent. 247. Origo circumciſionis inter Hebræos. LII. Quare in deſerto circumciſionem intermiſerint? L. Quænam materia & forma librorum veterum Hebræorum? XLI. & ſeq. Characteribus Phœniciis uſque ad Babylonicam captivitatem uſi ſunt. XIV. Eorum Chronologia. LXIX. In Ægypto nullam anni, niſi Ægyptii rationem habuere. LXX. Eorum annus ſacer in quo differat a civili. LXX. Annum civilem ab Autumno exordiebantur. *ibid.* Poſt invectum Talmudem anni lunares tantum, ope intercalarium menſium ſingulis trienniis ad ſolares redacti, apud Hebræos obtinuerunt. *ibid.* Menſes a Lunæ phaſi ducebantur. *ibid.* Septimanarum tria apud ipſos genera. LXXI. Poſt Judæam a Romanis ſubactam tres apud Hebræos dierum rationes. *ibid.* Eorum ratio diem ac noctem dividendi. *ibid.* Quot anni tempeſtates enumerarent. 70. Eorum meſſis tempus. *ibid.* Eorum commercium argento fiebat. LV. Variæ eorum monetæ. *ibid.* An cuſæ fuerint. *ibid.* Hebræi duo ponderum genera habebant, ſacrum, & profanum. LVI. Appenſam ad latera libram & pondera deferebant. LV. Licet qualeſcumque imagines horreant, exteris tamen monetis utuntur. LVII. An Poeſim artificialem excoluerint. 305. Quomodo mare rubrum tranſfretarint. 591. An æſtus opportunitate captata illud trajecerint. 593.

Hebron & Berſabee ſedes Hethæorum, ad meridiem Chananitidis ſita. 95.

Hecatombæ, vetuſtæ monetæ genus. LIV.

Heliopolis, ſeu ſolis civitas ad Nilum ſita Babylonem Ægypriacam verſus. 242. Ad Sacerdotium Heliopolis Eunuchis tantum aditus patebat. 241.

Hemiſiclus in capita a Moyſe præſcriptus erat veluti capitatio, quæ Iſraelitas redimebat ab immiſſis a Deo plagis. 465. Erat ne lex generalis illum ſolvendi quotieſcumque cenſeretur populus? *ibid.* In quo inſumptum fuit argentum ex hemiſiclo in capita conflatum. 498.

Hemor Princeps Sichem. 213. Ejus affinitas cum familia Jacobi. *ibid.* An Dinæ pudori injuriam irrogarit? *ibid.*

Henoch filius Cain, ejus ortus. 44. Urbs Enoch nomine a Caino ædificata. *ibid.* Ejus raptus. 49. Quonam tranſlatus. 50. Ejus prophetia a Juda citata. *ibid.* Veterum judicium de libro Henoch. *ibid.* Pſeudo-liber Henoch, qui anſam præbuit Antiquis cogitandi Gigantes e filiabus hominum, & Angelis perduellibus natos eſſe. XXVII. Henoch ab Ethnicis nomine Anach cognitus. 51. A Babyloniis Aſtrologiæ inventor creditus. *ibid.*

Her, filius Juda, ducit Thamar, ex quo mortem promeruit. 230.

Herbertus; ejus de carminibus Hebraicis ſententia; 298.

Hercules; ejus Templum Gaditanum. 443.

Hermon primum Moyſis nomen. 316.

Herodotus. Errores in quos lapſus eſt ob antiquitatum Ægyptiarum ignorantiam. XLVIII. Ejus ſententiæ de antiquitate circumciſionis apud Ægyptios confutatio. XLIX.

Heropolis; ſinus Heropolitanus. 255. Nomen hoc deſumptum ab Urbe Heroum, & ſinum Arabicum deſignans. *ibid.*

Heroum: hujus urbis ſitus. 255. An eadem ſit ac Pithom. 312.

Heros. Putabant Ethnici heroas a Diis mulierum amore captis fuiſſe prognatos. 53.

Heſob omnia frugum & leguminum genera, quibus veſci poſſumus. 36.

Heſiodus & Homerus Poetarum Græcorum antiquiſſimi. 302.

Hethæi. Eorum ſedes prope Hebron & Berſabee ad Chananitidis orientem. 95.

Hevæi. Duo Hevæorum genera. Eorum regio. 95. Vox Hevæi *ſerpentem* ſignificat. Hinc deſumpta fabula metamorphoſis Cadmi & Hermione ejus uxoris. *ibid.*

Hevilah; regio Hevilah ab Hevilah filio Jectan habitata. 21. Aurum Hevilah *ibid.*

Hieroglyphica a Mercurio Menes filio inventa. 55. ſub ſecundo rege Memphis. XXXIX. In ſacris & publicis monumentis etiam poſt inventas literas diutius obtinuere. *ibid.* Diluvio poſteriora. 55.

Hiſtorici; errores in quos lapſi ſunt Hiſtorici. LX. orti ex eorum ignorantia vel infidelitate. *ibid.* Parvi facienda, quæ hiſtorici Græci de tribus vetuſtis Monarchiis tradunt. LXII.

Hobab an ſit cum Jethro confundendus. 318. Hobab filius Jethro. 381.

Hœdus in victimam paſchalem ſufficiebat. 347.

Holocauſtum, unicum ſacrificii genus Abrahami ævo. 156.

Homerus & Heſiodus Græcorum poetarum antiquiſſimi, 302.

Homicida voluntarius morte mulctatus. Exceptio hujus legis a Rabbinis allata. 402. Vetuſta homicidii pœna exilium erat. *ibid.* Homicidæ, qui ultimo ſupplicio plectuntur, an æternam ſalutem conſequantur? 403. Homicida involuntarius ad altaris aſylum, vel refugii urbes confugiebat. *ibid.* Voluntarius interfector etiam ab altari divellebatur. 44. Præceptum vetans homicidium, & ejus ampliatio. 394.

Homines ex præcepto ad manuum labores tenentur. 36. Qui inertem vitam ducebant, infamia laborabant apud Athenienſes, & morte plectabantur apud Ægyptios. *ibid.* Homines mulieribus ſubjecti in Ægypto. 35.

Homo. Poetarum, & veterum Philoſophorum de hominis origine ſententiæ, 17. Auctores, qui Præadamitas extitiſſe contenderunt. 18. Creatio hominis, & in quo ſiet ejus Deo ſimilitudo. II. Tria hominum genera primò juxta Platonem creata. *ibid.* Hominum vita ad 120. annos redacta. 53. Mos victimas humanas offerendi a Phœniciis effluxit. 156.

Honorare parentes. Hujus præcepti obligatio, 394.

Hor, Mons Hor in Arabia. 125.

Hora quid eſſent apud Græcos & Latinos. LXVIII. Duo horarum genera. *ibid.* Græci morem per horas diem dimetiendi a Babyloniis acceperunt. *ibid.* Hic mos antiquiſſimus in Ægypto. LXII. & in Chaldæa. LXVI. Horarum ratio nulla apud Hebræos ante regnum Ezechiæ. LXXI. 100. annorum ſpatio horæ a Romano ſolo abſentes fuere. LXIX. Eorum dies, ac nox 12. inæqualibus horis conſtabant. *ibid.* Diſtributio diei in 12. horas Mercurio Triſmegiſto adſcripta. LXII.

Horatius; ejus carmina ad proſam accedunt. 300.

Horeb. Rupes Horeb, e qua Moyſes aquam pro Iſraelitis eduxit. 376. Erat figura I. C. Aqua inde educta ſequebatur in eorum itinere Hebræos. *ibid.* ſitus mons Horeb. 319.

Horræi; eorum ſedes in montibus Hor in Arabia. 210. Primi fuere regionis Seiri incolæ. 222. Horræi, Alluphim, ſeu Horræorum principes, antequam Eſau eorum regione potitus eſſet. *ibid.*

Hoſpitalitas, ut res ſacra a Veteribus habita. 137. Paterfamilias ipſe hoſpitibus menſam ſternebat, 134. Mos eiſdem pedes abluendi. *ibid.*

Hoſtia pro peccato extra caſtra cremata. 460.

Hoſtia. Veterum mos hoſtias bifariam ſecandi, & inter utramque partem tranſeundi in ſanciendis fœderibus. 124.

Huetius. Ejus de Paradiſo terreſtri ſententia. 19. 26. Et de regione Ophir. XLIV.

Hugab ponitur pro inſtrumentis muſicis pneumaticis. 45.

Hugo a S. Caro. Ejus concordantiæ Biblicæ. VIII. Eſtne author diviſionis librorum ſcripturæ in capita & verſiculos. *ibid.*

Hul, filius Aram. 98. Ejus nominis veſtigia in Armenia *ibid.*

Hur, filius Caleb, & pater Uri. An fuerit vir, vel filius Mariæ ſororis Moyſis. 377.

Hus filius natu major Nachor. Terra Hus eadem ac Auſitis in Arabia. 258.

Hyacinthinus quinam color. 428. Pelles janthino, ſeu violaceo colore imbutæ, *ibid.*

Hycſoſi, paſtores advenæ, Ægyptum in ſuam poteſtatem redegere. 255. In inferiori Ægypto 511. an. regnarunt. *ibid.* A Regibus Thebaidis expulſi ſunt *ibid.*

Hydromantes, magi aquarum inſpectione futura prædicentes. 335.

Hyriæus. Fabula trium Deorum, quos Hyriæus in ſuo tugurio excepit. 137.

Jabel, filius Lamech & Ada, pater paſtorum appellatus, quia agendi pecora ejus erat inſtitutum. 41.

Jaboc; hujus torrentis origo in montibus Galaad: ejus nomen a Jeſboc Cethuræ filio deſumptum. 206.

Jacob, ejus ortus. 173. Ejus nomen ſupplantatæ ſignificat. *ibid.* Ab Eſau jus primogenituræ emit. *ibid.* In hoc an peccaverit. 174. Jacob tripliciter Iſaacum fallit, ut ejus benedictionem ſubripiat. 180. Poteſtne a mendacio excuſari. *ibid.* Eum occidere Eſau minatur. 285. Jacobi fuga in Meſopotamiam. 184. Luzæ myſticam ſcalam videt. 185. An is Luzæ nomen Bethel indiderit. 186. Pervenit Haram. 188. Labano ſeptem annos ſervitium promittit ut Rachelem ei tradat. 189. Ei pro Rachele ſupponitur Lia. *ibid.* Septem poſt dies Rachelem ducit. 190. Conventio inter Jacobum & Labanum inita de eorum dividendis gregibus. 196. Jacob tribus modis Labanum eluſit. 197. An peccaverit ea arte uſus. 199. Decies a Labano deceptus eſt. 201. In Chanaanitidem redit. *ibid.* Eum inſequitur Labanus. 203. Mutuæ querelæ, & fœdus. *ibid.* & 204. Viſio quam habuit Mahanaim. 205. Mittit munera ad Eſau. 206. Cum Angelo luctat. *ibid.* Tacto ab Angelo ejus femore claudicat. 207. Iſrael appellatur. *ibid.* Jacob & Eſau ſibi invicem occurrunt. 209. Mentitur ne promittens Eſau ſe iturum Seir. 210. Agrum emit a filiis Hemor. 210. An pro eo ſignatam pecuniam ſolverit. *ibid.* Bethel proficiſcitur. 211. Idola ſubter terebinthum infodit. 216. Deus ei apparet in Bethel. 217. In Mambre pergit Iſaacum inviſurus. 218. Mittit filios ſuos in Ægyptum ad emendum frumentum. 243. Eis permittit, ut ſecum ducant Benjaminum 246. Ejus iter in Ægyptum. 253. Pharaonem inviſit, qui ei Terram Geſſen concedit. 254. Duobus Joſephi filiis benedictionem impertitur. 260. Singulis filiis ſuis prædicit quæ illi eventura erant. 262. Ejus mors. 271. Lugetur. 70. diebus. 272. Fuit I. C. figura. 271. & 189. Et Prædeſtinatorum. 173.

Jamin, vel Jemin: hujus vocis ſignificatio. 222.

Jannes & Mambres Magi Ægyptii. 332.

Janus an primus qui aureum nummum excuderit in Italia? LIV.

Japhet, filius natu major Noe, ejus ortus. 51. Patris ſui nuditatem operit. 76. Filiorum ejus numerus. 83. Pater eſt Græcorum, & idem ac Neptunus. 93.

Jar, menſis nomen apud Chalduos. 372.

Jaſon ut Deus habitus fuit in regionibus inter Pontum Euxinum & mare Caſpium jacentibus. 23. Nomina plurium provinciarum ac fluminum illius regionis immutavit. *ibid.*

Jaſpis, lapis Rationalis. 450.

Javan filius Japhet, & Joniorum pater. 81. Alexander Rex Javan, ſeu Macedoniæ appellatus. *ibid.*

Iberi poſteri Tubal filii Japhet. *ibid.*

Ichtyophagos, tranſfretationis maris rubri memoriam ſervarunt, 291.

Idola; quænam fuerint prima Ethnicorum idola. 186. Mos illa inungendi. *ibid.* Ethnici manum oſculabantur ea adorantes. 134. Idola Iſraelitarum infidelium Ephod ornata. 429. Deus idolorum Chananæorum deſtructionem præcipit. 480.

Idololatria incœpit tempore Enos. 46. Ejus progreſſus. 109. Vulgaris an eſſet in Ægypto Joſephi ævo. 246. Idololatria in Ægypto, & ejus antiquitas. 336. Morte plectitur. 412. An ejus origo Sarug filio Reu adſcribenda. 109.

Idumæa; in ea imperitabant Principes. 368.

Idumæi; obſervationes de eorum antiquo regimine. 280. Reges Idumæi, ante reges Iſraelitas. *ibid.* Eorum character. 183. Eorum ſubjecto regibus Juda ab Iſaac prædicta. *ibid.*

Jebuſæi, populi bellicoſi, Jeruſalem, eique finitima loca incolentes. 95.

Jecſan Cethuræ filius, & pater Cetanæorum in Arabia deſerta. 169.

Jectan filius Heber habitavit ad Orientem inter Meſſa & Sephar. 222. Ejus genealogia. *ibid.* Regio ab ejus poſteris occupata. *ibid.*

Jabo-

Jehovah, hujus vocis ſignificatio, ejuſque pronunciandæ diverſa ratio. 325. Hoc nomen an fuerit Patriarchis cognitum. 330. A Judæis non pronunciatur. *ibid.*

Jejunium. An Hebræi Sabbato jejunarent? 391.

Jeruſalem eadem ac Salem urbs Sichimitarum. 128. A Jebuſæis habitata. 95.

Jeſidæ, populi Curdiſtan, ita à Jeſu Chriſto appellati. Locus, quo æſtate ſecedunt, fuiſſe paradiſus terreſtris creditur. 51.

Jeſus Chriſtus, fidejuſſor, & mediator omnium fœderum Deum inter & homines. 75. Eccleſia ex ejus latere prodiit. 19. Connubium Adam & Evę figura unionis J. C. cum ſua Eccleſia. *ibid.* Populi Dei caput; nomen Dei eſt in illo. 420. An fuerit obnoxius legi primogenitos Deo offerri jubenti. 357.

Jethur, filius Iſmaelis, Ithuræorum pater. 171.

Jetro, Sacerdos, vel Princeps Madian. 317. Diverſa ejus nomina. *ibid.* Filiam ſuam Sephoram Moyſi in uxorem tradit. 318. In Caſtra Sinai advenit, & Sephoram ad Moyſem deducit. 379. Eſtne idem ac Hobab. *ibid.* Deo Iſraelis offert ſacrificia. 380. Veri Dei Sacerdos & cultor erat. *ibid.* Conſilium ab eo Moyſi traditum ſtatuendi Miniſtros, qui jus populo dicerent. 380 Rediitne Madian, an permanſit cum Moyſe in itinere deſerti; an denique reliquit filium ſuum Hobab? 382.

Ignis, veluti Deitatis figura ab Ethicis habitus. 110. A Nembrodo primùm divinis honoribus cultus. *ibid.* Expectabant antiquitus Ethnici, ut ignis e coelo dilapſus eorum victimas abſumeret. 4. Pœna adulterii conſueta ignis. 272 Ignis nocte ſuper tabernaculum ſplendens. 476. Deus ignis ſpecie apparebat. 319. Ignem accendere Sabbato nefas. 486. Judæi aliorum opera accendunt; quod licere Caraitæ negant. *ibid.* Ignis ſegetes comburens: qui eum accenderit, damnum reparabit. 410.

Ilus, ſeu Saturnus, Phœnicum Deus, morem homines immolandi invexit. 157. Abraham cum hoc Ilo confuſus. *ibid.*

Imago, quo pacto Deus hominem creaverit ad imaginem ſuam? 10. Imagines an ſint abſolute vetitæ. 388.

Immortalitas Adami erat, poſſe non mori, ſi Deo fidelis permanſiſſet. 28. quo pacto eſſet uſui fructus arboris vitæ adnexa. *ibid.*

Immortalitas animæ ex ſpiraculo vitæ, quo Deus Adamum afflavit, probatur. 12.

Impoſitio manuum. Vetuſtas hujus cæremoniæ in benedictionibus. 260. Impoſitio manuum ſuper hoſtias quæ offerebantur. 400.

Imprecationes, vocibus contrariis frequenter expreſſæ. 341.

Inceſtus in Oriente communis. 546. Patrum ſententia de inceſtu Loth cum filiabus ſuis. 545.

Incircumciſus labiis & corde &c. horum verborum ſignificatio. 330.

Induratio Pharaonis prædicta. 325. Quo pacto Deus ejus cor obduraverit. *ibid.*

Inebriare. Variæ hujus vocis in Scriptura acceptiones. 247. Joſephi fratres cum ipſo inebriati. *ibid.*

Infans. Qui abortivi cauſa fuerit morte punitur. 405. Infans longe ab hominum conſortio innutritus ſonos exprimet brutorum vel rerum, quæ ejus auribus inſonuerint. XVIII. experimenta in quibuſdam, qui muti remanſerunt. *ibid.*

Infernum. Vox diverſimode in Scriptura uſurpata 227 Animæ Rephaim ſeu Gigantum in inferis detentæ. XXVII

Inimicitia, quas Deus inter mulierem & ſerpentem poſuit. 34.

Innocentia, felicitas, & bonum Status innocentiæ. 12.

Inſulæ Nationum omnes Palæſtinæ regiones, quas niſi mari adire poterant Iſraelitæ. 88. Inſulæ, aliaque loca maritima ab Hebræis *Chettim* appellata. 86.

Intercalatio 5. dierum additorum poſtremo anni Ægyptii menſi a quo invecta? An tempore Moyſis in Ægypto obtineret. LXI. Sacerdotes Ægyptii eam non admittebant in eorum anno ſacro. *ibid.* Dies intercalaris ſingulis quadrienniis in anno Juliano. LXIX. Anni lunares Hebræorum ope intercalarium menſium ſingulis trienniis ad ſolares redacti. LXX.

Interpunctio; ratio interpungendi veterum a noſtra diverſa. IX. Nihil adhuc certi habetur de Scripturæ interpunctione. *ibid.* Robertus Stephanus novi Teſtamenti interpunctionis eſt author. *ibid.*

Interraſili. Hujus vocis explicatio. 433.

Joachim, nomen Moyſi in circumciſione juxta Rubbinos inditum. 316.

Jobab Rex Edom cum Job confuſus. 221.

Jocabed, mater Moyſis, an eſſet obſtetrix? 353. utrum eſſet neptis, an ſolùm patruelis ſoror Amrami. 355.

Jonii poſteri Javan filii Japhet. 81. Hoc nomen olim omnibus Græcis commune. *ibid.*

Jordanes; Ejus nomen Moyſe vetuſtius. 122. Ejus origo. *ibid.*

Joſeph Rachelis filius: ejus ortus. 195. Cur a patre præ reliquis diligeretur? 225. ejus tunica polymita. *ibid.* Crimen, de quo fratres ſuos accuſavit. *ib.* Fratrum odium in eum 226 Necem ejus meditantur. *ib.* Venit Iſmaelitis, & dein Putiphari. 227. Domini ſui gratiam promeretur. 234. Ab hera interpellatur de ſtupro. *ibid.* Ei relinquit pallium et fugit. *ibid.* In carcerem detruditur. *ibid.* Explicat ſomnia duorum Pharaonis miniſtrorum. 236. An ſomnia interpretandi artem invenerit. *ibid.* E carcere educitur. 238. Somnia Pharaonis explicat. 240. Toti Ægypto præficitur. *ibid.* Mundi ſervator appellatur. *ibid.* Aſeneth Putipharis filiam ducit. 241. Mentitur ne dum fratres ſuos, veluti exploratores traducit. 243. Peccat ne jurando per Pharaonis ſalutem? 244. Convivium fratribus ſuis ſternit. 247. Scyphum ſuum in ſacco Benjamin poni jubet. 248. Eone uſus eſt, ut futura divinaret. 249. Se fratribus manifeſtat. 250. Jacobum, ut in Ægyptum deſcendat, invitat. 251. Eum coram Pharaone ſiſtit, & ei Terram Geſſen impetrat. 157. Bona, & libertatem Ægyptiorum emit, eoſque ab una ad alteram orbem transfert. 258. Curat, ut duobus ejus filiis Jacobus benedicat. 260. Benedictiones quas a Jacobo retulit. 269. Luctus Jacobi, & ejus corporis in Chanaanitidem tranſlatio. 273. Ejus mors. 275. Ejus elogium, & cum J. C. collatio. *ibid.* An illum, ut Deum coluerint Ægyptii. *ibid.* Fuit figura J. C. 228.

Joſeph Hiſtoricus, e primis qui de transfretationis maris rubri fide minus meritus ſit. 295. Ejus opinio refellitur. *ibid.* Ejus de conſtructione Babelicæ turris narratio. XXXIV.

Joſue filius Nun, Moyſis Miniſter miſſus in Amalecitas. 377. Quonam in ſenſu vocetur Moyſis miniſter. 479.

Iris ſignum fœderis Dei cum hominibus. 75. An poſt diluvium tantummodo apparuerit. *ib.* Deorum nuntia. *ibid.* Duo iridis genera. *ibid.*

Iris, aroma, idem fore ac Hebraicum Kiddah. 468.

Iſaac, ejus ortus, promiſſio. 532. ejus nativitas. 150. Qua ætate ablactatus fuerit. *ibid.* Ludus Iſaac cum Iſmaele. 551. Declaratur a Deo ſolus hæres promiſſorum ſuorum. *ibid.* Deus præcipit Abrahamo, ut Iſaacum ei immolet. 154. Relatio inter ſacrificium Iſaac. & J. C. mortem. 156. Rebeccam ducit. 167. Vim concipiendi Rebeccæ impetrat. 171. Cur Eſau dilexerit. 178. Jacobo ſuam benedictionem tribuit. 181. Benedictio, quam Eſau impertitur. 183. Ei prædicit ſubiectionem Idumæorum regibus Juda. *ib.* Geraram pergit, & aſſerit Rebeccam ſororem ſuam eſſe. 175. An primus fuerit, qui decimam ſolverit? *ibid.* Quid Deus ei promiſerit. *ibid.* Ejus putei a Philiſthæis oppleti. 175. Berſabee redit, & fœdus icit cum Abimelech. 177. Ejus mors. 218. Fuit viva imago J. C. *ibid.*

Iſaar, ejus filii. 329.

Iſis artem medicinę invenit. 273. Orum artem ſomnia interpretandi docet. 236.

Iſmael; filius Agar: ejus ortus, & character. 527. Ludit cum Iſaaco. 558. cum matre e domo Abraham expellitur. *ibid.* Ducit mulierem Ægyptiam, & moratur in deſerto Pharan. 152. ejus mors. 572. An æternam ſalutem adeptus fuerit. 13a

Iſrael, hujus vocis ſignificatio. 507. Jacob animatus ab Iſraele Angelorum principe juxta quemdam apocryphum Hebræorum librum. *ibid.*

Iſraelitæ: eorum ſervitus in Ægypto ab Abraham prędicta. 125. Poſt quartam generationem in libertatem aſſeruntur. *ibid.* An armati ex Ægypto egreſſi ſint. 360.

360. Quo pacto ſuas copias diſtribuerent. *ibid.* Sæpe cum Ægyptiis confunduntur. 283. eorum ab cæteris averſio. 281. Eorum propenſio in exterorum ſuperſtitiones. *ibid.* Ab Ægyptiis vaſa aurea & argentea utenda poſtulant. 343. An in hoc furtum patrarint. *ibid.* Eorum prærogativæ; ſunt genus electum, gens ſancta, regnum ſacerdotale. 384.
Iſachar, filius Liæ, ejus ortus. 195. Comparatur aſino, & benedictionem accipit poſt Zabulon. 267. Virtus Tribus Iſſachar a Scriptura commendata. 268.
Iter quod Sabbato peragi poterat. 392.
Ithuræi trans-jordanici, poſteri Jethur Iſmaelis filii. 171.
Jubal filius Lamech & Ada. Inſtrumenta muſica ab eo inventa. 45.
Juda filius Jacobi & Liæ; ejus ortus. 190. Ejus iter Odollam, ubi uxorem ducit. 229. Hujus connubii epocha. *ibid.* Ejus iter Thamnas. 230. Ejus inceſtus cum Thamar juri divino & naturali oppoſitus. 230. Se offert in ſervitutem loco Beniamin. 249. Ea ejus familia prodiit Meſſia. 264. Prærogativa Tribui Juda adnexa. *ibid.* Ejus virtus. *ibid.*
Judas Macchabæus vexillis ſuis priores vocum harum literas inſcripſit: *Quis ſimilis tui* &c. 368.
Judæi; eorum ſeculu 520. annorum. 53. Quo pacto explicent Jacobi prophetiam de Meſſiæ adventu. 266. Abſtinent ab eſu quartæ partis poſticæ animalium in memoria luctæ Jacobi cum Angelo. 208. Contendunt lege connubii omnes homines teneri. 12. Judæi Æthiopes Judæ filii Chus poſteri. 89.
Judices a Moyſe conſtituti, e conſilio Jethri. 380. Eorum ordo, numerus, & ſubordinatio. 381. Eorum juriſdictio. *ibid.* Judicum aures puræ. *ibid.* Munera non debent accipere. *ibid.* De judicibus obloqui Deus vetat. 414.
Judicia ad urbium portas ferebantur. 213.
Judith, uxor Eſau, erat Chananæa. 177.
Julianus Apoſtata narrationem tentationis Evæ per ſerpentem fabellis accenſet. 32.
Jupiter cognomento muſcarum venator. 335.
Jurare inaniter, falsò, per creaturas. 391. per vitam hominis jurare non eſt ſemper actus idololatriæ. 544. jurare per Deos alienos vetitum. 391.
Jus naturale innixum juxta Rabbinos præceptis a Deo Noe traditis. 74. Jus Dei ut univerſi Domini, & jus hominum inter ſe. 279. Jus vitæ & necis a patribus in familiam vulgo habitum. 503. Jus primogenituræ in quo conſiſtat. 53.
Juſtus cur Deus permittat ut hic cum iniquis patiatur. 137.
Juvenes, qui victimas Domino immolarunt in cæremonia fœderis Domini cum Iſraele, erantne primogeniti familiarum. 452.
Kaat, Ejus filii, ejus ætas. 329.
Kadim; ventus Kadim. 341.
Kaſib loci nomen. 230.
Kedem Oriens, indicat ſemper in Scriptura populos & regionem ad orientem Euphratis & Tigris exiſtentes. 105.
Keſitah, hujus vocis ſignificatio. Uſus & valor illi attributus ab iis, qui nummum eſſe contendunt. an Eſſe poterat auri vel argenti ſacculus: *ibid.*
Kibrat; variæ de hujus vocis ſignificatione ſententiæ. 217.
Kiddah, hujus vocis ſignificatio. 468. Aromatis genus, fortaſſe Iris. *ibid.*
Kinnor ponitur pro omnibus inſtrumentis muſicis, quæ vel digitis, vel arcu pulſantur. 45.
Kir regio ab Aram habitata. 98. Eadem eſt ac Iberia: *ibid.*
Kircherus. P. Kircherus acerrimus, ſi quis alius, adverſarius eorum, qui Gigantes olim fuiſſe credunt. XXV. Æri incidendas curavit duas Babelicæ turris minus deformatas facies, ei a Petro della valle clari nominis itineratore oblatas. XXXVIII. Ægyptiorum characteres ipſiſſimos eſſe cum Phœniciis operoſe contendit. XLI.
Kneph in lingua Ægyptia bonum ſpiritum ſignificat; hoc nomen ſerpenti ab iiſdem inditum. 35.
Kuphi, aroma in uſu apud Ægyptios. 469.
Laabim pater Lybiorum, qui dein Mauri appellati ſunt. 93.
Laban filius Bathuel Rachelem Jacobo pollicetur poſt ſeptem annorum ſervitutis. 189. Tradit Jacobo Liam pro Rachele. *ibid.* Ei non dat Rachelem niſi poſt ſeptem alios ſervitutis annos. 190. Conventio inter ipſum & Jacobum inita de diviſione gregum. 196. & ſeq. Jacobus decies a Labano deceptus. 198. Laban ſpe ſua fruſtratus. 197. Ejus Teraphim a Rachele ſubrepti. 205. Eis virtus ſupernaturalis tribuebatur. *ibid.* Inſequitur Jacobum. 203. Fœdus inter ipſos initum. 204.
Labor manuum; præceptum quo omnes homines tenentur. 36. Qui labori operam dare recuſabant, infames declarati apud Athenienſes, & ultimo ſupplicio apud Ægyptios mulctati. *ibid.* Apud Hebræos labor Principibus æque ac privatis communis. *ibid.*
Labrum æneum, in quo ſe lavabant Sacerdotes. 492.
Labra ad abluendum in aditu Templorum Ethnicorum: 492.
Lac. Terra lacte & melle fluens. 320. An liceret carnem in lacte coquere. 419. Carnem & lac in eadem cœna comedere an liceat. *ibid.*
Lacedemonii; eorum moneta erat ferrea. LIII. Aureæ & argenteæ monetæ uſus apud ipſos in publicas tantum neceſſitates. *ibid.* Oraculum conſulunt ut ſcirent, ubi aurum ad auro liniendum Apollinis vultum poſſent invenire. LIV. Neci aliquando tradebant captivorum ſuorum liberos veriti, ne illorum numerus nimium augeretur. 314.
Lactucæ ſylveſtres agni paſchalis condimentum. 349.
Lamech filius Mathuſael, duas uxores ducit. 44. Ejus bigamia reprobata. *ibid.* Ait ſe virum occidiſſe. 45. Uxne Cain? *ibid.*
Lamentationes in luctu: 274.
Lamina ſancta, cui inſcriptum, *Sanctum Domino*: 455. Ejus deſcriptio & uſus. *ibid.* Quo pacto imminere fronti Pontificis. *ibid.* Quid ſignificaret? *ibid.*
Lampades Candelabri aurei an quotidie mane extinguerentur. 443.
Lana. Sacerdotes Hebræi lanea veſtimenta in Templum non deferebant. 456. Ab Ægyptiis cenſetur immunda. 454. Noema ſoror Tubalcain, eadem ac Minerva Græcorum artem nendi lanam invenit. 45.
Lapides Rationalis hodie ſatis inexplorati. 449. An Joſiæ tempore defoſſi fuerint. 452.
Lapides acutiſſimi ad circumciſionem olim adhibiti. 356. Veterum mos oleum ſuper lapides effundendi. 186. Lapides fuerunt prima idola, quæ homines adorarunt. 186.
Latini; eorum chronologia. LXVIII. Redigendi anni non una apud eos regula. *ibid.* Quomodo menſes, & dies enumerarent. LXIX.
Lebes ad excipiendos altaris holocauſtorum cineres deſtinatus. 441. Oraculum Dodonæum lebetum ſonitu reſponſa edebat. 88.
Legiſlator. Deus ſolus eſt Hebræorum legiſlator. 581. Legumlatores Ethnici optima quæque eorum legum e libris Moyſis ſuffurati ſunt. XV. Virorum erga uxores munia ſunt moderati. 402.
Lentes Ægypti apud antiquos celebres. 173.
Lepra alba. 324. Lepra manus Moyſis. *ibid.*
Levi Jacobi & Liæ filius; ejus ortus. 190. Maledictione conditionali tantum a Jacobo afficitur. 563. Diſperſus erit in Iſrael. *ibid.* Ejus genealogia, & ætas. 329.
Levitæ vituli aurei cultores interficiunt: 476. Utrum 23. millia hominum, an tria tantum millia interemerint. *ibid.*
Lex Moyſis in Sinai edita. 386. Leges olim ægri inſcriptæ. XXXIX. Legum divinarum excellentia ſupra humanas. 282. Legum Moſaicarum collatio cum legibus J. C. *ibid.* An lex Judæorum ad Ægyptiarum imitationem expreſſa ſit. 281. Leges a Moyſe latæ ſive morales ſunt, ſive judiciales, ſive Cæremoniales. 284.
Lex naturæ: horum verborum æquivocatio. 286.
Leza in Jordanis ripa ad Chananitidis ſeptentrionem. 96.
Lia filia Laban; ejus oculi lippi, ſeu molles. 188. pro Rachele Jacobo ſupponitur. 189. Patris ſui idola adorabat. 202. Fuit ſynagogæ figura. 189.
Liber; Deus hic magnificis veſtibus induebatur in ſuis ſolemnitatibus. 485.
Liber; hujus vocis origo. XL. Hoc nomen inditum etiam antiquitùs pluribus tabellis in faſciculum compactis. *ibid.* Quomodo in Bibliothecis libri ſervarentur. *ibid.* Libri titulus inſcribebatur uni bacilli, cui circumvolvebatur, extremitati. *ibid.* Quænam materia & forma

veterum

veterum librorum Hebræorum. XLI. Nnvi Teſtamenti libri antiquitus in titulos diviſi. VIII.
Liber vitæ, e quo deleri Moyſes petit, ſi Deus populo ſuo non pepercerit. Quid hoc libro intelligatur. 477.
Liber Adamo ab Angelo delatus, unde quidquid noverat, percepit juxta Hebræos. 32.
Lignum a Moyſe in aqua Maræ, ut eas edulcoraret, immiſſum. 369.
Ligurius, lapis Rationalis. 450.
Limatura auri olim in uſu ad inaurandos crines. 475.
Lingua. Quo idiomate primùm loquerentur ii omnes, qui Babelicæ turris conſtructionem moliti ſunt? XVI. Quodnam Adamo infuſum fuerit? illudne interciderit? Variæ de primæva lingua ſeotentiæ. XVIII. & ſeq. Varia prophanorum Scriptorum de linguis, eorumque diverſitatis origine Syſtemata. XVI. Cum unicus erat ſermo, impoſita rebus omnibus nomina ſua non deſtituebantur ſignificatione. XXI. Ut in cognitionem primævi idiomatis deducamur, animadvertendum, quæ potiſſimum lingua radices contineat primorum nominum, veramque illorum exprimat etymologiam: quod in ſola lingua Hebraica invenitur. *ibid.* An Noe ejuſque filii communi cum Adamo ſermone uterentur? An eodem Abraham idiomate loqueretur ac filii Noe, qui Babelicæ turris ædificium aggreſſi ſunt. XX.
Lingua primæva minus corrupta perſtitit in genere Sem, quàm in genere ejus fratrum; pura vero penitùs manſit in familia Phaleg, Heber, Thare Abrahami progenitorum, ſicut & in familia Chanaan. XXII.
Lingua Hebraica eſt omnium antiquiſſima. tot. XIX. XX. Eadem non eſt cum Chaldæa. XIX. An in ſola familia Abrahæ ſervata fuerit. 101. De hujus linguæ natura obſervationes. VI. Hebraicæ linguæ inſcitia præ cæteris prohibet, quominus perfectam Scripturarum intelligentiam aſſequamur. *ibi.* In quo conſiſtat unitas labii in poſteris Noe ante eorum diſperſionem? 105. 108. Confuſio linguarum Babelica. *ibid.* An Angelorum miniſterio effecta. *ibid.* Inter præcipua, de quibus loquitur Scriptura, miracula recenſenda. *ib.* Linguarum numerus e confuſione Babelica emanatarum. 109. Linguæ matrices, & ſubalternæ. *ibid.*
Litera; eorum inventio Phœnicis attributa. 78. XXXIX.
Locuſtæ, quibus Deus Ægyptum percuſſit. 341. An ex Æthiopia, vel Arabia eò devenerint. *ibid.* & 342. Bellum in locuſtas. *ibid.*
Loth, filius Aran, ejus nativitas, 165. Sodomæ ſedem figit. 137. Ejus character. 540. A Chodorlahomor captivus ducitur. 125. Ab Abrahamo liberatur. *ibid.* Fuitne ex Sodomæ judicibus unus? 139. Duos Angelos, qui ad delendam urbem venerant, excipit. *ibid.* Sodomitis offert eis proſtituere filias ſuas. *ibid.* Segor ſe recipit. 141. Ejus uxor enr, & quomodo in ſtatuam ſalis immutata. 142. Hæc ſtatua an adhuc ſubſiſtat. 145. Loth inceſtus cum binis filiabus ſuis. *ibid.* Hæc actio à veteribus excuſata, *ibid.* Ejus hiſtoriæ inter Ethnicos veſtigia. 143. 146.
Lucanus Phœnices Scripturam iuveniſſe tradit. XXXIX.
Luctus Ægyptiorum. 274. Babyloniorum haud abſimilis *ibid.* Lugubres lamentationes in luctu. *ibid.* Aliquot diebus humi cubabatur prope corpus, cui parentabatur. 160. Ægyptii durante luctu comam promittebant. 239. Habitus lugubres in Perſarum regum aula vetiti. *ibid.* Viduæ lugubres veſtes deferebant, quamdiu ſecundis nuptiis abſtinebant. 231.
Lucus ſacri; eorum antiquitas. 153. Eos Ethnici, & Judæi adorabant. *ibid.*
Lud, filius Sem, & pater Lydorum in Aſia Minori. 97.
Ludi Olympici; ex his deſumitur Epocha ſeriem annorum apud Græcos deſignans. LXVII.
Ludim, poſteri Meſraim, utrum Thennefæi, an Æthiopes. 92. Sunt finitimi Nephtnim populis prope Nephtam. 93.
Luna in Oriente colebatur ut Dea nativitati præſidens. 193. Figuræ Lunæ conſecratæ. 202. Menſes Lunares veterum Hebræorum. LXX. Eorum initium a Luoæ phaſi. *ibid.* Certi viri apud eos conducti, ut e montium vertice phaſis ejuſdem punctum obſervarent. *ib.*
Luſtrationes. In luſtrationibus, & in fœderibus victimæ antiquitus dividebantur. 124.
Lux, primo die creata, 4. Lucis hujus natura; *ibid.*
Luza, urbs, quando Bethel fuerit appellata. 186.
Lydii Aſiæ Minoris, poſteri Lud filii Sem. 97. Primi cuſæ monetæ aureæ & argenteæ, qua in commerciis utebantur, authores. LIII.
Lydus, Athis filius, nomen ſuum Lydiæ ſuperiori dedit. 97.
Macedonia, in Scriptura nomine Cethim nota. 87.
Macrobius putat nihil aliud fuiſſe Gigantes, quam vetuſtam nationem, impiam, & Deorum inimicam. XXIV.
Madai filius Japhet. 80. Rationes dubitandi, an Mediam incolis frequentarit. *ibid.*
Madian, regio quo ſe recepit Moyſes: ejus ſitus. 317.
Madianitis, Arabiæ Petrææ pars, a Madan & Madian Ceturæ filiis habitata. 169.
Magdalum; ejus ſitus. 296.
Magi Pharaonis. 332. Qua virtute virgas ſuas in ſerpentes immutarint. *ibid.* Utrum realis fuerit illa immutatio, an ſolum illuſio. *ibid.*
Magia a lege vetita. 389.
Magiſtratus Seniorum nomine indicati. 385.
Magog filius Japhet. 80. Poſteri Gog & Magog. *ibid.* Majorem Tartariam incolis frequentarunt. *ibid.*
Mahanaim, ſeu bina caſtra; hujus nominis urbs in ſorte Tribus Gad. 205.
Maheleth, Iſmaelis filia, & uxor Eſau. 185.
Mahometani quomodo in Scholis ſtudeant. 358.
Maimonides animæ annihilationem docet. 351.
Malach, hujus vocis ſignificatio. 260.
Mambres, vallis in qua habitavit Abraham. 117.
Mambres & Jamnes, Magi Ægyptii. 331.
Manaſſes, filius Joſeph, ejus ortus. 242. Illius nomen ſignificat: *quod oblivionem inducit*. *ibid.* Poſtremam benedictionem a Jacobo excipit. 260. Ei præfertur Ephraim. *ibid.*
Mandragora. Tria mandragorarum genera; 193. Earum qualitates. *ibid.* Mandragoræ credendæ ſunt Dudaim Ruben. 194.
Manna. Ejus qualitates, forma, guſtus. 373. Mannæ gomor in Tabernaculo ſervatus. 375. Collatio Mannæ cum Euchariſtia. *ibid.* Quadraginta annorum ſpatio Hebræi manna alti ſunt. *ibid.* Quo die primitus deciderit. 372. Hujus hominis etymologia. *ibid.* Varia Mannæ genera. 373. An hodierna ab Hebræorum manna differat. 374. Ejus miraculoſæ qualitates. *ibid.*
Manus. Ethnici numina ſua colentes manum oſculabantur. 134.
Manus vacua. Iſraelitæ vacuis manibus coram Deo ſe ſiſtere non debebant. 458. Hujus præcepti ratio. *ib.*
Manutii dicuntur inveniſſe puncta & commata. IX.
Mara. Ejus aquæ amaræ. 369. ejus ſitus. *ibid.* ejus aquæ edulcantur, *ibid.* Ibi latum fuit Sabbati præceptum. 391.
Mare Mediterraneum ad occidentem Palæſtinæ, & Ægypti Septentrionem. 342. Rubeum, mare juncorum dictum, & cur. *ibid.* Quare vocetur rubrum. *ibid.* In ejus imo magna vis algæ, ſeu herbæ *Suph* appellatæ. *ibid.* ejus latitudo ad portum Suez. 234. Habetne ſuum æſtum. *ibid.* Hujus maris per Hebræos transfretatio. 291. & ſeq. An duodecim vias pro numero Tribuum aperuerit. 292. An ejus aquæ ſub Hebræorum pedibus obduruerint. *ibid.* An Iſraelitæ captata æſtus opportunitate illud transfretarint. 294.
Maria ſoror Moyſis. Mulieribus Iſraelitis jungitur ut Deo gratias agat. 360. An eſſet Propheteſſa. Ejus nominis etymologia. *ibid.* Quare potius appellata ſoror Aaronis, quam ſoror Moyſis *ib.* An eſſet nupta. *ib.*
Maritus ſponſæ dotem dare debebat. 164. Apud Babylonios uxores emebat. 189. Jus vitæ & necis in uxorem & liberos habet. 527.
Maronita linguam Syriacam, ſeu Chaldæam eſſe omnium linguarum matrem ac principem docent. XIX.
Maſculus. Victimæ ſexus maſculini plerumque erant. 347.
Maſius in Metropolitana & Media. 99. Idem ac Meſſa. 28
Materia. Creatio materiæ. 2. 3.
Mathuſala, filius Enoch; ejus ortus. 47. Annus ejus emortualis. 55.
Matrimonium inter duos Hebræos captivos ſolvebatur viri libertate. 396. An inter captivos ſit verum matrimonium. *ibid.* Deus Adamum matrimonio adſtringens pro omnibus ejus poſteris legem non tulit. 52. Antiqui populi, apud quos inibatur emptione connubium. 189.

289. Matrimonium Adæ eum Eva figura unionis J. C. eum ſua Eccleſia . 29. Inter fratres & ſorores antiquitus penes omnes ferme populos permiſſum . 248. Matrimooium cum uxore fratris ſui ante legem conſtitutum . 230. An initium ab Ægyptiis ſumpſerit. *ibid.* Ob creditam Metempſycoſim. *ibid.* Primores natu ex hoc connubio nomen ſumebant fratris ſine liberis demortui . *ibid.*

Mauri , antiquitus vocati Libyes , a Laabim prognati. 91.

Mazorb genus panis , ſeu placentæ abſque fermento e veterum more. 539.

Medi , ſic a Mado Jaſnois & Medeæ filio appellati. 80. Macedoniæ Medi vocati *Medobythini*. 81. Medorum Imperium idem , ae Perſarum . *ibid.*

Medicina ab Iſide inventa. 273.

Medicus . Cuique morborum generi ſuus medicus adhibebatur apud Ægyptios . 273. Et medici tenebantur , pœnæ capitis conſtituta , uti remediis in libris ſacris Ægyptiorum deſcriptis. *ibid.*

Mehil , vel pallium ſummi Sacerdotis . 454.

Meibomius . Ejus de carminibus Hebraicis ſententia . 298.

Mel ; quo S. Joan. Baptiſta in deſerto alebatur , vos erat denſus , & concretus. 373

Melchiſedech , Rex Jeruſalem. 152. De eo variæ ſententiæ , *ibid.* Occurrit Abrahamo ad radices montis Thabor. *ibid.* Panem & vinum Abrahamo obtulit , quò illios milites reficerentur . *ibid.*

Memphis ad Nili occidentalem ripam trans Delta . Au Pharaonis ſedes. 242.

Mendacium , & obtrectatio vetita . 426.

Menelaus in Ægyptum migrat . 360. A Minerva muſcarum audaciam accipit . 336.

Menes , primus Ægypti rex , filius Cham , & antiqui Mercurii Pater 55.

Meni. Luna , vel ſol hoc nomine in Oriente adorati . 193. Eadem ac Gad. *ibid.*

Menſis . Hebræorum menſes lunares erant . LXX. A Lunæ phaſi ducebantur . *ibid.* Latinorum in menſium nominibus , numero , diebus varietas. LXIX. Primus ſingulorum menſium dies apud Hebræos ſolemnis , ſed non feriatus . 495. Menſes annos civilem , ſacrum , arborum , & animalium exordientes. 346.

Menſura Hebræorum in Templo ſervatæ . LVII. Eorum menſuræ cavæ ad Pariſienſes relatæ . LVIII.

Merari ; ejus liberi. 319.

Mercatores appellati Chananæi . 230.

Mercurius , Menes filius , & hieroglyphicorum inventor. 55. Triſmegiſtus diem in 12. horas diviſit . LXII. Chanaan idem ac Mercurius Græcorum. 77.

Meretrices. Velum quo vultum obnubebant . 238. In viis publicis plerumque ſedebant . *ibid.* In honorem alicujus falſi numinis ſe proſtituebant . 232.

Meridies . Hac hora prandere ſoliti Hebræi . 247. Meridies per ſiniſtram indicatus in Scriptura. 157.

Meriones Idomenei famulus. 377.

Mes , filius Haram , idem ac Meſech quam regionem incoluerit. 99.

Meſſa , mons idem ac Maſius in Meſopotamia. 21. Regio filiorum Jectan a Meſſa ad Sephar. 99.

Meſſabata populi e Sabatha filio Chus deſcendentes . 89.

Meſſias . Ejus adventus Adamo poſt peccatum promiſſus. 34. ſerpentis caput Meſſias conteret. *ibid.* Erit expectatio Gentium . 266.

Meſſis in Ægypto quo tempore inciperet . 339.

Metempſycoſis ab Ægyptiis in plures nationes diffuſa . 74. Ex metempſycoſis opinione ortus uſus fratris ſui viduam ducendi . 230.

Mexici moneta . LV.

Micha Idolum & Ephod confecit. 459.

Miracula . De veris fictiſque prodigiis. 285. Prodigiorum facultas ſoli Deo reſervatur. 286. miraculorum comprobatio an ſit ultra rudiorum fidelium captum . 288. Prodigia quædam ſuppetunt , de quibus nequit dubitari. 289. Miraculorum J. C. cum Magorum Pharaonis , aliorumque ſeductorum prodigiis collatio . *ibid.* Veri miraculi characteres . 290. Miracula a Moyſe coram populo patrata. 327. Spinoſæ ſententia de prodigiis. 285.

Miſericordia & veritas plerumque conjunctæ. 391. Exceſſus miſericordiæ Dei . *ibid.*

Mithridates Eupator primus Pontum Euxinum ad paludem Mæotidem uſque novit. XLVI.

Mitra ſummi Sacerdotis ; ejus deſcriptio . 447. De ejus forma Joſephi , & interpretum ſententiæ. *ibid.* Mitræ minorum Sacerdotum in quo à ſummi Sacerdotis mitris differrent . *ibid.*

Mizraim pro inferiori Ægypto. 88. Regio poſterorum Mizraim . 92.

Moab ex inceſtu Loth cum filia ſua natu majori ortus. 146.

Moeris ſeu Myrrbina Pharaonis filia , qui infantulum Moyſem invenit. 315.

Mola ; a ſervis molæ circumagebantur. 344. In piſtrinis captivi , veluti in carcere includebantur , ubi laborem in ſegetibus molendis impendere cogebantur. 353.

Moloch , in tabernaculo delatus per deſertum. 389.

Moncæjus. Ejus de vitulo aureo ſententia. 474.

Moneta . Aſſyrii primi monetam cuderunt. LIII. Inter Græcos belli Trojani tempore adhuc ignota . *ibid.* Antiquiſſimæ Græcorum monetæ vetulos quoſdam ferreos , vel æneos referebant. *ibid.* Macedones aureæ & argenteæ uſum nonniſi ad publicas neceſſitates permittebant. *ibid.* Perſarum , Romanorum , Ægyptiorum , Phœnicum , Sinenſium &c. monetæ. *ibid.* & *ſeq.* Veterum Hebræorum moneta . LV. ejus valor ad noſtratem relatus. LVIII. Olim apud Judæos argenti & auri in virgas , laminas , vel maſſam redacti uſus in commerciis . LVI. Habueriotne ſiclos Davidis , aut Salomonis tempore cuſos. *ibid.* Quos cudit Simon Macchabæus inæqualis erant ponderis. LVII. Simoni Macchabæo cudendæ monetæ poteſtas a Syriæ rege facta. *ibid.* Moneta olim nomen deſumebat a figura , quam exhibebat . 511.

Monumenta ; antiquus monumenta erigendi mos ad ſervandam celebrium eventuum memoriam . 186.

Moriah , mons , in quo Abraham Iſaacum immolare debebat ; ejus ſitus . 155. An ibi Jacob myſticam ſcalam viderit . 185.

Morientes . Veterum mos claudendi morientibus oculos . 553.

Mors , diverſimode in Scriptura accipitur . 28. Mortis ſententia in Adamum ejuſque poſteros lata. 36.

Mortui diverſimode in Ægypto condiebantur . 273. Eorum laudes prædicabantur , antequam in tumulum inferrentur. 274.

Morum ſcientiam docendi duplex ratio . 581.

Morus Medius cortex mori , armis regii obſignatus , pro moneta expenditur apud Tartaros. LV.

Mos. Quanti interſit veterum mores noſcere , ut Biblia probe intelligantur. VII.

Meſech filius Japhet , Cappadocum pater. 81.

Moyſes. Turris Babelicæ narratio per Moyſem. XXXIII. Moyſis ortus , ac vitæ compendium. XI. An ejus nativitas fuerit prædicta. 313. Nilo exponitur , & a Pharaonis filia invenitur . 315. Moyſis nomen ei imponitur . Hujus nominis etymologia . *ibid.* Orſaſiph primum ejus nomen . 316. A filia Pharaonis adoptatur. *ibid.* Omnibus ſcientiis imbuitur. *ibid.* An Æthiopibus bellum intulerit . *ibid.* Fratres ſuos inviſit , ac Ægyptium occidit . 317. In regionem Madian ſe recipit . *ibid.* Ducit Sephoram. 318. Jethro greges agit. *ibid.* Deus ei ſeſe prodit ad montem Horeb. 319. Eum mittit , ut Hebræos educat ex Ægypto. 320. Moyſes hoc munus detrectat ; & in hoc an peccaverit . 324. 325. In Ægyptum redit. *ibid.* Pharaonem adit. 327. Deus Pharaonis conſtituitur. 332. Ejus coram Pharaone prodigia . 332. & ſeq. Abducit ex Ægypto Joſephi oſſa. 361. Mare rubrum diffindit . 364. Gratiarum actionis Canticum elucubravit . 367. Carnes populo promittit. 372. Aquas e rupe Horeb elicit. 376. In monte cum Aarone elatis manibus verſatur durante in Amalecitas prælio . 377. Aram exſtruit in hujus victoriæ gratiarum actionem. 378. Jethro ſocerum ſuum , Sephoram uxorem ſuam , ſuoſque liberos excipit. 379. An Sephoram repudiaſſet . *ibid.* Judices , ſuadente Jethro , conſtituit. 381. Sinai conſcendit. 383. deſcendit , & populum ad ineundum cum Domino fœdus parat. 385. Deum alloquitur , eique Deus reſpondet. 386. Dei nomen in Moyſe ; accepta a Deo authoritate locutus eſt . 410. A monte Sinai deſcendit , & populo Domini leges proponit. 412. Ad radices Sinai duodecim aras erigit. *ibid.* Montem rurſum conſcendit , ibique 40. diebus moratur 414. Sacerdotis munere fungitur , ſibique ſumit victimæ partes , quæ Sacerdotibus cedebant in cæremonia conſecrationis. Aaron. 461. Pre-

cibus

Digitized by Google

cibus ſuis iram Dei in vituli aurei cultores ſedat. 474. E monte deſcendit, & tabulas legis infringit. 475. Vitulum aureum in pulverem redigit & projicit in torrentem. ib. Deum alloquitur facie ad faciem. 479. Poſtulat, ut ſibi oſtendatur gloria Dei. 480. Deus promittit ei ſe oſtenſurum poſteriora ſua. 481. Moyſes ſecundas legis tabulas ſcribit. 483. Iterum 40. dies in monte tranſigit. 484. Deſcendit vultu coruſcante. 485. Tabernaculum ingredi prohibetur a nube illud operiente. 496. Leges Moyſis an ex Ægyptiis fuerint expreſſæ? 283. Moyſis ſtylus planus, & cohærens. 295. Moyſis character. X. Præter Moyſem nemo Pentateuchi author eſſe poteſt. ibid. Eventuum ſeriem ſecutus non eſt. ibid. Diviſio Pentateuchi in quinque libros ad arbitrium invecta eſt. XIV. Characteribus Phœniciis ſcripſit. ibid. ejus libri Græcos omnes antiquitate ſuperant. ibid. Geneſim exaravit in deſertis Arabiæ. XV. Divinus afflatus ejus ſcriptis infallibilem authoritatem affert. ibid. Quædam in ejus narratione immutata, & addita, ſed parvi momenti. X. Moyſes cum legumlatoribus Ethnicis collatus. XIII.

Muli, Ana authore, primùm editi. 222.

Multiplicatio Hebræorum prodigioſa in Ægypto. 309. 310.

Mummia Ægypti nonnullæ deſcribuntur. 275.

Mundus: ejus creatio. 21 & ſeq. Græcorum Philoſophorum ſententiæ de origine mundi. 3. Ægyptii eum credunt æternum. ibid. Quo anni tempore creatus fuerit. 6.

Munera benedictionibus olim ſociata. 210. Munera Templo in ejus dedicatione oblata. 487. Vetat Deus, ne Judices pro exercenda juſtitia munera accipiant. 380. ſubditi Principibus ſuis olim munera offerebant. 488.

Murex piſcis, quo purpura inficiebatur. 426.

Murmur Hebræorum in Moyſem ad Mare rubrum. 363 Ad Mara. 369. Ad Sin. 371. Ad Raphidim. 379.

Muſca. Deus muſcas, ſeu veſpas in Chananæos immittit. 428. Populi a Muſcis ſolum vertere coacti. ib. Muſcis Deus Ægyptum percutit. 335.

Muſica naturalis & artificialis. 300. Inſtrumenta Muſica a Jubal filio Lamech inventa. 45.

Myrrha mater Adonidis, circumſtantiæ fabulæ Myrrhæ ex hiſtoria Noe deſumptæ. 77.

Myrrha ex arbore ſponte emanans majori in pretio habita. 468.

Myrrhina, ſeu Mœris Pharaonis filia, qui infantem Moyſem invenit. 315.

Nabathæi, Arabiæ Petrææ populi, Nabajoth Iſmaelis filii natu primariis poſteri. 178.

Nabi, nomen, quo Ægyptii viros deorum munerum participes indicabant. 148. Ab Hebræis ad Prophetas deſignandos uſurpatum nonniſi poſt Samuelis ævum. ibid.

Nacho, ejus genealogia. 158.

Naid, regio, quo poſt occiſum Abelem Cain ſe recepit. 41.

Naphta Babylonica aqua communi extingui nequit. 142.

Nardus an in paludibus naſcatur. 468.

Naſamonitis regio, quam Ananæi incolebant. 92.

Naturalium rerum Scriptores quidam ea omnia, quæ de Gigantibus in cœlum arma ferentibus narratur de ventorum quodam ſpiritu, quo terræ viſcera concutiuntur, exponenda cenſent. XXIV.

Naves. Duo navium genera in uſu apud Phœnices. 86 Naves Tharſis pro navibus longi curſus. ibid.

Nazir, primus regni miniſter apud Perſas: ejus munia. 270. Hoc nomen Joſepho tributum. ibid.

Necoth; hujus vocis ſignificatio. 227.

Nembrod, filius Chus. Ejus nomen perduellem, apoſtatam ſignificat. 90. ejus immanis proceritas. ibid. Ejus violentiæ in proverbium deductæ. ibid. ejus regni primordia. ibid. Homines ad extruendam Turrem Babelicam adegit. ibi. ejus characteres cum Baccho confuſi. ibi. Gigas erat juxta Tilladet. XXXI. & Septuaginta XXXIV. Primus, ut creditur, extruendæ Babelicæ turris author. ibid. Utrum Nembrod, an Aſſur Niniven condiderit? XXXVII.

Nephim, nomen a Moyſe uſurpatum, ut Gigantes deſignaret. XXXI.

Nephtali cervo emiſſo comparatus. 269. Hujus tribus multiplicatio in Ægypto. ibid.

Nephtuim, populi Naphtæ & Ludim propinqui. 93.

Neſem de aurium, narium, vel frontis ornatu intellig poteſt. 165.

Nilus. Moyſis ævo non extabat hujus nominis fluvius in Ægypto. 126. ejus aquæ in ſanguinem immutatæ. 323. Ab Ægyptiis adoratus. 335.

Ninive, regni Aſſyrii caput, a Nembrodo condita. 90. Verus ejus ſitus ignoratur. ibid. A Nino non fuit ædificata, ſed reſtaurata, ampliata, munita, ornata. XXXVII.

Niobe. Ejus metamorphoſis in ſtatuam lapideam ex hiſtoria uxoris Loth expreſſa. 146.

Nitrum. Salis nomine ab Ægyptiis comprehenſum. 219. Ad cadavera condienda adhibitum. 143.

Noe, filius Lamech, ejus ortus. 52. Quando liberos gignere inceperit? ibid. Gratiam invenit coram oculis Domini. 55. Inter improbos non corrumpitur. ibid. Eis fruſtra pœnitentiam prædicat. 59. Arcæ Noachicæ deſcriptio. 56. Ex arca egreditur, & Domino ſacrificat. 69. Fœdus Dei cum Noe. 73. Præcepta a Deo Noe tradita juxta Rabbinos. 74. An ei permiſerit indiſcriminatim quolibet animantium genere veſci. 78. Interdictum ſanguinem comedendi. ibid. quomodo a Judæis explicatur. 78. Noe vites colere incœpit. 75. ejus ebrietas ſine peccato. ibid. Cur Chanaan maledicat. 76. An liberos poſt diluvium ſuſceperit. 77. Ejus mors. 76. Fuit figura J.C. ibid. Saturni fabula ex Noe vita expreſſa. 77. Ab Ægyptiis nomine Oſiridis cognitus. ibid. Regiones, quo filii Noe poſt diluvium ſe receperunt. 79. & ſeqq. Rabbini aratri inventionem Noe adſcribunt. 81. Noe 250. an circiter poſt Babelem vitam produxit. XX. Abraham biennio vel circiter ab obitu Noe ortus eſt. ibid. Pœna confuſionis linguarum an in Noe deciderit? ibid. Cum homines in varia orbis loca diſpergerentur, Noe, Sem, & Arphaxad in Meſopotamia & Chaldæa ſedes ſuas retinuerunt. ibid.

Noema, ſoror Tubalcaim, eadem ac Græcorum Minerva: artem nendi lanam invenit. 45.

Nomen: cur octavo tantum die a veteribus nomen imponeretur. 131. Signum auctoritatis eſt nomen imponere. 29. An Adam cunctis animantibus nomen indiderit. ibid. Eis nomina Hebræa impoſuit. ibid.

Nomen Dei Judæi non audent proferre. 330.

Nomina Deorum Græcorum omnia ferme ex Ægypto emanarunt. 296. Nomina Hebraica hominum, animantium, arborum, locorum, metallorum, eorum naturam, proprietates, defectus, & appellationis occaſionem exprimunt. XXI. Bocharti opus in Scripturæ *nomina ſignificativa*. ibid.

Noſcere aliquem ex nomine ſuo quid ſignificet. 480.

Nox quomodo apud Hebræos diviſa. LXXVI. Veteres populis, apud quos dies a nocte exordiebatur. ibid. Dividendæ noctis in tres vigilias ratio omnium vetuſtiſſima. ibid.

Nubes inter Iſraelitas, & Ægyptios media. 364. Nubes tabernaculum poſt ejus conſecrationem operiens. 496.

Nuditas. Cur Adam & Eva de eorum nuditate non erubuerint, niſi poſt peccatum? 30. An quia cæci juxta nonnullos hæreticos? ibid. Nuditas corporalis pudori & rationi oppoſita. ibid. Conſuetudine apud Græcos probatur. ibid.

Numerus Iſraelitarum, qui ex Ægypto egreſſi ſunt. 394. Linguarum, quæ ex confuſione Babelica emerſerunt. XVII.

Numitor avus conditoris Romæ an nepotem Romulum nomine habuerit. LXVIII.

Nummus. Mulierum Orientalium mos nummos in modum inauris deferendi. 211. Judæi nummos ex ære non habuerunt ante Simonem Macchabæum. LVI. Nummi Abraham, Moyſis, Joſue, David, & Mardochæi apocryphi. LVII.

Nun, pater Joſue: hoc nomen Hebraicum non eſt. 377.

Nundinæ ad portas orbis celebrabantur. 213.

Oblationes. Ratio Cainum edocuit Deum eſſe oblationibus colendum. 40. Fructus terræ ſolùm offerendi uſus antiquiſſimus. ibid. Exempla oblationum igne cœlitus emiſſo conſumptarum. 41. Oblationes panis per motum elevationis, & agitationis, quomodo Hebraice appellatæ. 461.

Obſtetrices Ægyptiæ mares Hebræorum infantes ſervant; & a Deo remunerantur. 313.

Obtrectatio vetita .416.

Oceanus unicum omnium terræ aquarum receptaculum habitus. 6. Euxinum fretum, non ſecus ac Oceanum Veteres metuebant. XLVI. Navigatio Oceani Indici parum cognita Salomonis ævo. *ibid.*

Oculus pro oculo s hujus legis ſententia. 406. Dominus, qui oculum ſervo ſuo eruit ad quid teneatur. 407. Quid in Scriptura ſignificet *oculos ſuper aliquem conjicere*. 349. Vetus mos oculos morientibus claudere. 353.

Og, Rex Baſan, a Moyſe devictus, juxta Rabbinos ante Moyſem vixerat. XXVI. Nonnulla de ejus proceritate ſive in ſcriptura, ſive à Rabbinis indicata. *ibid.* Ejus immanis proceritas. 54. Aquis diluvii ſe ſubduxit arcæ tectum conſcendens juxta Rabbinos. 59.

Ogyges. Diluvium Ogygis ſub regno Phoronei Argorum regis. Tempus, quod hoc diluvium præceſſit, a Græcis ut fabuloſum habitum. LXVI.

Oleum præſtans in regione Aſer. 368. Placentæ oleo ſubactæ, hoc nullus delicatior cibus noſcebatur. *ibid.* Mos vetuſtus petras, & idola inungendi. 186. Hinc forte emanavit olei uſus in conſecratione Eccleſiarum. *ibid.* Oleum candelabri aurei. 443.

Oliva, arbor ſemper viridis; ſub aquis etiam viget. 69.

Olympias. Græcorum Chronologia ante, ac etiam poſt Olympiades parum certa. LVII. Tres Olympiadum Epochæ. *ibid.* Timæus primus eſt, qui in hiſtoriam Olympiadum ſeriem invexit. *ibid.*

Omani; eorum regio in Arabia a Petra aduſque Characem. 169.

Omentum victimarum offerebatur ſuper altaris ignem. 460.

On, eadem ac Heliopolis, ſeu civitas ſolis; ejus ſitus. 242.

Onan, filius Juda: ejus ortus, crimen, & mors. 230.

Onyx ſuper ſummi Sacerdotis humeros. 448. Onyx Rationalis. 451.

Ooliab filius Achiſamech, peritus artifex, ſocius Bezeleel. 469.

Oolibama filia Anæ, & uxor Eſau. 222.

Ophaz; aurum Ophaz idem ac aurum Phaz & Uphaz, de quo Scriptura. 22.

Opher, filius Madian; regio quam frequentavit, antequam in Africam migraret. 370.

Ophir; variæ de regione Ophir ſententiæ. XLIV. Eadem ac regio ab Ophir filio Jectam habitata. XLV. montes Maſium & Tapyros interjacebat Mediam & Armeniam verius. *ibid.* Aurum Ophir idem ac aurum Pharaim. XLVI. Via, quam Salomonis Claſſis ex portu Aſiongaber in Ophir tenebat. XLVII.

Ophitæ anguem colebant. 31.

Opinio. Authores ſacri frequenter juxta opiniones a vulgo receptas locuti ſunt. 100.

Oracula ex figuris Magicis Ethnici elici poſſe credebant. 202. Oraculum Dodonæum ſortes ſuas lebetum ſonitu reddebat. 82.

Orientales, ſuorum Regum veluti captivi: 258. Eorum mos religionem & philoſophiam per ænigmata exhibendi. 432.

Origenes. Ejus ſententia de Gigantibus. XXIII. Celſo reſpondet, qui Moyſem turris Babelicæ hiſtoriam a Poetis ſumpſiſſe contendebat. XXXIII.

Orion: ejus ortus fabuloſus ex hiſtoria nativitatis Iſaac expreſſus. 137.

Ornatus Aaronis, & Sacerdotum. 445. Ornatus ab Iſraelitis derelictus ad radices Horeb poſt vituli aurei cultum. 479.

Orontes, fluvius ad quem ſita Emeſa, vel Emath. 96.

Orpheus; ejus ad inferos deſcenſus ex uxoris Loth hiſtoria confictus. 143.

Orſaſiph primum Moyſis nomen. 316.

Orus Iſidis filius, primus ſomniorum interpres. 236.

Oſculari manum, cultus Idolis exhibitus. 231.

Oſiris; hujus nominis etymon; an idem fit ac Joſephus? 276. Hoc nomine Ægyptii ſolem appellabant. *ibid.*

Oſſa agni Paſchalis non frangebantur, & cur. 349. Patriarcharum oſſa ex Ægypto deducta. 361. Oſſa extraordinariæ magnitudinis pluribus in locis inventa. XXVIII. Oſſa foſſilia a naturalibus colore, & forma differunt. XXXII.

Oſtraciſmus. Athenienſes eos cives qui nimia potentia eminebant, in exilium mittebant. 576.

Otium Reipublicæ, & ſocietatis peſtis. 36. Judæi otii inimici. *ibid.* Otioſi ultimo ſupplicio apud Ægyptios mulctati. *ibid.* Apud Athenienſes infamia laborabant. *ibid.*

Oves an bis in anno concipiant in Meſopotamia? 198. Summo in honore habebantur in tota Ægypto. 255. An paſtores deteſtarentur Ægyptii. *ibid.* Oves Sylveſtres olim occurrebant in Oriente. 157.

Pa, articulus Ægyptius. 313.

Padam-Aram; ea Meſopotamiæ pars, quæ in planitiem extenditur. 184.

Pagani. Prima eorum idola ex impolitis lapidibus efficta. 186. Expectabant, ut ignis cœlitus emiſſus eorum victimas abſumeret. 41. Manus oſculantur idola venerantes. 131. Figuræ magicæ ipſis oracula reddentes. 202. Hoſpitalitas penes ipſos ſacra. 137. Deorum apparitiones funeſtas cenſebant. 128. Quid de Sabbato ſenſerint? 398.

Pagina. Hoc nomen uſurpabatur ab antiquis, niſi ne latus illud voluminis, quod unice inſcribebatur, altero intacto deſignarent. XL. Paginæ voluminis, utrinque inſcriptæ, *tabellæ*, vel *tabulæ* dicebantur. *ibid.*

Paleſtina. In ea a nonnullis Paradiſus terreſtris locatur. 19. In ea raro pluit: ſed copioſus ros decidit. 182.

Palea Hebræis in Ægypto negatur. 328.

Palma. In palmeis foliis olim ſcriptitatum. XL. Palmeta Elim. 370.

Palus Mæotis a Mithridate Eupatore primum cognita, quomodo ad Pontum Euxinum ſita? XLVI.

Pandora, nomen a Poetis primæ fœminæ inditum. 32. A Diis iratis condita, ut homines infelices redderet. *ibid.*

Panes Propoſitionis; Eorum forma, pondus, & quo pacto menſæ coram Domino imponerentur. 434. Panes perforati. 536. Antiqui panem in caniſtris in menſam inferebant. *ibid.*

Panis & aqua pro quocumque cibo: 391. Veterum Græcorum & Hebræorum mos panem frangendi. 243. Mos eum coquendi in Ægypto. 334. Non ſecabatur ab antiquis. *ibid.*

Papyrus calami genus ad Nili ripas creſcentis, quomodo parabatur. XL. Varia papyri genera apud Romanos. *ibid.* Ejus vulgaris uſus nonniſi poſt Alexandri M. ætatem. *ibid.* Papyri Ægyptiæ uſus uſque ad decimum ſæculum in Europa manſit. *ibid.* Ex uno tantum latere plerumque inſcribebatur. *ibid.* chartæ, qua hodie utimur, origo incerta. *ibid.* Cortices, quorum apud veteres in ſcribendo uſus. *ibid.*

Paradiſus terreſtris, ſpiritualis tantum a nonnullis creditus. 19. Ejus ſitus in Armenia inter Tigris, Euphratis Phaſis & Araxis fontes. *ibid.* Quam variæ de ejus ſitu ſententiæ. 18. Fuit materialis ſimul & ſpiritualis. 16. In eo aderant cujuſcumque generis animantia. *ibid.* An arbor vitæ ab arbore ſcientiæ boni & mali differret? 17. Pro Adamo creatus fuit. 19. Adam ex eo ejectus: quamdiu inibi verſatus fit? 37. Cherubim reditum prohibentes. *ibid.* Adhuc ſubſiſtit, ſed omni decore nudatus. 16. ſine fundamento aſſeruntur Enoch & Elias eo tranſlati. *ibid.*

Parentes; qui eos percutiunt, vel contumeliis afficiunt, morte plectuntur. 404. Scriptura parentibus quoad eorum liberos nihil præcipit. 394.

Parricidium. Moyſes, ſicut & alii Legiſlatores de parricidio non loquuntur, perinde ac crimen hoc impoſſibile exiſtimaſſent. 404.

Parthi auro argentoque in armorum ſuorum ornamentum tantummodo utebantur. LIII. Veſtibus ſuis ſcribere malebant, quam in papyro. XL.

Paſcha. Paſchatis feſtum. 418. Paſchalis victima non immolabatur, quamdiu in ædibus fermentum adeſſet. 419. Præceptum celebrandi primum Paſcha. 346. Poterant ne hædi in Paſchate mactari? 347. Quinam eſſet numerus convenientium ad edendum paſcha? *ibid.* Quando paſcha immolandum? *ibid.* A quibus? 348. Aſſabatur igni. 349. Paſcharis quies. 351. Quamdiu hoc feſtum durabat. *ibid.* Octava Paſchatis dies ſolemnis erat. 352. Quinam debebant & poterant Paſcha celebrare. *ibid.* Fœminæ, & ſervi Hebræi non excludebantur. *ibid.* Paſcha Chriſtianum in Paſchate Judaico adumbratum. 351.

Paſtores Ægypto potiti quinam eſſent? Eorum regnum. 310. A Themoſi ex Ægypto ejiciuntur. 311. Ægyptii paſtores detestabantur. 255. Unde hæc averſio? erat ne generalis. *ibid.* Paſtores inferioris Ægypti reges. *ibid.*

Pater

Digitized by Google

Pater ſæpe in Scriptura dignitatis nomen. 241. Et apud plures populos. 251. Pro inſtitutore, & inventore. 44.
Patera ad effundendum victimarum ſanguinem. 441.
Patina ingentes, in quibus panes propoſitionis ſubigebantur. 434.
Patriarcha, an Sabbatum obſervarint. 16. Eorum poſtrema verba ſedulo excepta, & cur. 168. De annorum Patriarcharum numero inter Hebræum & Septuaginta differentia. 47. Quare a Septuaginta auctus? 48. Eorum anni 360. diebus ſaltem conſtabant. ib. Dei voluntas præcipua eorum diuturnioris vitæ cauſa. ibid. Patriarcharum oſſa ex Ægypto deducta. 361.
Patros, vel Thebais; populus Patros appellatus Phetruſim. 93.
Patroclus Achillis famulus. 377.
Pauper. Deus vetat pauperis partes contra jus tueri; 416. illumque injuria damnari. 417.
Paupertas, e Meſſiæ characteribus unus. 265.
Peccatum, diverſo adſpectu objectum eſt juſtitiæ & miſericordiæ Dei. 380. Peccatum pro peccati pœna uſurpatum. 148.
Peccatum originale ad omnes Adam poſteros tranſmiſſum. 23. Eo conciliantur complures, ut videntur, contradictiones in morali. 38.
Peculium; hujus vocis ſignificatio. 384.
Pedes nudi; Sacerdotes ſemper nudipedes in Templo. 467. Pedum nuditas in Templis vulgatis. 319.
Peirerius: ejus de Præadamitis ſententia. 18. retractata. ibid. Primus non eſt qui Præadamitas invexerit. ib.
Pelaſgi Dodonæi; eorum antiquitas. 87. Deos ſuis nominibus appellare Græcos eis victimas offerentes docuerunt. ibid. Eorum vita errabunda. 88.
Pellis; veſtes pelliceæ apud antiquos in uſu. 173. Pelles arietum rubricatæ an vellus eſſent natura rubrum. 428. Pelles janthinæ. ibid.
Pentapolis. Urbes Pentapolis, earumque ſitus. 141. Earum criminum exceſſus. 136. Pluvia ſulphurea & ignea abſumuntur. 142. Urbes cognomines ad maris mortui oras reædificatæ. ibid.
Pentateuchus omnium Græcorum voluminum vetuſtiſſimus. XIV. A Moyſe exaratus. X. characteribus Phœniciis. XIV. Quænam in eo legantur, quorum auctor Moyſes eſſe nequit. X. Ejus in quinque libros diviſio ad arbitrium invecta. XIV.
Pentecoſtes. Feſtum Pentecoſtes. 418.
Pergamena a Pergami rege inventa. XL. Duplex membranæ genus. ibid. Quæ in volumen convolvebantur, ex uno tantum latere inſcribebantur. ibid. Moyſis ævo nec membrana, nec papyrus adhuc erant in uſu. XLI.
Perire de medio populi; hujus locutionis explicatio. 351.
Permutatio; Vetuſtiſſima commerciorum ratio per rerum permutationem. LII. Apud Scythas vulgaris. LIV.
Perſa; eorum imperium idem ac Medorum. LXIII. Cauſæ obſcuritatis eorum hiſtoriæ. ibid. Diei initium ab ortu ſolis ducebant. LXVI. Bis in die comedebant. ib. 247. Mos ad menſam recumbendi ex ipſis ortus. ib. Diis victimarum *omentum* tantummodo, & aliquando omniſi illorum vitam offerebant. 460. Perſarum reges ſubditos ſuos tanquam captivos habent. 258. Variæ Perſarum ſalutandi rationes. 166. Monetæ uſus apud ipſos non obtinuit niſi poſt Darium Hyſtaſpis filium. LIII. Non cudebatur niſi in uſus & ſumptus neceſſaria. ibid. Hodie quoque non cuditur, niſi quam Regnum ineuntes congiario populis dando impendant. ibid.
Peſtis, qua Deus Ægyptiorum bruta percutit. 338.
Pfeiffirus. Ejus de carminibus Hebraicis ſententia. 399.
Phaleg filius Heber, ejus ortus diſperſionis Babelicæ tempore. 101.
Phantaſmata, oriente ſole evaneſcebant. 207. Phantaſmata tenebris Ægyptum operientibus. 342.
Phanuel, hujus vocis ſignificatio. 208.
Pharan, Arabiæ Petrææ urbs. 152. Montes cognomines prope Sinai. ibid.
Pharao nomen omnibus Ægypti regibus commune uſque ad adeptam a Chaldæis regionem. 116. Ejus ſignificatio. ib.
Pharao, Ægypti rex Sarai rapit, volens eam ducere; 115. Ob hunc raptum a Deo plagis flagellatur. ibid. Intactam Abrahamo reſtituit. ibid. Pharaonis ſomnia a Joſepho explicata. 240. Joſephum toti Ægypto præficit. ibid.
Pharao Ægypti rex, ſub quo floruit Moyſes, diverſimode appellatur. 317. An ab Angelo exterminatore occiſus fuerit. 353. Hebræos inſequitur, & cur. 363. Mare ingreditur, & ſubmergitur. 365. An evaſerit e naufragio. ibid.
Pharez, Juda & Thamar filius. 233. Fuit figura reprobationis Judæorum. ibid.
Phaſis, fluvius celebris, idem ac Phiſon in regione Eden. 21. Circuit omnem terram Hevilath. ibid. Aurum Phaſis idem ac aurum Phaz, Uphaz, vel Ophaz, de quo in Scriptura. 22.
Phervaim, Aurum Phervaim idem ac aurum Ophir. XLV.
Phetruſim, Patros, vel Thebaidis incolæ. 93.
Phiala; hujus vocis ſignificatio. 434.
Phidon, rex Argorum, in Inſula Ægina monetæ uſum invexit. LIII. An ejus author. ib. Quæ ea moneta illa. ibid.
Phihahiroth; hujus urbis ſitus. 296.
Philemon. Philemonis & Baucidis fabula ex hiſtoria Loth deprompta. 146.
Philiſtæi e Caphtor ſeu Creta oriundi. 94.
Philo; ejus de Poeſi Hebraica ſententia. 398.
Philoſophi: veterum philoſophorum de origine mundi ſententia. 4. & hominis. 17.
Phiſon idem ac Phaſis. 21. A nonnullis pro Gange per errorem accipitur. 25.
Phœnices ante eTyrum conditam Sidoniorum nomine noti. 95. E maris rubri litoribus in Phœniciam migrarunt. 89. Eis literarum & Scripturæ inventio adſcribitur. XXXIX. 78. Characterum Phœnicum origo. XLI. Iidem antiquitus, ac characteres Ægyptii. ibid. Phœnicum commercium & navigationes. XLVI. 78. Eorum Theologia, cujus auctor Thautus. 4. Ad Idololatriam latius propagandam non parum contulere. 110. Ante Græcorum in Oriente imperium nullam monetam cuderunt. LIV. Serius circumciſionem receperunt, quam diutius non retinuere. LI. Humanas victimas offerendi morem provexeruot. 157. In difficillimis eventibus filios ſuos immolabant. LI.
Phoroneus Inachi filius, & primus Argorum rex. LXVII. Tempora, quæ illum præceſſerunt, fabuloſa cenſent Græci. ibid. Diluvium Ogygium eo rege eveniſſe contendunt. ibid.
Phryges. Probari nequit linguam Phrygiam fuiſſe omnium vetuſtiſſimam. XVIII. Quid vox *Beccos* in idiomate Phrygio ſignificaret. ibid.
Phua & Sephora obſtetrices Ægyptiæ. 313.
Phut filius Cham; ejus nominis veſtigia in variis Africæ locis. 89. Cur Moyſes ejus genealogiam non deduxerit. 79.
Phylacteria Hebræorum quid eſſent. 158.
Pictores ex Hebræorum republica excluſi. LVII.
Pignus. Lex ad pignora ſpectans, quæ creditores a debitoribus accipiunt. 413.
Pincerna, officium unum è præcipuis apud Perſas & Ægyptios. 235. Pincerna, & piſtor Pharaonis in carcerem conjecti. ibid. Quodnam eorum crimen. ibid. Eorum ſomnia a Joſepho explicata. ibid.
Piſcis ab Hebræis inter reptilia recenſitus. 8. Piſcium creatio. ibid. An cum reliquis animantibus ad Adamum deducti. 28. Piſcis *murex* appellatus, quo purpura tingebatur. 425.
Pithom, hujus urbis ſitus. 312. eadem eſt ac Heroum. ibid.
Placenta oleo ſubactæ delicatior Regum cibus. 268.
Plaga Ægypti. 338. quibus Abimelech, totamque ejus familiam Deus percutit. 248.
Plantæ; vis a Deo terræ indita, ut illas producat. 6. Eas primùm edidit magis, minuſve matureſcentes juxta varias regiones. 7. An lethiferas Deus creaverit. 81.
Plato, tria hominum genera primum condita cenſet? 11. Ejus ſtylus poetico affinis. 300.
Plumarius acupictorem ſignificat. 436. 455.
Pluma; antiqua veſtes plumis exornandi conſuetudo. 455.
Pluvia an ante diluvium decideret. 65. & ſeq. Admodum rara in Ægypto. 339. Tempus duplicis pluviæ ſingulis annis in Palæſtina decidentis. 182. Pluvia ſulphuris, quæ urbes Pentapolis abſumpſit. 143.

Poeſis Hebræorum admodum inexplorata. 297. Ejus natura. An aliquam immutationem paſſa fuerit. 301. An Moyſis tempore extaret artificialis. *ibid.* Metrica poeſis & tempus & meditationem requirit. *ibid.* In quo ſit poeſis naturalis, & artificialis eſſentia? 300. Naturalis poeſis antiquitas. *ibid.* Antiqua naturaliſque apud Græcos poeſis. 301. Scaligeri de Hebræorum poeſi ſententia. 298.
Poetæ; eorum irridendæ de origine hominis ſententiæ. 57. An Ægyptii antiquitus poetas habuerint? 301.
Politia, in Iſrael conſtituta, tota divina. 279.
Polygamia a Lamech invecta. 44. An Abrahami ætate liceret? 127. Judæis vetita. *ibid.*
Pondera veterum Hebræorum. An duo ponderum genera haberent ſacrum unum, profanum alterum? LV. Ad latera lances & pondera deferebant. *ibid.* Inter Hebræos ſacerdos ponderibus & menſuris erat præfectus. 466. ſic etiam apud Ægyptios. *ibid.* Romani pondera & menſuras in Templis ſervabant; quod olim etiam in Chriſtianorum Eccleſiis obſervatum. *ibid.*
Pondus, ſeu certa quædam ſumma, ab Hebræis generico *Talenti* nomine indicata. LVIII.
Pontus Euxinus ab Antiquis veluti Oceanus habitus. XLVI. Ponti Euxini, & Oceani Indici navigatio Salomonis ætate non ſatis explorata. *ibid.* Mithridates Eupator primus Pontum Euxinum ad Paludem Mœotidem uſque cognovit. *ibid.*
Porphyrius Sanchoniatonis auctor. 157.
Portæ in Scriptura aliquando vires indicant. 158. Ad portas civitatis judicia, & nundinæ exercebantur. 213.
Præadamitæ. Quidde his præciſe docuerit Peirerius? 18. Syſtematis Præadamitarum auctor non eſt. *ibid.*
Præcepta, a Deo Noe tradita; juris naturalis fundamentum juxta Rabbinos. 74. Quænam ea ſint? *ibid.*
Prædeſtinati; Jacob prædeſtinatorum figura. 173.
Præſtigia Magorum Pharaonis. 187.
Primitiæ, decimæ: de his præcepta. 353. 419. Quomodo primitiæ in Templum deferrentur. 418. Ethnicorum quoad primitias cæremoniis. *ibid.* Primitiarum nomine oblationes voluntariæ aliquando intelliguntur. 435.
Primogenitura; in quo conſiſteret jus primogenituræ. 173. Eratne veſtis feſtiva, ut credidit S. Eucherius. 174. An potuerit alienari. *ibid.* Eſau ſuum primogenituræ jus Jacobo vendit. *ibid.* Hinc Simoniæ reus effectus. *ibid.*
Primogeniti. Deus primogenitos exigit. 357. 484. Qua ætate poterant Deo offerri. 414. Jeſus Chriſtus an ad hanc legem teneretur? 357. An omnia animalia domeſtica? *ibid.* Prædictio mortis primogenitorum Ægypti. 344. Nomen primogeniti non ſemper ad literam accipi debet. 350.
Principes Iſrael cum Moyſe montem Sinai ſcandentes, ubi Deus gloriæ ſuæ partem eis oſtendit. 423. Exigit nequit ſucceſſio Principum in Tribu Juda non interrupta, quo Jacobi prophetia ad Meſſiam ſpectans verificetur. 264. & ſeq.
Prodigia, quæ in tranſitu Erythræi contigere. 291. & ſeq.
Promiſſa, a Deo Abrahamo facta ejus liberos ſecundum ſpiritum præcipuè ſpectabant. 130. Promiſſio futurorum, ut præſentia confirmentur. 320.
Prophani. Varia eorum de linguarum origine ſyſtemata. XVI. & ſeq.
Propheta. Nominis prophetæ ampliatio in Hebraica lingua. 148. *Nabi* appellati ſunt prophetæ, nonniſi poſt Samuelis ætatem. *ibid.*
Propitiatorium quid eſſet, & ejus deſcriptio. 431.
Proſelyti juſtitiæ & domicilii inter Hebræos. 355. Cæremoniæ, quibus initiabantur. *ibid.* Eorum obligationes, & prærogativæ. *ibid.*
Proſtituere; mos ſe proſtituendi in honorem falſorum numinum. 232. Meretrices vultum obnubebant. 231. Plerumque in viis publicis ſedebant. *ibid.*
Proteus, Ægypti rex, inter mortuos vitulos medius. 360.
Proximus: proximo ſubveniendi præceptum. 416.
Pſammetichus Ægypti rex, indagaturus, quinam primi homines fuiſſent, & quæ lingua primæva quid egerit. XVII.
Pueri e victimarum carnibus non edebant, niſi 12. annum agentes in Templum veniſſent. 353. Pueri nomen viris ætate provectis a Scriptura tributum. 157.
Pulmentum; hujus vocis extenſio. 179.
Punitio Dei in patres & filios uſque ad tertiam & quartam generationem. 483.
Purificatio neceſſaria iis qui Diis vellent operari. 185. Quænam hæc purificatio. *ibid.* Erat ne puritatis interioris ſymbolum? *ibid.* Ethnicorum quoad purificationem mores. *ibid.*
Puritas quam Deus a populo ſuo exigit, ut in ſuæ infinitæ puritatis cognitionem eum deducat. 389. Oblati ſacrificii meritum cordis puritas eſt. 40.
Purpura. Varia purpuræ genera. 426.
Putei, in quibuſdam regionibus veluti bona ſtabilia maximo in pretio habebantur. 150. Arabes puteos obtegunt ſabulo, iiſque appictas notas ſoli norunt. 151.
Putiphar an eſſet vere Eunuchus? 217. Ejus in aula Pharaonis munus. *ibid.* Joſephum emit. *ibid.* In carcerem detrudit. 234. Idem ne eſt ac Putiphar carceris princeps. *ibid.* An cum Putiphare Sacerdote Heliopolis confundi debeat? 241.
Pyramides an ab Hebræis extructæ. 312.
Quadraginta dies Moyſes iterum in monte tranſigit. 484.
Quadrans ſolaris ab Anaximandro inventus. LXVIII. Quando Romæ videri cœptus. LXIX. Apud Hebræos ante regnum Ezechiæ ignotus. LXXI.
Quirie, populi ad Mediæ & Armeniæ montium radices. 84.
Rabbini; eorum Scripturam explicandi ratio. VII. ſæpius nos in errorem inducunt, quam inde eruant. *ibid.* Quo pacto prophetiam explicent de adventu *Siloh*. 266. Præcepta, quas Deus Noe ex arca egreſſo dediſſe contendunt. 74. Ea cenſent eſſe juris naturalis fundamenta. *ibid.*
Rachel filia Laban agendis gregibus occupata. 188. Jacobo promiſſa poſt ſeptennium ſervitutis. 189. Jacobo nubit. 190. Ejus ſterilitas. 191. A Jacobo liberos poſtulat. *ibid.* Patris ſui idola rapit. 208. Ejus mors. 218. Ejus ſepulchrum in via, qua Bethlehem itur. *ibid.* Fuit eccleſiæ figura. 188.
RaKiah; variæ hujus Hebraicæ vocis ſignificationes. 5.
Rameſſes, urbs ab Iſraelitis ædificata. 295.
Rameſſes rex, & urbs Ægypti. 257. 313. Caput terræ Geſſen. 257. 254.
Rameſſes Miamum Hebræos inſequitur. 311.
Rami Candelabri aurei. Eorum ordo. 454.
Ranæ, quibus Deus percuſſit Ægyptum, an fuerint recenter creatæ? 334. Quidam populi patriam deſerere a ranis coacti. *ibid.*
Raphaim Gigantes regionis Baſan a Chodorlahomor deleti. 120.
Raphidim, Statio Hebræorum ad Raphidim. 376.
Rationale; ejus deſcriptio. 449. 494. Hujus vocis etymologia. 430. Rationale & Ephod vittis & catenulis adnectebantur. 451. Rationale nota erat dignitatis Judicis, quam ſummus Sacerdos obtinebat. 453.
Rebecca, filia Bathuel, ab Eliezer in Chananitidem deducta. 167. Nupſit Iſaaco. *ibid.* Concipiendi vim Iſaaci precibus obtinet. 172. Quo ſe contulerit Dominum conſultura de duobus infantibus, quos in utero geſtabat? *ibid.* Quodnam reſponſum acceperit? 172. Ejus fides Dei promiſſis pro Jacobo. 179. Jacobum inducit, ut Iſaaci benedictionem ſurripiat. *ibid.* Gentilium figura fuit. 167.
Refluxus maris. An Hebræi refluxus maris opportunitatem captarint, ut Erythræum transfretarent? 293. Quid ſit maris æſtus. 294.
Reges Orientis in eorum menſam inferri jubebant quid quid regiæ domus miniſtris diſtribuebatur. 180.
Reges Ægypti antiquitus a populo electi. 310.
Regimen divinum in Iſraelitis, appellatum *Theocratia*. 279.
Regnum Dei in Iſrael & ejus Eccleſiam. 368.
Regnum Sacerdotale. Hebræi ſunt regnum Sacerdotale, populus electus. 384.
Rei capite minuebantur, antequam cruci affigerentur. 236.
Religio, æque ac mundus, vetuſta. 46. Ab Ægyptiis corrupta. *ibid.* Enos Cæremoniarum religionis inventor. *ibid.*
Repetitiones cur adeo frequentes in recenſione partium Tabernaculi? 489.
Raphaim, nomen uſurpatum ad innuendos Gigantes trans-jordanicos. Og Rex Baſan ex eorum genere erat. XXVI. Alii Rephaim, ſeu filii Rapha qui cis Jordanem urbem Geth incolebant. Ex horum numero erat Goliath. *ibid.*
Reprobi. Horum figura eſt Eſau. 173.

Repri-

Reptilia. Eorum creatio i. 8. Piſces reptilibus accenſentur. *ibid.*

Reſpondere ſignificat canere cum intercalari repetitione. 369.

Reſtauratores. Orientales ædificatæ urbis honorem reparatoribus adſcribunt. XXXVIII.

Revelatio; Duo revelationum genera ab Hebræis cognita, per prophetiam nempe, & per Spiritum Sanctum. 825.

Rex. Hoc nomen a Scriptura Judicibus, rectoribus, & Magiſtratibus attributum. 160. Obſervationes in Reges Edom. 220. Vetus mos dies regum natalitios celebrandi. 236. Quo pacto Regum Ægypti luctus fiebat. 374.

Rhodanus fluvius unde nomen ſumpſerit. 87.

Rhodus non potuit a Dodanim filio Caran ædificari; 87. Ejus primi incolæ circa Cecropis ævum. *ibid.*

Robertus Stephanus diviſionis Scripturæ in verſiculos anctor. VIII. Novi Teſtamenti interpunctionem conſtituit. IX.

Roma, a quo, & quo tempore condita. LXVIII.

Romani. Quænam eorum antiquæ monetæ. LIV. In agris & armentis potiſſimos proventus ſuos conſtituebant. *ibid.* Quo tempore annum exordiebantur. LXIX. eorum annus quinque temporibus conſtabat. *ibid.* Eiſdem ſeptimanæ ignotæ. *ibid.* 300. annorum ſpatio horæ a Romano ſolo abſentes fuere. *ibid.* Eorum dies, & menſes in 12. inæquales horas diſtributi. *ibid.*

Romulus. Extititne Numitoris filius hujus nominis. LXVIII. Quo tempore Romam condiderit. *ibid.* Annus Romuli decem menſibus conſtabat. *ibid.*

Ros largiter in Palæſtina & conterminis locis decidens pluviæ caritatem ſupplet. 181. decidens manna comitabatur. 378.

Ruben, Liæ filius, ejus ortus. 890. Ejus genealogia; 329. Ejus nomen ſignificat filium Viſionis. 190. Mandragoræ a Ruben repertæ. 193. Dormit cum Bala concubina Jacobi. 218. Ejus incontinentia a Jacobo exprobratur. 262. juribus ſuæ nativitati adnexis privatur. *ibid.* Tribus Ruben in Iſrael minimi habita. *ibid.*

Rythmi in veterum Hebræorum carminibus. An eorum poeſis rythmis omnino adſtricta fuerit? Hujus ſententiæ confutatio. 299.

Saba, filius Chus, quam regionem incoluerit. 89. Saba filius Rhegma, quam regionem trans Euphratem habitaverit. *ibid.* Saba, filius Jecſan. 169.

Sabatha, filius Chus, & Maſſabatarum pater. 89.

Sabbatum a nonnullis Ethnicis cognitum, & obſervatum. 15. Sententia Paganorum de Sabbato. 393. Deus Sabbato benedicens, an illud in ſuum cultum conſecraverit. 15. An Patriarchæ Sabbatum obſervarint. *ibid.* Lex obſervandi Sabbati. 470. 484. Judæi Sabbatum non cognoverunt, nec obſervarunt niſi poſt Moyſis legem. In quo ſtet obligatio obſervandi Sabbati. 392. Quinam ad Sabbati obſervantiam tenebantur. 393. Eo die manna non decidebat. *ibid.*

Sabec, hujus vocis ſignificatio. 157.

Sacamamba, mannæ genus in Indiis. 373.

Saccarum Veterum. *ibid.*

Saccai populi ad Arabiæ Deſertæ fines, Soë filii Jethuræ poſteri. 169.

Sacerdos ſummus, caput domus Domini. Ejus privilegia, ac dignitas. Quomodo ejus unctio peragebatur, & quo uſque duravit. 459.

Sacerdotes Ægyptii in eorum regione maximo in honore habiti. 384. Solis licebat nationis ſuæ annalia conſcribere. LX. In eorum anno ſacro nullam intercalationem admittebant. LXI. Sacerdotio Helliopolis Eunuchi tantum admittebantur. 241.

Sacerdotes Domini, eorum excellentia & prærogativæ 279. In Templo ſimplici tantum linea tunica veſtiebantur. 456. Quinam Sacerdotalibus muniis defungerentur ante conſtitutum in Aaronis familia ſacerdotium. 386. Quam puritatem Deus a Sacerdotibus ſuis exigat. *ibid.* Sacerdotis unctio an iteraretur, cum muneris ſui exercitium iniret. 496. Sacerdotibus concedit Deus armum, & pectus pacificarum victimarum. 462. Summus Sacerdos judicis dignitatem, cujus nota Rationale erat, obtinebat. 453.

Sacerdotium an ante legem primogenito adhæreret. 174.

Sacrificium in ſolemni fœdere uſitatum: 124. Quinque animantium genera a Judæis in ſacrificiis oblatorum. 60. Mos ſacrificia incruenta offerendi omnium antiquiſſimus. 40. Sacrificiorum exempla igne cœlitus demiſſo abſumptorum. 41. Eorum meritum ab offerentis cordis puritate æſtimatum. *ibid.* Prima ſacrificia falſis Numinibus oblata. 109.

Sal; hoc nomine Ægyptii nitrum & bitumen comprehendebant. 119. Hebræi materias acres, & ad concipiendum ignem idoneas. 843. Salis nitri ad condienda corpora uſus in Ægypto. 144. Salis corpuſcula in ſanguine diffuſa. *ibid.* An ſal thuri Domino oblato immiſceretur. 152. Sal pro Sulphure. 142. Sal in tabellis moneta apud Æthiopes. LV. Pactum ſalis pro perpetuo fœdere. 144.

Salatis, Rex Paſtorum in Ægypto. 386.

Sale pater Heber, & a nonnullis idem ac Cainam creditus. 99.

Salem, urbs Sichimitarum, ejus ſitus. 122. Eadem ac Jeruſalem. *ibid.*

Salire pro balſamo condire, vel ſuffire. 144.

Salmei, ſeu Cinæi, Arabiæ populi prope Salmonam. 116.

Samarei; eorum ſedes Emeſa Cœleſyriæ urbs, & Simyra prope Orthoſiam. 96.

Samaritanus textus alicubi cohærentior eſt, quam Hebraicus Judæorum. 344. Samaritani Moyſis libros habent vetuſtis characteribus Phœniciis exaratos. XIV.

Sanchoniaton, auctor a Porphyrio ſuppoſitus. 152.

Sanctificare aliquando ſignificat rem ab uſu communi & vulgari ſecernere. 385.

Sanctuarium quid? 430.

Sanguis; animalis anima in ſuo ſanguine contenta. 71. Interdictum comedendi ſanguinem & Apoſtolis & Concilii repetitum. *ibid.* An adhuc inter Chriſtianos vigeat? *ibid.* Quomodo a Judæis explicatum. *ibid.*

Sanguis agni paſchalis, quo diſtinctæ Hebræorum domus in Ægypto, ſymbolum eſt ſanguinis J. C. 349. Sanguis circum altare effuſus. 460. Sanguis ſuper extremum auris dexteræ, & ſuper pedum manuumque Sacerdotum pollices poſitus. 468. Sanguis & oleum immixta, quibus Aaron, ejuſque veſtes aſpergebantur. *ibid.* Sanguis ſuper altaris cornua poſitus. 450. Aquæ Nili in ſanguinem converſæ. 333. Sanguis vitis pro vino. 266. Arabes ſibi invicem ſanguinem eliciunt fœdera ineuntes. 326. Idem præſtant in connubiis Elamitæ. *ibid.*

Sapientes; obſervationes ſuper Ægyptiorum Sapientum vita. 339. Sapientes Legis a tribus Simeon deſumpti. 264.

Sapientia; hoc nomen in bonam ac malam partem uſurpatur. 318. pro præſtantia in artibus accipitur. 470.

Sapphirus, lapis pretioſus, in Media præcipue inventus, nomen ſumpſiſſe potuit a Saphiris, Medis conterminis. 81. Scriptura ſapphiri colorem adſcribit firmamento, throno Domini, & loco ubi ſenioribus Iſrael ſe prodidit. 483. Sapphirus Rationalis. 450.

Sarai, Abrahami ſponſa, alia a Jeſcha filia Arag. 80. Quonam in ſenſu eſſet ſoror Abrahami. 115. 148. Rapitur ab Abimelech. 147. Abrahamo reſtituitur. 148. Rapitur etiam a Pharaone. 115. intacta Abrahamo reſtituitur. 116. Ab Agar contempta. 127. Abraham ei dat jus vitæ & necis in Agar. *ibid.* Ei Saræ nomen Deus indit, & quid illud ſignificet. 131. Angeli ei filium promittunt. 135. De quo diffidens Sara ridet. 136. An Abrahami conſilium Iſaacum immolandi noverit? 155. Ejus mors. 159. tumulus in Hebron. 161. Fuit Eccleſiæ, & S. Virginis figura. 133.

Sarandib, maris Orientalis inſula, *Arebenda*, vel *Sumatra* appellata. 37.

Saraceni nomen ſumpſerunt a Saraha, quod in eorum lingua *furari* ſignificat. 127. In Caſſiotidem in Iſthmo inter marem rubrum & mediterraneum migrant. 93.

Sarcina quibus opprimebantur Hebræi in Ægypto. 312.

Sardanapalus: ab eo deficiunt Medi, ſolicitante Arbace. LXII.

Sardius lapis pretioſus Rationalis. 449.

Sarug, filius Reu, ejus ortus. 109. An ejus ævo adſcribenda idololatriæ origo *ibid.*

Saturnus Græcorum Abrahami ævo poſterior. 157. An homines immolandi morem invexerit? *ibid.* Saturni fabulæ ex hiſtoria Noe expreſſæ. 77.

Satyri, homines imperfecti, juxta Rabbinos, eo quia Deo deſu-

Digitized by Google

fuerit tempus illos perficiendi ante initium Sabbathi. 16.

Save-Cariataim trans Jordanem alia ab urbe Save in valle Regis. 122.

Saul filius Simeonis, & Chanaatidis, an ſit Dinæ filius? 254.

Scaban; hujus vocis explicatio. 448.

Scala, Jacobo viſa, & ubi? 585. Hujus myſticæ ſcalæ explicatio. *ibid.* Liber Scalæ Jacobi. *ibid.*

Scaliger; ejus de Hebræorum poeſi ſententia. 598.

Scena veteranorum inferioris Ægypti urbs. 595.

Schaliſchim erant primi Ægypti miniſtri, Aderant etiam in Perſide, & alibi. 363.

Schani, vermiculi nomen, cujus in tingenda purpura uſus. 426.

Schesch byſſum ſignificat. 241. Veſtis Scheſch quid eſſet? *ibid.*

Schoem; variæ de vocis hujus ſignificatione ſententiæ. 25.

Schola Mahumetanorum. Ratio, qua in iis ſtudent. 358.

Scientia: arbor ſcientiæ in medio Paradiſi. 26. Quænam eſſet Adami ſcientia juxta Hebræos. *ibid.* Scientia boni & mali pro perfecta rerum omnium cognitione. *ibid.* Ægyptiorum ſcientiæ in quo conſiſterent 316.

Scinipheo, quibus Deus Ægyptum percutit; eorum deſcriptio. 335.

Scolia, poeſis minimè artificialis, ſed naturalis genus apud Græcos. 501.

Scriba; eorum munia. 864. Hic titulus Meſſiæ convenit. *ibid.*

Scribere. Variæ veterum ſcribendi rationes. XXXIX. Omnium vetuſtiſſima imagines in lapide lignove inſculpere. *ibid.* Scripturæ lino commiſſæ apud veteres. XL. Phœnicii Scripturæ authores. 78.

Scriptura ſacra. Prophetarum & Patrum Scripturæ ſtudium. IV. Methodus, quam in Scripturarum explanatione ſecuti ſunt Veteres. *ibid.* Decimo elapſo ſæculo ſcripturæ ſtudium ſcholaſtico ritu peractum eſt. V. Difficultates ſcripturæ litera contantæ. VI. Diviſio librorum ſacrorum in capita, & verſiculos. VII. Quænam ratio habenda de ſcripturæ ſilentio in materia facti. 550.

Sculptile; vocis hujus ſignificatio. 383.

Sculptores ex Hebræorum republica excluſi. LVII.

Scyphus. Joſeph ſcyphum ſuum in ſacco Beniamin poni jubet. 249. Scyphus divinatorius Aſſyriorum, Chaldæorum, & Ægyptiorum. *ibid.*

Scythæ, iidem ac Cuthæi poſteri Chus. 24. Eorum prima ſedes ad Araxem. *ibid.* Eorum antiquitas. 79. Eorum commercium per rerum vicem. LV. Varii populi Scytharum nomine noti. 79.

Sebeon utrum Hevæus eſſet, an Hethæus. 180. Ejus genealogia. 522.

Segor urbs Moab ad orientalem maris mortui oram. 141. Eo ſe recipit Lot ejuſque familia. *ibid.* An Loth diſcedente abſorpta fuerit? *ibid.*

Sehir; poſteri Sehir. 222. Montes Sehir ad Orientem Chanaanitidis trans mare mortuum. 120. Horræi primi Montes Sehir incoluerunt. 222.

Sela, filius Juda; ejus nativitas. 230. Injuſtitia Judæ illum Thamari in ſponſum tradere venuentis. *ibid.*

Sem, filius Noe; ejus ortus. 55. Patris nuditatem operit. 76. A Noe benedictione donatur. 78. Ex ejus familia ortus Meſſias. *ibid.* Tentoria Sem a Japhet poſſeſſa, figura converſionis Gentilium. *ibid.* Ejus genealogia. 97. Pater fuit omnium populorum trans Euphratem. *ibid.* Ethnicis notus nomine Plutonis & Typhonis. 79.

Semiramis femoralium inventrix. 457.

Seniores Iſrael Senatum conflabant in Ægypto. 321. Seniorum nomen vulgare ad Magiſtratus innuendos. *ibid.*

Sennaar, ſitus & amplitudo Terræ Sennaar. 106. Poſteri Noe eò non convenerunt niſi diu poſt diluvium. *ibid.* Sem, Cham, & Japhet primi in Sennaar planitie ſedem fixerunt. XXXIV. Turris Babelica in planitie Sennaar. 106.

Sententia abſolutionis ut ferretur, ſatis erat, ut judicum abſolventium ſuffragia duobus damnantium ſuffragia excederent. 458.

Sephar regio Saraparorum in Armenia. 51. Regio filiorum Jectan a Meſſa uſque ad Sephar. 102.

Sephora & Phua obſtetrices Ægyptiæ. 313.

Septentrio in Scriptura per dextram deſignatus. 117.

Septuaginta errarunt in Chronologia. 90.

Serapis; hujus vocis etymon; idem ac Joſeph. 276. Serapis numen novum eſt in Ægypto. *ibid.*

Sermo. Hominibus data non fuit certa ſermonis ratio, quemadmodum ſua habent bruta quælibet ſigna, veluti clamores, ſibilos, cantus. XVIII.

Serpens animantium calidiſſimus. 31. Eva quomodo per ſerpentem tentata. *ibid.* An loqueretur? *ibid.* Inimicitia fœminam inter & ſerpentem. 34. Applicatio maledictionum, quas Deus in illum protulit. *ibid.* Ejus caput a Meſſia contritum. *ibid.* Hiſtoria tentationis Evæ per ſerpentem quo pacto contra Julianum Apoſtatam defenſa. 31. Hujus hiſtoriæ veſtigia in profana antiquitate. *ibid.* Cultus ab Ophitis ſerpenti exhibitus. *ibid.*

Seth, filius Adam; ejus ortus. 46. Ei adſcribitur Hebraicarum literarum, et nominum aſtrorum inventio. 49. Filii Seth appellati filii Dei, ut ab improbis diſtinguerentur. 46. Religionis cæremoniæ ejus tempore ſtatutæ. *ibid.* Datus eſt Evæ in pignus reſurrectionis futuræ. 49. Ejus mors. *ibid.* Sethiani hæretici, qui Seth veluti Meſſiam coluere. *ibid.*

Setim. 458. Lignum ſetim idem ac Acacia nigra. 429.

Sichem filius Hemor Dina abutitur. 211. Ejus criminis pœna ab omnibus Sichemitis repetita. 214. Urbs Sichem Joſepho tradita. *ibid.* Quomodo dicat Jacobus eam a ſe gladio & arcu ſuo captam? *ibid.* Sichemitarum fœdus cum Jacobi familis. 213.

Siclus, commune rebus omnibus pendendis pondus. LV. Siclus Hebraicus cæteris vicinarum gentium pondere præſtabat. LVI. Sicli a Simone Macchabæo cuſi. LVIII. Non erant æqualis ponderis. *ibid.* Sicli recens in Hollandia cuſi, Davidis & Salomonis ætatem mentientes. LVI. Sicli Judæ traditi in pretium ſanguinis I. C. LVII. Si quæ fuit differentia inter Sanctuarii ſiclos & communes, ea tantum extit poſt reditum a captivitate. 468.

Sidon; hoc nomen *peccatum* ſignificat. 95. Dubitatur, an fuerit nomen proprium primoris natu Chanaan. *ibid.* Sidon ad Chanaanitidis ſeptentrionem in Mediterranei litore. *ibid.*

Sidonii, nomen quo veniunt Phœnices ante Tyrum conditam. 95.

Sigillum ab Hebræis in manibus delatum. 358. Mos ſigillo obſignandi epiſtolas nonniſi poſt bellum Trojanum invaluit. XLII. Teſtes obſignabant inſtrumenta coram ipſis confecta. Hic mos in Oriente & apud Hebræos vulgaris. *ibid.* Obſignandi ratio apud Romanos. *ibid.*

Silentium. Quænam ratio haberi debeat de Scripturæ ſilentio in materia facti. 244.

Sileh; hujus vocis ſignificatio. 264. In Jacobi prophetia Meſſiam innuit. *ibid.*

Simeon Jacobi & Liæ filius. 190. Ejus nativitas. *ibid.* Fuit infenſior Joſephi inſectator. 526. Ejus punitio. *ibid.* Simeon & Levi Sichemitas omnes interficiunt. 214. Hujus facinoris perfidia, & crudelitas. *ibid.* A Jacobo improbata. 263. Doctores Legis e Tribu Simeon deſumpti. *ibid.*

Simeon; ejus genealogia. 329.

Simon Machabæus a Syriæ rege monetam cudendi facultatem accipit. LVII. An eam in Judæa cudendam curaverit? *ibid.* Sicli ejus ævi non æqualis ponderis ſunt. *ibid.*

Simon; D. Simonii ſententia de modo, quo Babelica linguarum confuſio contigit. XVII

Simonia. An Eſau ſuam primogenituræ jus Jacobo vendens, Simoniam commiſerit? 174.

Sin; Deſertum Sin. 371.

Sinai. A Terra Geſſen ad Sinai trium tantum dierum iter. 322. Caſtrametatio Sinai. 383. Sinai ardens undique apparuit, Domino legem ſuam Iſraelitis dante. 386.

Sinæi, poſteri Chanaan; eorum ſedes Monti Libano propinqua. 95.

Sinenſes. Eorum nummi. LV.

Siniſtra in Scriptura ſeptentrionem deſignat. 117.

Siſuthrus ab Ethnicis cum Noe confuſus. Quid de eo narrent Alexander Polyhiſtor, & Beroſus ab Abideno citatus. XXXIII.

Siſuthrius, ut videtur, Noe. 58.

Smaragdus Scythicus pretioſior. 52. Lapis Rationalis. 449.

Socoth, urbs ad Orientem Jordanis. 510. Secunda Iſraelitarum ſtatio. 595. urbs in Ægypto. 354.

Sodoma; ejus ſitus. 119. Rex Sodomæ a Chodorlahomor deſciſcit. *ibid.* Sodomæ crimina completa. 145. Suorum incolarum corruptio. 139. Filiæ Sodomæ cum ea abſumptæ. 142.

Sobana

Sobana ſmaragdum ſignificat. 427.

Sol creatus ad deſignanda tempora, & tempeſtatum ſeriem. Quo die fuerit creatus? 4. 7. Anima & ratione præditus a Philoſophis creditus. 8. Idem eſt ac Oſiris, Numinum Ægyptiorum antiquiſſimus. 110. Figuræ ſoli ſacræ. 592. Adoratur in Oriente veluti numen nativitati præſidens. *ibid.* Mos Ethnicorum ei ſua ſomnia enarrandi. 236.

Solea. Moyſes ſoleas ob reverentiam ſolvit. 319. Ægyptii nonniſi iter facientes ſoleas deferebant. 350. In Templa ſoleatus ingrediebatur nemo. 319.

Solon; ejus leges ligno primum & petræ inciſæ. XXXIX. Athenienſium menſes & annum dirigit. LXVII.

Somnia. Antiqua conſuetudo præſertim in Ægypto ſomniorum interpretationem quærendi. 236. An Iſis ſomnia interpretandi artem invenerit? *ibid.* Ethnicorum mos ea Soli enarrandi. *ibid.* Duorum Pharaonis miniſtrorum ſomnia a Joſepho explicata. *ibid.* Bis idem videre ſignum eſt ſomnii ſignificativi. 238. Quid portenderent apud Veteres animalia cornigera per ſomnium viſa? 240.

Specula mulierum Iſraelitarum. 491. Quinam eorum uſus? *ibid.* Antiquorum ſpecula ex quocumque metallo. 492.

Spica. Menſis ſpicarum, ſeu menſis Abib. 358. Primus menſis anni ſancti inter Hebræos. 346.

Spina. Terra Spinis gignendis damnata ob Adæ peccatum; quas tamen non antea produxiſſe ex hoc argui nequit. 36.

Spinoza; ejus de miraculis ſententia. 285.

Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas; & quis hic ſpiritus. 3. Per Spiritus Sanctum revelatio. 825.

Spiritus an poſſit motum indere materiæ? 287. Spiritus naturalem in corpora potentiam habent deo volente. 588.

Sponſalia. Hebræi diutinum tempus inter ſponſalia & connubium ponunt. 140. Infidelia poſt ſponſalia ut adulteria plectebatur. *ibid*

Sponſus Sanguinum. Hujus locutionis explicatio. 326.

Stacte, mirrha ſponte defluens. 468.

Stapedum uſus recens. 164.

Statua; Judæi nullas ſtatuas neque in ſuis ædibus, neque in Synagogis patiebantur. LVII. Sculptores, ſtatuarii, & pictores nulli in eorum republica aderant. *ibi.* Jubet Deus dejici ſtatuas in Chananitide exiſtentes. 420.

Stilus, quo veteres ad ſcribendum utebantur; erant ferri, vel ærei, vel oſſei; eorum deſcriptio. XXXIX. In vagina reconditi ad latus deferebantur. XLIII.

Stola, fœminea veſtis, viris in Oriente communis. 252.

Styrax; ſtoracis varia genera, natura, qualitates. 246.

Suarii; eos averſabantur Ægyptii. 255.

Sulcus; Mos veterum locorum diſtantiam ſulcorum longitudine dimetiendi. 217.

Sulphur; pluvia ſulphuris, quæ in urbem Pentapolis decidit. 542. Sal pro ſulphure uſurpatum. *ibid.*

Superbia, omnium delictorum origo. 32. Protoparentes noſtri ſuperbia peccarunt. *ibid.*

Supplicia Hebræorum varia. 402.

Sur. Deſertum Sur, in quo aqua non aderat. 369.

Sycion; Regni Sycionis fundatio celebris eſt epocha, ſed incerta in Græcorum Chronologia. LXVII.

Synagoga in Agar adumbrata. 131. Ejus reprobationis figura in Eſau ſubjectione Jacobo. 172.

Syri a quo circumciſionem acceperint? LII. Ab oriente ſole diem exordiuntur. LXVI.

Syrias, vel *Sebiras* prope Galgal in territorio Jericho. 55. Poſterorum Seth columnæ in Syriade. *ibid.*

Syringes, loca ſubterranea, ubi prima hieroglyphica inciſa fuiſſe dicuntur. 56.

Syſtemata prophanorum, qui ſub Saturno homines & Bruta idem idioma habuiſſe crediderunt. XVI. Caſui hominis creationem adſcripſere. *ibid.*

Tabella, ſeu *Tabula* antiquitus paginæ erant libri utrinque inſcripti. XI. Tabellæ quibus veteres ad ſcribendum utebantur; earum materia, & forma XXXIX. In iis ſcribebantur Principum edicta. XLII. Quo pacto obſignarentur apud Romanos. XLIII.

Tabernaculum. Moyſes Tabernaculum longe a caſtris transfert. 479. Tabernaculi fœderis deſcriptio. 437. Ejus erectio & dedicatio. 487. Erat veluti templum geſtatorium, ſeu Tabernaculum Dei & regis Iſrael. 430. Tabernaculorum feſtum quomodo, & quo tempore celebrabatur. 418.

Tabula Panum Propoſitionis; ejus deſcriptio. 433.

Tabula. Mos antiquorum ſcribendi in tabulis. XXXIX. Erant plumbeæ, æreæ, ligneæ, lapideæ, eburneæ; earum deſcriptio. *ibid.*

Tabula, in quibus Veteres acta judiciorum ſcribebant, Zanides appellatæ. *ibid.*

Tabula Tabernaculi; earum deſcriptio, magnitudo, craſſities. 438.

Tabula Legis erant e petra impolita, & utrinque inſcriptæ, XLI. 475. An perforatæ fuerint. *ibid.* A Moyſe confractæ. *ibid.* Tabulæ Teſtimonii manu Dei ſcriptæ. *ibid.* An Moyſes ſcripſerit ſecundas tabulas, quas Deus poſt primas dedit? 483.

Talentum, vox generica ab Hebræis uſurpata ad ſignificandum peculiare pondus vel ſummam, LVII.

Talio; lex talionis. 406. Statuta. 73. Bruta hominem occidentia talionis legi ſubdita. *ibid.* Talionis lex an ad literam accipi debeat? 406. Toleratur ſimpliciter, ſeu permittitur. *ibid.* Erat in uſu apud Græcos & Romanos. *ibid.* Robur accipit a legibus Canonicis. *ibid.* An hæc lex ultionem permittat. *ibid.*

Taliſmanes apud Orientales omnes in uſu. 205. Teraphim Labani an eſſent Taliſmanes. *ibid.*

Tanis urbs Deltæ. An in ea regias ædes haberet Pharao? 342.

Tanninim, omnia animalium extraordinariæ longitudinis genera. 9.

Tapſacus locus, quo Gerræi adnavigabant. XLVII.

Tartari, Gog & Magog poſteri. 80. Eorum moneta eſt medius cortex mori, armis regiis obſignatus. LV.

Taurus mons prope Tigrim. 24.

Tela olim e ſuperiori ad inferiorem partem ducto tegmine texebatur. 454.

Templa geſtatoria olim uſitata. 431. Horum templorum antiquitas. *ibid.* Vulgaria non erant templa Moyſis ævo. *ibid.* Nemo calceatus Templum ingrediebatur. 319. Græcorum templa a Xerſe Perſarum rege combuſta. 153.

Templum an extaret Abrahami ævo? 153. Templum Herculis Gaditanum. 443.

Tenebræ palpabiles in Ægypto. 348. Phantaſmata, quæ in ea obſcuritate apparuere. *ibid.*

Tentare. Deus Iſraelitas tentat. 371.

Tentatio, locus ita dictus. 377.

Teraphim Labani quid eſſent? 202. Eorum deſcriptio juxta Rabbinos. *ibid.* Eorum figura. *ibid.* An eſſent Taliſmanes. *ibid.* Virtutem ſupernaturalem eis tribuebat Laban. *ibid.* Eos adorabat Rachel, non ſecus ac Lia. *ibid.* Quare eos furata fuerit Rachel. *ibid.* An iidem eſſent ac Urim & Thumim ſummi Pontificis? 452.

Terebinthus. Jacobo Deos alienos ſubter terebinthum infodit. 256.

Tergum. Videre Dei poſteriora quid ſit? 482. Ethnici credebant Deorum frontem videri non poſſe, & faciem ad faciem, ſed tantum a tergo. *ibid.*

Terra. Creatio Terræ. 2. Fœcunditate a Deo donatur. 6. Propter Adæ peccatum maledicitur. 35. An antea ſpinas gigneret? 36. Terra ſuos incolas devorans. 368. Terra Ægyptios vomavit; hujus locutionis ſenſus. *ibid.*

Teſtimonium. Lex cur appellata teſtimonium. 431. Teſtimonium impii non admittitur. 416. Tabulæ teſtimonii manu Dei ſcriptæ. 475.

Textores quomodo antiquitus opus ſuum exercerent. 454.

Thadal Rex nationum an fuerit rex Galilææ Gentium. 119.

Thalaſſar, regio in Provincia Eden, vel Aſſyriæ proxima. 119.

Thamar Uxor Her, & Onam filiorum Juda. 230. An filia eſſet Sem, vel Melchiſedech? 232. Vidua remanet, & ad patrem ſuum redit. 230. An poterat iterum nubere Juda conſenſum non præbente? *ibid.* Ejus inceſtus cum Juda. 231. In quo minus rea, quam Juda. *ibid.* A Juda igni damnatur. 232. An gravida combuſta fuiſſet, vel candenti ferro in fronte notata. *ibid.* An Judas eam in uxorem retinuerit? 233.

Thamnas eadē ac Thamna in Territorio Dioſpolitano. 230.

Thare, pater Abraham; ejus ortus, 110. Fuit idololatra. *ibid.* Ejus impietas immatura ejus filii Aran morte mulctata. *ibid.* Abrahamum ſuſcepit 130. annos agens; 210. deſerit Ur Haran migraturus. *ibid.* Ejus mors. 111.

Tharſis eadem ac Tharſus urbs Ciliciæ caput. A Tharſis filio Jovan condita. 85. Tharſis in Indiis male locata. *ibid.* Naves Salomoniæ an poſſent ab Aſiongaber Tharſim proficiſci. 86. Naves Tharſis pro longi curſus navibus. *ibid.*

Thautus a Sanchonistone creditus Auctor Theologiæ Phœniciæ. 4. Ejus de origine mundi ſententia. *ibid.*

Thebet nomen fiſcellæ, in qua expoſitus fuit Moyſes. 315.

Thema, Arabiæ Deſertæ regio, a Thema Iſmaelis filio incolis frequentata. 171.

Theman filius Eliphaz & Themanitarum princeps. 281.

Theman ſignificat in Scriptura totam regionem, quæ ad Chananitidis meridiem jacet. 223.

The-

Digitized by Google

Thomoſis Ægypti rex Paſtores expellit. 311.
Theocratia, divinum regimen in Iſrael. 279.
Theodoretus linguam Syram, ſeu Chaldaicam eſſe primævam contendit. Refellitur. XIX.
Theologia ænigmatica Orientalium, & præſertim Ægyptiorum. 433. Theologia Phœnicia, cujus auctor eſt Thautus juxta Sanchoniatonem. 4.
Thephilim Hebræorum quid eſſent? 358.
Thermutis Pharaonis filia quæ Moyſem invenit. 355.
Thiras Japheti filius an Thraciam frequentarit? 82.
Thot, ſeu ſecundus Mercurius primus in Ægypto vulgaribus characteribus uſus eſt. XLI. An auctor anni 365. diebus conſtantis. LXI.
Thracia a Thiras Japheti filio frequentata. 82. Veteris Thraciæ amplitudo. *ibid.*
Thus quodnam ſit præſtantius, & unde proveniat? 468.
Tigris fluvius appellatus a Veteribus Diglito, ſeu Diglat. 24. Ejus fons in majoris Armeniæ planitie. *ibid.* Veterum nonnulli ejus originem inde deducunt, ubi e monte Tauro effluit. *ibid.* Olim eadem erat Tigris atque Euphratis origo. 22.
Timæus primus author Olympiadum ſucceſſionis, ut hiſtoriæ ſerviret. LXVII.
Tintinnabula aurea ad fimbriam tunicæ ſummi Pontificis. 454. Quando, & quot poſita? *ibid.*
Titanes, & Titanides poſteri Dodanim filii Javan. 88.
Titulus. Vetus ratio in titulos dividendi novi teſtamenti libros. VIII.
Togorma primus Turcarum pater. 84.
Topazius, lapis pretioſus Rationalis. 449.
Totaphot quid eſſet? 359.
Torta; quid hæc vox ſignificet. 461.
Tracta paſtilli genus. 461.
Tranſitus maris rubri ab uno ad alterum litus. 364. Baptiſmi figura eſt. 365. Qua ratione Scriptores ſacri de hac transfretatione loquantur. 293. Æſtus opportunitatem Iſraelitæ non captarunt. 294. Hujus eventus memoria apud Ethnicos ſervata. 298.
Tribus. Duodecim Tribus capita apud Arabes. 171.
Triſtata; quæ militum ſpecies eſſet? 363.
Troglodytæ, populi ad Occidentale maris rubri litus. 93. Hæc regio a poſteris Agar & Cethuræ frequentata. 169.
Tubalcain filius Lamech & Sellæ, malleati operis ſtrenuus artifex. 45. Ex ejus nomine, & arte expreſſa Vulcani fabella. *ibid.*
Tumulus. Veterum mos columnas ſuper tumulos erigendi. 218.
Tunica. Veſtis interior. Qualis eſſet Joſephi tunica? 225. Orientalium & Romanorum tunica. *ibid.* Tunica ſummi Pontificis. 445. Ejus deſcriptio. 448. 449. Tunica Sacerdotum Hebræorum linea & inconſutilis. 446. Uſus tunicæ apud alios populos ab Hebræis minime diverſus. *ibid.* Tunica inconſutilis I. C. 447.
Turca Togormæ poſteri, & origine Scythæ. 84.
Turris gregis Bethelem propinqua. 218.
Tympanum vetus & recens. Eorum deſcriptio. 203. 369.
Vaſa fictilia, vel ærea, in quibus contractus inſtrumenta, & tabulæ judiciariæ ſervabantur. XLII.
Vatablus; ejus de Poeſi Hebræorum ſententia. 298.
Vau; quid hæc vox ſignificet. 439.
Veelle Schemoth, nomen Exodo ab Hebræis inditum. 278.
Velum. Fœminæ antiquitus nuptiarum die velo obductæ prodibant in ſignum ſubjectionis earum marito. 149. Mulieres Arabes vultum obnubebant prodeuntes. 167. Vela Tabernaculi. 437. Vela, quæ atrii ingreſſum claudebant. *ibid.* Vela, quæ Sanctum ab atrio ſecernebant. *ibid.* Velum hiacinthinum, quod ingreſſum Sanctuarii claudebat, & Sanctum ſeparabat. 439.
Ventus Kadim utrum ab Oriente, an Meridie flaret? 341. Ventus maris rubri fundum exſiccavit. 364. Ventus rubri maris aquas ſuper Ægyptios invertens an fuerit ſpiritus Sanctus. *ibid.* Ventus Orientalis ſiccus, & urens, & periculoſus in Ægypto. 239.
Vermiculus, quo purpura tingitur. 426.
Verſio Septuaginta opus vetuſtiſſimus, ex quo lux aliqua ad Scripturæ intelligentiam poteſt hauriri. VII.
Veſpa. Veſparum agmen, quæ Chananæos ejecerunt. 421.
Veſpera, duæ in Scriptura, & apud prophanos Auctores. 347.
Veſtes ſacræ Aaronis. 445. Veſtes Sacerdotum Ethnicorum pro ſacrificio. 385.
Victima; Antiquorum mos eas dividendi in fœderibus, & exercitus luſtrationibus. 224. Coquorum munus olim erat mactare victimas. 228. Victimas humanas mactandi mos ab Ilo Phœnicium Deo invectus, & an etiam a Saturno *ibid.* Vinciebantur victimæ antequam immolarentur. 256. Quænam eſſe deberent victimarum qualitates penes Hebræos, Ægyptios, alioſque populos. 317. Victimarum cornua aliquando inaurabantur. 419.
Vigilia matutina quam horam indicaret? 365. Antiquior nocturnum tempus dimetiendi ratio erat per vigilias. LXXI.
Virago ad mulierem fortem innuendam. 19. Alluſio inter virum & viraginem ex Hebræo expreſſa. *ibid.*
Virga Moyſis 323. In ſerpentem mutata. 332. Magorum Pharaonis virgæ in ſerpentem verſæ. An vera, & realis fuerit hæc immutatio? 286. Quomodo facta juxta S. Auguſtinum. *ibid.* An Dæmon pro virgis ſerpentes ſuppoſuerit. *ibid.*
Viri portarum nomine aliquando in Scriptura ſignificantur. 558.
Virga. Jacob virgas variis diſtinctas coloribus ob ovium Labani oculos ponit. 198. Bene ſatis fuerunt, ut ſine miraculo verſicolores fœtus conciperentur. *ibid.*
Virgines. Qui virginem ſeduxerit, ad quid teneatur. 412. Qua conditione virgines Iſraelitæ poterant a patribus vendi. 401. Earum Domini tenebantur eas ducere, vel filiis ſuis nubere, aut libertate donare *ibid.* Vendere alienigenæ non poterant. *ibid.*
Vitellius primus piſtacia in Italiam invexit. 246.
Vitis a Rabbinis credita arbor ſcientiæ boni & mali. 27. Noe primus vitem coluit. 75. An eam in Syria plantaverit? *ibid.* *Profanare* vineam pro vineam vindemiare. *ibid.*
Vitulus aureus ab Iſraelitis adoratus. 472. an cælatus fuerit? *ibid.* quinam hujus idololatriæ auctores? *ibid.* Utrum integrum vitulum conflarint, an vituli caput tantum; an denique humanam figuram cum vituli capite? *ibid.* An Cherubim ſimilis eſſet? 474. A Moyſe conteritur, & in pulverem redigitur. 475.
Unctio Aaronis, & Sacerdotum. Cæremoniæ in ea obſervatæ. 459. An iterata fuerit in omnibus Aaronis ſucceſſoribus. *ibid.* Non iterabatur in minoribus Sacerdotibus miniſterium ineuntibus. *ibid.*
Unguis odora quid ſit? 468.
Volumen quid? XL. Plerumque ex uno tantum latere inſcribebatur. *ibid.*
Uphas; aurum Uphas idem ac aurum Phas & Ophas, de quo ſermo in Scriptura. 22.
Ur, urbs Chaldææ; ejus ſitus. 118. Inde egreditur Abraham in Chanaanitidem profecturus. *ibid.*
Uri, filius Hur, a Caleb deſcendens. 377.
Uriel Henoch edocet, quid eſſet annus, menſis, & temporum revolutiones. LX.
Urim, & Thummim Rationali adhærentes quid eſſent? variæ de hoc ſententiæ 451. Quo pacto Deus voluntatem ſuum per Urim oſtenderet? 453 Quamdiu duravit hæc Deum conſulendi ratio. *ibid.* Urim & Thummim an in ſecundo Templo extarent? *ibid.*
Us, filius Haram, quam regionem incoluerit? 98.
Vulcanus; fabula Vulcani ex Tubalcain nomine & arte expreſſa. 45.
Zabini populi ſuperſtitioſi; eorum amuleta. 502.
Zabulon, filius Liæ, ejus ortus. 195. Benedictione donatur ante Iſſachar. 267. Ejus regio uſque ad Phœniciæ limites protendebatur. *ibid.*
Zamareni, Arabiæ deſertæ populi, & a Zamram Cethuræ filio deſcendentes. 169.
Zaphnat Paneah nomen a Pharaone Joſepho inditum. An ſit Ægyptium; & quid ſignificet? 245.
Zara, filius Judæ & Thamar, ejus ortus; fuit Gentilium figura. 233.
Zelpha, Liæ famula, fit uxor Jacobi, & Mater Gad, & Aſer. 191.
Zeri; hujus vocis ſignificatio. 227.
Zomzomim Gigantum genus citra Jordanem incolentium. XXVI.
Zona torrida; Enſis Angeli ad paradiſi terreſtris ingreſſum poſiti erat Zona torrida. 38.
Zuzim, antiquus regionis Ammonitarum populus. 120.

INDICIS RERUM FINIS.

VA1 152U23